Del Collegio de la Comp.ª de Jesus de Granada R.4 1113 Libreria.

# HISTORIA
# B. PLATINÆ
## DE VITIS PONTIFICVM ROMANORVM,

A D. N. IESV CHRISTO VSQVE AD PAVLVM II. VENETVM, PAPAM LONGE QVAM ANTEA EMENDATIOR, DOCTISSIMARVMQVE ANNOTATIONVM ONVPHRII Panuinij acceſsione nunc illuſtrior reddita.

*CVI, EIVSDEM ONVPHRII ACCVRATA ATQVE FIDELI OPERÂ, reliquorum quoq; Pontificum* VITÆ, *vſq; ad* GREGORIVM XIII. *Pontificem Max. nunc recèns adiuncta ſunt.*

Acceſsit eodem etiam auctore, Romanorum Pontificum Chronicon, longè quàm anteà emendatius atq; locupletius.

*Alia quoq; cùm ipſius Platinæ, tum Onuphrij opuſcula huic æditioni nunc recèns addita ſunt, quæ ſequenti pagina annotata offendes.*

Acceſſere item Indices duo pernéceſſarij: quorum priorem, qui eſt Pontificum, in fronte: poſteriorem verò, qui eſt rerum, in calce reperies.




Ex commiſsione Officij S. In-
quisitionis hic liber correctus est
ad praescriptum nuperi Indicis ...
... Granatæ ann. ...

COLONIAE,
APVD MATERNVM CHOLINVM.
M. D. LXXIIII.

Cum gratia & priuilegio Cæſareæ Maieſtatis in Decennium.

Del Collegio de la Comp.a de Jesus de Granada R-4148 Libreria

# HISTORIA
# B. PLATINÆ
## DE VITIS PONTIFICVM ROMANORVM,

A D. N. IESV CHRISTO VSQVE AD PAVLVM II. VENETVM, PAPAM LONGE QVAM ANTEA EMENDATIOR, DOCTISSIMARVMQVE ANNOTATIONVM ONVPHRII Panuinij acceſsione nunc illuſtrior reddita.

CVI, EIVSDEM ONVPHRII ACCVRATA ATQVE FIDELI OPERÂ, reliquorum quoq; Pontificum VITÆ, vſq; ad GREGORIVM XIII. Pontificem Max. nunc recens adiuncta ſunt.

Acceſsit eodem etiam auctore, Romanorum Pontificum Chronicon, longè quàm anteà emendatius atq; locupletius.

*Alia quoq; cùm ipſius Platinæ, tum Onuphrij opuſcula huic æditioni nunc recèns addita ſunt, quæ ſequenti pagina annotata offendes.*

Acceſſere item Indices duo pernéceſſarij: quorum priorem, qui eſt Pontificum, in fronte: poſteriorem verò, qui eſt rerum, in calce reperies.




Ex comissione Officij S.ti In[illegible] quisitionis hic liber correctus est ad praescriptum nuper Indicis [illegible] Granatae ann. [illegible]

COLONIÆ,
APVD MATERNVM CHOLINVM.
M. D. LXXIIII.
Cum gratia & priuilegio Cæſareæ Maieſtatis in Decennium.

# BAP. PLATINAE VITA EX LIBRO IOANNIS TRITTEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, DE SCRIptoribus Eccleſiaſticis.

BAP. cognomento Platina, patria Cremonenſis, Apoſtolicus quondam Abbreuiator, vir vndecunque doctiſſimus, Philoſophus & Rhetor celeberrimus, ingenio ſubtili & vehemens, eloquio diſertus & mulcens, animo conſtans & validus, multas à Paulo Papa II. calamitates ſuſtinuit, adeò, vt bonis omnibus & dignitate ſpoliatus, poſt equulei ſuſpenſionem, in carcerem crudeliſſimè detruſus, vſque ad mortem ipſius Pauli detentus ſit. Qui à Sixto mox liberatus, ad imitationem Eutrandi Ticinenſis diaconi, à Berengario Rege Italiæ ſimilia paſſi, Pauli mores per antipodoſim non inſulſe notauit. Scripſit enim ad Sixtum Pontificem IIII. de Geſtis Romanorum Pontificum Librum vnum, de naturis rerum Librum vnum, Epiſtolarum ad diuerſos, & quædam alia. Moritur Romæ ex peſte ſub Frederico Imperatore III. & Sixto Pōtifice IIII. Anno Domini M. CCCC. LXXXI. indictione XIIII.

Hæc Trittemius. Cæterùm de proprio ipſius Platinæ nomine, controuerſiæ quiddam eſt, Baptiſtâne ſit, an Bartholomæus: nam vetuſtiſsima quæq; exemplaria habent abbreuiatè ſcriptum, BAR. recentiſsima, BAP. Nos, vt quibus non ſatis conſtaret, vtrum rectiùs eſſet, recentem lectionem ſecuti, veteris te admonitum volumus, vt ſit de quo ſententiam & ipſe feras: tantummodo, ne fortuitò aut temerè per nos deprauatum putetur.

Huic operi, præter vitas & chronicon Summorum Pontificum, hæc etiam acceſſerunt:

Onuphrij:
- De ritu ſepeliendi mortuos apud veteres Chriſtianos, & cœmeterijs eorundem.
- Interpretatio multarum vocum Eccleſiaſticarum, quæ obſcuræ, vel barbaræ videntur.
- De ſtationibus Vrbis Romæ.

- De Falſo & Vero bono, Dialogi. III.
- Contra amores. I.
- De vera nobilitate. I.
- De optimo ciue. II.
- Panegyricus in Beſſarionem doctiſſimum Patriarcham Conſtantinopolitanum.
- Oratio ad Paulum II. Pontificem Maximum, de bello Turcis inferendo.



# S. D. N. PIO V. PONTIFICI MAXIMO.

## ONVPHRIVS PANVINIVS VERONENSIS, FRATER EREMITA AVGVSTINIANVS.

S. P. D.

QVVM MAXIMA SIT, PIE V. PONTIFEX MAXIME, RERVM OMNIVM, quæ cæli terræque ambitu continentur, varietas, atque in his variæ quoq; hominum propenſiones, diſſimilia ſtudia, & inuenta ſint, inter omnes ingenij, & ſtudiorum ſolertia præſtantes, eximia ſemper laude digni præter cæteros, ij potiſsimum viſi ſunt, qui aut excellentium regnorum, rerúmve publicarum, aut clariſsimorum hominum res geſtas monumentis literarum tradere, easque ab obliuione vindicare ſtuduerunt. Quandoquidem eorum opera & induſtria fit, vt aduerſus edacis temporis iniuriam, fortiſsimis quaſi quibuſdam armis, ac præſidijs muniti, res ferè vniuerſas, præclarè olim excellenterque geſtas, memoria tuentes, imitemur. Hinc illæ faces, quibus ad immortalis gloriæ ſtudium præclaræ indolis animi vehementer inflammantur, contraque à vitijs improbi, quum ſceleratorum hominum memoriam exagitari intelligant, omnino deterrentur. Verum enimuero ſi tanta ijs omnium hominum iudicio gloria debetur, qui clariſsimarum gentium origines, & res publicè, priuatimque geſtas, qui locorum, & regionum ſitus, vel vetuſtiſsimarum ciuitatum, aut populorum mores, & ritus ſuis commentarijs oſtenderunt, quum ad res profanos omne ſtudium contulerint, quo nam eos præconio extollendos cenſebimus, qui ſacrarum, & eccleſiaſticarum rerum memorias temporum vi, & eorum hominum, qui ſuperioribus ætatibus vixerunt, negligentia prorſus obſcuratas, literis illuſtrandas ſuſceperunt? maiore haud dubiè, & honorificentiore: nam vt profanis ſacras hiſtorias, ſic harum ſcriptores longè illis præferendos puto, tum propter excellentioris argumenti dignitatem, tum quòd rari ſemper fuerint homines, qui ſibi in hoc ſcribendi genere laborandum duxerint. Nec id eò dico, quaſi improbem illorum ſtudia, qui rebus Romanis, Græcis, & Barbaris tradendis exornandisque ſe totos dederunt, ſed quod antiquitatem Chriſtianam, qua nihil antiquius nobis eſſe debet, negligant, & valde miror, & plurimum doleo. Atque ego quidem huius, pænè dixerim criminis, & quidem eiuſmodi, quo nullum tetrius eſſe exiſtimem, labem vitaturus, poſt profana, quæque multis commentarijs à me explicata, ad res eccleſiaſticas conſcribendas, maiorumque noſtrorum memoriam renouandam animum conuerti: acceſsit ſummorum virorum auctoritas, & dignitas, à quibus, cum de Romanorum pontificum, & Cardinalium rebus geſtis librum in manibus haberem, rogatus, vt dum ea immenſi propè laboris commentaria vnus ipſe confeciſſem, Platinæ hiſtoriam, quam de vitis Romanorum pontificum conſcripſit, emendatiorem & locupletiorem, ſtudio, curaque mea edendam curarem, vt eſſet interea, quod Chriſtianæ hiſtoriæ ſtudioſi ad ſubleuandas ſeuerioribus ſtudijs affectos animos per otium lectitarent, donec ederem ea, quæ ego maxima iam ex parte eodem argumen-

to conſcripſi: honeſtiſsimis poſtulatis refragrari non auſus, Platinæ ſatis pro illa temporum conditione diligentis ſcriptoris librum infinitis librariorum mendis repurgatum, & aliquot annotationibus cognitu non indignis, pontificumque vitis auctum in lucem cum ſanctiſsimi nominis veſtri præſcriptione emiſi. Cui enim aptius dicari de maximis pontificibus liber ſcriptus potuit, quàm pontifici maximo, & ei pontifici, qui diuinitùs nobis in hac temporum, hominumque prauitate datus eſt. Qui pietate, religione, iuſtitia, prudentia, & humanitate eccleſiæ ipſi iam in ſenium vergenti, & fere collapſæ, pias manus porrigit, eam iacentem attollit rurſum, atque pænè confectam ſua virtute, & Dei beneficio, quantum in ſe eſt, reſtituit. Eum igitur S. V. libenter accipiat, qui quum ad alia complura, ſi quando per aſsiduas Chriſtianæ reip. curas ei licebit, non inutilis legenti futurus eſt: tum ad id conducet præcipue, vt ex eo multa poſsit appoſitè in præclariſsimarum actionum ſuarum exemplum, non ſine magna animi voluptate, non dubia laude conferre. Deus optimus maximus ſanctitatem veſtram diu eccleſiæ ſuæ ſeruet incolumem. Romæ Kal. Nouemb. Anno ſalutis M. D. LXVII.



# ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO D. PERAFANNO DE RIBERA, DVCI ALEALAE, PROREGI NEAPOLITANO, &c. IVSTISSIMO PIENTISSIMOQVE PRINcipi, Onuphrius Panuinius Veronenſis, frater Eremita Auguſtinianus.

S. P. D.

ORbem terrarum, & vniuerſa quæ in eo comprehenduntur, non ſine maximo diuini numinis conſilio regi, & gubernari, ferè iam vniuerſo mortalium generi perſuaſum eſt. Id ipſum cùm vbique, tum præcipue in republica Chriſtiana, tam certum & expreſſum videtur, quàm ea quæ ſenſibus, experientiáve percipimus. Vt enim admirabilia illa prætercam, quibus omnium ſcriptorum monumenta, iam inde ab eo die, quo Chriſtus in cœlum aſcendit, referta ſunt, quibus liquidò patet, ex turbulentiſſimis tempeſtatibus, ſæuiſque procellis, ſolò Dei gubernaculo Petri nauim, ſæpius incolumem eſſe conſeruatam, illud certè diuinitus procuratum fuiſſe, neminem adeò ſenſu deprauato fore exiſtimo, qui inficiari audeat, qualia ſcilicet pericula fuerint, quantique labores reipublicæ Chriſtianæ, tales tantoſque propugnatores, & duces extitiſſe. Itaque initio exorientis eccleſiæ non defuerunt apoſtoli primùm, deinde eorum diſcipuli, vel ſucceſſores, præſertim Epiſcopi Romani, & præter hos Diui Ignatius, Clemens, Apollonius, Quadratus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, innumerabiles alij, qui pro eius dignitate tuenda aduerſus improbos Iudæorum conatus, & nefaria tyrannorum Neronis, Domitiani, Maximini, Decij, Valeriani, Diocletiani edicta, ac poteſtatem, cùm animi robore, ſcriptis, vitæque ſanctiſſimæ exemplo, tum etiam proprio ſanguine decertarent. Pace demùm à Tyrannis eccleſiæ diuinitùs parta, quum in ipſo Chriſtianiſmi ſinu pernicioſa de dogmatibus diſſidia quotidie Satanæ artibus exorirentur, aduerſus Manichæum, Sabellium, Arrium, Macedonium, Donatum, Neſtorium, Eutychen, cæteraſque huiuſmodi peſtilentes furias: Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Cyrillus, Leo papa, & alij multi, doctrina, & ſanctitate præſtantes viri, Dei optimi maximi munere, diuini planè heroës ad conficienda monſtra ſunt exorti. Iam verò quis non videt funeſtis illis, calamitoſiſque temporibus, quibus Italiam omnem, atque adeò Occidentem Gothorum, & Longobardorum immanitas deuaſtabat, primùm Benedictum apud Caſinum Montem, deinde verò Romæ D. Gregorium Magnum, in Hiſpania Iſidorum & Leandrum, in Gallijs Remigium, & Gregorium Turonenſem, ſumma Dei prouidentia ad remedium tantarum calamitatum repentè veluti è cœlo delapſos eſſe: & in Gregorio quidem Romano ea magnitudo animi, conſilij vis, prudentia, & innocentia viguit, vt quum vitam eius, reſque geſtas animo complector, intueri planè mihi videar, par illud pulcherrimè compoſitum, fortem virum, cum aduerſa fortuna decertantem. Ab eo tempore quum iam reges Occidentis, cognita ſalutis æternæ via, ex hoſtibus ſerui Chriſti euaſiſſent, nec de dogmatibus, aut nulla, aut parua controuerſia eſſet, accidit quod ferè ſolet in rebus humanis, vt diuturnum ocium & tranquillitatem, deprauatio morum, vitæ luxuria deterior eccleſiæ conditio conſequeretur. Quæ mala tanquam animorum caligines, vt facilius diſſipari poſſent, Leo IX. Victor III. Alexander II. Gregorius VII. Vrbanus II. Paſchalis II. Romani pontifices mirabili pietate viri, & de grege ſibi cōmiſſo admodum ſolliciti: item ſancti Romoaldus, Ioannes Gualbertus, Bruno, Robertus, Bernardus, Dominicus, Franciſcus, Petrus Martyr, Antonius Patauinus,

Nicolaus Tolentinas, ſanctiſſimi homines repente exorti, veluti ſoles, vniuerſum orbem terrarum, tetra caligine oppreſſum ſalutaribus inſtitutis recrearũt. Atque his ipſis temporibus, quibus omnia calamitatum genera, veluti repentino quodam terræ fœtu de improuiſo ſimul eruperunt, in eam rerum omnium, non difficultatem modò, ſed pœnè etiam deſperationem peruẽtum eſt, vt omnibus reipublicæ Chriſtianæ membris peſſimè affectis, idonea ſatis medicina nõ adhiberi ſolum, ſed nec excogitari poſſe videatur. Orbem Chriſtianum terra, mariq; oppugnat violentiſsimus hoſtis, & poſt Macedonas, Romanosq;, omnium qui aliquando fuerunt, Rex Turcarum maximus, atque potentiſſimus. At verò longè ſæuior, pernicioſiorq; peſtis inhæret viſceribus noſtris, crudeliſsimeque intus debacchatur. Nemo certè eſt qui neſciat, quàm pernicioſa, & teterrima dogmata, quàm inſolẽtes, & nefariæ in ſacris ritibus opiniões emerſerint, quæ maiorem Europæ partem peſtifera contagione peruagatæ, aduerſus Romanam, atque adeo Catholicam eccleſiam inſurrexerunt, vt eius dignitate diſſipata, liberiùs & ſecuriùs in miſeros populos graſſarentur. Qui autem omnium ordinum mores paulò antè fuerint, & nunc etiam plerisque in locis ſint, quæ in Deum pietas, quæ in proximum charitas, nõ minus dolore, quàm verecundia, ne dicam abſterreor. Inter tot ærumnas, & laborantis mundi calamitates, Deus optimus maximus manus ſuas non ſubtraxit. Egregios enim morum reſtitutores, ſcelerum vindices, eccleſiaſticæ maieſtatis aſſertores, hoc potiſsimum tempore excitauit Pium V. pontificem maximũ, Hiſpaniarum catholicum regem Philippum, & te Peraſanne princeps optime, inter eius miniſtros præcipuum. Pio enim pontifici Chriſtianam rempublicam adminiſtrandam, communi, & propenſiſsimo ſuffragio patres detulerũt, & ea quidem ratione, vt nemo ſit tam peruerſus, tamque diuinæ prouidentiæ vehemens hoſtis, qui diuino id factum conſilio negare audeat. Quid verò ex hac admirabili, ac ſynceriſſima, longeque integerrima electione ſtatim probi homines ſperarint, ita vulgò iactatum eſt, vt citra notam aſſentationis, quæ ab inſtituto noſtro ſemper abfuit, literis commẽdari poſſit. Polliciti enim ſibi de eo ſunt pietatem ſummam, animi magnitudinem, vitæ innocentiam, in rebus publicis conſtituendis, hæreſibusque extirpandis, atque in religione moderanda ſolertiam ſingularem: neque id temerè fecerunt. Conſiderabant enim quàm præclarè omnia munera ante pontificatum ei commiſſa obierit, quàm egregijs ſummi ſacerdotij initio, atque inuſitatis, ac perpetua memoria dignis operibus, bonorum hominum animos in ſui admirationem excitauerit, ita vt certò ſibi perſuaſerint, præpotẽtis Dei ope, noſtra item hac ætate, ſuperiorũ temporum exemplo, par tantis ærumnis præſidiũ in apoſtolatu ſuo mortalibus conceſſum eſſe. De pietate optimi regis Philippi quid dicam? qui tot prouincias, & regna, quæ plurima, & maxima ſua ditione complectitur, ita moderatur, & regit, vt ſummam iuſtitiæ, clementiæ, liberalitatis, animi magnitudinis laudem diu antè ſit adeptus. At hæc cum alijs regibus fortaſsis etiam communia eſſe poterunt. Quod ad eius propriam laudem pertinet, eſt religionis ſtudium, quo optimos paſtores ſuis gregibus inſtitui procurat, eccleſiaſticam morum diſciplinam Tridentino Concilio inſtitutam exequitur, hæreticorum perfidiam ſalutari ſeueritate radicitùs euellere ſtudet, cũctasque prouinciarum eccleſias, ad antiquarum inſtitutionum regulas inſtitui procurat. Regnorum non tantum regem, ſed etiam paſtorem ſe, ac parentẽ eſſe profitetur. Quibus rebus proculdubio fiet, vt eccleſiæ ſuæ poteſtati commiſſæ, priſtinum decus, antiquum ſplendorem, maiorum virtutem recipere poſſe videãtur. De te verò optime princeps, ſi merita tua reſpicere voluero, multa: at vt præſentis loci ratio poſtulat, pauca dicam. Qui illuſtriſsimo, atque adeo etiam regio genere ortus, ſummo ſtẽmatis ſplendori, egregias inuſitatæ virtutis actiones adiunxiſti. Nobiliſsimæ, & armis ſtrennuæ terræ Cathaloniæ Prorex, quum ex multis, tum ex his præcipuè maximam laudem reportaſti, quòd prouinciam perpetua ſæuiſsimorum latronum infeſtatione vexatam, aſſidua cura ita repurgaſti, ſic ex æquo, & bono iura illis populis reddidiſti, vt adhuc te communem ampliſsimæ regionis parentem appellent. His virtutibus notus, quanquam valetudine



letudine in firma à Diuo Carolo V. glorioſiſsimę memorię Imperatore, & ipſius filio Philippo rege Catholico, Neapolitano regno ſumma cũ poteſtate, nil minus cogitans, præpoſitus es. In eo munere ſummum magnificentiæ, æquitatis, ciuilisq; prudentiæ ſpecimen præbuiſti. Incredibili ſolertia hoſtium Chriſtiani nominis Turcarũ, & Pœnorum vim repreſsiſti. Horum quidem quum tua ipſius opera Oranum ad Africi maris littus oportunum Hiſpaniæ oppidum, ab ijs circumuallatum, & in periculum adductum, claſſe admirabili celeritate immiſſa, publico Hiſpanorum omnium cõmodo, obſidione, Algeritano rege in fugam acto, exemiſti. Turcarum verò cum validiſsimis Germanorum legionibus euocatis, eos à regni Neapolitani inuaſione repuliſti. Pietatis & iuſtitiæ memor, duobus interregnis põtificijs ſacri ſenatus vſui operam, arma teipſum obtuliſti, eccleſiaſticæ ditionis fines ita pacatos continuiſti, vt nulla controuerſia, nullũ facinus, nullũ in ijs diſcrimẽ exortum fuerit. In hæreticos, & teterrimarũ opinionũ profeſſores, adeo ſeuerus, vt eos vbiq; accuratiſsimè ſumptu non mediocri, vigilantia maxima inueſtigatos, Romã ad ſanctæ inquiſitionis tribunal plectendos remiſeris, eccleſiaſticam diſciplinam, quantũ tui muneris ratio exigit, ſartam tectam conſeruare cupiens, pontificis, & regis tui, quorum vtriuſque miniſter es, exemplo. Tot virtutum commendatione inſignis à Romanis pontificibus apoſtolicæ ſedis dextera compellaris, quo quidem nemo ardentius ijs obtemperauit. Certè Pius V. ſummi ſacerdotij dignitatem tuis ſtudijs maximè ſubleuari, tuisq; precibus ſe Petri cathedram conſcendiſſe publicè profeſſus eſt. Quarum ego te virtutum decore fulgentem, huius libri potiſsimũ patronũm delegi, quo quatuordecim Romanorum pontificum vitæ comprehenduntur, in quo multa præclariſsimarum tuarum actionũ exempla intueri poteris, quod noſtro ſæculo inter ſummos viros, qui de ſancta apoſtolica ſede benemeriti ſunt, paucos æquales, neminem certè ſuperiorem habeas. Ex quo dubitare non licet, quin te Deus optimus maximus in hac mortali vita diu incolumem, florentemq; conſeruet: in futura verò, perpetuæ beatitudinis gloriam tibi largiatur.

Vale. Roma Kalend. Septembris, ꝏ DLXVII.

# AD LECTOREM.

Breuem & neceſſariũ Catalogum hunc, tum ex hoc Platinæ volumine, tũ ex alijs ſcriptoribus collegimus, qui præter Romanos Præſules ſuo ordine poſitos, etiã Imperatorum nomina, qui illorũ temporibus imperarũt, & Concilia, quæ ſub illis quoq; celebrata ſunt, continet. Atq; in eo hoc obſeruatũ eſt, vt Concilia generalia tã Latina, quàm Græca, maiuſculis literis excuderẽtur, addito illis tempore, quo celebrata fuerunt, quaq; de cauſa coacta, & à quibus approbata fuerint: Prouincialibus verò litera P præponeretur. Imperatores aũt, prętérquam quòd temporibus Pontificum & Conciliorum reſpondeant, etiam tempus ſui Imperij annotatũ habent. Hũc laborem in tuum cõmodum aſſumptum grato animo ſuſcipe, atq; ſtudia tua in Eccleſiæ vtilitatem conuerte. Vale.

| | ROM. PONTIFICES. | Annus. | Menſes. | Dies. | Fol. | CONCILIA. | IMPERATORES. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | IESVS CHRISTVS PONtifex in æternum fol. 3. Eius Vicarij hoc ordine ſequuntur. | | | | | | *IVLIVS Cæſar Imperauit annis 5. menſ. 7.*<br>*Octauianus Auguſtus, Ann. 56.*<br>*Tyberius, Ann. 23. vel 21. vt aiunt alij.* |
| 1 | S. Petrus Apoſtolus Martyr primùm Antiochiæ ſedit 7. annis, Romæ verò | 25 | 2 | 3 | 5 | CONCILIA aliquot celebrata ſunt, vt illud Hieroſolymitanum, de quo Acto. 15. & in quo Canones Apoſtolorum ſunt compoſiti, qui approbati ſunt in 6. Synodo generali. | *Caius Caligula, Ann. 3. menſ. 10. dieb. 8.*<br>*Claudius, Ann. 13. menſ. 9. dieb. 28.* |
| 2 | S. Linus Tuſcus, Martyr | 11 | 3 | 12 | 10 | | *Nero, Ann. 14. menſ. 7. dieb. 28.*<br>*Prima perſecutio Chriſtianorum.* |
| 3 | S. Cletus Romanus, Martyr | 12 | 1 | 11 | 11 | | *Galba, menſ. 7.*<br>*Otto primus, menſ. 3.* |
| 4 | S. Clemens Romanus, Martyr | 9 | 2 | 10 | 12 | | *Vitellius, menſ. 7.*<br>*Veſpaſianus, An. 9. menſ. 11. dieb. 22.* |
| 5 | S. Anacletus Athenienſis, Martyr | 9 | 2 | 10 | 13 | | *Titus, annis 2. menſ. 8.*<br>*Domitianus regnauit, an. 15. mẽſ. 4.*<br>*Secunda perſecutio.* |
| 6 | S. Euariſtus Græcus, Martyr | 9 | 10 | 2 | 15 | | *Nerua, ann. 1. menſ. 4. dieb. 8.*<br>*Traianus, ann. 19. menſ. 6. dieb. 5.* |
| 7 | S. Alexander I. Romanus, Martyr | 10 | 7 | 2 | 15 | | *Tertia perſecutio.*<br>*Adrianus, ann. 21.*<br>*Quarta perſecutio.* |
| 8 | S. Sixtus I. Romanus, Martyr | 10 | 3 | 21 | 16 | | |
| 9 | S. Teleſphorus I. Græcus, Martyr | 11 | 3 | 22 | 17 | | *Antoninus Pius cum filijs Aurelio & Lucio regnauit Annis 23. menſ. 3.* |
| 10 | S. Higinus Athenienſis, Martyr | 4 | 3 | 4 | 18 | | |
| 11 | S. Pius Aquileienſis. | 11 | 4 | 3 | 19 | | *M. Antonius Verus cum L. Aurelio Commodo fratre, Annis 19. Mẽſe vno.* |
| 12 | S. Anicetus Syrus, Martyr | 11 | 4 | 3 | 20 | | |

S. So-

| | ROMANI PONTIFICES. | Ann. | Men. | Dies. | Fol. | CONCILIA | IMPERATORES. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 13 | S. Soter I. Fundanus | 9 | 3 | 21 | 21 | | *Antoninus Commodus, ann. 13.* |
| 14 | S. Eleutherius I. Nicopolitanus | 15 | 3 | 2 | 22 | | |
| 15 | S. Victor I. Apher | 10 | 3 | 10 | *Ibid.* | Huius tempore Concilia aliquot in Paleſtina celebrata ſunt de ratione Paſchatis. | *Aelius Pertinax, ann. 0. Menſ. 6.*<br>*Iulianus Iuriſpiritus, Menſ. 7.* |
| 16 | S. Zepherinus I. Romanus | 8 | 7 | 10 | 23 | | *Seuerus Pertinax, ann. 18.*<br>*Quinta perſecutio.* |
| 17 | S. Calliſtus I. Romanus, Martyr | 6 | 10 | 10 | 24 | | *Antoninus Caracalla, Baßianus anteà dictus, ann. 6. Menſ. 2.* |
| 18 | S. Vrbanus I. Romanus, Martyr | 4 | 10 | 12 | 25 | | *M. Aurelius Antoninus Heliogabalus, ann. 4.*<br>*Diadumenus, Macrinus, Albinus Edax } Ann. 1.* |
| 19 | Pontianus Romanus, Martyr | 9 | 5 | 2 | 26 | | *Alexander, ann. 13.* |
| 20 | S. Antherus Græcus, Martyr | 11 | 1 | 12 | 27 | | *Maximinus, ann. 3.*<br>*Sexta perſecutio.* |
| 21 | S. Fabianus Romanus, Martyr | 14 | 11 | 11 | 28 | Romanum 60. Epiſcoporum cõtra Nouatianam hæreſim, fol. 28. | *Gordianus, ann. 6.*<br>*Philippus I. Chriſtianus cum Philippo filio, ann. 5.* |
| 22 | S. Cornelius Romanus, Martyr | 2 | 2 | 3 | 29 | Carthaginenſe de rebaptizandis hæreticis ſub D. Cypriano, aliquomodo confirmatur in Trullo. | *Decius, ann. 2.*<br>*Septima perſecutio.* |
| 23 | S. Lucius I. Romanus, Martyr | 3 | 3 | 3 | 30 | | *Gallus cum Voluſiano filio, ann. 2. Menſ. 4.*<br>*Aemilianus tyrannus, Menſ. 3.* |
| 24 | S. Stephanus I. Romanus, Martyr | 7 | 5 | 2 | 31 | | *Valerianus & Galienus, ann. 15.*<br>*Octaua perſecutio.*<br>*Imperium tum vacabat, ſcilicet tyrannide in Gallijs occupat Poſthumus: & poſt cum Victorinus, deinde* |
| 25 | S. Sixtus II. Athenienſis. Martyr | 2 | 10 | 23 | *Ibid.* | | *Tetricus Senator.* |
| 26 | S. Dionyſius I. | 6 | 2 | 4 | 32 | Antiochænum, quo damnatur Paulus Samoſatenus, fol. 35. | *Claudius, ann. 1. Menſ. 9.*<br>*Quintilius Claudij frater, dieb. 17.*<br>*Aurelianus, ann. 5. Menſ. 6.* |
| 27 | S. Felix Romanus, Martyr | 4 | 3 | 15 | 33 | | *Nona perſecutio.*<br>*Tacitus, Menſ. 6.* |
| 28 | S. Eutychianus Tuſcus, Martyr | 1 | 1 | 1 | *Ibid* | | *Florianus, Menſ. 2. diebus 20.*<br>*Probus, ann. 6. Menſ. 4.* |
| 29 | S. Gaius Dalmateus, Martyr | 11 | 4 | 12 | 34 | | *Carus cum Carino & Numeriano filijs, ann. 2.*<br>*Diocletianus & Maximianus, ann. 20.* |
| 30 | S. Marcellinus Romanus, Martyr | 9 | 2 | 16 | 35 | Sinueſſanum in Campania 180. Epiſcoporũ, fol. 35. | *Decima, eaq; maxima perſecutio.* |
| 31 | S. Marcellus Romanus, Martyr | 5 | 6 | 21 | 36 | P. Ancyranum confirmatũ in Trullo Canon. 2. | *Conſtantius primus, ann. 13.*<br>*Galerius, ann. 16. à quo in partem imperij aſſumptus eſt Licinius, ann. 16.* |
| 32 | S. Euſebius Græcus | 6 | 1 | 3 | 37 | | |
| 33 | S. Melchiades Apher, Martyr | 4 | 7 | 9 | 38 | Neocæſarienſe confirmatũ in Trullo. | *Maxentius Maximinus, ann. 6. & Conſtantinus I.* |

S. Syl.

| | ROMANI PONTIFICES. | Ann. | Men. | Dies. | Fol. | CONCILIA. | IMPERATORES. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 34 | S. Sylueſter Romanus | 23 | 10 | 11 | 39 | Anno Domini 330.<br>I. NICAENVM GENERale 318. Epiſcoporũ contra Arrianos à Sylueſtro cõfirmatum, cuius nomine præfuerunt Concilio Hoſius Epiſcopus Cordubenſis, & Victor atq; Vincentius Presbyt. Romani, folio 40.<br>Romanũ 75. Epiſcoporũ.<br>Romanum aliud.<br>P. Elibertinum.<br>P. Arelatenſe I.<br>P. Gangrenſe confirm. in Trullo. | *Conſtantinus I. ſolus, ann. 30. menſ. 10.* |
| 35 | S. Marcus Romanus | 2 | 8 | 20 | 43 | P. Arelatenſe II.<br>P. Carthaginenſe. | |
| 36 | S. Iulius I. Romanus | 15 | 2 | 6 | 44 | Romanum.<br>Agrippinenſe.<br>Antiochænum cõfirmatum in Trullo.<br>Sardicenſe confirmatum in Trullo.<br>Hieroſolymitanum.<br>Syrmenſe. | *Conſtantinus II. ann. 24.*<br>*Conſtans, ann. 17. & Conſtantinus II. fratres.* |
| 37 | S. Liberius Romanus | 6 | 3 | 4 | 45 | Laodicęnum contra Arrianos cõfirmatum in Trullo, fol. 44. | |
| 38 | Felix II. Romanus, qui quoniam viuente adhoc Liberio Pontifex factus eſt, non deberet merito inter Ro. Pontifices numerari. Dicitur tamen ab hęreticis cũ multis alijs Catholicis interfectus. | 1 | 4 | 2 | 46 | Romanũ 48. Epiſcoporũ, quo ipſe Felix electus fuit Pontifex, & aliquot ab Eccleſia ſeparati, fol. 47.<br>Romanum aliud 48. Epiſcoporum, omnibus Epiſcopis eſſe ad Concilium veniendum, ibidem.<br>P. Laodicęnum confirmatum in Trullo. | |
| 39 | S. Damaſus Hiſpanus | 19 | 3 | 11 | 48 | Anno Domini 370.<br>II. CONSTANTINOpolitanum I. 150. Epiſcoporum cõtra Macedoniũ cõfirmatur à Damaſo, & in ſexta Synodo in Trull.<br>P. Valẽtinum in Gallia 30. Epiſcoporum. | *Iulianus Apoſtata, ann. 1. menſ. 8.*<br>*Iouinianus, menſ. 8.*<br>*Valentianus cum Valente fratre, ann. 13. menſ. 5.*<br>*Gratianus cũ Valentiniano, ann. 6. cum ipſis & poſt ipſos Theodoſius, I. ann. 11.* |
| 40 | S. Syricius Romanus | 15 | 11 | 25 | 49 | Aquilienſe.<br>Romanum.<br>P. Telenſe.<br>P. Carthaginenſe II. confirmatum in Trullo.<br>P. Carthaginenſe III. confirmatum in Trullo.<br>P. Carthaginenſe IIII. confirmatum in Trullo.<br>P. Taurinatenſe confirma. in Trullo. | |

S. Ana-

| | ROMANI PONTIFICES. | Ann. | Men. | Dies. | Fol. | CONCILIA | IMPERATORES. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 41 | S. Anaſtaſius I. Romanus | 3 | 10 | 0 | 51 | Carthaginenſe V. Epiſcoporum 73. confirmatum in Trullo.<br>P. Toletanum I. Epiſcoporum 15. confirmatum à Leone Papa. | |
| 42 | S. Innocentius I. Albanus | 15 | 2 | 25 | 52 | Mileuitanum approbatum ab Innocentio.<br>Burdegalenſe, in quo damnatur Priſcilliani dogma, fol. 53. | *Arcadius cum fratre Honorio, an. 13* |
| 43 | S. Sozimus | 1 | 3 | 12 | 53 | P. Carthaginenſe VI. Epiſcoporum 217. confirmatum in Trullo, fol. 60. | |
| 44 | S. Bonifacius I. Romanus | 3 | 8 | 7 | 55 | P. Carthaginenſe VII. Epiſcoporum 38. confirmatum in Trullo.<br>Aphricanum. | *Theodoſius II. Iunior Imper. an. 27. & cum eo & poſt eum Valentinianus, ann. 30.* |
| 45 | Cæleſtinus I. Campanus | 8 | 10 | 17 | 56 | Anno Domini 413.<br>III. EPHESINVM 200. Epiſcoporum contra Neſtoriũ & Pelagianos confirmauit Cęleſtinus I. cuius loco præfuerũt Cyrillus & Arcadius Epiſcopi, præterea VI. Synodus in Trullo, fol. 56.<br>P. Agathenſe 35. Epiſcoporum. | |
| 46 | S. Sixtus III. Romanus | 8 | 0 | 19 | *Ibid.* | P. Rhegienſe 13. Epiſcoporum. Romanum 57. Epiſcoporum, in quo Sixtus III. abſolutus fuit, fol. 57. | |
| 47 | S. Leo I. Tuſcus | 2 | 1 | 13 | 58 | P. Auriſcanum I.<br>Auriſcanum II. de libero Arbitrio.<br>Valenſe I. 18. Epiſcoporum.<br>Valenſe II.<br>Carpentoracenſe.<br>Arelatenſe III.<br>Conſtãtinopolitanum ſub Flauiano inſertũ actioni primæ Chalcedonenſis.<br>Tyrium actioni IX. Chalcedonenſi inſertum. Beritẽſe actioni X. Chalcedon.<br>Anno Domini 443.<br>IIII. CHALCEDONENſe 630. Epiſcoporum contra Eutichetem, cuius loco præfuerunt Paſchaſius & Lucentius Epiſcopi & Bonifacius Presbyter.<br>Item VI. Synodum Trullo, fol. 65.<br>P. Veneticum. | *Martianus, ann. 7.* |
| 48 | S. Hilarius I. Sardus | 7 | 3 | 10 | 59 | P. Turonẽſe 8. Epiſcopor.<br>Romanum. | *Leo I. ann. 16.* |

S. Sim-

| | *ROMANI PONTIFICES.* | Ann. | Men. | Dies. | Fol. | *CONCILIA.* | *IMPERATORES.* |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 49 | S. Simplicius Tiburtius | 15 | 1 | 7 | 60 | | *Leo II.* *Zeno, ann. 17.* |
| 50 | S. Felix III. Romanus | 8 | 11 | 17 | 61 | P. Tarraconenſe 10. Epiſcoporum. Romanum, fol. 61. | *Anaſtaſius Imper. ann. 26.* |
| 51 | S. Gelaſius Apher | 4 | 8 | 17 | 62 | P. Epaunenſe 70. Epiſcoporum. | |
| 52 | S. Anaſtaſius II. Romanus | 1 | 10 | 24 | *Ibid.* | | |
| 53 | S. Symmachus Sardus | 15 | 6 | 22 | 63 | Rauennenſe, quo Symmachus in Pontificatu confirmatur, fol. 63. Sex concilia Romæ celebrata ſunt, ibidem. Ilerdenſe 8. Epiſcoporum. Valentinum Hiſpaniæ 6. Epiſcoporum. | |
| 54 | S. Hormiſda Fruſinonius | 9 | 0 | 8 | 64 | Romanũ, in quo Eutychiani damnantur, fol. 64. | *Iuſtinus I. ann. 8.* |
| 55 | S. Ioannes I. Tuſcus Martyr | 2 | 8 | 0 | 65 | Aurelianenſe 33. Epiſcoporum. P. Gerundenſe. | |
| 56 | S. Felix IIII. Samius | 4 | 3 | 13 | 66 | Cæſarauguſtanum 12. Epiſcoporum. | *Iuſtinianus, ann. 40.* |
| 57 | Bonifacius II. Romanus | 2 | 0 | 2 | *Ibid* | | |
| 58 | Ioannes II. Romanus | 2 | 4 | 0 | 67 | Toletanum II. | |
| 59 | S. Agapetus Romanus | 0 | 11 | 19 | 68 | Hieroſolymitanum II. cuius mentio fit actione I. Conſtanti. II. | |
| 60 | S. Siluerius Campanus | 1 | 5 | 12 | *Ibid* | | |
| 61 | Vigilius Romanus | 15 | 6 | 26 | 69 | Anno Domini 553. V. CONSTANTINOPOLITANA II. 160. Epiſcoporũ cõtra Theodorũ, qui D. Virginẽ θεότιχον dici nolebat, præſidente Menna Patriarcha, confirmauit Gregorius I. & VI. Synodus in Trullo. Aurelianenſe II. P. Aurelianenſe III. Auernenſe. | |
| 62 | S. Pelagius I. Romanus | 10 | 10 | 28 | 70 | P. Aurelianenſe IIII. P. Turonicum II. P. Pariſienſe I. | *Iuſtinus II. ann. 11.* |
| 63 | S. Ioannes III. Catellinus | 12 | 11 | 26 | 71 | Aurelianenſe V. Pariſienſe II. | |
| 64 | S. Benedictus I. Romanus | 4 | 1 | 28 | 72 | | *Tiberius II. ann. 7.* |
| 65 | S. Pelagius II. Romanus | 10 | 2 | 10 | *Ibid.* | Hiſpalenſe I. Robur habens à ſede Romana. | *Mauritius, ann. 19.* |



| | *ROMANI PONTIFICES.* | Ann. | Men. | Dies. | Fol. | *CONCILIA* | *IMPERATORES.* |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | | | | Toletanum III. Arrij hæreſis damnatur. P. Matiſconenſe I. P. Matiſconenſe II. | |
| 66 | S. Gregorius I. Romanus | 13 | 6 | 10 | 74 | Lateranenſe. Romanum. | *Phocas, ann. 8.* |
| 67 | Sabinianus Tuſcus. | 1 | 5 | 9 | 76 | | |
| 68 | Bonifacius III. Romanus | 0 | 9 | 0 | 77 | Romanum 72. Epiſcoporũ de electione Roman. Pontificis, fol. 77. | |
| 69 | Bonifacius IIII. Marſus | 6 | 8 | 13 | 78 | | *Heraclius, ann. 29. 30.* |
| 70 | S. Deuſdedit Romanus | 3 | 0 | 23 | 79 | Antiſiodorenſe. | |
| 71 | Bonifacius V. Campanus | 5 | 0 | 10 | 80 | | |
| 72 | Honorius Campanus | 12 | 11 | 17 | 81 | P. Hiſpalenſe II. Toletanum IIII. 70. Epiſcoporum. | |
| 73 | Seuerinus Romanus | 1 | 2 | 0 | 82 | Toletanũ V. 21. Epiſcoporũ Toletanũ VI. 52. Epiſcop. Bracarenſe I. P. Bracarenſe II. | |
| 74 | Ioannes IIII. Dalmata | 1 | 9 | 9 | *Ibid.* | | *Conſtantinus III. menſ. 4.* |
| 75 | Theodorus I. Græcus | 6 | 5 | 18 | 83 | | *Conſtantius III. Ann. 28.* |
| 76 | S. Martinus I. Tudertinus | 6 | 1 | 26 | *Ibid.* | Toletanum VII. 38. Epiſcoporum. Romanum Lateranẽſe 150. Epiſcoporum contra Monothelitas, fol. 84. Commendatur ab Agathone in quadã decretali ad VI. Synodum, Toletanum VIII. 55. Epiſcoporum. Toletanum IX. 16. Epiſcop. Toletanum X. 17. Epiſcop. P. Cabilonenſe 1. Toletanum XI. | |
| 77 | Eugenius I. Roma. | 2 | 9 | 0 | 84 | P. Bracarenſe III. | |
| 78 | Vitalianus Signinus | 14 | 6 | 0 | 85 | Anglicanum I. | *Conſtantinus IIII. à patre in partẽ Imperij ſuſcipitur. Mezentius à militibus creatus Imperator, Conſtantio interfecto, ſcilicet nõ multò pòſt occiditur, & Conſtantinus IIII. Solus Imperat. ann. 17.* |
| 79 | Adeodatus Romanus | 4 | 2 | 5 | 86 | | |
| 80 | Donus Romanus | 5 | 5 | 10 | 87 | Anno Domini 719. | |
| 81 | S. Agatho Siculus | 2 | 6 | 15 | *Ibid.* | Anglicanum II. aduerſus Monothelitas, cui interfuit Ioannes Abbas iuſſione Agathonis. VI. CONSTATINOPOLITANVM III. 289. Epiſcoporũ aduerſus Monothelitas. Poſteà verò in Trullo fuerũt Patres 227. loco Agathonis inter | |

| | ROMANI PONTIFICES. | Ann. | Men. | Dies. | Fol. | CONCILIA. | IMPERATORES. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | | | | fuerunt Theodorus & Georgius Presbyteri, & Ioãnes Diaconus, confirmauit Leo II. fol. 88. | |
| 82 | S. Leo II. Siculus | 0 | 10 | 0 | 88 | Toletanum XII. | |
| 83 | Benedictus II. Romã. | 0 | 10 | 12 | 89 | | |
| 84 | Ioannes V. Syrus | 1 | 0 | 0 | 90 | Toletanum XIII. | *Iuſtinianus II. ann. 10.* |
| 85 | Conon Thrax | 0 | 11 | 3 | *Ibid.* | | |
| 86 | Sergius I. Syrus | 13 | 8 | 23 | 91 | | *Leontius Imperium inuadit, ann. 3. quo expulſo Tiberius III. ab exercitu eligitur, regnat mẽſib. 7. ſed paulò pòſt Iuſtinianus imperio reſtituitur, duob. iſtis è medio ſublatis, regnauit ann. 6.* |
| 87 | Ioannes VI. Græcus dicitur eſſe Martyr | 3 | 3 | 0 | 93 | | |
| 88 | Ioannes VII. Græcus | 2 | 7 | 17 | 94 | | |
| 89 | Siſinnius, vel vt alij volũt, Soſinus Syrus | 0 | 0 | 20 | *ibid* | | |
| 90 | Cõſtantinus I. Syrus | 7 | 0 | 20 | *Ibid.* | Romanum, quo imagines ſanctorum depingi debere ſtatuitur, fol. 95. | *Philippicus hæreticus, Anno vno, menſ. 6.* *Anaſtaſius II. Arthemius, ann. 3. poſtea ſacris initiatur.* *Theodoſius III. anno vno.* |
| 91 | Gregorius II. Romã. | 16 | 9 | 11 | 96 | | |
| 92 | Gregorius III. Syrus | 10 | 8 | 24 | 98 | Romanum. | *Leo III. Iconomachus hæreticus, Ann. 24.* |
| 93 | Zacharias Græcus | 10 | 3 | 0 | 100 | Francicum. Arelatenſe III. | |
| 94 | Stephanus II. Romanus | 5 | 1 | 0 | 101 | Romanum, fol. 102. | *Conſtantinus V. ann. 34. menſ. 2. dieb. 26.* |
| | *Ante quem tamen Stephanus quidam Presbyter à populo creatus tertia pòſt die obijt.* | | | | | | |
| 95 | Paulus I. Romanus Conſtantinus II. | 10 | 1 | 0 | 103 | | *Cum Leone IIII. filio, ann. 5.* |
| | *Hic ab alijs ponitur, quem tamen quia non legittimè pontificatum adeptum, licet anno ſedem occuparit, inter Põtifices Platina meritò non numerat.* | | | | | | |
| 96 | Stephanus III. Siculus | 4 | 5 | 27 | 104 | Lateranenſe, fol. 105. | |
| 97 | Hadrianus I. Romanus | 23 | 10 | 17 | 106 | Anno Domini 781. VII. SYNODVS GENERALIS, QVAE EST II. NICAENA cõtra Iconomachos 350. Epiſcoporum, cui præfuerunt Petrus Presbyter & Petrus Monachus loco Hadriani: cõfirmauit Hadrianus I. & ex ea quoq; teſtimonium ſumit Nicolaus I. ad Michaelem Imperatorem | *Conſtantinus VI. cum matre Irene, ann. 19.* *Irene Sola, ann. 4.* *Transfertur Imperium ad Gallos.* |



| | ROMANI PONTIFICES. | Ann. | Men. | Dies. | Fol. | CONCILIA. | IMPERATORES. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 98 | Leo III. Romanus | 21 | 0 | 0 | 110 | Arelatenſe III. Turonicum III. Cabilonenſe II. Moguntinum. Remenſe. | *Carolus Magnus I. ann. 14.* |
| 99 | Stephanus IIII. Romanus | 0 | 7 | 0 | 112 | Apud Theodonis Villã 32. Epiſcoporum. Aquiſgranenſe I. Ticinẽſe, potius conuentus Imperialis, quàm Synodus Epiſcoporum fuit. Aquiſgranenſe II. P. Vvormacienſe circa hæc tempora fuit. | *Ludouicus Pius I. ann. 15. Platina dicit, ann. 36. Cum Lothario filio.* |
| 100 | Paſchalis I. Romanus | 7 | 3 | 17 | 113 | Romanum 30. Epiſcoporũ, in quo Paſchalis accuſatus ſe purgauit, fol. 113. | *Lotharius I. Solus, ann. 15.* |
| 101 | Eugenius II. Romanus | 4 | 6 | 24 | 114 | | |
| 102 | Valentinus Romanus | 0 | 0 | 40 | *Ibid.* | | |
| 103 | Gregorius III. Romanus | 16 | 0 | 0 | 115 | | |
| 104 | Sergius II. Roman. | 3 | 0 | 0 | 116 | | |
| 105 | Leo IIII. Romanus | 8 | 3 | 6 | 118 | | *Ludouicus II. ann. 11.* |
| 106 | Ioannes VIII. fœmina Moguntina, quæ tamen inter Pontifices numeranda non eſt. | 2 | 1 | 4 | 120 | | |
| 107 | Benedictus III. Romanus | 2 | 8 | 9 | 123 | | |
| 108 | Nicolaus I. Romanus | 7 | 9 | 13 | *Ibid.* | Romanũ 113. Epiſcoporum. | |
| 109 | Hadrianus II. Romanus | 5 | 9 | 12 | 125 | Anno Domini 914. VIII. GENERALIS SYNODVS Cõſtantinopolitana 300. Epiſcoporum contra Photium: præfuerũt nomine Hadriani Donatus Hoſtienſis, Stephanus Depreſinus Epiſcopi & Marinus Diaconus: hac Synodo confirmantur 7. præcedentes generales, & ipſa approbat Hadrianus. | *Carolus II. Caluus, ann. 6.* *Carolus III. Craſſus, ann. 12.* |
| 110 | Ioannes IX. Romanus | 10 | 0 | 2 | 126 | | |
| 111 | Martinus II. Gallus | 1 | 5 | 0 | 127 | | |
| 112 | Hadrianus III. Romanus | 1 | 2 | 0 | *Ibid.* | Colonienſe. | |
| 113 | Stephanus V. Romanus | 6 | 0 | 11 | 128 | P. Moguntiacum. P. Triburienſe. Concilium 22. Epiſcoporum Germaniæ. | *Arnulphus iuxta quoſdam deiecto Carolo ſufficitur. ann. 12.* *Ludouicus III ann. 6.* |
| 114 | Formoſus | 5 | 6 | 0 | *Ibid.* | | *Transfertur Imperium ad Longobardos, apud Italos.* |
| 115 | Bonifacius VI. Tuſcus | 10 | 0 | 26 | 129 | | *Berengarius I. ann 4. apud Germanos Conradus I. ann. 7.* |
| 116 | Stephanus VI. Rom. | 1 | 3 | 0 | *Ibid.* | | |
| 117 | Romanus I. Roma | 0 | 3 | 0 | 130 | | |
| 118 | Theodorus II. Romanus | 0 | 0 | 20 | *Ibid.* | | |

| ROMANI PONTIFICES. | Ann. | Men. | Dies. | Fol. | CONCILIA | IMPERATORES. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 119 Ioannes X. Romanus | 2 | 0 | 15 | 119 | | |
| 120 Benedictus IIII. Romanus | 3 | 4 | 0 | *Ibid.* | | |
| 121 Leo V. | 0 | | 14 | *Ibid.* | | *Berengarius II. Ann. 4.* |
| 122 Chriſtophorus I. | 0 | 7 | 0 | 122 | | |
| 123 Sergius III. Romanus | 7 | 4 | 16 | *Ibid.* | | |
| 124 Anaſtaſius III. Romanus | 2 | 0 | 0 | 133 | | *Apud Germ. Henricus I. dictus Auceps, Ann. 18.* |
| 125 Landus Romanus | 0 | 6 | 21 | *Ibid* | | |
| 126 Ioannes XI. Romanus | 13 | 2 | 3 | *Ibid.* | | *Hugo, Ann. 10.* |
| *Inuadit tum ſedem alius Ioannes, qui inter Pontifices tamen non numetur.* | | | | | | |
| 127 Leo VI. Romanus | 0 | 6 | 15 | 134 | | |
| 128 Stephanus VII. Romanus | 2 | 1 | 12 | *Ibid.* | | *Berengarius III. ann. 11.* |
| 129 Ioannes XII. Romanus | 4 | 10 | 15 | 135 | | |
| 130 Leo VII. Romanus | 3 | 6 | 10 | *Ibid.* | | |
| 131 Stephanus VIII. Germanus | 3 | 4 | 12 | *Ibid.* | | *Lotharius II. Ann. 2.* |
| 132 Martinus III. Romanus | 3 | 6 | 10 | *Ibid.* | | |
| 133 Agapetus II. Romanus | 9 | 7 | 10 | 136 | | *Berengarius IIII. cum Alberto filio, ann. 11.* |
| 134 Ioannes XIIII. Romanus | 9 | 3 | 5 | *Ibid.* | | *Träsfertur Imperiũ ad Germanos. Otho II. Magnus Othone, filio, ann. 12.* |
| 135 Benedictus V. Romanus | 0 | 6 | 5 | 137 | | |
| 316 Leo VIII. Romanus | 1 | 4 | 0 | 138 | | |
| 137 Ioannes XIII. Romanus | 6 | 11 | 5 | *Ibid.* | | *Otho III. poſt patrem, ann. 17.* |
| 138 Benedictus VI. Romanus | 1 | 6 | 0 | 139 | | |
| 139 Donus II. Romanus | 1 | 0 | 0 | *Ibid.* | | |
| 140 Bonifacius VII. | 0 | 7 | 5 | *Ibid.* | | *Othonem IIII. hîc ponit Platina.* |
| 141 Benedictus VII. Romanus | 8 | 6 | 0 | 140 | | |
| 142 Ioannes XV. Romanus | 0 | 3 | 0 | *Ibid.* | | |
| 143 Ioannes XVI. Romanus | 0 | 8 | 0 | 241 | | |

Ioan-

| ROMANI PONTIFICES. | Ann. | Men. | Dies. | Fol. | CONCILIA | IMPERATORES |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 144 Iohannes XVII. Romanus | 10 | 6 | 10 | 141 | | *Otho IIII. ann. 18.* |
| 145 Gregorius V. Saxo. | 2 | 5 | 0 | 142 | | *Ratio eligēdi Imperatores inſtituitur, anno 1004.* |
| 146 Ioannes XVIII. Græcus. | 0 | 10 | 0 | 143 | | |
| *Non eſſet hic meritò inter Pontifices numerandus, quia viuente adhuc Gregorio ſedem occupauit & reliquit.* | | | | | | |
| 147 Silueſter II. Gallicus | 4 | 1 | 10 | 143 | | |
| 148 Iohannes XIX. | 0 | 4 | 20 | 144 | | |
| 149 Iohannes XX. Romanus. | 4 | 4 | 0 | 144 | | |
| 150 Sergius IIII. Romanus | 2 | 0 | 15 | 145 | | |
| 151 Benedictus VIII. Tuſculanus | 11 | 1 | 13 | 145 | Salegumſtadienſe. | *S. Henricus II. Ann. 14. Hunc Imperatorem, Platina Henricum primũ nominat, ſed quia Germani in diſſenſione tẽpore Longobardorum orta aliũ Henricum elegerunt, quem primũ vocant, & Platina inter Henricum IIII. nullum V. agnoſcit, ſed tantum VI. & VII. viſum fuit Germanorum numerum amplectendũ eſſe.* |
| 152 Iohan. XXI. Rom. | 11 | 0 | 9 | 146 | | |
| 153 Benedictus IX. Tuſculanus. | 10 | 4 | 9 | 147 | | *Conradus II. An. 15.* |
| 154 Silueſter III. Rom. | 0 | 0 | 49 | 147 | | |
| *Pontificibus non eſſet annumerandus, quia viuo Benedicto ſedem occupauit, & deſeruit.* | | | | | | *Henricus III. Niger, ann. 17.* |
| 155 Gregorius VI. | 2 | 7 | 0 | 147 | | |
| 156 Clemens II. | 0 | 9 | 0 | 148 | | |
| 157 Damaſus II. Bauarus | 0 | 0 | 23 | 149 | | |
| 158 Leo IX. Alemannus | 5 | 2 | 6 | 149 | | |
| 159 Victor II. Bauarus | 2 | 3 | 0 | 150 | Florentinum contra Simoniacos, fol. 150. | |
| 160 Stephanus IX. Lotharingus | 0 | 7 | 8 | 150 | | |
| 161 Benedictus X. Campanus | 0 | 9 | 20 | 151 | | |
| 162 Nicolaus II. Allobrogus | 3 | 6 | 26 | 151 | Sutrij, fol. 152. | *Henricus Senior IIII. an. 48.* |
| 163 Alexander II. Mediolanenſis | 11 | 6 | 0 | 152 | Lateranenſe contra Simoniacos, 151. Mantuanum, fol. 152. | |

 Grego-

| | ROMANI PONTIFICES. | Ann. | Men. | Dies. | Fol. | CONCILIA. | IMPERATORES. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 164 | Gregorius VII. Hetruſcus | 12 | 1 | 3 | 153 | Tertiũ Lateranenſe contra Rauennatem Archiepiſcopum, fol. 156. | |
| 165 | Victor III. | 1 | 4 | 0 | 159 | | |
| 166 | Vrbanus II. | 12 | 4 | 19 | 160 | Melphi de pace componenda,, fol. 160. Placentinum contra licentiá eccleſiaſticorũ, ibidem Apud Clarum montem ad recuperandam Hieroſolymam, ibidem. | |
| 167 | Paſchalis II. è Flaminia | 18 | 6 | 7 | 162 | Guardaſtalli de Homagijs feudis, &c. fol. 165. Trecaſsinum de cultu Eccleſiaſticarum, ibidem. Lateranenſe contra Henricum V. fol. 167. | *Henricus Iunior V. ann. 29.* |
| 168 | Gelaſius II. Caietanus | 1 | 0 | 5 | 169 | In Apulia. fol. 170. 171. | |
| 169 | Calliſtus II. Burgundus | 5 | 10 | 6 | 170 | Lateranenſe 900. Patrum de recuperanda terra ſancta, fol. 171. | |
| 170 | Honorius II. | 5 | 2 | 0 | 172 | | *Lotharius III. Saxo, an. 11.* |
| 171 | Innocentius II. Romanus | 14 | 7 | 13 | 173 | Ad Clarũ montẽ contra Petrum Antipapam, fol. 173. Remenſe, ibidem. Placentinum, ibidem. Piſanum pro tuenda fide, ibidem. | |
| 172 | Cælestinus II. Tuſcus | 0 | 5 | 0 | 175 | Lateranenſe ne Laicus Clerico vim inferret. 174. | |
| 173 | Lucius II. Bononienſis | 0 | 11 | 4 | *Ibid.* | Gallicanum contra Petrũ Abelardum Peripateticũ, fol. 176. | *Conradus III. Sueuus, ann. 15.* |
| 174 | Eugenius III. Piſanus | 8 | 4 | 20 | 176 | | |
| 175 | Anaſtaſius IIII. Romanus | 1 | 4 | 24 | 177 | | |
| 176 | Hadrianus IIII. Anglicus | 4 | 10 | 0 | *Ibid.* | | *Fridericus I. cognomento Barbaroſſa, ann. 37.* |
| 177 | Alexander III. Senenſis | 21 | 0 | 19 | 178 | Ad Clarũ montẽ cõtra Imperatorẽ Fridericũ, fol. 179 Lateranẽſe 280. Epiſcoporum, tùm vt mores reformẽtur, tũ ne infidelib. arma deferãtur, fol. 182. Quidá iſtud primũ generale Latinorũ faciũt, celebratũ eſt Anno Domini 1180. præſidente ipſo ſummo Pontifice. | |
| 178 | Lucius III. Lucenſis | 4 | 2 | 18 | 185 | Veronẽſe vt Chriſtianis in Aſia ſuccurratur, fol. 185. | |
| 179 | Vrbanus III. Mediolanenſis | 1 | 10 | 25 | 186 | | |
| 180 | Gregorius VIII. Beneuentanus | 0 | 0 | 57 | 187 | | |
| 181 | Clemens III. Romanus | 3 | 5 | 0 | *Ibid.* | | *Henricus VI. ann. 10.* |



| | ROMANI PONTIFICES. | Ann. | Men. | Dies. | Fol. | CONCILIA. | IMPERATORES. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 182 | Cæleſtinus III. Romanus | 6 | 7 | 11 | 188 | | |
| 283 | Innocentius III. Anagninus | 18 | 7 | 16 | 190 | Anno Domini 1215. SYNODVS Lateranẽſis celeberrima, partim cõtra errores Abbatis Ioachim, partim de expugnatione terræ ſanctæ, præſide ipſo Rom. Pontifice præſentibus Patriarchis Conſtãtinopolitano & Hieroſolymitano, Metropolitanis 70. Epiſcopis 400. Prioribus 800. Græci & Romani Imperij legatis, oratoribusq; Regum Hieruſalem, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Cypri, fol. 191. 192. | *Otto V. ann. 3. alij elegerunt Philippum Frederici filium, quo mortuo eligitur Fredericus II. Ann. 33.* |
| 184 | Honorius III. Romanus | 10 | 7 | 13 | 192 | | |
| 185 | Gregorius IX. Anagninus | 14 | 3 | 0 | 194 | Lateranenſe cõntra Fredericum II. Imperat. | |
| 186 | Cæleſtinus IIII. Mediolanenſis | 0 | 0 | 18 | 196 | | |
| 187 | Innocentius IIII. Genuenſis | 11 | 6 | 12 | 197 | Lugdunenſe citatur Imperator ad Pontificẽ, fol. 197 | *Hẽricus depoſito Frederico eligitur, quo mortuo ſuccedit Vuilhelmus, quãuis Conradũ III. Frederici filium nonnulli præponant.* |
| 188 | Alexãder IIII. Campanus | 7 | 0 | 0 | 199 | | |
| 189 | Vrbanus IIII. Trecenſis | 3 | 1 | 0 | 201 | | |
| 190 | Clemens IIII. Narbonenſis | 3 | 0 | 21 | 203 | | |
| 191 | Gregorius X. Placentinus | 4 | 2 | 10 | 206 | Anno Domini 1246. LVGDVNENSE de proceſsione Spiritus ſancti à Patre & Filio: pręfuit ipſemet Põtifex. fol. 207. | |
| 192 | Innocentius V. Burgundus | 0 | 6 | 2 | 209 | | *Rodulphus, ann 19.* |
| 193 | Hadrianus V. Genuenſis | 0 | 40 | 0 | 210 | | |
| 194 | Ioannes XXII. Vlyxibonenſis | 0 | 8 | 0 | *ibid* | | |
| 195 | Nicolaus III. Rom. | 3 | 8 | 15 | 211 | | |
| 196 | Martinus IIII. Turonenſis | 4 | 1 | 0 | 212 | | |
| 197 | Honorius IIII. Romanus | 2 | 0 | 1 | 214 | | |
| 198 | Nicolaus IIII. Aſculanus | 4 | 1 | 1 | 216 | | *Adulphus qui electus cum Imperij iura repeteret, ab Alberto Rudolphi filio interficitur.* |
| 199 | Cæleſtinus V. Eſermenſis | 1 | 5 | 0 | 217 | | |
| 200 | Bonifacius VIII. Anagninus | 8 | 9 | 7 | 218 | Romanum quo Philippus Rex Frãcię Alberto Imperatori ſubijcitur, fol. 221. | *Albertus I. ann. 10.* |

| ROMANI PONTIFICES. | Ann. | Men. | Dies. | Fol. | CONCILIA. | IMPERATORES. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 201 Benedictus XI. Taruiſinus | 0 | 8 | 17 | 221 | | |
| 202 Clemens V. Vaſco Ab hoc Pontifice trãſfertur ſedes in Galliam. | 8 | 10 | 15 | 222 | Tria Concilia habuit Clemens, fol. 225. Anno Domini 1305. CONCILIVM Vienneſe, in quo probátur conſtitutiones, quæ in Clementinis habétur. Feſtũ corporis CHRISTI inſtituitur, & Begardi & Beguinæ dãnatur. Præfuit ipſemet Pontifex, fol. 225. | *Henricus VII. Lucẽburgen. menſ. 9. Ludouicus Bauarus III. Fridericũ ſuperat, & ſolus Imperio potitur, regnauit ann. 33.* |
| 203 Ioannes XXIII. Caturcenſis Gallus | 19 | 4 | 0 | 226 | | |
| 204 Benedictus XII. Toloſanus | 7 | 3 | 17 | 230 | | |
| 205 Clemens VI. Lemouicenſis | 10 | 6 | 28 | 231 | | *Carolus IIII. ann. 32.* |
| 206 Innocentius VI. Lemouicenſis | 9 | 8 | 6 | 23 | | |
| 207 Vrbanus V. Lemouicenſis | 8 | 4 | 0 | 236 | | |
| 208 Gregorius XI. Lemouicenſis. | 7 | 5 | 5 | 237 | | |
| *Refertur ſedes Apoſtolica ex Gallijs Romam.* | | | | | | *VVenceslaus, ann. 22.* |
| 209 Vrbanus VI. Neapolitanus | 11 | 8 | 0 | 239 | | |
| 210 Bonifacius IX. Neapolitanus | 14 | 9 | 0 | 245 | | |
| 211 Innocentius VII. Sulmonenſis | 2 | 0 | 0 | 250 | | *Robertus Bauarus, ann 10.* |
| 212 Gregorius XII. Venetus | | | | 253 | Piſanum ad tollendũ Schiſma, fol. 254. | |
| 213 Alexander V. Cretenſis | 0 | 3 | | 255 | | |
| 214 Ioannes XXIIII. Neapolitanus | 4 | 10 | 0 | 257 | Anno Domini 1415. CONSTANTINENSE Concilium contra Huſſitas, & ad Schiſma tollendũ, fol. 259. cõfirmatur à Martino V. fol. 261. | *Sigiſmundus, ann. 27.* |
| 215 Martinus V. Romanus | 14 | 3 | 0 | 261 | Senenſe, fol. 266. | |
| 216 Eugenius IIII. Venetus | 16 | 0 | 0 | 268 | Anno Domini 1431. BASILIENSE contra Huſſitas cõfirmatur ab Eugenio IIII. fol. 272. FLORENTINVM in quo facta eſt vnio Græcorũ, Armenorum, & Latinorum, cõfirmarur ab Eugenio IIII. qui præfuit Concilio, fol. 274. | *Albertus II. ann. 2. Fredericus III. ann. 54.* |
| 217 Nicolaus V. Sarzanus | 8 | 0 | 0 | 281 | | |
| 218 Caliſtus III. Satiuenſis in Hiſpania | 3 | 3 | 16 | 289 | | |
| 219 Pius II. Senenſis | 6 | 0 | 0 | 293 | | |
| 220 Paulus II. Venetus | 6 | 10 | 0 | 303 | | |
| 221 Sixtus IIII. Ligur | 23 | 0 | 0 | 316 | | |

Inno-

| ROMANI PONTIFICES. | Ann. | Men. | Dies. | Fol. | CONCILIA. | IMPERATORES. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 222 Innocentius VIII. Genuenſis | 8 | 0 | 26 | 325 | | *Maximilianus, ann. 26.* |
| 223 Alexander VI. Hiſpanus | 11 | 0 | 8 | 328 | | |
| 224 Pius III. Hetruſcus | 0 | 0 | 16 | 334 | | |
| 225 Iulius II. Genuenſis | 10 | 0 | 11 | 335 | Anno Domini 1513. LATERANENSE pro reformatione Eccleſiæ, fol. 337. præfuit ipſe Põtifex. | |
| 226 Leo X. Florentinus | 9 | 0 | 0 | 339 | | |
| 227 Adrianus VI. Traiectenſis | 2 | 0 | 0 | 344 | | *Carolus V. Ann. 39.* |
| 228 Clemens VII. Florẽtinus | 10 | 10 | 7 | 352 | Ratisbonenſe ad reformãdum clerum Germaniæ. P. Senonenſe contra Lutheranos & alios hæreticos. P. Colonienſe ſub Hermanno. Hildemenſe. | |
| 229 Paulus III. Romanus | 15 | 0 | 28 | 359 | Anno Domini 1545. TRIDENTINVM contra Lutheranos & alios hæreticos. | |
| 230 Iulius III. Aretinus | 5 | 5 | 10 | 378 | Auguſtanum diocœſanum. Treuerenſe diocœſanum. | |
| 231 Marcellus II. Tuſcus | 0 | 0 | 22 | 387 | P. aliud Treuerenſe. P. Colonienſe ſub Adolpho. | |
| 232 Paulus IIII. Neapolitanus | 4 | 2 | 27 | 393 | P. Moguntinum. | *Ferdinandus, Ann. 6. menſ. 4. abdicante Carolo V. fratri.* |
| 233 Pius IIII. Mediolanenſis | 5 | 11 | 15 | 406 | Anno Domini 1562. TRIDENTINVM. | *Maximilianus II.* |
| 234 Pius V. Alexandrinus | 7 | 5 | 2 | 423 | | |
| 235 Gregorius XIII. Papa modernus. | | | | 245 | | |

INDEX

# INDEX PONTIFICVM IVXTA ORDINEM ALPHABETICVM.

ADeodatus pag. 86
Agapetus I 68
Agapetus II 136
Agatho I 87
Alexander I 15
Alexander II 152
Alexander III 178
Alexander IV 199
Alexander V 255
Alexander VI 328
Anacletus I 13
Anaſtaſius I 51
Anaſtaſius II 62
Anaſtaſius III 133
Anaſtaſius IV 177
Anicetus 20
Anterus 27
BEnedictus I pag. 72
Benedictus II 89
Benedictus III 123
Benedictus IV 131
Benedictus V 137
Benedictus VI 139
Benedictus VII 140
Benedictus IIX 145
Benedictus IX 147
Benedictus X 151
Benedictus XI 221
Benedictus XII 230
Bonifacius I 55
Bonifacius II 66
Bonifacius III 77
Bonifacius IV 78
Bonifacius V 80
Bonifacius VI 129
Bonifacius VII 139
Bonifacius IIX 218
Bonifacius IX 245
CHRISTVS pag. 3
Cæleſtinus I 56
Celeſtinus II 175
Celeſtinus III 188
Cæleſtinus IV 196
Cæleſtinus V 217
Caius 34
Calliſtus I 24
Calliſtus II 170
Calliſtus III 289
Chriſtophorus 132
Clemens I 12
Clemens II 148
Clemens III 187
Clemens IV 203
Clemens V 222
Clemens VI 231
Clemens VII 352
Cletus 11
Conon 90
Cornelius 29
Conſtantinus 94
DAmaſus I pag. 48
Damaſus II 149
Deuſdedit 79
Dionyſius 32
Donus I 87
Donus II 139
ELeuterius pag. 22
Euariſtus 15
Eugenius I 84
Eugenius II 114
Eugenius III. 176
Eugenius IV 268
Euſebius 37
Eutychianus 33
FAbianus pag. 28
Felix I 33
Felix II 46
Felix III 61
Felix IV 66
Formoſus 128
GElaſius I pag. 62
Gelaſius II 169
Gregorius I 74
Gregorius II 96
Gregorius III 98
Gregorius IV 115
Gregorius V 142
Gregorius VI 147
Gregorius VII 153
Gregorius IIX 187
Gregorius IX 194
Gregorius X 206
Gregorius XI 237
Gregorius XII 253
Gregorius XIII 425
HAdrianus I pag. 106
Hadrianus II 125
Hadrianus III 127
Hadrianus IV 177
Hadrianus V 210
Hadrianus VI 344
Hilarius 59
Honorius I 81
Honorius II 172
Honorius III 192
Honorius IV 214
Hormiſda 64
Hyginus 18
INnocentius I pag. 52
Innocentius II 173
Innocentius III 190
Innocentius IV 197
Innocentius V 209
Innocentius VI 234
Innocentius VII 250
Innocentius IIX 324
Ioannes I 65
Ioannes II 67
Ioannes III 71
Ioannes IV 82
Ioannes V 90
Ioannes VI 93
Ioannes VII 94
Ioannes IIX 120
Ioannes IX 126
Ioannes X 131
Ioannes XI 133
Ioannes XII 135
Ioannes XIII 136
Ioannes XIV 138
Ioannes XV 140
Ioannes XVI 141
Ioannes XVII ibidem
Ioannes XIIX 143
Ioannes XIX 144
Ioannes XX ibidem.
Ioannes XXI 146
Ioannes XXII 210
Ioannes XXIII 226
Ioannes XXIV 257
Iulius I 44
Iulius II 333
Iulius III 378
LAndus pag. 133
Leo I 58
Leo II 88
Leo III 110
Leo IV 118
Leo V 131
Leo VI 134
Leo VII 135
Leo IIX 138
Leo IX 149
Leo X 359
Liberius 45
Linus 10

Lucius



Lucius I 30
Lucius II 175
Lucius III 185
MArcellinus 35
Marcellus I 36
Marcellus II 387
Marcus 43
Martinus I 85
Martinus II 127
Martinus III 135
Martinus IV 212
Martinus V 261
Miltiades, ſeu Melchiades 38
NIcolaus I 123
Nicolaus II 151
Nicolaus III 211
Nicolaus IV 216
Nicolaus V 281
PAulus I 103
Paulus II 303
Paulus III 359
Paulus IV 393
Paſchalis I 113
Paſchalis II 162
Pelagius I 70
Pelagius II 72
Petrus 5
Pius I 19
Pius II 293
Pius III 334
Pius IV 406
Pius V 423
Pontianus 26
ROmanus 130
SAbinianus 76
Sergius I 91
Sergius II 110
Sergius III 132
Sergius IV 145
Seuerinus 82
Siluerius 68
Silueſter I 39
Silueſter II 143
Silueſter III 147
Simplicius 60
Siricius 49
Siſinnius 94
Soter 21
Stephanus I 101
Stephanus II 31
Stephanus III 104
Stephanus IV 112
Stephanus V 128
Stephanus VI 129
Stephanus VII 134
Stephanus IIX 135
Stephanus IX 150
Symmachus 63
TEleſphorus 17
Theodorus I 83
Theodorus II 130
VAlentinus 114
Victor I 22
Victor II 150
Victor III 159
Vigilius 69
Vitalianus 85
Vrbanus I 25
Vrbanus II 160
Vrbanus III 187
Vrbanus IV 201
Vrbanus V 236
Vrbanus VI 239
XYſtus I. ſeu Sixtus 16
Xyſtus II 31
Xyſtus III 56
Xyſtus IV 316
ZAcharias 100
Zephyrinus 23
Zoſimus ſiue Sozimus 53

RATIO

# RATIO CVR PER PONTIFICES Romanos deducta ſit Hiſtoria.

*Tertull. lib. de præſcriptionibus aduerſus hæreticos.*

Cupio oſtendant mihi, ex qua auctoritate prodierint, edant origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit, habuerit auctorem & anteceſſorem: hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: ſicut Smyrneorum Eccleſia Policarpum à Iohanne collocatum refert, *ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit, & cæt.* Confingant aliquid tale hæretici.

*Auguſtinus contra epiſtolam Manichæi funda. cap. 4.*

Multa ſunt alia, quæ in eius (Eccleſiæ) gremio me iuſtiſſimè teneāt, tenet conſenſio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. *Tenet ab ipſa Sede apoſtoli Petri, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commēdauit, vſque ad præſentem epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum.* Tenet poſtremo ipſum catholicæ nomen, &c.

*Idem in Pſalmo contra partem Donati, tomo 7.*

Numerate ſacerdotes, vel ab ipſa Sede Petri, & in ordine illo patrum, quis cui ſucceſſit videte, ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.

*Optatus lib. 2. contra Parmenia. vbi Rom. Epiſcopos enumeraſſet ad Syricium vſque.*

Veſtræ, inquit, cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare.

*Epiphanius lib. 1. cap. 27. tom. 2. vbi ſeriem Rom. Epiſc. ex catalogo enumerauit.*

Et ne quis, inquit, miretur quod ſingula ita recēſemus, per hæc enim claritas oſtenditur.

*D. Paulus Epheſ. cap. 4.*

Ipſe (Chriſtum intelligit) dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem *Paſtores & Doctores* ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec *occuramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei,* in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: *vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ,* in nequitia hominum, &c.

AD XYSTVM



# AD XYSTVM IIII. PONTIFICEM MAX.

# B. PLATINAE IN VITAS ROM. PONTIFICVM

## PROOEMIVM.

*MVlta quidem in vita vtilia eſſe beatiſs. Pontifex, & humano generi commoda, nemo eſt qui ambigat. Scripſere philoſophi multa, ſcripſere mathematici excogitata & inuenta, ad ingenia hominum excolenda. Magnum fuit (ne mentiar) ſecreta naturæ rimari, & cælos ſcādere: atque inde ad nos doctrinam & artem earum rerum traducere, quæ auctor & parens omnium Deus procul ab oculis mortalium collocauerat: vt cùm tantam pulchritudinem, tātum ac tam perpetuum ordinem admirantes intueremur, maieſtatem diuini numinis meritò collaudaremus. Negari certè non poteſt, quin ex hac philoſophandi ratione magna vtilitas ad homines peruenerit, ingenio præſertim vtentes: quippe qui pulchritudine diuinitatis commoti, humana contemnentes, vitam cæleſtem in terris ducere nituntur. Verùm (vt ait Poeta) non omnia poſſumus omnes. Inuenienda igitur via fuit, quæ omnibus aditū ad felicitatem præſtaret, ne ſolis philoſophis cōſultum videretur. Ea certè rerum antea geſtarū cognitio eſt, quas ipſa hiſtoria continet, ex qua non quid vna, ſed quid omnes ætates egregiè fecerint colligentes, magiſtram vitæ noſtræ vetuſtatem ipſam habituri, priuati etiam quouis imperio digni exiſtimamur. Præterea verò ex hac cognitione, ad prudentiam, ad fortitudinē, ad modeſtiam, ad omnes denique virtutes animi hominum ita concitantur, vt laude ipſa nil antiquius, turpitudini autem nil deteſtabilius exiſtiment. Quòd ſi veteres illi, apud quos virtus in precio fuit, celebrari maiorū ſuorum ſtatuas in foro collocatas, pro templis & alijs in locis publicis volebant, ad vtilitatem hominum reſpicientes: quanti à nobis facienda eſt hiſtoria, quæ non muta, vt ſtatuæ, non vana, vt picturæ, veras præclarorū virorum imagines nobis exprimit, quibuſcum loqui, quos conſulere & imitari vt viuos fas eſt? Addo præterea quòd hiſtoriæ lectio, quæ vitam hominum continet, ad eloquentiam, ad humanitatem, ad vſum rerum quauis facultate gerendarum confert plurimùm, atque adeò quidem, vt eos etiam, qui rebus geſtis nequaquam interfuere, dum aliquid compoſitè atque eleganter narrant, ſupra cæteros ſapere & intelligere arbitremur. Tu itaque theologorum ac philoſophorum princeps, maxime pontifex, hac hominum vtilitate motus, ſimulque dignitati eccleſiaſticæ conſulens, non fruſtra mandaſti, vt res geſtas pōtificum ſcriberē, ne illorum benefacta perirent negligentia ſcriptorum, qui ſuo ſudore & ſanguine hanc rempublicam Chriſtianam, tam amplam nobis, tamque præclaram reliquere: vtque deinceps haberent poſteri noſtri, quo ad benè beateq; viuendum incitarētur, cum legendo perdiſcerent, quid imitari, quidue fugere oporteret. Non ſum tamen neſcius, futuros quoſdam, qui dicant me hoc onus fruſtrà ſuſcepiſſe, cùm id antea à*

 pleriſ-

*pleriſque factum ſit. Leguntur certè multi ( Damaſum ſemper excipio) qui nullum florem orationis , nullam compoſitionem & elegantiam ſequuntur: non de induſtria (vt ipſi iactitant) ornatum fugientes , quod eleganti ſtylo res ſacræ ſcribi non debeant, ſed inſcitia & ignoratione bonarum litterarum. His autem obijcere Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij, Gregorij, Leonis, Cypriani, Lactantij eruditionem & doctrinam ſit ſatis, qui hac in re Ciceronis auctoritatem ſequentes, arbitrati ſunt, nil eſſe tam incultum & horridum, quod non ſplendeſceret oratione. Non negauerim tamen huic generi ſcribendi difficultatem quandam ineſſe, cum nudis verbis interdum, ac minus latinis quædam exprimenda ſunt, quæ in noſtra theologia continentur. Hæc autem ad latinitatem qui referat, magnas perturbationes ingenijs noſtrorum temporum hac conſuetudine imbutis afferat neceſſe eſt, mutatis præſertim terminis, vnde omnis diſputandi ac ratiocinandi ſeries colligitur. Sed habeat hanc quoque auctoritatem ætas noſtra, vel Chriſtiana theologia potius. Fingat noua vocabula, latina faciat, nec veteribus tantummodo id licuiſſe videatur. Verùm iam tandem huic Procemio finem imponam, vbi lecturos prius admonuero, non eſſe mirandum, ſi cùm Pontificum vitas, & mores ſcripturū me pollicitus ſum, imperatorū quoque, principum, ac ducum res geſtas inſeruerim, adeo enim hæc ſimul connexa ſunt, ſi primos imperatores, dum Chriſtianis aduerſantur: ſi vltimos, dum fauent, inſpicis, vt alterum integrè ſine altero exprimi nequiuerit. Legant ergo æquo animo: & ſi quid emolumenti ex hac ſcriptione noſtra perceperint, tibi ſoli Pontifex optime gratias agant, cuius ſanctiſſimo imperio libenter obtemperaui.*

(:·)

PLATI-



# PLATINAE DE VITIS PONTIFICVM HISTORIA, QVAM A VITA CHRISTI MERITO AVſpicatus eſt, ad Xyſtum IIII. Pontificem Max.

## D. N. IESVS CHRISTVS.

MAXIMAM nobilitatis partē duci ex his maioribus, qui clari,
iuſtique fuêre, quiq́ue ob ſingularem aliquam virtutem im-
perauerunt, nemo eſt qui ambigat, niſi qui Platonis auctori-
tatem non adeò probat, cuius quadripartitam de nobilitate
diuiſionem, quantum ad genus pertinet, Chriſtus rex noſter *Chriſti ge-*
conſecutus eſt. Quem enim ex gētilibus habemus, qui gloria *nealogia.*
& nomine cum Dauid & Salomone, quiq́ue ſapientia & do-
ctrina cum Chriſto ipſo conferri meritò debeat ac poſſit? Neminem certè. Naſci
tur Chriſtus ex tribu Iuda, nobiliſſima quidem ob vetuſtatē & imperium inter
Hebræos, vnde propheta Iacob inquit: Nō auferetur ſceptrum de tribu Iuda, quo *Gene.49.*
ad venerit qui mittendus eſt: is erit profecto expectatio gentium. Quot autem re-
ges vel duces, vel pontifices in ea tribu fuerint, non attinet dicere, cum libri tum
noui, tum veteris teſtamenti, huius nobiliſſimæ genealogiæ mentionē faciant.
Verùm cum poſt longiſſima tempora inter Ariſtobulum & Hyrcanū Alexādri
regis & pontificis filios, orta ſeditio de principatu eſſet, tandem Herodi alienige-
næ regnum Iudæorū à Romanis traditur: ex patre enim Idumæo & matre Arabe
natus, & Iudæorum legiſperitos interfecit, & genealogias incendit ad integendā
generis ſui notam. Ceſſauit ergo, ac meritò quidem eorum vnctio, hoc eſt Impe-
riū, quia ex Danielis ſentētia ſanctus ſanctorū venerat, quē Maria virgo Angelo *Danie.9.*
annunciante ex Spiritu ſancto concepit, & peperit in Bethleem Iudę, Quirino tū
Syriæ pręſide, anno ab vrbe condita DCCLII. Imperij verò Auguſti Cæſaris, qui
tū orbi imperitabat, anno xlij. Imperiū enim à Caio Cęſare, tū propinquitatis tū
hęreditatis iure accipiēs: vel potius pulſis ac interfectis parricidis tyrāniſq́; remp.
vſurpare conantibus, monarchiā orbis terrarum in meliorē formā redigēs, ſuis
temporibus miram felicitatem præſtitit. Nā pacatis rebus tum externis, tū dome-
ſticis, tanto in honore non ſolùm apud ſuos, verumetiā apud exteros reges fuit,
vt eius nomine ciuitates conderent, quas Sebaſtias vel Cæſareas appellârunt. Ve-
nêre etiam multi reges ad vrbē viſendi hominis cauſa, quos ita comiter & per- *Auguſti hu-*
benignè ſuſcepit, vt ex amicis ſibi amiciſſimos redderet. Cum ciuibus autē ſuis *manitas*
humaniſſimè vixit: in delinquētes clemens, erga amicos liberaliſſimus eſt habi- *& aliæ vir*
tus: in comparandis amicis ratus, in retinendis conſtantiſſimus. Liberaliū artiū *tutes.*
adeo ſtudioſus fuit, vt nullus penè laberetur dies, in quo non legeret aliquid, aut
ſcriberet, aut declamaret. Ingenio & doctrina Saluſtij, Liuij, Virgilij, Horatij, Aſi
nij Pollionis, Meſſalæ Coruini oratoris inſignis, delectatus eſt, quorum ſcriptis
etiam eius res geſtæ immortalitati commendatę ſunt. Vrbem Romā ita exorna-
uit, vt gloriatus ſit ſe vrbem lateritiam inueniſſe, marmoream relinquere. Hanc
felicitatem, quæ (ne mētiar) magna fuit: maiorē certe reddidit ſaluberrimo ortu
ſuo Chriſtꝰ rex noſter. Interceſſêre autē à creatione mūdi vſq; ad hūc feliciſſimū
natalem diem, anni * quinque millia centum & xcix. Naſcitur puer ſine dolore *aliàs V. M.*
matris: quippe qui diuinus erat, non humanus partus, vnde mater integra ſtatim *D I.*
ſurrexit, & infantem de more pānis inuoluit. E taberna autē meritoria in Trāſti- *aliàs Eu-*
berina regione ex terra oleū erupit, vt ait * Euſeb. fluxitq́; toto die ſine interuallo *tropius.*
Chriſti gratiā gētibus oſtendēs. Narrat Oroſiꝰ, Auguſtū Cæſarē eadē die mādaſſe, *Auguſtus*
ne quis ſe dominū deinceps vocaret: diuinantē credo, verū principē orbis terrarū *Chriſtona-*
ac mūdi totius natū eſſe. Idē quoq; mādauit, vt in orbe Romano omniū hominū *to noluit ſe*
capita cenſu notarētur: ac ſi maiori principi rationem gubernati imperij aliquā *dominum*
*uocari.*

 do

*Oroſius li. 6. c. 22.*
*Matth. 5.*

do redditurus eſſet. Huic autem cenſui Quirinum virum conſularē ex ſenatuſ conſulto præfecit. Pax præterea & quies tanta fuit, tum domi, tum foris, quanta nunquam antea. Hunc enim iuſtitiæ & pacis regem prophetæ appellarunt. Defertur autem octaua die ad templum circuncisionis cauſa: neque enim venerat abrogare legem, ſed adimplere. Erat autem circuncisio teſtamēti ſignum inter Deum & homines, vt ait Auguſtinus. Die verò tertiodecimo adoratur à Magis, & muneribus donatur, qui ex Oriente Hieroſolymam eius rei cauſa venerant. Magos enim, quidam orientales populi reges ſuos & ſapientes appellāt. Ne verò legem Moſęos prætermittere videretur, mater purificationem ſumptura, licet intacta & incorrupta luſtratione minimè indigeret, puerum ad templum defert. Hunc autem Simeon vir iuſtus & ſingularis religionis, in vlnis retinēs, diuino numine afflatus, regē ſuum & ſaluatorē profitetur, vnde Ieſus Chriſtus appellatus eſt. Nam Ieſus nomē ſaluatoris eſt, Chriſtus verò regis, qui myſtico illo chriſmate vnctus, quo reges omnes Meſsias Hebraicè dicitur. Vt enim Romani imperatores purpura, ſic Hebręorū reges vnguēto cęteris inſigniores habebātur. Idem fecit Hāna ſpiritu prophetico incitata. Quid de Chriſto ſenſerint Sibyllæ, nō eſt cur ſcribamus, cùm omnes ferè eius ſaluberrimū aduentum prædixerint. Celebrata hac luſtratione, recognitoque iure primogenitorum ſecundum legem diuinam, in Nazareth patriam redière ciuitatē Galilęę, vbi per quietem Ioſeph, exiſtimatus Chriſti pater, ab angelo admonetur, vt fugiens in Aegyptū, puerum ſecum & matrē deferat. Futurum enim paulò pòſt, niſi id fecerit, vt Herodes puerū occideret. Verū id agere tunc quod deſtinauerat, homo crudeliſsimus nō potuit.

*Herodes filios ſuos in Cæſarea laqueo peremit.*

A filijs enim ob ſæuitiam accuſatus, Romā ad cauſam dicendā proficiſcitur: qui ſimulata cōcordia in prouinciā rediens, Ariſtobulū & Alexādrū filios, adoleſcētes quidē egregios & doctos, quippe qui apud Cęſarem Auguſtum fuerāt educati, in Cæſarea laqueo peremit. Ad necē deinde puerorū conuerſus homo regnandi cupidus, quòd natum eſſe alterū regem Iudæorū à prophętis intellexerat, omnes qui tū in Bethlehem erant & finibus ſuis: à bimatu & infrà occidi iubet, ſecundū tempus quod à magis exquiſierat: nec filio proprio eius ætatis parcit. Vnde ferūt, Auguſtū Cęſarē crudelitatem hominis deteſtatū, hoc dixiſſe: Maluiſſem Herodis porcꝰ eſſe, quā filius. Iudęi enim ex lege nō modò deguſtare, ſed tāgere etiā ſuillā carnē prohibētur: quare fit, vt neq; eos alāt, neq; comedāt: hāc ob rē in porcos clemētes dicūtur. Ioſeph autē ſeptēnio in Aegypto cōmoratus, vbi Herodē tyrānū tabe & ſacro igne mortuū intellexit, Hieroſolymā cū puero ꝓficiſcitur: nec diu ibi immoratos, quòd Archelaū Herodis filiū regnare intellexerat, in partes Galilęę alterius imperio obtēperātes, ſeceſsit, & Nazareth ciuitatē incoluit, vnde puer Nazareni nomen ſumpſit.

*Maluit Auguſtus Herodis eſſe porcus quā filius.*

*Deorum ſimulacra in Aegypto cecidère.*
*Iſaiæ. 19.*

Dū autē in Aegypto eſſet, cecidêre (vt Hieronymus ait) Deorū omniū ſimulacra, ceſſarūt oracula, & mors quorūdā dœmonū ſubſecuta eſt ex vaticinio Prophetæ: Ecce, inquit, leuē nubē conſcendet, & mouebuntur ſimulacra Aegypti ab eius conſpectu, & cor Aegypti in eius medio tabeſcet. Annum verò xij agens, Hieroſolymā cū parentibus de more ad diē feſtū celebrādū proficiſcitur. Hi verò poſtea peracto ſacro abeūtes, cum puerū ſubſequi nō viderēt, ſolicitudine pleni ad tēplum redeūt, eumq; doctores ſciſcitantē offendūt, quod maximè adoleſcentem deceret. Supra ætatem enim ſapiebat: quia (vt Euāgeliſta ait) Dei gratia & virtus in illo erat. Parentes deinde benè monentes ſecutus, in patriam reuertitur. Quid verò egerit in hac ætate vſque ad trigeſimum annum, quo à Ioanne Zachariæ filio aqua baptizatus eſt, dicere prætermittam, cùm nō ſolum euangelia & epiſtolæ rebus à ſe optimè ac ſanctiſsimè geſtis plenę ſint, verumetiam eorum libri, qui ab eius vita, moribus & inſtitutis abhorruêre.

*Lucæ 2.*

*Antiquitatum lib. 18. cap. 20.*

Flauius ille Ioſephus, qui lingua Græca antiquitatem iudaicam viginti libris conſcripſit, cum ad Tiberij principis imperium veniſſet: Fuit, inquit, eiſdē temporibus Ieſus, vir quidam ſapiens, ſi tamen virū eum nominare fas eſt. Erat enim mirabiliū operum effector, ac hominū doctor, eorum maximè, qui quæ vera ſunt, libēter audiūt, hanc ob rem multos tum ex Iudæis, tum ex gentibus ſibi adiūxit: Chriſtus hic erat. Hūc autem cum Pilatus à principibus noſtræ gentis inſtigatus, in crucē agendum cenſuiſſet, non tamen hi deſeruêre, qui eum ab initio dilexerant





rant. Eiſdem præterea die tertio poſt mortem viuus apparuit, quemadmodum diuinitus inſpirati prophetæ, & hæc & alia de eo innumerabilia miracula futura eſſe prædixêre. Perſeuerat & vſque in hodiernum diem celebre Chriſtianorum nomen ab ipſo ſumptum: perſeuerat & genus. Idem quoque Ioſephus, Ioannem Baptiſtam verum prophetam, & ob eam rem ab omnibus in precio habitum, iuſſu Herodis, magni Herodis filij, paulò ante mortem Chriſti cæſum fuiſſe affirmat in caſtello Machærunta, non quod ſibi & regno timeret, vt idē ait, ſed quod Herodiadem Agrippæ ſororem, ac Philippi fratris viri optimi vxorem, inceſtis nuptijs ſibi coniunxerat. Hic eſt ille Ioannes, quo nemo maior inter natos mulierum fuit, Saluatoris noſtri ſententia. Interficitur & Chriſtus verus Dei filius, veritatis, iuſtitiæ, pietatis, religionis aſſertor, anno decimooctauo Tiberij Cæſaris: ætatis verò ſuæ anno trigeſimotertio, & eo magis, quod ei vita propagata eſt ab octauo calendas Ianuarij vſque ad octauum calendas Aprilis, quo die conceptus in virginis vtero eſt de Spiritu ſancto.

*Eodem cap. 10.*
*aliàs xix.*

Accuſatus à Iudæis, quod ſabbatis non vacaret, ſaluti hominum quouis tempore conſulens: & quod baptiſmum circūciſioni anteferret, & quod abſtinentiam ſuillæ carnis auferret: quibus in rebus Iudaicæ religionis ſacramenta conſiſterent. Cædis autem tam nefariæ, etiam cœli ipſi ſigna dedêre. Nam & ſolis tanta defectio facta eſt hora ſexta diei, vt & dies in obſcuram noctem verſus ſit: & Bithynia etiam licet multum ab Hieroſolymis diſtet, terræmotu concuſſa: & multa Nicænæ vrbis ædificia corruêre: & velū templi quod ſeparabat duo tabernacula ſciſſum: audita & vox ex adyto templi Hieroſolymitani, Tranſmigremus ciues ex his ſedibus. Admonitus Tiberius à Pilato de Chriſti morte ac dogmate, ad ſenatum retulit, cenſuitque Chriſtum in Deos referendum ac templo honorandum. Fieri id non modò ſenatus vetuit, quod non ad ſe prius, ſed ad Tiberium ſcripſiſſet Pilatus, verumetiam pellendos vrbe tota Chriſtianos cenſuit. Propoſita ſunt accuſatoribus præmia, quos Tiberius à tanto ſcelere minis & morte prohibuit. Auctores autem tam nefarij parricidij pœnas dedêre. Nam & Iudas laqueo vitam finiuit, & Pilatus maximis calamitatibus vexatus, ſibi manum iniecit: licèt ſint qui ſcribant eum ſceleris pœnituiſſe, ac veniam à Deo meritum. Iudæi autem amiſſa libertate, iuſti ſanguinis meritas pœnas adhuc luunt. Hæc ſunt ferè quæ de vita Chriſti regis ac pontificis noſtri quàm breuiſsimè ſcribenda cenſui, quo & mihi facilior aditus ad opus mente conceptum daretur, & legentibus gratior fieret lectio, quæ tanquam irriguus fons ab Imperatore Chriſtianorum, in pontifices Romanos per ordinem vſque ad tempora Xyſti quarti deriuaretur.

## S. PETRVS APOSTOLVS.

POſt Chriſti mortem & reſurrectionem, completis iam diebus Pentecoſtes, Spiritum ſanctum accepêre diſcipuli: quo imbuti, varijs linguis res geſtas ſummi Dei locuti ſunt, etſi plerique eorū ſine vlla eruditione ſint habiti, maximè verò Petrus & Ioannes. Eorum autem vita ad vtilitatem cōmunem reſpiciebat: nil proprij habebant, quicquid ante pedes eorum ob religionē ponebatur, id totum vel partiebantur inter ſe ad commoda naturæ, vel pauperibus erogabant. Hi verò prouincias partiti ſunt: Thomas Parthos ſortitus eſt, Matthæus Aethiopiam, Bartolomæus Indiam citeriorem, Andreas Scythiam, Ioānes Aſiam, vnde & apud Epheſum commoratus, poſt longos labores & diutinas ſolicitudines è medio ſublatus eſt. Petro autē principi Apoſtolorum Pontus, Galatia, Bithynia, Cappadocia obtigit. Petrus enim natione Galilæꝰ ex Bethſaida ciuitate Ioānis filius, Andreæ Apoſtoli frater, primus ſedit annis ſeptem in epiſcopali ſede apud Antiochiā Tiberij tempore: qui Auguſti priuignus & hęres, annis viginti tribus variè imperauit. Neq; enim inter malos omninò, neq; inter bonos principes numerari poteſt. In homine fuit multa litteratura, & grauis eloquentia: bella per ſe nunquam, ſed per legatos geſſit, tumultus exortos prudēter ſuppreſsit. Multos reges à ſe blanditijs euocatos nūquā remiſit, maximè verò Archelaum Cappadocē, cuius regnum in prouinciā vertit. Multos ſenatores proſcripſit, quoſdam etiā interfecit, magnis quoque ſupplicijs ab eodem necatur C.

*Vocienus Montanus Narbonenſis orator.*

Aſinius Gallus orator, Aſinij Pollionis filius. Moritur & Vocienus Montanus Narbonenſis orator in Balearibus, eo enim relegatus à Tiberio fuerat. Fratrem quoque Druſum veneno eius iuſſu necatum, tradunt hiſtorici. Hac tamen moderatione vſus eſt, vt publicanis quibuſdam & præſidibus prouinciarum augenda eſſe vectigalia dicentibus, reſponderit: Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere. Mortuo Tiberio, C. Cæſar cognomento Caligula à caſtrenſi loco ducto, Imperium occupat.

*Caius filius fuit Germanici Cæſaris et huius Druſi nepos non filius.*

Filius enim Druſi Auguſti Cæſaris priuigni, & ipſius Tiberij nepos habebatur, homo omnium ſceleſtiſsimus. Nil enim vel domi, vel foris ſtrenuè geſſit. Auaritia omnia ex pilauit: tantæ libidinis fuit, vt etiam ſororibus ſtuprum intulerit. Tantæ crudelitatis, vt ſæpius exclamaſſe dicatur, Vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet: exules quoque omnes interfici iuſſit. Nam cùm vnum ab exilio reuocaſſet, quæreretque quid potiſsimum exules optarent, cùm ille imprudenter reſpondiſſet, mortem principis, omnes paſsim ſuſtulit. De conditione temporum ſuorum ſæpe etiam quæſtus eſt, quod nullis calamitatibus publicis inſignirentur, velut Tiberij tempora, quibus obtrita fuerunt ad vinginti millia hominum caſu theatri apud Tarracinam. Ita autem Virgilij & Liuij gloriæ inuidit, vt paulùm abfuerit, quin eorum ſcripta & imagines ex omnibus bibliothecis amorit: quorum alterum, vt nullius ingenij minimæque doctrinæ: alterum, vt verboſum in hiſtoria, negligentemque carpebat. Dicebat Senecam harenam eſſe ſine calce. Præterea Agrippam Herodis regis filium, à Tiberio in carcerem coniectum, quod Herodem accuſauit, liberat: & regem Iudææ facit: ipſum autem Herodem perpetuo exilio Lugdunum relegat: Seipſum verò in Deos transfert: imagines in templo Hieroſolymitano collocat. Poſtremò autem à ſuis tandem necatur, Imperij anno tertio, menſe decimo. Duo libelli in ſcriptis eius reperti ſunt: quorum alteri pugio, alteri gladius pro ſigno erat impreſſus. Ambo lectiſsimorum virorum vtriuſque ordinis ſenatorij & equeſtris nomina & notas continebant morti deſtinatorum. Inuēta eſt & ingens arca variorum venenorum, quibus mox Claudio Cæſare iubente demerſis, infecta maria tradūtur, nō ſine magno piſciū interitu, quos euectos in proxima littora paſsim æſtus eiecit. Libuit hominū mōſtra perſcribere, quo facilius appareret Deum vix potuiſſe tū retineri ab excidio orbis terrarū mūdique totius, niſi & filium miſiſset, & Apoſtolos: quorum ſanguine humanū genus Lycaonem imitatum ab interitu redimeretur. Horū itaque tēporibus fuit Petrus ille, quem his verbis Chriſtus allocutus eſt: Beatus es Simō bar Iona, quia caro & ſanguis nō reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt: & tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: ac tibi dabo claues regni cœleſtis, poteſtatemque ligandi & ſoluendi. Is verò omniū diligentiſsimus, vbi Aſiaticas eccleſias ſatis confirmaſſet, confutatis eorum opinionibus, qui circumciſionem approbabant, ſecundo Claudij anno in Italiam venit.

*Matth. 16.*
*S. Petrus quo tempore Romam venit.*

Claudius enim C. Caligulæ patruus, quem nepos in ludibriū reſeruauerat, imperium accipiens, quintus ab Auguſto Britanniam, quam neque ante Iuliū Cæſarem, neque poſt eum quiſquam attingere auſus eſt, in deditionē accepit. Orcadas inſulas Romano adiecit imperio: Iudæos tumultuantes Roma expulit, compreſſit & ſeditiones in Iudæa à quibuſdam pſeudo prophetis concitatas. Obtrita etiam ſunt triginta millia Iudæorum in portis Hieroſolymitani tēpli Azymorū diebus, Cumano eius iuſſu procurāte Iudæam. Laboratum eodē quoque tempore annonæ caritate vbiq; eſt, Agabo propheta tantam calamitatē prædicente. Ab externo hoſte ſecurus, perfecit aquæ ductum, cuius ruinas apud Lateranum cernimus, à Caio inchoatum. Emittere quoque Fucinū lacū eſt aggreſſus, nō minus compendij ſpe quàm gloriæ, cum quidam priuato ſumptu emiſſurū ſe polliceretur, ſi ſibi ſiccati agri concederentur. Per tria autem paſsuū millia partim effoſſo mōte, partim exciſo, cuniculū ægrè abſoluit poſt vndecim annos, triginta millibus hominū ibi ſine intermiſsione elaborātibus. Portum quoque Oſtiēſem, quē adhuc cū admiratione intuemur, extruxit, ducto dextra læuaq; brachio ad coercēdos maris fluctꝰ. Meſſalina vxore conuicta probri interfecta, Agrippinam Germani fratris ſui filiā contra ius faſq; ducit vxorem, à qua poſtea imperij decimo-

*Acto. 18.*
*Agabus prophet.*
*Acto 11.*

quarto



quarto anno boletis veneno illitis necatur. Petrus itaq; Romam caput orbis terrarum tunc venit: & quod hanc ſedem pontificali dignitati conuenientem cernebat, & huc profectum intellexerat Simonem magum Samaritanum quendā, qui præſtigijs ſuis eo erroris iam deduxerat populum Romanum, vt Deus crederetur. Romæ enim iam titulum adeptus erat inter duos pontes poſitum, ac Latinis literis ſic ſcriptum: Simoni Deo ſancto. Hic dum in Samaria eſſet, tamdiu ſe credere in Chriſtum ſimulauit, quoad baptiſmum à Philippo vno ex ſeptem diaconis acciperet, quo quidem poſtea in malam partem vtens, multarū hæreſum fundamenta iecit, cum Selene impudica muliere, quam ſceleris ſociam habuit, prouocare Petrum miraculis morte pueri homo nefarius auſus eſt: quem eius carmine primo mouere viſa ſunt. Verùm cum poſtea nihilominus puer iaceret, in nomine Ieſu Petro iubente ſurrexit. Hanc ob rem indignatus Simon, vidente populo ſe volaturum ex Capitolino monte in Auentinū pollicetur, ſi Petrus ſubſequi vellet: ea ratione dignoſci poſſe, vter ipſorum ſanctior haberetur, & Deo charior. Cum iam volaret, rogatu Petri ad cœlū manū tendentis ac rogantis Deum, ne deludi magicis artibus tantū populum ſineret, Simon decidit, ac crus infregit: cuius dolore nō ita multò poſt Ariciæ mortuus eſt. Nā eo poſt tantā ignominiā delatus à ſuis fuerat. Hinc Simoniaci hæretici originē habent, qui donū Spiritus ſancti emere ac vendere cōſueuiſſent: quiq; affirmabant creaturā nō à Deo eſſe, ſed ex ſuperna quadā virtute prouenire. Conuerſus deinde ad propagandū verbum Dei Petrus ſermone & exemplo, rogatur à Romanis vt Ioanni cognomento Marco, eius in baptiſmate filio cōſcribendi Euangelij negociū tradat. Probata nanq; erat eius vita, probati mores. Is enim, vt Hieronymus ait, in Iſraël ſacerdotiū agēs ſecundū carnē Leuita, id eſt, additus vel appoſitꝰ, ad Chriſti fidē conuerſus, in Italia Euangeliū ſcripſit, oſtendēs quid generi ſuo deberet & Chriſto. Extant eius Euāgelia teſtimonio Petri cōprobata. Deinde verò in Aegyptū miſſus, vt ait Philo Iudæus ſcriptor egregius, vbi docendo & ſcribēdo Alexandrinam Eccleſiā optimè conſtituiſſet, doctrina ac moribus inſignis, viij. Neronis anno Alexandriæ moritur, & ſepelitur, in locūq; demortui Anianus ſufficitur, Anno verò antea moritur & Iacobus, cognomēto Iuſtus domini frater. Nam ex Ioſeph & alia vxore natus erat: vel, vt alij volunt, ex ſorore Mariæ Chriſti matris. Hic enim, vt Egeſippus ait, apoſtolorum temporibus vicinus, in vtero matris ſanctus fuit, vinū & ſiceram nō bibit, nil carnis deguſtauit vnquā, intonſus, nec balneo, nec vnguēto vſus eſt, veſtibus lineis tantūmodo indutus. Sancta ſanctorū ingreſſus, ita aſſiduè flexis genibus pro ſalute populi orabat, vt eius genua camelorū more occalluerint. Verùm abeunte ex Iudæa Feſto ipſius prouinciæ gubernatore, priuſquā ei Albinus ſuccederet, pontifex Ananus Anani filius, cōpellens publicè Iacobū Chriſtum Dei filium negare, recuſantem lapidibus obrui iuſſit: qui cū præceps de pinna templi deiectus eſſet, ſemiuiuus adhuc, & manus ad cœlum tendens pro perſecutoribus oraret, fuſte, quo fullones vtūtur, tandē necatur. Refert aūt Ioſephus hūc tantæ ſanctitatis fuiſſe, vt propter eius necem publicè creditū ſit, Hieroſolymam eſſe ſubuerſam. Hic eſt ille Iacobus, cui Dominus poſt reſurrectionē apparuit, cuiq; panem benedicens ac frangens dixit, mi frater, comede panem tuū, quia filius hominis è morte reſurrexit. Annis verò triginta Hieroſolymitanæ eccleſiæ præfuit, id eſt, vſq; ad ſeptimum Neronis annum. Cuius ſepulchrū iuxta templum vnde deiectus fuerat, cū titulo, Hadriani temporibus adhuc extabat. Mortuum quoq; Barnabam Cyprium, qui Ioſeph Leuites cognominatus eſt, ante Petri martyrium conſtat. Hic enim cū Paulo gentium Apoſtolus electus, vnam tantū epiſtolam ad Eccleſiā pertinētem conſcripſit, licèt ea quoq; inter apocryphas ſcripturas habeatur. Diſſentiens item à Paulo ob Marcum diſcipulum, in Cyprū proficiſcitur Marco comite: vbi Chriſti fidem prædicans, martyrio coronatur. Paulus autem qui antea Saulus dicebatur, ex tribu Beniamin & oppido Iudææ Giſcalis originem ducebat: quo à Romanis bello capto, cum parentibus ſuis Tarſum Ciliciæ commigrauit: inde Hieroſolymā ob ſtudia legis miſſus, à Gamaliele viro doctiſſimo eruditur. Acceptis deinde epiſtolis à Pontifice tēpli, eos perſequens, qui Chriſtū verum Deū

*Acto 8.*
*De Simone mago.*
*Simoniaci.*
*Acto. 8.*
*Marcus.*
*Iacobus Domini frater.*
*Ioſephus anti. lib. 20. cap. 16.*
*Hiero. ex Euangelio ſecundum Hebræos.*
*Barnab.*
*Acto. 4.*
*Acto. 13.*
*Acto 15.*
*Paulus Apoſto.*
*Acto. 7.*

 eſſe

*Acto. 9.* eſſe profiteretur, Stephani prothomartyris neci interfuit. At verò cùm Damaſ-
cum pergeret, Spiritu diuino ad fidem compulſus, vas electiõis vocari meruit:
*Galat. 2.* nomenq; à Paulo proconſule Cypri accepit, quem prædicatione ad fidem rede-
gerat. Vnà deinde cum Barnaba multis vrbibus peragratis, Hieroſolymam re-
diens, à Petro, Ioanne, Iacoboque gentium Apoſtolus eligitur. Hic autem poſt
Chriſti mortem anno vigeſimo quinto, id eſt, Neroniani Imperij ſecundo, eo-
*Acto 27.* dem tempore quo Feſtus procurator Iudeæ Felici ſucceſsit, Romam vinctus,
Ariſtarcho concaptiuo comitante, vt ciuis Romanus mittitur: vbi biennio in
ſatis libera cuſtodia manens, cum Iudæis quotidie diſputabat. Dimiſſus tan-
*Paul. quot* dem à Nerone & prædicauit multa, & ſcripſit. Extant eius decem ac quatuor epi-
*Epiſtolæ.* ſtolæ: ad Romanos vna, ad Corinthios duæ, ad Galatas vna, ad Epheſios vna, ad
*Acto. 28.* Philippenſes vna, ad Coloſſenſes 1. ad Theſſalonicenſes 2. ad Timothæum 2.
*Petri epi-* vna ad Titum, ad Philemonem altera: quæ ad Hebræos eius nomine fertur, in-
*ſtolæ.* certa habebatur propter ſtyli ſermoniſq; differentiam. Erant etiam olim, qui
hanc & Lucæ, & Barnabæ, & Clementi aſſcriberent. Scripſit & Petrus duas epi-
ſtolas, quæ canonicæ nominantur. Secunda à pleriſq; eius eſſe negatur, quod à
ſtylo primæ diſsideat. Verùm quia pluribus intentus eſſe non poterat, cùm ora-
tioni & prædicationi vacaret, duos Epiſcopos ordinauit, Linum ſcilicet & Cle-
tum, qui ſacerdotale miniſterium Romano populo, & aduenis bene ſentienti-
bus exhiberent. His rebus intentus vir ſanctiſsimus, tantum nominis ſibi apud
omnes comparauerat, vt iam ferè pro Deo coleretur. Hanc ob rem indignatus
Nero, mortem hominis quærere: vnde Petrus monentibus amicis ad declinan-
*Lib. 3. ca. 3.* dam inuidiam & iram Principis, via Appia ab vrbe diſcedens, ad primum lapi-
dem Chriſto, vt verbis Egeſippi vtar, fit obuiam, quem quidem adorans rogat,
Domine quò vadis? Tum Chriſtus: Romam iterum crucifigi. Extat ſacellum
eo in loco, vbi hæc verba ſunt habita. Tum Petrus de martyrio ſuijpſius dictum
exiſtimans, quod in ſe Chriſtus paſſurus videretur, ad vrbem redijt: ac ſtatim
Clementem Epiſcopum conſecrat, eiq; cathedram & Eccleſiam Dei commen-
*Verba Pe-* dat his verbis: Eandem ego tibi poteſtatem ligandi & abſoluendi trado, quam
*tri ad Cle-* mihi Chriſtus reliquit: ſpretis ac cõtemptis rebus omnibus, tum corporis, tum
*mentem.* fortunæ, oratione & prædicatione ſaluti hominum, vt bonum paſtorem decet,
conſule. Cùm hæc autem ita diſpoſuiſſet, non multò poſt vnà cum Paulo iuſſu
Neronis necatur, vltimo eius anno, diuerſis tamen cruciatibus. Petrus enim cru
ci affigitur capite in terram verſo, eleuatiſq; in ſublime pedibus: ita enim vo-
luit: quod diceret ſe indignum eſſe, qui mortem Saluatoris imitaretur. Sepul-
tus eſt autem in Vaticano via Aurelia ſecus hortos Neronis non longe à via tri-
umphali, quæ ad Apollinis templum ducit. Sedit autem annis xxv. Paulus ve-
rò eodem die capite mulctatus, funeratur via Oſtienſi, anno poſt mortem Chri
ſti trigeſimo ſeptimo. Hoc idem approbat Caius Hiſtoricus in Proculum quen-
dam Cataphrygum diſputans: Ego, inquit, trophæa Apoſtolorum habeo, quæ
*Incendium* oſtendam: ſiue enim via Regali pergas, quæ ad Vaticanum ducit, ſiue Oſtienſi
*tempore* trophæa eorum inuenies, qui hanc ſtabiliuêre Eccleſiam: duo certè fuêre, Petrus
*Neronis li-* & Paulus. Præterea verò in ijſdem Neronianis hortis multi cineres Sanctorum
*bro 15.* martyrum reconditi ſunt. Nam cùm incẽdium tempore Neronis à cliuo Scau-
ri ad Eſquilias vſque ſex diebus vagatum, multas fortunas ciuium conſumpſiſ-
ſet, ac omnis culpa principi aſſcriberetur, ipſe, vt ait Cornelius Tacitus, abolen-
do rumori intentus, falſos teſtes ſubornauit, qui id factum à Chriſtianis cauſa-
rentur. Vnde tot capti & interfecti ſunt, vt ex eorũ cadaueribus per aliquot no-
ctes lumina continuata dicantur. Sunt tamẽ qui dicant illud incendium ab eo
excitatum fuiſſe, vel vt Troiæ ardentis ſimilitudinem cerneret, vel offenſus de-
formitate veterum ædificiorũ, & anguſtijs flexibilibuſq; vicorum, homo libi-
dinoſus, intemperans, ſæuus, & auunculo Caligula omnibus in rebus nequior
ac ſceleratior. Nam & magnam partẽ ſenatus interfecit, & turpiter in ſcena vi-
dentibus omnibus cecinit ac ſaltauit. Tantæ præterea luxuriæ fuit, vt frigidis la
uaretur vnguentis, retibuſq; aureis piſcaretur, quæ attrahere funibus purpureis
conſueuerat. Hęc omnia vitia principio Imperij ſui ita occultauit; bonam ſpem
omni-



omnibus præ ſe ferret. Nam cum admoneretur, vt in ſupplicio cuiuſdam capitẽ damnati ex more ſubſcriberet, Quam vellem, inquit, neſcire literas. Splendidè tamen cum in vrbe, tum foris ædificauit. Nam & thermas ſuo nomine Romæ, & domum auream, & porticum trium milium paſſuum mira celebritate perfecit: & portum Antij, quem ego nuper mira cum voluptate inſpexi, ſumptuoſiſſimis operis extruxit. Ad ſæuitiam eius redeo, qua in Senecam præceptorem, in M. Annæum Lucanum poëtam egregium, in matrem Agrippinam, in vxorem Octauiam, in Cornutum philoſophum præceptorem Perſij, quem in exilium egit: in Piſonem, in omnes denique, qui aliquo in precio apud ciues ſuos erant, vſus eſt. Tandem verò populi Rom. iram & odium ita in ſe concitauit, vt ad pœnas quæſitus quàm diligentiſsimè ſit. Quæ tales profectò erant, vt vinctus in publicum ſub furca duceretur, & virgis vſque ad necem cæſus, in Tiberim proijceretur. Verum is fugiens ad quartum militarium, in ſuburbano liberti ſui inter Salariam & Nomentanam viam ſemetipſum interfecit, ætatis ſuæ anno trigeſimo ſecundo, Imperij vero decimoquarto.

## *IN VITAM B. PETRI APOSTOLI, ET QVATVOR ſequentium Pontificum Annotationes.*

*B. Platina, qui ante nonageſimum annum in vrbe vixit, ſub Xyſto Papa IIII. (à quo bibliotheca Pontificiæ, quam in Vaticano magna librorum copia inſtructam reſtituerat, præfectus fuit) vitas Romanorum Pontificum ſcribere aggreſſus, Damaſum Papam, qui à Petro Apoſtolo initiũ faciens, opus vſq; ad ſua tempora perduxit, & qui eum ſuppleuerunt, auctores eſt ſequutus. Hi fuere Anaſtaſius Monachus, & S. R. E. bibliothecarius, id eſt cancellarius, qui à Damaſo ipſo vſq; ad Nicolaum primũ ſcripſit Guillelmus alter Apoſtolicæ ſedis bibliothecarius, qui ab Hadriano II. vſq; ad Alexandrũ II. & Pandulphus Piſanus, qui à Gregorio VII. vſq; ad Honorium II. eaſdem vitas perſecuti ſunt. Martinus Polonus ordinis Ciſtertienſis à beato Petro incipiens, vſq; ad Honorium IV. vitarum opus edidit. Ex cuius libro, quæ ab Innocentio II. vſq; ad Honoriũ IV. Damaſo adiectæ fuêre, excerpta ſunt. Quæ poſt eundem Honoriũ, vſq; ad eundẽ Vrbanũ IV. pertinent Theodoricus à Niem Germanus, qui diuturni ſchiſmatis tempore vixit, & de eo egregium volumen cõpoſuit, & alij quidã collegêre. Qui deinceps ab Vrbano VI. vſq; ad Martinũ V. (eo enim vſq; vitarum liber, qui ſub Damaſi nomine circũfertur, perductus eſt) memoriæ prodiderint, incõpertum eſt. Ex his igitur omnibus auctoribus, adiũcto fratre Ptolemæo Lucenſi ordinis Prædicatorum, qui ſub Bonifacio VIII. Romanorum Pontificum res geſtas inſigni opere conſcripſit, Platina quæ de Pontificum actis vſq; ad Eugenium IIII. concinnauit, ad verbum ferè, ſtylo paululum elaboratiore, aſſumpſit. Quibus externa & profana ex alijs ſcriptoribus interponens, opus illud, quod de Romanorum Pontificum vitis nuncupauit, conſtituit. Ab Eugenio deinde vſq; ad Paulum II. quo in Pontifice operi finem imponit, quæ videre potuit, vel ab ijs, qui viderunt, audiuit, monumentis tradidit literarum. Vir fuit pro temporum conditione ſatis diligens & eruditus. Cæterum, cùm in quibuſdam rebus ab eo diſſentiam (poſterior enim hominum diligentia, multa quæ antè parum comperta fuerunt, inuenit) breuiſsimè omnia ſingulis in locis ſuggeram, de quibus mihi cum eo non admodum conuenit, quo rerum ipſarum clarior cognitio habeatur.*

*Atque ante omnia à prima quinque Pontificum ſucceſsione, de qua maxima, tum inter Græcos, & Latinos, tum inter Latinos ipſos controuerſia eſt, ſcribendi initium faciam, cùm res ſit meo iudicio neceſſaria, & cognitu non indigna. Hanc porro quæſtionem accuratè in libro, quem de rebus geſtis Romanorum Pontificum ædidi, accuratius verò, & latius in hiſtoria Eccleſiaſtica tractaui, & quæ dixi multis argumentis, & veterum ſcriptorum ſententijs confirmaui. Cuius tractationis ſumma, quam nunc breuitatis cauſa ſine rationibus, argumentis, & auctoritatibus ipſis, referam, hæc eſt. Petrum Apoſtolum poſt Chriſti mortem annos xxxiiij. menſes iij. & dies aliquot vixiſſe cenſeo. Si enim Chriſtus xix. anno Tib. Cæſaris, ætatis ſuæ xxxiij. menſe iij. olympiadis ccij. quarto, Galba & Sylla conſulibus, vt in faſtorum commentarijs probaui, cruci affixus eſt: & Petrus nouiſsimo Neronis anno, Chriſti verò lxix. Auſo & Capitono conſulibus (vt D. Hieronymus & Damaſus tradunt) occiſus, profectò id, quod dixi omnino neceſſe eſt, totidem enim anni interiacent. Ex his nouem primis, vſque ad initium ſecundi anni Imperij Claudij, Petrum Iudæa nunquam exceſsiſſe, ex actis Apoſtolorũ, & Pauli Epiſtola ad Galatas apertiſsimè conſtat: idem in Chronico refert Euſebius, & ego alibi multis rationibus probaui. Si igitur, vt inter omnes auctores conuenit, ſecundo Imperij Claudij anno (is decimus fuit à paſsione Chriſti) ex Agrippæ vinculis diuinitus liberatus Romam venit, illud certè neceſſarium videtur, eum ante ad vrbem aduentum, Antiochiæ ſeptem annis non ſediſſe, cùm antè ex Iudæa nunquam diſceſſerit, ſed hanc eius Antiochenam cathedram alio tempore fuiſſe. Quam rem ex vetuſtiſsimorum auctorum teſtimonio ſic conſtitui. Decimo poſt Chriſti paſsionem anno, qui adhuc ſecũdus erat Imperij Claudij, quanquam in fine, Petrus poſt annuam prædicationem, quam ex carcere liberatus ad vrbem peregrinando fecit, Romam xv. Kalend. Februarij primũ ingreſſus eſt. Vnde ea etiam die cathedra ſancti Petri Romæ ſolennitas recens eſt reſtituta: à quo tempore vſque ad illius obitum anni plus minus xxv. interſunt, quibus, & ſi eum Romæ ſediſſe veteres ſcribant, non tamen propterea ſequitur, ipſum ſemper in vrbe commoratum eſſe. Nam ſeptimo Claudij anno, quarto verò eius ad*

*vrbem*

*vrbem aduentus, poſtquã Simone Mago extincto, Romanã Eccleſiam conſtituiſſet, edicto Claudiano, quo Iudæi pulſi ſunt, Roma exire coactus (nullum enim adhuc inter Iudæos, & Chriſtianos diſcrimen noſcebatur) Hieroſolymã reuerſus eſt, Agrippa, cuius metu ex Iudæa aufugerat, iam mortuo. Ibi concilio Apoſtolorũ de abrogãdæ circunciſione, & morti beatiſsimæ Virginis interfuit. Inde Antiochiã, relicto Hieroſolymis Iacobo Apoſtolo, profectus, ſeptem ibidem annis, vſq; ad Claudij obitum, & Neronis Imperium permanſit. Cuius Imperij initio Romam cum Marco Euangeliſta reuerſus, Romanam dilabentem reparauit Eccleſiam, Linum, Cletum, in chorepiſcopos ſiue coadiutores ſuos inſtituit, duas epiſtolas ſcripſit. Marcum, vt Euangelium ſcriberet, monuit. Peregrinatione deinde per vniuerſam ferè Europam ſuſcepta, Romam, Nerone in Chriſtianos tanquam publici incendij auctores deſæuiente, cum Apoſtolo Paulo rediens, nouiſsimo eius imperij anno, cùm Clementem Epiſcopũ Romanum, poſt ſe futurum delegiſſet, III. Kalend. Iulij Martyriũ crucis paſſus eſt, xxiiij. anno, menſe V. & die xij. poſtquam primũ ſub Claudio in Vrbem venerat. Hæc ego ex actis Apoſtolorũ, epiſt. Pauli ad Galat. cap. 1. & 2. item Dionyſio Corinthiorum epiſcopo, & Caio antiquo ſcriptore apud Euſebium lib. 2. cap. 25. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Iuſtino in Apologia ad Imp. Antoninum Pium, Cirenæo lib. 3. cap 1. & 3. Tertulliano pluribus in locis, Origene tomo, 3. in Geneſin, Euſebio Cæſarienſe lib. 2. cap. 25. & in chronico Damaſo in vitis quatuor Pontificũ Petri, Lini, Clementis & Cleti, Hieronymo in libris de vitis illuſtribus in martyrologio & contra Iouinianum Epiphaniæ lib. 1. Tomo 2. Geneſ. 27. Lactantio lib. 4. cap. 2. Oroſio lib. 7 cap. 6. & alijs vetuſtis auctoribus collegi.*

## S. LINVS.

*2. Pont.*

LInus natione Tuſcus, patre Herculaneo, ab vltimo Neronis anno vſque ad Veſpaſiani tempora peruenit: à conſulatu Saturnini & Scipionis vſque ad Captionem & Rufum conſules.

*Galba imperator.*

Hoc autem interuallo imperàrunt, ſed breui tempore, Galba, Otho, Vitellius. Galba enim vir antiquiſsimæ nobilitatis in Hiberia imperator à militibus creatus, vbi Neronis mortem comperit, Romam confeſtim venit. Verùm cùm omnes auaritia ac ſegnitia offenderet, inſidijs Othonis Romæ ad lacum Curtij iugulatur, ſeptimo imperij ſui menſe, cum Piſone nobiliſsimo adoleſcente, quem in filium per adoptionem ſuſceperat. Vir certè fuit vita priuata inſignis militaribus ac domeſticis in rebus. Sæpe tamen conſul, ſæpe proconſul, frequẽter dux fuit grauiſsimis bellis. Hũc vt laudem, facit M. Fabij Quintiliani doctrina, quem ſecum Galba ex Hiſpania Romam duxit.

*Otho imperator.*

Otho verò materno genere quàm paterno nobilior, vita priuata, mollis, quippe qui Neronis familiaris fuerat, inter tumultus, vt dixi, cædesq; inuaſit imperiũ. Cùm autem ciuile bellum contra Vitellium in Germania imperatorem creatum molitus, tribus leuibus prælijs ſuperior fuiſſet, vno ad Alpes, alio apud Placẽtiam, tertio ad Caſtorem, quarto apud Bebriacum ſuperatur: vnde rerum deſperatione ſibimet manum iniecit, imperij ſui menſe tertio. At Vitellius familia magis honorata quàm nobili Romam veniens, ac imperio potitus, in omnem nequitiam, ſæuitiam & ingluuiem prolapſus eſt. Nam tantæ voracitatis fuit, vt ſæpius in die comederet, & vna cœna ſuo iuſſu duo milia piſcium, & ſeptem milia auium appoſita ſint. Verùm vbi comperit, Veſpaſianum apud Iudæam Paleſtinæ ab exercitu Imperatorem creatum, cum legionibus aduentare, primum deponere Imperium cõſtituit: poſtea verò quibuſdam animatus, ſumptis armis, Sabinum Veſpaſiani fratrem cum Flauianis in Capitolium compulit: quo quidem ſuccenſo omnes concremati ſunt. Quare ſuperueniente Veſpaſiano, cum nullum veniæ locum ſibi reliquiſſet, è cella palatij, in qua delituerat, turpiſsimè tractus per viã ſacrã, nudus ad ſcalas gemonias ducitur, vbi excarnificatus in Tiberim proijcitur.

Hoc itaq; tempore Linus fuit Petri ſucceſſor. Sunt qui hunc locum Clementi aſſcribant, & Linum ac Cletum prætermittant, quos non ſolùm hiſtoria, verũ etiam Hieronymi auctoritas reprehendit: Quartus, inquit, poſt Petrum Romæ epiſcopus Clemens fuit: ſiquidem Linus ſecundus, Cletus tertius ſunt habiti, tametſi Latinorum pleriq; poſt Petrũ ſtatim Clementem numerent: quem certè conſtat (tantæ modeſtiæ fuit) coëgiſſe Linum ac Cletũ ante ſe munus Pontificatus obire, ne poſteris hæc principatus ambitio pernitioſi exempli haberetur: licèt eidem Petrus, quaſi ex teſtamento ſucceſsionis locũ tradiderit. Linus vero ex mandato Petri cõſtituit, ne qua mulier, niſi velato capite, templũ ingrederetur. Præterea verò ex ſacris ordinibus in vrbe habitis, presbyteros decem & octo epiſcopos, xj. creat. Scripſit & res geſtas Petri, maximè verò eius contentionẽ cum Simo-



Simone mago. Huius autem temporibus fuit Philo Iudæus natione Alexandrinus, qui multa ita eleganter & grauiter ſcripſit, vt dictum meritò ſit, aut Plato Philonem ſequitur, aut Platonem Philo. Is autem ſua doctrina & elegantia Appionis temeritatem contra Iudæos ab Alexandrinis miſſam compeſcuit. Romę verò imperante Claudio, conſuetudinem cum Petro habuit. Inde multa de laudibus Chriſtianorũ conſcripſit. Ioſephus quoq; Mathathiæ filius, & Hieroſolymis ſacerdos à Veſpaſiano captus, ac cum Tito filio tãtiſper relictus, donec Hieroſolymæ caperentur, Romam veniens, Iudaicæ captiuitatis libros ſeptem patri ac filio obtulit, Lini Pontificatu, qui etiam in bibliothecam publicam repoſiti ſunt, & auctor ipſe ob ingenij gloriam ſtatua ac meritò certe, donatus eſt. Scripſit & alios xxiiij. antiquitatum libros, à principio mundi vſque ad xiiij. Domitiani Cæſaris annum. Linus autem cum ſanctitate & moribus in precio haberetur, dæmones fugaret, & mortuos in vitam reduceret, à Saturnino conſule, cuius filiam à dæmonibus liberauerat, capitali ſupplicio afficitur: ſepeliturque in Vaticano iuxta Petri corpus die xj. Calendas Octobris, cum ſediſſet in pontificatu annos vndecim, menſes tres, dies xij. Sunt qui ſcribant, Gregorium epiſcopum Oſtienſem corpus ſanctiſsimi Pontificis Oſtiam ex voto tranſtuliſſe, & in templo diui Laurentij magnificè collocaſſe.

*Ioſephus Matathiæ filius.*

## S. CLETVS.

*3. Pont.*

CLetus patria Romanus, de regione Vicopatritij, patre Aemiliano, adhortante Clemente pontificatus onus inuitus ſuſcepit, licèt doctrina, moribus, & dignitatè plurimum apud ſuos valeret. Fuit autem tẽporibus Veſpaſiani & Titi, à conſulatu Veſpaſiani ſeptimo & Domitiani quinto, vſque ad Domitianum & Rufum conſules, vt Damaſus ſcribit.

Veſpaſianus enim, vt antea dixi, Vitellio ſucceſsit, bellumq; Iudaicũ biennio ante protractum, Tito filio commendauit, quod quidẽ biennio pòſt conſtantiſſimè abſoluit. Nam capta Iudęa, euerſis Hieroſolymis, temploq; ſolo æquato, ad DC. millia hominum interfecta referuntur: licèt Ioſephus Iudæus eo bello captus ac vita donatus, quod & mortẽ Neronis, & Veſpaſianum Imperatorẽ breui futurum prædixerat, vndecies centena millia ferro ac fame eo bello perijſſe ſcribat: captaque ad cẽtum millia, ac publicè venundata. Nec id verò diſſonum videri, cum referat Azymorum dies tum fuiſſe, quo tempore ex omni Iudæa Hieroſolymam tanquam in publicum carcerem: tum vel maximè die Phaſe, quo Chriſtum occiderunt, ſunt profecti, daturi pœnas, & frequentis cõtra populum Romanum defectionis, & ſceleris atque perfidiæ, qua Chriſtum innocentem perimêre. Deuictis itaque Iudæis, triumphârunt pater & filius, eodem curru vecti, ſubſequente Domitiano equo albo inſidente. Extant adhuc in via noua huius triumphi monimenta: apparent inſculpta candelabra, apparent tabulæ veteris legis è templo ablatæ, & in triumphum ductę, hac etiam in victos humanitate vſus, vt omnes qui ex familia Dauid ſuperfuiſſent, velut ex regia ſtirpe cõquiſitos in precio habuerit. Idem quoq; imperio ſemper modeſtiſsimè vſus eſt. Tantæ enim lenitatis & clemẽtiæ fuit, vt reos etiam maieſtatis, verbis tantũ caſtigatos dimitteret: petulantium & loquaciũ dicta contemneret, offenſarum & inimicitiarum immemor. Colligendarum tamen pecuniarum nimiũ ſtudioſus habitus eſt, licèt ex alieno non raperet, eis denique pecunijs ad liberalitatem & magnificentiam vteretur. Nam & templum Pacis foro proximum diui Claudij cœptum perfecit, & amphitheatrũ, cuius partem cum admiratione adhuc cernimus, inchoauit. Virtutem autem Titi filij tãti ſemper fecit, vt tumultuantibus quibuſdam ob cupiditatem imperandi dixerit, Aut neminem, aut filium Imperio potiturum: & meritò quidem, cum ob virtutem & integritatem animi, Titus amor & deliciæ humani generis haberetur. Nã & eloquentiſsimus in pace, & fortiſsimus in bello, & clementiſsimus in delinquẽtes eſt habitus: ita comis & liberalis, vt nulli quicquam negaret. Hoc cum reprehenderent amici, reſpondiſſe fertur: Neminem à vultu principis triſtem diſcedere oportet. Addidit & illud, recordatus quod nihil cuiquã muneris dediſſet, amici, diem perdidi.

di. Nemo ante ſe magnificentia maior fuit, abſoluto atq; dedicato amphitheatro, thermiſq; edita venatione ferarum quinque millium. Reuocauit etiam ab exilio Muſonium Rufum philoſophum inſignem, & Aſconij Pædiani viri doctiſsimi familiaritate delectatus eſt. Perijt autem anno imperij ſui ſecundo: delatuſq; ad ſepulchrum eſt publico luctu, ac ſi parente orbati omnes eſſent.

Sunt autem qui ſcribant, anno ſecundo Veſpaſiani, qui annis decem imperiũ obtinuit, Cletum Lino ſucceſsiſſe. Vtcunque ſit, conſtat Cletum virum optimum ac ſanctiſsimum fuiſſe, nihilq; prætermiſiſſe, quod ad augendam eccleſiam Dei pertineret. Huius autem temporibus fuit Lucas medicus Antiochenſis, Græci ſermonis apprimè doctus, Pauli Apoſtoli imitator, & omnis peregrinationis eius comes ac ſocius. Scripſit autem euangelium, quod à Paulo laudatur. Vnde meritò Euangelium illud ſuum eſſe Paulus dicit. Apoſtolorum verò res geſtas, quemadmodum viderat, cõſcripſit. Vixit annos octoginta quatuor, vxorem non habens in Bithynia, ſepultus eſt Conſtantinopoli: ad quam vrbem xx. Conſtantij anno eius oſſa cum reliquijs Andreæ Apoſtoli de Achaia tranſlata ſunt. Philippus quoque eadem tempeſtate ex Scythia, quam viginti annis in fide, exemplo, prædicatione retinuit, in Aſiam rediens, Hieropoli moritur. Cletus autem cum eccleſiam Dei optimè pro tempore conſtituiſſet, redactis in ordinem ex mandato Petri viginti quinque presbyteris, ſub Domitiano martyrio coronatur, ac ſepelitur apud beati Petri corpus in Vaticano quinto Kalend. Maij. Affecti & alij multi martyrio, inter quos eſt habita & Flauia Domicilla, Clementis conſulis ex ſorore neptis, in inſulam Pontiam relegata, quia Chriſtianam ſe faſſa eſt. Sedit autem Cletus annis xij. menſe vno, diebus xj. Sedes autem huius morte diebus viginti vacat.

## S. CLEMENS I.

4. Pont. Domitianus Tito ſucceßit.

Clemens patria Romanus de regione Cælij montis, patre Fauſtino, Domitiani temporibus fuit, qui ab Auguſto nonus Tito ſucceſsit. Neroni aut Caligulæ ſimilior quàm patri Veſpaſiano aut fratri: moderatior tamen primis annis eſt habitus. Mox in ingentia vitia prorupit: libidinis, deſidiæ, iracundiæ, crudelitatis, quibus criminibus tantum odij in ſe cõcitauit, vt penè patris ac fratris nomen aboleuerit. Multos aũt ex nobilitate interfecit, pleroſq; in exilium miſit, eoq; in loco trũcari iuſsit. Tantæ vero deſidiæ fuit, vt in cubiculo ſolus muſcas præacuto ſtylo configeret. vnde quidam prodiens interrogatus: eſſet ne quiſquam cum Cæſare? reſpondit per iocũ, Ne muſca quidẽ. Eo præterea dementiæ, & iactantiæ venit, vt ſe dominũ ac Deũ vocari, ſcribi, coliq; iuſſerit. Hic autẽ ſecundus poſt Neronem Chriſtianos perſequitur. Exquiri quoq; quæſtionibus & tormentis genus Dauid inter Iudæos mandauit, cõquiſitumq; funditùs perdi ac deleri. Tandem verò diuina ſuperueniente vltione, in palatio à ſuis interficitur anno imperij decimoquinto. Huius vero cadauer per veſpillones delatum ignominioſe ſepelitur. Philix enim in ſuburbano ſuo Latina via illud funerauit.

Clemens autem quartus, vt dixi, tùm erat Romæ poſt Petrum epiſcopus. Nã Linus ſecundus eſt habitus, tertius Cletus, tametſi plerique Latinorum ſecundum poſt Petrum putauerint Clementem fuiſſe: quod etiam epiſtola ad Iacobum Hieroſolymitanum epiſcopum plane ſignificat: Simon Petrus vbi finem vitæ ſuæ adeſſe ſenſit, in corona fratrum poſitus, apprehenſa manu mea, hũc, inquit, vrbis Epiſcopum cõſtituo, qui mihi in rebus omnibus poſteaquam Romam veni, comes fuit. Subterfugiebã ego tantum onus. tum ille, tibi tãtummodo conſules, populum Dei in fluctibus ambulantem deſeres, cum periclitãti ſubuenire poſsis? Verum hic omnium modeſtiſsimus, vt dixi, Linum & Cletum ſponte ſibi in tanto honore prætulit. Scripſit idem Romanæ Eccleſiæ nomine ad Corinthios epiſtolam quidem perutilem, nec characteri epiſtolæ differentem, quæ ſub Pauli nomine ad Hebræos fertur. Legitur hæc publicè à nõnullis: extat & ſecunda eius nomine, quam veteres nõ adeo probârunt. Diſputationem quoque Petri & Appionis, longo ſermone ab eodem conſcriptam, Euſebius in



us in tertio hiſtoriæ ſuæ volumine coarguit. Perueniſſe autem ad hæc vſque tempora Ioannem Apoſtolorum conſtat, Zebedæi filium, Iacobi fratrem. Hic verò omnium nouiſsimus Euangelium ſcripſit, ac ea confirmauit, quæ à Matthæo, Marco, Luca conſcripta fuerant. Ferunt & id ob eam rem à Ioanne poſtremo factum, quo Ebionitarum dogma conſurgens infringeret, qui aſſerebant, & impudenter quidem, Chriſtum ante Mariam non fuiſſe: eius enim diuinam naturam Ioannes explicat. Scripſit & alia multa, tum vero Apocalypſim, relegatus à Domitiano in Patmos inſulam, quo poſtea interempto, & actis eius ob nimiam crudelitatem à ſenatu reſciſsis, imperante Nerua Epheſum redijt: ibiq; vſque ad Traianum principem conſilio & ſcriptis Eccleſias Aſiæ ſuſtentans, ſenio confectus, ſexageſimo octauo poſt paſsionem Chriſti anno in domino quieuit. Clemens autem pietate, religione, doctrina multos ad fidem Chriſti quotidie traducebat. Quamobrẽ P. Tarquinius ſacrorum princeps cum Mamertino vrbis præfecto Traianum in Chriſtianos concitat. Cuius Imperio in inſulam Clemens deportatur: vbi ad duo millia Chriſtianorum ad ſecanda marmora damnatorum inuenit. Dum ibi verò aquæ penuria laboraretur, quam ſexto milliario repetebant, Clemens collem haud longè poſitum conſcendens, agnum vidit, ſub cuius dextro pede fons diuinitus abundantem aquam ſcaturiebat, qua quidem & recreati omnes ſunt, & multi ad fidem Chriſti conuerſi. Hanc ob rem motus Traianus ſatellitibus ſuis quoſdam mittit, qui Clementem in mare proijcerent, alligata ad collum ancora, cuius ſacratiſsimum corpus non ita multò pòſt ad littus delatum eſt: atque eo loci ſepultum extructo templo, vnde fons diuinitùs emanauerat. Hoc autem factum narrant xix. Kalend. Decembris, anno tertio Traiani principis. Sedem vero Petri retinens annis nouem, menſibus duobus, diebus decem, & regiones ſeptem notarijs diuiſit, qui diligenter res geſtas martyrum ſcriberent: & habitis quoque de more ſacris ordinibus Decembri menſe, presbyteros decem, diaconos duos, epiſcopos quindecim creat. Eius autem in morte dies xxij. ſedes vacat.

Ioannes quando ſuum Euangelium ſcripſerit.

### ANNOTAT.

*Si S. Clemens Papa, & martyr poſt Petri mortem epiſcopatum Romanum ſuſcipiens, ſedit annos ix. menſes iiij & dies xxvi. vt in Damaſi libro, ex conſulatum ordine elicitur: idemq; Euſebius in annorum numero confirmat: illud profectò neceſſe eſt, eum non ſub Traiano, vt Platina tradit, ſed Veſpaſiano relegatum eſſe. Quum præfectus Vrbi Chriſtianis tanquam Iudaizantibus parum tunc æquus fuiſſet, nam Veſpaſianum Auguſtum aliquid ijs moleſtiæ intuliſſe, non memini me legiſſe. obijt autem auctore Damaſo, Veſpaſiano Auguſto vij. & Tito Cæſare v. conſulibus. Is fuit annus imperij Veſpaſiani octauus.*

*Clementis verò Pontificatus menſe tertio, ix. Kalend. Octobris, eodem quo Petrus anno, Linus Chorepiſcopus ſiue Petri in Epiſcopatu Romano coadiutor interfectus eſt, ſacerdotij ſui anno xij. menſe iiij. vt auctor eſt Damaſus.*

*Clementi porrò in exilio vita functo, Cletus chorepiſcopus, ſiue coadiutor alter ei ſuperſtes, anno ſalutis lxxvij ſub Veſpaſiano Imperatore ſucceſsit, ſeditq;, vt ex Damaſi conſulatibus, & faſtis intelligitur, annos vi. menſes v. & dies iij. Poſt cuius mortem ſeptimo vacantis ſedis die, iiij. nonas Maij, anno Chriſti xxciiij. Imperij Domitiani ſecundo, Anacletus Romanam ſedem obtinuit, ſeditq; annos xij. menſes ij. & dies x. Hæc ex Damaſo in horum Pontificum vitis, Ioanne Papa III. in quadam epiſtola decretali ad epiſcopos Germaniæ & Galliarum & faſtis conſularibus.*

*Qua ratione fit, vt nullo pacto audiendi ſunt auctores quidam tam Græci, quàm Latini, qui Cletum cum Anacleto confundunt, quum tam ex Damaſo, quàm ex eccleſiaſtica traditione quam omnibus ſcriptoribus, hac in re præpono, manifeſtè liqueat, Cletum ab Anacleto nomine, Patre, Patria, rebus geſtis, mortis tempore, & die diuerſum eſſe. Ille enim fuit natione Romanus, Aemiliani filius, ſub Veſpaſiano creatus, & initio imperij Domitiani VI Kalend. Maij occiſus: hic vero natione Græcus, patria Athenienſis, patre Antiocho, & nouiſsimis Domitiani temporibus III. Idus Iulij interfectus, vtriuſque etiam tanquam diuerſi feſtum diem ſancta Mater Eccleſia adhuc diuerſum celebrat.*

## S. ANACLETVS I.

Anacletus natione Græcus, patria Athenienſis, Antiocho patre natus, Clementi ſuccedit, Neruæ Traiani temporibus. Nerua enim moderatæ vitæ, tum publicæ, tum priuatæ princeps, æquiſsimum ſe atque vtilem reip. præſtitit. Præterea verò eius opera ex ſenatus decreto Domitiani acta abro-

5. Pont. Nerua Imperator.

gata ſunt, vnde multi ab exilio rediêre. Pleriq; verò bona ſua, quibus antea ſpoliati fuerant, huius beneficio recepêre. At Nerua cum iam ſenio premeretur, & mors inſtaret, reip. cauens, Traianum principem in filium per adoptionem accipiens, ſecundo & ſeptuageſimo ætatis anno moritur, Imperij verò ſui anno primo & menſe quarto.

Nerua itaque Traianus, genere Hiſpanus, cognomento Crinitus, imperium accipiens, militari gloria, vrbanitate, & moderatione omnes principes ſuperauit. Nam fines imperij longè & latè diffudit, Germaniam Tranſrhenanã in priſtinum ſtatum reduxit, Daciam & multas trans Danubium gentes imperio Romano ſubegit, Parthos recepit, Albanis regẽ dedit, trans Euphratem & Tigrim prouincias fecit, Armeniã, Aſſyriam, Meſopotamiam, Seleuciam, Cteſiphontem, Babylona, vicit & tenuit, vſque ad Indiæ fines, & mare rubrum acceſsit, in quo etiam claſſem conſtituit, qua Indiæ fines vaſtaret.

Anacletus autem inſtitutis & moribus Eccleſiam Romanam cõfirmaturus, conſtituit ne præſul, néue clerici barbam vel comam nutrirent, néue epiſcopus à paucioribus quàm à tribus epiſcopis ordinaretur: vtq; clerici publicè, non priuatim, ad ſacros ordines aſciſcerẽtur. Omnibus quoq; fidelibus præcepit, vt peracta conſecratione communicarent, qui verò nollent, è ſacris ædibus eliminarentur. Augebatur hac ratione mirum in modum Chriſtiana reſp. Quare Traianus veritus ne quid detrimenti Romanum imperium inde caperet, tertiam perſecutionem in Chriſtianos conceſsit, qua quidẽ multi interempti ſunt: maximè verò Ignatius, Antiochenæ Eccleſiæ tertius poſt Petrum epiſcopus, qui captus & damnatus ad beſtias, dum Romam à ſatellitibus traheretur, quos decem leopardos vocat, omnes Chriſtianos in itinere oratione vel literis in fide confirmabat: Sic inquiens, vt Ieſum Chriſtum inueniam, ignis, crux, beſtiæ, confractio oſsiũ, & totius corporis contentio, & tormẽta diaboli in me veniant, dummodo Chriſto fruar. Cum aũt iam audiret leonum rugitum, frumentum ſum, inquit, dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus inueniar. Moritur autem vndecimo Traiani anno, eiusq; reliquiæ Antiochiæ iacent extra portã Daphniticam. At verò Plinius Secundus, qui tum prouinciam gubernabat, miſericordia ob multitudinem interemptorum motus, ad Traianum ſcribit: Innumera hominum millia quotidie obtruncari, in quibus nihil omninò ſceleris depræhenderetur, aut aliquid, quod Romanas leges offenderet, niſi hoc ſolum quod antelucanos hymnos Chriſto cuidam canerent Deo: adulteria verò aut huiuſmodi crimina apud eos illicita haberi. Vnde permotus Traianus, reſcribit, Chriſtianos quidem non eſſe requirendos, oblatos tamen puniri oportêre. Perijt etiam illo tumultu Simeon Domini conſobrinus, Hieroſolymitanus epiſcopus in cruce poſitus, filius Cleophæ, qui centum & viginti compleuit annos. Hæc autem quæ dixi, ſub hoc Pontifice geſta ſunt, non autem ſub Cleto, vt Euſebius in tertio hiſtoriæ ſuæ libro oſtendit. Damaſus enim Cletum ab Anacleto patria, & genere, mortis differre oſtendit. Nam Cletus natione Romanus, ſub Domitiano: Anacletus verò Athenienſis, ſub Traiano principe moritur. Hic autem & memoriam Petri compoſuit, & ſeorſum à plebe loca vbi martyres ſepelirentur aſsignauit: & ſacris ordinibus ſemel menſe Decembri habitis, presbyteros quinque, diaconos tres, epiſcopos diuerſis in locis ſex numero creauit, quo quidem vltimo ſupplicio perempto, vacat epiſcopatus diebus tredecim. Sedit autem annis nouem, menſibus duobus, diebus decem.

### ANNOTAT.

*Poſt S. Anacletum, Romanus Põtifex quartodecimo Domitiani anno creatus eſt Euariſtus, cui imperij Traiani duodecimo ſuffectus eſt Alexander. Qui decimonono eiuſdem principis anno moriens, ſucceſſorem habuit Xyſtum. Ex Damaſo, Euſebio in chronicis, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro tertio, & faſtis conſulum. Cæterùm cum in ſingulorum ferè Pontificum annis à Platina diſſentiam, qui eos longa, difficili, & operoſa ſupputatione formaui: & nimis faſtidioſum eſſet vnicuiq; Pontifici, meam ſententiam adiungere, in libri fine breuem omnium Romanorum Pontificum catalogum cum annorum, quibus vnuſquiſq; ſedit, numero adijciam, ex vetuſtis, probatisq; auctoribus à me conſtitutum. Quæ omnia poſtea latius explicabo in meo de Romanorum Pontificum rebus geſtis libro, quem haud ita multò pòſt ſum publicaturus.*





## S. EVARISTVS.

EVariſtus natione Græcus, patre Iudæo, nomine Iuda, ex Bethleem ciuitate, ad Traiani tempora peruenit. 6. Pont. Traianus Imperator

Cuius principis ob ſingularem iuſtitiam & humanitatẽ libenter mentionem facimus. Nam vbique terrarum ita ſe æqualem omnibus præbuit, vt vſque ad Iuſtiniani tempora in creatione principum ſit acclamatum, Felicior ſit Auguſto, ac Traiano melior. Præterea verò tantæ comitatis & humanitatis fuit in viſendis ægrotis, ſalutandis amicis, celebrandisque paſſim feſtis diebus, inuitantiumque conuiuijs, vt ei tanta benignitas vitio daretur. vnde dictum illud Imperatore dignum prodijt: Talem priuatis Imperatorem eſſe oportêre, quales ſibi priuatos optat habere. Honores autem, diuitias, facultates, præmia benemẽrentibus æquè diſtribuit. Nulli quicquam iniuriarum fecit augendi ærarij gratia. Immunitates ciuitatibus inopia laborantibus dedit. Fluminum traiectiones ac itinera periculoſa, tuto & ſaluberrimo opere compoſuit. Portum Anconitanum, ducto præalto & lato muro ad coërcendos maris fluctus, muniuit. Nihil in vita agens, nihil cogitans, quod ad communem vtilitatem non pertineret. Hac tanta gloria belli domique parta, apud Seleuciam Iſauriæ ciuitatem profluuio ventris perijt, anno Imperij eius decimo octauo, menſe ſexto: cuius oſſa Romam poſtea delata ſunt, & in vrbe ſepulta vrna aurea in foro, quod ipſe ſtruxit ſub columna cochlide, quam adhuc cernimus: cuiusque altitudo centum & quadraginta pedum eſt.

At Euariſtus (vt Damaſus ait) titulos in vrbe Roma presbyteris diuiſit, & ſeptem diaconos in ordinem redegit, qui cuſtodirent epiſcopum prædicantẽ propter ſtylum veritatis. Idem conſtituit, ne plebis in epiſcopum accuſatio reciperetur. Ordinationes ter habuit menſe Decẽbri, ac presbyteros ſex, diaconos duos, epiſcopos per diuerſa loca numero quinque creauit. Huius tempore Papias fuit, Ioannis auditor, Hieropolitanus epiſcopus, qui non tantùm hiſtoria, veterum diſcipulorum Domini, quantum voce Ariſtonis & ſenioris Ioãnis adhuc viuentis, delectatus eſt. Vnde apparet ex ipſa nominũ dinumeratione, cum omnium ferè Apoſtolorum mentionem feciſſet, alium eſſe Ioannẽ, qui inter Apoſtolos locatur: alium ſeniorem Ioannem, quem poſt Ariſtonem numerat, qui certè doctiſſimus eſt habitus: quẽq; etiam multi ſecuti ob doctrinã ſunt, vt Irenæus, Apollinaris, Tertullianus, Victorinus Pictauienſis, Lactãtius Firmianus. Quadratus quoq; Apoſtolorum diſcipulus, eccleſiam Dei tum periclitãtem, fide & induſtria ſua quoad fieri potuit, ſuſtentauit. Nã cum Hadrianus tum Athenis hyemem agens, ſymmyſtesq; Eleuſinæ omnibus pene ſacris initiatus, occaſionem ſæuiendi in Chriſtianos dediſſet, Quadratus ipſe librũ Hadriano porrexit de honeſtate religionis Chriſtianæ cõpoſitum, plenũ fidei & rationis. Idem fecit Ariſtides Athenienſis philoſopus, ſub priſtino habitu Chriſti diſcipulus: volumen nanq; noſtri dogmatis rationem continens, eodem tempore, quo & Quadratus Hadriano principi obtulit. His autem apologeticis libris factũ eſt, vt Hadrianus iniuſtũ fore exiſtimans, Chriſtianos indicta cauſa vbiq; occidi, Minutio Fundano Aſiæ proconſuli ſcripſerit, neminem occidendũ, niſi de accuſatore & crimine conſtaret. Euariſtus aũt (vt quidam tradũt) martyrio coronatur vltimo Traiani principis anno. Sed melius cenſent, qui ſub Hadriano nondũ in Chriſtianos placato, id ei contigiſſe ſcribunt. annis enim nouem ſedit, menſibus decem, diebus duobus. Sepultus eſt autem Euariſtus in Vaticano apud beati Petri corpus, ſexto Calendas Nouembris. Vacat tum ſedes dies xix.

## S. ALEXANDER I.

ALexander patria Romanus, patre Alexandro, ex regione Caputtauri, iuuenis ætate, moribus ſenior, vſque ad Aelij Hadriani tempora peruenit. 7. Pont.

Hadrianus enim conſobrinæ Traiani filius, imperium accipiens, primo quidem Chriſtianis aduerſatus eſt, poſtea (vt deinceps dicetur) cognita eorum religione & pietate, in eos admodum beneficus fuit. De populo Romano benemeritus, pater patriæ ſtatim appellatur: eiusq; vxor Auguſtæ nomen ſuſce-

*Hadrian. Imperator*

pit. Vtraq; verò lingua eruditiſſimus, & leges multas cõpoſuit, bibliothecã inſignem Athenis retulit, Plutarchi Cheronæi, Xyſti, Agathoclis & Enomai philoſophorũ doctrina ac familiaritate delectatus. Athenienſibus aũt leges petẽtibus, ex Draconis & Solonis ſententia iura cõpoſuit. Idem quoq; ſacris Eleuſinæ initiatus, multa Athenienſibus dona cõtulit, eorũq; pontẽ reſtituit, quẽ Cephyſus fluuius inundatus alluuione diſſoluerat. Fecit & Romæ ſui nominis põtem, qui adhuc extat, & ſepulchrũ in Vaticano apud Tiberim, quo nũc Pontifices pro arce vtuntur. Tiburtinam quoq; villam miro ſumptu ædificauit, quæ quidẽ hodie Tibur vetus appellatur, in eaq; prouinciarũ & locorũ celeberrima nomina inſcripta erant. Peluſium aũt veniens, Pompeij tumulum magnificẽtius extruxit: murũ duxit in Britannia octoginta millia paſſuũ, qui barbaros Romanosq; diuideret: Septicio Claro prætorij ſui tum præfecto & Suetonio Tranquillo epiſtolarũ magiſtro, multisq; alijs, qui apud Sabinam vxorem iniuſſu eius familiarius ſe tunc egerant, quàm reuerẽtia domus aulica poſtularet, ſucceſſores dedit.

At verò Alexander Romanus Pontifex primus ob memoriã paſſionis Chriſti in ſacrificio addidit, Qui pridie quàm pateretur, vſq; ad hanc clauſulam, Hoc eſt corpus meum. Inſtituit item, vt aqua, quam ſanctã appellamus, ſale admixta interpoſitis ſacris orationibus, & in templis, & in cubiculis ad fugandos dæmones retineretur. Voluit quoq; aquam admiſceri vino in cõſecratione ſanguinis & corporis IESV Chriſti, quo ſignificatur Chriſtum Eccleſiæ coniunctum eſſe. Oblationem quoque ex azymo, non autem ex fermentato, vt antea, fieri mãdauit: quia hoc modo purior haberetur, & Ebionitis hæreticis calumniandi occaſio auferretur.

*Agrippa cognomẽto Caſtor.*

Huius verò temporibus fuit Agrippa cognomento Caſtor, qui Baſilidis hæretici volumina in euangelium ſcripta, ſua doctrina mirificè cõtutauit: Barcaban & Marcob eius prophetas, cõficta ſcilicet ad terrorem nomina, & Deum Maximum eiuſdem Abraxan, deridens. Mortuus eſt aũt ea tempeſtate Baſilides: qua & Cochebas dux Iudaicæ factionis, Chriſtianos varijs ſupplicijs perſecutus eſt. Huius verò atq; Iudæorum omnium pertinaciam Hadrianus Imperator vltima cæde perdomuit, præcepitq; ne cui Iudæo facultas introeundi Hieroſolymam daretur, Chriſtianis tantummodo ciuitate permiſſa, quam mœnibus & ædificijs inſtaurans, de ſuo nomine Aeliam appellauit. In eadem vero ciuitate Marcus ex gentibus primus epiſcopus conſtituitur, ceſſantibus ijs, qui fuerant ex Iudæis. Huius quoque Pontificis tempore martyrium pro fide Chriſti Saphyra Antiochena, & Sabina Romana mulier paſſæ ſunt: & Fauorinus, Palæmon, Herodes Athenienſis, Marcus Byzantius rhetores inſignes habentur. At Alexander poſt ordinationes tres, quas habuit menſe Decembri, quibus presbyteri quinque, diaconi tres, epiſcopi per diuerſa loca quinque creati ſunt, martyrio coronatur cum Euentio & Theodulo diaconis, ſepeliturq; in via Nomentana, vbi interfectus eſt ſeptimo ab vrbe milliario, V. nonas Maij. Sedit annis X. menſibus vij. diebus duobus. Vacauit autem ſedes dies vigintiquinque.

## S. XYSTVS I.

*8. Pont. aliâs Bibulum.*

XYſtus natione Romanus, patre Paſtore: vel vt alij volunt, Heluidio, fuit Hadriani tempore, vſque ad Verum & * Anniculum conſules.

Quem quidem Hadrianum inter bonos principes numerandum cenſuimus. Liberales enim, ſplendidus, magnificus, ac clemẽs fuit. Nam & ſeruum in ſe gladio furentem, medicis curandum tradidit, & ægrotos bis térue in diem inuiſit, & Alexandriam à Romanis euerſam ſua inſtaurauit impenſa: Romæ Pantheon reſtituit, ac munera aromatica populo dedit. Moriens hos verſus feciſſe dicitur:

*Animula, vagula, blandula,*
*Hoſpes, comesq; corporis,*
*Quæ nunc abibis in loca*
*Pallidula, rigida, nudula:*
*Nec, vt ſoles, dabis iocos.*





Moritur autem morbo intercutaneo, xxij. Imperij ſui anno, ac ſepelitur Puteolis in villa Ciceroniana. Xyſtus autem rei diuinæ (vt par erat) curam gerens, conſtituit ne à quoquam, niſi à miniſtris ſacrorum, myſteria & vaſa ſacra tangerentur, maximè verò à fœminis: néue, quod ſacerdotes corporale vocãt, ex alio quàm ex lineo panno, & quidem puriſſimo, fieret. Idem cenſuit, ne epiſcopi ad ſedem apoſtolicam vocati, redeuntes à ſuis reciperentur, niſi ſecũ deferrent literas plebem ſalutantis. In celebratione verò mãdauit, vt Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus Deus ſabaoth, cantaretur. Nuda primo hæc erant, & omnia ſimpliciter tractabantur. Petrus enim vbi conſecrauerat, oratione pater noſter, vſus eſt. Auxit hæc myſteria Iacobus epiſcopus Hieroſolymitanus. auxit & Baſilius, auxêre & alij: Nam Cæleſtinus Miſſæ introitum dedit, Gregorius Kyrieeleyſon, Gloria in excelſis Deo Teleſphorus, collationes Gelaſius primus, epiſtolam & euangelium Hieronymus. Alleluia verò ſumptũ eſt ex eccleſia Hieroſolymitana. Symbolum in concilio Niceno: Mortuorum autem commemorationẽ Pelagius inuenit. Thus Leo tertius, Oſculum pacis Innocentius primus. Vt caneretur Agnus Dei, Sergius Pontifex inſtituit. Cũ verò Xyſti temporibus propter frequentes cædes pauci reperirentur, qui nomen Chriſti profiteri auderent, & Galli Chriſtiani præſulem ſibi depoſcerent, eò Peregrinum Romanum ciuem miſit, qui confirmatis in fide Gallis, Romam rediẽs, vltimo ſupplicio afficitur in via Appia, eo loci vbi Chriſtus diſcedenti Petro apparuit. Eius corpus in Vaticanum per fideles delatum, apud ſepulchrum Petri reconditur.

*Aquila cũ Priſcilla.*

Aquila quoq; Iudæus natione Ponticus, cum Priſcilla vxore edicto Claudij diſcedens, vſq; ad hæc tempora (vt nonnulli aiunt) ſuperuixit, ſecundus Moſaicæ legis interpres, poſt illos lxx. qui Philadelphi temporibus fuêre. At verò Xyſtus vbi ordinationes ter menſe Decembri habuiſſet, quibus presbyteros xj. diaconos vndecim, epiſcopos per diuerſa loca iiij creauit, martyrio coronatur, & in Vaticano apud Petrũ ſepelitur. Sedit autem annis decem, menſibus tribus, diebus viginti vno. Vacat tum ſedes biduo tantum.

## S. TELESPHORVS.

*9. Pont.*

TEleſphorus natione Græcus, ex patre Anachoreta, Antonini Pij temporibus fuit.

*Antoninus Pius.*

Cuius quidem imperatoris paternum genus è Gallia Ciſalpina originem habuit. Imperauit autem cum filijs Aurelio & Lucio annis ij. ac viginti, menſibus tribus, tanta cum modeſtia & benignitate, vt meritò Pij cognomentũ adeptus ſit, ac pater patriæ appellatus. Nulli enim vnquam tum priuatum, tum publicè acerbus fuit: aut in redimẽdis pecunijs, aut exactione tributi, quod quidem interdum ita remiſit, vt cautionibus incenſis omnium debita relaxaret. Quid plura de hoc principe dicã? Qui religione, pietate, gratia, humanitate, clementia, iuſtitia, modeſtia cum Numa Pompilio bonorum omnium ſententia comparari poteſt. Is præterea cum Tiberis inundatione plurima Romæ vexaſſet ædificia, tum priuata, tum publica, ſua impenſa ciues in reſtituenda vrbe liberaliſſimè iuuit. Tarracinenſem quoq; & Caietanum portum miris operibus, vt nunc etiam apparet, reſtituit. Eius quoq; impenſa erectam eſſe columnam illam cochleam putârim, à qua vrbis celeberrima regio nomen accepit.

Teleſphorus autem quem diximus Xyſto ſucceſſiſſe, cõſtituit, vt ſeptem hebdomatibus ante Paſcha ieiunium obſeruaretur: vtq; in natali IESV Chriſti noctu tres Miſſæ celebrarẽtur: prima in dimidio noctis, quo Chriſtus in Bethleem naſcitur: ſecunda, illuceſcente aurora, quando à paſtoribus cognitus eſt: tertia, eadem hora diei, qua nobis dies redemptionis & veritatis illuxit, cùm omni reliquo tempore ante horam tertiam celebrare interdictum eſſet, qua hora Dominus noſter in crucem ponitur, vt Marcus ait. Cõſtituit item, vt ante ſacrificium hymnus ille caneretur, Gloria in excelſis Deo. Huius temporibus multum elaborauit pro fide Chriſti Iuſtinus philoſophus ex Neapoli vrbe Paleſtinæ, qui & Antonino Pio principi, ac filijs eius librum dedit cõtra gentes ſcriptum, & dialogum contra Tryphonem principem Iudæorum habuit. Inuectus eſt & in Mar-

cionem, qui Cerdonis dogma ſecutus, alterum bonum, alterū iuſtum Dominū aſſeruit, tanquam duo contraria principia creationis & bonitatis. Impugnauit & Creſcentem Cynicum vt guloſum, mortis timidum, luxuriæq; ac libidinum appetentiſsimum, Chriſtiq; blaſphemum: cuius inſidijs ad extremum circunuentus pro dignitate Chriſtiani nominis ſanguinem fudit. Huncautem Iuſtini hoſtem non philoſophum fuiſſe, ſed Philopompum, id eſt, amatorem arrogātiæ ſcribit Euſebius. Eodē quoq; tempore inualuiſſe Valentinianā hæreſim cōſtat. *Valentiniana hæreſis.* Hi quidem Valentini cuiuſdam Platonici ſectatores, dicebant Chriſtum de corpore virginis nil ſumpſiſſe, ſed per eam tanquam per fiſtulam quandam purum tranſijſſe. Photinus aūt tum Lugdunēſis epiſcopus, vir certè ſingularis virtutis & doctrinæ (vt ait Iſidorus) iam nonagenarius, martyrij coronam cōſtanti animo perpeſſus eſt. At verò Teleſphorus cum ordinationes quatuor menſe Decembri habuiſſet, creaſſetq; presbyteros quindecim, diaconos octo, epiſcopos tredecim, martyrium ſubiens, apud beati Petri corpus in Vaticano ſepelitur. Sedit annis vndecim, menſibus tribus, diebus xxij. Vacat tum ſedes dies ſeptem.

## S. HYGINVS.

*10. Pont.*

Hyginus natione Græcus, patria Athenienſis, patre Philoſopho, Antonino Pio imperante, Teleſphoro ſucceſsit.

*Laudes Antonini Pij Imp.*

Addere verò aliquid etiam de laudibus Pij, antequam ad Hyginū veniam, hominis virtus me cogit. Qui adeo moderatæ gloriæ fuit in re militari, vt defendere magis prouincias quàm augere ſtuderet: vtq; hanc Scipionis ſentētiam ſæpius vſurparet ac diceret, Malle ſe vnum ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes occidere, contra Domitiani inſtitutum, qui populi Romani exercitum hoſtibus obijciebat, quò rarior in patriam reuerteretur, adeo multitudinem oderat, & reformidabat ob eius ſæuitiam. Tantæ autem iuſtitiæ Pius fuit, vt multi reges, multæq; nationes poſitis eius iuſſu armis, ad hominem controuerſias ſuas, liteſq; deferrent, eiuſdem ſententiæ ſtatim parerent. Ob hæc autem merita quæ maxima ſunt, populus Romanus mortuo & flaminē, & circenſes, & templum, & ſodales Antonianos, lachrymantibus omnibus, conſtituit.

At Hyginus vrbis Romæ epiſcopus, tùm maximè clerum prudenter in ordinem rede[illegible]it, gradus diſtribuit, inſtituitque ne templa ſine celebratione dedicarentur, néue augerentur diminuerenturque ſine arbitratu metropolitani vel epiſcopi. Vetuit item ne tigna, reliquáue materies ad ædificanda templa congeſta, in prophanos vſus conuerteretur, poſſe tamen ad ſtructuram alterius templi vel cœnobij, concedente epiſcopo, transferri. Voluit item vnum ſaltem patrimum vnámue matrimam baptiſmo intereſſe: ſic enim eos appellant, qui infantes tenent dum baptizantur, licet reuera patrimus & matrima aliud ſignificent. Eſt enim patrimus (teſte Feſto) qui cum pater ſit, patrem adhuc habeat: idem de matrima dicendum eſt. Inſtituit præterea ne metropolitanus epiſcopum prouinciæ ſuæ alicuius criminis reum faceret & damnaret, niſi prius à prouincialibus epiſcopis cauſa diſcuſſa & cognita fuiſſet. Sunt tamen qui hoc poſtremū Pelagio Pontifici aſſcribant. *Polycarpus Ioannis Apoſtoli diſcipulus.* Huius quoq; tempore fuit & Polycarpus Ioannis Apoſtoli diſcipulus, Smyrnæus epiſcopus ab eo creatus, ac totius Aſię religione & doctrina tùm facile princeps. Is autem Romam veniens, plurimos fidelium Marcionis & Valentini falſa perſuaſione deceptos, ad fidem reduxit. Cum autem Marcio fortè huic obuiam factus, diceret, méne cognoſcis? Reſpondit, cognoſco quidem primogenitum diaboli. Negabat enim patrem Chriſti Deum eſſe Creatorem, qui per filium mundum fecerat. Poſtea verò imperante M. Antonino & L. Aurelio Commodo, quarta poſt Neronem perſecutione Smyrnę ſedente proconſule, igni crematus eſt. Melito quoq; Aſianus Sardenſis epiſcopus, Frontinuſque oratoris diſcipulus, librum de doctrina Chriſtiana M. Antonino tradidit. Huius ingenium Tertullianus mirum in modum laudat: dicitque à pleriſque noſtrorum prophetam habitum eſſe. Scripſit & Theophilus Antiochenſis eccleſiæ epiſcopus librum contra Marcionem, imperante M. Antonino: ſcripſit & librum cōtra Hermogenis hæreſim, qui materiam nō naturam introducens, Deo non autem naturæ eandem comparauit, materiam elementorum & Deum appellans. Hyginus autem bene de Eccleſia Dei meritus, cum ordinationes ter Decembri menſe habuiſſet, creaſſetque presbyteros quindecim, diaconos quinq;, epiſcopos ſex, moritur, & apud beati Petri corpus in Vaticano ſepelitur tertio idus Ianuarij. Sedit annos quatuor, menſes tres, dies quatuor. Sedes autem quatriduo tum vacat.



### ANNOTAT.

*A S. Petro Apoſtolo vſque ad Theleſphorum omnes Pontifices ob Chriſti confeſsionem capitis pœnas dediſſe, Damaſus auctor eſt. Vulgo etiam traditur, omnes quotquot deinde fuerunt epiſcopos Romanos uſque ad ſanctum Silueſtrum martyrio vitam finiſſe, quod (ſalua ſemper veritate) à ueteribus hiſtoricis traditum non reperio. Quin etiam non ſemper quæſtiones capitis in Chriſtianos exercebantur. Traianus reſcripto ſuo inquiſitionem in nos fieri prohibuit. Hadrianus, Pius, & Marcus neminem, quod Chriſtianus eſſet, in ius uocari voluerunt, vt ex ipſorum reſcriptis, quæ adhuc extant, conſtat. Et quanquam populorum, vel præſidum rabie eiuſmodi decreta, quæ Chriſtianis fauere uidebantur, ſæpe infringerentur, & ipſi in Chriſtianos atrociſsimè deſæuirent, non tamen perpetua erat perſequutio, nec ſemper crimen capitale cenſebatur Chriſtiani nomen. Hygenius, & Pius, in optimi Principis Antonini Pij tempora inciderunt, quem & perſequutiones in nos cohibuiſſe, & Chriſtianis æquum fuiſſe refert in epitoma Dionis Xyphilinus. Matyrij inſuper ipſorum nulla in Damaſi libro mentio eſt. Inſuper extat in bibliotheca Pontificis Vaticana vetuſtiſsimus liber ante ſexcentos annos in membranis ſcriptus, in quo omnes Romani Pontifices vſque ad Silueſtrum ij. exarati ſunt, ab accuratiſsimo quodā ſcriptore collecti. in his ante S. Silueſtrum Papam Anacletus, Eleutherus, Zephyrinus, Antherus, Dionyſius, & Miltiades apertè & clarè confeſſores, reliquorum uerò pars martyres appellantur. Sunt enim aliquot, qui neque martyris neque confeſſoris adiectionem habent. Porro autem omnes hi Pontifices fortè martyres dicuntur, quod & ſi violenta morte non deceſſerint, multa tamen pro Chriſti confeſsione à furente plebe, & iniquis magiſtratibus, qui perpetuū in Chriſtianos odiū retinebāt, paſsi ſint, ſed eiuſmodi à Beato Cypriano cōfeſſores uideo appellari.*

## S. PIVS I.

*11. Pont.*

PIVS natione Italus, patria Aquileienſis, patre Ruffino, M. Antonini Veri tempora attigit, qui tum vnà cum L. Aurelio Commodo fratre annis decem & nouem imperium æquo iure adminiſtrauit.

*Marcus Antoninus Verus imp.*

Bellum autem contra Parthos ſimul ſuſceptum, admirabili virtute & felicitate geſſerunt, de hoſtibuſque triumphârunt. Verum non ita multò poſt apoplexiæ morbo è medio ſublato Commodo fratre, Antoninus ſolus imperium obtinet: quem certè ob eius præſtantem in omni genere virtutis animum, mirari facilius quàm laudare licet. Hic enim & quia à teneris annis eiuſdē animi eiuſdēq; vultus in quauis fortuna ſemper eſt habitus, & quia benignitas naturæ cū doctrina à Cornelio Frontone oratore habita, in eodē viro certabat, ab omnibus Philoſophus meritò appellatus eſt Platonis ſententia, quā ſemper (Capitolino teſte) in ore habuit ſæpius repetitam, tum demū florêre ciuitates, ſi aut philoſophi imperarent, aut imperantes philoſopharentur. Adeo autē doctrinæ auidus fuit, vt imperator etiam Apollonium philoſophum & Sextum Plutarchi nepotem, legētem audiuerit. Frontonis quoque præceptoris ſtatuam honoris cauſa in ſenatu collocauit.

*Hermes.*

Hoc tempore Pius Pontifex conſuetudinem & quidem magnam cum Hermete habuit, qui librum ſcripſit titulo paſtoris inſignitum. Quo quidē in libro angelus paſtoris perſonam induēs, ei mādat, vt omnibus perſuadeat paſcha die dominico celebrari: quod etiā fecit. Cōſtituit item Pius, ne hæreticus quiſpiā ex Iudæorū hæreſi ſuſciperetur & baptizaretur. Rogatu primo Praxedis ſanctiſsimę fœminę thermas Nouati in Vico patricij in honorem ſororis ſuę diuę Pudētianę dedicauit: Multaq; dona huic tēplo obtulit, ac ſępius eodē in loco ſacrificiū Deo præſtitit. Vbi & fontē baptiſmi cōſtituit, ac benedicens conſecrauit, multoſq; venientes ad fidē in nomine trinitatis baptizauit. Illis quoq; pœnā cōſtituit, qui negligentes ſunt in attrectando Chriſti ſanguine & corpore: Pœnitētiā (inquit) agant quadraginta dieb⁹, quorū negligētia in terrā aliqd deciderit: ſi ſuper altare, tribus diebus: ſi ſuper linteum, quatuor: ſi in aliud linteum, nouem diebus. Vbicūq; deciderit, ſi recipi poteſt, lambatur: ſin ſecus, aut lauetur, aut radatur: lotū & raſum, aut comburatur, aut in ſacrarium reponatur. Huius tēpore in precio eſt habitus Apollinaris in Aſia Hierapolitanus epiſcopus, qui inſigne volumē de fide Chri- *Apollinaris Aſiæ Hierapolitanus.*

 ſti

ſti M. Antonino ſecundo tradidit. Scripſit & in Cataphrygas, qui tunc etiā cum Priſcilla & Maximilla inſaniebant vaticinātes, incipiente tamen Mōtano quorum omniū hæc erat opinio, aduentum ſpirituſſancti non in apoſtolis, ſed in ſe traditum fuiſſe. Illis quoq; temporibus laudabatur & Tatianus vir doctiſsimus, quamdiu ab opinione Iuſtini martyris præceptoris ſui non diſceſsit. Nam poſtea inflatus opinione ſui, nouam hæreſim condidit, quā poſtea Seuerus auxit, vnde Seueriani appellati. Hi vinum non bibunt, carnes faſtidiunt, & vetus teſtamētū ac reſurrectionem non recipiunt. Præterea verò Philippus Cretenſis epiſcopus, præclarum contra Marcionem librum hoc tēpore edidit. Nam (ſicuti dixi) Marcioniſtæ Cerdonis dogma ſequebātur. Scripſit & Muſanus librum contra quoſdam, qui ad Encratitarum hæreſim declinabant: horum quidem opinio cum Seuerianis cōuenit. Omnem enim coitum ſpurcū putabant, ciboſq; damnabant, quos Deus generi humano propoſuiſſet. At verò Pius vbi in ordinationibꝰ ſuis, quę quinq; fuêre, menſe Decembri presbyteros decem & nouem, diaconos vnū & viginti, epiſcopos decem creaſſet, moritur, & apud beati Petri corpus in Vaticano ſepelitur, quinto idus Iulij. Sedit verò annis vndecim, menſibus quatuor, diebus tribus. Vacauit tum ſedes dies tredecim.

*Tatianus hæreticus.*

*Muſanus contra hæreticos.*

## S. ANICETVS.

12. Pont.

ANicetus natione Syrus, patre Ioanne de Vicomurco, vel (vt Damaſo placet) Humiſia, eiuſdem Antonini Veri tempore fuit, de quo in Pio diximus.

Quem quidem Antoninum philoſophia nequaquam à rebus in bello gerēdis retardauit. Nam Germanos, Marcomannos, Quados, Sarmatas ingenti virtute & felicitate vnà cum filio Cōmodo Antonino ſuperauit, ac triumphum egit. Iturus autē ad hoc bellum, cū non haberet vnde ſtipendia militibus præberet exhauſto ęrario, omnem imperatoriam ſupellectilē, omnemq́; ornatū vxoris in foro Traiani haſtę ſubiecit. Verùm cùm poſtea ſuperato hoſte in patriā rediſſet, emptoribus precia reſtituit. Nemini tamen moleſtus fuit, qui reddere empta noluiſſet: parta victoria, in omnes de rep. meritos liberalis fuit. Tributa quibuſdam prouincijs remiſit. Fiſcalium titulorum monumēta in foro cōgeſta cremari iuſſit. Leges ſeueriores nouis cōſtitutionibus temperauit. His rebus geſtis factū eſt, vt ab omnibus ita diligeretur amareturque, vt ſacrilegi nomen incurreret, qui eius imaginem domi non habuiſſet.

Anicetus autem eccleſiæ Romanæ conſulens, ne moribus petulantium quorundam labefactaretur, inſtituit ne clericus vllo modo comam nutriret ſecundum Apoſtoli præceptum: néue epiſcopus cōſecrari poſſet à paucioribus, quàm à tribus eiuſdem ordinis viris, quod poſtea Nicæna ſynodus confirmauit. Vbi verò Metropolitanus conſecrandus eſt, omnes prouinciales intereſſe debent. Statuit præterea (vt Ptolomæus ait) ne epiſcopus crimen Metropolitani ſui ad alium, quàm ad primatem aut ad ſedem apoſtolicam deferret, quod & dicta ſynodus, & auctoritas ſummorum pontificum deinceps confirmauit. Eiuſdem etiam inſtitutum fuit, ne archiepiſcopi niſi ex ſingulari titulo primates nominarentur. Hi autem meritò patriarchæ vocantur, ceteri autem archiepiſcopi nominentur: vel (vt quidam volunt) Metropolitani. Huius temporibus Egeſippus laudator fidei noſtræ fuiſſe dicitur, qui omnem à paſsione domini vſque ad ſuam ętatem eccleſiaſticorum operum texuit hiſtoriam ſermone ſimplici: vt quorum vitam quàm diligentiſsimè obſeruauit, eorum quoque dicendi genus imitaretur. Affirmat autem ſe Romam Aniceti tempore, decimi poſt Petrum epiſcopi perueniſſe, ac perſeueraſſe vſque ad Eleutherium, qui Aniceti quōdam diaconꝰ fuerat. Multa verò in idololatras ſcripſit, quòd tumulos mortuis tēplaq́; facerēt, vt Hadrianꝰ qui in honorē Antinoi ſerui, quē in delitijs habuerat, gymniacum agona cōſtituit apud Antinoum ciuitatem, quam de nomine ipſius cōditā vocauit, ac prophetas in templo ſtatuit. Sūt qui & Dionyſium huius ætate fuiſſe dicant. Variantur hoc loco tempora, cum alij Pium, alij Anicetum præponant: variantur



variantur & hiſtoriæ. Vtcunque ſit, in tam remota hiſtoria, tantaque maiorum negligentia, ſatius erit res ipſas paulò ante vel poſt geſtas aliqua ex parte attingere, quàm eas omnino prætermittere. Anicetus autem vbi ex ordinationibus quinque, quas menſe Decembri habuit, presbyteros nouemdecim, diaconos quatuor, epiſcopos nouem creaſſet, martyrio coronatus, ac ſepultus eſt in Calliſti cœmeterio via Appia xv. calend. Maij. Sedit annos vndecim, menſes quatuor, dies tres. Sedes verò dies ſeptemdecim poſt eius mortem vacat.

### ANNOTAT.

*Anicetum, & Victorem martyrio vitam finiſſe tradit Damaſus. Idem martyrij ſoceris, Eleútheri, & Zephyrini nullam mentionem facit, & certè ſingulorum obitus dies inquieta, & pacifica Eccleſia tempora inciderunt, & in vetuſtiſsimo bibliotheca Palatina libro apertè confeſſores, vt paulò ante dixi, vocantur.*

## S. SOTER.

SOter natione Campanus, patria Fundanus, ex patre Concordio, L. Antonino Commodo impetrante fuit. 13. Pont.

Hic enim omnibus incommodus, vt Lampridius ait, nil commune cum patre habuit, niſi, quod & ipſe contra Germanos adiuuantibus Chriſtianis militibus feliciter pugnauit. *In eo bello cum exercitus Commodi penuria aquæ laboraret, ferunt precibus Chriſtianorum militum aquam diuinitùs è cœlo miſſam, pluraque fulmina in Germanos & Sarmatas cecidiſſe, quod etiam imperator ipſe accidiſſe litteris ſuis teſtatus eſt. Ceterùm ad vrbem rediens, in omnia luxuriæ & obſcœnitatis dedecora prolabitur, nihil virtutis & pietatis habens. Gladiatorijs quoque armis in ludo, Neronem imitatus, depugnauit. In amphitheatro feris ſeſe frequenter obiecit. Plurimos quoque ſenatores interfecit, & eos maximè quos nobilitate induſtriaque excellere animaduertit.

*Hoc ſub eius patre Marco non ſub Commodo factum fuiſſe conſtat.*

Soter autem à tantis malis animum ad rem diuinam conuertens, inſtituit, ne monacha vlla pallam attrectaret, néue thus in acerram poneret dum ſacrificia fierent. Eius extabat epiſtola hac de re ſcripta ad epiſcopos Italiæ. Inſtituit item, ne legitima haberetur vxor, niſi cui ſacerdos ex inſtituto benedixiſſet, & quam parentes ſolenni pompa more Chriſtiano marito collocaſſent: quamque etiam paranymphæ de more cuſtodiuiſſent. Hoc autem conſtituit, multa pericula reijciens, quæ in nouas nuptias cadere ſolent ex præſtigijs & magicis artibus quorundam improborum. Gratianus tamen hoc decretum Euariſto aſſcribit. Vtri verò ſit attribruendum, legentes dijudicent. Non enim multum refert, illi ne an huic attribuatur. Soteris temporibus fuiſſe Dionyſium Corinthiorum epiſcopum ſcribit Euſebius, qui tantæ eloquentiæ & induſtriæ fuit, vt non ſolum ſuæ ciuitatis & prouinciæ populos, verùm etiam aliarum vrbium ac prouinciarum epiſcopos ſuis epiſtolis erudiret. Inſtructus enim Pauli Apoſtoli doctrina, facilimè potuit ſanctitate & eruditione alios in officio continere. Multa & Theodotion genere Aſianus, Tatiani diſcipulus, ad laudem religionis noſtræ tum ſcripſit. Maximè verò Appellem hæreticum ſcriptis ſuis percommodè irridet, quod Deum, quem coleret, ignorare ſe diceret. Affirmabat enim Chriſtum non Deum in veritate, ſed hominem in phantaſia, apparuiſſe. Non deſunt qui dicant Cataphrygarum hæreſim hoc tempore ortam auctore Montano. Clemens præterea Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter multa conſcripſit, è quibus illa ſunt, Stromatum, id eſt, varietatum libri octo, Hypotypoſeon, id eſt, informationum libri totidem, contra gentes vnus. Huius autem diſcipulum Originem fuiſſe conſtat. Huius quoque ætati & Pinytum Cretenſem virum eloquentiſsimum, & Oppianum, qui Halieutica ſcripſit, poëtam inſignem, & Herodianum grammaticum quidam aſſcribunt. Soter autem vbi per ordinationes quinque, menſe Decembri habitas, presbyteros octo, diaconos nouem, epiſcopos vndecim creaſſet, moritur, ac ſepelitur via Appia in cœmeterio Caliſti. Sedit annos nouem, menſes tres, dies vnum & viginti. Vacat tum ſedes dies totidem.

*Appelles hæreticus.*

*Cataphrygarum hæreſis.*

*Origenes Clementis diſcipulus.*

S. ELEV.

## S. ELEVTHERIVS.

*14. Pont.*

ELeutherius natione Græcus, patria Nicopolitanus, patre Habundio, temporibus L. Antonini Commodi fuit, cuius flagitioſæ vitæ vrbs ipſa pœnam tulit.

*L. Antonino Imp.*

Nam Capitolium fulmine ictum vnà cũ egregia illa bibliotheca maiorũ cura parata, concrematur. Aedes quoque in proximo ſitæ, eãdem calamitatem ſenſêre. Exortum eſt deinde aliud incendiũ, quo & ædes Veſtę, & palatium, bonaque vrbis pars exuſta eſt, ac ſolo æquata. Tantæ præterea temeritatis fuit, vt & ſuæ imaginis caput coloſſo permagno & egregio, priore detracto, imponi iuſſerit, & menſem Decembrem ad imitationem Auguſti Cæſaris, Cõmodum appellari voluit, quæ omnia poſt mortem eius abrogata ſunt, ipſeque mortuus, etiam humani generis hoſtis adiudicatus eſt: adeo eius vita flagitijs cõtaminata omnibus erat odio. Strangulatus in domo Vectiliani duodecimo imperij ſui anno & menſe ſeptimo, è medio ſublatus eſt.

Eleutherius autem, quem diximus Soteri ſucceſſiſſe, inito pontificatu, ſtatim epiſtolã accepit à Lucio rege Britãno, qua rogabatur, vt ſe ac ſuos in Chriſtianorum numerũ reciperet. Quare Fugatium & Damianum viros optimos eò miſit, qui regem ipſum ac populum baptizarẽt. Erant tum in Britannia põtifices quinque & viginti, quos flamines vocabant. Inter hos autẽ tres archiflamines habebantur, quorum in loco archiepiſcopi tres conſtituti ſunt, vt Ptolemæus ait. Pro toflaminum vero loco primitiua eccleſia patriarchas inſtituit. Idem etiã ſtatuit, ne quis ob ſuperſtitionem cibi genus vllum reſpueret, quo humana conſuetudo veſceretur, noluit præterea quempiã de gradu ſuo deijci, niſi accuſatus, reus criminis cõuinceretur, exemplo Saluatoris, qui errorem Iudæ, licet rei, nondũ tamen cõuicti, ita ęquo animo tulit, vt quicquid interim egiſſet, pro dignitate apoſtolatus ratum firmũq; mãſerit. Prohibuit etiam, ne abſente eo quem accuſator reum facit, vlla in cauſa decerneretur, quam quidem ſententiã & Damaſus pontifex, & ius pontificum poſtea confirmauit. Huius autem pontificatu & eccleſijs pax data eſt ac quies, & nomen Chriſtianum per omnem terram mirũ in modũ auctũ, Romę potiſsimum, vbi multi ex nobilitate Romana cum coniugibus & liberis in fidẽ recepti, baptiſmi charactere notati ſunt. Solus verò Apolloniꝰ orator inſignis, martyrium tũ paſſus eſt, habita prius oratione de laudibus Chriſtianæ fidei, quod illis tẽporibus capitale habebatur, mortuo Appollonio, multæ hęreſes inualuêre. Marcionis quippe ſecta variè diuiſa eſt. Alij enim vnũ principium fatebantur, alij duo, alij tria: & tres naturas confirmantes, fidẽ prophetis abrogabant. Florinus quoq; & Blaſtus noua contra veritatem machinabantur figmenta. Deum creaſſe mala, contra illud, Deus omnia bona fecit. Contra hos ſenſêre Quolitiani, affirmantes Deum non creaſſe mala, contra id quod ſcriptũ eſt, ego ſum Deus creans malum. Sunt qui dicant & Galenum Pergamenum medicum inſignem, & Iulianum legumlatorem, & Frontonem rhetorẽ his temporibus fuiſſe, quod ego in tanta perturbatione temporũ & hiſtorię, nec affirmo, nec refello. De Modeſto verò & Bardeſane affirmare auſim: quorũ alter in Marcionem ſcripſit, alter verò in Valentinum. Nam cuius primum ſectator fuerat, eius poſtea confutator factus eſt. Hunc Hieronymus concitatiſsimum in dicẽdo fuiſſe affirmat, cum eius ſcripta ex Syra lingua in Græcam conuerſa vidiſſet, & ſi inquit, tanta vis eſt in interpretatione, quãtam putabimus eſſe in ſermone proprio? Eleutherius autem vbi ex tribus ordinationibus menſe Decembri habitis, presbyteros duodecim, diaconos octo, epiſcopos quindecim creaſſet, moritur, & apud beati Petri corpus ſepelitur ſeptimo calendas Iunij. Sedit autem annos quindecim, menſes tres, dies duos: Vacat tum ſedes dies quinque.

*Appollonius orator inſignis.*
*Hæreſes multæ inualuêre.*
*Quolitiani*
*Iſaia 45.*

### ANNOTAT.

*Eleutherum, non Eleutherium, item Zephyrinum, non Zepherinum paſsim in vetuſtis codicibus, tam Græcis, quàm Latinis ſcriptum inueni.*

## S. VICTOR I.

*15. Pont.*
*Aelius Pertinax.*

VIctorẽ natiõe Afrũ, Patre Felice, fuiſſe Aelij pertinacis tẽpore crediderim. Qui quidem Aelius cum grandis natu eſſet, ſeptuageſimum enim agebat



bat annum, ex præfecto vrbis, quem magiſtratum tum gerebat, ſenatuſconſulto imperator creatur. Rogatus deinde vt & vxorem Auguſtam faceret, & filium Cęſarem appellaret, id facere recuſauit, teſtatus ſufficere, quod ipſe imperaret inuitus. At verò quoniam in imperatore nihil auaritia turpius eſt, cum illiberalis ac ſordidus haberetur, quod dimidiatas lactucas & cardos conuiuis apponeret, nemine contradicente, à Iuliano iuriſperito in palatio occiditur, imperij ſui menſe ſexto. Hic eſt ille Iulianus, qui perpetuum edictum compoſuit, quique ſeptimo menſe poſtea quàm imperare cœperat, apud pontem Miluium victus à Seuero ciuili bello, & interfectus eſt.

*Iulianus iuriſp.*

At Victor Pontifex reip. Chriſtianæ, vt par erat: curam gerens, conſtituit vt Paſcha Dominico die celebraretur ex Eleutherij ſententia (vt Damaſus ait) à quartadecima Luna primi menſis vſque in xxj. Cuius decretis obtemperãs Theophilus Paleſtinæ vrbis epiſcopus, contra eos ſcripſit qui xiiij. luna cum Iudęis Paſcha celebrabant. In hanc verò opinionem inuectus eſt Polycrates Epheſiorum epiſcopus, qui ex vetere conſuetudine, xiiij. luna cum Iudæis Paſcha celebrabat. Se enim Apoſtoli Ioannis, & veterum auctoritatem ſecutum oſtendit: Nos (inquit) inuiolabilem celebramus diem, neque addentes quicquam, nec diminuentes. Hanc verò opinionem ſecutus eſt Philippus Hierapoli mortuus: hanc Ioannes, qui ſupra pectus Domini recubuit, & pontifex eius fuit, auream laminã in fronte portans: hanc Polycarpus, Thraſeas, Melito, & Narciſſus Hieroſolymĩtanæ eccleſiæ epiſcopus. Idem quoque Victor decreuit, vt in quauis aqua baptiſmum petentes, baptizarentur, ſi neceſsitas inſtaret: hanc ob rem quidam exiſtimant concilium in Paleſtina habitum eſſe, cui Theophilus, Irenæus, Narciſſus, Polycarpus, Bacchylus, Aſianæ prouinciæ inſignes epiſcopi, interfuêre. Res tamen integra in Nicænum concilium tranſlata, in quo etiam conſtitutum eſt, vt Paſcha poſt quartamdecimam lunam celebraretur, ne Iudæos imitari videremur. Fuêre huius pontificis tempore multi doctiſsimi viri. Nam & Appiõ tum Hexameron fecit, & Paulus Samoſatenus vnà cum Theodoto Coriario, exiſtimauit Saluatorem purum hominem fuiſſe, & Sextus de reſurrectione conſcripſit, & Arabianus opuſcula edidit ad Chriſtianam doctrinam pertinentia. Iudas quoque chronographiam ſuperiorum temporum vſque ad decimum Seueri annũ conſcripſit, in qua tamen erroris arguitur, quòd aduentum Antichriſti ſuis temporibus futurum dixerit, in quem errorem ideo incurriſſe putamus, quòd & vitia hominum & crudelitatem eò perueniſſe cernebat, vt diutius tolerari humanum genus à Deo non poſſet, quæ res & Lactantium poſtea & Auguſtinum fefellit. Victor autem, compoſitis etiam quibuſdam de religione voluminibus, moritur, & apud beatum Petrum in Vaticano ſepelitur: cuius diem feſtum quinto calendas Auguſti celebramus. Sedit autem annis decem, menſibus tribus, diebus decem. At ſedes dies xij. tum vacat.

*Paſchatis celebratio.*
*Concilio in Palæſtina qui interfuerunt.*

## S. ZEPHYRINVS.

*16. Pont.*

ZEphyrinus natione Romanus, ex patre Habundio, Seueri temporibus fuit. Qui genere Afer, ex oppido Lepti vnà cum imperio cognomentum Pertinacis Iuliano cæſo accepit. Is enim fiſci procurator, mox tribunus militaris per gradus alios vſque ad imperium peruenit. Parcus admodum, natura ſęuus, multis bellis laceſsitus, fortiſsimè quidem remp. licèt laborioſiſsimè gubernauit. Ad bellicam gloriam, laudem quoque litterarũ addidit, philoſophiæ admodũ ſtudioſus. Foris Parthos & Adiabenos ſuperat. Arabas aũt interiores ita cecidit, vt regionẽ eorũ prouinciam Romanã faceret. Hãc ob rem triumphãs, vt in eius arco ſub Capitolio poſito adhuc apparet, Parthicus, Arabicꝰ, Abdiabenicus, cognominatur. Aedificijs præterea publicis vrbem exornauit. Nã & thermas Seuerianas & Septizonium extruxit, nõ longè à Circo maximo Palatinũ inter & Cælium montem. Paululum autẽ abfuit, quin Pauli ſecũdi põtificis iuſſu lapicidę quidã ſuperioribus annis eã partem Septizonij, quæ adhuc extat, demolirẽtur.

*Seuerus imperat.*

At Zephyrinus pontifex rei diuinæ magis, quàm humanæ intentus, cõſtituit, vt aſtantibus clericis & laicis fidelibus, & leuita & ſacerdos ordinaretur, quod poſtea

ſtea in Chalcedonenſi cōcilio confirmatum eſt. Statuit item, vt conſecratio diuini ſanguinis in vitreo vaſe, non autem in ligneo, vt antea, fieret. Hæc quoque inſtitutio ſequentibus temporibus immutata eſt. Vetitum enim eſt, vt neque in ligno fieret propter raritatem, qua ſacramētum imbibitur, neque in vitro propter fragilitatem, neque ex metallo ob tetrum ſaporem, quem inde concipit: ſed fieri voluêre ex auro argentóue, aut ex ſtanno, vt in Triburienſi & Remenſi cōcilio ſcriptum apparet. Idem præterea inſtituit, vt omnes chriſtiani annos pubertatis attingentes, ſingulis annis in ſolenni die paſchæ publicè communicarent. Quod quidem inſtitutum Innocentius tertius deinceps non ad communionem ſolùm, verumetiam ad confeſsionem delictorum traduxit. Mandauit item, ne epiſcopus, vel à patriarcha, vel à primate, vel à metropolitano ſuo in iudicium vocatus, ſine auctoritate apoſtolica damnaretur. Voluit poſtremo, presbyteros omnes adeſſe celebrante epiſcopo, quod etiam (vt dictū eſt) Euariſto placuit. Huius autem temporibus fuêre & Heraclius, qui in Apoſtolum commentarios ſcripſit, & Maximus, qui famoſam quæſtionem inſigni volumine diſcuſsit, & Candidus qui Hexameron compoſuit, & Origenes, qui decimo Seueri Pertinacis anno perſecutione in Chriſtianos mota, Leonida patre interempto, quem ipſe adolescēs ad martyrium adhortatus eſt, cum ſex fratribus & matre vidua, pauper relinquitur, redactis in fiſcum paternis bonis, quod Chriſtum verum Deum profiterentur, vnde grammatica ſibi ac ſuis victum quæſiuit. Diſcipulum autem Plutarchum habuit, qui poſtea martyrio coronatus eſt. Totus deinde ad religionem conuerſus, catechizandi, hoc eſt, prædicandi officium habuit. Tāti autem ingenij fuit, vt nulla eum lingua, nulla literatura latuerit. Mira vtebatur cōtinentia in cibo & potu, abſtinentia in rebus alienis. Nam & paupertatem Chriſti imitatus eſt, & multis annis nudis ambulauit pedibus: illud quoque, quod in euangelio dicitur, ſecutus eſt, etſi puerile habetur, quia ſunt eunuchi qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum Dei. *Matth. 19.* Huius virtutem plerique imitati, martyrium pro fide Chriſtj æquo animo paſſi ſunt: maximè verò Potamiena mulier, calida pice in caput eius fuſa. Zephyrinus autem cum ex ordinationibus quatuor, menſe Decembri habitis, presbyteros tredecim, diaconos ſeptem, epiſcopos tredecim creaſſet, moritur Seueri tempore: ac in via Appia non longe à cœmeterio Calliſti ſepelitur ſeptimo calendas Septembris. Sedit autem annos octo, menſes ſeptē, dies decem, vacat tum ſedes dies ſex.

## S. CALLISTVS I.

*17. Pont.* CAlliſtus natione Romanus, patre Domitio, ex regione vrbis Rauennatum, vſque ad Seueri tēpora peruenit, cuius cū animo fortuna mutata eſt.

Nam vbi quintus à Nerone perſecutionē in Chriſtianos mouet, continuo varijs periculis & bellis diſtrahitur: hinc à Peſcennio Nigro, qui magnos in Syria motus concitauerat: hinc à Clodio Albino, quem tamen in Gallia non incruento prælio ſuperauit. Inde verò in Britanniam profectus, deficientibus fere ſocijs omnibus, varijs caſibus afflictatus, apud Eboracum Galliæ moritur anno imperij ſui decimoſeptimo, duobus filijs relictis, Baſsiano & Geta: quorum Geta hoſtis publicus iudicatus eſt ac interfectus, cū ob vitam eius omnibus probris contaminatam, tum vel maxime, * quia Papinianū iuris ciuilis alterū aſylū, ſua manu necauerat. *Hoc à Caracalla, nō à Geta factum.* At Baſsianus ſumpto à ſenatu Antonini nomine, imperio potitus eſt: ac Caracallæ cognomentum accepit à genere veſtis, quam populo dono dedit. *Caracalla.* Is autem patre aſperior, & omnium libidine intemperantior, nullū genus facinoris in vita prætermiſit. Nam & fratrem Getā occidiſſe putatur, licet Geticum triumphū eius nomine duxerit, & nouercam ſuam in vxorē duxit. Nihil egregium de ſe reliquit pręter thermas Antoninianas, quas ipſe inchoauit, & Alexāder perfecit: muniuit & viam Nouam. Eos præterea capitali pœna affecit, qui remedia quartanis ac tertianis collo geſtarent. Damnati præterea ab eo ſunt, qui ſtatuas minxiſſent. Hic poſtremò dum bellum in Parthos mouet, inter Edeſſam & Charras ab hoſtibus circumuentus, occiditur ſeptimo imperij ſui anno, dum leuandæ veſicæ cauſa ex equo deſcendiſſet.





Calliſtus autem Pontifex in tanta rerum perturbatione tamq́ue ſceleratis imperatoribus, nequaquam ab inſtituto ſuo diſcedens, conſtituit, vt ter in anno ieiunaretur, die ſabbati, præſertim frumenti, vini & olei gratia, ſecundum prophetiam, videlicet quarto menſe, ſeptimo & decimo, inchoando annū Hæbræorū more. *Pſalm. 4.* Verùm poſtea mutata ſentētia, id in quattuor anni tēpora tranſtulit, in vernale ſcilicet, æſtiuale, autumnale & hyemale, quib⁹ tēporibus deinceps ratio ſacrorum ordinum habita eſt, cum antea id quidem tantummodo Decembri menſe fieri conſueuiſſet. *Ieiunium quatuor temporum* Idem quoque inſtituit, ne clericorum delatores & accuſatores vel infames, vel ſuſpecti, vel inimici, in accuſationibus & iudicijs reciperentur. Eos verò hæreticos putauit, qui arbitrantur ſacerdotes poſt crimen admiſſum, etiam ſi dignam pœnitentiam ſubijſſent, ad priſtinos honores redire non poſſe. Hunc ædificaſſe baſilicam in Tranſtiberina regione in honorem beatæ Virginis, Damaſus ſcribit. Non tamen crediderim hanc illam eſſe, quam hodie tam celebrem & amplam cernimus, cùm ea tempeſtate ob crebras perſecutiones occulta eſſent omnia, & ſacella potius, atque eadem abdita, & plerunque ſubterranea, quàm apertis in locis ac publicis fierent. Cœmeterium quoque de ſuo nomine condidit via Appia, eo loci vbi multorum martyrum cineres antea repoſiti fuerant. Vnde mirum cuipiam videri non debet, ſi prius multos eiſdem in locis ſepultos diximus, cum nomen illud poſtea à notiore perſona traxerit. Inuiſi ego hæc loca cum amicis quibuſdam religionis cauſa. Viſuntur adhuc cineres & oſſa martyrum, viſuntur ſacella, vbi priuatim ſacrificia fierent, quæ publicè quorundam imperatorum edicto exhiberi Deo non poterant. Huius temporibus fuit Tertullianus Afer, Centurionis procōſularis filius, quē Hieronymus primū poſt Victorē & Apolloniū inter doctos Latinos cōmemorat. *Tertullianus.* Acris enim ingenij fuit, multa volumina ſcripſit: Vidi ego, (Hieronym⁹ inquit) Paulū quēdam Cōcordiæ, quod oppidum Italiæ eſt, qui ſe beati Cypriani notariū, cum ipſe admodū adoleſcens eſſet, Romę vidiſſe diceret, referretq́; Cyprianū nūquā abſq; Tertulliani lectione vnam diem præterijſſe. Is verò cum vſque ad mediam ætatē presbyter manſiſſet, inuidia deinceps cōtumelijs clericorum Romanæ vrbis, ad Mōtani doctrinam lapſus, cōtra eccleſiam volumina compoſuit, maximè verò de pudicitia, de monogamia, de ieiunijs. Scripſit & contra Apolloniū libros ſex. Eiſdem quoq; temporibus multa præclarè geſsit Origenes. *Origenes multa præclara geſsit* Nam & Hebioneorū hæreſim impugnauit: qui & Chriſtum ex Ioſeph & Maria natum, purum eſſe hominē dicebant, & legem iudaico ritu ſeruandam pręadicabant. Hoc idem & Symmachus ſentiebat. Traduxit etiam ſua doctrina ad veram fidē Ambroſium quēdā Valentiniani dogmatis (vt ait Euſebius) imitatorem, vel (vt Hieronymo placet) Marcionitē, cui pro Theoctiſto presbytero liber Origenis de martyrio inſcribitur. Hunc quidem etſi hoſtem ſibi Porphyrius deſumpſerit, Chriſtiani nominis acerrimus perſecutor, ita tamen interdū laudat, vt nunc doctiſsimū, nūc philoſophorum principem vocet: & cum dicat eum omnia Platonis ſecreta cōſecutum, carpit tamen quod religioni Chriſtianæ ſe addixerit. Scripſiſſe Origenē ad ſex millia volumina librorū, Hieronymus ipſe refert. Errauit tamen (vt eidē & Auguſtino placet) in pleriſq;, maximè verò in libro de principatu, quē Periarchō appellauit. Hunc verò & Pamphylus martyr, & Euſebius, & Ruffinus Aquileienſis presbyter, mirificè commēdant. At Calliſtus vbi ex ordinationbus quinquies per menſem Decembrem actis, presbyteros ſedecim, diaconos quatuor, epiſcopos octo creaſſet, martyrio coronat⁹ eſt, ac ſepultus in cœmeterio Calepodij via Aurelia, tertio ab vrbe milliario, pridie idus octobris. Sedit annos ſex, menſes decem, dies decem. Vacat tum ſedes dies ſex.

## S. VRBANVS I.

VRbanus natione Romanus, patre Pontiano, M. Aurelio Antonino imperatore fuit, anno Chriſti ducenteſimo vigeſimo ſexto, ab vrbe verò condita, noningenteſimo & ſeptuageſimo. *18. Pont.*

Hic autem (vt putabatur) Caracallæ filius (Erant enim qui dicerent eum vulgò conceptū) Romam veniens, magna omnium expectatione imperiū adeptus.

*Marcus Antoninus Imp.*

Elagabuli nomẽ ſumpſit à Sole, cuius ſacerdos erat ædito tẽplo. Phœnices enim Elagabulũ ſolem vocant. Verùm ita pręter expectationẽ is uixit, vt nullam de ſe, niſi flagitiorũ, totiusque obſcœnitatis memoriã reliquerit. Nã & in virgines Veſtales inceſtum cõmiſit, & probroſas mulieres ſemper domi habuit, & iracundia incitatus, Sabinum conſularẽ virum (ad quem Vlpianus ſcripſit) è medio tolli iuſsit. Dignitates autem & honores malis ac flagitioſis committebat, quos quidem ita aliquando deridebat, vt cum ſecum accubuiſſent, ſtratis follibus in cœna, eiſdemque reflatis, ſubito ſub menſa omnes reperirentur. Ita autem inhoneſtè ridebat, vt publicè in theatro ſolus audiretur. Primus Romanorum holoſerica veſte, menſis, ac capſis argenteis vſus eſt. Admonentibus amicis, cauerét ne ad inopiam redigeretur, reſpondit: quid melius, quàm vt ipſe mihi hæres ſim & vxori meæ? Eò veſaniæ interdum prouectus eſt, vt decem millia pondo aranearum collegerit, qua ex re dicebat magnitudinem vrbis Romæ comprehendi poſſe. Exhibuit pręterea decem millia murum, mille muſtelas, mille ſorices. Hac verò inſania adeò contemni cœptus eſt, vt tumultu militari exorto, ipſe cum matre necaretur. Aiũt cũ ei à ſacerdotibus Syrijs dictum eſſet, vi moriturum, eũ paraſſe funẽ ſerico & cocco intortum, quo vitam laqueo finiret. Moritur autem quarto imperij ſui anno, quo tempore in Palæſtina Nicopolis vrbs, quæ prius

*Nicopolis.*

Emmaus dicebatur, condita eſt, legationis induſtriam eius rei gratia ſuſcipiente Africano rerum ac temporum ſcriptore.

Vrbanus verò, qui huius monſtri tempore fuit, non autẽ Diocletiani (vt quidã volũt) multos ſanctitate vitæ, & doctrina ſingulari ad fidẽ traduxit. Inter hos autem Valerianum virum præſtantiſsimum, beatæ Cæciliæ ſponſum, & Tiburtiũ eiuſdem Valeriani fratrẽ, qui poſtea martyrium conſtanti animo tulêre. Quam cõditionem etiã virgo ipſa ſubijt in domo paterna, iam antea ſuo rogatu ab Vrbano Deo dicata. Eiuſdem quoq; Vrbani inſtitutũ fuit, vt eccleſia prædia, ac fundos, à fidelib⁹ oblatos reciperet, partireturque prouẽtus clericis omnib⁹ viritim, nihilq; cuiuſpiam priuatũ eſſet, ſed in cõmune bonũ, quod hodie obſoleuit, tãta eſt hominũ rapacitas & libido. Sũt qui huic attribuunt diſtinctionẽ quatuor tẽporum ac ieiuuij, quæ antea confundebantur hominũ imperitia. Huius temporibus Tryphonem Origenis auditorẽ fuiſſe conſtat, qui librum præcipue cõpoſuit de vacca ruffa in Deuteronomio. Minucius itẽ Felix, inſignis tum Romę cauſidicus dialogum ſcripſit, quo Chriſtianũ & ethnicũ diſputantes inducit. Scripſit & contra mathematicos, cuius etiam Lactantius meminit. Alexander quoq; Hieroſolymitanus epiſcopus bibliothecã illam Hieroſolymis tũ inſtituit, vnde tantum laudis cõſecutus eſt. At vbi ex ordinationibus quinquies menſe Decẽbri habitis, presbyteros nouẽ, diaconos quinq;, epiſcopos nouem creaſſet, martyrio coronatus eſt, & ſepultus in cœmeterio Prætextati via Tiburtina. Sedit annos quatuor, menſes decem, dies xij. Sedes autem dies xxx. tum vacat.

*Nihil priuatim cuiuſpiam.*

*Numeri 19 de vacca ruffa.*

## S. PONTIANVS.

*19. Pont.*

Pontianus natione Romanus, patre Calpurnio, temporibus Alexandri imperatoris fuit, anno ab vrbe condita. DCCCCLXXIIII. anno verò Chriſti CC. & XLV.

Inter imperium verò Elagabuli & Alexãdri, tres imperatores ſunt habiti, Macrinus, Diadumenus, & Albinus: quorũ nomina prætermittere inſtitui, cũ quia parum imperârunt, tum vel maximè, quia nihil memoria dignũ geſsêre, ſolus tamẽ Albinus ob edacitatem nomen aliquod apud poſteros conſecutus eſt, vt ait Cordus, qui centũ perſica Campana, decem melones Oſtienſes, quingentas ficus paſſarias, quadringẽta oſtrea vna cœna comedebat. Sed omittamus hæc mõſtra, ad Alexandrũ venio vnicum virtutis exemplar, qui ſenatus ac militũ ſtudio imperator creatus, ad cõponendam remp. vitio ſuperiorũ principũ labefactatã, animum adiecit. Adiutores autẽ ad hanc rem habuit, Iuliũ Frõtinũ virum doctiſsimũ, Vlpianum & Paulum viros in iure ciuili præſtantiſsimos. Iuſtitiam verò ita coluit, vt nemo vnquam de illata ab eo iniuria queſtus ſit. Procul omni põpa & ambitione vixit, vnde ſemel tantũ dũ conſul eſſet, picta toga vſus eſt. Si quis autẽ inter ſalutãdũ caput flexiſſet, aut blandius aliquid dixiſſet, vt adulator reijciebatur.

*Alexander vnicum virtutis exemplar.*

tur.



tur. Erat præterea tantæ prudentię, vt à nemine decipi poſſet: vnde Turinũ qui munera accipiebat, quòd magnę eſſe auctoritatis apud imperatorẽ videretur, in foro Trãſitorio ad palum alligatum fumo necari iuſsit, pręcone clamãte: Fumo punitur, qui fumũ vẽdidit. Pecunias autẽ, quarũ mater Mammęa, vt mulier, ſtudioſa fuit, omnino cõtempſit. Gemmas reiecit, vt res muliebres, dictitãs in Virgilio (quem Platonem poëtarũ vocabat) plures & meliores gemmas eſſe. Lenonum vectigal & meretricum & exoletorũ, in ſacrum ęrariũ inferri vetuit, idque ſumptibus publicis aſsignãdum cẽſuit, quo & theatrum & circus & amphitheatrũ & ſtadium inſtaurarentur. Statuas ſummorum virorum vndiq; cõquiſitas, in foro Tranſitorio locauit: Thermas verò Antonini Caracallę, quę hodiè Antoninianę vocãtur, perfecit & ornauit. Templum Chriſto ędificare voluit, eũq; inter Deos recipere. Habuit pręterea Chriſtum ipſum, Abraham & Ophreum in larario ſuo. Alexãder igitur tot virtutibus inſignis, iuuenis admodũ imperator creatus, bellum ſtatim contra Perſas ſuſcepit, ac Xerxem eorum regem cõſtantiſſimè vicit. Diſciplinę verò militaris adeò ſeuerus emendator fuit, vt quaſdam etiam integras legiones exauctorauerit. Qua ſeueritate factum eſt, vt militari tumultu apud Maguntiacum in Gallia occideretur.

Pontianus autẽ Pontifex Romanus, inſtigantibus ſacrificulis idolorũ, mandato principis ab vrbe Roma in Sardiniam inſulam cũ Philippo presbytero deportatur, eo potiſsimũ tẽpore, quo Origenes Germanũ presbyterũ Antiochenũ, & Beryllum Arabiæ epiſcopum, ab hæreſi ad veritatem reduxit. Negabat Beryllus Chriſtum ante incarnationẽ fuiſſe. Aliqua opuſcula hic ſcripſit, maximè verò epiſtolas aliquot, quibus Origeni pro ſana doctrina gratias agit. Extat & dialogus Origenis, & Berylli, in quo Beryllum hæreſeos arguit. Tanti aũt ingenij fuit Origenes & doctrinæ, vt ſeptem notarij ſibi inuicem ſuccedẽtes, homini vix ſufficerent. Librarios habuit totidem, & puellas apprimè eruditas, quos omnes ingenij copiam & vbertatem effundendo defatigabat. Ab Antiochia verò accerſitus Romam à Mammæa Alexandri matre, in quam filius vnicè pius fuit, in precio habitus Origenes, mulierẽ Chriſtianam fidem edoctam relinquens, Antiochiam redijt. Pontianus verò multas calamitates & grauia tormenta pro fide Chriſti in Sardinia paſsus, tandem moritur: cuius corp⁹ poſtea à Fabiano pontifice Romam cum magna veneratione ac totius cleri ſupplicationibus reportatum eſt, ac ſepultum via Appia in Calliſti cœmeterio. Hic autem ex ſacris ordinibus bis menſe Decembri habitis, ſex presbyteros, diaconos quinque, epiſcopos ſex creauit. Vixit autem in Pontificatu annis nouem, menſibus quinque, diebus duobus. Vacat tum ſedes à martyrio eius dies decem.

*Librarij. Origenis.*

### ANNOTAT.

*Pontianum in exilio Sardinienſi naturali morte, Calliſtum verò, Vrbanũ, Anterum, Fabianum, Cornelium, Lucium, Stephanum, & Xyſtum II. martyrio vitam finiſſe tum ipſa tempora, qua Chriſtianis horribilia perſequutionum immanitate fuerunt, tum omnes penè quotquot extant veteres ſcriptores declarant.*

## S. ANTERVS.

*20. Pont.*

Anterus natione Græcus, patre Romulo, Pontifex creatur Maximino imperãte, qui anno ab vrbe condita. DCCCCLXXXVII. ex corpore militari, poſteaquam bellum in Germania proſperè geſſerat, ſine vlla ſenatus auctoritate imperator electus eſt.

Fuit autem ingentis ſtaturæ vir, adeò vt pedes octo excederet. Pedem habuit tãtæ magnitudinis, vt poſtea in prouerbij locum ceſſerit, cũ de lõgis & ineptis hominibus loquimur, Maximini caligam requirit. Pro annulo autẽ vxoris dextrocherio vtebatur. Tãtę verò bibacitatis erat, vt vini amphorã vna cœna biberet. Verum cùm ſextus à Nerone Chriſtianos cædibus perſequeretur, tertio anno poſteaquam regnare cœperat, à Pupieno Aquileiæ quã obſidebat, vnà cũ filio Maximino interfectus, perſecutioni ſimul & vitæ finem impoſuit, Mãmææ mulieris Chriſtianæ & Origenis mortem permaximè cupiens. Fuerunt in ea obſidione

*Adagium.*

*Maximinus Imp.*

 Aquilei-

Aquileienſes fœminas funes ex capillis ſuis feciſſe, cum nerui deeſſent aut funes, ad emittendas ſagittas. Vnde in honorem matronarum, templum Veneri Caluæ ſenatus dedicauit.

*aliàs arcario.*

Anterus autem primus ſtatuit, vt res geſtę martyrum diligenter exquiſitę à notarijs ſcriberentur: cōſcriptas recondi in* ærario eccleſię mandauit, propter Maximū quēdam, qui martyrio coronatus eſt, ne vnà cum vita bene agentium memoria aboleretur. Cenſuit item, epiſcopum omiſſo primo epiſopatu ad aliū neceſsitatis cauſa & vtilitatis, non ſuijpſius, ſed creditarum ouium poſſe transferri, interpoſita ſummi pontificis auctoritate, quod hodie à pleriſq; cōtra fit: ad vtilitatem enim propriam reſpiciētes, imò voluptatem, vt habeant vnde expilēt, ad vberiorē ſemper reſpiciunt. Nō quòd oues, & qua ratione paſcendę ſint quærentes, quod eſt officiū boni paſtoris, ſed ſciſcitātes quantū ſingulis annis inde excerpi poſsit. De cura animarū parua fit mentio, de augendis prouētibus magna: quò multa iumenta & plures ſeruos, ac eos quidē ignauos & ſtolidos, domi alant. Huius aūt temporibus Iulius Africanus fuit inter ſcriptores nobilis, conſtituta etiā (vt Euſebi⁹ ait) Cæſareæ ſuo nomine inſigni bibliotheca. Hic ſub M. Aurelio Antonino legationē ſuſcepit pro inſtauratione Emmaus, q̄ poſtea Nicopolis appellata eſt, vt ante diximus. Scripſit item epiſtolam ad Origenem, qua oſtendit fabulam Suſannæ apud Hebræos non haberi, contra quem poſtea Origenes ob hanc rem grandem epiſtolam ſcripſit. Geminus quoque Antiochenę eccleſiæ presbyter, & Heraclas Alexandrinæ eccleſiæ pontifex, tum quidem in precio ſunt habiti. Anterus verò vno tantummodo epiſcopo creato, martyrium ſubiens, in cœmeterio Calliſti via Appia ſepelitur, tertio nonas Ianuarij. Sedit ānis vndecim, menſe vno, diebus duodecim. Vacat tum ſedes dies tredecim.

*Epiſcopus nō ſua ipſius cauſa transferri ad alium epiſcopatū poteſt.*

## S. FABIANVS.

*21. Pont.*

FAbianus natione Romanus, ex patre Fabio, à Gordiano & Philippo vſq; ad Decium imperatorem peruenit.

*Gordianus imp.*

Gordianus enim imperium adeptus, cum Parthos iam erumpentes ingenti clade ſuperaſſet, ad triumphū rediens, à Philippis necatur. Cuius hæc fuit præcipua laus, quòd ad ſexaginta duo millia librorum in bibliotheca habuiſſe dicitur. Philipp⁹ aūt anno ab vrbe cōdita noningēteſimo nonageſimo ſeptimo, reductis militū copijs è Syria, in Italiā vnà cū filio Philippo annos quinq; imperat. Hunc aūt primū imperatorē Chriſtiani habuêre: qui quidē myſteria adire nūquā eſt auſus, niſi cōfeſſus. Poſt tertiū verò imperij ſui annū, milleſimus ab vrbe cōdita ānus impletus eſt, vnde & ſęculares ludi celebrati ſunt, qui cēteſimo quoque anno repetebantur: inſtituti à Valerio Publicola poſt exactos reges, à ſæculo nomen ducentes, quod eſt humanæ vitæ ſpatiū. Hi tamē Decij fraude, licet diuerſis in locis, interfecti ſunt: nā Philippus pater Veronę, ſed Romę filius occiditur.

Fabianus autem Pontifex ſeptem diaconis regiones diuiſit, qui à notarijs martyrum res geſtas colligerent ad cęterorum exemplum, qui Chriſti fidem profitebantur. Idem quoque in cœmeterijs pro dignitate martyrium ædificauit. Statuit pręterea, vt ſingulis quibuſq; annis in cœna domini chriſma renouaretur, ac vetus in eccleſia combureretur. Huius tempore exorta eſt Nouatiana hęreſis. Nouatianus enim vrbis Romæ presbyter, ob cupiditatē epiſcopatus, omnia diuina atq; humana miſcebat, ne in man⁹ Cornelij, qui Fabiano ſucceſsit, pōtificat⁹ deueniret. Ab eccleſia enim ſeparat⁹, ſe met ac ſuos καθυρούς, id eſt, mūdos appellabat. Negabat apoſtatas etiā pœnitētes, recipiēdos eſſe. Hāc ob rem Romę cōciliū ſexaginta epiſcoporū, totidē presbyterorū cum diaconis pluribus habitū eſt, quo Nouatiani opinio vt falſa improbatur, quòd Saluatoris exemplo nemini pœnitēti denegāda ſit venia. Eiſdem quoq; tēporibus Origenes hæreſim quorūdam ſuſtulit, affirmantiū animos hominū vnà cū corporib⁹ interire, rurſumq; in anaſtaſi (quam noſtri reſurrectionē vocant) vnà cum corporibus ſuſcitari. Suſtulit & hęreſim Helcheſaitarum, qui Paulū apoſtolum omnino reſpuunt: quique aſſerunt negantē in tormentis Chriſtū, nihil criminis habiturū, modo integri & recti ſit cordis. Scripſit etiam idem auctor in Celſum Epicureū Chriſtianos impugnātē.





Litteras quoq; de fide ad Philippum & Seueram eius vxorē dedit. Ad Fabianū poſtremo de ordine fidei multa conſcripſit. Alexāder verò Cappadociæ epiſcopus, cùm deſiderio ſacrorū locorum Hieroſolymā perrexiſſet, cogitur à Narciſſo eiuſdē vrbis epiſcopo iam ſene, adminiſtrationē epiſcopatus ſecum ſuſcipere. Verū ſub Decio ardente perſecutione, quo tempore Babylas Antiochiæ martyriū paſſus eſt, Cęſarēā ductus, ob confeſsionē Chriſti necatur. At Fabianus Pontifex, cui dum Anthero ſucceſſor quæreretur, colūba vt creditū eſt, ſupra caput aſtitit eiuſdem formæ qua illa viſa eſt, quę ſpiritum ſanctū ſupra caput IESV ad Iordanem detulit, martyrio coronatur, vbi ex quinque ordinationibus mēſe Decēbri habitis, presbyteros duos & viginti, diaconos ſeptem, epiſcopos vndecim creaſſet, ſepultus eſt autem in cœmeterio Calliſti via Appia xiiij. calendas Februarij. Sedit annos xiiij, menſes vndecim, dies vndecim. Vacat autem ſedes diebus ſex.

## S. CORNELIVS

*22. Pont.*

COrnelius natione Romanus, patre Caſtino, Decij temporibus fuit.

*Decius imp. mouet perſecutionē in Chriſtianos.*

Qui in Pannonia inferiore Budaliæ natus, interfectis Philippis, imperium ſumpſit, odio in Chriſtianos exardens, propter Philippos eiuſdem ſectæ imitatores. Verùm cum poſtea biennio cum filio Cæſare imperaſſet, à barbaris opprimitur, adeò vt eius cadauer nuſquam repertum ſit. Digno certè damnatus iudicio, qui ſeptimā poſt Neronem perſecutionem in Chriſtianos mouēs, multos ſanctiſsimos viros interemit.

At verò ſub epiſcopatu Cornelij, qui apoſtatas recipiendos cenſebat, pœnitentes præſertim, Nouatus Nouatianum extra eccleſiam ordinauit, & in Africa Nicoſtratū: quam ob rem cōfeſſores qui à Cornelio ſeceſſerant, cū Maximo presbytero ac Moyſe ſentiētes, ad eccleſiam reuerſi, veri confeſſoris nomē adepti ſunt. Verùm poſtea inſtantibus hæreticis, Cornelius Cētumcellas in exiliū mittitur, ad quē Cyprianus Carthaginenſis epiſcopus in carcerem cōiectus litteras mittit, quibus intellexit & amici calamitatem, & exilij ſui confirmationē. Extāt & aliæ Cypriani ad Corneliū epiſtolę, plenę religionis fidei, ſed illa potiſsimū elegās habetur, qua Nouatū diſcipulū quēdam ſuū accuſat & damnat. De eadē quoque hęreſi & Dionyſius Alexandrinę vrbis epiſcopus, Origenis olim auditor, ad Corneliū ſcripſit. Nouatianum præterea alia epiſtola reprehendit, quòd à cōmunione Romanæ eccleſię diſceſsiſſet, quodq; etiā ſe inuitū ad pontificatū obeundū diceret eſſe deductū. Tum ille, ſi inuitus Nouatiane (vt dicis) deſignatus es, probabis, cū volēs ſeceſſeris. Cornelius autē priuſquā in exiliū mitteretur, inſtante Lucina matrona ſanctiſsima, corpora Petri & Pauli è catachumbis, vbi minus tuta eſſe videbantur, noctu leuauit. Paulum Lucina in prædio ſuo via Oſtienſi collocat, eò loci vbi interfectus fuerat: Petrum verò Cornelius apud locum reponit, vbi crucis martyrium ſubierat, in templo Apollinis ad radices aurei montis tertio calēdas Iulij. At verò Decius vbi intellexit Cornelium litteras à Cypriano accepiſſe, eum à Cētumcellis Romā perduci iubet, quem ita in Telluris tēplo, aſtātę vrbis præfecto, alloquitur: Sic (inquit) obſtinate vitam ducere inſtituiſti, vt neq; Deos cures, neq; præcepta vel minas principum timeas, & cōtra rempub. litteras arripias ac mittas? Huic Cornelius: De laudibus Chriſti, de ratione redimēdorū animorū, non de imminutione imperij, litteras accepi & reddidi. Tum Decius iratus, ſanctiſsimum virum plumbatis cædi, genus id flagelli eſt, atq; deinceps ad templum Martis duci iubet, vt ſimulacrū eius adoraret: id ſi facere abnueret, pœna capitali afficeretur. At vir ſanctus dū ad ſupplicium duceretur, omnia bona ſua Stephano archidiacono commiſit. Poſt hoc verò tertio nonas Maij obtrūcatur. Huius corpus beata Lucina vnà cum quibuſdā clericis noctu ſepeliuit in harenario prædij ſui, via Appia nō longe à cœmeterio Calliſti. Sunt qui ſcribāt hūc pōtificem ſub Gallo & Voluſiano paſſum. At ego multo magis Damaſo credo, qui Decij iuſſu hoc factum affirmat. Cornelius autem menſe Decembri ſacrorū initiādorum poteſtatem bis fecit, vnde presbyteros quatuor, diaconos quatuor, epiſcopos ſeptem creauit. Sedit annis duobus, menſibus duobus, diebus tribus, Sedes autem diebus quinque & triginta tum vacat.

## ANNOTAT.

*Poſt S. Fabiani obitum, & Cornelij electionem, primum in Eccleſia Romana ſchiſma fuiſſe conſtat. Nouatianus enim quidam presbyter S. R. E. ambitionis ſpiritu inflatus, Nouato presbytero Afro magni nominis viro, & quibuſdam confeſſoribus, eiuſdem Nouati dolis, & fallacijs circumuentis auctoribus (hi duo pro Chriſti fide in vinculis fuerant) Pontificatum contra Cornelium, Romæ aſſumpſit, occaſione accepta, quod Cornelium Papam, & qui conſenſiſſent, in hæreſim prolapſus eſſe diffamaſſet, cùm præter ipſius & ſociorum eius ſententiam, eos, qui idolis ſacrificauerant pœnitentes in Eccleſiæ communionem, ſuſcepiſſent. Nouati enim ſocij lapſis, & immundis ſacrificijs coinquinatis, quanquã eos dignè pœnituiſſet, ſpem omnino eccleſiaſticæ reconciliationis denegabant, Deo eiuſmodi cauſam remittentes, qui ſolus peccata dimittere poſſet. Diu autem in ſchiſmate contra Cornelium & eius ſucceſſores Romæ epiſcopus fuit. A quo hæreſis Nouatianorum manauit. Hæc Euſebius libris VI. & VII. hiſtoriæ eccleſiaſticæ, & Damaſus in vitis Fabiani & Cornelij pontificum. Huius Nouatiani in Epiſcopatu ſucceſſores Romæ vſque ad Cæleſtini Papæ pontificatum permanſerunt, à quo deinceps publicè epiſcopum habere prohibiti ſunt, vt auctor eſt Socrates libro VII. cap. XI. hiſtoriæ eccleſiaſticæ. Huius ſchiſmatis & hæreſis frequens mentio eſt, in epiſtolis ſancti Cypriani, qui hoc tempore vixit.*

## S. LVCIVS I.

*23. Pont.* LVcius natione Romanus, patre Porphyrio, imperante Gallo Hoſtiliano Pontifex eligitur.

*Gallus imp.* Gallus enim cum Voluſiano filio imperium obtinuit: quorum temporibus in vltionem Chriſtiani nominis tanta peſtis exorta eſt, vt paucę domus nedum ciuitates & prouinciæ extiterint, quæ non tantam calamitatem ſenſerint. *Valerianus & Galienus imperatores.* Verùm Gallus & Voluſianus dum contra Aemilianum res nouas agitantem, bellum ciuile moliuntur, Interamne necantur, nondum completo imperij ſui biennio. Aemilianus verò obſcuro loco natus, tertio menſe occupatæ tyrannidis opprimitur. Mox autem Valerianus in Rhetijs & Norico ab exercitu, Gallienus Romæ à ſenatu imperatores eligũtur. Quorum imperium pernicioſum Romano nomini fuit, principum ignauia, & in Chriſtianos ſæuita. Nam & Germani Rauennam vſque peruenêre, ferro ac flamma omnia vaſtantes, & Valerianus in Meſopotamia bellum gerens, à Parthis captus, in ſeruitute turpiter vixit. Eò enim vt ſcabello Sapores Perſarum rex equum inſcenſurus vtebatur: ac meritò quidem, cùm ſtatim vbi imperium arripuit, octauus à Nerone adigi tormentis Chriſtianos, idola colere, abnegãteſque interfici vbique iuſſerit. Territus autem tam claro Dei iudicio Gallienus, pacem eccleſijs tribuit. Serò tamẽ: iam enim Dei voluntate barbari omnes in fines Romanos eruperant, & tyranni quidam pernicioſi exorti ſunt, qui quod domi relictum erat ab externo hoſte, peſſundarent. Gallienus verò cùm remp. deſeruiſſet, ac Mediolani libidinibus operam daret, occiditur.

Lucius igitur mortuo Voluſiano exilij pœna liberatus, Romam veniens conſtituit vt duo presbyteri, diaconi tres vbique locorum epiſcopum comitarentur, eius vitæ & actionis teſtes. Huius autem temporibus martyriũ paſſus eſt Cyprianus, qui primo rhetoricam docuit, deinde ſuadente presbytero Cæcilio, vt Hieronymus ait, à quo & cognomen ſortitus eſt, ad Chriſtianos tranſiens, omnes facultates ſuas pauperibus erogauit. Presbyter primò, deinde Carthaginenſis epiſcopus creatus, ſub Gallo & Voluſiano martyrij pœna afficitur. Cuius vitam & martyrium Pontius eiuſdem Cypriani presbyter & exilij comes, egregio volumine compoſuit. Ante verò quàm moreretur Cyprianus, venerat in ſententiam eccleſiæ Romanæ, non eſſe rebaptizandos hæreticos, ſed ſola manus impoſitione in gratiam recipiendos. Hac enim de re inter Cyprianum & Cornelium magna fuerat olim contentio. Lucius verò antequàm ad martyrium iubente Valeriano duceretur, omnem poteſtatem eccleſiæ Stephano archidiacono ſuo permiſit. Ter autem dandis ordinibus ſacris vacauit Decembri menſe, vnde presbyteros quatuor, diaconos quatuor, epiſcopos ſeptem creauit. Sepultus eſt in cœmeterio Calliſti via Appia octaua calendas Septembris. Sedit annis tribus, menſibus tribus, diebus tribus. Dies quinque & triginta ſedes tum vacat.

S. STE-



## S. STEPHANVS I.

STephanus natione Romanus, patre Iulio, cùm iam de imperio Romano actum videretur, pontifex eligitur, eo potiſſimum tempore, quo Poſtumus in Gallia tyrannidem occupat, cum maximo reip. emolumẽto. *24. Pont.*

*Imperij vacatio.* Nam annis decem ingenti moderatione vſus, pulſis hoſtibus, prouinciam in priſtinam formam redegit. Huic deinde militari tumultu apud Maguntiacum interfecto, Victorinus ſucceſsit, vir quidem in re militari ſtrenuus: ſed dum nimiæ libidinis eſſet, & aliena matrimonia corrumperet, Agrippinæ occiditur.

Stephanus autem ad ordinandam eccleſiam conuerſus, inſtituit, ne ſacerdotes & leuitæ veſtibus ſacris alibi quàm in eccleſia, & peragendis ſacris vterentur: ne ſi ſecus facerent, pœnam Balthaſſar regis Babylonis ſubirent, qui vaſa ſacra prophanis manibus attigerat. De rebaptizandis autem his, qui ad fidẽ redijſſent eadem ſenſit quæ Cornelius Pontifex: neque vllo modo his communicandum eſſe qui rebaptizarent. Vnde Dionyſius qui antea hac de re cum Carthaginenſibus & orientalibus ſenſerat, mutata ſententia, ad Stephanum ſcribens, eum bono eſſe animo iubet, cum eccleſiæ tam Aſianæ quàm Africanæ, mutata opinione, in ſententiam Romanæ ſedis iam veniſſent. Iuuit & eccleſiam Dei illa tempeſtate Malchion eloquentiſsimus Antiochenæ eccleſiæ presbyter. *Malchion presbyter.* Hic enim contra Paulum Samoſatenum epiſcopum Antiochenum ſcripſit, quòd dogma Artemonis inſtaurare conaretur, affirmãtis Chriſtum communis naturæ hominem tantummodo fuiſſe, ſed à Maria ſumpſiſſe principium. Quæ opinio poſtea in Antiocheno concilio omnium conſenſu improbata eſt. Hac autem de re idem Malchion grandem epiſtolam nomine Synodi ad Chriſti fideles ſcripſit. Stephanus autem cum opere & verbis multos gentiles ad fidem Chriſti cõuertiſſet, conquiſitus à Gallieno, vt quidem volunt, vel ab his qui ex Deciano edicto Chriſtianos perſequebantur, vnà cum pleriſq; ſuorum ad martyrium rapitur. Capite enim mulctatus, in Calliſti cœmeterio via Appia ſepelitur, quarto nonas Auguſti, cum iam ex ordinibus ſacris bis mẽſe Decembri propoſitis, preſbyteros ſex, diaconos quinque, epiſcopos tres creaſſet. Sedit annis ſeptem, menſibus quinque, diebus duobus. Sedes autem ad dies duos & viginti tum vacat.

## S. XYSTVS II.

XYſtus ſecundus, natione Gręcus, patria Athenienſis, ex philoſopho Chriſti diſcipulus factus eſt, durante adhuc Deciana & Valeriana perſecutione. *25. Pont.*

Sed non erit à re noſtra alienum, reliquos tyrãnos, vt cœpimus, ſparſim ſcribere, quoad verum principem attigerimus. Nam Victorino in Gallia interempto, Tetricus ſenator, qui tum Aquitaniam gubernabat, abſens à militibus imperator creatur. At verò dum hæc in Gallia agerentur, per Odenatum Perſæ victi, defenſa Syria, Meſopotamia vſque ad Cteſiphontem recepta eſt.

Eaq; tempeſtate exorta doctrina eſt apud Ptolemaidẽ, quę olim Barce vocabatur, Pentapoleos ciuitatem, plena blaſphemijs in Deum patrem & in Chriſtũ, quem ſummi Dei filium eſſe negabat, primogenitumq; omnis creaturæ, ſimul etiam Spiritusſancti intellectum auferebant. Hi Sabelliani à Sabellio auctore, tam peruerſæ ſectę inuentore vocati ſunt. Quid dicam de ſpurciſsimo Cherinti dogmate? Qui poſt mille annos futuram anaſtaſim, & regnũ Chriſti in terris dicebat: vnde Chiliaſta à Græcis vocatus eſt. Is aũt quia libidinũ & cupiditatũ impatiẽs erat, voluptates ipſas in promiſsionibus futuri regni ſanctis proponebat, abundantiam ciborum, & mulierum copiam. Idem ſentiebat & Nepos in partibus Aegypti epiſcopus. In delitijs enim corporis & voluptatibus omnibus regnaturos in terra ſanctos cũ Chriſto dicebat. Hinc Nepotiani, tam turpis ſectæ imitatores, vocati ſunt. Cõfutare & extinguere has opiniones Xyſtus aliquãdo meditabatur, verũ accuſatus quod Chriſti fidem contra imperatorũ decreta prædicaret, captus ad Martis templum ducitur, vt aut Marti ſacrificet, aut ſi id facere noluerit, pœnam capitis ſubeat. Euntẽ ad ſupplicium Laurẽtius archidiaconus ita alloquitur: Quo (inquit) progrederis ſine filio pater? Quo ſacerdos optime

 ſine

ſine miniſtro properas? Cui Xyſtus, ego te non deſero fili, maiora tibi pro fide Chriſti ſuperſunt certamina, poſt triduum me ſequeris ſacerdotem leuita. Interim autem ſi quid in theſauris habes, id pauperibus diſtribue. Eodem verò die vnà cum Xyſto diaconi ſex interficiuntur: Feliciſſimus, Agapitus, Ianuarius, Magus, Innocentius, Stephanus ſexto idus Auguſti. Laurẽtius verò triduo poſt vnà cum Claudio ſubdiacono, & Seuero presbytero, & Creſcẽtio lectore, & Romano oſtiario, varijs cruciatibus necatur quarto idus Auguſti. Exuſtum igni Laurentium ferunt. Vincentius verò quem Xyſti diſcipulum fuiſſe conſtat, in Hiſpaniam profectus, huic martyrio intereſſe non potuit. Xyſtus autem in pontificatu ſuo ſacrorum ordinum poteſtatem bis fecit menſe Decembri, vnde & presbyteros quatuor, diaconos ſeptem, epiſcopos duos creauit: Xyſti corpus in cœmeterio Calliſti via Appia ſepelitur. Reliqui verò martyres iacent in cœmeterio Prætextati in agro Veranio via Tiburtina. Sedit autem Xyſtus annos duos, menſes decem, dies tres & viginti. Vacat tum ſedes dies quinque & triginta.

*Stephanus Laurentius & ceteri vocantur.*

*A N N O T A T.*

*Ita certum, & manifeſtum eſt, Xyſtum Papam II. & eius archidiaconum Laurentium cum plerisq; alijs clericis, & laicis fidelibus Romanis ſub Valeriano, & Gallieno imperatoribus martyria conſumaſſe, quam ea quæ auribus, & experientia percipi conſueuerunt: paſſim tamen eos ſub Decio imperatore occiſos fuiſſe legimus, hiſtoricorum quorundam proculdubio incuria, Decium cum Valeriano confundentium. Nam Fabianus quidem ſub Decio: Cornelius ſub Gallo, & Voluſiano: Lucius, Stephanus, & Xyſtus II. ſub Valeriano pro Chriſto capite pœnas dediſſe ex temporum ordine, atque ex aliquot epiſtolis D. Cypriani, Damaſi, Euſebijq; libris VI. & VII. hiſt. eccleſiaſticæ manifeſtè liquet.*

*Poſt Xyſti II. mortem, ob perſequutionis ſæuitiam, Romanam ſedem annum I menſes XI. & dies XV. paſtore vacaſſe tradit Damaſus, qui etiam presbyteros, vacanti eccleſiæ præfuiſſe inter pontificatus tempore refert. Sed hoc ex inſtituto in fine operis oſtendam.*

## S. DIONYSIVS.

*26. Pont.* Dionyſius, cuius originem Damaſus inueniri potuiſſe negat, ex monacho Pontifex creatus, presbyteris eccleſias & cœmeteria in vrbe Roma ſtatim diuiſit. Parochias & diœceſes foris diſtribuit, quò quiſque finibus ſuis limitibúsue contentus eſſet.

*Claudius imperat.* Huius temporibus fuiſſe Claudium exiſtimauerim: qui vbi ex voluntate ſenatus imperium ſuſcepit, Gothos annis iam quindecim, Illyricum Macedoniamq; vaſtantes, bello adortus, incredibili clade ſuperauit. Hanc ob rem in curia aureus clypeus, in Capitolio aurea ſtatua eidem à ſenatu decreta eſt. Morbo aũt correptus apud Syrmium moritur, nondum expleto biennio in imperio. Quo mortuo ſtatim Quintillus frater ab exercitu imperator eligitur, vir quidẽ vnicę moderationis, & qui ſolus fratri præferri poſſet. Is quoque decimoſeptimo imperij die interficitur.

*Paulus Samo epiſcopus.* Dionyſij verò temporibus, Paulus Samoſatenus ab orthodoxa fide deſciſcẽs, Artemonis hæreſim ſuſcitauit. Nam in Demetriani locũ Antiochenus epiſcopus creatus, ſuperbe nimium ſeſe habebat. Inter eundum enim præ ſuperbia & literas relegebat, & dictabat epiſtolas, multis conſtipato agmine præcedentibus ac ſubſequentibus, vnde propter hominis arrogantiam, Chriſtianam religionẽ pleriq; deteſtabantur. Sed quid facerent noſtra tempeſtate, qua nil vel ſuperbiæ vel pompæ, nolo dicere luxuriæ, addi poteſt, ſi tot adoleſcentes ante ambulones ſericatos & coccinatos in equis præferocibus, ac phaleratis viderent? Sicq; ſubſequentium presbyterorum turbam cernerent, chlamydibus optimi cuiuſq; coloris hinc inde ab equis deauratis pendentibus? Execrarentur eos ſat ſcio: dicerẽt nil eis cum Chriſto præter ſimilitudinẽ quandam religionis communẽ eſſe. Ad Paulum redeo, quẽ tutius reprehendere licet. Is enim inflatus opinione ſuiipſius, ac tribunal altius quærẽs, negabat Dei filiũ è cœlo deſcendiſſe, ſed à Maria cæpiſſe originẽ, & initiũ è terra habuiſſe. Hanc ob rem in cõcilio Antiocheno omniũ epiſcoporũ, qui aderant, conſenſu, publicè damnatus eſt: maximè verò Gregorij Cæſarienſis epiſcopi, viri ſanctiſſimi ſententia, qui tanto cõcilio interfuit: & poſtea pro fide Chriſti martyrij pœnam ſubijt. In Paulum verò Malchio Antiochenus presbyter multa diſſeruit & ſcripſit, quia Artemonis hæreſim (vt dixi) inſtau-

*Gregorius Cæſarieñſis epiſcopus.*



raret conabatur. Huic autem concilio propter ſenium intereſſe Dionyſius non potuit. Ea tamen de re ad eum per Maximum Alexandrinum epiſcopum latè perſcriptum eſt. Mortuus autem Dionyſius, ſepelitur in cœmeterio Calliſti, vbi ex inſtitutionibus duabus, menſe Decembri habitis, presbyteros duodecim, diaconos ſex, epiſcopos ſeptem creaſſet. Sedit annis ſex, menſibus duobus, diebus quatuor. Vacat tum ſedes dies ſex.

*A N N O T A T.*

*Huius Dionyſij eccleſia. quod ſciam, Salomonem memoriam non colit. Quem naturali morte deceſsiſſe ex eo opinor, quòd diu vixit: & nemo eius martyrium commemorat, atq; in tranquilla eccleſiæ tempora pace à Gallieno edictis publicis, Chriſtianis data, mors eius incidit. Liber quoq; bibliotheca Vaticanæ quem ſupra citaui, eum confeſſorem aperte nominat. Damaſus Felicem, & qui huic ſucceſsit Eutychianum, item Caium, Marcellinum, & Marcellum martyres prodit: ita etiam eos eccleſia celebrat.*

## S. FELIX I.

Felix natione Romanus, patre Cõſtantino, Aureliani tempore fuit. *27. Pont.* Qui anno ab vrbe cõdita milleſimo ac vigeſimoſeptimo imperiũ *Aureliani* adeptus, vir militari diſciplina clarus, Gothos apud Danubiũ graui *imp.* prælio ſuperat. In Aſiã deinde traijcĩes, Zenobiã, q̃ occiſo Odenato marito orientis tenebat imperiũ, apud Thymas haud longe ab Antiochia terrore magis q̃ prælio vincit, eamq; in triumphum vnà cum Tetrico ducit, quo apud Catalaunos ſuperato, Gallias receperat. Aureliani tamen clementia & humanitate Zenobia honorificè in vrbe conſenuit: vnde Zenobia familia Romana originem habuit: & Tetricus conſeruatus, Lucanis deinde præfuit. Ad pacis verò opera conuerſus imperator, & templum Apollinis, & muros vrbis magnificentiſſimis operibus extruit. Hic autem poſtea mota in Chriſtianos perſecutione, nonus à Nerone, de cœlo tactus inter Cõſtantinopolim & Heracleam in Zenophrurio occiditur.

Felix autem martyrum gloriæ conſulens, ſtatuit vt quotannis ſacrificia eorũ nomine celebrarentur, vtq; nullibi, quàm in ſacro loco & à viris ſacris initiatis ſacrificium, quod Miſſam appellant, celebraretur, neceſſitatem ſemper excipiens. Quòd ſi de conſecratione templi ignoratum fuerit, vtpote vetuſtate & abolitione monumentorum, conſecrari denuò mandat. Neq; enim (vt ipſe aiebat) iteratum dicitur, quod factum eſſe neſcitur. Huius tempore Manes quidam gẽte Perſa, vita & moribus barbarus, profiteri ſe Chriſtũ auſus eſt, aſcitis in ſocietatem duodecim diſcipulis, quò fidem rebus in omnibus faceret. Vt autem tum *Manes hæreticus.* impugnatur Manes ob impietatem & ſuperbiam, ita maximè laudatur Anatolius Laodicenus epiſcopus, propter religionem & doctrinã. Auſus etiam eodẽ tẽpore Saturninus eſt nouã Antiochiã condere, exercitus opera fretus. Verùm dum audacter nimium imperium quoque molitur inuadere, Apameæ tandem occiditur. Felix autem vbi repetitis ſacris ordinibus menſe Decembri, presbyteros nouem, diaconos quinque, epiſcopos quinque creaſſet, martyr via Aurelia ſepelitur, tertio calendas Iunij in baſilica, quam antea in honorem Dei condiderat, ſecundo ab vrbe milliario. Sedit autem annis quatuor, menſibus tribus, diebus quindecim. Vacat tum ſedes dies quinque.

## S. EVTYCHIANVS.

Eutychianus natione Tuſcus, patre Maximo, temporibus Aureliani fuit. *28. Pont.* Cui quidem interempto Tacitus ſuccedit, vir certè idoneus reipub. gubernandæ ob eius virtutem & integritatem. Verùm in Ponto ſexto menſe poſt adeptum imperium occiſus eſt. Florianus quoque qui Tacito ſucceſſit, *Florianus ſucceſſit Tacito.* tertio demum imperij ſui menſe, apud Tarſum occiditur.

Eutychianus autem inſtituit, vt in altari fruges benediceretur, maximè verò fabæ & vuæ. Conſtituit item, ne, qui martyres ſepelire vellent, ſine Dalmatica, colobióue purpureo id facere auderent, ſe neſciente præſertim. Sunt qui ſcribãt huius temporibus Dorotheum eunuchũ fuiſſe, virum certè Græca & Hebraica lingua doctiſsimũ, cuius doctrina mirificè delectatũ Aurelianum ferunt. Nã ita primis

primis imperij ſui annis Chriſtianis fauit, vt Pauli Samoſateni ſectam ab eccleſia ſeparauerit. Verùm poſtea malis conſilijs ſubornatus, in Chriſtianos (vt dixi) perſecutionem mouens, ſcriptis iam ea de re ad præſides prouinciarum literis, diuino iudicio interimitur. Ipſius autem Dorothei ſcripturas ſacras exponentis, auditor Euſebius etiam adoleſcens fuit. Anatolius quoque Alexandrinus Laodiceæ Syriæ epiſcopus, multæ doctrinæ vir, præclara quædam in mathematicis, & ſcriptura ſacra tum compoſuit. Inuectus eſt & in Manichæorum hæreſim, quæ tum maximè inualuerat. Hi ad reliquos errores & duas ſubſtantias introduxerunt, bonam & malam, dixêreq; animas ex Deo quaſi ex aliquo fonte manare. Teſtamentum vetus omninò reſpuebant: nouum verò aliqua ex parte recipiebant. At Eutychianus vbi ex ſacris ordinibus menſe Decembri habitis, presbyteros quatuordecim, diaconos quinq;, epiſcopos nouem creaſſet, martyrio coronatur: & in cœmeterio Calliſti via Appia ſepelitur, octauo calẽdas Auguſti. Sedit annum vnum, menſem vnum, diem vnum. Vacat tum ſedes dies octo. Sunt tamen qui ſcribant eum annis octo, menſibus decem in pontificatu vixiſſe, ſed ego multò magis Damaſo credo, qui primæ ſententiæ auctor eſt.

## S. CAIVS.

*29. Pont.*

CAius natione Dalmata, patre Caio, ex genere Diocletiani imperatoris, primùm Probi tempore fuit, deinde Caio & Carino imperantibus.

Probus autem rei militaris gloria inſignis, ſuſcepta reip. adminiſtratione, Gallias à barbaris occupatas ingenti felicitate reſtituit. Saturninum imperium vſurpare conantem in oriente, Proculum & Bonoſum Agrippinæ magna celeritate oppreſſit. Apud Syrmium tamen vir acer & iuſtus tumultu militari & licentia occiditur, anno imperij eius ſexto, poſt quem Carus Narbonenſis imperium ſuſcepit, ac biennio tenuit. Hic cum filios duos, Carinum & Numerianum ad gubernacula imperij traduxiſſet, bello Parthico captis etiã Charris & Cteſiphonte nobiliſſimis vrbibus, in caſtris fulmine ictus cõcidit. Numerianus verò, qui tum cum patre erat rediens, Apri ſoceri ſui fraude necatur. Carinus autem probris omnibus contaminatus, à Diocletiano, difficili tamẽ bello in Dalmatia victus, ſcelerum ſuorum pœnas tandem luit.

*Carus Narbonenſis.*

Caius verò ordines in eccleſia diſtinxit, quibus tanquam gradibus quibuſdam ad epiſcopatum aſcenderetur. Hi erant oſtiarius, lector, exorciſta, acolytus, ſubdiaconus, Diaconus, presbyter, epiſcopus. Idem quoque (vt quondam Fabianus) regiones *diaconis diuiſit*, qui res geſtas martyrum conſcriberent. Conſtituit etiam ne prophanus *quiſpiam* ſacris *initiatum* in iudicium vocaret, néue paganus, aut hæreticus accuſandi Chriſtianum hominem poteſtatem haberet. Huius tempore fuiſſe Victorinum Pitabionenſem epiſcopum conſtat, qui multa commentaria in ſacros codices ſcripſit. Inuectus eſt etiam in hæreſes omnes, licet nõ æquè Græcam linguam ac Latinam nouerit, vt Hieronymo placet, qui affirmat eius ſcripta grandia ſenſu, compoſitione viliſſima apparuiſſe. Pamphilus verò presbyter Euſebij Cæſarienſis epiſcopi neceſſarius, adeo diuinorum voluminum cupidus fuit, vt magnam partem librorum Origenis ſua manu deſcripſerit: quos quidem libros Hieronymus affirmat ſe vidiſſe in bibliotheca Cæſarienſi tanta auiditate, vt Crœſi diuitias conſecutum ſe arbitraretur. Scripſit idem Pamphilus Apologeticum pro Origene, quod etiam Euſebius non multò pòſt fecit. At verò Caius orta in Chriſtianos tempore Diocletiani tanta perſecutione, quanta nunquam antea, in ſubterraneis locis, quas cryptas vocant, diu latuit. Captus deinde à perſecutoribus vnà cum Gabinio fratre, eiuſque filia Suſanna, martyrio coronatur, & via Appia in cœmeterio Calliſti ſepelitur, decimo calendas Maij. Sunt etiam qui ſcribant, Luciam, Agatham, Hagnetem non multò pòſt martyrium paſſas fuiſſe. Sedit autem Caius annis vndecim, menſibus quatuor, diebus duodecim. Quo quidem tempore presbyteros quinq; & viginti, diaconos octo, epiſcopos quinque creauit, quater ordinibus ſacris menſe Decembri habitis. Vacat tum ſedes dies vndecim.

*Victorinus Pitabionẽſis epiſcopus.*

*Pamphilus Euſebij neceſſarius.*

S. MAR-



## S. MARCELLINVS.

*30. Pont.*

MArcellinus natione Romanus, patre Proiecto, Diocletiani Dalmatæ obſcuro loco nati, & Maximiani temporibus fuit.

*Diocletianus imp.*

Diocletianus enim anno ab vrbe condita M. XLI. ab exercitu imperator electus, Aprum qui Numerianũ interfecerat, ipſemet occidit. Verùm moto in Gallia tumultu potius quàm bello, eò cum exercitu Maximianum cognomento Herculeum miſit, qui agreſtes facilè compeſcuit. At verò circunſtrepẽtibus vndiq; bellis, cũ ſolus Diocletianus reſiſtere tot periculis non poſſet, Maximianum, Auguſtum: Conſtantium verò & Maximianum Galerium, Cæſares creat. Maximianus aũt Herculeus Carauſio fraude Alecti interempto, Britanniam poſt annos decẽ recipit. At Conſtantius, cũ primò in Gallia malè pugnaſſet, renouata ſecundò pugna, multa millia Alemanorum occidit, qui eò venerant mercede conducti, ac Gallias pacatas reddidit. Diocletianus interim captã Alexandriam, quàm Achilleo reſiſtente menſibus octo obſederat, diripiendã militibus dedit. Præterea verò Maximianus Galerius cum duobus prælijs cõtra Narſeum bene pugnaſſet, poſtremò inter Galletium & Charras ſuperatur. Atq; tam ſiniſtra pugna amiſſis copijs, ad Diocletianum confugit: à quo ita arrogãter acceptus eſt, vt per aliquot millia paſſuum purpuratus ante currũ eius cucurriſſe dicatur. Is autem hac contumelia motus, repetito bello hoſtes ſuperat ac domat.

*Decima Chriſtianorum perſecutio.*

Pacatis hoc modo vndique rebus Diocletianus in oriente, Maximianus verò Herculeus in occidente vaſtari eccleſias, Chriſtianos affligi, interficiq; mandãt, decima poſt Neronem perſecutione: quæ certè omnibus diuturnior & immanior eſt habita. Nam & ſcripturæ ſacræ igni exuſtæ ſunt, & ſi quis Chriſtianus in magiſtratu fuiſſet, eo ſublato remanebat infamis. Præterea verò ſerui, qui in Chriſtianiſmo perdurabant, libertatẽ conſequi nõ poterant, milites item Chriſtiani cogebantur aut immolare idolis, aut militiam pariter vitamque deponere, edicto principis in foro poſito. Hoc verò quidam lacerare auſus, pelle nudatus, ſuperfuſo aceto & ſale tam diu cruciatur, quoad vita ſuperfuit. Hunc in fide confirmârũt Dorotheus, & Gorgonius viri clariſſimi. Iiſdem diebus forte fortuna in vrbe Nicomediæ regia domus incendio conflagrare cœpit, vnde imperator à Chriſtianis id factum falſa ſuſpicione exiſtimans, multos interfici, pleroſque viuos in ignem conijci iubet. Eadem quoque ſæuitia vſi ſunt, qui in Meliteneprouincia, in Syria, in Africa, in Thebaide, in Aegypto cum imperio erãt. In planitie verò Paleſtinæ & Tyri multi ſæuiſsimis beſtijs expoſiti ſunt. Nullum autem genus tormenti Chriſtianis tum non adhibitum eſt. Pro vngulis enim teſtas fictilium vaſculorum adhibebant: quibuſdam verò arundines acutæ ſub vnguibus figebantur. Hoc etiam tormento vexatæ mulieres ſunt, arundinibus ipſis per pudenda corporum adactis. Vrbs quædam in Phrygia tota cõbuſta eſt, quia ciues idolis ſacrificia exhibere recuſarunt, Adaucto Romano viro ſanctiſſimo eos in fide retinente: ad hæc poſtremo venêre ſæuiſſimi tortores, vt oculis effoſſis, ac cauterio aduſtis ſæuirent. Paſſi etiam martyrium ſunt Anthimus Nicomediæ epiſcopus, Lucianus presbyter. Antiochenus vir doctiſſimus, Pamphilus Cæſarienſis, Phileas Aegyptius, qui & Thmuenus epiſcopus vocabatur. Is enim capitali pœna afficitur, quòd & librum de laudibus martyrũ cõpoſuit, & impugnare iudices male iudicantes auſus eſt. Quid plura? cùm Damaſus referat xvij. millia hominũ vtriuſq; ſexus diebus xxx. per diuerſas prouincias martyrio coronata fuiſſe. Omitto eos, qui in inſulas relegati ſunt, vel ad metallũ, vel ad opus metalli, vel ad fodiendas arenas, excidendoſq; lapides dãnati, quę multitudo prope infinita eſt habita. At Marcellinus Pontifex ad ſacrificia gentium ductus, cũ minis inſtarent carnifices, vt thura dijs exhiberet, metu perterritus, Deos alienos adorauit. Habito deinde non ita multò pòſt cõcilio C. & LXXX. epiſcoporum in Sinueſſa vrbe Campaniæ, eò & Marcellinus ſqualidus & puluerulentus ac cilicio indutos proficiſcitur, petitque vt ſibi pro inconſtantia debita pœna tribuatur. Qui eum damnaret, in tanto concilio nemo vnus inuentus eſt, cum dicerent omnes ea fermè ratione Petrum peccaſſe, ac flẽdo peccati pœnam luiſſe. Redijt Romã Marcellinus iratus, Diocletianũ adijt, hominẽq; increpat,

*Phileas Aegyptius ex vrbe Thmuis.*

qui

qui ſe impulerit dijs gentium immolare. Ducitur ad martyrium Diocletiani iuſſu Marcellinus cum Claudio, Cyrino, Antonino Chriſti fidelibus. Inter eũdum verò Marcellum presbyterum admonet, ne Diocletiani præceptis obtemperet in rebus maximè ad fidem pertinentibus: néue corpus ſuum ſepulturæ traderet, quòd diceret ob negatum Saluatorem ſe id nequaquam mereri. Horum autem ſimul interemptorum corpora, Diocletiani iuſſu ad dies ſex & triginta inſepulta iacuerunt via publica. Vnde Petri Apoſtoli iuſſu, qui Marcello in ſomnis apparuit, via Salaria in cœmeterio, quod Priſcillæ deinceps nomen habuit, ſepeliuntur, ſexto calendas Maias apud beati Creſcentionis corpus. Tandem verò aperuit oculos Deus (vt Euſebius ait) & eò Diocletianum compulit, vt depoſito imperio priuatus viueret. Idem fecit & Maximianus eius collega, acerrimus perſecutionis Chriſtianæ auctor, qui poſt aliquot annos multis, varijsq́; morbis vexatus, ac poſt longos cruciatus inſania mentis percitus, furijsque ſcelerum agitatus, ſeipſum tandem peremit. Hanc autem calamitatem, quã noſtri paſsi ſunt, à Deo permiſſam refert Euſebius, propter corruptos nimia libertate & indulgentia Chriſtianorum mores, maximè verò eccleſiaſticorum, quorum peruerſitatem diuina iuſtitia frenare hac perſecutione inſtituit, dũ ſimulationem in vultu, dolum in corde, fallaciam in eorum verbis cerneret. Hi enim liuore, ſuperbia, inimicitijs, odijs inter ſe certantes, tyrannidem potius quàm ſacerdotium ſapere videbantur, Chriſtianæ pietatis omnino obliti, ac diuina myſteria profanantes potius, quàm celebrantes. Sed quid futurum noſtra ætate arbitramur? qua vitia noſtra eò creuêre, vt vix apud Deum miſericordiæ locũ nobis reliquerint. Quanta ſit auaritia ſacerdotum, & eorum maximè qui rerũ potiuntur, quanta libido vndiq; conquiſita, quanta ambitio & pompa, quanta ſuperbia & deſidia, quãta ignoratio tum ſuijpſius, tum doctrinæ Chriſtianæ, quàm parua religio, & ſimulata potius quàm vera, q̃ corrupti mores, vel in profanis etiã hominibus (quos ſeculares vocant) deteſtandi, non attinet dicere, cùm ipſi ita apertè & palàm peccẽt, ac ſi inde laudem quærerẽt. Veniet (mihi credite, vtinam falſus ſim vates) veniet Turcus hoſtis Chriſtiani nominis, Diocletiano & Maximiano violentior. Italiæ clauſtra iam pulſat. Nos deſides & ſomniculoſi interitum communem expectamus, voluptati priuatæ potius, quàm communi vtilitati conſulentes. Ad Marcellinum venio, quem vtinam aliquando imitati, ad ſanitatem redeamus. Hic enim (vt dixi) cognito errore ſuo, quo à fide defecerat, ad ſe rediens, martyriũ pro fide Chriſti conſtanti animo paſſus eſt, vbi ex ſacris ordinibus bis menſe Decembri habitis, presbyteros quatuor, diaconos duos, epiſcopos quinque creaſſet. Sedit autem annis nouem, menſibus duobus, diebus ſedecim. Vacat tum ſedes dies quinque & viginti.

## S. MARCELLVS I.

*31. Pont.*

MArcellus natione Romanus, patre Benedicto, ex regione viæ latę, à Conſtantio & Gelerio vſque ad Maxentium peruenit.

Conſtantius enim & Galerius, abdicantibus ſe ab imperio Diocletiano & Maximiano, imperij gubernacula ſuſcipientes, prouincias inter ſe partiti ſunt. Nam Galerius Illyricum, Aſiam & orientem ſortitus eſt: Conſtantius verò ſingulari moderatione vſus, Gallia tantùm & Hiſpania contentus fuit, licet ei & Italia ſorte obtigerit. Vnde Galerius duos Cæſares legit, Maximianum quem orienti præfecit, & Seuerum, cui Italiam commendauit. Illyricum ipſe retinuit, quòd ea barbaros hoſtes populi Rom. iter facturos ſentiebat. At Conſtantius vir ſingularis manſuetudinis & clemẽtiæ, Gallis omnibus chariſsimus fuit, præcipuè verò quòd & Diocletiani vafrum ingenium, & Maximiani crudelitatem non ſine magno diſcrimine euaſerant. Moritur autem Conſtantius Eboraci in Britannia, principatus ſui anno decimotertio, atque in diuos ſummo omnium conſenſu refertur.

*Conſtantius, Galerius, Maxẽtius imperatores.*

At Marcellus diuino cultui intentus, vbi Priſcillam matronam Romanam impuliſſet cœmeterium ſuis ſumptibus via Salaria conſtruere, titulos quinq; & viginti in vrbe Roma cõſtituit, quaſi diœceſes ad commoditatẽ baptiſmi &





opportunitatem eorũ, qui ad fidem ex gentibus quotidie veniebant, conſultum iri & eo modo ſepulturis martyrum videbat. Maxentius verò vbi Lucinam matronam Romanam inſtituiſſe Eccleſiam Dei rerum ſuarũ hæredẽ intellexiſſet, iratus, & mulierem ipſam relegauit ad tempus, & Marcellum captum impellere minis conatus eſt, vt & epiſcopatu ſe abdicaret, & Chriſtianũ nomen deponeret, quẽ vbi contemnere & deridere ſua præcepta vidit, in cacabulũ ad cuſtodiẽda animalia publica (vt quidam volunt) ſtatim incluſit: quo in loco nec orationes vnquam, nec ieiunia prætermiſit. Parochias item nõ ſecus ac ſi liber eſſet, epiſtolis gubernabat. Menſe aũt nono captiuitatis ſuę à clericis nocte à cacabulo liberatus eſt, qua ex re maiore percitus ira Maxẽtius, ſanctiſsimũ virum in cacabulum redegit: vbi cũ fœdè, & incõmodè habitaret, pedore & ſitu mortuus eſt. At verò Lucina ſanctiſſimi viri corpus via Salaria in cœmeterio Priſcillæ cõdidit decimoſeptimo calendas Februarij. Poſtea aũt re Chriſtiana creſcente, cacabuli domus in eccleſiam erigitur beati Marcelli nomine, quæ etiã ætate noſtra inuiſitur. Sunt aũt qui ſcribãt, Mauritium cum vna Chriſtianorũ legione apud Rhodanum flumen à perſecutoribus cæſum. His additur Marcus, Sergius, Coſmas, Damianus, alijq́; complures, vbiq; terrarum cædebantur. Marcellus aũt annis quinq; ſedens, menſibus ſex, diebus vno & viginti, ex ſacris ordinibus menſe Decembri habitis, presbyteros ſex & viginti, diaconos duos, epiſcopos vnum & viginti creauit. Vacat tum eius morte Romana ſedes dies viginti.

## S. EVSEBIVS.

*32. Pont. Conſtantinus imp.*

EVſebius natione Græcus, patre medico, pontificatum adijt Conſtantino & Maxentio imperantibus.

Nã mortuo Conſtantino (ſicut dixi) Claudij ex filia nepote, Conſtantinus eius & Helenæ in gratiam Herculei repudiatæ filius, occidentis imperium maximo omnium conſenſu adeptus eſt. Romæ interea prætoriani excitato tumultu, Maxentium Maximiani Herculei filium, Auguſtum nuncupant. Vnde Maximianus ſpe recuperandi imperij ex ſolitudine Lucaniæ Romam venit, literis Diocletianum adhortatus, vt idem ipſe faceret. Contra hos motus miſſus à Galerio Seuerus cum exercitu, dum vrbem Romam obſidet, fraude militum, qui cum Maxentio ſentiebant, circunuentus, fugiens demum Rauennæ occiditur. Paululum etiam abfuit, quin Maximianus pater, militum beneuolentiam pollicitationibus & largitione quærens, à filio Maxentio occideretur. Is autem in Gallias ad Conſtantium generum profectus, dum circumuenire hominem ſtudet, detecto per Fauſtam eius filiam dolo, quæ rem omnem marito aperuit, fugiens, ac Maſſiliæ oppreſſus, ſuorum ſcelerum pœnas tandem luit: vel ſeipſum (vt quidam volunt) deſperatis rebus interfecit.

*Inuentio S Crucis. Iudas crucis inuentor.*

Dum autem Euſebius in pontificatu viueret, crux domini inuenta eſt quinto nonas Maij, & ab Helena Conſtantini matre exornata, ac in magna veneratione habita. Baptizatur & Iudas crucis inuentor, quem poſtea mutato nomine Cyriacum vocarunt. Hæreticos quoq; idem pontifex reconciliauit, impoſita tantummodo manu. Inſtituit præterea, ne prophani quos laicos vocãt, epiſcopum in iudicium vocarent. Huius verò temporibus fuiſſe Lactantium Firmianum conſtat Arnobij diſcipulum. Hic cum Rhetoricam Nicomediæ doceret, infrequentia diſcipulorum motus, quòd in Græca ciuitate ageret, ad ſcribendũ ſe contulit, qua in re tantùm valuit, vt poſt tempora Ciceronis ab eo ſecundus habeatur. Multa ſcripſit, ſed illa potiſſimũ extant, quæ contra Gentiles, de opificio hominis, de ira Dei conſcripſit. In extrema ſenectute cõſtitus, Cæſaris Criſpi, filij Conſtantini præceptor fuit in Gallia. Euſebius quoq; Cæſareæ Paleſtinæ epiſcopus, ac bibliothecæ diuinæ cum Pamphilo martyre diligentiſſimus inueſtigator, multa eiſdem temporibus ſcripſit, maximè verò libros euangelicæ præparationis, eccleſiaſticæ hiſtoriæ, in Porphyrium Chriſtianorũ hoſtem acerrimum. Apologias item ſex pro Origene cõpoſuit: de vita Pamphili martyris, à quo ob amicitiam cognomentũ accepit, libros tres. Euſebius autem Pontifex, habita ſemel ratione ſacrorũ ordinũ, menſe Decembri, cùm presbyteros trede-

*Lactantius Firmianus*

cim, diaconos tres, epiſcopos quatuordecim creaſſet, Romæ moritur, ac in cœmeterio Calliſti via Appia ſepelitur ſexto nonas Octobris. Sedit autem annis ſex, menſe vno, diebus tribus. Vacat tum ſedes diem vnum.

### ANNOTAT.

*Quod ex Damaſi (vt videtur) libro Platina tradit, crucem Chriſti ab Helena imperatoris Conſtantini matre ſub Euſebio inuentam fuiſſe, qua nam ratione fieri potuerit, non inuenio: cùm nihil tum Conſtantinus in Syria iuris haberet, quæ incredibili Maximini tyrannide premebatur, neq; adhuc ipſe plenè in Chriſtũ credebat, quod poſt crucis in cœlo viſionem ardentiſſimè fecit. Inſuper Rufinus libro primo, cap. vij. & viij. Theodentus libro primo, cap. xviij. Sozomenus lib. ij. cap. primo, & ij. & Socrates libro primo, cap. xvij. hiſtoriæ eccleſiaſticæ, id xxv. ferè anno pòſt, Nicæno iam Concilio celebrato, quod magis quadrat, factum fuiſſe referunt.*

## S. MILTIADES.

33. Pont. Miltiades natione Afer, Maxẽtij, & Licinij, & Maximini temporibus fuit. Licinius enim ex Dacia oriundus, à Galerio in partem imperij recipitur propter eius in re militari præſtantiam. Hi, quòd Conſtantinum videbant apud omnes magno eſſe in precio, Chriſtianis parcebant. Maxentius tamen milites clanculum mittebat, qui obuiam quenque cæderent. Arte quoque magica delectatus, grauidas, maximè verò Chriſtianas, funeſtis ſacris adhibitis ſcindebat infantum cauſa, quorum cineribus in magia vtebatur, vt oſtenderet tyrannidem ſeruari etiam per nefas poſſe. Simili veſania & crudelitate Maximinus quoque in oriẽte vtebatur, qui magorum magiſtris & malarum artium doctoribus præmia etiam decernebat, augurijs ac diuinationibus fidem præſtãs. Sæuior cæteris in Chriſtianos hæc omnia contemnentes eſt habitus. Vetera autem delubra renouari, ac more veterum ſacra dijs exhiberi iubet. In hos verò Conſtantinus mouens, & Maxentium graui prælio victum apud pontem Miluium ita ſuperat, vt dum præ dolore ſuarum fraudum oblitus, pontem ad decipiendum hoſtem ſtructum decipulis tranſit, cum magna parte ſuorum ſatellitum ſubmergatur. Et Licinium ſororium nauali ac terreſtri prælio victũ, apud Nicomediam dedêre ſeipſum coëgit, vitamq; Theſſalonicæ priuatam ducere, ac meritò quidem, cum à fide ob inuidiam deficiens, Chriſtianos Conſtantino fauentes grauibus ſupplicijs perſequeretur. Maximinus verò diuina vltione inflatis ſubito viſceribus, ſuppuratisq; inteſtinis ita diſtẽditur, vt inter ſe & putridum cadauer nil intereſſet, ſcatentibus vndique vermibus, & tabo ſerpẽte, tanto pedore, vt ſuſtineri fœtor non poſſet. Hoc volebãt eius merita, qui & noſtros ad cœmeteria conuenire vetabat, & ſimulachrum Antiochiæ cõſecratum, ſubornatis ſacerdotibus, qui ex adytis id enunciarent, clamaſſe dicebat, pellendos ab vrbibus Chriſtianos, & præmia in prouincijs diſtribuit ſacerdotibus ſimulachrorum, qui contra Chriſtianos agerent. Tandem verò tyrannus pœnitentia ductus, medico verum dicente, decreto publico vetuit, Chriſtianos lædi, eosque ſuis legibus vti ſinit: Sed hoc nihil ei profuit cum vi fierent omnia. Nã grauiſsimis morbis diutius cruciatus, viuendi finem tandem fecit, homo ſæuus & varius: nunc enim in Chriſtianos, nunc pro Chriſtianis agebat.

Dorothea. His autem cladibus multi Chriſtiani interfecti ſunt, maximè verò Dorothea virgo ſanctiſsima & pulcherrima, quæ mortem potius quàm ſtuprum tyranni pati voluit. Sophronia quoq; à Maxentio ſæpius de ſtupro appellata, cũ diutius vitare periculum non poſſet, ſeipſam interfecit, Lucretiam imitata. Miltiadis autem inſtitutũ fuit, ne dominico, néue quinta feria ieiunaretur, quia hos dies pagani quaſi ſacros celebrant. Multa quoq; in oblationibus faciendis cõſtituit, quod Manichæorum hæreſis in vrbe Roma tum maximè inualeſcebat. His autem peractis, Maximini iuſſu martyrio coronatur. Idem fatum ſubiêre & Petrus Alexãdrinus epiſcopus, & Lucianus Antiochenus presbyter, vir moribus & doctrina inſignis, & Timotheus presbyter Romanus, alijq; complures epiſcopi & ſacerdotes. Sepultus eſt autẽ Miltiades via Appia in Calliſti crypta quarto idus Decembris. Viuens adhuc ex ordinibus ſacris ſemel habitis, presbyteros ſeptem, diaconos ſex, epiſcopos duodecim creauit. Sedit annis quatuor, menſibus ſeptem, diebus nouem. Vacat tum ſedes dies ſeptendecim.





### ANNOTAT.

*Maxentium, qui Romæ Marcelli, Euſebij, & Miltiadis temporibus tyrannidem geſsit, hoſtili aliquando in nos animo fuiſſe, Marcelli Papæ acerba mors, quam ipſi tyrannus intulit, teſtimonio eſſe poteſt. Mitiorem deinde in Chriſtianos factum, perſecutionemq; prohibuiſſe refert libro primo contra Donatiſtas Optatus Afer, epiſcopus Mileuitanus. Sub quo Euſebium etiam morte naturali cõſumptum eſſe exiſtimo, tum propter eam, quam dixi, rationem, tum etiam, quòd eius martyrium, nec Damaſus, nec eccleſia profitetur.*

*De Miltiade (non vt vulgo legitur Melchiade) dubium eſſe non debet. Nam eum Romæ viuum poſt Maxentij necem, ſub Pij Conſtantini imperio, & ab ipſo imperatore iudicem datum cum quibuſdam alijs epiſcopis in cauſa Cæciliani epiſcopi Carthaginenſis libro primo refert Optatus Mileuitanus & Euſebius hiſtoriæ eccleſiaſticæ libro 10. cap. 5. idem propemodum tradit. Sed nec Damaſus vllam eius martyrij mentionem facit, vir in his enumerandis alioqui diligens. Liber quoque vetuſtiſſimus bibliothecæ Vaticanæ eum cõfeſſorem vocat. Nam quod Platina ſcribit, eum Maximini iuſſu cæſum fuiſſe, fieri omnino non potuit, cùm nullum Maximini Romæ, vel in occidente imperium fuerit, Euſebius, & Optatus ſub Conſtantini principatu, poſt Maxentij, & Maximini ipſius obitum Romæ vixiſſe tradant, Conſtantino III. & Licinio III. Auguſtis cõſulibus. Quo etiam anno IIII. idus Decembris mortuus eſt, Silueſtro ſucceſſore relicto, auctor Damaſus.*

## S. SILVESTER I.

Silueſter natione Romanus, patre Rufino, Conſtantini temporibus fuit 34. Pont. anno ab vrbe condita milleſimo, nonageſimo primo, Domini verò anno CCCXVI.

Sub hoc tandem principe Chriſtiani à tyrannis antea oppreſſi, non nihil reſpirare incipiunt. Nam corporis ac animi dotibus cum optimo quoque principe comparari Conſtantinus potuit, militaris enim gloriæ appetentiſſimus fuit, in bello fortunatus. Pacem petentibus libenter dedit, liberalibus ſtudijs, vbi per ocium licebat, delectabatur. liberalitate & gratia omnium beneuolentiam ſibi comparabat. multas leges rogauit ex æquo & bono, ſuperfluas abſcidit, ſeueras nimium emendauit. vrbem in Byzantij ruinis de nomine ſuo condens, eam Romæ magnitudine ædificiorum parem facere conatus, ſecundam Romam vocauit: vt literæ ſub equeſtri eius ſtatua iudicabant.

Is igitur tantus princeps omnia circunſpiciens, omnia conſiderãs, vbi honeſtatẽ Chriſtianæ religionis intellexit, qua ſeruare parſimoniam, paupertate gaudere, manſuetudinẽ colere, paci ſtudere, ſimplicitate & conſtantia vti iubemur, eam ita complexus eſt, vt iturus ad bellum, nõ alio quàm crucis ſigno vteretur. Quod ſereno cælo dum in Maxentium tyrannũ copias mouet, & viderat & adorauerat, aſtantesq; Angelos audierat dicentes: Conſtantine, ἐν τούτῳ νίκα, quod etiam fecit, ac tyrãnos omnes à ceruicibus populi Romani Chriſtianorumq; omnium depulit, maximè verò Licinium, qui Chriſtianos & domo & militia pulſos, aut relegatione, aut carcere (vt dixi) ad mortem vſq; macerabat: aut leonibus obijciebat, aut ſuſpenſos tanquã porcos, mẽbratim lacerans diſſipabat. Tantum itaq; principẽ ac tam humanũ Silueſter nactus, relicto Soracte monte, quo à tyrannis ſæuientibus relegatus fuerat (vel vt quidã volunt) ſeceſſerat, Romam veniens Conſtantinũ erga Chriſtianos bene animatum, promptiorem ad optimè de eccleſia Dei promerendum reddidit. Nã & pontificibus diadema aureum diſtinctũ gemmis cõcedebat: quod quidẽ Silueſter aſpernatus, tanquã religioſo capiti minime cõueniens, phrygia mitra & cãdida tantummodo cõtentus fuit. Permotus aũt Conſtãtinus ſanctitate Silueſtri, eccleſiã in vrbe Roma cõdidit in hortis Equitij, non longe à thermis Domitianis, quæ titulum Equitij vſq; ad tẽpora Damaſi præ ſe ferebat. Cui quidẽ eccleſiæ imperator munificus hæc etiã dona præſtitit, patenam argẽteam librarũ viginti, ſcyphos duos viginti librarũ, calicem aureum duarũ librarũ, & alia vaſa tum argẽtea, tum aurea, quæ enumerare longũ eſſet. Fundum quoq; Valerianũ dono dedit in agro Sabino poſitũ, vnde quotannis ſolidos octoginta capiebat. Hortũ intra vrbẽ ad regionẽ Duorũ amãtium, vnde ſolidi quindecim capiebãtur. Domũ in regione Orphea intra vrbẽ, vnde ſolidi octo & quinquaginta proueniebant. Verùm, dũ hæc Romæ agerentur, apud Alexãdriam presbyter quidam Arrius nomine, vir ſpecie & forma magis quàm virtute inſignis, & laudis ac gloriæ potius quàm veritatis cupidus, ſerere diſcordiam in fide Chriſti cœpit. ſeparare enim filium ab æterna & ineffabili

Dei patris ſubſtantia conabatur his verbis: Erat aliquando quando nō erat, non intelligens filium patri coæternum eſſe, & eandem in trinitate ſubſtātiam, cum dictum ſit: Ego & pater vnum ſumus. Cum autem Alexander Alexandrinæ vrbis Epiſcopus fruſtra reuocare Arrium ab errore tentaſſet, Conſtantini mandato, adhibita etiam impenſa munificè quidem, apud Nicæam vrbem Bithyniæ concilium generale indicitur: cui trecenti & octodecim epiſcopi interfuêre. Diſputatum eſt in eo loco aliquandiu, & quidem acriter. Nam viri aliquot in quæſtionibus callidi, Arrio tum quidem fauebant, ſimplicitati fidei noſtræ aduerſantes, licet ex his quidam doctiſsimus philoſophus diuino ſpiritu motus, vno momento fidem noſtram, quam antea impugnabat, vt ſanctam & integram ſtatim amplexus ſit. Tandem verò re ipſa in concilio diligenter diſcuſſa, concluditur ὁμοούσιον ſcribi debere, id eſt, eiuſdem cum patre ſubſtantiæ filium confiteri. Qui verò cum Arrio ſentirent, fuêre ad decem & ſeptem, affirmantes extrinſecus creatum eſſe Dei filium, & non ex ipſa patris diuinitate progenitū. Cognita aūt tantæ controuerſiæ veritate, Conſtantinus decretum concilij affirmat, propoſito contradicentibus exilio, vnde ſex tantum cum Arrio exulauêre, reliqui enim in ſententiam bene iudicantium venêre. In eodem damnatos ferunt & Photinianos, à Photino epiſcopo Gallogræciæ nomen ducentes, qui Ebionitarum hæreſim imitati, affirmabant Chriſtū à Maria pio coitu fuiſſe conceptum. Damnati & Sabelliani, qui vnam tantùm perſonam patri & filio & ſpirituiſancto aſſcribunt. In eodem verò concilio querimoniarum libellos (vt fit) epiſcopi ipſi Conſtantino dabant, ſe inuicem accuſantes, expetentesq́; à principe iudicium: quibus ita imperator optimus reſpondet, combuſtis eorum libellis, eos Dei tantummodo & non hominum iudicium expectare debere. Præterea aūt in eodem concilio decretum eſt, ne qui ſe impatientia libidinis caſtrarent, in clerū amplius reciperentur: néue neophytus antequam cautius examinaretur, clericus fieret: & ne in militiam Dei aſcitus, cum extraneis mulieribus habitet: cum matre verò, ſorore, amita id tātummodo licere, ne epiſcopus in ordinē aſciſceretur, niſi ab omnibus, vel ſaltem à tribus prouinciæ epiſcopis: & ne, quem alius epiſcopus expulerit, vel clericum, vel laicum alius ſuſcipiat. Decernitur etiā ac quidem ſanctè, ne cuiquā fieret iniuria, vt ſingulis annis conciliū in prouincia habeatur. Quare hoc ſanctum inſtitutum aboleuerint noſtræ ætatis pontifices, non video, niſi quod cenſuras bene viuentium ac ſentientium reformidabant. Conſtitutū quoq́; eſt, vt qui abſq; tormētis in perſecutionibus lapſi fuerint, annos quinq; inter catechumenos vitam ducant. Poſtremò verò decernitur, ne quis de minore eccleſia ad maiorem trāſeat ambitionis & auaritiæ cauſa, quod certè non obſeruatur, cum ſiccis faucibus, tanquā lupi famelici, precibus, pollicitationibus, muneribus, largitione vberiores epiſcopatus, omiſsis primis, omnes quærant & efflagitent. Silueſtri aūt cōſtitutiones hæ ſunt habitæ, vt chriſma ab epiſcopo tantùm conſecraretur, vt epiſcopi baptizatum ſignarēt propter hæreticam ſuaſionem, vt baptizatū chriſmate liniat presbyter, occaſione mortis. Addit præterea, laicus clericum in iudicium ne vocet. Diaconus in eccleſia celebrandi cauſa dalmatica induatur, & palla linoſtima læua eius tegatur. Clericus cauſas in curia ne agat: nec ante iudicem ſecularem cauſam dicat. Presbyter celebraturus neq; ſerico, neq; panno tincto vtatur, ſed lineo, & quidē albo. Sic in albis celebrandū eſſe dicebat, quēadmodum in linea ſindone & alba Chriſti corpus ſepultum fuit. Gradus quoque in ordinibus eccleſiaſticis conſtituit, vt vnuſquiſque vno tantum ordine contentus ſit, & vnius ſolum vxoris vir. Conſtantinus autem augēdæ Chriſtianæ religionis cupidus, Baſilicam Cōſtantinianam (quam Lateranenſem vocant) ædificauit doniſq́; plurimis eandem exornauit. Nā & faſtigium argenteum templo obtulit, habēs in fronte Saluatorē ſedentem in ſella quinq; pedum, cētum & triginta librarum, & xij. Apoſtolos in quinis pedibus librum nonaginta cum coronis argenti puriſsimi. Saluatorem quoq; addidit reſpicientem in apſida, ſedentem in throno V. pedum, cuius pōdus centum quadraginta librarum erat. Angelos quatuor ex argento ponderis centum & quinq; librarum, coronas quatuor ex auro puriſsimo cum delphinis

*Concilium Niçenum.*





viginti librarum, altaria ſeptē ex auro puriſsimo ducentarum librarū. In vſum verò luminū maſſæ Gargilianæ prouētum ex agro * Sueſſano conſtituit ſolidos CCCC. Additur & maſſa Vrbana, quæ in Agro Antiati eſt. Sacrūq́; præterea fontem inſtituit apud eandē Baſilicā ex lapide Porphyretico, cuius tota pars illa quę aquam cōtinet, ex argēto erat. In medio aūt fontis columna porphyretica poſita erat, in qua aurea phiala L. librarū balſamo plena, in celebritate paſchæ vſum nocturni luminis præſtabat. In labro fontis ſtabat agnus auri puriſſimi, vnde aqua fundebatur. Nō longè ab agno erat Saluatoris ſtatua argenti puriſſimi centū & LXX. librarū. Ad alteram partē ſtabat Ioannis Baptiſtæ ſtatua argentea centum librarum, hunc titulum præ ſe ferens, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Septē verò cerui aquam fundebant, quorum ſinguli octoginta librarum erant. Prouentus aūt ſacri fontis ex maſſa Statiliana in agro Corano, ex fundo Baſsi, ex domibus & hortis, aliquot in vrbe poſitis, ex quibuſdā fundis in Africa, Numidia, & Græcia ſitis. Idem etiā Conſtantinus rogatu beati Silueſtri, Petro Apoſtolorum principi Baſilicam in Vaticano ædificat, nō longè à tēplo Apollinis, quo in loco eiuſdē Apoſtoli corpus ſplēdidè, ac mirificè collocauit: ex ære enim & cupro vndiq; clauſum erat. Supra beatiſsimi Apoſtoli ſepulchrum crux centū & quinquaginta librarū extabat ex auro puriſſimo. Aderant circunquaq; candelabra IIII. argento cōcluſa, cum ſigillis argenteis, vnde Apoſtolorū actus cernebantur. His addidit calices aureos tres, librarū duodecim, calices argenteos XX. quorum ſingulis X. librarum erant. Metretas argenteas IIII. CC. librarum. Patenam auream cum thure & columba ornatam gemmis hyacinthinis & margaritis XXX. librarum. Ipſum aūt altare erat clauſum argento & auro, diſtinctumq́; pluribus gemmis. Hos verò prouētus huic baſilicæ addidit, in Antiochia domum Daciani, ſolidos cētum & L. præſtantem. Cellam in Aphrodiſia ſolidos D.XV. præbentem. Horum Maronis, thermas complures, popinas, piſtrina cōdonauit, vnde multum colligebatur ad vſum ſacerdotum. Idē quoque Conſtantinus inſtante Silueſtro, Baſilicā Pauli via Oſtienſi extruxit: corpus verò Apoſtoli ita condidit, vt de Petro diximus. Vaſa etiam aurea, argētea, ænea totidem donauit, quod diuo Petro, maximè aūt crucem auream cētum & quinquaginta librarum, ſupra loculum beati Pauli collocauit. Venêre prouētus ad eādem Baſilicam ex Tarſo Ciliciæ, ex poſſeſsione Tyri venit oleum, venêre aromata & caſsiæ: venit balſamum ex locis hæc eadem ferētibus: venit crocum, ſal, piper, cinnama. Aedificatur etiā imperatoris iuſſu Baſilica in atrio Seſſoriano ſub titulo ſanctę crucis in Hieruſalem, vbi ſanctę crucis partē aliquam repoſuit, inuentā ab Helena matre, fœmina incomparabilis fidei, & religionis. Hæc enim magnitudine animi mota & viſis nocturnis, Hieroſolymam petijt, vt lignū crucis perquireret. Difficile id quidem erat, quia ab antiquis perſecutoribus eò loci ſimulachrū Veneris collocatum fuerat, vt Chriſtiani Venerē Saluatoris loco adorarent. At mulier religione percita, vbi locū ipſum ruderibus purgaſſet, tres cōfuſo ordine cruces reperit. In vna inſcriptio illa legebatur tribus linguis, IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. Aſtabat autem Marcarius illius vrbis tum epiſcopus, qui vnam ex his manibus cum religione retinens, veram eſſe dicebat: at tertia mulieri mortuæ admota, eidem vitam reſtituit. Hāc ob rem Cōſtantinus motus, edicto vetuit, ne quiſpiā deinceps eo ſupplicio vteretur. Helena verò ædificato eo in loco tēplo, vbi crucē repererat, abiens, clauos quibus Chriſti corpus cruci affixum fuerat, ſecū ad filium portat. Horū ille vnū in frenos equi trāſtulit, quibus in prælio vteretur, alio pro cono galeæ vtebatur, tertium in mare Hadriaticū (vt ait Ambroſius) ad compeſcendas ſæuientis maris procellas deiecit. Illa autē crucis pars, quam eadē mulier ſecum in thecis argenteis detulerat, gēmis & auro diſtincta in Baſilica Seſſoriana collocatur. Huic hæc munera adduntur, argētea candelabra quatuor, argētei ſcyphi quatuor, calices aurei decem, patena argentea auro cluſa librarum L. altare argenteū CCL. librarum, agros quoque circa palatium poſitos, eccleſiæ dono dedit. Ex Faliſcis autem & Nepeſino agro fundos quoſdā donauit. Sunt qui ſcribant & Baſilicam ſanctæ Hagnetis Cōſtantini iuſſu ædificatam eſſe, rogatu Conſtantiæ eius filiæ

*Sinueſſanō*

*Baſilica Pauli ædificatur.*

*Helena.*

& baptiſterium eccleſiæ additum: vbi & filia & ſoror Conſtantini eiuſdem nominis, baptizatę ſunt. Huius Baſilicæ hæc fuêre munera: patena aurea librarum viginti, calix aureus librarum decem, calices argentei quinque, fundus ex agro Fidenatium, fundus ex vico Piſonis. Idem quoque imperator baſilicam ſancti Laurentij extra muros ædificat in agro Veranio ſuper harenarium cryptæ, gradusq́; extruxit: quibus aſcenſus ac deſcenſus his daretur, qui ad viſendum beati Laurentij corpus accederent. Templi ornamentũ erat, apſis, argento & porphyreticis lapidibus ornata. In aditu cryptæ, lucerna erat ex auro puriſſimo librarũ viginti. Ante corpus martyris erant lucernæ X. argenteæ librarum XV. Fundus aũt Cyriacetis fœminæ, quẽ fiſcus perſecutionum tẽpore occupauerat huic baſilicæ aſſignatur: fundus item Veranius, vnde ſolidi LX. veniebant. Via etiam Lauicana idem imperator inter duas lauros baſilicam beatis martyribus, Marcellino presbytero & Petro exorciſtæ ædificat. Non longè verò mauſoleum erexit in honorem matris, quã ſepulchro porphyretico incluſit. Huic templo martyrum & matris gratia hæc dona data ſunt, patena ex auro puriſsimo librarum quinq; & triginta, candelabra argentea IIII. auro cluſa in pedibus XII. calices aurei tres cum gemmis praſinis & hyacinthinis: amæ aureæ duæ: ara ex argento puriſſimo librarum CC. ſcyphus ex auro puriſsimo librarũ viginti: fundus Laurentinus cum balneo iuxta formã prodeuntis aquæ poſito, fundus Auguſtæ Helenæ, vnde ſolidos trecentos & viginti, ſacerdotes quotannis habebãt. Sunt qui ſcribant (ſine auctore tamẽ) Sardiniam cum fundis ſuis, & Meſanam, & Maritimam cum monte Argentario, ac fundus omnibus huic eccleſiæ dono datã. Ad has baſilicas in vrbe Roma ædificatas, alias quoq; foris extruxit. Nã & Oſtiæ non longè à portu eius mandato templum ædificatur in honorem beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ac Ioannis Baptiſtę, quibus etiam hæc dona eius munificentia oblata ſunt: patena argentea librarum XXX. calices argentei X. patena argentea chriſmatis librarum X. peluis ex argẽto ad vſum baptiſmi librarũ XX. His muneribus additi & Gracchorum fundi Ardeatini agri, fundus Quirini in agro Oſtienſi. In Albano quoq; Ioãni Baptiſtæ templum ædificat, cui hæc dona obtulit, patenam argenteam librarum triginta, ſcyphum argẽteum deauratum librarum duodecim, amas argẽteas librarum viginti, fundum Laurentinũ cum adiacẽtibus prædijs, fundum cum lacu Albano, fundum Ti. Cæſaris. Caput etiam baſilicam Apoſtolorum cõdidit, quã ciues Conſtantinianam appellarunt. Cui & hæc dona oblata, patenæ argenteæ XL. librarum, candelabra Græca IIII. cum pedibus X. His additur fundus ex agro Caietano, & fundus Paternus ex agro Sueſſano. Aliam poſtremo baſilicã Neapoli ædificauit, vt ait Damaſus, in cuius honorem eam erexerit, non ſatis cõſtat. Proinde reticere donaria templo dedicata inſtitui, ne videat cum alijs errare. Sunt etiam qui ſcribant, Silueſtrum titulum ſuũ in tertia regione vrbis apud thermas Domitianas inſtituiſſe, Equitium quidam vocant. Huic titulo multa dona Conſtãtinus obtulit, vt patenam argenteam librarum XX. ceroſtrata ænea XVI. fundum Barbatianum ex agro Ferentinati, fundum Sulpicianum ex agro Corano. Ne autem nouæ Romæ ſacerdotes imperatoriæ munificentiæ expertes eſſent, duas item baſilicas Conſtãtinopoli ædificat, quarum altera Iræne, altera Apoſtolorum vocatur, euerſis prius paganõrum tẽplis, aut in vſum Chriſtianorum translatis, ſublatisq́; è medio tripodibus Delphicis, vnde infinita mala oriebãtur. Hæc ſunt Conſtãtini dona, quæ antea narrauimus, quibus hoc etiã addidit: Certum enim vectigal à ciuitatibus pendi ſolitum, eccleſijs prouincialibus cleroq́; diſtribuit. Dationem verò ipſam, decreti ſui auctoritate validã in perpetuum eſſe voluit. Vt aũt virginibus & qui in cœlibatu viuerent, teſtari liceret, aliquidq́; ſacerdotibus ex teſtamento relinquere, (qua ex re ego arbitror eccleſiæ patrimonium auctum eſſe) legẽ ſuſtulit antea latam ad propagandã ſobolem, qua illi vetabãtur hæreditatem adire, qui vigeſimoquinto ætatis anno vxorem non duxiſſent. Hinc ius illud trium liberorum inuentum à principibus eſt, quo in amicos prole carentes plerunque vtebãtur. Hæc Socrates & Sozomenes in tripartita ſua accuratè ſcribunt. Fuêre aũt & Silueſtri temporibus multi præclari viri, quorum opera & labore gẽtes &

*Hæc parentheſis in pleriſq; deſideratur.*





nationes pleręque ad fidem noſtram venêre, maximè verò Iuliani, Frumentij & Ediſij prædicationibus: quos philoſophi quidam Alexandrini eò perduxerant. Iberorum quoque gens, quæ ſub axe pontico iacet, fidem Chriſti intelligunt à captiua muliere, & credunt, Baccurio rege omnes ad id cohortante. Valuit etiam multum illis temporibus ad monendos homines Antonij eremitæ ſanctiſsimi auctoritas, cui litteris & nuncijs Helena ſe ac filios ſæpius commendauit: eius cibus ſolus panis erat, aqua potus: nec vnquam, niſi in occaſu ſolis comedebat: homo ægyptius omnino contemplationi deditus. Huius quidem vitam Athanaſius Alexandrinæ vrbis epiſcopus inſigni volumine perſcripſit. Silueſter autem vbi ex ſacris ordinibus ſepties menſe Decembri habitis, presbyteros duos & quadraginta, diaconos ſex & triginta, epiſcopos quinque & ſexaginta creaſſet, moritur, ac ſepelitur in cœmeterio Priſcillæ via Salaria, tertiò ab vrbe miliario, pridie calend. Ianuarij. Sedit autem annos tres & viginti, menſes decem, dies vndecim. Vacat tum ſedes dies quindecim.

*Antoninus eremita.*

*Athanaſius Alexandriæ epiſcopus.*

### ANNOTAT.

*Conſtanti omnium ſcriptorum ſententia, optima pax quies, & libertas ſub Silueſtro Papa, hoſtibus noſtris Galerio, Maxentio, & Maximino mortuis, atque Licinio necato, vniuerſis Chriſti eccleſiis, quæ in toto orbe Romano erant, non ſolum à Conſtantino imperatore conceſſa eſt, ſed etiam optimis legibus, & multis ſanctionibus aduerſus vim & audaciam aduerſariorum noſtrorũ, circa annũ Chriſti CCCXXV. (quo celeberrima, cccxiix. patrum Nicæna Synodus contra Arrij hæreſim celebrata eſt) ſepta, & cõmunita fuit: Poſtquàm diabolus Chriſtianorum hoſtis, & hoſtis quidem atrox, atque immanis, Romanorum Principum miniſterio, & præſidum prouinciarum, ac populorum furentium opera, annis plus minus ccc. in gentem inermem, atque imbellem omnem ſæuitiæ ſuæ vim nouem perſecutionibus fruſtra effudiſſet. Quarum primam Nero iuſſit, ſecundam Domitianus indixit, tertiam Traianus, quartam ſub Marco Aurelio furentes populi, & peſſimi prouinciarum aliquot rectores imperatore conniuente, quintam Seuerus, ſextam Maximinus, ſeptimam Decius, octauã Valerianus, nonam omnium acerbiſſimam, ac maximè diuturnam duodecim annorum Diocletianus, inſtaurârunt, Cui per Conſtãtinum (vt dixi) ſublatæ, decima omnium longè perículoſior hæreticorum Arrianorum à Conſtantio Magni Cõſtantini filio imperatore incepta ſucceſſit, quæ per continuos xl. annos adeò in Chriſti eccleſiam debacchata eſt, vt cuiuis ſuperiorum, vel temporis diuturnitate, vel ſuppliciorum magnitudine comparari potuerit. Multa de ea apud Euſebium, Rufinum, Epiphanium, Socratem, Sozomenum, Theodoritũ, Damaſum, D. Hieronymum, & alios veteres hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptores, tradita ſunt.*

## MARCVS I.

MArcus natione Romanus, patre Priſco, Magni Conſtantini temporibus fuit, de quo varia ſcribunt hiſtorici. 35. Pont.

Sunt enim qui affirmant, Conſtantinum vltimis imperij ſui annis, inſtigante ſorore, Arrium ab exilio reuocaſſe, quod inuidia damnatum hominem mulier diceret, in eiusq́ue dogma declinaſse. Hos ego deceptos ſimilitudine nominis puto, & patri illud aſſcribere, quod filij ſcelere factum eſt. Neque enim ſimile veri eſt, principem illum ſapientiſsimum, quod ſemper improbauerit, ea potiſsimum ætate qua ſapere datur illud idem collaudaſſe. Scribunt prætereа Conſtãtinum ab Euſebio Nicomediæ epiſcopo Arriani dogmatis imitatore, baptizatum eſſe. Quod quidem falſum eſſe, & religio principis oſtendit, & baptiſterium huius rei cauſa Romæ ab eo magnificentiſsimis operis ædificatum. A Silueſtro enim vnà cum Criſpo filio baptizatur, pulſis ab vrbe tyrannis fidemq́ue edocetur. Aiunt qui aliter dictum ſentiunt, Conſtantinum tantam rem diſtuliſſe, quoad ei ad Iordanem peruenire contingeret, in quo ad imitationem Saluatoris baptizari cupiebat. Verùm dum in Parthos proficiſcitur Meſopotamiam incurſionibus vaſtantes, vno & trigeſimo imperij ſui anno, ætatis verò ſexto & xl. apud Nicomediam via publica diem extremum obijſſe: nec ad Iordanem baptiſmi cauſa peruenire potuiſſe: atque illic tum demum extremo vitæ tempore baptizatum fuiſſe. Miſceant iſti, vt volunt, rem hanc: & nos quod omnes ferme ſentiunt, credamus, Conſtãtinũ qui in ſigno crucis toties hoſtes vicerat, qui tot templa in honorem Dei ædificauerat, qui ſacris concilijs interfuerat, qui toties cum ſanctis patribus in myſterijs orauerat, baptiſmatis charactere, vbi ſapere cœpit, muniri etiam contra hoſtem humani generis voluiſſe. Non latet me certè, quid Socrates & Sozomenes in tripartita ſua ve-

lint, quidq́ue alij pleriq; veritatem ſequor, optimi principis religioni & pietati conuenientem. Quod verò in lepram inciderit, vt vulgò dicitur, baptiſmoq́ue mundatus ſit, conficta prius de ſanguine infantum neſcio qua fabula, nullo modo credo, Socratem hac in re ſecutus, qui affirmat, Cõſtantinum ipſum vbi ſexageſimum quintum ætatis annum attigiſſet, ægritudine captum, ex vrbe Cõſtantinopoli ad aquas calidas egreſſum valetudinis cauſa, nulla de lepra mẽtione habita. Pręterea verò hac de re à nullo ſcriptorum fit mentio, non dico ab his, qui ethnici ſunt habiti, ſed ne à noſtris quidem. Nõ reticuiſſet hoc Oroſius, non Eutropius, non illi qui Conſtantini res geſtas quàm diligentiſsimè ſcripsêre. Ante verò tanti principis mortem, ſtellam crinitam inuſitatæ magnitudinis (quam Græci cometen appellant) fulſiſſe aliquandiu conſtat.

Marcus autem Romanus Pontifex ad curam Chriſtianę religionis conuerſus, inſtituit vt epiſcopus Oſtienſis à quo Romanus conſecratur, pallio vteretur. Voluit pręterea diebus ſolennibus ſtatim poſt euangelium ſymbolum à clero & populo magna voce decantari: & eo modo quo fuerat in Nicęno concilio declaratum. Duas item eccleſias Romæ condidit: vnã via Ardeatina, in qua ſepultus eſt: alteram in vrbe Roma ad Palatinas, quas quidem Cõſtãtinus his muneribus exornauit & auxit: Fundo Roſarum cum omni agro campeſtri, patena argentea librarum xx. ſchypo argenteo x. librarum, corona argentea librarum x. Fũdo Antoniano, qui eſt via Claudia, fundo Marmoreo via Ardeatina.

*Iuuencus Hiſpanus presbyt.*

Huius autẽ & Cõſtantini temporibus fuit Iuuencus Hiſpanus presbyter genere nobilis, qui tetrauangelia hexametris verſibus ferè ad verbum transferens, quatuor libris compoſuit. Scripſit & quædam eo genere metri ad ſacramentorum ordinẽ pertinentia. Marcus autem poſteaquam ex ſacris ordinibus bis menſe Decembri habitis, preſbyteros quinq; & viginti, diaconos ſex, epiſcopos octo & viginti creaſſet, moritur, ac ſepelitur in cœmeterio Balbinæ via Ardeatina tertio nonas Octobris. Sedit autem annis duobus, mẽſibus octo, diebus viginti. Vacat tum ſedes dies viginti.

## IVLIVS I.

*36 Pont, Conſtantinus imper.*

IVlius natione Romanus, patre Ruſtico, temporibus Conſtantij fuit: qui cum Conſtantino & Conſtãte fratribus imperium adeptus, annis quatuor & viginti imperauit.

Habitus eſt etiam inter ſucceſſores magni Cõſtantini Delmatius Cæſar fratris filius, adoleſcens ſanè præclaræ indolis, qui haud ita multo pòſt tumultu militari opprimitur, ſinente potius Conſtantio quàm iubente.

*Arriana hæreſis inualuit.*

Interea verò Arriana hæreſis inualuit fauente Conſtantio, qui noſtros cogebat Arrium recipere. Secundo itaq; Conſtantij anno apud Laodicœam vrbem Syriæ, vel vt alij volunt, apud Tyrum cõcilium indicitur. Eò conuenêre catholici & Arriani: diſputatur quotidiè, homuſiónne, an ſecus, Chriſtum cum patre vocarent. Inſtabat Athanaſius Alexandrinus epiſcopus rationibus & argumentis, affirmãs filium patri homuſion eſſe. Id cùm refellere Arrius non poſſet, ad cõuicia verſus, magicas artes

*Athanaſius Alexandrinus.*

Athanaſio viro ſanctiſsimo obijcit, prolato in loculis Arſenij brachio. Dãnatur itaq; violenter iubente Cõſtantio Athanaſius: qui quidem fugiẽs, ſex continuis annis in lacu ciſternæ carentis aqua ita delituit, vt ſolem nunquam viderit. Indicãte deinde ancilla quadam, cũ in eo eſſet vt caperetur, Dei monitu ad Conſtantis partes confugit, qui fratrem Cõſtantium minis certè coẽgit Athanaſium recipere. Arrius interim epiſcoporũ & populi frequentia ſtipatus, dũ leuandi ventris cauſa ad publicum locum declinat, egerere conatur, inteſtina omnia in cuniculum latrinæ demiſit, mortem certè paſſus vita turpiſsima condignam.

Iulius autẽ Pontifex multis incommodis vexatus in tãta rerum perturbatione, tandem poſt mẽſes decem Romam ab exilio redijt, audita præſertim Conſtantini morte, qui bellum fratri Conſtanti inferens, dum apud Aquileiam in cõſultè dimicat, occiditur, non deſtitit tamẽ Iulius oriẽtales epiſcopos reprehẽdere, maximè verò Arrianos, qui iniuſſu Romani põtificis Antiochię cõciliũ indixerãt, cũ id ſine eius auctoritate fieri nõ poſſet, quòd Romana eccleſia cęteris pręeſſet.

Con-



Confutabãt id orientales, nõ ſine ironia, quod dicerent à ſe ad occidentẽ Chriſtianæ religionis principes cõmigraſſe, hanc ob rem ſuam eccleſiam tanquã perennem fontem, vnde tanta gratia manauerat, ceteris præferendam. Cõſtat aũt Iulium ipſum, omiſsis his contentionibus, duas ędificaſſe baſilicas: vnã iuxta forũ Romanũ, aliam in Trãſtiberina regione. Tria item cœmeteria extruxit, vnũ via Flaminia, aliud via Aurelia, tertium via Portuẽſi. Cõſtituit pręterea ne ſacerdos alibi, quàm apud iudicem eccleſiaſticũ cauſam diceret. Voluit item vt omnia ad eccleſiam pertinentia, per notarios aut per primicerium notariorũ conſcriberẽtur: hos hodie (vt arbitror) protonotarios vocamus, quorum officiũ eſt res geſtas pręcipuè conſcribere. Verùm noſtra ætate adeò pleriq; (nolo dicere omnes) litterarum ignari ſunt, vt vix ſciant nomen ſuũ latinè exprimere, nedũ aliorũ res geſtas perſcribere. De moribus nolo dicere, cùm è lenonũ numero, & paraſitorum quidã in hunc ordinem relati ſint. Conſtãtini aũt & Conſtantij tempore in precio fuit Marcellus Ancyranus epiſcopus, qui multa ſcripſit, maximè verò cõtra Arrianos. Feruntur tamen contrà hunc Aſterij & Apollinarij libri, eũ Sabellianæ hæreſis arguentes, eiuſdem quoq; erroris eum Hilarius arguere conatur: quẽ certè Marcellus refellens, ſe tamen nequaquã cũ Iulio & Athanaſio ſentire oſtẽdit. Contra hũc præterea ſcripſit & Baſilius Ancyranus epiſcopus librum vnũ de virginitate. Nã Baſilius Macedonicæ partis vnà cum Euſtachio Sebaſteno princeps fuit. Theodorus quoq; Heraclcę Thraciarum epiſcopus, elegãtis copioſæq; elocutionis vir, multa tum ſcripſit, maximè verò cõmẽtarios in Matthæum, in Ioannem, in Pſalterium, in Apoſtolum. Iulius verò cum ex ſacris ordinibus ter mẽſe Decembri in vrbe habitis, presbyteros octodecim, diaconos tres, epiſcopos nouem creaſſet, moritur, ac ſepelitur via Aurelia in cœmeterio Calepodij, ab vrbe Roma milliario tertio, pridie idus Auguſti. Sedit annos quindecim, menſes duos, dies ſex. Vacat tum ſedes dies quinque & viginti.

## LIBERIVS I.

LIberius natione Romanus, patre Auguſto, Conſtantij & Conſtantis temporibus fuit. *37. Pont.*

Cõſtãtinus enim (vt antè dixi) dũ Conſtantẽ fratrẽ bello incautius perſequitur, ab eius militibus opprimitur. Conſtãs autem varia fortuna contra Perſas vſus, cum nocte intempeſta ſeditionem militum ſuſcipere prælium cogeretur, tandem vincitur. Verùm poſtea cum de ſeditioſis militibus ſuſcipere pœnas inſtituiſſet, Maxentij dolo ac fraude in oppido Helena interficitur, anno imperij ſui xvij. ætatis verò xxx.

Mortuo autẽ Conſtante, rurſum in Athanaſiũ conſurgunt veteres illi Arrianę hęreſis ſuſcitatores. Nam concilio apud Mediolanium habito, omnes qui Athaſio fauebãt, in exilium pelluntur. Præterea verò cum in ſynodo Ariminenſi orientales ſacerdotes callidi homines & acuti, occidentales ſimplices & imperitos argumentis ac fallacijs conuincerent, prætermittere eam diſputationem pro tẽpore ſatius viſum eſt. Chriſtũ enim cum patre Homuſion eſſe negabant. Hoc autẽ, quia primum Liberius Pontifex apertè impugnabat, quòdq́ue etiam damnare Athanaſium iubente imperatore nolebat, in exiliũ ab Arrianis pellitur, atq; ita triẽnio ab vrbe abfuit. At verò ſacerdotes congregata ſynodo, in Liberij Locum, Felicem presbyterum virum optimum, põtificẽ creârunt, qui ſtatim octo & quadraginta epiſcoporum cõuentu, duos presbyteros, Vrſatium & Valentem ab eccleſia ſeparauit, quòd cum Conſtantio Auguſto in fide ſentirent. Hanc ob rem rogatu & precibus eorundem, Conſtantius Liberium ab exilio reuocat, qui imperatoris beneficio motus, cum hęreticis in rebus omnibus (vt quidã volunt) ſentiens, illud tamen cum catholicis tenebat, hæreticos ad fidẽ redeũtes, nõ eſſe rebaptizandos. Ferunt Liberium apud cœmeteriũ ſanctę Hagnetis aliquandiu habitaſſe cum Conſtantia Cõſtantij ſorore, quo eius rogatu & auxilio vrbem tutius ingrederetur: ſed mulier catholica dolum ineſſe ſentiens, id ſe facturã omninò recuſauit. Tandem verò Conſtantius, inſtigantibus Vrſatio & Valẽte, pulſo Felice, Liberium introduxit. Vnde perſecutio ita vehemẽs exorta eſt, vt in ec-

cleſijs

cleſijs ipſis presbyteri & clerici paſsim necarentur. Sunt tamẽ qui ſcribant, mulieres Romanas in circenſi ſpectaculo reditũ Liberij ab imperatore precibus impetraſſe. Põtifex autem tametſi cum Arrianis ſentiebat, eccleſias Dei quàm diligẽter exornauit, maximè autẽ ſepulcrũ beatæ Hagnetis, & baſilicam, quam de nomine ſuo fecit apud macellum Liuiæ. Fuit autem hac miſera tempeſtate Euſebius Emeſenus, qui multa contra Iudæos, gentes, & Nouatianos doctè admodum, & eleganter ſcripſit. Triphylius quoque Cypri Ledrenſis, ſiue λευτεώνος epiſcopus, in cantica canticorum copioſè & accuratè commentarios compoſuit. Præterea verò Donatus Afer (à quo Donatiani nomen ſumpſere) multa in catholicos ſcribens, totam penè Aphricam & Iudæã ſua perſuaſione decepit. Affirmabat enim, patre minorem eſſe filium, & ſpiritum ſanctum minorem filio, catholicosq́ue rebaptizandos eſſe. Extabant autem Hieronymi tempore eius multa ſcripta ad hæreſim pertinẽtia, & de ſpiritu ſancto liber, Arrianæ doctrinę cõueniens. Et ne quicquam Arrianæ perfidiæ tum deeſſet, Aſterius eius factionis philoſophus, imperãte Conſtãtio, multa ſcripſit in epiſtolã ad Romanos, in euãgelia, in pſalmos, quæ ab hominibus ſuæ hæreſis ſtudioſiſsimè leguntur. Lucifer præterea Caralitanus epiſcopus, cum Pancratio & Hilario Romanis clericis ad Conſtantiũ à Liberio miſſus, cum nollet ſub nomine Athanaſij Nicęnam damnare fidẽ, relegatus, contra Conſtantium imperatorem ſcripſit, librumq́; ei legẽdum miſit: moritur tamen ſub Valentiniano principe. Ferunt autem Fortunatũ Aquileiẽſem epiſcopum Liberium fidei cauſa in exiliũ pergẽtem, vt in hæreſim & diſcordiã laberetur, ſolicitaſſe. Serapion quoq;, qui ob elegantiã ingenij, Scholaſtici, cognomen meruit, addidit tum aduerſum Manichęum librum egregiũ: nec vnquam Conſtantij minis à confeſsione veritatis deſtitit: ad hominẽ enim profectus, quò eum pacatiorem magno Athanaſio redderet, minis tãti principis è gradu conſtantię nunquam decidit. Ideò autẽ Athanaſius magnus eſt habitus, quod paganis & hæreticis conſtanti animo ſemper reſtitit. Liberius verò vbi ex ſacris ordinibus bis in vrbe Roma habitis, presbyteros octo & decem, diaconos quinque, epiſcopos decem & nouem creaſſet, moritur: ac ſepelitur via Salaria in cœmeterio Priſcillæ ix. calendas Maij. Sedit autem annos ſex, menſes tres, dies quatuor. Vacat ſedes dies ſex.

*Aſterius Arrianæ factionis philoſophus.*

*Lucifer Caralitanus epiſcopus.*

## FELIX II.

*38. Pont.*

FElix ſecundus, natione Romanus, patre Anaſtaſio, Conſtantij temporibus fuit.

*Qui ſolus poſt interfectum à Magnentio Cõſtantem, imperio potitus* eſt. Mox Iulianum patruelem ſuum, quippe qui ex Conſtantio patris Conſtantini fratre natus erat, Cæſarem creatũ in Gallias ſeditione quorundã tyrannorũ tumultuãtes miſit, qui breui & Gallorũ & Germanorũ mot⁹ virtute ſua cõpeſcuit: vnde militum omniũ conſenſu Auguſtus appellatur. Quo audito, Cõſtantius rebus Parthicis occupatus, ad bellum ciuile cõuerſus, apoplexia in itinere obijt inter Ciliciã, Cappadociamq́ue in Mopſocrene oppido, anno imperij quarto & vigeſimo, ętatis quinto & quadrageſimo. Hoc autem morbo dixêre medici hominem interijſſe ob dolorem animi & grauem cogitationem, in quam rebellãte Iuliano inciderat. Ob eius autem moderationem (Chriſtianorum cauſam ſemper excipio, in qua vnicè impius fuit) & comitatem, inter diuos more veterũ referri meruit. Nam poſt ſuſceptum imperium, Romã, cum triumpho via Flaminia ingreſſus, aureo carpento ciues obuiam factos, mira benignitate inſpexit & veneratus eſt, dictitãs illud Cyneæ Pyrrhi legati verũ eſſe, tot ſe videre reges in vrbe Roma quot ciues. In vna tamen re populum Romanum ad riſum potius, quàm ad indignationem concitauit, quòd portas vrbis ingrediens, celſas & faſtigiatas, arcusq́ue triũphales præaltos & latos, homo paruæ ſtaturæ caput incuruaret, more anſerum læſionem veritus. Is præterea campũ Martiũ cum admiratione inſpiciens, ſepulcrum Auguſti Cæſaris tot ſimulacris marmoreis, & æneis ornatũ, forũ Romanũ, Iouis Tarpeij delubra, thermas, porticus in prouinciæ modum auctas, amphitheatrũ Tiburtino lapide extructũ tãtę altitudinis, vt eò vix inſpicere humanus

*Conſtantini np.*



manus oculus poſſet, Pantheon mira altitudine ſpatioſis molibus fornicatũ, tẽplũ pacis, Pompeij theatrum, circum maximũ, ſeptiſolium, tot arcus triumphales, tot aquę ductus, tot ſtatuas per vrbem ad ornatũ poſitas, obſtupuit: ac tandem dixit, naturam vires omnes in vnã vrbem effudiſſe. Stabat Traiani equus æne⁹ in atrio, cuius inſtar alterum ſibi fieri Conſtantinopoli Cõſtantius petebat ab Hormiſda architecto, quem ſecum duxerat. Cui Hormiſda, ſtabulum quoq; tale cõdas oportet, ſi voles equum latè ſuccedere. Idem quoq; Hormiſda à Cõſtantio interrogatus, quid de vrbe Roma ſentiret, Id tantum ſibi placere reſpõdit, quòd didiciſſet ibi quoq; homines mori, vt philoſophum decebat, locutus.

Felix aũt, quem diximus in Liberij locum à catholicis ſubrogatum eſſe, licet id factum ab hęreticis Euſebius & Hieronymus affirment, quòd certè miror, ſtatim vbi pontificatum inijt, Conſtantiũ Magni Conſtantini filium, hæreticũ & ſecũdo rebaptizatũ promulgat ab Euſebio Nicomedienſi epiſcopo in Aquilone villa nõ longè à Nicomedia. Hinc autẽ deprehendi error poteſt, quo ducuntur nõnulli, qui hãc hæreſim Magno Conſtantino aſcribunt. Quod profectò (vt ex hiſtoria vides) in tãtum principem, tamq́; religionis Chriſtianæ amantiſsimũ nec debuit cadere, nec potuit. Dum aũt altercatio eſſet, & quidẽ magna (vt diximus) inter Liberium & Felicem, Arriana hęreſis bifariam diuiditur. Nam Eunomius (vnde Eunomiani) vir corpore & animo leproſus, nec ſecus interius quàm exterius morbo regio correptus, affirmabat in rebus omnibus & filium diſsimilem patri, & ſanctum ſpiritum cum patre & filio nihil habere commune. Macedonius autem quem noſtri ante errorem Conſtãtinopolitanum epiſcopum fecerãt, ab Arrianis expellitur, quia filium patri ſimilem fatebatur, licet Spiritum ſanctum nõ ſecus atque illi blaſphemaret. Aiunt quidem Felicẽ conciliũ octo & quadraginta epiſcoporum habuiſſe, in quo decernitur vt epiſcopi omnes aut ad cõciliũ generale veniant, aut litteris rationẽ reddant, quare id facere nequeãt, quod quidẽ inſtitutum, Carthaginenſi in concilio poſtea renouatum eſt. Huius aũt temporibus fuit Acacius, quem, quia luſcus erat, μονόφθαλμον vocarunt. Hic verò Cæſarienſis eccleſiæ in Paleſtina epiſcopus, multa in eccleſiaſten conſcripſit: tantæq́; auctoritatis ob eloquẽtiam & verſutiam apud Conſtantium fuit, quemadmodũ Hieronymus ait, quod ego certè miror, vt Romæ in Liberij locum Felicẽ Arrianum epiſcopum conſtitueret: quem profectò catholicum fuiſſe cõſtat (vt ſcripſim⁹) & Arrianos ſemper damnaſſe. Felix autem poſtremò cum nulla in re orthodoxæ, fidei deeſſet, ab aduerſarijs captus, vnà cum multis ſecum bene ſentiẽtibus interficitur, ſepeliturq́; in baſilica quam ipſe ædificauit via Aurelia, ſecũdo ab vrbe Roma milliario, duodecimo calendas Decembris. Sedit autem tãtummodo annum vnum, mẽſes quatuor, dies duos, propter ſeditionem à Liberio motam, quem, Damaſum ſecutus, licet immeritò, inter pontifices numeraui.

### ANNOTAT.

*Marcellus Papa II. vir ſempiterna memoria dignus, antiquum Romanæ eccleſiæ regiſtrum ab horum temporum clericis ſcriptum mihi aliquando deſcribendi copiam fecit, quod ille Eugubij in monaſterio ſanctæ crucis de Aueliana litteris vetuſtiſsimis, & maiuſculis in mẽbranis ſcriptum inuenerat. In eo accurata huius ſchiſmatis inter Liberium & Felicem deſcriptio extat, ab eo, qui tunc vixit, proculdubio facta. Res autem ſic ſe habet. Conſtantius Auguſtus Athanaſio epiſcopo Alexandrino Arrianæ hæreſis, cui imperator addictus erat, oppugnatori conſtantiſsimo infenſus, cùm eum omnibus modis ſede ſua eijcere vellet, epiſcoporum ſynodum congregari iuſsit: ex cuius decreto iuxta Cæſaris ſententiam ſedem ſuam, alio ſubrogato ſanctus pontifex amiſit: Hunc (inquit) illorum temporum ſcriptor Ammianus Marcellinus rerum geſtarum libro 15. per ſubſcriptionem adijcere ſede ſacerdotali paria ſentiens ceteris iubente principe, Liberius monitus, perſeueranter retinebatur, nec viſum hominem, nec auditum damnare nefas eſſe ſæpè exclamans, aperte ſcilicet recalcitrans imperatoris arbitrio Id enim ille Athanaſio ſemper infeſtus licet ſciret impletum, tamen auctoritate, qua potiuntur æternæ vrbis epiſcopi firmari deſiderio nitebatur ardenti, Quo non impetrato Liberius ægre populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit aſportari. Hæc ille. Extat apud Theodoretum libr. 2. cap. 16. hiſt. eccleſiaſticæ Liberij ipſius colloquium ſuper hac re cum imperatore conſtantiſsimè, antequam in exilium pelleretur, habitum. Porrò autem antequam Liberius ex vrbe diſcederet, clerus omnis Romanus ſanctiſsimo interpoſito iureiurando ipſi pollicitus eſt, ſe nullum alium Pontificem vnquam illo viuente ſuſcepturum, cæterum eo relegato,*

*ſtatim*

*ſtatim Felix archidiaconus eius contra ſacramenti fidem epiſcopus ordinatus in ſchiſmate Romanum inuaſit ſacerdotium, quod vniuerſus populus Romanus valdè egrè ferens, ſe ab eius ſeparauit communione. Biennio poſt Conſtantio Romam venienti populus Romanus pro Liberij reditu ſupplicauit. Cui annuens Liberium ad Vrbem reuocauit, Felice à populo, & ſenatu notato, & vrbe pulſo. Qui nihilominus ſacerdotij iura in ſchiſmate dum vixit contra Liberium modo in vrbe, modo extra in alia ciuitate annos x. menſes iij. & dies xi. retinuit: obijt enim x. Kalen. Decembris Valentiniano, & Valente Auguſtis conſulibus. Tum Liberius miſericordia motus, clericos omnes, qui peierauerant abſoluit, & locis ſuis, quibus viuēte Felice priuati fuerāt, reſtituit. Et anno ſequēti, qui ſalutis erat CCCLXVI. Gratiano, & Dagalaipho conſulibus vij. Kal. Octobris rebus humanis exceßit.*

*Quo mortuo presbyteri aliquot, & diaconi S. R. E. Liberianæ patris ſtatim Vrſicinum diaconum pontificem conſtituunt, & à Paulo epiſcopo Tiburtino ordinari faciunt. Hi verò, qui Felici adhæſerant Damaſum in ſchiſmate etiam ipſi pontificem Romanum renuntiant, atque ita peßimum ſchiſma, & ciuilis ſeditio vrbem vexare cœpit, quæ eò vſque populo in duas factiones diuiſo ſuccreuit, vt in baſilica Sicinij armatis vna concurrentibus ad c. & xxxvij. interfecti ſint. Quod cum imperator Valentinianus cognouiſſet, ſeditionis Vrbanæ, ſchiſmatisque tollendi cauſa, Damaſo in patificatu confirmato, Vrſicinum vrbe expulit anno primo, & menſe ſecundo ordinationis eius, atque ita ſolus Damaſus præſul Apoſtolicæ ſedis permanſit. Hæc ex vetuſtißimo illo regiſtro excepi, quæ multo magis Ammiani Marcellini libro 15. D Hieronymi in Chronico, Rufini libr. 1. capit. 12. & lib. 2. capit. 10. Socratis lib. 2. cap. 27 & lib. 4. cap. 29. Theodoreti 2. cap. 15. 16. 17 Sozomeni lib. 4 cap 11. & lib 6. capit. 23. & aliorum hiſtorijs quadrant, quàm ijs quæ vulgo circumferuntur, de Liberio, & Felice. Neque enim Liberius vnquā Arrianus fuit, neque Felix legitimè pontificatū adeptus eſt, aut quid contra Conſtātium geßit, vel ab eo capite eſt cæſus. Hæc Anaſtaſius bibliothecarius (vt opinor) primus credidit. & vt pleraque alia Damaſi libro interpoſuit. Hac igitur ratione ſchiſmata duo fuerunt breui tempore ſub quatuor pontificibus fere continuata, & Felix cùm ſchiſmaticus fuerit, nulla ratione inter legitimos Romanos pontifices enumerandus eſſet, duo enim ſimul Papæ eſſe non poſſunt, ſed hæc in meo libro apertius, & diſtinctius conſcripſi.*

## DAMASVS. I.

*39 Pont.*
*Iulianus impe.*

DAmaſus natione Hiſpanus, patre Antonio, Iuliani temporibus fuit, viri certè egregij, ſi domi, ſi foris eius ingenium reſpicis. Nam & Eubolo ſophiſta & Libanio philoſopho præceptoribus vſus, liberalibus diſciplinis ita erat imbutus, tum Græcè, tum Latinè, vt cuiuis optimo principi comparari poſſet. Multæ erat memoriæ, ingentis facundiæ, in amicos liberalis, prouincialibus iuſtiſsimus, gloriæ cupidus. Verùm hæc omnia ad extremum euertit, dum Chriſtianos perſequitur. Callidior tamē ceteris perſecutor, nō vi neq; tormentis primo, ſed præmijs, honoribus, blanditijs, perſuaſionibus maiorē ferè populi partē, quàm ſi atrocior fuiſſet, elicuit. Vetuit autē ne Chriſtiani auctorū gētiliū ſtudia adirent, néue ſcholæ niſi his qui Deos deasq; venerarentur, paterent. Vni tamen Prohæreſio viro doctiſsimo cōceſſum eſt, vt Chriſtianos publicè doceret, quā gratiam ipſe indignatus contempſit. Militare cingulū dari niſi Gētilibus vetuit. Statuit præterea procurationes prouinciarū iuriſq; dictionē Chriſtianis nō debere permitti, quippe quib⁹ lex ipſa Chriſtiana proprio vti gladio vetat. Athanaſium tamen apertè oppugnat, atq; in exiliū mittit, à magis, & auguribus inſtigatus, quorū artibus maximè delectebatur, quod diceret Athanaſiū obſtare, quò minus eorū artes in pretio eſſent. Cū Daphne quoq; in ſuburbano Antiochię iuxta fontem Caſtalium litaret Appollini, & nulla ex his, quæ quærebātur, reſponſa ſuſciperet, cauſasque ſilentij percontaretur à ſacerdotibus, dæmones aiunt ſepulcrū Babylæ martyris propè aſtare, & ideò reſponſa reddi. Tum Iulianus Galilæis imperat, hoc enim nomine Chriſtianos appellabat, vt ſepulcrum martyris inde auferant. Qui dum ſepulcrum mira exultatione traherent, dicentes: Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis, ita iram Iuliani principis concitarunt, vt multos præter inſtitutum ſuū interfici iuſſerit. Miror ego id à Iuliano factum, cum diaboli artes iam vanas eſſe cognoſceret. Semel enim magnum quendā in ſpeluncam ſecutus, cū voces dęmonū perhorreſceret, ſigno crucis vſus eſt, quo fugati ſūt dęmones. Cū verò Iulianus diceret, ſigno crucis aliquid mirū ineſſe, reſpōdit magus, dęmones etiā genus illud ſupplicij formidare. Hāc ob rem Iulianus pertinacior quā antea fact⁹ eſt, adeò vanitati magicæ deditus erat, licet prius Chriſtianā religionē ſimulato animo amplexus fuiſſet, vt Conſtātij odium vitaret, legiſſetq; publicè diuinos codices, ac baſilicā nomine martyrū ędificaſſet. Pręterea verò idē imperator quò noſtris ſtomachū faceret, Iudęis templū Hieroſolymitanū reſtituit; cū dice

rent



rent ſe alibi ſacrificare non poſſe. Qui certè tāta arrogantia elati ſunt, vt maiore impēſa, quā antea reſtituere templū conarentur. Verùm non ita multò pòſt terręmotu templum corruens, & multos Iudęos ſimul oppreſſit, & illud approbatū eſt, lapidem ſupra lapidem poni non debere. Sequenti autē die incēdio diuinitus immiſſo, & ferramenta ipſa conſumpta ſunt: & eò miraculo multi Iudæi perterriti, ad fidē Chriſti venêre. In Perſas verò proficiſcens Iulianus, quos intellexerat res nouas moliri, in reditu ſuo malam quidem rem Chriſtianis minatur. Cū aūt ſuperatis hoſtibus incompoſito agmine victor rediret, apud Cteſiphontem confoſſus perijt. A ſuis, an ab hoſtibus id factum ſit, incertum eſt, quāquam ſunt, qui ſcribāt ſagitta ex incerto miſſa transfixum fuiſſe, eundemque exclamaſſe manu ad cælum extenſa, Viciſti Galilęe, viciſti: nam Chriſtū, Galilęum appellabat & fabri filium: vnde illud adoleſentis in Libanium ſophiſtam, interrogantem quid ageret fabri filius. Iuliano, inquit, locellum componit: nam paulò poſt eius cadauer locello auectus eſt. Sunt etiam qui ſcribant, hunc antea clericū fuiſſe, ac poſtea à fide noſtra defeciſſe, vnde hominem apoſtatam vocant. Perijt autem poſt annum, & octo imperij ſui menſes, anno verò ætatis ſecundo & trigeſimo. Huic deinde ſuccedit Iouinianus, qui ab exercitu imperator electus, nō prius profiteri imperatoris nomen voluit, quàm omnes cōclamarēt ſe Chriſtianos eſſe. Quibus collaudatis, et imperiū ſuſcepit, & exercitum è manibus barbarorū liberauit. Niſibi ac magna Meſopotamiæ parte Sapori regi Perſarum relicta. Hic autem octauo imperij ſui menſe, cruditate ſtomachi, ſiue tetro odore prunarum moritur.

*Viciſti Galilæe, Iulianus*

*Iouinianus imper.*

Damaſus autem electus ad pontificatum obeundum, Vrſicinium diaconū cōpetitorē habuit in baſilica, quę Sicini appellatur, vbi multi vtrinq; cecidêre in ipſo tēplo, cum res non ſuffragijs tantum, ſed vi & armis tractaretur. Verū non ita multò pòſt, ſacerdotū ac populi conſenſu Damaſus epiſcopus cōfirmatur, & Vrſicinus ad Neapolitanam eccleſiam traducitur. Damaſus autē adulterij accuſatus, publico concilio cauſam dixit: vbi & innocens abſoluitur, & Concordius atque Calliſtus diaconi falſi accuſatores dānati, ac reiecti ab eccleſia ſunt. Cautūq; lege eſt, vt deinceps pœnam talionis ſubeant, qui aliquem falſo accuſauerint. Pacata tandē eccleſia, Damaſus otio litterario delectatus, vitas pontificū omnium, qui ante ſe fuêre, conſcripſit, easq; ad Hieronymum miſit. Non deſtitit tamen & templa et cultum diuinū augere. Duas enim baſilicas ædificauit: vnā iuxtà theatrum, alteram via Ardeatina ad catachumbas. Dedicauit & platoniā, vbi corpora Petri & Pauli aliquādo iacuerant. Verſibus quoq; eligantibus ſanctorū corpora eò loci ſepulta exornauit ad memoriā poſteritatis. Præterea verò baſilicā quā ipſe in honorē diui Laurentij non longè à theatro Pōpeiano cōdiderat maximis muneribus ornauit, patena argentea librarū viginti, ama argētea librarū quindecim, ſcypho argenteo anaglypho librarū decē, calicibus argēteis quinq;, coronis argenteis V. domos quoq; circa baſilicā poſitas dono dedit, fundū etiā Papirianū agri Ferentinatis: fundū Antonianum, balnea non lōgè à tēplo poſita, vt pſalmi quoq; alternis vicibus in eccleſia canerentur, in fineq; eorum verba hæc ponerētur, Gloria patri & filio & ſpirituiſancto, inſtituit. Primus etiā Hieronymi ſcriptis auctoritatē dedit, cum prius ſeptuaginta interpretum ſcripta tātūmodo in pretio eſſent. Nam & biblia Hieronymi legi cœpta eſt, vt pſalmi eiuſdē fideliter ex hebraico traducti, cum antea apud Gallos potiſsimum incompoſitè legerentur. Mandauit item, vt in principio celebrationis (quam Miſſam vocant) cōfeſsio diceretur, vt hodie fit. Idem verò Damaſus, vbi ex ſacris ordinibus quinquies habitis presbyteros vnum & triginta, diaconos vnum & decem, epiſcopos duos & ſexaginta creaſſet, moritur, ac ſepelitur via Ardeatina cum matre & ſorore in Baſilica à ſe condita, tertio idus Decembris. Sedit annos xix. menſes tres, dies xi. Vacat tum ſedes diem vnum & viginti.

*Vrſicinus.*

## SIRICIVS I.

SIricius natione Romanus, patre Tiburtio, Valentiniani temporibus fuit. *40. Pont.*

Qui à Iuliano multa incommoda ob fidem Chriſti paſſus, pulſusque militia cùm ſcutatorum princeps eſſet. Mortuo autem Iouinia-



no,

*Valentinianus imper.*

no,militum omnium conſenſu imperator electus, Valētem fratrem in partem imperij accipiens,eidem orientem aſsignat. Poſteà verò imperij ſui anno tertio Gratianum filium, necdum benè puberem ſocrus & vxoris hortatu Auguſtum creat.Procopium quidem apud Conſtantinopolim res nouas molientem, cum ſatellitibus ſuis mira celeritate opprimit.

*Eudoxius Arriani dogmatis epiſcopus.*

Sed Valens ab Eudoxio Arriani dogmatis epiſcopo baptizatus, in ſæuiſsimam hæreſim declinans,noſtros perſequitur,& in exilium pellit, mortuo præſertim Athanaſio,quo viuente res Chriſtiana ſex & quadraginta annis mirificè ſuſtentata eſt.Inſtabat Lucius hæreticus hoſtilem in modum noſtros perſequens, neque illis quidem parcens,qui in eremo erant: eos enim immiſsis militibus aut trucidabat,aut in exilium mittebat. Magnæ auctoritatis tunc erant Antonij diſcipuli,Macharij duo in Syria,quorum alter in ſuperiore,alter in inferiore habitabat eremo.Iſidorus quoque tum in precio erat,Paphnutius,Pambo,Moſes,Bēiamin,Paulus Apheliotes, Paulus Phocenſis,Ioſeph qui mons Antonij dicebatur. Hos cū exilio vexaret Lucius,mulier phanatica proclamat,viros Dei in Inſulam Aegypti nequaquam mittendos eſſe. Maunia quoque Saracenorum gentis regina,cum frequentibus prælijs Romanorum opes attriuiſſet, Palæſtini & Arabici limites oppida vaſtans,orata pacem,non aliter repromittit, niſi Moſen Chriſtianum virum ſanctiſsimum,genti ſuæ epiſcopum deſignarent. Id agere Lucius conabatur, verùm Moſes inclamat, Arguunt te,ò Luci per metalla damnati Chriſtiani,in inſulas relegati,& carcere incluſi:quare manus tuas ad me cōſecrandum nunquam inijcies. Reuocatis itaque epiſcopis,qui ſe conſecrarent, datur reginæ præſul,ac pax Romanis redditur. Sæuiebat in Chriſtianos Valens & Lucius,licet Themiſtij philoſophi litteræ Valentem aliquantulo mitiorem reddiderint. Sæuiebat & Athanaricus Gotthorum rex,qui plurimos barbarorū martyrio affecit.

*Themiſtius philoſophus*

Interim verò Valentinianus Saxones,gentem in Oceani littoribus poſitā locis inuijs,& Burgundiones virtute ac rei militaris ſcientia oppreſsit. At verò dū Sarmatę ſeſe per Pannonias effudiſſent,bellūq; in eos parat, ſubita ſanguinis effuſione apud Bergentionem oppidum moritur. Tum Gotthi ſedibus ſuis pulſi, per omnes ſe Thracias effundunt:quibus dum Valens ire obuiam cum exercitu parat,reuocatis prius,ſed ſerò ab exilio epiſcopis & monachis, quos etiam militare coëgerat,prælio victus,igne exuritur. Hæc quidem clades Romani imperij ac totius Italiæ exitium fuit.

*Siricius autem*(dum hæc agerentur)cenſuit monachos,quorum vita probata eſſet,poſſe ſacris initiari à primis ordinibus vſque ad epiſcopatum. Cenſuit item ordines per interualla dandos. Manichæos præterea,qui in vrbe erant,vetuit cōmunicare cum fidelibus. Pœnitentes autem & redeuntes ad gremium orthodoxæ fidei,recipiendos eſſe cenſuit,ſi monaſterium ingrederentur, atque ibi ieiunijs & orationibus ſe toto ſuæ vitæ tempore macerarent. Viaticum ſiquidem tum demum ab eccleſia recipiebant,vbi de optima eorum vita conſtaret. Conſecrari autem presbyterum ab epiſcopo tantum cenſuit. Inſtituit item, vt quicūque aut viduam aut ſecundam vxorem duxiſſet, ab officio eccleſiaſtico pelleretur. Hæreticos quoque per manus impoſitionem recipiendos cēſuit. Huius temporibus Hilarius fuit, vrbis Pictauorum Aquitaniæ epiſcopus,qui & contra Arrianos duodecim libros ſcripſit, & alterum contra Valentem & Vrſatium:atque non ita multo poſt Pictauis moritur. Victorinus autem natione Afer, Romæ tum primum rhetoricam docuit:poſtea vero in extrema ſenectute fidei noſtræ ſe tradens,contra Arrium libros more dialectico ſcripſit. Multa quoque cōpoſuit ad commendationem fidei noſtræ Gregorius Bæticus Iliberi epiſcopus. Photinus autem Gallogræcus,Marcelli Ancyrani epiſcopi diſcipulus,Hebionis hæreſim inſtaurare tum conatus eſt. Hebion enim Chriſtum pio coitu Mariæ natum,virum iuſtum putauit. Is quidem à Valentiniano imperatore pulſus, plura ſcripſit volumina,ac præcipua contra gentes. At Didymus Alexandrinus, à teneris annis oculis captus, & ob id etiā primarum litterarum ignarus, ita geometriam & dialecticam,quæ magno vſu indigent,iam grādis natu cum primis elementis

*Hilarus Pictauorum epiſcopus.*
*Victorinus Afer.*
*Gregorius Bæticus.*
*Photinus.*





mentis didicit, vt pręclara quędam opera in mathematicis ſcripſerit, in pſalmos quoq;,& in euangeliū Matthæi ac Ioannis,& cōtra Arrianos multa edidit. Optatus quoque Afer epiſcopus Mileuitanus,libros ſex cōtra Donatiſtas compoſuit. Seuerus autem Aquilius Hiſpanus,agnationem ab illo Seuero ducens,ad quem Lactantij duo extant epiſtolarum libri,volumen compoſuit, quod cataſtrophē vocauit. Siricius verò cōpoſitis eccleſię rebus,& creatis ſex & viginti presbyteris, diaconis ſedecim, epiſcopis duobus & triginta, ex ſacris ordinibus quinquies habitis,moritur,ac ſepelitur in cœmeterio Priſcillæ via Salario octauo calendas Martij. Sedit enim annos quindecim, menſes vndecim, dies quinque & viginti. Vacat tum ſedes dies viginti.

*Optatus epiſcopus Mileuitanus.*

## ANASTASIVS I.

*41. Pont.*

ANaſtaſius natione Romanus,patrē Maximo,imperante Gratiano, vrbis Romæ epiſcopus creatur.

*Gratianus imp.*

Nam Gratianus adoleſcens religione clarus, militia ſtrenuus, apud Argentariam oppidum Galliæ, vno prælio ad triginta millia Alemanorum fines Romanorum vaſtantes,cum minimo ſuorum incommodo interfecit. In Italiam deinde rediens,pulſa Arriana hæreſi,totam prouinciam ad verā Chriſti fidem redegit. At vero cū inſtantibus Gotthis,rempub.in magno diſcrimine videret, Theodoſium ex Hiſpania oriundum virum clariſsimū, ſociū ac imperij comitem ſibi delegit,qui ſuperatis Alanis,Hunnis & Gotthis, oriētale imperiū reſtituit,icto cū Athalarico rege Gotthorū fœdere:quo quidem mortuo, ac Cōſtātinopoli egregiè ſepulto,omnes eius milites Theodoſium virum optimū ſecuti ſunt. Interim verò Maximus in Britānia tyrannidem occupans,ac in Galliā traijciens,apud Lugdunū Gratianum interfecit:quare Valentinianus iunior frater metu perterritus,ad Theodoſium in orientem confugit. Sūt autē qui ſcribāt, hos quidē fratres in tantam calamitatem incidiſſe,matris Iuſtinæ crimine, quæ Arrianam hæreſim fouēs,Chriſtianos perſequebatur, maximè vero Ambroſiū, quem etiam inuitum populus Mediolanēſis tum epiſcopum delegerat. Mortuo enim Auxentio hæreticorum epiſcopo, ſtatim ſeditio Mediolani exorta eſt. Cū hāc itaq; reprimere Ambroſius conaretur,qui tum conſularis eiuſdē prouinciæ faſces regebat,eccleſiamque ingreſſus multa de concordia partiū diſſeruiſſet,ab omnibus ſucclamatum eſt,non alteri quàm Ambroſio epiſcopatum committi debere, quod etiā factum eſt. Ex catechumeno enim Chriſtianus factus,& ſacris initiatus,Mediolanenſis epiſcopus creatur. Cuius doctrina & ſanctitas quanta fuerit,eius vita ac opera doctiſsimè & elegantiſsimè ſcripta oſtendunt.

Tunc autem Anaſtaſius rei diuinę cauens, conſtituit ne ſacerdotes vllo modo ſederent, ſed curui & venerabundi ſtarent, cū ſacrum euangelium aut caneretur aut legeretur in eccleſia Dei: Néue peregrini, maximè autem tranſmarini, in clerum reciperētur, niſi quinque epiſcoporū præ ſe ferrent chirographa. Hoc autē factum eſſe aiunt propter Manichęos,qui tum in Africa magno in precio erāt & ad corrumpēdam fidem de ſuis quoquouerſum mittebant. Conſtituit item, ne debiles,& manci,néue aliquo membro carētes, in numerū clericorū reciperētur. Baſilicam quoq;,quę Creſcentiana vocatur,in regione ſecūda via Mamurtina dedicauit. Huius & Damaſi & Siricij tempora, illuſtrarūt nō modò optimi imperatores,Iouinianus,Valentinianus, Gratianus, Theodoſius, verūetiā ſanctiſsimi atque excellentes in quauis facultate doctores, tum Græci, tum Latini. Gregorium nobis Chriſtianis cū Baſilio Cappodocia genuit, vt ait Euſebius, ambo fuêre nobiles,ambo Athenis eruditi. Baſilius enim Cæſareæ Cappadociæ, quæ prius Mazaca vocabatur, epiſcopus contra Eunomium egregios libros edidit. Scripſit volumen de Spiritusſancto,& monachorum inſtituta. Duos habuit fratres, Gregorium & Petrum viros doctiſsimos. Gregorij extabant Euſebij temporibus aliqua volumina. At Gregorius Nazianzenus,qui Baſilium ad monaſteriū perduxit,Hieronymi præceptor multa ſcripſit, maximè verò in laudem Cypriani,Athanaſij,Maximi philoſophi. Scripſit & cōtra Eunomiū libros duos,contra Iulianum Imperatorem librum vnum. Laudauit & nuptias &

virginitatē hexametro verſu. Leuauit & Conſtantinopolitanos ab hæreſi rationibus, & ſuo elegantiſsimo dicendi genere, in quo Polemonem virũ eloquētiſſimum ſecutus eſt. Is poſtremum dum ſenex admodum eſſet, ſucceſſorē ſibi deligēs, ruri vitam monachi duxit. Baſilius autem ſub Gratiano, hic verò ſub Theodoſio moritur. Epiphanius quoq; Cypri Salaminę epiſcopus hæreſes omnes elegātiſsimis voluminibus impugnauit. Cōpoſuit tũ etiam multa ſermone Syro, Efræm Edeſſenæ eccleſiæ diaconus, qua ex re ad tantam venit dignitatem, vt poſt lectionem ſcripturæ ſacræ, publicè in quibuſdam eccleſijs eius ſcripta legerētur. Anaſtaſius autem vbi ex ſacris ordinationibus bis in vrbe menſe Decēbri habitis, presbyteros octo, diaconos quinque, epiſcopos decem creaſſet, moritur, & ſepelitur in cœmeterio ad Vrſum pileatum quinto calendas Maij. Annos vero tres, dies decem ſedit. Vacat tum ſedes dies vnum & viginti.

## INNOCENTIVS I.

*42. Pont.*
*Theodoſius imp.*

INnnocentius natione Albanus, patre Innocentio, particeps Theodoſij temporum fuit.

Qui ſingulari celeritate & conſilio vſus, Maximum tyrannum Gratiani interfectorem, apud Aquileiam occidit. Hanc calamitatem Maximo ipſi Martinus vir ſanctiſsimus antea prędixerat, dum Britanniam militaribus copijs ſpoliat, in Italiam contra ius faſque venturus. Tunc enim à circio Scoti, ab aquilone Picti, inſulam vacuā militibus ingreſsi, longè ac latè omnia vaſtarũt. Theodoſius autem diuino auxilio fretus, & Andragatiũ Maximi comitem, & Victorem eiuſdem tyranni filium, Arbogaſtem & Eugeniũ tyrannos, mira celeritate vſus opprimit, vnde merito Claudiani poëtæ carmina in laudē Theodoſij extāt:

*O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,*
*Et coniurati veniunt ad claſsica venti.*

*Theodoſius ab ingreſſu eccleſiæ prohibitus.*

Accidit Theodoſio ad diſciplinam militarem laus ingēs, qua plurimum valuit, & religionis. Nam cum Mediolani ingredi eccleſiā vellet myſteria viſurus, prohibitus ob quoddam facinus (vt fieri ſolet) ab ingreſſu eccleſię, niſi pœniteret, ita æquo animo id tulit, vt vltrò ipſi Ambroſio gratias egerit, atque pœnituerit. Huius vxor Flaccilla fuit, ex qua Arcadium & Honoriũ ſuſcepit. Iratus ſemel Theodoſius, quòd Theſſalonicenſes in theatro militem occidiſſent, vel (vt alij volũt) iudicem ſuum, ægrè retentus à ſacerdotibus Italicis eſt, quò minus omnes Theſſalonicenſes occideret. Qui poſtea ad ſe rediens, re cognita, & lachrymis pœnitētiam prope patrati ſceleris egit, & legem tulit, vt ſententiæ principum ſuper animaduerſione prolatę, in* tertium diem differentur, quò miſericordię vel pœnitentiæ locus daretur. Ferunt principem ipſum, ſi quando ita percitus fuiſſet, hac deinceps cunctatione vſum, vt notas omnes litterarum expreſſe recenſeret, quo interim irę daretur locus. Affirmant quidā, principem ipſum familiaritate cuiuſdam Ioannis monachi anachoretæ in Thebaide vſum, cuius conſilio tum bellum, tum pacem gerebat. Theodoſius autem quinquageſimum ætatis agens annum, Mediolani moritur,

** aliàs xxx.*

Innocentius verò tanta imperij tranquillitate & benignitatē principis vſus, multa ad religionem Chriſtianam pertinentia meditatus eſt. Cōſtituit enim, vt ſabbato ieiuniũ celebraretur, & quod tali die Chriſtus in ſepulchro iacuiſſet, & quod eius diſcipuli ieiunaſſent. De Iudæis quoque & paganis, deque monachis regulas quaſdam tulit. Cathaphrygas autem hæreticos, quorum auctores fuêre, Montanus, Priſcilla & Maximilla, vt antè dixi, ab vrbe expulit, Theodoſio annuente, vel in monaſteria (vt alij volunt) relegauit. Præterea verò Pelagium monachũ & Cæleſtinum hæreſeos damnauit, & quòd liberum arbitriũ diuinę gratiæ anteferrent, & quòd dicerent ad implenda diuina iuſſa, voluntatē per ſe ſufficiētem eſſe. Contra hos quoque multa ſcripſit Auguſtinus. Pelagius autē in Britanniam proficiſcens, totam inſulam errore ſuo infecit, adiuuāte Iuliano tāti mali comite & ſocio. Baſilicam vero Geruaſij & Protaſij dedicauit, Veſtinæ mulieris impenſa ſtructam & ornatā, diuēditis eius bonis ex teſtamento relictis iuſto precio. Templi dona hæc fuêre: patenæ argētę duæ lx. librarum. coronę xij. ceroſtra-

*Pelagius & Cæleſtinus damnātur*





ta argentea quatuor. Ad ornatum baptiſterij ceruum obtulit quinque & xx. librarum fundentem aquam, vas chriſmatis ex argento librarum v. ſcyphos duos argenteos anaplyphos xx. librarum. Dos autem templi erat domus ad baſilicam Liuianam, balneum ad templum Mamuri, domus item in cliuo Salutis balneatæ, fundus in agro Cluſino, alter fundus in agro Fundano. His addita domus Emeriti in cliuo Mamurtino, domus altera in vico longo, balneum quoque in eodem vico. Curam verò & adminiſtrationem huius baſilicæ & ſanctæ Hagnetis, Leopardo, ac Paulino presbyteris commiſit. Huius temporibus fuit Apollinarius Laodiceæ Siriæ epiſcopus, vir ſanè in diſputando vehemens, & ita acutus, vt auſus ſit dicere, corpus, non animam à domino in diſpenſatione ſuſceptum, poſtea verò cùm rationibus vrgeretur, ait eum quidem habuiſſe animam, non tamen ex ea parte qua rationabilis eſt, ſed ex ea ſolum, qua corpus viuum reddit: ad ſupplementum vero rationabilis partis, ipſum verbum Dei fuiſſe perhibebat. Quæ quidem ſententia, & à Damaſo antea, & Petro Alexandrino epiſcopo exploſa eſt. Hinc Apollinariſtæ origenem habuêre. Marcianus autem Barcilonæ vrbis epiſcopus, caſtitate & eloquentia inſignis, bene cum fide ſenſit, & Nouatianos ſcriptis ſuis impugnauit. Cyrillus verò Hieroſolymitanus epiſcopus, ſæpe pulſus eccleſia, & receptus, ad extremum ſub Theodoſio principe annis octo epiſcopatum tenuit, multaque ſcripſit. Euzoius item apud Theſpeſium rhetorem cum Gregorio Nazianzeno epiſcopo adoleſcens Cæſareæ eruditus, plurimo labore Origenis & Pamphili corruptā biblothecam membranis inſtaurare conatus eſt, ſcripſit & ipſe multa. Eodem quoque tempore Hieronymus presbyter in Bethleem habitans, ingenio ac facundia ſua Chriſti fidem mirum in modum auxit: quod etiam eius ſcripta declarāt. Improbatur item eo tempore in ſynodo Burdegalenſi Priſcilliani dogma, ſumptum ex Gnoſticorum & Manichæorum hæreſi, de qua ſuperius diximus. Innocentius verò vbi per ſacros ordines quater in vrbe habitos, presbyteros triginta, diaconos duodecim, epiſcopos quatuor & quinquaginta creaſſet, moritur, ac ſepelitur in cœmeterio ad Vrſum pileatum quinto calendas Auguſti. Sedit annis quindecim, menſibus duobus, diebus quinque & viginti. Vacat tum ſedes dies duos & viginti.

*Apollinarius epiſcopus*
*Apollinariſta.*
*Hieronymi habitatio.*

## ZOSIMVS I.

*43. Pont.*

ZOſimus natione Græcus, patre Abrahamo, mortuo Theodoſio, Arcadij & Honorij, qui patri in imperio ſucceſsêre, temporibus fuit.

Hi quidem gubernacula imperij ſuſcipientes, paribus auſpicijs illud rexere, diuiſis tantummodo adminiſtrationibus. Arcadius enim orientem, Honorius verò occidentem gubernabat, licet Theodoſius filijs adhuc adoleſcentibus tres duces reliquerit, qui Romanum gubernarent imperium, Rufinum qui orientem, Stiliconem qui occidentem, Gildonem, qui Africam regerēt. Qui deinceps cupiditate imperandi moti, ſpretis paruulis, regnũ occupare conati ſunt. Gildoni res nouas in Africa molienti, Maſcezel fratris eius crudelitatē veritus, cum exercitu obuiā factus, hominem fũdit fugatque: qui vel dolore animi, vel veneno, non ita multo poſt, moritur. Item quoque Maſcezel tanta victoria elatus, cũ nec Deo nec hominibus parceret, à militibus occiditur. Rufinus verò ab Arcadio opprimitur, dum orientale imperiũ conatur inuadere. Ingreſſus tũ Italiā Rhadagaſus Gotthorũ rex immaniſsimus, ferro ac flamma omnia vaſtabat. Verũ Romani comparato exercitu, barbarum in feſulanis montibus opprimũt, duce Stilicone. Huic verò ſucceſsit Alaricus, quem Stilico regni cupidus, cũ poſſet, & fouit & iuuit. Verùm poſtremo cùm Alaricus in Galliā proficiſcens, concedente eo loci ſedes ad incolendum Honorium apud Polentiā conſediſſet, Saulum gente & religione Hebræum, à Stilicone cum militibus immiſſum, quo fœdus turbaretur, hoſtem ſenſit. Facilè enim fuit, barbaros nil tale ſuſpicātes, & diem paſchæ obſeruātes, incautos perturbare. Verùm ſequenti die ſumptis armis, & Saulum cum exercitu ad internecionem cędit, & omiſſa Gallia, in Stiliconē & Romanos mouet. Quibus ſuperatis, vrbem Romam poſt longam & grauem obſidionem capiunt, anno eiuſdē conditæ milleſimo ac centeſimo & ſeptuageſi-

*Arcadius & Honorius.*

moquarto:ſalutis verò Chriſtianæ,anno duodecimo & quadringenteſimo.Hac tamen moderatione Alaricus vſus eſt & clementia,vt ſuis mandauerit,à cæde & ſanguine,quoad fieri poterat, abſtinere: vtq́ue confugientibus ad baſilicas Petri ac Pauli,parceretur.Rex verò tertia die ab vrbe diſcedens, minus calamitatis quàm putaretur perpeſſa(parum enim incendij ſenſerat) in Lucanos & Brutios proficiſcitur,vbi apud Conſentiam vi captam & direptam,moritur. Cui ſtatim omnium Gotthorum conſenſu Athaulphus ob affinitatem & genus ſuccedit, quem quidem ad vrbem Romam cum exercitu redeuntem, Galla Placidia ſuperioris Theodoſij filia,eius vxor, ita placauit, vt à cædibus & rapinis temperatum,& ſuis magiſtratibus vrbs dimiſſa ſit.In animo certe ei prius fuerat, vrbem Romam delere,ac nouam condere,eamq́ue Gotthiam appellare, & imperatoribus nomen de ſe relinquere,vt non Augusti deinceps,ſed Athaulphi vocarentur.Mentem hominis Placidia nō modo à tanto facinore auertit, verumetiam fœdus inter Athaulphum, Honorium & Theodoſium iuniorem compoſuit Arcadij iam mortui filium.

Zoſimus autem in tanta rerum perturbatione rem diuinam nunquam omiſit.Conſtituit enim vt diaconi,dum celebraretur, læuas tectas haberent linoſtimis.Conceſsit item,vt in parochijs cerei ſancto ſabbato benedici poſſent.Bibere autem in publico clericis vetuit:in cellis fidelium, id fieri poſſe non negauit. Vetuit etiam ne ſerui in clerum reciperentur, quod huiuſcemodi viros liberos & integros eſſe oporteret.Aſciſcuntur nunc non modò ſerui, & vulgò concepti ac nati, verumetiam flagitioſi omnes ex flagitioſo quoque geniti: quorum ſceleribus eccleſia Dei magnum aliquod incommodum tandem capiet. Ferunt tum Zoſimum miſiſſe ad Carthaginenſe concilium Fauſtinum epiſcopum,duosq́ue vrbis Romę presbyteros,vt oſtenderet nil vſquam publicè agi debere ſine conſenſu eccleſiæ Romanæ.Huius autem pontificatu fuit Lucius Arrianæ partis epiſcopus, qui variarum hypotheſeon libellos ſcripſit. Diodorus quoque Tarſenſis epiſcopus,dum Antiochiæ presbyter eſſet,multa tum ſcripſit, Euſebij ſententias,non autem eloquentiam imitatus,propter ignorationem ſæcularium litterarum.Scripſit & Tiberianus apologeticum ob ſuſpicionem hæreſeos, quia cum Priſcilliano accuſabatur.Euagrius præterea acris & feruentis ingenij, vitam beati Antonij de Græco Athanaſij,in ſermonem noſtrum tranſtulit.Scripſit & Ambroſius Alexandrinus auditor Didymi, in Apollinarium volumen præclarum.Fuêre tum etiam in pretio Ioannes Conſtantinopolitanus & Theophilus Alexandrinus illuſtres epiſcopi.Hunc ego arbitror Ioannem Chryſoſtomum fuiſſe, qui ob elegantiam dicendi hoc cognomentum merito adeptus eſt,quiq́ue Theodorum & Maximum condiſcipulos ſuos ad fidem Chriſti traduxit,relictis præceptoribus Libanio & Andragathio philoſopho.Interrogatus Libanius iam morti propinquus, quem potiſsimùm in ſchola ſucceſsorem relinquere vellet,non alium quàm Chryſoſtomum dixit,niſi hominem Chriſtiani ad ſe traduxiſſent.Perlata tum etiam ſunt ad Zoſimū ſynodalia decreta, quibus cōfirmatis,Pelagiana hæreſis vbiq; damnatur.Sunt qui ſcribant,& Petroniū Bononiēſem epiſcopum virum ſanctiſsimum, & Poſsidoniū Africæ prouinciæ epiſcopū,magnam ſanctitatis opinionem de ſe tum concitaſſe.Scripſit & multa contra hęreſes Primaſius ad Fortunatum epiſcopum.Sunt qui ſcribant,Probam Adelphi proconſulis vxorem,Centonas Virgilij in laudem Chriſti tum compoſuiſſe. Hanc certè laudem quidam Eudoxiæ aſſcribūt, Theodoſij iunioris vxori. Auguſtinus verò beati Ambroſij in fide diſcipulus,homo certè omnium, qui tū fuêre,doctiſsimus,Hippone in Africa epiſcopus, fidem noſtram ſcriptis & diſputationibus tum maximè tuebatur.At Zoſimus creatis in vrbe Roma presbyteris decē,diaconis tribus,epiſcopis octo,moritur,ac ſepelitur via Tiburtina apud corpus beati Laurentij martyris ſeptimo calendas Ianuarij.Sedit annum vnū, menſes tres,dies duodecim. Vacat tum ſedes dies vndecim.

*Lucius Ariana partis epiſcopus*

*Tiberianus*

*Euagrius.*

*Auguſtinus Hipponenſis.*

ANNOTAT.

*Zoſimum hunc fuiſſe natione Græcum Aſiaticum,patria Cæſarienſem in Cappadocia, eiusque Hermogenis nepotem,qui in concilio Nicæno ſymbolum edidit,facilè ſuſpicari poſſumus ex quadam epiſtola Baſilij Cæſarienſis epiſcopi,quam ad Papam Innocentiū ſcribit,in quo eum virum depingit,quē ex nullis circunſtantijs Zoſimū,*





*hunc eſſe intelligitur. Qui cùm eſſet vir doctiſsimus,& ſanctiſsimus propter eius incredibilem virtutem à Baſilio Epiſcopo Cæſarienſe (cùm eſſet ſuæ eccleſiæ presbyter) ad prædeceſſorem ſuum Innocentium Papam miſſus,Romam veniens,ſtatim poſt Innocentij mortem omnium ſuffragijs Romanus Pontifex Theodoſio iuniore Auguſto VII. & Palladio V.C. conſulibus anno Chriſti CXVI. renuntiatus,ſedit annos III. mēſes IIII.& dies VIII. Poſt cuius obitum altero die Bonifacius presbyter in ſchiſmate Romanus Pontifex ordinatus eſt cum Eulalio archidiacono. Qui Eulalius menſe III. & die XV. initæ dignitatis coactus abdicauit, & factus eſt epiſcopus in campania Bonifacius verò Apoſtolicam ſedem in pace obtinuit. Fuit hoc ſchiſma quintum in Romana eccleſia ab Anaſtaſio Bibliothecario,& in eo regiſtro,de quo ſupra dixi,accuratiſsimè,& ſingulatim deſcriptum,de quo ego plura in meo de Pontificibus libro. Cæterum de ijs quæ de Zoſimo dixi,monuit me vir doctiſsimus et præſtanſtantiſsimus Guillelmus Syrletus ſedis protonotarius.*

## BONIFACIVS I.

*44. Pont.*

*Honorius imp.*

Bonifacius natione Romanus,patre Iucundo presbytero,Honorij temporibus fuit.Orta quidē tum in clero ſeditio eſt. Nā dum Bonifacius in baſilica Iulij,vrbis Romæ epiſcopus creatur, Eulalius in Conſtātiniana electus,huic ſtatim obijcitur.Quod vbi Honorius, qui tum Mediolani erat, intellexiſſet,inſtante Placidia cum filio Valentiniano, ambo ab vrbe pelluntur. Reuocatur tamē ſeptimo menſe poſt Bonifacius, & ſolus vrbis p̄ſul cōſtituitur.

Interea verò mortuo Athaulpho,Gotthorū rex Vallias decernitur, qui Dei iudicio perterritus, Placidiam apud ſe tamen honeſte habitam, Honorio fratri reddidit, pacemq́ue cum eo datis dilectiſſimis obſidibus inijt. Idem fecêre Alani,Vandali & Sueui.Placidiam verò Honorius Conſtantio,quem Cęſarem declarauerat,in matrimonium collocat: vnde Conſtantius Valentinianum filium ſuſcepit: quæ poſtea à fratre pulſa, ad orientem cum filijs Honorio & Valentiniano proficiſcitur.

Bonifacius autem Pontifex tum conſtituit, ne mulier vlla aut monacha ſacratam pallam attrectaret,aut thura contingeret: nêue ſeruus aut obnoxius, vel obæratus, in clerum reciperetur. Condidit præterea oratorium in cœmeterio ſanctæ Felicitatis martyris,eiusq́; ſepulchrum ornauit marmoribus & argento. Nam & patenam argenteam dono dedit librarū viginti, & ſcyphum argēteum librarum decē,& coronas argenteas tres,calices minores duos. Huius quoq; pōtificatum inſignem reddidêre multi præclari viri, maximè verò Hieronymus presbyter,patre Euſebio natus oppido Stridonis,quod à Gotthis euerſum, Dalmatiæ quondam Pannoniæq́; in finibus fuit.Quantum iſte iuuerit eccleſiā Dei, vita & ſcriptis, nō attinet dicere, cū & vita eius ſanctiſſima omnibus præluceat, & ſcripta eius ita in precio & honore ſint, vt nemo magis legatur, ab eruditis p̄ſertim.Moritur aūt Hieronymus in Bethlehem, ætatis ſuæ anno lxxxxj. pridie calendas Octobris. Laudatur & Gelaſius Cæſareæ Paleſtinæ poſt Euzoium epiſcopus,vir accurati elegantisq́; ingenij.Scripſit & hiſtoriam Dexter Paciani filius ad Hieronymum.Laudauit & Spiritum ſanctū Amphilochius eleganti ſtylo.Laudat & Sophronium Hieronymus,quod de euerſione Serapis librū copioſè ac doctè ſcripſerit.Aiunt & Lucianum presbyterum Deo innuente,tum quidem reliquias Stephani protomartyris & Gamalielis Pauli pręceptoris inueniſſe,deq́; ea re ſermone Græco ad omnes eccleſias ſcripſiſſe:quam ſcriptionem poſtea Abundius presbyter Hiſpanus Latinam fecit ad Oroſium presbyterū. Sunt etiam qui huic ætati addunt Ioānem Caſſianum & Maximinum viros doctiſſimos.De Eutropio autem Auguſtini diſcipulo,non ita ambigitur, qui Hiſtoriæ Romanæ Epitomen fecit,ab vrbe condita vſq; ad tempora ſua ſatis eleganti ſtylo & oratione.Scripſit & ad duas ſorores Chriſto dedicatas de pudicitia & amore religionis.Laudatur & Iuuenalis,qui tum*Conſtantinopolitanus epiſcopus erat.Fuit etiam in pretio Heros vir ſanctus, ac beati Martini diſcipulus, Arelatenſis epiſcopus iniuria pulſus. Bonifacius autem vbi ex ſacris ordinibus ſemel habitis, presbyteros tredecim, diaconos tres, epiſcopos ſex & triginta creaſſet, moritur,ac via Salaria ſepelitur apud corpus ſanctæ Felicitatis martyris octauo calendas Nouembris.Sedit annis tribus,menſibus octo,diebus ſeptem. Mortuo Bonifacio,clerici quidā Eulalium ſtatim ad vrbem reuocant, qui vel indignatione, vel contemptu rerum humanarum reuocationem ſpernens, anno poſt Bonifacium moritur. Vacat tum ſedes dies nouem.

*alias Hieroſolymitanus.*

*Eulalius reuocatur.*

## CAELESTINVS I.

*45. Pont.* *Theodoſius iunior.*

CAeleſtinus natione Campanus, Theodoſij iunioris temporibus fuit. Hic enim mortuo Honorio principe clariſsimo, Valentinianum Placidiæ amitæ ſuæ filium Cęſarem creatum, ad regendum occidentale imperium mittit. Qui ſtatim totius Italiæ conſenſu imperator creatus, gubernacula imperij apud Rauennam ſuſcipiens, hoſtes Romani nominis, maximè verò Ioannem tyrannum, mira felicitate in Italia compeſcuit. Interea verò Vandalorum, Alemannorum, & Gotthorum effera gens, ab Hiſpania in Africam Genſerico rege traijciens, prouincia ferro ac flamma depopulata, fidem quoq; catholicam Arriana impietate fœdauit, pulſis etiam in exilium quibuſdam epiſcopis bene ſentientibus. In qua perturbatione beatus Auguſtinus Hipponenſis epiſcopus, tertio obſidionis menſe, quinto calendas Septembris moritur, ſeptimo & lxx. ætatis anno. Vandali autem capta Carthagine in Siciliam traijcientes, inſulam depopulantur & vaſtāt. Idem fecêre Picti & Scoti, inſulam Britanniam occupantes. Accitus autem à Britannis in auxilium Aetius patritius, vir bellicis artibus inſignis, non modo laborantibus auxilium non fert, verumetiam regnandi cupidus, Hunnos ad inuadendam Italiam ſolicitat. Vnde Britanni ab Aetio deſtituti, ab Anglis auxilium petiêre, quos hoſtes deinceps, non auxiliares ſensêre. Ab his enim oppreſſi, & patriā ſimul & nomē amisêre. Interim verò Theodoſio Conſtantinopoli mortuo, ſeptimo & vigeſimo imperij ſui ac patrui Honorij anno. Belda & Attila fratres Hunnorum reges, Illyricum ingreſſi, omnia incendunt & vaſtant.

*Ioannis tyrannus.*

*Auguſtinus moritur.*

*Belda.*

At Cæleſtinus diuino cultui intentus, conſtituit vt pſalmi Dauid ante ſacrificium antiphonatim ab omnibus canerentur, quod ante fieri non cōſueuerat. Perlecta enim epiſtola & euangelio, finis ſacrificio imponebatur. Refert Martinus Caſſinas, Iudica me Deus & diſcerne cauſam meam, quod in principio ſacrificij dicitur, eius inuentum fuiſſe. Graduale quoq; huic aſſcribitur. Multa præterea conſtituit de omni eccleſia, quæ tum in archiuijs legebantur. Dedicauit & baſilicam Iuliam, cui etiam hæc dona obtulit, patenam argenteam librarum v. & xx. ſcyphos ij. argēteos xx. librarum, aquam annulos argenteos xx. librarum, candelabra argentea duo lx. librarum, cantharos, ceroſtrata ænea quatuor & viginti magni ponderis. Neſtorius aūt Conſtantinopolitanus epiſcopus, nouum tum errorem inducere conatus eſt. Prædicabat enim Chriſtum ex Maria hominem tantum, & non Deū natū, atq; diuinitatē collatam eſſe pro meritis, cui impietati & Cyrillus Alexandrinus epiſcopus, & Cæleſtinus Pontifex, mirum in modum aduerſati ſunt. Nam habita apud Epheſum ſynodo cc. epiſcoporū, impius Neſtorius cum hæreſi nominis ſui, cumq; Pelagianus omnibus, qui dogma illud prope conatum iuuabant, omnium conſenſu xiij. canonibus eorum ſtultitiam impugnantibus damnantur. Præterea Germanum Antiſiodorēſem epiſcopum in Britanniam mittit, qui deturbatis hæreticis, inſulares ad catholicam fidem redigeret. Miſit ad Scotos Chriſti fidē optantes Palladium, quem ipſe epiſcopum creauerat. Huius certè atq; ſuorum opera, magna pars occidentis ad veram Chriſti fidem conuerſa eſt. Ferunt hoc tempore diabolum perſonam Moſi indutum, multos Iudæos decepiſſe, dum eos ex Creta in terram promiſſionis ad ſimilitudinem hiſtoriæ veteris ſicco pede per mare deducere pollicetur. Multi enim ex his falſum Moyſen ſecuti, in vndis periêre. Aiunt autē illos ſolos euaſiſſe, qui tum Chriſtum verum eſſe Deum credidêre. At Cæleſtinus vbi ex ſacris ordinibus ter in vrbe menſe Decembri habitis, presbyteros duos & triginta, diaconos duodecim, epiſcopos duos & lx. creaſſet, moritur, ac ſepelitur in cœmeterio Priſcillæ via Salaria, octauo idus Aprilis. Conſederat annis octo, menſibus decem, diebus & ſeptem. Vacat tum ſedes dies vnum & viginti.

*Neſtorius Conſtantinop.*

*Diabolus perſonam Moſi indutus.*

## XYSTVS III.

*46. Pont.*

XYſtus III. natione Romanus, patre Xyſto, Valentiniani tēpora attigit. Qui occidentalis imperij gubernator, pacem cū Genſerico Vandalorum rege inijt, ac certis finibus Africam ſibi ac Genſerico diuiſam, Vandalis





dalis incolendam dedit. Subornatus deinde Genſericus ab Arrianis, eorum impietatem extollens, varijs terroribus epiſcopos noſtros perſequitur. Interim verò dum Valentinianus Conſtantinopolim proficiſcitur, & Theodoſij filiam in vxorem ducit, Vandali Genſerico duce Carthaginē iterum capiunt ac diripiūt, anno quingenteſimo & lxxxiiij. poſteaquam Romanorum eſſe cœperat. Dum hæc aūt in Aſtica gererentur, Attila cum Belda fratre Hunnorum reges, non cōtenti occupaſſe Pannonias, Macedoniam, Myſiam, Achaiam & vtraſq; Thracias ferro ac flamma deuaſtat, Beldamq; fratrem obtruncat, quò ſolus regno poti retur. Inde verò animos ſumens ad occupandum occidentale imperium, copias vndiq; celeriter colligit, atq; iter ſtatim carpit. Quod vbi Aetius intellexiſſet, legatos de pace ſtatim Toloſam ad Theodoricum regem mittit, cum quo fœdera ita ſunt inita, vt cōmuni impenſa & paribus copijs bellum contra Attilam gereretur. Romanorum ac Theodorici auxiliares copiæ fuêre, Alani, Burgūdiones, Franci, Saxones, atq; omnes ferè occidentales populi. Tandem verò ſuperueniente Attila in campis Catalaunicis, magno ardore animorum prælium vtrinq; committitur. Pugnatum erat aliquādiu atq; acriter, cum vox ſuperueniens incerto auctore, certamini finem impoſuit. Ad cētum & octoginta millia hominum in eo prælio vtrinq; cecidiſſe conſtat, neutra inclinante acie, aut cedente. Ferunt tamen Theodoricum Thuriſmundi regis patrem, eo prælio cecidiſſe.

*Valentinianus imp.*

At Xyſtus pontificatum iniens, à Baſſo quodā reus in iudicium accerſitur. Hic autē cōgregata ſeptē & quinquaginta epiſcoporū ſynodo, ita cauſam dixit, vt ab omnibus vno cōſenſu abſolueretur. Dānatur Baſſus calumniator iniquus, annuente Valentiniano & Placidia eius matre: in exiliumq; mittitur, ita tamē, vt vltimo die viaticū ei ob pietatē eccleſiæ nō negaretur. Eius aūt prædia non fiſco, ſed eccleſiæ aſſcribuntur. Aiunt Baſſum poſt exilium non multū vixiſſe, tertio enim menſe diē extremum obijt: cuius corpus Xyſtus epiſcopus linteaminibus inuolutū, & aromatibus cōſperſum, proprijs manibus ad ſanctū Petrū ſepeliuit in loculis parentum. Aedificauit aūt Xyſtus baſilicā beatæ Mariæ virginis, q̄ ab antiquis Liberij cognominabatur iuxta macellum * Liuiæ. Accepit deinde nomen ad Præſepe: poſtremo verò ſancta Maria maior, vocata eſt. Xyſtum aūt huius templi auctorē fuiſſe, titulus ipſe in frontiſpicio primi fornicis declarat his verbis: XYSTVS EPISCOPVS PLEBI DEI. Per x enim in principio & y ſcribitur Græca orthographia, licèt noſtra ætas conſuetudini ſeruiens, Sixtum ſcribat per s & iota. Huic quoq; tēplo pontifex hęc dona obtulit, altare argenteū puriſsimum, cccc. librarum, ſcyphos argēteos quinq;, calices decē, coronas argenteas octo & viginti, cādelabra argentea tria, thymiamatarium librarū quindecim, fundum Scauri in agro Caietano, fundum Celeris, ceruum argenteum fundentē aquam in fontē baptiſterij. Ornauit & ambonem eccleſiæ porphyreticis lapidibus, quē nos ſuggeſtum appellamus, vbi euāgelium & epiſtola canitur. Præterea verò rogatu Xyſti Valentinianus templa quædam ſanctorum mirificè excoluit. Nā & ſupra confeſſionē beati Petri auream Saluatoris imaginē gemmis aureis diſtinctam collocauit, & faſtigium argenteum baſilicæ Conſtātinianæ à barbaris ſublatum reſtituit. Ornauit & cōfeſsionem beati Petri ex argento. Aiunt præterea huius temporibus Petrum epiſcopum natione Illyricum, ædificaſſe templum diuæ Sabinæ in monte Auentino nō longè à monaſterio ſancti Bonifacij, in quo diuus Alexius iacet. Quod ego factum Cæleſtini primi tēpore crediderim, vt etiā carmina heroica indicāt, quæ adhuc leguntur his ferè verbis:

*Culmen apoſtolicum cum Cæleſtinus haberet,*
*Primus & in toto fulgeret epiſcopus orbe:*
*Hæc, quæ miraris, fundauit presbyter vrbis*
*Illyrica de gente Petrus, vir nomine tanto*
*Dignus, ab exortu* CHRISTI *nutritus in aula.*
*Paupertas locuples, ſibi pauper, qui bona vitæ*
*Præſentis fugiens, meruit ſpirare futura.*

Suntetiam qui ſcribant,huius temporibus fuiſſe Euſebium Cremonenſem
&Philippum Hieronymi diſcipulos,qui pleraque eleganti oratione ſcripsêre.
Laudatur &Eucherius Lugdunenſis epiſcopus doctrina,dicendi copia. Nō im-
probatur poſtremò Hilarius Arelatenſis epiſcopus,vir ſanctitate & doctrina ea
tempeſtate inſignis.Xyſtus autem cum omnia, quæ habuerat, aut in ædificijs &
ornamentis eccleſiarum,aut pauperibus erogaſſet,creatis presbyteris octo & vi-
ginti,diaconis duodecim,epiſcopis duobus &quinquaginta,moritur,ac ſepeli-
tur in crypta via Tiburtina apud corpus beati Laurentij.Sedit autem annis viij.
diebus ix. Vacat tum ſedes dies duos & viginti.

## LEO I.

*47.Pont.* LEo natione Tuſcus,patre Quintiano.
Eo tempore fuit,quo Attila à pugna Catalaunica rediens,in Panno-
nias comparatis magnis copijs,Italiam hoſtili manu ingreſſus,ac primo
Aquileiam in limitibus prouinciæ poſitam,triennio obſedit.Verùm cum iam
deſperatis reb⁹ in eo eſſet,vt ſtatiua moueret,vidiſſetq́; ciconias ex vrbe in agros
pullos ſuos deferentes,auſpicio motus,adhibitis machinis,miſeram ciuitatem
acriter oppugnatam,tandem capit, diripit & incendit: nec vlli generi hominū
*Attila fla-* parcit,flagellum Dei ſe vocitans. Inde Hunni veluti ruptis clauſtris,per totam
*gellū Dei.* Venetiam ſeſe effundentes,vrbes omnes occupant, Mediolanum, ac Ticinum
diripiunt.Iturus deinde Romam infeſtis ſignis,cū eo loci conſediſſet,vbi Min-
cius Padum influit,amnem traiecturus,vir ſanctiſsimus Leo Pontifex calami-
tatem Italiæ & vrbis Romæ miſeratus, adhortante etiam Valentiniano, ei fit
obuiam,perſuadetq́; Alarici exemplo, qui ſtatim Dei iudicio poſt captam vrbē
mortuus eſt,ne vltra progrediatur.Monitis pontificis optimi obtemperans At-
tila,quod dum ſimul loquerentur,cernere duos viros ſupra caput ſuum ſtrictos
tenentes gladios,ac mortem minantes, niſi pareret, viſus eſt.Ij Petrus & Paulus
apoſtoli putati ſunt.inde mouens,Pannonias repetit: vbi non ita multò poſt,ef-
fundente ſe hubertim propter ebrietatem è naribus ſanguine,moritur.

Leo verò ad vrbē rediens,totus ad confirmandam catholicam fidem conuer-
titur,quæ tum potiſsimum à multis hæreticis impugnabatur,maximè autem à
Neſtorianis & Eutychianis.Neſtorius enim Cōſtantinopolitan⁹ epiſcopus,vir-
ginē non Dei,ſed hominis tantummodo genetricē dixit,vt aliam carnis,aliam
*diuinitatis perſonam faceret,&ſeiunctim* alterū eſſe Dei filium,alterū hominis
oſtenderet.Eutyches aūt Cōſtantinopolitanus abbas, ne ſentire cū Neſtorio vi-
deretur,diuinā cū humana natura in idē compoſitū recediſſe affirmabat, vnūq́;
factū,nec vllo modo inter ſe diſtingui debere.Hāc hæreſim cum Flauianus Con
ſtantinopolitanus epiſcopus dānaſſet,Theodoſio annuente, ſynodus Epheſina
indicitur,in qua Dioſcoro Alexādrino epiſcopo præſidēte,Eutyches reſtituitur,
Flauianus verò dānatur.At Leo,mortuo Theodoſio,in eiusq́; locū ſuffecto Mar
ciano principe catholico,cōcilium Chalcedonenſe indicit,in quo ſexcētorum
&triginta epiſcoporū auctoritate decernitur,credendū duas naturas in Chriſto
*Neſtorius* fuiſſe: vtq́; vnus idemq́; Chriſtus Deus & homo crederetur, ac ſtatim Neſtorius
*Conſtanti-* &Eutyches nefandus Manichæorū præſul dānarentur.Combuſti etiam publicè
*nopolita-* ſunt Manichæorum libri,calcata & depreſſa eſt Dioſcori ſuperbia atq; hæreſis.
*nus epiſco-* Interim verò mortuo à ſuis Valentiniano, Maximus tyrannus imperiū occu-
*pus.* pat, Eudoxāq́; quondam Valentiniani vxorem, ſibi violentis nuptijs adiungit.
Hāc ob rem Vandali ex Africa acciti, Gēſerico duce Romā hoſtili manu ingreſ-
ſi,Maximū in illo tumultu ab Vrſo milite Romano occiſum,in Tiberim pro-
ijciunt,vrbē diripiunt atq; incēdunt,templa & ſacraria ſpoliāt, nec Leonē Pon-
tificem exaudiunt clamantem & dicentē, vt vrbi & templis parcentes,prædam
quò vellent abigerent.Abeuntes quartodecimo die poſt vrbem captā, atq; Eu-
doxiam cum filia & ingenti captiuorum numero ſecum trahentes,in Africam
reuertuntur.At Leo ad reparandā vrbem & templa cōuerſus,Demetriam ancil-
lā Dei impulit,vt baſilicā beato Stephano via Latina tertio ab vrbe milliario in
fundo



fundo ſuo cōderet. Ipſe verò in honorem beati Cornelij epiſcopi baſilicam via
Appia ædificauit.Templa diffracta reſtituit,ſacrorum vaſa comminuta aut ab-
lata vel denuo renouauit, vel ex integro quoad fieri potuit,reſtituit. Cameras
præterea tres condidit in tribus baſilicis,Ioānis,Petri ac Pauli. Sepulchris quoq;
Apoſtolorum cuſtodes addidit ex clero Romano: hos cubicularios appellauit.
Præterea verò monaſterium prope ſanctum Petrum condidit, conſtituitque vt
intra actionem myſterij diceretur: HOC ſanctum ſacrificium ,&c. néue vlla
monacha velamen capitis benedictum acciperet,niſi approbatum fuiſſet, eam
quadraginta annis caſtè & integrè vixiſſe.Dum autem his curis vir ſanctus intē-
tus eſſet,ſubito exorta eſt Acephalorum hæreſis: qui ideo Acephali vocati ſunt, *Acephalo-*
quia ſine cerebro & ſine auctore habebantur. Hi autem Chalcedonenſe conci- *rum hære-*
lium improbant,proprietatem duarum ſubſtantiarum in Chriſto negāt,vnam *ſis.*
tantum in eiuſdem perſona naturam prædicantes: quam quidem hæreſim epi-
ſtolis ſuis eleganter,& docte ad Chriſti fideles ſcriptis acerrimè confutauit.Sunt
qui ſcribant,Paulinum Nolanæ vrbis epiſcopum,Proſperum Aquitanū virum
doctum,Mamercum Viennēſem epiſcopum,in pretio tum fuiſſe. Primus enim
Mamercus (vt aiunt) ſupplicationes, quas Græci litaneias vocant, inſtituit ob
frequentes terræmotus,qui tum maxime Gallias vexabant. Leo poſtremò crea-
tis ex inſtitutione ſacrorū lxxxj. presbyteris,diaconis xxxj. epiſcopis ſex & lxxx.
moritur,ac ſepelitur apud ſanctum Petrum in Vaticano iiij. idus Aprilis.Sedit
annis vno & viginti,menſe vno,diebus tredecim. Vacat tum ſedes dies octo.

## HILARIVS I.

HIlarius natione Sardus, patre Criſpino,ad Leonis tempora peruenit. *48.Pont.*
Leo enim primus ex Græca natione,in locum Marciani imperatoris *Leo primus*
demortui ſufficitur,qui ſtatim filium ſuū eiuſdem nominis, Auguſtū *imp.*
creat.Sub hoc quidem imperatore reſpublica Romana magnas calamitates paſ
ſa eſt,ſubortis quibuſdam tyrannis imperium vſurpare conantibus. Hac verò
oportunitate illectus Genſericus Vandalorum rex, ex Africa in Italiam ſtatim
nauigat,Romanum imperium inuaſurus. quod vbi intellexit Leo ,* Baſiliſcū
patritium cum valida claſſe in auxilium Anthemij principis Romani mittit.
Hi coniunctis copijs & animis ad Populoniam Genſerico fiunt obuiam, homi-
nemq́; claſſe decernere impellunt: qui quidem ſuperatus ingenti clade, turpi fu
ga in Africam redijt.Vexare interea vrbem Romanam parabat Ricimer ille pa-
tricius,qui Biorgum Alanorum regem in montibus Tridentinis ſuperauerat,
elatus tanta victoria,ni Epiphanius Ticienſis epiſcopus, hominem Anthemio
vrbem defendenti conciliaſſet.

Hilarius autem in tanta perturbatione rerum, diuinam rem intermiſit nun-
quam.Præterea verò inſtituit,ne pontifices deinceps ſucceſſorem ſibi deligerēt:
quę inſtitutio ad omnes eccleſiaſticos gradus pertinet.Fecit &decretalem,ac per
vniuerſum orbem ſparſit. Epiſtolas quoq; conſcripſit de fide catholica,tres ſy-
nodos confirmantes,Nicænam,Epheſinā,&Chalcedonenſem,quibus item Eu-
tychem,Neſtorium,& Dioſcorum cum ſectatoribus damnat.In baptiſterio aūt
Conſtantinianæ baſilicæ tria oratoria ædificauit,auro & prætioſis lapidibus di-
ſtincta,tribus ſanctis dedicata,Ioanni Baptiſtæ,Ioanni Euāgeliſtæ,& ſanctæ Cru-
ci: quorum ianuæ erant æneæ argento cælato clauſę.In oratorio autem τοῦ ϛαυροῦ
erat lignum crucis auro clauſum, & ornatum gemmis. Stabat & eo loci agnus
aureus duarum librarum in columna onychina.ante oratoriū erant columnæ
miræ magnitudinis,quæ dicuntur hecaton.In fonte Ioannis erat lucerna aurea
librarum decem,cerui argentei tres,octoginta librarum,aquam fundentes, co-
lumba aurea duarum librarum.Addidit & oratorium ſancti Stephani baptiſte-
rio Lateranenſi. Duas quoque bibliothecas apud eundem locum ædificauit.Ad
Lunam verò, monaſterium in vrbe ſtruit. Omitto dona templis oblata, quæ
quidem propè infinita fuêre, ex auro, argento, marmoribus & gemmis. Sunt
qui ſcribant, Germanum Altiſiodorenſem & Lupum *Trecharenſem epiſco- *Tracaſenſū*
pos,huius tēporibus fuiſſe,qui tum multū iuuêre Chriſtianam fidem, gētilium
ac Pe-

*Gennadius epiſcopus. Victorinus Aquitanus Merlinus vates.*

ac Pelagianorum opera plurimum labefactatam. Gennadius præterea Conſtantinopolitanus epiſcopus, ingenio, doctrina, & moribus eccleſiæ Catholicæ multum profuit. Victorinus aũt natione Aquitanus arithmeticus inſignis, rationẽ Paſchæ ad curſum lunæ tum redegit, Euſebium & Theophilum ea in re ſuperãs. Sunt qui Merlinum Anglum vatem inſignem his temporibus aſſcribãt, de quo plura fortaſſe, q̃ ſatis eſt, ſcribũtur. Hilarius aũt vbi ea peregiſſet, quæ ad optimũ pontificem pertinebant, tum in extruendis templis ornandisq́;, tum etiam docendo, admonendo, caſtigando, eleemoſynasúe vbi erat opus præbendo, moritur, creatis prius de more quinq; & viginti presbyteris, diaconis quinq;, epiſcopis duobus & viginti. Sepelitur aũt in crypta ſancti Laurentij apud corpus beati Xyſti. Sedit annos ſeptem, menſes tres, dies decem. Vacat tum ſedes dies decem.

***ANNOTAT.***

*Vt, ex antiquis literis argenteis, & muſiuis, quæ adhuc extant in baptiſterio Lateranenſi, Hilarus, non Hilarius dicendum eſt, quod etiam in aliquot vetuſtis codicibus ſcriptum animaduerti.*

## SIMPLICIVS I.

*49. Pont.* SImplicius patria Tiburtinus, patre Caſtino, imperante Leone ſecundo & Zenone fuit.

*Leo ſecundus, & Zeno imp.*

Nam Leo primus valetudine correptus, Leonem ſecundum ex Ariadne ſorore ſua nepotem, & Zenonis Iſaurici filium, ſucceſſorẽ imperij deſignauit: qui non ita multò pòſt graui morbo oppreſſus, cum finem vitæ ſibi adeſſe cerneret patri Zenoni imperium reliquit. Interim vero Odoacer cum maxima Tucilingorum & Herulorum manu Italiam ingreſſus, Oreſtem patriciũ apud Ticinum ſuperatum & captum, Placentiæ inſpectante exercitu interfecit. At Zeno calamitates Italiæ miſeratus, Theodoricum Gotthorum regẽ iam antea apud ſe in honore habitum, contra Odoacrem cum ingẽtibus copijs in Italiam propere mittit, qui duces Odoacris nõ procul Aquilea ad Liſontium amnẽ graui prælio ſuperat. Eadẽ quoq; fortuna contra Odoacrem ſæpius vſus, hominem triennio Rauenna obſeſſum eò perpulit, hortante etiam Ioanne epiſcopo, vt ſe imperij ſociũ acciperet. Verũ ſequenti die cũ filio cõtra datam fidẽ interficitur, vnde ſtatim nemine aduerſante Theodoricus totius Italiæ imperio potitus eſt.

Simplicius autem vir ſanctiſsimus has baſilicas interim dedicat, baſilicã Stephani protomartyris in Cælio monte, baſilicam Andreæ Apoſtoli non longè à templo ſanctæ Mariæ maioris, in qua ad huc veſtigia quædam antiquitatis apparent, quæ perſæpe flendo etiam inſpexi ob incuriam eorum, quibus ipſa templa iam ruinam minantia, commiſſa ſunt. Hoc autem in templo hæc carmina legiſſe me memini muſiuo opere deſcripta:

*Hæc tibi mens valide decreuit prædia Chriſte,*
*Cui teſtator opes detulit ille ſuas:*
*Simpliciusq́ Papa ſacris cæleſtibus aptans*
*Effecit vere muneris eſſe tui:*
*Ne quod Apoſtolici deeſſent limina nobis,*
*Martyris Andreæ nomine compoſuit.*
*Vtitur hæc hæres titulis eccleſia iuſtis,*
*Succedensq́ domo myſtica iura locat.*
*Plebs deuota veni, perq́ hæc commercia diſce*
*Terreno cenſu regna ſuperna peti.*

Dedicat & aliam baſilicam Stephani Simplicius apud ſanctum Laurentium, baſilicam quoque Vibianæ martyris ad palatium Licinianum, vbi corpus virginis repoſitum eſt. Hebdomadas quoque inſtituit, vt presbyteri, tum ad Petri, tum ad Pauli, tum ad Laurentij martyris templa viciſsim manerẽt propter pœnitentes & baptiſmum requirentes. Vrbem præterea presbyteris in quinque regiones diuiſis, prima erat Petri, ſecunda Pauli, tertia Laurentij, quarta Ioannis Lateranenſis, quinta ſanctæ Mariæ maioris. Inſtituit poſtremò, ne clericus vllus poſſeſsio-



nẽ beneficij à laico recognoſceret, quod poſtea à Gregorio & alijs Pontificibus cõfirmatum eſt. Romã autem ſedem eſſe primã omnium eccleſiarum, declarant Acatij epiſcopi Cõnſtãtinopolitani, & Timothei viri doctiſsimi ſcripta, quibus rogatur Simplicius Pontifex magnus, vt Petrum Alexandrinũ epiſcopum Eutychetis imitatorem, hæreſeos damnet. Quod etiã factum eſt, hac cõditione tamen, vt pœnitenti tempus aſſcriberetur. Sunt qui dicant huius temporibus fuiſſe Remigium Remenſem epiſcopum virum ſanctiſſimũ, qui Clodoueum (vt hiſtoriæ referunt) regẽ Francorum baptizauit. Scripſit etiam multa eo tempore cõtra Eutychetem Theodorus Syriæ epiſcopus: edidit & decem libros eccleſiaſticæ hiſtoriæ, Euſebiũ Cæſarienſem imitatus. Tum verò oẽs fere Aegyptij declinarunt in Dioſcori hæretici errorem, de quo multa ſuperius diximus. Vexauit & catholicos in Africa Hunericus Vandalorum rex, Arrianos imitatus. Quamobrem Eudoxia Theodoſij neptis, mulier catholica eius vxor, ſimulans ſe Hieroſolymã voti cauſa ituram, à marito hæretico diſcedens, Hieroſolymis poſt longã peregrinationẽ, & mulieri præſertim grauẽ moritur. Ferunt ea tempeſtate & Eliſei oſſa in Alexandriã translata eſſe, & corpus Barnabæ Apoſtoli, cum euãgelio eius manuſcripto, repertũ. At Simplicius cum eccleſiã Romanã nõ inſtitutis ſolum, verumetiã donis auxiſſet, creaſſetq́; ex ordine ſacrorũ presbyteros octo & quinquaginta, diaconos vndecim, epiſcopos ſex & octoginta, moritur, ac ſepelitur in Petri baſilica ſexto nonas Martij. Sedit aũt annos quindecim, menſem vnum, dies ſeptem. Vacat tum ſedes dies ſex & viginti.

## FELIX III.

FElix tertius, patria Romanus, patre Felice presbytero, ex regione Faſciolæ, à rege Odoacre, qui annis quatuordecim Italiæ imperauerat, vſq; ad Theodoricum peruenit. *50. Pont. Odoacer.*

Qui etſi Rauennam ſedem regni feciſſet, tamen vrbem Romam quoad fieri potuit, exornauit. Nam & ſepulchrum Octauij inſtaurauit, & ſpectacula de more exhibuit, & ædificia ac baſilicas pleraſq; reſtituit, nihilq́; omiſit quod ad optimum principem pertineret. At verò vt regnum aliquando ſtabiliret, & Clodouei Frãciæ regis filiam Andefledam in vxorẽ duxit, & ſororem Hunerico Vandalorum, & filiarum ſuarum alteram Alarico Veſegothorum, alteram Gundibato regibus in matrimonium collocauit.

Felix aũt tum maximè intellexerat Petrum Eutychianum, quẽ ante diximus ob hæreſim in exilium pulſum, inſtigante Acatio, tũc demum ab eodem reuocatum eſſe. Quare ſanctus Pontifex fraudem ſubeſſe veritus, ex auctoritate ſedis Apoſtolicæ concilio bene ſentientium approbata, Petrum & Acatium dãnat. Poſt annos verò tres cum Zeno fidem faceret hos homines pœnitere. Felix eò miſit epiſcopos duos, Meſſenum & Vitalem, qui recognita damnatos abſoluerent. Hi itaque Heracleam ciuitatem ingreſsi, pecunia corrupti, nihil ex ſententia Felicis egêre. Vnde Pontifex meritò indignatus, habita de more ſynodo, hos vt præuaricatores & Simoniacos à communione deiecit. Meſſeno tamen pœnitentiæ tempus aſſcriptum eſt, qui errorem ſuum faſſus eſt, pœnitendiq́; tempus petijt. Idem quoque Felix baſilicam ſancti Agapeti ædificauit non longe à baſilica Laurentij martyris. Conſtituit item, eccleſiæ non niſi ab epiſcopis conſecrarẽtur. Aiunt aũt huius tempore Theodorum presbyterum Græcum, librũ cõtra hæreticos ſcripſiſſe de conuenientia veteris ac noui teſtamẽti. Sunt etiam qui huic ætati aſſcribant Ioannem Damaſcenum, virum doctiſsimum ac theologum inſignem. Hic enim librum ſententiarum cõpoſuit, in quo Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nyſſenum, Didymum Alexãdrinum imitatus eſt, libros quoq; medicæ artis cõpoſuit, quibus morborum cauſam & medelas deſcribit. At Felix cum ex inſtitutione ſacrorum ordinum, quos in vrbe Roma mẽſe Decembri bis habuit, presbyteros octo & viginti, diaconos quinq;, epiſcopos triginta creaſſet, moritur, ac ſepelitur in Pauli baſilica. Sedit annos octo, menſes vndecim, dies decem & ſeptem. Vacat tum ſedes dies quinque.

*Theodorus presbyter.*

A N N O T A T.

*Felicem hunc non tertium, ſed ſecundum appellarem, cùm is, qui in ſchiſmate contra Liberium creatus eſt, Papa dici non potuerit.*

*Gelaſius, de quo mox Platina ſcribit, canonicos (vt vocãt) regulares ordinis ſancti Auguſtini Laterani primus collocauit, qui ibidem vſq; ad Bonifaciũ VIII. à quo expulſi ſunt, permanſerũt, ex archiuijs baſilicæ Lateranẽſis.*

## GELASIVS I.

*51. Pont.*

GElaſius natione Afer, patre Valerio, eo tempore fuit, quo Theodoricus Clodoueo ſocero ſuo Francorũ regi bellum intulit, ꝙ Alaricum generũ Veſogotthorum regẽ in agro Volgadenſi interfeciſſet, Vaſconiáq; occupaſſet, vterq; affinis erat. Iuſtior habebatur Alarici cauſa, vnde ſocerũ genero prætulit. Superatis itaq; Francis ingenti prælio, Vaſconiam recipit, receptamq́; pro Almarico Alarici filio, donec adoleſceret, gubernat. Idem Theodoricus Siciliam, Dalmatiam, Liburniam, Illiricum, Narbonenſem Galliam, Burgundiam ſuo regno adiecit. Tridentum vrbẽ in alpibus muro cinxit, & Italiam ab externo hoſte tutatus eſt, collocatis Erulis in extremis Italiæ partibus apud prætoriam Auguſtam, quorum regem adhuc adoleſcentẽ in adoptionẽ ſuſceperat.

Gelaſius autem Manichæos in vrbe deprehenſos exilio damnat, eorumq́; libros apud baſilicam diuæ Mariæ publicè cõburit. Inſtante præterea ſynodo, cognita Meſſeni pœnitẽtia, eum libello prius ſatisfacientem, purgatũ eccleſiæ ſuæ reſtituit. Cum verò intellexiſſet Petri & Acatij ſeditionibus multa flagitia & parricidia in eccleſijs Græciæ committi, confeſtim eò miſit, qui hos, ſi nõ ſtatim pœniterent, in perpetuũ dãnarent. Erat aũt conſuetudo primitiuæ eccleſiæ, diutius expectare ad gremium pietatis ſuæ aliquando redituros. Cõfugerat tum Ioannes Alexandrinus epiſcopus, vir catholicus illorum ſeditionibus vexatus, ad pontificẽ Romanum, à quo perbenignè & comiter ſuſceptus eſt. Dedicauit Gelaſius eccleſiam Euphemiæ martyris in ciuitate Tiburtina. Dedicauit & baſilicã ſanctorum Nicandri & Eleutherij via Labicana, & baſilicam ſanctæ Mariæ via Laurentina in fundo Criſpi vigeſimo ab vrbe lapide. Clerum quoq; amauit & auxit. Pauperes ſemper mira beneuolentia & caritate cõplexus eſt. Ciuitatẽ Romanam à multis periculis liberauit, maximè verò ab inopia rerũ & fame. Hymnos enim etiã compoſuit ad imitationẽ beati Ambroſij, edidit & libros quinq; contra Eutychen & Neſtorium, duos item cõtra Arrium. Orationes habuit elegantes & graues. Epiſtolas præterea ad amicos & domeſticos fidei ſcripſit, nõ minus graues quàm doctas: quæ opera in publicis bibliothecis tum legebantur. Sũt qui ſcribant Gelaſium excõmunicaſſe Anaſtaſium imperatorẽ Conſtantinopolitanum, Zenonis ſucceſſorem, ꝙ hæreticis & Acatio faueret, vnde conſtat, imperatorẽ errantem in fide & monitum, ſi non paruerit, à pontifice Romano excommunicari poſſe. *Anaſtaſius imp.* Eadem auctoritate vſus eſt etiam contra Vandalos eorũq́; regẽ, qui Arriana infecti hæreſi, catholicos cruciatibus & ſupplicijs perſequebãtur. Fuêre etiam in primo huius pontificis tempore Germanus & Epiphanius, quorum alter Ticinenſis, alter vero Cãpanus epiſcopus fuit. Hi multum auctoritate & ſanctitate ſua Italiam à barbaris vexatã iuuêre, orationibus & blãdicijs barbarorũ corda mollientes. Multum præterea tum in Gallia profecêre, & Lannociatus abbas Carnotenſis, & Aurelianus & Mezẽtius Pictauienſis viri optimi ac docti, qui Clodoueum regẽ Franciæ, ac Crocildim eius vxorẽ eò perpulêre, vt Chriſtianiſsimi fierent, & fidem catholicam vbiq; tutarentur. Sunt qui hãc laudem Remigio viro ſanctiſſimo aſſcribãt. Gelaſius aũt poſteaquam presbyteros duos & triginta, diaconos duos, epiſcopos ſeptem & ſexaginta creaſſet, moritur, ac ſepelitur in baſilica beati Petri Apoſtoli xj. Calendas Decembris. Sedit annis quatuor, menſibus octo, diebus decem & ſeptem. Vacat tum ſedes dies ſeptem.

## ANASTASIVS II.

*52. Pont. Anaſtaſius imp.*

ANaſtaſius ſecundus, patria Romanus, patre Fortunato, Anaſtaſio imperante fuit.

Quo tempore Tranſamundus Vandalorum rex, & catholicas eccleſi-





as claudit, & centum ac viginti epiſcopos exulatum in Sardiniam mittit. Ferunt tum apud Carthaginem Olympium quendam Arrianum epiſcopum, ſanctam trinitatem publicè in balneis deteſtantem, tribus fulminibus ictum concidiſſe, eiuſq́; cadauer exuſtum omnino fuiſſe. *Olympius de cœlo tactus.* Cumq́; item Barbas quidam Arrianus epiſcopus, neſcio quem baptizaturus eſſet his verbis, Baptizat te Barbas in nomine patris per filium in ſpiritu ſancto, ferunt aquam nuſquam comparuiſſe, quo miraculo permotus, qui characterem expectabat, confeſtim ad noſtros tranſijt.

Anaſtaſius verò (vt quidam ſcriptores referunt) Anaſtaſium imperatorẽ excommunicauit, ꝙ Acatio faueret, tametſi poſtea ipſe ab Acatio ſeductus, dum eum reuocare clanculum tentat, clerum à ſe grauiter alienauit, qui ſe à cõmunione pontificis tum maxime ſubtraxit: quòd etiã ſine catholicorum conſenſu Photino Theſſalonicenſi diacono communicaſſet, qui tum Acatij errorẽ imitabatur. Hanc ob rem ferũt diuino nutu hominẽ ſubito morbo correptum interijſſe. Sunt qui dicant, eum in latrinam effudiſſe inteſtina, dum neceſsitati naturæ obtẽperat. Huius temporibus Fulgentius natione Afer, Rumpenſis epiſcopus, qui in Sardiniam quoq; cum alijs catholicis Africę à Tranſamundo exulatũ miſſus eſt, nil prætermiſit, quod ad veram Chriſti fidem pertineret, docẽdo, prædicando, monendo. *Fulgentius* Edidit & libros de trinitate, de libero arbitrio, de regulis fidei. Scripſit & contra Pelagianam hæreſim. Orationes quoq; habuit ad populos elegantes quidẽ & graues. Iuuit etiã ſcriptis ſuis eccleſiã Dei Egeſippus vir doctiſſimus, qui & monachorũ regulas compoſuit, & ſancti Seuerini abbatis eleganti ſtylo vitam edidit. *Egeſippus.* Fauſtus aũt apud Gallos epiſcopus multa tum ſcripſit copioſé & ornare, ſed eius illud opus potiſſimum laudatur, quod cõtra Arrianos ſcripſit, in quo oſtendit τϱίαδα, hoc eſt, trinitatem eſſentialem eſſe. Scripſit & contra eos qui dicunt, increatis aliquid incorporeum eſſe. qua in re oſtendit, tum patrũ ſententijs, tum diuinæ ſcripturæ teſtimonijs, ſolum Deũ incorporeum dici poſſe, ne etiam creata incorporea dicerentur. Hæc de Anaſtaſio & eius pontificatu, qui ex ſacris ordinibus ſemel Decembri menſe in vrbe habitis, presbyteros duodecim, epiſcopos ſedecim creauit. Sepultus eſt autem in baſilica Petri xiij. calendas Decembris. Sedit annum vnum, menſibus decem, dies quatuor & viginti. Vacat tum ſedes dies quatuor.

## SYMMACHVS I.

*53. Pont.*

SYmmachus natione Sardus, patre Fortunato mortuo Anaſtaſio, Pontifex creatur, nõ ſine magna diſcordia. Nam dum pars cleri Symmachum apud baſilicam Conſtantinianum pontificem decernit, pars altera apud baſilicam Mariæ in via Noua, Laurentium in locum demortui Anaſtaſij ſufficit, ſeditio ingens in ſenatu ac populo Romano bifariam diuiſo orta eſt, vnde omnium conſenſu concilium Rauennæ indicitur: diſcuſſáq; re præſente Theodorico, Symmachus tandem in pontificatu confirmatur, qui certè magna clementia vſus, Laurentium competitorem Nucerinis epiſcopum dedit. Verùm anno quarto poſt clerici quidam ſeditionibus gaudentes, adiuuantibus Feſto & Probino ſenatorij ordinis viris, Laurentium reuocãt, qua ex re indignatus rex, Petrum Altini epiſcopum Romam mittit, qui pulſo vtroq; ſedem teneret. Verùm Symmachus, habita centum & viginti epiſcoporũ ſynodo, & obiecta conſtanti animo diluit, *Rauenna. concilium.* & omnium ſententijs obtinuit, vt Laurentius & Petrus malorũ omnium capita relegarentur. Orta autẽ ob hanc rem tanta ſeditio Romæ eſt, vt multi tum ex clero, tum ex populo paſſim cæderentur, nec ſacris virginibus parcerẽt. Opprimitur eo tumultu Gordianus presbyter, vir optimus ad vincula ſancti Petri, *Gordianus presbyter.* nec finis tantæ cædis factus fuiſſet, ni Fauſtus cõſul clericos miſeratus, contra Probinum tanti mali auctorem arma ſumpſiſſet.

Reſpirante deinde aliquãtulum republica Chriſtiana, Clodoueus pulſis Arrianis hæreticis, & catholicos reduxit, & Pariſiorum ciuitatem regni caput conſtituit.

Symmachus verò Manichæos tum ab vrbe expulit, eorumq́; libros ante fores Cõſtantinianę baſilicę cõcremauit. Baſilicas verò multas, aut ornauit, aut à fun

damentis erexit. Nã & templum beati Andreæ Apoſtoli apud ſanctum Petrum
ædificauit, multoq́; argento & auro exornauit, & templum ipſius Apoſtolorum
principis ac porticum cum marmoribus opere vermiculato in anguſtiorẽ for-
mam redegit. Gradus quoq; ipſius baſilicæ ampliores fecit, aliosq́; gradus ſub di
*Epiſcopi.* uo dextra læuaq́;, epiſcopia præterea conſtruxit. Aedificauit etiam baſilicã Aga-
thæ martyris via Aurelia in fundo Lardario. Baſilicam ſancti Pancratij cum ar-
cu argenteo librarum quindecim. In baſilica Pauli renouauit apſidam, cui rui-
na imminebat, picturisq́; ornauit. poſt apſidam verò aquam introduxit, bal-
neumq́; fundamento erexit. In vrbe autem baſilicam ſanctorũ Siluestri & Mar-
*Ciborium.* tini à fundamentis extruxit iuxta Traiani thermas, vbi & ſupra altare ciborium
fecit argenteum librarum centum viginti, arcus argenteos librarum decem: cõ-
feſsionem argenteam librarum quindecim, ſuggeſtum quoq; erexit porphyre-
ticis & cruſtis marmoreis inſignem. Fecit & gradus baſilicę Ioannis & Pauli poſt
apſidam. Auxit & baſilicam archangeli Michaëlis, aquamq́; introduxit. San-
ctorum Coſmæ & Damiani oratoria à fundamẽtis erexit via Tiburtina in fun-
do Paciano, adiuuãtibus Albino & Glaphyra illuſtribus viris. Pauperibus quo-
que ad baſilicas Petri & Pauli habitacula extruxit, curauitq́; ne quid eis deeſſet,
quod ad victum pertineret. Amator enim pauperum fuit, & epiſcopis ac cæteris
clericis in Africa & Sardinia propter catholicam fidem exulantibus, pecunias
& veſtes ſubminiſtrabat. Reparauit etiam baſilicã ſanctæ Felicitatis: & aſpidam
beatæ Hagnetis cum baſilica, quæ ruinam minabantur, in meliorem formam
reſtituit. Redemit & captiuos in diuerſis prouincijs multa pecunia. Conſtituit
item vt die dominico, vel natalitijs martyrũ caneretur hymnus, Gloria in ex-
celſis Deo. Cœmeterium, quoque Iordanorum vel fecit, vel in meliorem for-
mam redegit. Nil poſtremò omiſit, quod ad omnipotentis Dei gloriam perti-
neat. Huius quoque tempore eccleſiam Dei multum iuuit Gennadius Maſsili-
*Gennadius* enſis epiſcopus, qui diligens Auguſtini imitator, & librum de dogmatibus cõ-
*Maſsiliẽſis* poſuit: & quid cuiq; ad ſalutem neceſſariũ eſſet, declarauit. Scripſit item de vi-
*epiſcopus.* ris illuſtribus, Hyeronymũ imitatus. Symmachus aũt creatis duobus & lxxxx.
presbyteris, diaconis xvj. epiſcopis cxxij. habitis de more ſacris ordinibus, mo-
riens, ad baſilicam Petri ſepelitur xiiij. calendas Auguſti. Sedit autem annis xv.
menſibus ſex, diebus xxij. Vacat tum ſedes dies ſeptem.

### ANNOTAT.

*Schiſma hoc pernitioſum, & atrox à primo Nouatiani ſchiſmate quartũ fuit, cuius præter bibliothecarium in dialogis libro iiij. cap. xl. beatus Gregorius mentionẽ facit, vbi de Paſchaſio diacono loquitur. Reliqua ſchiſmata in meo indice diligenter annotabo.*

## HORMISDA I.

*54. Pont.* HOrmiſda patria Fruſinonius, patre Iuſto, ad Theodorici & Anaſtaſij tẽ-
*Theodoricus imp.* pora peruenit, à conſulatu Senatoris vſque ad conſulatum Boëthij &
Symmachi.
*Boëthius.* Quos Theodoricus ob ſuſpicionẽ affectatæ libertatis, exilio primo, mox car-
cere afficit. In hac calamitate conſtitutus Boëthius, multa ſcripſit quæ adhuc le-
guntur. Tranſtulit & pleraq; ex Ariſtotele, in eadẽq́; cõmentatus eſt. In mathe-
maticis doctiſſimus eſt habitus, quod eius muſicæ & arithmaticæ oſtendunt. Po-
ſtremo verò cum Symmacho ſenatore Theodorici iuſſu necatur. Sunt aũt qui
ſcribãt, Boëthium tantam calamitatem ſubijſſe, quod in Arrianos inueheretur,
ad quos Theodoricus declinauerat. Superior ſententia mihi verior videtur.

Hormiſda aũt hortante Theodorico, prouincialem ſynodum in vrbe habuit
omniumq́; cõſenſu Eutychianos iam antea improbatos, dãnauit. Ioannẽ quo-
que Conſtantinopolitanũ epiſcopũ literis & nuncijs adhortatus eſt, vt ab eadẽ
hæreſi deſiſteret, crederetq́; duas in Chriſto naturas eſſe, diuinam & humanam.
Deſijt parere Ioannes Anaſtaſij viribus fretus, quem non ita multò pòſt fulmine
ictum, dediſſe pœnas creditũ eſt, tum propter hæreſim quæ grauis erat, tum vel
maximè, quia legatos ab Hormiſda miſſos, cõtra ius gentiũ magna affecerat cõ-
tumelia: reiectos enim à ſe, naui quaſſa & rimoſa ea conditione nauigare iuſsit,





vt recta in Italiam redirent, nec vllum Græciæ littus attingerent. Hæc etiam eiſ-
dem mandata ad põtificem dediſſe referunt, vt ſciret imperatoris proprium eſ-
ſe imperare, & non imperata pontificis aut cuiuſuis alterius accipere. Fuêre aũt *Iuſtinus*
legati, Euodius Ticinenſis epiſcopus. Fortunatus Catinenſis, Venantius vrbis *imper.*
Romæ presbyter, & Vitalis diaconus. Mortuo itaq; Anaſtaſio vij. & xx. imperij
anno, Iuſtinus orthodoxæ fidei amator imperium accipit, ac ſtatim nuncios ad
Pontificem mittit, qui & ſedis apoſtolicæ auctoritatem confirmarent, & pacem
eccleſijs omnibus exquirerent, quantum per religionem concederetur. Quare
permotus Hormiſda Theodorico annuente, Germanum Capuanum epiſco-
pum, Ioannem & Blandum presbyteros, & Felicem ac Dioſcorum diaconos, le-
gatos ad Iuſtinum mittit, qui eos nullo non genere honoris adhibito, effuſa ob-
uiam honoris gratia monachorum, ac magna orthodoxorum & illuſtrium vi-
rorum multitudine, honorificè accipit, congratulante clero vnà cum Ioanne
Conſtantinopolitano epiſcopo. At qui cum Acatio ſentiebant, iſtorum aduẽ-
tum veriti, ſe in templo quodam munitiſſimo incluſerunt, & nuncios habita
conſultatione ad imperatorem miſêre, affirmantes ſe nullo pacto in ſententi-
am apoſtolicæ ſedis venturos, niſi eis reddita fuerit ratio, quamobrem Acatius
damnatus eſſet, hos omnes Iuſtinus ex templo atq; ab vrbe expulit. Idem fecit
Hormiſda contra Manichæos iterum in vrbe Roma pullulantes, eorumq́; co-
dices ante fores baſilicæ Conſtantinianæ incendio conſumpſit.

Eodem tempore mortuo in Africa Tranſamundo Vandalorũ rege, Ildericus
filius, quem ex captiua Valentiniani filia ſuſceperat, regnum obtinet. Hic non
hæreſim paternam imitatus, ſed matris catholicæ monita ſecutus, oẽs catholi-
cos, quos Tranſamundus in exiliũ miſerat, reduxit, atq; eos ſuo inſtituto viuere
permiſit. Dona præterea multa ac precioſa eodem tempore Romam ad ornãdas
baſilicas ſanctorum ſunt miſſa. Gemmas enim magnę æſtimationis Clodoueus
rex Franciæ miſit. Delata & dona tum aurea, tum argentea: Delata euangelia cũ
tabulis aureis gemmis diſtinctis à Iuſtino imperatore voti gratia. Miſit & pate-
nam auream librarum viginti cum hyacinthis, ſcyphum aureum gemmis cir-
cundatũ. Ornauit & templum beati Petri Theodoricus rex trabe argentea M.
& xl. librarũ, ceroſtratis argenteis duobus librarum lxx. Certauit & Hormiſda
muneribus cum his principibus. Locauit enim ante altare Conſtantinianæ ba-
ſilicæ coronam argenteam librarum viginti, cantharos argenteos ſex. Ornauit
etiam templũ Pauli ſcyphis argenteis decem, amis argenteis tribus. His demum
ex ſententia peractis, cum etiã de more presbyteros vnum & viginti, epiſcopos
quinq; & I. creaſſet, moritur, ac ſepelitur in baſilica Petri octauo idus Auguſti,
cõſulatu Maximi. Sedit annis nouẽ, diebus octodecim. Vacat tum ſedes dies ſex.

## IOANNES I.

IOannes natione Tuſcus, patre Conſtantio, à conſulatu Maximi vſq; ad *55. Pont.*
conſulatum Oliberij peruenit, Theodorici regis temporibus & Iuſtini
Auguſti, qui orthodoxæ fidei diligentiſſimus obſeruator, vt tandem hæ-
reticorũ nomen extingueret, Arrianos expulit, eorumq́; eccleſias catholicis aſ-
ſignauit. Quam quidem rem Theodoricus ægrè ferens, Ioannem Pontificem,
Theodorum, duosq́; Agapetos oratores ad Iuſtinum mittit, qui eum adhortarẽ-
tur, vt Arrianos reſtitueret: ſin ſecus animatus eſſet, ſciret ſe oẽs Italiæ eccleſias,
catholicas præſertim, demoliturum. Magnificè & perbenignè primo quidẽ ex-
cepti legati ſunt, qui vbi rationem legationis expoſuêre, cum flectere Iuſtinum
non poſſent, ad lachrymas verſi, ac ſuppliciter petentes, vt periturę Italiæ vnà cũ
catholicis omnibus ſubueniret, eò tandem pium hominẽ perpulêre, vt Arria-
nos reſtitueret, atq; eos viuere ſuis legibus & inſtitutis ſineret. Sunt qui ſcribant,
Theodoricum rabie ſæuiendi tum incitatum, Symmachum & Boëthium reuo
catos ab exilio & carcere, eo tempore occidiſſe. Vtcunq; ſit, necatos Theodorici
iuſſu conſtat, nec multum refert Hormiſdæ ne, an Ioannis temporibus aſſcribã-
tur. Ioannes aũt Rauennam ad Theodoricum rediens, in carcerem propere cõ-
ijcitur: ac parũ abfuit, quin eum ſtatim occideret: adeo in hominẽ exarſerat, & fi-

de & moribus cum Iuſtino ſentientem. Perijt tamen ſanctiſſimus homo in car-
cere pedore, ſitu, & inedia: quam quidem ſæuitiam ira diuina nõ ita multò pòſt
grauiore pœna compeſcuit. Apoplexia enim Theodoricus moritur, eiusq; ani-
ma (vt quidam eremita vir ſanctiſſimus retulit) in ignem Lipareũ immerſa eſt.
Theodorico aũt in regnum Amalaſiuntha filia ſucceſſit, cum gnato Athala-
rico, quem ex Eucherio marito ſuſceperat. Quæ quidem mulier ſupra ſexũ pru-
dentia vſa, & patris decreta mala pręſertim emendauit, & Boëthij ac Symmachi
filijs bona paterna in fiſcũ delata reſtituit, & filiũ optimis diſciplinis erudiuit, ad
uerſantibus Gotthis, & acclamantibus, non literis, ſed rei militaris diſciplina,
regẽ ſuum imbuendum eſſe. Iuſtinus autẽ ſenex admodum, eodem ferme tẽpo-
re Iuſtiniano ſororis ſuæ filio imperatore relicto moritur, & Clodoueus Frãciæ
*Benedictus* rex, filijs quatuor in regno relictis. Fuêre tum in pretio & Benedictus Nurſinus,
*Brigida.* qui rationem monaſticæ vitæ Italis dedit, & Brigida Scotica mulier ſanctiſſima,
& Ioãnes Antiochænę eccleſiæ presbyter, qui multa cõtra eos ſcripſit, qui in vna
tantum ſubſtantia Chriſtum adorandum cenſebãt. His addidit Iſidorus Cypri-
gnium quendam epiſcopum Hiſpanum, qui eleganter in Apocalypſim ſcripſit.
Ioannes autem Pontifex, antequam Conſtantinopolim proficiſceretur, tria
cœmeteria reſtituit: Primum fuit Nerei & Achillei via Ardeatina: Secundũ ſan
ctorum martyrum Felicis & Adaucti: Tertium, Priſcillæ. Ornauit etiam altare
ſancti Petri gemmis & auro. Detulit & ſecum Iuſtini imperatoris munere pate-
nam auream librarum viginti, calicem aureum gemmis librarum quinq;, quæ
dona vnà ſecum periſſe arbitror. Creauit etiã habitis de more ſacris ordinibus
epiſcopos xv. Feruntur corpus viri ſanctiſſimi Rauenna ad vrbem delatum, ſe-
pultumq; in baſilica Petri vj. calendas Iunij Olibrio conſule. Sedit autem annis
duobus, menſibus octo. Vacat tum ſedes dies octo & quinquaginta.

## FELIX IIII.

*56. Pont.* FElix quartus natione Samnis, patre Caſtorio, Iuſtiniani tempora attigit.
*Iuſtinianus.* Qui Beliſario duce in prælijs vſus, de Perſis & Vandalis triũphat, quo-
rum gentem in Africam traijciens idem dux præſtantis animi & ſingula
ris virtutis ſuperauit, ac prope deleuit, capto eorum rege Gilimere, & in trium-
phum ducto. Amalaſiuntha vero ſeditionibus Gotthorum diu vexata, mortuo
*Theodahatus.* filio Athalarico, quo cum moleſte vixit Theodahatum cõſobrinũ ſuum regni
conſortem fecit. Erat autem Theodahatus ita Græcis & Latinis literis edoctus,
vt & temporum ſuorum hiſtoriam eleganter ſcripſerit, & Platonicam diſcipli-
nam optimè calluerit: ſegnis tamen ad res agendas habebatur. Verùm hortante
Amalaſiuntha, Burgundiones & Alemannos felicibus prælijs ſuperauit.
Felix autem rei diuinæ interim curam gerens & patriarcham Conſtantino-
politanum declinantem à fide, anathemate notauit, & ſanctorũ Coſmæ & Da-
miani templa, quæ adhuc extant in vrbe via Sacra apud forum Romanum ædi-
ficauit, quod carmen vermiculato opere notatum adhuc indicat. Baſilicã quo-
*Caßiodorus.* que ſancti Saturnini via Salaria incendio conſumptam, reſtituit. Sunt qui ſcri-
bant Caſsiodorum hac ætate fuiſſe, qui & ſenator de regenda repub. multa con-
*Priſcianus grammaticus.* ſcripſit: & monachus pſalterij ſententias eleganti oratione ac ſtylo edidit. Ferũt
etiam Priſcianum Cæſarienſem grammaticum inſignem, librum ſuum gram-
matices tum compoſuiſſe. Arator quoq; vrbis Romæ ſubdiaconus, verſibus he-
xametris euangelia conſcripſit. Laudatur & Iuſtinianus Valentinæ eccleſiæ epi-
ſcopus: multa enim prædicauit & ſcripſit ad doctrinam Chriſtianam pertinen-
tia. At Felix habitis de more ſacris ordinibus, vbi presbyteros quinq; & quin-
quaginta creaſſet, diaconos quatuor, epiſcopos nouem & viginti, moritur, ac in
baſilica Petri ſepelitur quarto idus Octobris. Annis quatuor ſedit, mẽſibus duo-
bus, diebus tredecim. Vacat tum ſedes dies tres.

## BONIFACIVS II.

*57. Pont.* BOnifacius ſecundus, patria Romanus, patre Sigeuulte, Iuſtiniano impe-
rante fuit.
Quẽ quidem imperatorem tanti conſtat ingenij, tantęq; doctrinę fuiſ-
ſe, vt



ſe, vt mirum non ſit, ſi leges Romanas ſparſas & incompoſitas in ordinem ad
vtilitatem hominum redegerit, eaque abſciderit, quæ ſuperuacanea & inutilia
videbantur. Hac tamen in re, cõſilio & opera Ioannis patricij Treboniani, Theo
phili, & Dorothei vſus eſt, qui tum doctrina & auctoritate inſignes habebantur.
Immenſum nanque illud librorum pelagus (adduo enim fere millia librorum
fuiſſe conſtat) coaceruatis ſimul ab vrbe cõdita vſque ad hęc tempora tot iudicijs
in quinquaginta libros titulatim digeſsit, quos nunc Digeſta, nunc Pandecta ap-
pellant: quod omnem ciuilem doctrinam contineant. Idem quoque legum Epi
tomen fecit librorum quatuor. Has autem leges inſtitutiones vocat. Dicimus
etiam Iuſtiniani codicem & volumen eſſe. Sunt præterea qui dicãt, Iuſtinianum *Iuſtiniani*
ipſum libros de incarnatione Domini eleganter ſcripſiſſe, templumque in ho- *codex.*
norem Dei patris (nam filius ſapientia eſt) ſanctæ Sophiæ, quo nullum eſt in or-
be maius, ſua impenſa, ſuoque iuſſu ædificatum.
Huius itaque tempore Bonifacius Pontifex creatur, non ſine contentione ta-
men: nam & Dioſcorus diuiſo bifariam clero, in demortui Felicis locum ſub-
rogatur. Exagitatus autem clerus hac ſeditione diebus octo & viginti, morte
Dioſcori à tanta perturbatione tandem liberatur: vnde Bonifacius ad confir-
mandam eccleſiam conuerſus, inſtituit ne quiſpiam ſibi in epiſcopatu ſucceſſo-
rem deligeret, quod poſtea multi pontifices confirmarunt. Inſtituit item vt in
demortui locum alter pontifex, ſi fieri poſſet, tertia die ſufficeretur, ne dilatio
ſeditionem faceret. Diuiſit & populum à clero dum celebraretur. Hoc eodem
tempore multi ex Romana nobilitate Benedicti ſanctitate moti, in montem
Caſsinum peruenêre religionis gratia: inter quos Maurus quidem ac Placidus
inſignes habentur. Laudatur & Dionyſius abbas, qui tum Romæ Paſchæ calcu-
lum mira ratione compoſuit. Facundi quoque ſcripta contra Eutychianos quoſ
dam tum pullulantes, laudãtur. Martinus præterea gentem Sueſsionum pręedi-
catione & ſcriptis ab Arriana hæreſi ad noſtros traduxit. At Bonifacius cum in
pontificatu ſediſſet annis duobus, diebus duobus, moritur, & in baſilica Petri ſe-
pelitur. Sedes autem menſibus duobus tum vacat.

## IOANNES II.

IOannes ſecundus, patria Romanus, patre Proiecto ex Cælio monte, Iu- *58. Pont.*
ſtiniani tempore fuit: qui ſtatim vbi pontificatum inijt, Anthemium epi
ſcopum damnauit, quòd in Arrianam hæreſim declinaſſet. Sunt qui ſcri
bant, hunc epiſcopum Conſtantinopolitanum fuiſſe. Iuſtinianus verò ſedem
Romanam veneraturus, Hyppatum & Demetrium epiſcopos Romam cum
muneribus mittit, qui & Romanum Pontificem ſuo nomine ſalutarent, & mu
nera hæc beati Petri templo offerrent, ſcyphum aureum circundatum gemmis
librarum ſex, ſcyphos argenteos duos librarum duodecim, calices argenteos
duos librarum quindecim. Interim verò, dum hæc dona miſiſſet, Mundus ex-
ercitus Iuſtiniani dux, Salonas vrbem munitiſsimam capit, ac Gotthos prælio
vincit non incruenta victoria. Vnà enim cum filio egregiæ virtutis adoleſcen-
te, Mundus eo prælio occiditur, quo nihil potuit Iuſtiniano moleſtius nuntia-
ri: tanti faciebat hominis virtutem & fidem. Ioannes autem pontifex, de quo
pauca admodum ſcribunt hiſtorici, moritur, vbi ex ſacris ordinibus ſemel ha-
bitis, presbyteros quindecim, epiſcopos vnum & viginti creaſſet, ſepeliturque
in Baſilica Petri ſexto calendas Iunij. Sedit annis duobus, menſibus quatuor. Va-
cat tum ſedes dies ſex.

### ANNOTAT.

*Huius Ioannis mentio extat in antiqua tabula, ſita in pauimento baſilicæ S. Petri ad vincula, his verbis.*

✝ SALBO PAPA N. IOANNE COGNOMENTO MERCVRIO. EX SANCTAE.
ECCLE. ROM. PRESBYTERIS ORDINATO. EX TIT. S. CLEMENTIS. AD
GLORIAM PONTIFICALEM PROMOTO. BEATO PETRO. AP. PATRONO
SVO A VINCVLIS EIVS SE VERVS PRESB. OFFERT. ET IT. P. C. LAMPADI
ET ORESTIS VV. CC. VRBICLVS CERDINVS EST.

## AGAPETVS I.

59. Pont.

Gapetus patria Romanus, Gordiano presbytero eccleſiæ ſanctorum Ioannis & Pauli, pontifex creatus, à Theodahato, ſtatim ad Iuſtinianum mittitur, ei infenſum, quòd Amalaſiunthā Athalarici matrem, in inſulam lacus Vulſinienſium relegauerat, interficique iuſſerat. Erat enim hæc femina ita Græcis & Latinis litteris imbuta, vt cum quouis docto diſputando cõgredi auderet. Pręterà verò ita linguas barbarorum omnium callebat, vt ſine interprete cum his omnibus loqueretur, qui tum Romanum inuaſerant imperium. Huius autem mulieris interitũ Iuſtinianus ita ægre tulit, vt bellũ Theodahato ſe illaturum minaretur. Agapetus itaq; eò miſſus, ac benignè & honorificè ſuſceptus, cum pacem impetraſſet ab imperatore, tentatur vt Eutychianam opinionẽ confirmaret. Verùm cum Iuſtinianus ab ea re hominem ſanctiſsimũ abhorrere cerneret, precibus minas addit. Tum Agapetus, ego, inquit, ad Iuſtinianũ Chriſtianiſsimum principem venire optaui, ſed Diocletianũ inueni, quem Chriſtianorum hoſtem fuiſſe conſtat. Hac libertate loquẽdi & Dei nutu Iuſtinianus permotus, & fidem catholicam amplexus eſt, & pulſo Anthemio Conſtantinopolitano epiſcopo, qui Eutychianã hæreſim tuebatur, Menam catholicũ in eius locum ſuffecit Agapeto conſecrãte, quid haud ita multò poſt Cõſtantinopoli moritur, cuius corpus loculis plumbeis cluſum, Romam defertur, ac in baſilica Petri ſepelitur. Sedit autem menſibus vndecim, diebus vndeuiginti. Vacat tum ſedes menſem vnum, dies nouem & viginti.

*Amalaſiũtha.*

## SILVERIVS.

60. Pont.

Iluerius natione Campanus, patre Hormiſda epiſcopo, Theodahato iubente pontifex creatur, cùm antea non regum, ſed imperatorum auctoritas interueniret. Plus autem valuêre Theodahati minæ quàm decreti ratio. Mortem enim his clericis minatus eſt, qui nomina ſua non ſubſcriberent in creatione Siluerij.

Hanc ob rem, & vt etiam Amalaſiunthæ necem vlciſceretur Iuſtinianus, Beliſarium patritium cum exercitu in Italiam mittit. Nauigans hic primò Siciliã attigit, eamq; in fide imperatoris retinuit. Interim verò mortuo Theodahato, cũ Gotthi regem contra volũtatẽ Iuſtiniani creaſsẽt, Beliſarius è Secilia mouẽs, Italiã à tyrannide Gotthorum liberaturus, in Campaniam veniens, Neapolim mandata imperatoris nequaquã faciẽtem vi capiens ac diripiẽs, Gotthos omnes qui in præſidio erant, ac magnam partẽ ciuium interfecit, abactis inde virginibus ac pueris cum omni præda. In tanto autem belli furore & templa ſpoliata, & virgines ſacras violatas fuiſſe conſtat. Inde verò Romam cum exercitu properãs, noctu vrbem ingreſſus, tantum terroris Gotthis, qui in præſidio erant incuſſit, vt omnes relictis portis ac mœnibus Rauennam coufugerint. Beliſarius autẽ ſuperuenturum Vitigim cum ingẽti exercitu ratus, cui aperto marte nequaquã par eſſe poſſet, mœnia vrbis pro tẽpore vallo ac foſſa vbi opus eſſe videbatur quã celerrimè muniuit. Superueniente deinde Vitige cum ingenti exercitu, ad centũ nanque millia hominum ſecum duxiſſe fertur, continere ſe mœnibus Beliſarius contentus fuit, cum non amplius quinque millibus hominũ ſecũ duxiſſet. Caſtra inter duos aquæ ductus locat Vitigis, quò munitiora ſint: quorum alter ad Latinam viam, alter verò ad Præneſtinam vergit, ſeque inuicem iungunt quinto ab vrbe milliario: & ne aqua ad vrbem Romam influeret, omnes aquę ductus, quos ad quatuordecim fuiſſe conſtat, interciſi ſunt. Portum quoque Vitigis cum parte copiarum occupat, qua ex re magna calamitas Romanis illata eſt, cum & bello ſimul & fame laboratum ſit.

*Vitigis.*

Interea verò inſtigãte Vigilio diacono ciue Romano & apocriſario, Theodora Auguſta Siluerio imperat, additis etiã minis, vt pulſo Menna ab vrbe Conſtantinopoli, Anthemiũ reuocet, quem diximus ob Eutychianam hæreſim damnatum eſſe. Id autem cum facere põtifex recuſaret, ſcribit ad Beliſarium mulier, vt pulſo Siluerio, in eius locum Vigilium ſufficiat. Beliſarius autẽ rei bellicæ intẽtus, rem Antoninæ vxori ſuę cõmittit, quę quidem ſubornatis à Vigilio teſtibus





qui affirmarẽt Siluerium vrbem Romam Gotthis hoſtibus prodere voluiſſe, hominem coëgit abdicare ſe põtificatu: ac poſito pallio cucullam monaſticam ſumere, qui in Pontiam inſulam in exilium miſſus, non ſine opinione ſanctitatis moritur. Ferunt Gallos hoc tempore nuncijs & litteris Benedictum rogaſſe, vt vnum aliquem ex diſcipulis ſuis ad ſe mitteret, qui Gallos monaſticam vitã edoceret. Quare Benedictus Maurum eò miſit, qui omnibus vita & moribus rationem bene ac beatè viuendi dedit: quique etiam multa monaſteria conſtituit. Vigilius autem clericis Romanis ex Antoninæ ſententia ita petentibus, pontifex creatur. At verò Siluerius vbi annũ vnũ, mẽſes quinque, dies xij. in põtificatu vixiſſet, vt dixi, in inſula Pontia moritur ac ſepelitur xij. calendas Iulij. Vacat tũ quidem epiſcopatus dies ſex.

*Vigilius Pontifex creatur.*

## VIGILIVS I.

61. Pont.

Igilius patria Romanus, patre conſule, imperante Iuſtiniano, Pontifex creatur, cuius temporibus Conſtantinopoli quinta ſynodus habita eſt contra Theodorum & omnes hæreticos, qui affirmabat beatiſsimam Virginem ſolum hominem, non etiam Deum & hominem peperiſſe: qua quidem in ſynodo ſtatutum eſt, vt beata Virgo θεοτόκος diceretur, quod Deum ſuo partu nobis edidiſſet.

*Synodus Conſtantinopolitana.*

Interim verò Beliſarius auctis copijs, cum per annum integrum & dies nouẽ mœnia vrbis tutatus eſſet, egredi cõſtituit, & collatis ſignis cum Vitigine decernere. Is autem copijs ſuis diffidens, incẽſis caſtris Rauennã magnis itineribus proficiſcitur. Eò & Beliſarius propere mouet, ac Vitigim in vrbe captum cum omni familia & magna procerũ parte, recuperataq; fere tota Italia, Conſtãtinopolim ſecum ducit, quinto anno poſtea quàm in Italiam venerat. Idem quoq; Mauros Africã vaſtantes, mira celeritate perdomuit, deque hoſtium manubijs crucẽ auream gemmis diſtinctam librarum centum, ceroſtrata duo magni pretij, Petro Apoſtolorum principi dono miſit. Duo item xenodochia, quæ nos domos hoſpitales appellamus, ſua impenſa Romę ędificat: quorum alterum in via Lata, alterum via Flaminia extabat. Condidit & monaſterium ſancti Iuuenalis apud Hortam vrbem, additis fundis, vnde monachi paſcerentur.

Inſtabat tum Theodora, vt Vigilius Pontifex Conſtantinopolim proficiſceretur, Anthemiumque, vt pollicitus fuerat, reſtitueret. Negat Vigilius ſe id facturum, quòd malis promiſsis ſtandum non ſit. Cenſere enim ſe quæ Agapetus & Siluerius contra Anthemium hæreticum egiſsent, iure facta eſſe: & propterea eorum acta nullo modo ſibi reſcindenda videri. Irata Theodora, Romanis quibuſdam adiuuantibus, Vigilium in iudicium vocat: & quòd eius fraudibus Siluerius circunuentus exulatus abierit: & quòd ipſo iubente, adoleſcens quidam à nepote Vigilio Aſterij conſulis filio cæſus ad necem ſit. At verò ne iudicij pœnam Vigilius refugeret, Anthemium quendam cum his mandatis Romam mittit, vt Vigilium parêre recuſantem, ad ſe vi etiam perduceret. Is verò Romam veniens, mandata facturus, in baſilica ſanctæ Cæciliæ hominem comprehendit, munera populo ob diem natalem ſuum diſtribuentem more Romano, ac captum quibuſdam Romanis adiuuantibus Conſtantinopolim perducit. Ferunt Vigilium naui per Tiberim deuectum, fuſtibus & ſaxis cum execratione à populo impetitum: cumque hac exprobatione: Malè meritus de Romanis es, mala omnia tecum veniant. In Siciliam verò perueniens concedentibus his, qui captum ducebant, quoſdam ad ſacros ordines aſciuit, ex hisque Ampliatum presbyterum, & Valentinum epiſcopum, qui clerum & Romanam eccleſiam interim gubernarent. Ei verò è Sicilia Conſtantinopolim mouenti, Iuſtinianus cum magno comitatu fit obuiam. Ingrediuntur vrbem clero pręcedente, vſq; ad tẽplum ſanctæ Sophiæ. Tentare tum Theodora Vigilium, vt quòd pollicitus erat, præſtaret. Cui ille, malle ſe quoduis ſupplicium pati reſpondit, quàm ſententiam mutare: & cùm mulier & qui ſecum aderant, minis inſtarent, ad Diocletianum ſe, nõ ad Iuſtinianum, quemadmodum arbitrabatur veniſſe, dicens, ita cæſus eſt, vt paulùm abfuerit, quin tum occideretur. Fugiens itaque in

templũ ſanctæ Euphemiæ, quod haud procul aberat, inde à graſſatoribus trahi-
tur, & iniecto in collum eius fune, tanquã latro per totã vrbem vſque ad veſperã
trahitur. Deinde verò carceri incluſus, pane & aqua tantummodo aliquãdiu vi-
tam duxit, ita patiẽter & æquo animo, vt ſemper diceret, ſe etiam peiora meritũ,
ſi digna pro peccatis pœna irrogaretur. Clerici autem qui hominẽ ſecuti fuerãt,
partim in exilium, partim ad excidẽda metalla deportati ſunt. Verùm poſtea ro-
gantibus Romanis omnibus, qui iam ſentẽtiã mutauerant, & inſtante Narſete,
quem Iuſtinianus contra Gotthos Romam miſerat, Vigilius ac exules omnes in
patriam remittũtur. At verò, cùm Syracuſas in Siciliam perueniſſent, Vigilius
quem tot mala, tot curæ occidere non poterãt, ex calculo moritur: eiuſq; corpus
Romam defertur, & apud ſanctum Marcellum via Salaria ſepelitur. Vixit autẽ
in pontificatu cùm Romæ tum alibi annis decem & ſeptem, menſes ſex & vigin-
ti. Vacat tum ſedes eius morte menſibus tribus, diebus quinque.

### ANNOTAT.

*Huius Vigilij ingreſſus parum legitimus fuit, cùm præter eccleſiaſticas regulas prædeceſſore ſuo Silueri vïuente, & Pontificatus adminiſtratione ſubmoto, per vim Pontificatum Romanum occuparit. Et idcirco ſextũ ſchiſma, quod Siluerij morte finitum eſt, notaui. Proculdubio Vigilius ambitionis ſpiritu diu laborauit. Nam paulò ante ſub Bonifacio Papa II ſe in Pontificatu coadiutorem creari procurauerat, & ea re ille tunc ex animo ſuccedente, aliquo tempore poſt, Siluerij locum inuaſit. Quæ omnia illi Siluerius exul in epiſtola quadam, quæ ſecundo conciliorum tomo excuſa eſt, vehementer exprobrat, auctor Bibliothecarius.*

## PELAGIVS I.

*62. Pont.* PElagius primus, patria Romanus, patre Ioanne Vicariano,
Eo tempore fuit, quo Totila Gotthorum rex Taruiſio, mouit cum ma-
*Totila Gotthorũ rex.* gno exercitu, Italiam inuadens ac diripiens, adeo vt propter ſæuitiam &
rabiem, flagellum Dei vocatus ſit, perueniens deinde ad montẽ Caſsinatem in
Campaniam iturus, gregarij militis habitu à Benedicto viro ſanctiſsimo digno-
ſcitur: & minis deterretur, ne tantopere in Chriſtianos ſæuiat. Inde verò mouẽs,
in Samnium proficiſcitur, Beneuentũ oppugnat, vrbis mœnia demolitur, Nea-
polim obſidet, Cumas recipit, & magna benignitate ac modeſtia vſus, pleraſque
matronas Romanas ibi captas, Romã ad ſuos intactas remittit. Capta deinde Ne
apoli, atq; occupata omni illa Italię parte, quæ ad Siciliã vergit, in Romanos mo
uet: quos quidẽ occupato prius portu, vnde ſubuehi commeatus poterant, tã acri
obſidione preſsit, vt inopia rerum, humana quidam veſcerentur carne. Tandem
verò Totila per Oſtienſem portam vi irrumpens, vrbẽ capit, ac direptã incendit.
Sunt tamen qui ſcribãt, ei in animo fuiſſe vrbem ſeruare, miſiſſeque noctu pręco
nes per vrbem, qui militibus mandarent, vt vrbi parcerẽt. Hoc verò vbi Iuſtinia-
*Narſes mittitur.* nus comperit, Narſetem Eunuchum cum magno exercitu in Italiã propere mit-
tit. Narſes enim, vt nonnulli ſcribunt, primo quidem bibliopola fuit, hũc cũ in
cubiculum ſuum accepiſſet imperator, cognita hominis virtute, eũ in ordinem
patriciatus aſciuit. Pietatis enim, religionis, miſericordiæ, munificẽtiæ, gratię po
ſtremo vnicum exemplar tum omnibus erat. Is igitur acceptis etiã auxiliaribus
*Alboinus.* copijs ab Alboino Longobardorum rege, Gotthos inuadit, obtruncat, perſequi-
tur. Nam & Totila apud Brixellum malè pugnans occiditur, & Theias in eius lo
cum ſuffectus, non longe à Nuceria fortiter pugnans, virtute Narſetis opprimi-
tur. Atque ita ſecundo & ſeptuageſimo anno poſtea quàm Theodoricus eorum
rex primò Italiam ingreſſus eſt, Gotthorum nomen cum regno interijt. Iuſtinia
nus quoque non ita multò pòſt quadrageſimo imperij ſui anno moritur, vir qui
dem memoria dignus, cũ merito ſuo Alemannicus, Gotthicus, Vandalicus, Per
ſicus, Africanus, more veterum imperatorum appellari poſſet, licet aliorum o-
pera & ſuo conſilio hæc geſta ſunt.

Pelagius autem eccleſiam dei in tantis perturbationibus non deſerens, conſti-
tuit, vt hęretici & ſchiſmatici coẽceri etiam ſęcularium manu poſſent, quãdo ad
ſanitatem rationibus non deducerẽtur. Hic autẽ accuſatur, quod malorum Vi-
gilij cauſa fuiſſet, cum Iuſtinianus eum Vigilio pręferret, vidẽte populo & clero
crucem tangens & euangelium, iureiurãdo ſuſcepto, ſe à tanto crimine purgat.
Inde Narſes ad vrbem veniẽs, ſupplicationes pro rebus bene geſtis à ſancto Pan-
cratio vſq; ad ſanctum Petrum celebrat, vrbemq; à Gotthis liberatã, quoad fie-
ri



ri poteſt inſtaurat. Vnà verò cum Pelagio inſtituit, ne vllus ambitione vel pretio
ad quoſuis ſacros ordines admittatur. Pelagius præterea Valentinum notarium
ſuum, virum probatę fidei & religionis, theſauris eccleſię pręficiẽs, baſilicã apo-
ſtolorũ Iacobi & Philippi inchoat. Sunt qui ſcribãt, Caſsiodorum monachũ vi-
rũ doctiſsimum, vſque ad tempora Pelagij perueniſſe, qui primũ conſul, inde ſe-
nator factus, poſtremò monaſticam vitam, ſpretis rebus omnibus, cõplexus eſt.
Aiunt & Victorem Capuanum epiſcopum librũ Phaſe tum cõpoſuiſſe, quo po- *Victor Capuanus.*
tiſsimum Dionyſium abbatem Romanum inſcitiæ arguit, qui Paſchalem cal-
culum inepte nimium compoſuiſſet. Ornarunt etiam Pelagij tempora ſanctita
te & doctrina Sabinus Canuſinus, Gregorius Lingonenſis, Vedaſtus beati Remi
gij diſcipulus, & Attrebatũ epiſcopus. Herculanus verò Peruſin⁹ antiſtes à Totila
interẽptus, in ſanctos refertur. Pelagius autem vndecimo ſui pontificatus anno,
menſe decimo, die octauo & vigeſimo moritur, & in baſilica Petri ſepelitur: vbi
ex ſacris ordinibus bis menſe decembri habitis, presbyteros ſex & viginti, diaco-
nos vndecim, epiſcopos vndequadraginta creaſſet. Vacat tum ſedes menſibus
tribus, diebus ſex & viginti.

## IOANNES III.

IOannes tertius, patre Anaſtaſio ex illuſtri genere orto, Iuſtini tempori- *63. Pont.*
bus fuit, qui Iuſtiniano ſucceſsit, cuius certè nulla in re ſimilis fuit. *Iuſtinus Iuſtiniano ſucceſsit.*
Auarus enim, improbus, rapax, deorum atque hominum contemptor
habitus eſt. Hanc ob rem, cum totus auaritiæ & cupiditati inhæreret, libidine ha-
bendi in inſaniam vertitur, cuius vxor Sophia imperium vſque ad Tiberij ſecun
di tempora gubernauit: hæc autem mulier inſtigantibus quibuſdam delatori-
bus, qui Narſetem oderant, hominem ab Italia ad ſe cum ignominia verborum
reuocat, videlicet vt eunuchus ad lanam & penſa rediret. Ferens id iniquo ani-
mo, vt par erat, Narſes, reſpondet ſe talem orſurum telam, quæ inextricabiles er-
rores æmulis atque inimicis ſuis præſtaret, quod etiam fecit. Alboinum nanque
Longobardorum regem cum omnibus copijs è Pannonia in Italiam ad capeſſen
das ſedes vberiores, quàm quas in Pannonia occupauerant, litteris & nuncijs ac-
cerſit. Obtemperans itaque Narſetis monitis Alboinus, Italiam per Syrmiũ in-
greſſus cum coniugibus & liberis, cumque exercitu lectiſsimo, primo quidem
omnem Venetiam occupat. inde Inſubriam ingreſſus, Mediolanum vi capit ac
diripit. Papiam triennio obſeſſam, in poteſtatem ſuam tandem redigit. Hac autẽ
victoria lætus Alboinus, Veronam ſe contulit, quam regni totius ſedem conſti-
tuerat. Vbi verò conuiuio exhilaratus, Roſimundam vxorem ea patera bi-
bere compellit, quam ex patris ipſius mulieris capite à ſe occiſi, in poculum rede-
gerat. Erat autem in exercitu Alboini Helmechidis Longobardus adoleſcẽs for-
ma inſignis, & nobilitate atque armis pręſtantiſsimus, cuius conſuetudine Roſi-
munda quidem delectabatur: quemque in cubiculum ſecreto ducens, propoſita
regni ſpe, Alboinum obtruncare compulit. Verùm cum aduerſantibus Longo-
bardis de ſpe regni decidiſſent, ambo ad Longinum, qui tum Rauennæ præerat,
confugêre. Nec ita multò pòſt, ſeipſos inuicem veneno petentes, diem extremũ
claudunt. Multas clades tum paſſa Italia eſt, irrumpentibus in prouinciam bar-
baris, quas quidem portendere prodigia illa tempeſtate viſa, & igneæ acies in cæ-
lo apparentes: ita etiam in immenſum Tiberis creuit, vt inundatione ſua popu-
lo Romano magnas calamitates intulerit.

Interim verò Ioannes pontifex & ſanctorum cœmeteria reſtituit, & Iacobi ac
Philippi eccleſiam à Vigilio inchoatam perfecit: & Narſetem Romanis nõ diſſi
mulanter iratum, quòd de ſe malè opinarentur, idque ad Sophiam ſcripſiſſent, è
Neapoli ad vrbẽ ducit: vbi haud ita multò pòſt Narſes moritur, cuius corpus lo-
culis impoſitum, Conſtãtinopolim defertur. Actum tum demũ de nomine Ita-
lico putaſſem in tãta rerũ perturbatione, niſi ſanctiſsimi viri perituræ prouincię *Paulus patriarcha.*
ſuccurriſſent. Nam & Paulus patriarcha Aquileienſis, & Felix epiſcopus Taruiſi-
nus, Alboinum vbi Italiam attigit, mitiorẽ ciuibus ſuis & prouinciæ reddidêre.
Et Fortunatus vir ſingularis litteraturę & eloquentię Gallos ad mitiorem cultũ
redegit

redegit ſcriptis & exemplo. Ad Sigibertum enim eorum regem, libellum de gubernando regno perſcripſit, ac beati Martini vitam eleganter compoſuit. Sunt qui ſcribant, Germanum Pariſienſem epiſcopum, virum quidem ſanctiſsimum hoc tempore fuiſſe, qui Franciæ reges ſemper in officio continuit & adeò quidē, vt inter ſe certatum religione, pietate, gratia, humanitate ſit. Nil enim in Germano cernebant, quod ipſi non imitarentur, tantum valent boni paſtoris exempla. Ioannes autem, cuius temporibus Armenij fidem Chriſti recepêre, moritur ac in baſilica Petri ſepelitur pontificatus ſui anno duodecimo, menſe vndecimo, die ſexto & vigeſimo. Vacat tum ſedes eius morte menſibus decem, diebus tribus.

*Paſtoris boni exempla*

*64. Pont.*

## BENEDICTVS I.

Benedictus patria Romanus, patre Bonifacio, Tiberij ſecundi temporibus fuit:

Quem quidem Iuſtinus per adoptionem in filium & regni hæredem ſuſceperat, ac merito certè, cum in homine ea ornamenta eſſent, quæ in optimo principe requiruntur, clementia, iuſtitia, pietas, religio, ſapientia, conſtantia & perpetua fortitudo. Verùm inter alias eius virtutes benignus & liberalis in omnes, potiſsimum verò erga pauperes habitus eſt, & ob eam rem dominus largas opes ei ſubminiſtrauit. Nam dum ſemel per ædes ſuas contentius inambularet, cerneretque in pauimento marmoream crucem, eam religionis cauſa, ne pedibus conculcaretur, auferri iuſsit, meliorique loco atque honeſtiore reponi. Poſt hanc verò vna atque altera inuenta eſt: ſub qua tantam vim auri & argenti reperit, quantam hominis beneficentia requirebat: cuius quidem magnam partem pauperibus erogauit. Ferunt etiam Narſetis theſauros ad eum ex Italia delatos fuiſſe, quibus conflatis ad munificentiam & liberalitatē vſus eſt. Ad Sigibertum nanque Frācorum regem, qui ſe per legatos inuiſerat, cum reliquis muneribus, quæ magna fuêre, aureos etiam quinquaginta ſingularum librarum miſit, quorum pars vna imagine principis ſignata erat his litteris, Tiberij Conſtantini perpetui Auguſti: Altera verò pars quadrigam continebat cum aſcenſore: atque his litteris, Romanorum Gloria. Et ne quid ad integram eius felicitatem deeſſet, exercitus, quem in Perſas miſerat, victor rediens, tantam prædam cum elephantis viginti auexit, quantam nullus vnquam antea. Hoc requirebant eius merita erga genus humanum: hoc religio in Deum Saluatorem noſtrum: hoc poſtremò eius beneficentia erga populum Romanum, quem & armis quoad fieri potuit, ab hoſtibus tutatus eſt: & immiſſo ex Aegypto frumento, à ſæuiſsima fame liberauit, interuenientibus Benedicti Pontificis precibus, quem Tiberius mirum in modum dilexerit & obſeruauit. Adeo enim Longobardi longè & latè Italiam vexauerunt diutino bello, vt ex illa vaſtatione rerum omnium caritas & inopia oriretur. Dum hęc in Italia agerentur, Ioannes Conſtantinopolitanę vrbis epiſcopus, orientalem eccleſiam quoad fieri potuit, in fide continuit, legendo, diſputando, ſcribendo, monendo, docendo, licet multos aduerſarios habuerit. Idē quoque fecit Leander Toletanus, vel (vt quidam volunt) Hiſpalenſis epiſcopus, in quo doctrina & eloquentia pari lance certabāt. Multa enim compoſuit, tum ad confirmationem noſtri dogmatis, tum ad confutationem Arrianæ perfidiæ, quam tanquam teterrimam labem Vandali ex Africa in Hiſpaniam à Beliſario pulſi, ſecum detulerant.

*Leander Toletanus.*

Benedictus autem (vt quidem ſcribunt) ſolicitudine & dolore, quem in calamitatibus vrbis Romæ & prouinciæ Italiæ conceperat, moritur quarto pontificatus ſui anno, menſe vno, & diebus octo & viginti. Vacat tum ſedes menſibus duobus & diebus decem.

## PELAGIVS II.

*65. Pont.*

Pelagius ſecundus, patria Romanus, patre Vnigildo, à Tiberio ad imperatorem Mauricium Tiberij generum peruenit.

Huic enim & ſi Cappadox erat, imperium tamen ob virtutem & ſtrenuitatem in rebus agendis commiſſum eſt: At verò Longobardi, cum poſt mortem

tem



tem Alboini viginti annis ſub ducibus fuiſſent, Autharim regem ſibi creāt, quē & Flauium appellarunt: quo quidem cognomento omnes Longobardorum reges deinceps vſi ſunt. Mauricius autem pellere Italia Longobardos conatus, Sigibertum Francorum regem mercede ad id bellum ſolicitat, qui ſtatim comparato Gallorum & Germanorum magno exercitu, cum Authari decertans, magno accepto incommodo ſuperatur. Hac autem elati victoria Longobardi, vſque ad fretum Siculū peruenêre, vrbes Italiæ in poteſtatem ſuam redigentes, quòminus verò vrbe Roma diu obſeſſa potirentur, fecêre imbres, & quidem frequentes: quibus hoſtes à mœnibus propelluntur. Tanta enim tum aquarum inūdatio fuit, vt Noē diluuium renouatum crederetur.

*Mauricius Tiberij gener.*

*Aquarum inundatio.*

Hæc autem vna fuit cauſa, quare Pelagius iniuſſu principis tum pontifex creatus ſit, cum extra obſeſſam ab hoſte vrbem mitti quiſpiam non poſſet. Nil enim tum à clero in eligendo pontifice actum erat, niſi eius electionem imperator approbaſſet. Miſſus itaque Conſtantinopolim ad placandum imperatorem Gregorius diaconus vir optimus atque doctiſsimus, vbi ex ſententia pontificis omnia peregiſſet, nequaquam otio & ingenio ſuo abuſus, & libros moralium in Iob cōpoſuit, & Eutychium quendam Conſtantinopolitanæ vrbis epiſcopum, ita præſente Auguſto diſputationibus conuicit, vt omnia, quæ in libro ſuo de reſurrectione conſcripſerat, retractare coactus ſit. Dicebat enim corpus noſtrum in illa reſurrectionis gloria vēto aëreque ſubtilius futurum, & ob eam rem tangi non poſſe. Quod contra illud dominicum eſt, palpate & videte, quia ſpiritus carnē & oſſa non habet, quemadmodum me videtis habere. Pelagius autem vbi Gregorium rogatu populi Romani ad vrbem reuocaſſet, & domum paternam in xenodochion pauperum ſenum redegiſſet, Hermetiſque martyris cœmeterium ac baſilicam Laurentij martyris à fundamentis extruxiſſet, peſtilentia moritur: quæ tum maximè Europam omnem vexabat, anno pontificatus ſui x. menſe ſecundo, die decimo. Sepultus eſt autem in eccleſia beati Petri in Vaticano. Vacat tum ſedes menſibus ſex, diebus octo & viginti.

*Luc. 24.*

### ANNOTAT.

*In eo, quod Platina ſcribit, Pelagium Pontificem iniuſſu Principis creatum, nihilq́; tum à clero in eligendo pontifice actum eſſe, niſi eius electionem imperator approbaſſet, non ita accuratè rem hanc attigiſſe viſus eſt, quæ ſic ſe habet. Gotthis Italiæ omni per Narſem patricium pulſis, eaque cum vrbe Roma orientalis imperij parte facta: ſub Iuſtiniano imperatore, ex auctoritate Papæ Vigilij nouus quidam in comitijs Pontificijs mos inoleuit. Is fuit, vt mortuo Papa, noua quidem electio more maiorum ſtatim à clero S. P. Q. R. fieret, verùm electus Romanus Pontif. non ante conſecrari, atque ab epiſcopis ordinari poſſet, quàm eius electio ab imperatore Conſtantinopolitano confirmata eſſet, ipſeq́; litteris ſuis parentibus licentiam electo Pontifici concederet, vt ordinari, & conſecrari poſſet, atque ita iuriſdictionem pontificatus tum obtineret. Pro qua licentia conſequenda electo neceſſe erat certam pecuniæ quantitatem imperatori tranſmittere. Qua venia obtenta, ipſe poſtea conſecrabatur, & Romanum adminiſtrabat Pontificatum. Antea enim idem dies comitiorum, & conſecrationis Pontificis renuntiati erant. Hoc autem ideo Iuſtinianum imperatorem, vel ex eius auctoritate Vigilium Papā inſtituiſſe credendum eſt, vt imperator certus eſſet de conditionibus noui Pontificis, cuius tum maxima eſſe auctoritas cœperat, imperatoribus præſertim Italia abſentibus, ne aliquo Pontifice factioſo, vel imperatores hoſte ordinato, Vrbs, & Italia eo auctore ab orientali imperio deficeret, ſeq́; finitimis barbaris traderet, quod Silueriũ Papam aliquando quæſiiſſe ſibi perſuadebat. Qua ratione fiebat, vt in nouis comitijs eum potiſsimum Romanum Pontificem crearent, quem imperatori, à quo confirmandus erat, amicum eſſe ſcirent, & de quo ille confideret nihil in Italia contra imperium moliturum, barbaris præſertim Longobardis, eam paulò pòſt vexantibus. Perdurauit hæc conſuetudo vſque ad Benedictum II. cuius ſanctitate permotus Conſtantinus imperator Heraclij pronepos, edicto ſuo iuſsit, vt deinceps quem clerus. S. Q. R. Pontificem ſummum delegiſſent, is nulla amplius imperatoris confirmatione expectata, more vetutiſsimo, ſtatim ab epiſcopis ordinaretur. Rurſus Hadrianus primus hoc ius, & paulò amplius Carolo magno Francorum Regi, & eius ſucceſſoribus Regibus Francorum, primùm, deinde Imperatoribus Romanorū conceſsit: quod ſucceſſoribus eius ab Hadriano III. ereptū Othoni primo Germanorū Regi, & Romani Imperatori reſtituit Leo VIII. Id poſtremo Gregorius VII. Henrico IIII. ademptum Cardinalib. & clero S. P. Q. R. primū, deinde alij Pontifices, qui ſecuti ſunt, Cardinalibus tātū permisêre, quod ad noſtra vſq́; ſecula perdurat. Ex epiſt. S. Gregorij IIII. libri primi, Anaſtaſio bibliothecano in vitis Pelagij II. Vitalliani, Agathonis, & Benedicti II. Romanorū Pōtificū. Itē poſt Carolū magnū, Gregorij IIII. Sergij II. Leonis IIII. Benedicti III. et Nicolai. Abbate Vrſpergēſe ex Ademaro monacho S. Germani in eorūdē Pontificū enarrationibus. Regiſtro Gregorij Papæ VII. Sigeberto in Chronico, Guillelmo Tyrio libro 1. cap. 13. de bello ſacro, Gratiano in decretis diſtinctione lxiij. Concilij Lateranenſis ſub Alexandro III. Papa celebrati actis, & alijs vetuſtis S. R. E. monumentis.*

G GRE.

# GREGORIVS I.

66. Pont. GRegorius patria Romanus, patre Gordiano, viro ſenatorio, vno omniũ conſenſu inuitus etiam põtifex creatur, anno domini DXC. Monachus nanque erat, ac Leuita. Is autem, cum principis conſenſus requireretur, vt antea dixi, nuntios cum litteris miſerat, qui Mauritium obſecrarent, ne pateretur electionem cleri & populi Romani ea in re valere. Interceptæ ſunt litteræ à præfecto vrbis, ac diſcerptæ, ſcriptæque aliæ, quibus rogabatur, vt quem populus ac clerus in pontificem legiſſet, eundem imperator confirmaret, quo nihil ei nunciari iucundius ac gratius potuit, cum ſecum familiariter, dum Conſtantinopoli erat, Gregorius vixiſſet, filiumq́; eius è fonte baptiſmatis leuaſſet. Remittit itaq; Mauritius nuntios, ac quidem properè, qui Gregorium cõfirmarent, cogerentq́; hominẽ ſanctiſsimum pontificatus gubernacula in tanta perturbatione rerum ſuſcipere. Is itaq; non ſibijpſi, ſed vtilitati hominum, ac honori diuino conſulens, quẽ certè ob religionẽ & pietatem rebus omnibus ſemper antetulerat, ſpretis opibus, poſthabitis voluptatibus, atque omni ambitione, & potentia, gubernacula reipublicæ Chriſtianæ ſuſcipiens, ita vixit, vt vſq; ad tempora noſtra neminẽ ex ſucceſſoribus parem habuerit, nedũ ſuperiorem vel ſanctitate vitæ, vel diligentia in rebus agendis, vel doctrina & ſcriptis. Nam & librũ de ſacramentis compoſuit, & antiphonariũ tam diurnum quàm nocturnum, & commentarios in Ezechielem & quadraginta omilias in euangelia, in Iob quoque (vt dixi) allegoricè ad mores, & hiſtoriam reſpiciens, eleganter ſcripſit. Edidit & libros quatuor in dialogo: & librum quem paſtoralem appellauit, ad Ioannem epiſcopum Rauennatem de ratione gubernandæ eccleſiæ. Inſtituit præterea, ne quid ornatus & concentus inter ſacrificãdum deeſſet, vt antiphonæ canerentur: hæ vulgò introitus vocantur. Eius quoque inuentum eſt, vt nouies kyrie ẹleyſon caneretur, & Halleluia, interpoſitis ſeptuageſimæ diebus vſque ad Paſcha. Cantatur etiam poſt Euangelium, poſt communionem ſuo mandato. Idẽ quoque in canonem redegit, Dieſq́ue noſtros in tua pace diſponas. Pręterea verò ſupplicationes maiores, quas Gręci litanias vocant, primus inſtituit: Stationum quoque magnam partem, maximè autem, quę in baſilica Petri habentur, die natali IESV CHRISTI in epiphania, in dominica paſsionis, in albis paſchæ, in aſcenſione, in pentecoſte, in natalibus apoſtolorum, in tertia dominica aduentus, in dedicatione eiuſdem baſilicæ, die feſto ſancti Andreæ, in cathedra Petri: dum maior Litania fit in ſabbato quatuor tẽporum. Quid plura de hoc ſanctiſsimo viro commemorem? cum omnis inſtitutio eccleſiaſtici officij, veteris præſertim ab eo ſit inuenta & approbata: quem quidem ordinem vtinam ſequeremur. Non abhorrerent hodiè à lectione officij viri docti, quemadmodũ faciũt propter barbariem, neſcio quam illi latinitati & compoſitioni additam. Ne verò vlla in re vir ſanctiſsimus eccleſiæ deeſſet, ſynodum habuit apud ſanctũ Petrum quatuor & viginti epiſcoporum, qua certè multa ſuſtulit, quæ nocitura, multa etiam addidit, quę profutura fidei noſtræ videbantur. Miſit & viros optimos in Britanniam, Auguſtinum, Melitum, & Ioannẽ, cumq́ue his monachos quoſdam probatiſsimæ vitæ: quorũ monitis & prædicationibus fidei noſtræ dogma Angli tum primùm integrè receperunt. Rediêre etiam Gotthi Gregorij opera ad vnionẽ catholicæ fidei. Sunt præterea qui ſcribant, Gregorium dialogum ſuum de moribus ad Theudelindam Longobardorum reginam miſiſſe, cuius lectione præferocem & indomitum viri ſui Autharis animum, ad religionẽ & mitiorem cultum redigeret. Erat enim matrona inſignis & fidei Chriſtianæ ſtudioſiſsima. Nam & baſilicam beati Ioannis Baptiſtæ Modoëtiæ ædificauit, quod oppidum decem millibus paſsuum à Mediolano diſtat: & eãdem eccleſiam prædijs, ac vaſis aureis ornauit.

*Angli & Gothi recepertũt fidẽ.*

Feruntẽo tempore, quo Hermichildus à patre Leuigildo Gotthorum rege interfectus eſt, quòd fidem catholicam confiteretur IESV CHRISTI tunicam, quæ ſorte vni militum obtigerat, inuẽtam eſſe apud vrbem Zaphat in arca marmorea eo loci repoſitam, Thomę Hieroſolymitani epiſcopi, & Ioannis Cõſtãtinopolitani, ac Gregorij Antiocheni tempore. Intereà verò Mauritius ſuperatis



ratis in Etruria, & Campania, Exarcho Romano duce, Lõgobardis, in omnia vitia & omnem arrogantiam prolapſus, legem tulit, vt qui Romanæ militiæ aſcriptus eſſet, niſi finita militia, aut mãcus, & debilis ex vulnere factus, Deo militare non poſſet. Hanc ob rem motus Gregorius, hominẽ admonet, ne eius religionẽ impugnet, cuius benignitate ex infima ſorte hominũ, ad ſummũ gradũ dignitatis peruenerat. Præterea verò cum Ioannes Conſtantinopolitanus epiſcopus habita Gręcorum ſynodo, ſeipſum œcumenicum, id eſt, vniuerſalem patriarchãm creaſſet, monuiſſetq́; Gregorium Mauritius, vt Ioanni obtemperaret, Reſpõdit homo conſtantis ingenij & fidei, poteſtatem ligandi & ſoluẽdi Petro traditam, eiuſq́; ſucceſſoribus, nõ epiſcopis Conſtantinopolitanis: proinde deſineret iram Dei in ſe cõcitare, dum ſeditiones ſtudioſe nimium eius in eccleſia ſerit. Nequaquam verò his malis contentus Mauritius reuocatis militibus ſuis, qui in Italia erant, Longobardos adhortatur, vt ſpretis fœderibus iam ictis, Romanos adorirẽtur: quare Agilulphus & Ciſalpina mouẽs, vaſtatis longè ac latè Etruriæ agris, qua iter faciebat, vrbem Romam magnis illatis calamitatibus integrum annũ obſedit: quo quidem tempore Seuerus Aquileienſis epiſcopus in hęreſim prolapſus eſt, quę multorum malorũ ſeminarium fuit. Nam Seuero mortuo Aquileienſis eccleſia bifariam diuiſa eſt, cum Agilulphus Longobardorum rex, Ioannẽ Aquileiẽſem, Gregorius Candianum Gradenſem Foroiulianis epiſcopos pręfeciſſent. Agilulphus verò, omiſſa ſpe potiundæ vrbis, obſidionem ſoluẽs, Mediolanum redijt. At Mauritius non ſpontè, ſed coactè pœnitẽtia ductus, cum Gregorio mitius agere cœpit, quòd intellexerat quẽdam monachi habitu indutũ, ſtrictum gladium in manu tenentẽ, in foro Conſtantinopolitano clamaſſe, imperatorem breui gladio moriturum: hoc idem eius ſomniũ cõfirmauit, quo ſe, vxorem ac liberos cædi videbat. Interim verò milites ſtipendijs ſuis defraudati, Phocam centurionem imperatorem creãt, & Mauritium obtruncãt vndeuigeſimo imperij ſui anno. At Gregorius exornatis quibuſcunq; rebus potuit baſilicis Romanis, dedicataq́; Gotthorũ eccleſia, quæ in Sabura eſt Agathæ martyris nomine, Fl. Ricimeris viri conſularis opus (vt litteræ muſicæ indicant) paternam domum in Cliuo Scauri poſitam non longè à Circo maximo, in monaſteriũ redegit, quo in loco & hoſpites continuo accipiebat, & pauperes vndiq; confluentes, cibo & potu in vita retinebat. Vir certè omni laude dignus, ſi vitã, ſi mores, ſi doctrinam, ſi ſolertiam in rebus tum diuinis, tũ humanis inſpicis. Neq; eſt cur patiamur Gregorium hac in re à quibuſdam litterarũ ignaris potiſsimùm carpi, quòd ſuo mandato veterum ædificia ſint diruta, ne peregrini & aduenę (vt ipſi fingũt) ad vrbem religionis cauſa venientes, poſthabitis locis ſacris, arcus triũphales & monumenta veterum cum admiratione inſpicerent. Abſit hæc calumnia à tãto põtifice Romano, præſertim cui certè, poſt Deum, patria, quàm vita, carior fuit. Multa profectò ex collapſis ædificijs exedit vetuſtas. Multa præterea demoliuntur homines ædificandi gratia, vt quotidie cernimus. Impacta illa foramina quę tum in concauo fornicum, tum in coniuncturis marmorũ quadratorúmue lapidum vidẽtur, non minus à Romanis quàm à barbaris auellendi æris cauſa crediderim. In fornicibus enim, quò leuior eſſet moles, ollas cũ numiſmatibus collocabant. Lapides verò quadratos æneis clauis firmabant. Factum id quoque à Romanis dixi, ſi Epirotę, Dalmatę, Pannonij, & ſex totius orbis terrarum huc miſſa, Romani appellari poſſunt. Gregorius autem confirmata omni ratione eccleſia Dei, anno xiij. menſe ſexto, die decimo, põtificatus ſui moritur: Phoce verò imperatoris anno ſecundo, ſepelitur collachrymantibus omnibus in baſilica Petri ante ſecretarium, quarto idus Martij. Eius verò in morte menſibus quinque, diebus decem & nouem, ſedes Romana tum vacat.

*Seuerus Aquileienſis.*

*Phocas creatur imperat.*

### ANNOTAT.

*Multa de hoc Pontifice dicenda eſſent, à Platina vel omiſſa, vel leuiter tacta, quæ ego in meis Romanorum Pontificum vitis accuratè & copioſe deſcribam, puta de ſtationibus, ritibus eccleſiaſticis, cantoribus: ſeptem Romanæ eccleſiæ officijs, videlicet primicerio, ſecundicerio, arcario, ſacellario, adminiculatore, primicerio defenſorum & protoſcriniario cum xij ſcriniarijs, & alijs multis. Illud tantum de eius ſepulchro dicam: Quod moriens in extrema porticu ante baſilicam S. Petri apoſtoli, prope ſecretarium, quod nunc dicitur, ſancta Maria de*

 Febre

*Febre (vbi etiam ſepulti fuerunt Leo, Simplicius, Gelaſius, Symmachus, & aliquot alij Romani pontifices) conditus eſt, vt libro 4. eius vitæ tradit Ioannes diaconus, cuius corpus poſtea Gregorius IIII. intra baſilicam tranſtulit, & ſub B. Andreæ apoſtoli altare collocauit. Priori eius tumulo hoc epitaphium poſitum fuit.*

*Suſcipe terra tuo corpus de corpore ſumptum*
*Reddere, quod valeas viuificante Deo.*
*Spiritus aſtra petit, leti nil vira nocebunt,*
*Cui vitæ alterius mors magis illa via eſt.*
*Pontificis ſummi hoc clauduntur membra ſepulcro,*
*Qui innumeris vixit ſemper vbiq; bonis.*
*Eſuriem dapibus ſuperauit, frigora veſte*
*Atq; animas monitis texit ab hoſte ſacris.*
*Implebatq; actu quicquid ſermone docebat*
*Eſſet, vt exemplum myſtica verba loquens*
*Anglos ad CHRISTVM vertit pietate magiſtra*
*Acquirens fidei agmina gente noua.*
*Hic labor, hoc ſtudium, hæc tibi cura, hoc paſtor agebas*
*Vt domino offerres plurima lucra gregis.*
*Hisq; Dei conſul factus lætare triumphis,*
*Nam mercedem operum iam ſine fine tenes.*

*SEDIT BEATAE MEMORIAE SANCTISSIMVS GREGORIVS PAPA ANNOS XIII. MENSES VI. DIES VIII. OBIIT IIII. IDVS MARTII. INDICTIONE VII. ANNO DOMINICAE NATIVITATIS DCIIII.*

## SABINIANVS I.

*67. Pont.*

SAbinianus, cuius patria ignoratur, ac meritò quidem, Gregorio ſucceſſit. Homo enim obſcuro loco natus, obſcurior moribus rebus geſtis Gregorij viri ſanctiſsimi aduerſatus eſt. Nam cum ſuo pontificatu fame laboraretur, inſtarentque pauperes, vt pietatẽ Gregorij eleemoſynis imitaretur, nil aliud reſpondebat, quàm Gregorium popularem famam aucupantem, patrimonium eccleſiæ, largitionibus diſsipaſſe. Paululum etiam abfuit, quin libri eius comburerẽtur, adeò in Gregorium ira, & inuidia exarſerat homo maleuolus. Sunt qui ſcribant, Sabinianum inſtigantibus quibuſdam Romanis, hoc in Gregorium molitum eſſe, quòd veterũ ſtatuas in tota vrbe dum viueret, & obtruncauerit, & diſiecerit, quod quidem ita à vero diſſonum eſt, vt illud, quod de abolendis ædificijs maiorum, in vita eius diximus. Iacent ſtatuæ tum propter vetuſtatem collapſæ, tum etiam quia baſibus ſublatis, vel æris, vel etiam marmorum cauſa, ſtare tantæ moles non poterant. Quòd autẽ capitibus careãt, mirum nequaquam videri debet, cùm ipſius ſtatuæ caſu ea pars vtpote fragilior, & ad accipiendam læſionem paratior, potiſsimũ frangatur. Sed quid ego has coniecturas quæro? Videmus ſtatuas exciſis capitibus, non diffractis iacere, quia facilius eſt caput ſtatuæ, quàm totum corpus deferri: quod hodie quoq; fit ab his præſertim, qui antiquitatis ſtudioſi ſunt. Non eſt igitur cur tantum facinus Gregorio obijciatur. Ad Sabinianum redeo, cuius hoc fuiſſe inſtitutum ferunt, vt & horæ in Eccleſijs diſtinguerentur officij gratia, & accenſæ lampades continuò retinerentur, potiſsimùm verò in eccleſia beati Petri.

*Prodigia.*

Sunt qui ſcribant, Phoca annuente, pacem tum cum Longobardis ictam, reddita Agilulpho eorum regi filia, quæ in bello capta fuerat. Tanta verò hoc tempore apparuerunt prodigia, quanta nunquam anteà, quibus certè futuræ calamitates portendebantur. Nam & cometes viſus eſt perlucidus, & Byzantij puer quadrupes naſcitur. Et apud Delon inſulam, duo marina monſtra omnino humanam ſpeciem habentia, viſa ſunt. Sirenes fortaſſe fuêre Acheloi filiæ, vt aiunt poëtæ: quod ſi ita fuiſſet, nequaquam pro monſtro habenda erant, cum elementum aquæ, animalia terreſtribus ſimilia, in omni ſpecie producat. Sunt qui ſcribant, tempore Sabiniani & Ioannem patriarcham Alexandrinum virum pietate & doctrina inſignem, & Latinianum epiſcopum Carthaginienſem Ioanni nequaquam diſsimilem, dignitatem vtriuſque eccleſiæ mirum in modum auxiſſe. Seuerus quoque Latiniani familiaris, vir doctiſsimus, multa tum in Vincentium Cæſar Auguſtanum epiſcopum ſcripſit, qui in Arrianum dogma declinauerat. Idem quoque de virginitate librum ad ſororem ſcripſit, quem aureolum appellauit.

At Sabinianus cùm annum vnum, menſes quinque, dies nouem, in pontificatu ſediſſet, moritur, funusque eius à ſancto Ioanne per portam Aſiniariam &



& pontem Miluium ad baſilicam Petri defertur. Vacat ſedes eius morte, menſes vndecim, dies ſex & viginti.

## BONIFACIVS III.

*68. Pont.*
*Phoca imperat.*

BOnifacius tertius, patria Romanus, à Phoca imperatore obtinuit, magna tamen contentione, vt ſedes beati Petri apoſtoli, quæ caput eſt omnium eccleſiarum, ita & diceretur, & haberetur ab omnibus: quem quidem locum eccleſia Conſtantinopolitana ſibi vendicare conabatur, fauentibus interdum malis principibus, affirmantibusque eo loci primam ſedem eſſe debere, vbi imperij caput eſſet. Affirmabant Romani pontifices vrbem Romam vnde Conſtantinopolim Colonia deducta eſt, caput imperij meritò habendam eſſe, cùm etiam Græci ipſi litteris ſuis principem ſuum, τῶν ῥωμαίων αὐτοκράτορα id eſt, Romanorum imperatorem vocent, ipſique Conſtantinopolitani etiam ætate noſtra ῥωμαῖοι, non Græci vocentur. Omitto, quòd Petrus apoſtolorum princeps ſucceſſoribus ſuis pontificibus Romanis, regni cælorum claues dederit, poteſtatemque à Deo ſibi conceſſam reliquerit, non Conſtantinopoli, ſed Romæ. Illud tantùm dico, multos principes, maximè verò Conſtantinum comparandæ ſynodi, ac diſſoluendæ, confutandi vel confirmandi ea, quæ in ſynodis decreta erant, Romanæ ſedi tantummodo conceſsiſſe. Meritò igitur ſedes Romana cæteris antefertur, cuius integritate, & conſtantia cunctæ hæreſes confutatæ ſunt & exploſæ. Idem quoque Bonifacius inſtituit, habita ſynodo epiſcoporum duorum & lxx. presbyterorum xxx. diaconorum trium, ne quis ſub anathematis culpa in locum demortui pontificis aut epiſcopi ſubrogaretur, niſi tertia ſaltem poſt obitum eius die: vtque anathematizarentur, qui largitione, & gratia ad pontificatum, vel epiſcopatum aditum ſibi quærerent. Voluit item electionem epiſcopi à clero pariter, & populo fieri, eamque ita ratam fore, ſi à principe ciuitatis approbata eſſet: & ſi ſummus põtifex denique his verbis auctoritatem ſuam interpoſuiſſet, Volumus & Iubemus: ſancta quippe inſtitutio, & perneceſſaria noſtris præſertim temporibus, quibus in peius omnia dilabuntur. Eſt enim ſimile veri, clerum & populum, ac principem ciuitatis, ſi libera ſuffragia ſunt, non alium electuros, quàm qui meritò poſsit, & debeat alijs præeſſe, quod eſt epiſcopi proprium, vt vocabuli etymologiam, huic rei accommodatam repetamus. Licèt reuera (pace bonorum dicam) multi epiſcopatum deſiderent explendæ auaritiæ, & libidinis ſuæ cauſa, non quò communi vtilitati, vt eorum expoſcit officium & nomen, conſulant. Quæritur enim quantum reddat epiſcopatus, non quot oues paſcuæ in eo ſint, ſed de his ſatis. Ad Bonifacium redeo, cuius cum vita, vt video, etiam decreta extincta ſunt, pontificatus ſui menſe nono. Sepultus eſt autem in baſilica Petri. Vacat tum ſedes menſe vno, diebus ſex.

*Largitionibus non quærendus epiſcopatus*

### ANNOTAT.

*Vetuſtiſsima patriarchalium ſedium priuilegia in concilio etiam Nicæno canone 6. approbata fuêre, vt Romana ſedes primum locum, ſecundum Alexandrina, & tertium Antiochena, obtinerent. Nam Hieroſolymitana longo tempore pòſt inter patriarchales eccleſias connumerata eſt. Conſtantinopoli verò condita in concilio generali ſecundo in ea vrbe ſub ſeniore Theodoſio congregato, decretum eſt, vt Conſtantinopolitana ſedes ſecundum poſt Romanam locum, & ante Alexandrinam obtineret, quòd Conſtantinopolis eſſet noua Roma. Ita eiuſdem concilij vulgatus canon. 3. & Socrates hiſtoriæ eccleſiaſticæ libro 5. capit. 8. Quem tamen canonem ſuppoſititium eſſe, & à Græcis fictum fuiſſe apertè in concilio Chalcedonenſi proclamarunt legati Leonis papæ, & S.R.E. qui in concilio papæ nomine perſidebant. Vt ex eiuſdem ſynodi actione 16. liquet. Nam cùm eius canonis occaſione concilium Chalcedonenſe prærogatiuam ſupra omnes eccleſias poſt Romanam tamen, ſedi Coſtantinopolitanæ denuo tribuiſſent, repugnarunt ijdem legati, affirmantes nihil tale vnquam ei eccleſiæ ante id tẽpus fuiſſe conceſſum, & decretum illud, quod cæterarum eccleſiarum dignitatem tolleret, iniquum eſſe. Vtcunq; autem ſit, illud ſatis conſtat quod epiſcopi Conſtantinopolitani ambitione, & regiæ vrbis magnificentia, ſplendoreq; elati, non ſolum ſuper cæteras ſedes locum ſibi vendicaſſe contẽti, maiora etiam auſi, ſub Leone papa, vnus eorũ Anatolius cæterarum ſedium priuilegia, & earundem epiſcoporum conſecrationem ad ſe vnum reuocare, eosq; in ordinem cogere, & ſibi ſubdere conatus, acerrimum oppugnatorem habuit Leonem papam. Is enim ſcribens ad ipſum Anatolium epiſtola 51. poſt illa (inquit) ordinationis tuæ non inculpata principia, poſt conſecrationem Antiocheni epiſcopi, quam tibimet contra canonicam regulam vindicaſti, doleo etiam in hoc dilectionẽ tu-*

*am eſſe prolapſam, vt ſacratiſsimas Nicænorum canonum conſtitutiones conareris infringere, tanquam opportune ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecundi honoris priuilegium ſedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit, vt* HIS LOCIS IVRI TVO SVBDITIS *omnes Metropolitani epiſcopi proprio honore priuentur. De eadem re Martiano imperatore, & Pulcheriæ Auguſtæ ſcripſit epiſt 52. & & 53. eius regiſtri. Cuius poſtremo induſtria res turbatæ compoſitæ ſunt. Cæterum aliquo tempore pòſt ſub Pelagio II. Ioannes, & qui ei ſucceſsit Cyriacus patriarchæ Conſtantinopolitani, longè maiora moliti, & aduerſus ipſam ſanctam ſedem apoſtolicam inſurgere auſi, Vniuerſalis ſibi epiſcopi nomen, & primum in eccleſia locum, in præiudicium non ſolum omnium eccleſiarum, ſed etiam Romanæ aſſumere conati, Gregoriũ papam eorum ſuperbiæ reſiſtentem habuêre. Cuius in regiſtro ſuo de hac controuerſia aliquot graues epiſtolæ extant vt libr. 4. epiſt. 76. 78. & 80. 82. & libr. 6. epiſt. 168. 169. 170. Et cùm res Mauritij inertia ſub S. Gregorio tranſigi non poſſet, eo mortuo ſub Bonifacio III. ab imperatore Phoca ita conſtituta eſt, vt Romanus pontifex, iuxta apoſtolica dogmata, & vetuſtiſsimã ſanctorum patrum traditionẽ primum omnino locum in catholica eccleſia retineret, ſecundũ verò Conſtantinopolitanus antiſtes. Ita Bedas in lib. de temporum ratione & Paulus diaconus hiſtoriæ Longobardicæ libr. 4. capit. 21. & libr. 18. hiſtoriæ Romanæ Eutropio adiunctæ. Proceſſu temporis, & præſertim poſt Photium patriarcham Conſtantinopolitanum vtraq; parte conniuente illud vſurpari captum, vt ambo epiſcopi, Romanus. ſ. & Conſtantinopolitanus Oecumenici. i. vniuerſales appellarentur, hic quidem vniuerſalis patriarcha, non quod ſibi vni aliorum iura vendicaret, ſed quod ijs dignior eſſet primumq; poſt papam locum haberet: ille verò vniuerſalis papa. Additumq; vt Papæ nomen, quod omnium vocabulorum epiſcopalium excellentius eſſe ſtatutum eſt, ſolus Romanus pontifex, cùm antè omnibus commune eſſet epiſcopis, retineret: quo vno, & illi tantum particulari nomine, poteſtatis eius dignitas, & ſupra cæteras eccleſias vetus prærogatiua deſignaretur: cæteri verò quatuor epiſcopi præcipuarum ſedium, videlicet Conſtantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieruſalem patriarchæ vocarentur. Ex his porrò epiſcopus Conſtantinopolitanus œcumenici nomen, quod initio vſurpauerat, etiam continuauit, & præſertim poſt Photium, atq; ita ſcribere ſolitus eſt: N. miſeratione diuina archiepiſcopus nouæ Romæ Conſtantinopolis, & Oecumenicus patriarcha. Epiſcopus verò Romanus ſuperbi nominis ambitioſo titulo ſemper abſtinuit, neq; alio quàm humillimo nomine, videlicet N. epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vel catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſe appellauit. In publicis tamen acclamationibus, quæ in miſſarum ſolennijs, & celebratione cõciliorũ fieri ſolebant, hunc titulum ſibi ab alijs attribui ægre permiſit ſic: D. N. N. vniuerſali Papæ vita &c. Atq; hic fuit litis finis inter duos ſummos chriſtiani orbis epiſcopos. Quam rem ego ex hiſtoriarum tum Græcarum, tum Latinarum varia lectione obſeruaui. Sed hac alio loco abundantius.*

## BONIFACIVS IIII.

*69. Pont.* *Maria rotunda.*

BOnifacius quartus, natione Marſus, patria Valerienſis, patre Ioanne medico, templum ſanctæ Mariæ rotundæ, quod veteres Pantheon, quia Cybeli, & omnibus dijs commune eſſet, à Phoca imperatore obtinuit, conſecrauitque quarto idus Maij in honorem beatæ virginis, omniumque martyrum eiectis prius gentium ſimulachris, luſtratoque templo. Vnde poſteà virgo ad martyres appellata eſt.

Hoc eodem tempore Perſæ, rege Ghoſdroe in Romanas prouincias irrumpentes, ſuperato Phocæ exercitu, Hieroſolymam occupãt. Templa Chriſtianorũ profanant & diripiunt. Lignum dominicæ crucis inde auferũt. Zachariam virũ ſanctiſsimum eiuſdem ciuitatis patriarcham, in captiuitatem abducunt. Hanc ob rem ab omnibus, potiſsimum verò à ſenatu ſpretus Phocas, ab Heraclio copiarum Africæ prouinciæ duce, imperio, ac vita priuatur. Cacannus verò Auarorum rex, per Pannoniam & Illyricum in Italiam irrumpens, Longobardorum reges ita ſuperat, vt paulum abfuerit quin prouinciam ipſam caperet, ita tamen Forumiulij proditione Romildæ eius amore captæ diripuit, vt vix ipſius prouinciæ cernerentur veſtigia. *Ioannes Gerundẽſis* Dũ hæc agerentur in Italia, Ioannes Gerundenſis epiſcopus religionem Chriſti prędicatione & ſcriptis vbiq; tuebatur. Hic enim genere Gotthus, in Luſitania natus, vbi ſapere aliquid per ætatẽ cœpiſſet, Conſtãtinopolim proficiſcens, ita græcè & latinè doctus inde diſceſsit, vt in Luſitaniam rediens, Arrianam hęreſim quę tum inualuerat, facilimè confutaret, hanc ob rem Barchinonam ab hæreticis relegatur. Verùm poſteà mortuo Lemungildo rege, qui hęreticis fauebat, in patriam rediens, & multa ſcripſit ad doctrinam noſtram pertinentia, & monaſteriũ condidit, rationemq; viuendi monachis conſcripſit. Eutropius quoque Valentinus epiſcopus, Hiſpanos doctrina & exemplo in fide continuit. Præterea verò Columbanus abbas vir ſanctiſsimus, genere Gotthus, vt quidem affirmant, ex Scotia in Burgundiam primò veniens, Lexouienſe mona-



monaſterium egregium id quidem extruxit: inde in Italiam abiens, apud Bobium in Apennino aliud monaſterium amplum ſanè ædificat inter Hetruſcos, Ligures & Inſubres.

His autem hac in re nequaquam cedens Bonifacius pontifex, domum paternam in monaſterium redigit, fundosq; ſuos monaſterio aſſcribit in monachorum vſum. Verùm non ita multò pòſt diem extremum obiens, ſexto pontificatus ſui anno, menſe octauo, die xiij. quo quidem tempore, peſte, fame, & inundatione aquarum laboratum eſt, ſepelitur in baſilica Petri. Vacat tum ſedes eius morte menſibus vij. diebus quinque & viginti.

## DEVSDEDIT I.

DEuſdedit patria Romanus, patre Stephano ſubdiacono, pontificatũ omnium ſuffragijs adeptus, clerum mirum in modum dilexit & auxit. *70. Pont.* Ferunt quidam hunc tantæ ſanctitatis fuiſſe, vt quendam obuium elephãtiæ morbo laborantem, oſculo ſuo lepra ſtatim liberauerit. Conſtituit autem vir optimus, ne filius patrimi puellam è ſacro fonte à patre leuatam, ducere in vxorem poſſet.

*Heraclij imp. geſta.* Eodem quoque tempore Heraclius magno comparato exercitu, multas prouincias à Perſis occupatas, in poteſtatem ſuam redigit. Ducem Perſarum ſingulari certamine ex equo deturbat & interficit. Choſdroen regem Perſarum opprimit, filium eius captum & baptizatum, in regnum paternum reſtituit. Perſidem ingreſſus, turrim Choſdroæ theſauris plenam capit, quorum partem militibus tribuit, partem verò reparandis templis, quæ Perſæ diripuerant, & vaſtauerant, deſignat. Ipſe præterea alia onuſtus præda cum ſeptem elephantis Hieroſolymam rediens, crucem domini à Perſis ablatam ſecum deferens, eo loci reponit, in quo anteà fuerat. Captos à Perſis, in patriam remittit. Rediens deinde Conſtantinopolim, literis & ocio delectatur, ad aſtrologiam ſe contulit. Sororis tamen ſuæ filiam tantus imperator contra ius, faſq; in vxorem accipit: & vt ſceleri ſcelus adderet, quod fieri conſueuit, vbi quis in peiora labitur, ad Eutychianos tranſijt, eo potiſsimum tempore, quo Anaſtaſius Perſa monachus ſub nomine Chriſti à ſuis captus, martyrium paſſus eſt: cuius reliquiæ poſteà Romã aduectæ ſunt, & in monaſterio beati Pauli repoſitæ ad aquas Saluias, vt vulgò dicitur. *Siſebutus Gothorum rex.* Ferunt eodem tempore Siſebutum Gothorum regem, plurimas Hiſpaniæ ciuitates, quæ ad Romanos defecerant, in fidem recepiſſe, Iudæosq; omnes in regno deprehenſos, grauioribus ſupplicijs ad Chriſti fidem cõpuliſſe rogatu (vt aiunt) Heraclij, qui in fatis habuerat, ſibi cauendum à circunciſis eſſe, cum tamen poſteà haud ſatis fati neceſsitatem circunſpiciens, à Saracenis circũciſionem obſeruantibus, oppreſſus ſit. Agebantur hæc in oriente, nec ſuis athletis pro fide Chriſti carebat occidens. Arnulphus enim Metenſis epiſcopus conſilio, & ſanctitate Dogobertum Francorum regem in officio continebat, adiuuante Amãdo Traiectẽſi epiſcopo, viro quidem optimo, & religionis Chriſtianæ defenſore acerrimo. Hiſpanis quoque Iſidorus Hiſpalenſis epiſcopus Leandri ſucceſſor, multa tum ſcripſit, quæ fidem Chriſtianam mirificè iuuant. De ſummo enim bono, de viris illuſtribus, de vocabulis grammatices, & etymologijs libros compoſuit. Hiſtoriam præterea ab Adam vſque ad tempora Heraclij, vitas quorundam ſanctorum, hiſtoriam Longobardorum, & breuem quãdam coſmographiam ſtylo ſatis eleganti edidit. In eo homine pluris facienda eſt certè ſanctitas, quàm eruditio. Sunt qui ſcribant, Iſidorum Germanum fuiſſe, quãquam Hiſpani hunc ſuum eſſe affirment: vtcunq; ſit, ſatis cõſtat, eum fuiſſe quauis laude dignum ob doctrinam & ſanctitatem.

Deuſdedit autem, cuius tempora ad hæc etiam, quæ diximus, notiora fecêre & terræmotus, & ſcabies quædam ita ad elephantiam tendẽs, vt deformitate cognoſci homines non poſſent, moritur pontificatus ſui anno tertio, die tertio & vigeſimo, ac ſepelitur in baſilica Petri, ſexto idus Nouembris. Eius morte epiſcopatus tum vacat menſem vnum, dies xvj.

A N N O T A T.

*Hic ante pontificatum presbyter Cardinalis fuit tituli ſanctorum Ioannis & Pauli, cuius mentio extat in vetuſto diplomate S. Gregorij Papæ tabulæ marmoreæ inciſo, quæ adhuc eſt in ipſorum ſanctorum titulo his verbis.*

*Gregorius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectiſsimis in Chriſto filijs Deuſdedit Cardinali, & Ioanni archipresbytero tituli S S. Ioannis, & Pauli, & per vos in eodem titulo in perpetuum. Creditæ ſpeculationis impellimur cura, &c.*

## BONIFACIVS V.

*71. Pont.* BOnifacius quintus, natione Cāpanus, patre Ioanne, eo tempore pontificatum inijt, quo *Eleutherius patricius.* Eleutherius patricius Romam ab Heraclio miſſus, vindicata Ioānis Exarchi morte, ſemetipſum regē Italię creat. At verò cùm Romam proficiſceretur, à militibus ſuis necatur, eiusq; caput Conſtantinopolim mittitur. Huius in locū poſteà Iſaatius patricius Conſtantinopolitanus, Exarchus ſuffectus eſt. At Theudelinda (vt diximus) mortuo Adoaldo marito, vnà cum filio regnum Longobardorum ſapienter, & integrè gubernans, inter Longobardos & Italos pacem decennio cōtinuit, eccleſias multas donis, & muneribus exornauit, fundos quoque his adiecit, quorum prouentibus ſacerdotes veſcerētur. Anno verò duodecimo Heraclij *Mahometes Arabs.* Mahometes Arabs, vt quidam volunt: vt alij Perſa, nobili genere natus, patre, qui Deos gentium coleret, matre Hebraica Hyſmaëlitici generis, magnum in Chriſtiano populo excitauit incendium, & ita magnum, vt verear ne eius ſecta, noſtra potiſsimùm ætate, reliquias Chriſtiani nominis penitus extinguat: adeò tepeſcimus, & animo, ac corpore languidi interitum noſtrum expectantes concidimus. Inualeſcit eius ſecta nunc multo magis quàm anteà. Nam tota Aſia & Africa, magnaq; pars Europæ Mahumetanis principibus ſubiecta eſt. Inſtant nunc Turci terra, ac mari, vt nos tanquam cuniculos ex his Europæ latebris eruant. Sedemus otioſi, alterum expectantes, quaſi hoc malum vniuerſæ reipublicę Chriſtianæ non immineat. Expectant ſacerdotes, vt à ſecularibus hoc tantū bellum, & tam neceſſarium ſumatur. Expectant item ſeculares, vt presbyteri tuendæ religionis cauſa pecunias in ſumptus bellicos polliceantur & ſubminiſtrēt, nec in peiores vſus effundant, quemadmodum facere plerią; conſueuêre, pecunias eleemoſynis, & ſanguine martyrum comparatas, in aurea & argentea vaſa, & prægrandia quidem fundentes, parum de futuro ſoliciti Dei, quem tantùm vtilitatis gratia colunt, & hominum contemptores. Ad Mahometem redeo, virum adeo verſutum, & acris ingenij, vt cum inter Chriſtianos diu verſatus eſſet, omnesq; omnium, qui ante fuêre ſectas cognouiſſet, nouam quādam ſuperſtitionem introduxit, vt videmus, qua propè noſtra religio extincta eſt. Auſus eſt etiam comparato ingenti Arabum exercitu, fines Romani imperij turbare, cuius motus Heraclius citò compeſcuit, ſolicitatis eius ad defectionem militibus, pollicationibus, & præmijs.

Bonifacius autem Pontifex vir ſingularis humanitatis & clementiæ, magna in homines benignitate, & gratia vtens, nullum genus officij, quod bonum paſtorem deceret, prætermiſit. Inſtituit prætereà ne qui ad eccleſias confugerent, inde vi retraherentur: néue acolyti reliquias martyrum attrectarent, quod eſt presbyteri, aut ſubdiaconi officium. Mandauit item vt quouis in loco ſacrilegi anathematizarentur: vtúe teſtamentum iuſſu principis vbiq; valeret. Cœmeterium autem beati Nicomedis fecit, & dedicauit. In clericos verò integrè viuentes, vnicè liberalis, & munificus fuit. Gallus autem beati Columbani diſcipulus, ita in occidente tùm viuebat, vt etiam in vita ſancti nomē mererētur. Huius veſtigia ſecutus eſt Euſtachius abbas, ſecuta & ſancta Aurea, in cuius honorem *Eligius.* beatus * Eligius monaſterium virginū ædificauit. Ferunt etiam Baſilium quendam Iſidoro æqualem vita, moribus & doctrina inſignem tum habitum fuiſſe. Moritur autem Bonifacius pontificatus ſui anno quinto, die decimo, & in baſilica Petri collachrymātibus omnibus ſepelitur. Eius autem in morte diebus tredecim ſedes tum vacat.

HO-



## HONORIVS I.

HOnorius natione Campanus, patre Petronio viro conſulari. *72. Pont.*

Eo tempore pontificatum inijt, quo Theudelinda moritur, eiusq; filius Adoaldus è regno deijcitur, ſuffecto in eius locum Arioaldo. Inſtabat tum (vt dixi) Heraclius, qui de Perſis triumphauerat, vt omnes Iudæi imperio ſubiecti baptizarentur. Hanc ob rem Sarraceni, & Arabes arma ſumentes, à natiuitate Chriſti anno DCIII. ac vigeſimo, ita Heraclij duces ſuperarūt, vt hominem felicem primò, mox infeliciſsimum reddiderint, duce Mahomete, qui cum magnū ſe Dei prophetam aſſereret, magicis artibus Aſianos, & Africanos deludens, ita populos quoſdam concitauit noua à ſe religione imbutos, vt paulùm abfuerit, quin omnino imperij nomen delerent, capta Alexādria, multisq; alijs Syriæ & Ciliciæ vrbibus. Sarracenos ſectatores ſuos habuit, * à Sara Abrahæ *Stephanus à Sarraca vrbe.* legitima vxore ita appellatos, quaſi legitimos diuinæ profeſsionis ſucceſſores & hæredes. Secutus eſt homo callidiſsimi ingenij hac in re Hieroboā exemplū, qui tribui ſuæ alios colendi ritus conſcripſit, ne vnquā Iudæorum imperio ſubeſſent. Idem poſteà fecêre Græci à catholicis diſſentientes, non ob religionē tantummodo, ſed ob imperium, cuius gratia Neſtorianorum, Iacobitarum, & Hebionitarū errores ſecuti ſunt. Verùm poſtremò hac pertinacia eò deducti ſunt, vt vnà cum religione & ſecta imperium omnino amiſerint, in turpiſsimam ſeruitutem redacti. Mahometes autem (vt in Alcorano legitur) quò magis ſectatores ſuos à religione Chriſtiana ſeiungeret, hæreticos quoſdam in componendis legibus, maximè verò Neſtorianos ſecutus eſt, multa hinc inde contra legē Moſeos, & euangelij Dei aſtutè colligens, ac in vnum quaſi corpus redigens. Ferunt Heraclium tum quidem deſperatione, & fœdam pacem cum Sarracenis inijſſe, & Pyrrhi patriarchæ Conſtantinopolitani & Cyri Alexandrini epiſcopi fraudibus deceptum, in hæreſim quoque Monothelitarum incidiſſe, vnam tantummodo voluntatem in Chriſto eſſe dicentium, vnde nomen accepêre.

Hos tamen poſteà tanti erroris auctores, hortante Honorio, & verū ante oculos literis, & nuntijs ponente, relegauit Heraclius. Honorius autem à rebus externis aliquātulum quietis adeptus, doctrina, & moribus ſanctiſsimis oēm propè clerum renouauit. Baſilicā beati Petri tegulis æneis ex Ioue Capitolino ſumptis cooperuit. Aedem Hagnetis martyris via Nomentana, vt carmen in apſide indicat, ædem Pācratij via Aurelia reſtituit. Templū quoq; S. Anaſtaſij ad aquas Saluias, templum quatuor Coronatorum martyrū, templum beati Cyriaci via Oſtienſi miliario ſeptimo, tēplum S. Seuerini apud vrbem Tiburtinā magnificentiſsimis operis ædificauit: & argento, auro, porphyreticis, & marmoreis lapidibus, incruſtatione parietum, opere tectorio, opere vermiculato exornauit. Reſtituit etiam cœmeterium S. Marcellini & Petri via Lauicana. Eccleſiam quoq; beatæ Hagnetis apud ſanctum Silueſtrum, eccleſiam beati Hadriani in tribus foris, huius mandato, & impenſa ædificatas fuiſſe, ſcribunt nonnulli: vt vero vnoquoq; ſabbato à ſancto Apollinari ad diuum Petrum iretur cū litanijs, primus inſtituit. Moritur aūt vir ſanctiſsimus anno pontificatus ſui duodecimo, mēſe vndecimo, die decimo ſeptimo, ac in baſilica Petri ſepelitur quarto idus Octobris. Eius morte annū vnū, menſes ſeptē, dies decem & octo ſedes interim vacat.

A N N O T A T.

*Video in ſextæ ſynodi Conſtantinopolitanæ tertiæ vulgatis codicibus, ſanctiſsimo huic viro Monothelitarum hæreſis crimen impingi, cum falſiſsimum ſit ipſum ei hæreſi nūquam ſubſcripſiſſe, immo conſtet eam cōdemnaſſe, vt ex Maximi monachi eius contemporanei, qui ſub Martino Papa vixit epiſtolis Græcis, & dialogo, contra Pyrrhum patriarcham Conſtantinopolitanū hæreticum Monothelitā, quæ in bibliotheca palatina extant, ſatis manifeſtum eſt. Eundem etiam pontificem catholicū ſemper fuiſſe ſcriptis confirmarunt Emanuel Calleca Græcus, qui paulò pòſt concilij ſecundi Lugdunenſis ſub Gregorio decimo Papa anno CCLXXIIII. celebrati tempora vixit, & inſignem librum pro Latinis contra omnes Græcorum hæreſes ſcripſit, Io. de Turre cremata in lib. de primatu S. R. E. & noſtris temporibus Albertus Pigius in libris de Eccleſiaſtica Hierarchia. Cæterum vulgata ſextæ ſynodi exemplaria à Græcis corrupta, eiusq; canones, in quibus Honorius condemnatur, ſuppoſititios eſſe ex Theophane Iſauro Græco hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptore docet Anaſtaſius bibliothecarius in hiſtoria ſua Latina, quam ex eodem Theophane, Nicephoro, & Georgio abbate compoſuit. Hæc animaduertit Guillelmus Sirletus Apoſt. ſedis protonotarius, vir doctrina, pietate & omni virtutum genere cumulatiſsimus.*

SEVE-

## SEVERINVS I.

*73.Pont. Electionē pontificis imperator confirmare ſolebat.*

SEuerinus patria Romanus, patre Labieno, in demortui Honorij locum ſubrogatus, ab Iſaatio totius Italiæ Exarcho in pontificatu confirmatur. Vana tunc enim habebatur cleri, ac populi electio, niſi id imperatores, aut eorum Exarchi confirmaſſent. Iſaatius itaq; ob eam cauſam Romam profectus, cum pontificem confirmaſſet, ne gratuitò tantum laboris ſuſcepiſſe videretur, theſaurum & ſacrarium baſilicæ Lateranēſis adiuuantibus Romanis quibuſdam ſpoliat, reſiſtentibus aliquandiu fruſtra tamen ſacerdotibus tēpli, quorum primates omnes poſteà in exilium miſit. Indignabatur enim Iſaatius eos tātum in theſauris habere neq; quicquā in vſus bellicos cōferre, præſertim cùm milites inopia rerum omnium tunc laborarēt. Huius prædæ partem militibus conceſsit, partem ſecum Rauennā detulit, reliquum verò ad imperatorē miſit.

Sarraceni aūt, quos pretio conductos ab Heraclio diximus, cùm eis auarè, maligneq́; pacta merces perſolueretur, in Syriam profecti, Damaſcū imperio ſubiectam vi capiunt. Deindè verò cum reliquis Arabibus, qui domi remanſerant coniuncti, commeatibus, & armis adiuti, Mahometis furore incitati, Phœnicē & Aegyptum peruagati, reſiſtētes tum imperio ſuo, tum legi Mahometanæ paſſim cædunt. Verſi deinde in Perſas, Hormiſda Perſarum rege interempto, non prius vaſtādi omnia finem fecêre, quàm Sarracenorum legem, & imperium ſuſcipiunt. Verùm Heraclius audita Sarracenorū licentia, capta præſertim Antiochia, veritus ne Hieroſolymam occuparent, crucē domini Conſtātinopolim deferendā curauit, ne iterum in Agarenorū manus deueniret. Agarenos enim Græci Arabas appellarūt ob ignominiam, quaſi ab Agar ancilla Abrahæ ortos: neq; ita multò pòſt Hieroſolyma capta eſt. Mahomete aūt (vt quidam ſcribūt) ad Mecham mortuo, in principatu Calipha ſuccedit. Poſt hunc Hali. Quo quidem pulſo, quòd nimium ſuperſtitioſus eſſet, alterum Calipham ſibi ducem Aegyptij creauêre. Ferunt tum etiam, ne quid calamitatis deeſſet, quòd Romanū vexaret imperium, Siſebutum Gothorum regem omnes Hiſpaniæ ciuitates Romanis ademiſſe: ac tum demùm Romanos imperare in Hiſpania deſijſſe.

Seuerinus aūt pontifex vir ſingularis pietatis, & religionis, amator pauperū, in calamitoſos benignus, in omnes munificus, in reparandis templis ſplendidus, pontificatus ſui anno primo, menſe ſecūdo moritur, ac ſepelitur in baſilica Petri quarto nonas Auguſti. Vacat tum ſedes mēſes quatuor, dies vndetriginta.

## IOANNES IIII.

*74.Pont.*

IOannes quartus, natione Dalmata, patre Venantio, pontificatum iniens ſtatim mira pietate vſus eſt. Ex reliquis enim theſauris, quos Iſaatiꝰ apud Lateranum reliquerat, captiuos omnes, quos potuit, Iſtros, & Dalmatas à captiuitate redemit.

*Rhotaris Arioaldo in regno ſucceſsit. Arianæ ſectæ.*

Intereà verò Rhotaris, qui Arioaldo in Lōgobardorum regnum ſucceſſerat, licèt iuſtitia, & pietate inſignis habitus ſit, ad Arrianos tamen declinat, paſſusq́; eſt, vt eodem tempore omnibus regni ſui ciuitatibus duo epiſcopi pari poteſtate præeſſent: alter enim catholicus, alter Arrianus habebatur. Tanti præterea ingenij fuit, vt leges quæ ſola memoria & vſu retinebantur, in ſeriem quādam redegerit, codicemq́; ipſum edictū appellari præceperit. In re aūt militari ita præſtans fuit, vt Etruriam oēm, & Liguriam cum ora maritima Maſsiliam vſq; in ſuam redegerit poteſtatē. Anno deinde ſexto regni ſui moriens, Rhodoaldo filio regnum reliquit. Ferunt ſacerdotem quēdam Rhotaris corpus apud templū Ioannis Baptiſtæ ſepultum, noctu aperto tumulo ſpoliaſſe: ſolent enim pretioſa quædā cum regū corporibus reponi. Hanc ob rem beatus Ioannes homini apparens, ei mortem interminatus eſt, ſi deinceps templum ſuum ingrederetur. Huic enim ſancto Rhotaris mirum in modum in vita deditus fuerat. Idē contigit temporibus noſtris Alouiſio cardinali, patriarchæ Aquileienſi. Eruto enim ſepulchro ab his ſpoliatur, quos ipſe ex infima ſorte hominum ad dignitatē ſacerdotalem, & meliorē fortunā erexerat. Rhodoaldus igitur regni gubernacula ſuſcipiens, Gundibergam reginæ Theudelindæ filiam in vxorem accipit, quæ

religio-



religionem matris imitata, vt illa Modoëtiæ, ſic ipſa Terracinæ Ioannis Baptiſtæ templum ædificat, plurimoq́; auro, & argento exornat. At Rhodoaldus in adulterio deprehēſus, à marito adulteræ interficitur. Huic autem ſucceſsit Aripertus Gudualdi filius, Theudelindæ reginæ frater, qui apud Ticinum Saluatoris oraculum condidit, varijsq́; ornamentis inſigniuit, & fundis dotauit.

Ioannes aūt pontifex veritus ne corpora Vincentij, & Anaſtaſij aliquando in manus barbarorū deuenirent, vt Romam quàm diligētiſsimè ferrētur curauit, ac iuxta fontem Lateranenſem in oratorio beati Ioannis Baptiſtæ magna cū veneratione collocauit. Sunt qui ſcribant, huius pontificis tempore & Vincentiū Beluacenſem epiſcopum, & Muardum archiepiſcopum Remenſem, ſanctitate & doctrina in pretio fuiſſe. His addunt & Riginulpham Gallam matronam, genere, & ſanctitate inſignem: & Renaldum Traiectenſem epiſcopum, vita, & miraculis clarum. Iodocus quoq; his nequaquā inferior eſt habitus, qui Britonum regis filius, ſpreto regno, cum aliquādiu in eremo vixiſſet, tandē in pago Pontio moritur. Ioānes aūt pontificatus ſui anno primo, mēſe nono moriēs, in baſilica Petri ſepelitur quarto idus Octobris. Vacat tū ſedes menſem vnū, dies tredecim.

## THEODORVS I.

*75.Pont.*

THeodorus natione Grecus, patre Theodoro epiſcopo Hieroſolymis oriundo, pontificatū iniens, omnia, quæ ad dignitatē religionis Chriſtianæ pertinere arbitrabatur, circunſpiciebat, vt bonum paſtorē decet: in omnes, maximè autem erga pauperes, mira benignitate vtens.

*Conſtantinus filius in locū Heraclij ſufficitur.*

Intereà verò Heraclius trigeſimo imperij ſui anno, morbo intercutaneo perijt, cum paulò ante Theodorum cognomento Calliopam mortuo Iſaatio Exarchum in Italiam miſiſſet. In locū verò demortui Heraclij primo ſufficitur Conſtantinus filius, qui quarto ſuſcepti imperij menſe, veneno opprimitur Martinæ nouercæ & Heracleonis inſidijs, quos quidē ad tātum facinus (vt aiunt) Pyrrhus patriarcha inſtigauerat. Heracleon itaq; mortuo fratre imperiū occupat, eo potiſſimùm tēpore, quo Cyrus, Sergius, & Pyrrhus Acephalorū hæreſim inſtaurantes, vnā operationē in Chriſto, humanitatis ſcilicet & diuinitatis, vnāq́; voluntatē prædicabāt. Ex his aūt Pyrrhus audita Heraclij morte, redeundi in patriam cupidus ex Africa vbi exulabat, Romā veniens, ac errati veniā petens non ex animo, ſed fictè, à Theodoro viuendi formā accepit. Verùm prius vitam amiſit, quàm tanto ſcelere quæſitam dignitatē potuerit obtinere. Senatus enim, populusq́; Conſtantinopolitanus cognito ſcelere, in Martinā, Heracleonēq́; conſurgēs, cum hunc naſo, illam lingua mutilatā relegaſſet, Pyrrhum de fuga retractum interficit. Conſtātium verò Conſtātini dolo necati filium imperatorem creat. In locum autem Pyrrhi Paulum epiſcopum ſufficit, quē Theodorus pontifex Romanus dignitate priuauit, quia orthodoxæ fidei normā, & rationē ſuſcipere recuſabat, adiuuante eius ſtultitiam Conſtantio, in eandem hęreſim ſtolidè nimium prolapſo. Conuerſus deinde ab hoc certamine pontifex ad ornanda ſanctorum corpora, Primi, & Feliciani martyrum reliquias ex harenario viæ Nomentanæ ablatas in vrbem deferens, in baſilica Stephani protomartyris in Cælio monte collocat: multis ornamentis, tum ex argento, tum ex auro adhibitis. Idem quoq; baſilicam ædificat via Flaminia non longè à ponte Miluio, & ſtatim dedicat. Duo poſtremò oratoria cōſtruxit, & ornauit: quorum alterū erat apud Lateranenſem baſilicam beato Sebaſtiano: alterum verò via Oſtienſi, Eupolo martyri dedicatū. His ita cōſtanter, & ſanctè peractis, moritur pontificatus ſui anno ſexto, mēſe quinto, die decimooctauo, ſepeliturq́; in baſilica Petri pridie idus Maij. Epiſcopatus autem diebus duobus & quinquaginta tum vacat.

## MARTINVS I.

*76.Pont.*

MArtinus primus, patria Tudertinus, patre Fabritio, in Theodori locum ſuffectus, legatos ſtatim Conſtantinopolim miſit, qui Paulum adhortarētur, vt omiſsis erroribus ſuis, aliquādo veritatis callem ingrederetur. Is aūt non modò pontifici benè monenti nō obtēperat, verumetiā eius legatos

Con-

Conſtantij auctoritate abuſus, in diuerſas inſulas relêgat. Quam ob rem indignatus Martinus, ſynodum centum, & quinquaginta epiſcoporum Romæ habuit, in qua Cyri Alexandrini, Sergij, ac Pyrrhi damnationem renouauit, & Paulum patriarcham omni anathematis vinculo damnatum, priuauit.

Intereà verò, dum hæc ita agerentur, pax Italiæ, quæ inter Romanos, & Longobardos annis triginta durauerat, turbari iam cœpta eſt, Longobardis omnia ad vtilitatem ſuam trahentibus: contrà verò recuſantibus Romanis, quę pręter ius faſq; mandarentur, maximè verò cũ Rhotaris Arriana labe inquinatus, nullam fermè ciuitatem haberet, cui non Arrianum pariter, & catholicum epiſcopum præpoſuiſſet. Hunc autem errorem emendare conati Theodorus, & Martinus, rem ſæpius fruſtra tentauerant. Ob has igitur cauſas inſtante etiam Theodoro Italiæ Exarcho, bellum Longobardis indicitur. Non detrectarunt illi certamen. Ad Scultennam ſiquidem Mutinæ amnem acriter vtrinq; pugnatũ eſt. Tandem verò Theodorus ſuperatus funditur, & fugatur. Quo quidem in prælio ex ſuis ad ſeptem millia deſiderati ſunt. Rhotaris autem tanta victoria elatus, Liguriam omnem haud magno negocio breui in poteſtatem ſuam redigit.

*Olympius.*

Intereà verò Conſtantius fortunam cum duce mutaturus, reuocato Theodoro, Olympium Exarchũ in Italiam ſtatim mittit, qui primò quidem, & Monothelitarũ ſectam per oẽm Italiam ſpargeret: & Martinum pontificem aut interficeret, aut captũ ad ſe perducẽdum curaret. At Olympius Romam veniens, vbi iam ſynodus habebatur contra hunc, atq; alios orientalis eccleſiæ errores, cum virus cõceptum ſpargere non poſſet, lictorem ſuum immiſit, qui Martinum in eccleſia ſanctæ Mariæ maioris caperet, & ad ſe perduceret, vel ſaltem parêre recuſantẽ interficeret. Facturus mandata lictor, Dei miraculo ſubita cæcitate corripitur. Atq; ita diuinæ maieſtatis nutu tantum diſcrimẽ tum Martinus euaſit. Hac verò orientalis, & occidentalis eccleſiæ diſcordia freti Sarraceni, Alexãdria cum ingenti claſſe ſoluẽtes, Rhodum peruenêre: captaq; vrbe, coloſſum fama celeberrimũ demoliti ſunt, ex cuius ære nongentos camelos onuſtos, ferũt. Erat enim ſeptuaginta cubitorũ, cuius auctor Chares Lyſippi diſcipulus habitus eſt. Deinceps verò occupatis multis Aegei maris inſulis, in Siciliã nauigantes, multa dãna Siculis intulêre: ob quòd Olympius Martini precibus motus, eos inſula depulit, nõ ſine magna nauiũ, militũ, ac ſuijpſius iactura: ibi enim morbo correptus moritur. Cõſtantius verò tot calamitatibꝰ nihilo melior factus, Theodorũ Calliopã cũ his mãdatis iterũ in Italiã mittit, vt primo quoq; tempore Martinũ pontificẽ ad ſe victũ mitteret: eiq; rei ſocium addidit Paulum Pellarium, qui tãtum facinus curaret. Theodorus à Romanis perbenignè exceptus, cum ſalutãdi cauſa adire põtificem ſimularet, homini cathenas inijcit, eũq; Conſtantinopolim mittit. Vnde poſteà in Cherſonneſum Põti exilij cauſa deportatur: vbi quõdam beatus Clemens Romanus præſul exulauerat. Martinus aũt multis calamitatibus circunuẽtus, ac inopia rerũ omnium preſſus, tandem in exilio moritur, põtificatus ſui anno ſexto, mẽſe vno, diebus ſex & viginti. Sedes aũt Romæ quatuordecim mẽſibus tũ vacat, quia nil certi de ſanctiſsimi viri morte habebatur.

*Rhodus à Sarracenis capitur.*

## EVGENIVS I.

*77. Pont.*

EVgenius primus, patria Romanus, patre Rufiniano è Cęlio monte Martino in põtificatu ſucceſsit, eodem fermè tempore, quo Petrus in locum Pauli hæretici Conſtantinopoli ſufficitur. Hic enim etſi melius aliquãtulum de religione ſenſit, quàm Paulus, non tamen vſq; adeò eãdem fidei normam tenuit, quam ſancta Romana eccleſia prædicat, & ſeruat. Cuius quidem literæ Romam miſſæ, duas operationes, & voluntates in Chriſto negãtes, ita ſunt exploſæ, vt clerus ipſe interdicere pontifici auſus ſit, quò minus in eccleſia ſanctæ Mariæ maioris ſacrificaret, niſi prius tam profanas literas reieciſſet.

*Literæ ad Eugenium negantes duas operationes & voluntates in Chriſto.*

Intereà verò Grimoaldus dux Beneuentanus Rhomoaldo filio Beneuẽti duce relicto, cũ ingenti exercitu in Galliã Ciſalpinã mouẽs, Papia Pertherim, Mediolano Gundibertũ Arithperti filios expulit. Quod vbi Clodouæus Francorũ rex intellexiſſet, caſum adoleſcentũ miſeratus, magnas copias ſtatim in Italiam miſit,



miſit, quæ adoleſcentes in regnum paternum reſtituerent. In Tranſpadana regione prælium vtrinque magna virorum concitatione committitur, cum illi redire in ditionem paternam, hic retinere bello partum conarentur. Tandem verò ſe inclinãte ad Grimoaldum fortuna, fuſi ac fugati Galli Italia expelluntur. Sunt tamen qui ſcribant, Gallos hac ratione deceptos eſſe. Longobardi enim ſimulata fuga, caſtra rerum omnium copia, ac vini potiſsimum plena relinquentes, haud longè in inſidijs conſtiterant: Galli verò caſtra ingredientes, rati veram eſſe hoſtium fugam, in omnem voluptatem effunduntur, epulis, & vino replentur: quare ſuperuenientibus hoſtibus, cũ ſomnolentia grauati paſſim, veluti pecora ſine cuſtode iacerent, ita ab hoſtibus cæduntur, vt vix nuntius ſuperfuerit, qui tantam cladem Clodouęo nuntiaret. Hac victoria fretus Grimoaldus, omnem prouinciam ſtatim in poteſtatem ſuam redigit.

Eugenius autem pontifex, vir miræ pietatis, religionis, manſuetudinis, comitatis, munificentiæ, pontificatus ſui anno ſecundo, menſe nono moritur: ac in baſilica Petri ſepelitur quarto nonas Iunij. Vacat tum ſedes menſem vnum dies viij. & xx.

## VITALIANVS I.

VItalianus patria Signinus, ex oppido Volſcorum, patre Anaſtaſio, eo tẽpore põtificatum inijt, quo Cæſarea Perſarum regina, neſciente marito cum paucis fidelibus Conſtantinopolim venit, anno ſexcenteſimo tertio ac lxxx. Quæ quidem ab imperatore honorificè ſuſcepta, nõ multò pòſt characterem baptiſmi ſuſcepit, cuius rei cauſa profectò venerat. Hoc vbi intellexiſſet Perſarum rex, legatos ſtatim Conſtantinopolim mittit, qui vxorem ab imperatore repetant. Reſpondet imperator, in arbitrio reginæ eſſe ſtandi vel diſcedendi, proinde eam ſciſcitentur. Interrogata regina reſpondet, nunquam redituram in patriam, niſi rex Chriſtiani nomen ſuſciperet, qui ſtatim re cognita cum quadraginta millibus hominum Conſtantinopolim pacato agmine veniens, perbenignè ab imperatore ſuſceptus, vnà cum militibus ſuis baptizatus, in regnum cum vxore reuertitur. Poſteà verò Conſtantius Conſtantino filio in partem imperij ſuſcepto comparata ingenti claſſe, Conſtantinopoli ſoluens, Tarentum peruenit, copias etiam terreſtres nauibus onerarijs ſecum vehens. Inde verò terreſtri itinere in Samnium veniens, obſidere Beneuentum inſtituerat. Verùm vbi intellexit vrbem valido præſidio, multiſq; commeatibus Rhomoaldi diligentia munitam eſſe, Luceriam mouens, vrbem vi cœpit: ac direptam ſolo æquauit. Inde autem Acherontiam profectus, cum vrbem munitiſsimam capere non poſſet, Beneuentum oppugnare adortus, ſtatim obſidionẽ ſoluit, quòd intellexerat Grimoaldum propediem cum magnis copijs affuturũ vt filio Rhomoaldo opem ferret. Neapolim igitur primò, mox Romam, inde Cõſtantius petens, magna incõmoda in itinere paſſus eſt. Saburro aũt ciue Romano cum viginti millibus hominum apud Formias relicto, qui hoſtes reprimeret, tandem ad vrbem peruenit, prodeunte obuiam pontifice cum clero, & populo vſq; ad ſextum lapidẽ honoris cauſa. Ductus per vrbem plaudente multitudine ad baſilicam Petri, pallium auro intertextum ſancto obtulit. Interim verò Rhomoaldus patris auxilio fretus, Saburrum aggreditur, & ſuperat, ac plurimos Gręcos interficit. Hac deſperatione motus Cõſtantius, quinta poſteà, quàm vrbem ingreſſus eſt, die, ad direptionem conuerſus, omnes ſtatuas ex ære, & marmore ad ornatum vrbis locis inſignibus poſitas, omnia eccleſiarum ornamẽta paulò decentiora diſtrahit, ac nauibus ad id ſubuectis imponit: pluſq; ipſe ornamentorum ſeptem diebus vrbi detraxit, quàm barbari anteà ducentis, & quinquaginta octo annis. ne dicant maleuoli, hiſtoriarum ignari, Gregorij pontificis iuſſu comminutas eſſe maiorum ſtatuas, & monumenta. Duodecimo autem die Roma in malam rem abiens Græculus nequam & perfidus, Neapolim contendit: inde quoque in Siciliam proficiſcitur, vbique tributa adeo acerbè colligens, vt filij obærati à parentum complexibus diuellerentur. Commoratus aliquandiu in Sicilia homo auariſsimus, dum Syracuſis in balneo libidini vacat,

*78. Pont.*

à ſuis occiditur: in eiuſq; locum Mezentius, cuius fraude necatum putant Conſtantium, imperator à militibus creatur. Magna fuit in hoc homine varietas. Nam primò quidem vbi intellexit, Vitalianum pontificatum inijſſe, nuntios miſit, qui ei ſuo nomine gratularentur: quiq; euangelia aureis literis ſcripta, ac multis gemmis ornata beato Petro condonarent. Deinde verò mutata ſentẽtia, nec dijs, nec hominibus pepercit, diuina humanaq; omnia confundens. At Vitalianus cultui diuino intentus, & regulam eccleſiaſticam compoſuit, & cãtum ordinauit, adhibitis ad conſonantiam (vt quidam volunt) organis. Theodorũ quoque archiepiſcopum, & Hadrianũ abbatem viros doctiſsimos, atq; optimos in Britanniam mittit (quam Angliam vocant) cum magna poteſtate ligãdi, & ſoluendi, quò Britannos in fide, prædicationibus, & exemplo continerent. Fecêre mandata ac quidem diligenter viri optimi. Librum prætereà Theodorus ſcripſit, quo declarauit, qua pœnitentia dilui vnũquodq; peccatum poſsit. Sunt tamen qui hoc opus Theodoro pontifici aſcribãt. Vitalianus autem bene, & ex ſententia quantum in eo fuit, gubernata eccleſia, anno xiiij. pontificatus ſui, menſe vj. moritur: ac ſepelitur in baſilica Petri, vj. calendas Februarij. Epiſcopatus autem tum vacat menſibus quatuor, diebus quindecim.

*Cantus ordinatur ab Vitaliano.*

## ADEODATVS I.

*79. Pont.*

ADeodatus patria Romanus, patre Iouiniano, ex monacho põtifex creatur, eo tempore potiſsimùm, quo Lupus Foroiulianorum dux, regnum Italiæ occupare conatus eſt.

Grimoaldus enim (vt diximus) à filio Romoaldo duce Beneuentano contra Conſtantium imperatorem in auxilium accitus, Lupo (vt aiunt) regnũ, & oues commendauit. In Etruria enim, Aemilia, & Trãſpadana Italia omnia tumultu Lupus inuoluit. Hanc ob rem Grimoaldus Auaros duce Cacanno in Lupum pecunijs, & pollicitationibus mouet: qui primò congreſſu à Lupo ſuperati ſunt. Verùm ſequenti die prælium repetentes, Lupum ſuperant, & obtruncant, ac totum Forumiulij diripiunt. Grimoaldus autem abeunte ex Italia Conſtantio in Ciſalpinam rediens, Forum Pompilij ſabbato ſancto aggreſſus, cæſis omnibus, diripuit, ac ſolo æquauit propter iniuriam, quam eo loci à Rauennatibus acceperat, cum in auxilium filij proficiſceretur. Dum verò Arnefites Lupi filius, adiuuantibus Dalmatis, ducatum paternum repetit, ad Natiſonem fluuium à Lõgobardis ſuperatus, duce Vectari Vicentinorũ comite cæditur. Opitergini quoque hanc calamitatem ſensêre. Domo enim, & patria pulſi ſunt, quia Arnefitis ſtudioſi erant. in Sicilia verò tum quoq; laboratũ eſt: eò enim ex omnibus prouincijs Romanis profecti milites ſunt, ad opprimendum Mezentium, cuius dolo Conſtantius interfectus fuerat. Quo ſublato, cum omnes paſsim dilaberẽtur, ſuperuenientibus cum magna claſſe Sarracenis, & Syracuſæ, & tota inſula occupatur. Vnde poſteà onuſti præda Alexandriam redeuntes, vrbis quoq; Romæ ea ornamenta ſecum detulêre, quæ Conſtantius Syracuſas aduexerat eo animo, vt inde Cõſtantinopolim traijcerentur. Indicabat profectò tot clades, tot mala, & ſtella crinita, quam Græci cometen appellant: quæ tribus cõtinuis menſibus apparuit: & pluuiæ magnæ, ac frequentia tonitrua, qualia nunquã antea fuêre. Sed cæcum eſt humanũ genus: etſi enim futura præuidet, non tamen, vt deceret, ſibi cauet. Feruntautem his frequentibus pluuijs, omnes ſegetes cõculcatas iterum renatas eſſe: & ad maturam frugem perueniſſe, in Ciſalpina potiſsimum.

*Lupus foroiulianorum dux.*

*Cometis apparitio.*

Intereà verò Adeodatus vir religione, & omni comitate præditus, in delinquentes clemens, in pauperes beneficus, in hoſpites benignus, erga calamitoſos miſericors, eccleſiam beati Petri via Portuenſi iuxta põtem Meruli tum inſtaurauit, ac dedicauit. Auxit & monaſterium ſancti Eraſmi in Cælio monte ædificijs, & fundis, vbi ipſe monaſticam vitam duxerat. Supplicationes quoq; frequẽtes habuit ad abolẽda prodigia, quæ diximus tum apparuiſſe. Demum verò peractis pontificatus ſui annis iiij. menſibus ij. diebus v. vir ſanctiſsimus moritur: & ab omnibus fletus ad baſilicam Petri ſepelitur, ſexto calẽdas Iu.ij. Vacat tum ſedes menſibus quatuor, diebus viginti.





## DONVS I.

*80. Pont.*

DOnus patria Romanus, patre Mauritio, Eo tempore pontificatum inijt, quo Grimoaldus Longobardorum rex moritur ix. die poſt phlebotomiã in brachio factam, dum arcu in columbam ſagittã acriter intendit, quod fieri non ſine magna neruorum, & venarum contentione ſolet, vnde ſanguis ſine vlla intermiſsiõe prodijt. Fuêre in hoc rege multæ præclaræ corporis & animi dotes. Tantum enim prudentia, & conſilio valuit, non ſolùm in rebus externis, verùm etiam in domeſticis, vt quædam capitula ac quidem vtilia, Rhotaris regis edicto addiderit, quæ poſteà legis formam accepêre. Fuit prætereà mediocris ſtaturæ, corpore validus, capite caluo, promiſſa barba, nec animo minus in rebus agendis, quàm corpore promptus. Sepultus eſt autẽ Papiæ in baſilica beati Ambroſij, quam ipſe ſua impenſa ædificauerat. Pertharis autem Arithperti regis filius, quem pulſum à Grimoaldo diximus, dum exul ex Gallia in Britanniam traijceret, incerta voce admonetur, vt mortuo Grimoaldo regnũ paternum repetat: qua quidem voce permotus, licèt incertus haberetur auctor, in Italiam rediens tertio menſe poſt Grimoaldi mortem, regno paterno ſine contentione potitus eſt. Eodem fermè tempore Dagobertus Francorũ rex, vir callidi, & aſtuti ingenij, nec conſilio minus, quàm manu promptus moritur, cuius animam è manibus dæmonum Lypaream inſulam propè attingentium, liberatam ferunt Dionyſij, ac Mauritij martyris, ac etiam Martini confeſſoris auxilio, quos ſemper, dum vixit, vt patronos coluit, & templis honoratiores reddidit.

*Grimoaldus Longobard.*

Donus autem pontifex honori, & cultui diuino conſulens, veſtibulum beati Petri (quod paradiſum vocant) quadriporticum marmoribus ſtrauit, ſublatis (vt arbitror) ex illa pyramide, quæ in vaticano eſt è regione molis Hadrianæ. Inſtaurauit prætereà, & reſtitutas dedicauit eccleſiam apoſtolorum via Oſtienſi, & eccleſiam beatæ Euphemiæ via Appia ſitam. Clerum quoq; diuerſis ordinibus diſtinxit, & honoribus auxit. Monachos verò quoſdam Syros cum Neſtorianis ſentientes, in monaſterio Boëthiano deprehenſos & caſtigatos, in varia monaſteria diuiſit: Boëthianumq; Romanis incolendum tradidit. Prætereà autẽ tantum doctrina, & ſanctitate vitæ emicuit, vt Rauennatem eccleſiam à Romana iam pridem ſegregatam, & ob eam rem Allocephalim appellatam, ſedi apoſtolicæ obtemperantem reddiderit, Theodoro eiuſdem eccleſiæ præſide in hãc opinionem deſcendente. Sunt etiam qui ſcribant, huius temporibus & Proiectum epiſcopum in agro Cameracenſi ob fidem Chriſti martyrij pœnam, & gloriam ſubijſſe: & Mezelindim feminam incomparabilis pudicitiæ tum habitam, quæ ab Ardenia amatore petita, & varijs cruciatibus affecta, etiam pro perſecutore ob crimen, Dei nutu obcęcato, ita orauit, vt eius precibus homini ſceleſto, & intemperanti lux tandẽ ſit reddita. At Donus pontificatus ſui anno v. die x. moritur, ac ſepelitur ad baſilicã Petri apoſtoli iiij. idus Aprilis, cuius in morte epiſcopatus vacat menſibus ij. diebus ſexdecim.

*Allocephalis eccleſia.*

### ANNOTAT.

*In antiquo muſiuo, quod eſt Romæ in eccleſia ſanctæ Martinæ, hic pontifex Domino, non Donus, ſiue Domnus appellatur: ſic in antiquis codicibus Cuno, non Conon alius, qui paulò pòſt pontifex fuit, vocatur.*

## AGATHO I.

*81. Pont.*

AGatho natione Siculus, patre Romano, anno Domini DCCII. ex monacho pontifex creatur, vir certè tantæ ſanctitatis, vt leproſum obuium factum oſculo ſuo ſtatim liberauerit. Tantæ prætereà manſuetudinis, & humanitatis fuit, vt neminem à ſe vnquam triſtem dimiſerit. Nactus itaq; imperatorem moribus ſuis haudquaquam diſsimilem Monothelitarũ cauſa concilium habere conſtituit. Expectauit itaq; donec Conſtantinus à bello in patriã rediret, qui Sarracenos à ſe victos, imperio Romano vectigales reddidit. At verò cum Bulgari ex Scythia venientes, Thraciam tum inuaſiſſent, eorumq; impetum retardare imperator conaretur, ab hoſtibus Pannoniã inter, & Mœſiam ingenti clade ſuperatur. Hãc ob rem pacem non æquis conditionibus inire neceſſe fuit. Pannonia ſiquidem, & Mœſia his ad incolendum conceſſa eſt, nõ ſine

*Conſtantinus Sarracenis deuictis Romã redit.*

magno reipublicæ Chriſtianæ emolumento, & commodo. Hi enim tanquam propugnatores noſtri, bellum iam ſeptingentis & ſeptuaginta annis cōtra Turcas Chriſtiani nominis hoſtes, aſsiduè gerunt. Pace itaq; hac ratione parta, Agatho pontifex ſtatim legatos Conſtantinopolim mittit, Ioannem Portuenſem epiſcopum, & Ioānem Romanæ eccleſiæ diaconum. Hos perbenignè ſuſceptos, mira charitate Conſtātinus adhortatus eſt, vt omiſsis cauillationibus, & ſophiſticis altercationibus ex æquo, & bono, omni controuerſia ſublata, duas eccleſias vnam tandem facerent. Aderant in ea ſynodo ducenti, & octogintanouem epiſcopi. Delati in medium ſunt imperatoris iuſſu è bibliotheca Conſtantinopolitana libri, vnde antiquorum patrum ſententiæ, & decreta perlegerentur. Inuertebant veras maiorum ſententias Georgius patriarcha Conſtantinopolitanus, & Macarius Antiochenus, vnam tantum voluntatem, & operationē in Chriſto eſſe dijudicantes. Verùm cum orthodoxi rationibus, & auctoritatibus inſtarent, ac Georgium in veram ſententiam deduxiſſent, Macarium pertinacē anathematizant, eiusq; ſectatores: & Theophanem abbatem vera ſentientem, in locum Macarij Antiochenum epiſcopum creat. Hac autem re ex ſententia feliciter geſta, vt Deo gratiæ agerentur, quòd vtranque eccleſiam vnam feciſſet, ſententia, & animis, Ioannes epiſcopus Portuenſis octaua Paſchæ coram principe, ac patriarcha, coramq; populo Conſtantinopolitano in baſilica ſanctæ Sophiæ miſſam latinè celebrat, approbantibus omnibus, qui tum aderant, verum eſſe, ac ſanctum illum ſacrificandi morem: & qui aliter ſentiunt, à recto, & honeſto diſcedere.

*Sexta ſynodus.*

Hæc eſt aūt ſexta vniuerſalis ſynodus ducentorum, & octoginta nouem epiſcoporum Conſtantinopoli habita, quà Cyrilli, Athanaſij, Baſilij, Gregorij, Dioniſij, Hilarij, Ambroſij, Auguſtini, Hieronymi, ſententia concluſum eſt, duas naturas, & operationes in Chriſto eſſe, exploſaq; illorum pertinacia, qui vnicam eſſe in domino voluntatem dicerent, vnde Monothelitæ vocati ſunt.

*Prima ſynodus Nicææ. aliàs Silueſtro.*

Prima enim ſynodus trecentorum & xviij. patrum (vt anteà diximus) Nicææ habita eſt, pontifice Iulio, * ac Conſtantino principe contra Arrium, qui diuerſas in trinitate ſubſtantias ponebat.

*Secunda.*

Secunda Conſtantinopoli centum, & quinquaginta patrum, Gratiani principis, & Damaſi papæ tēporibus contra Macedonum, & Eudoxum, negantes Deum eſſe ſpiritum ſanctum.

*Tertia.*

Tertia in Epheſo ducentorum patrum, Theodoſio iuniore principe, & pontifice Cęleſtino cōtra Neſtoriū Conſtantinopolitanū epiſcopum, qui virginē nō Dei, ſed hominis tātum genitricem appellauit: quiq; aliā perſonam carnis, aliam faceret diuinitatis: & ſeiunctim alterum eſſe filium Dei, alterum hominis prædicaret.

*Quarta.*

Quarta Chalcedonæ, quæ vrbs è regione Byzantij eſt, ſexcentorū & triginta patrū, Leone pontifice, & Martiano principe, cōtra Euthycem Cōſtantinopolitanū abbatem: qui aſſerere nō dubitabat Chriſtum poſt humanam aſſumptionem, nō ex duabus naturis cōſiſtere, ſed ſola diuina cōtentum eſſe.

*Quinta.*

Quinta Cōſtantinopoli cōtra Theodorum & hæreticos omnes, qui Mariam virginem ſolùm hominē peperiſſe dicebāt, nō Deum, & hominem: qua in ſynodo cōſtitutum eſt, vt beata virgo theotocos diceretur, quia verū Deum & hominem pepererat. De ſexta ſynodo ſatis ſuperius diximus, in qua etiam plurimùm valuere literæ Damiani epiſcopi Ticinenſis, Manſueti archiepiſcopi Mediolanenſis nomine miſſæ, quibus hæc potiſsimùm inerant: Hæc eſt vera Dei, & hominis fides, vt duæ credātur in Deo voluntates, duæ operationes: Ego (inquit) quantum ad diuinitatē, & pater vnum ſumus: quantum verò ad humanitatem pertinet, pater maior me eſt. Præterea verò ſecundum humanitatē eum in naui dormientē cernis, ſi diuinitatem inſpicis, ventis, & mari imperat. Agatho verò, cuius tempore poſt lunę, ac ſolis eclipſim peſte, ac grauiſsima quidē laboratū eſt, pōtificatus ſui anno ſecundo, mēſe ſexto, die quintodecimo moritur, ac ſepelitur ad ſanctū Petrum quarto idus Ianuarij, cuius morte annum vnum, menſes quinque ſedes tum vacat.

## LEO II.

*82. Pont.*

LEo ſecundus, natione Siculus, patre Paulo, vir doctiſsimus fuit Latinè, ac Græcè, vt eius ſcripta indicant. Præterea verò adeò muſices peritus eſt

habitus



habitus, vt pſalmodiam compoſuerit, hymnosq; ad meliorem concentum redegerit, artem exercitatione confirmans. Idem quoque inſtituit, vt in celebratione pax populo daretur. Sextā verò Synodum (de qua in Agathone diximus) ita ſuſcepit, vt eoſdem anathematizauerit, quos ſancta ſynodus præſente Conſtantino damnauerat. Contudit etiam ſuperbiam præſulum Rauennatū, quod Agatho inchoauerat. Inſtituit enim, ne electio cleri Rauennatis valeret, niſi eadem Romanæ ſedis auctoritate confirmata fuiſſet. Anteà verò Exarchorum potentia freti, diuina atq; humana omnia pro arbitrio animi miſcebant, nemini obtemperantes, quaſi Romanis pontificibus pares. Leonis quoque inſtitutū eſt, ac quidem ſanctum (quod vtinam hodie obſeruaretur) ne ad archiepiſcopatum aſſumptus, pro vſu pallij, aliorumúe officiorum quicquam eccleſiæ perſolueret, cum ex largitione multa quotidie mala orirentur.

*Pallij vſum archiepiſcopi, tempore Leonis non emebant.*

Agebantur hæc à Leone, cum Rhomoaldus dux Beneuentanus comparato magno exercitu, Tarentum, Brunduſium, ac totam Apuliam occupat, eiusque vxor Theodata mulier pientiſsima, ex his manubijs non longè à Beneuēto Baſilicam in honorem beati Petri ædificat, addito ſacrarum virginum cœnobio. Moritur deinde Rhomoaldus, cui Grimoaldus filius ſine ſtirpe virili ſuccedens Giſulpho fratri ducatum reliquit.

*Giſulph.*

At Leo, in quo præter doctrinā, & eloquentiā ſingularis religio, mira pietas, & clementia fuit, quiq; oēs verbis, & exemplo ad iuſtitiā & fortitudinē, humanitatē, benignitatē adhortabatur, pontificatus ſui menſe decimo moritur, ſepeliturq; collachrymantibus omnibus tanquā publico parēte orbatis, ad baſilicam Petri quarto calendas Iulij. Poſt eius mortē mēſibus vndecim, diebus vno & viginti epiſcopatus vacat. Breuis fuit huius ſanctiſsimi viri pōtificatus, ſed gloria tanta, vt diutius vixiſſe appareat, cùm eius nomen omnium laudibus meritò celebretur.

## BENEDICTVS II.

*83. Pont.*

BEnedictus iunior, patria Romanus, patre Ioanne, ab ineunte ætate Chriſto militans, diuinæ ſcripturæ ita operam dedit, vt doctrina, & exercitatione in rebus diuinis ſingularis tum haberetur. Addo eius humanitatē, pietatem, gratiā in oēs, maximè verò erga pauperes, quibus virtutibus hominū corda ita ſibi deuinxit, vt tum vnus haberetur, qui omnium ſuffragijs in locum demortui Leonis meritò ſubrogaretur. Ad hunc autem Conſtantinus imperator hominis ſanctitate permotus, ſanctionem miſit, vt deinceps quē clerus, populus, exercitusq; Romanus in pontificem delegiſſet, eundē ſtatim verum Chriſti vicarium eſſe omnes crederent: nulla aut Conſtantinopolitani principis, aut Italiæ Exarchi expectata auctoritate, vt anteà fieri cōſueuerat. Id enim ratū erat in creādo pōtifice, quod princeps cōfirmaſſet, vel qui eius vices in Italia gerebat.

*Conſtantini ſanctio de pōtifice.*

Pertharis verò Longobardorum rex, religionem Benedicti, & pietatem imitatus, monaſterium Papiæ in honorem ſanctę Agathæ ædificat. Eius autem vxor Rhodelinda viri exemplo permota, extra mœnia Ticinenſium baſilicam beatæ virgini extruit, quæ ad perticas dicitur.

Hoc aūt fecêre æmulatione moti, quòd intellexerāt Benedictum pontificem Romæ beati Petri apoſtoli, Laurētij martyris in Lucina, beati Valētini via Flaminia, virginis genitricis ad martyres tēpla magnis ſumptib⁹ reſtituiſſe: eadēq; ophitico, & porphyretico lapide, incruſtatione parietum, opere tectorio & vermiculato, argenteis atq; aureis vaſis, veſtibus inauratis, & holoſericis exornaſſe.

Erat & Perthari in animo maiora templa extruere, ſed eum retraxit Alalchis Longobardus Tridentinus dux, qui elatus victoria, quòd Bauaros ingenti clade ſuperaſſet, in regem ſuum arma mouet. Verùm Pertharis comparato exercitu hominem primo impetu fundit, ac fugat, clauſum Tridēti aliquandiu obſidet: quo quidem noctu fuga inde abeunte, Tridento potitur. Tanta præterea Pertharis regis clementia fuit, vt & hominem ad ſe redeuntem in gratiam reciperet, & eum Brixianorum ducem creauerit.

Sunt qui ſcribant, Benedicti temporibus, ſtellā iuxta Vergilias per aliquot dies, & noctes apparuiſſe ſereno cælo inter natalem domini, & Epiphaniam. Stel-



lam

lam ipſam apparuiſſe non negauerim, & quidem crinitam, atque aliquid por-
tendentem. Sed de ortu Vergiliarum non cohæret, niſi id quoque prodigioſè fa-
ctum arbitremur. Aequinoctio enim verno oriuntur Vergiliæ, cum Sol Arie-
*tis* ſignum ingreditur: quod fieri conſueuit nono calendas Aprilis, occidereque
incipiunt æquinoctio autumnali. Quod autem ex Veſuuio monte Campaniæ
tantus ignis tum eruperit, vt loca circunquaq; poſita exuſta ſint, minus mirum
videtur, cùm Plinius ille, qui naturalẽ hiſtoriam ſcripſit, ex claſſe, cui tum iuſſu
Traiani præerat, ad viſendum ſpectaculum profectus, conſumptus incendio di-
catur. Vtcunque ſit, conſtat tamen non ita multò pòſt, cædes, rapinas, incendia,
mortes principũ ſubſecutas eſſe, maximè verò Benedicti pontificis, qui vt æquè
omnib⁹ in vita charus fuit, ita poſt mortẽ ab omnibus vt ſanctus, & bene de hu-
mano genere meritus celebratur. Moritur autem pontificatus ſui menſe deci-
mo, die duodecimo, ſepeliturque apud beatum Petrum Idibus Maij. Eius autem
in morte ſedes vacat menſibus duobus, diebus quindecim.

## IOANNES V.

*84. Pont.*

*Iuſtinianus ſecundus filius Conſtantini imperatoris.*

IOannes quintus, natione Syrus, patria Antiochenus, patre Cyriaco, pō-
tifex creatur fermè tempore, quo imperator Conſtãtinus decimo ſepti-
mo imperij ſui anno moritur filio Iuſtiniano ſecũdo in imperio relicto.
Qua quidem tempeſtate Sarraceni Libyam, & Africam inuaſêre, omniaq; ma-
ri expoſita haud magno negocio occuparunt. Verùm Iuſtinianus confirmato
aliqua ex parte imperio, cōparatoq; ſatis magno exercitu in Sarracenos mouẽs,
eorum duci Abimelech (quem Admiratum vocant) tantum terroris incuſſit,
vt vltrò pacẽ petierit, atq; Africam reſtituerit. Sunt qui ſcribãt, pacem in decen-
nium his conceſſam, hac conditione tamen, vt mille nummos aureos, ſeruum
vnũ ex gente ſua equo inſidentẽ Romano imperatori ſingulis diebus penderẽt.
Ioannes itaq; vir ſingularis religionis, & manſuetudinis, vno omniũ cōſen-
ſu pontifex creatus in eccleſia Saluatoris, quæ Conſtantiniana appellatur ad La-
teranum, ea ratione, qua Leo ſecundus conſecratur à tribus epiſcopis, Oſtienſi,
Portuenſi & Veliterno: quem quidem morem poſteri deinceps tenuêre. Huius
pontificatum celebrem eius fecêre, & Felix Flauiani patruus, vir tantæ integri-
tatis & doctrinæ, vt Condiperthus Arithpetri filius Longobardorum rex, ei ba-
culum argento, & auro inſignitum virtutis gratia dono dederit: & Ioãnes Ber-
gomatum epiſcopus, cui ob ſanctitatem, & doctrinam reges etiam, & principes
honoris gratia aſſurgere conſueuerant. Ioannes autem, & anteà, & in pontifi-
catu valetudinarius, cum libellum de pallij dignitate compoſuiſſet, pontifica-
tus ſui anno primo moritur, ſepeliturq; ad ſanctum Petrum iiij. nonas Augu-
ſti. Eius in morte ſedes vacat menſibus duobus, diebus xix.

## CONON I.

*85. Pont.*

COnon Thracia oriundus, in Sicilia educatus, inde Romanæ eccleſiæ mi-
litans, ex presbytero pōtifex creatur. Nam dum Romani Petrum archi-
epiſcopum, exercitus verò Theodorum presbyterum in Ioannis demor-
tui locum ſufficere conarentur, tandem poſt longam altercationẽ in hanc ſen-
tentiam venêre omnes nutu diuino impulſi, vt Cononem eligerent, virum cer-
tè tanto principatu dignũ, ſi animi dotes, ſi corporis inſpicimus. Erat enim mo-
ribus, literatura, pietate, religione, dignitatis ſpecie inſignis, quem nōnulli an-
gelicum ob venerandam caniciem, & dignitatẽ formæ appellarunt: animi ſim-
plicis & integri, modeſtiæ & iuſtitiæ ſingularis, conſtantiæ & prudentiæ pluquã
humanæ ſemper eſt habitus. Hanc ob rem è veſtigio omnes, ad quos pertinebat,
eum confirmarũt cum maxima acclamatione laudũ ſuarum. Idem fecit Theo-
dorus Exarchus Rauennas, cui quidem in magiſtratu mortuo, non ita multò
pòſt Ioannes Platina in Exarchatu ſucceſſit: hunc ego crediderim dediſſe nomẽ
*Platina in agro Cremonenſi.* meo natali ſolo, quod Platina appellatur, in agro Cremonẽſi poſitum. Nã cum
inter Exarchos, & Longobardorũ, reges frequentia bella committerẽtur, haud
diſſonum verò ſit, cum ille locus propè medius inter Rauennam, & Papiam ſit,
qua-



quarum altera Longobardorum, altera Exarchi ſedes haberentur, ibidem ali-
quando vel pugnatum eſſe, vel caſtra habita: quibus ex rebus locis ipſis plerun-
que nomina indita legimus: vt in eodem agro Vitellianam, oppidum à Vitellia-
nis caſtris, & vicum Bebrignanum non longè à Bebriaco Othonis clade inſig-
nem videmus. Ad Cononem redeo, qui poſt initum pontificatum ſtatim in va-
letudinem incidit: vnde Paſchalis* archipresbyter, ac theſauri pontificij diſpen-
ſator regnandi cupidus, Ioannem Exarchum pecunia ſollicitat, vt eius ſuffragijs
poſt mortem Cononis pōtificatus ſibi decernatur. Accepit pecuniam Exarchus:
quamquam nihil eorum, quæ promiſerat, deinceps præſtiterit. Non erat certè a-
lio præmio quàm fruſtratione dignus, homo auarus, & imperandi cupidus, qui
theſaurum eccleſiæ, quem mandato Cononis, tum in eleemoſynas pauperum,
tum in reſtitutionem templorum erogare debuerat, in largitionem effuderit:
quo nihil poteſt eſſe in viro præſertim eccleſiaſtico, deteſtabilius. Hoc non feciſ-
ſet Gubertus epiſcopus Britannus, vir ea tempeſtate doctrina, & integritate
vitæ inſignis: non Leodegarius martyr epiſcopus Auguſtodonenſis, qui Theo-
dorici Francorum regis iuſſu interfectus eſt, quòd eum perſæpe tyrannidis argue-
rit. Non Audoënus Rhotomagẽſis archiepiſcopus, doctrina, & ſanctitate nulli
ſecundus. Hi enim non in ambitione & auaritia, ſed in Deo, & doctrina ſpẽ om-
nem ſuam collocarunt: vnde poſteà condignam, cum apud Deum, tum apud
homines accepêre mercedem felicitatis æternæ, ac gloriæ. Moritur autem Co-
non pontificatus ſui menſe vndecimo, die tertio, ſepeliturque ad ſanctum Pe-
trum vndecimo calendas Octobris. Vacat tum ſedes menſibus duobus, diebus
tribus viginti.

** Aliâs archidiaconus.*

*Paſchalis pecunia ſollicitat pro pontificatu.*

## SERGIVS I.

*86. Pont.*

SErgius natione Syrus, patria Antiochenus, patre Tiberio, Adeodati pon-
tificis tempore Romam veniens, in clerum Romanum aſciſcitur. Dein-
de verò ob eius doctrinã, & diligentiam circa myſteria, ac rem diuinam,
per ordines conſcendens, ſanctæ Suſannæ ad duas domos presbyter cum titulo
eius loci creatur. Frequentare tum magis atque magis cœmeteria cœpit, eiſdem-
que in locis ſolennia celebrare, qua ex re tantum ſibi nominis comparauit, vt de-
functo Conone, in eius locum ſuffectus ſit, nō ſine altercatione tamen. Populus
*Populi diuiſio ab electionem.* enim Romanus bifariam diuiſus, hinc Theodorum, hinc Paſchalẽ archidiaco-
nũ petebat. Irruperat iam Theodorus cum factione ſua interiorem partem epi-
ſcopatus Lateranẽſis: exteriora verò Paſchalis occupauerat ab oratorio ſancti Sil-
ueſtri vſque ad baſilicam domus Iuliæ, quæ campo imminet. Verũ cùm ibi tanta
altercatio, & rixa eſſet, vt de pugna nō ambigeretur, cum alter alteri ceſſurus nō
videretur, niſi vi, & armis pulſus, principes ciuitatis, cleri, militiæq; Romanę, v-
nũ in locũ ſecedẽtes, quid maximè fieri oporteret ad tollendam ſeditionẽ, cōſul-
tãt. Tandem verò re ipſa diſcuſſa, cum neutri eorum qui ob ambitionem tantos
motus concitauerant, demandandum pontificatum cẽſerent, Dei nutu nemine
aduerſante, Sergiũ pōtificẽ deligunt: eũdemq; è media turba humeris tollentes,
primò in oraculũ Cæſarij martyris, mox in Lateranenſem epiſcopatum detule-
rũt, refractis vi foribus, repulſiſq; his, qui locum occupauerant. At verò Theodo-
rus cognito omniũ conſenſu, Sergium pontificem ſalutat, & oſculatur. Idem fe-
cit Paſchalis alter competitor, licet inuitus, cogente multitudine, quæ armis cir-
cunſtrepebat. Hic tamen clanculum Ioannem Platinam Exarchum Rauennatẽ
litteris, nuncijs, & pollicitationibus adeò cōcitauit, vt quę anteà pollicitus erat,
largitione corruptus tandem præſtaret, vt idem Ioannes Romã confeſtim veni-
ret nullis præmiſſis nuntijs, quò negligẽtes, & incautos opprimeret. Verùm vbi
intellexit Sergium omnium conſenſu pōtificem declaratũ, inſtaretq;, vt quę Pa-
ſchalis pollicitus erat, ſibi præſtarentur, aduerſante Sergio quòd tãtã largitionẽ
improbaret, donaria quędã ex baſilica ſuſtulit. Verùm Paſchalis tanti mali cau-
ſa, magices accuſatus, & cōuictus, vt ſortilegus archidiaconatu priuatur: in mo-
naſteriũq; pœnitentię cauſa retruditur: vbi quinquennio poſt eadem ſemper per-


tinacia

tinacia vſus, moritur. Intereà verò Iuſtinianus cũ in Deũ, in homines, mira incõſtantia vſus, & Sarracenos, & Bulgaros præter fœdera pacis initæ adoritur, à quibus certè plus incommodi accepit, quàm intulit: & Conſtantinopolim rediẽs, à ciuibus omnibus odio habitus, quod ſęuitiam pręfecti vrbis non compeſcuiſſet, ſynodũ habuit, in qua nonnulla approbata ſunt, orthodoxæ fidei nequaquã congruentia. Eadem quoque Sergij apocriſarius, qui tum Conſtantinopoli erat, ſubſcriptione ſua ſtolidè nimium confirmauit. Verùm cùm poſteà Romam delata à Sergio exploderentur, qui non vnam, ſed duas in Chriſto naturas tenebat, ac virginem θεοτόκον fuiſſe, ita percitus Iuſtinianus, Zachariam prothoſphatarium (quem nos principem militiæ dicere poſſumus) Romam miſit, qui Sergium ad ſe vinctum traheret: quod vbi ſenſêre milites Exarchatus Italici, raptis properè armis, non ſolum pontificem à tanta iniuria tutati ſunt, verùm etiam parum affuit, quin Zachariam occiderent: quem pontifex ad ſe confugientem, in cubiculo ſuo aliquandiu conſeruatum, clanculum ad imperatorem remiſit.

Agebantur hæc Romæ cum Leontius annuente Callinico patriarcha, plebe Conſtantinopolitana ad arma excitata, refractis omnibus cuſtodijs vrbis: vnde multi nexi prodiere, Iuſtinianum imperio deiecit, ac truncis naribus exulatum in Cherſonneſum Ponti mittit. Hæc cùm intellexiſſet Abimelech Sarracenorum admiratus, Africam ſtatim inuadit ſeditionibus Conſtantinopolitanorum fretus, eò properè & Leontius copias ſuas mittit, quę barbarorum impetum retardarent. Verùm non ita multò pòſt ſeditione inter eos orta, Tiberium quendam ciuem Conſtantinopolitanum imperatorem creant: qui confeſtim Conſtantinopolim cum exercitu adnauigans, Leontium capit, & eodem affectum ſupplicio, quo Iuſtinianum diximus, in carcerem conijcit, maiori ludibrio hominem reſeruans. Philippum prætereà Nicephori patricij filium, qui ei in adipiſcendo imperio fauerat, in exiliũ mittit, quòd æqualibus ſuis narrauerat ſe per quietem vidiſſe aquilam caput ſuum alis obtegere, veritus ne imperium adoleſcenti portenderetur. Dum hæc Conſtantinopoli agerentur, Pipinus Auſtriæ gubernator, & dux, occupandi regnum Franciæ fundamenta iecit. Cum enim intellexiſſet Bertarium quendam ignobilem, cuius opera Theodoricus Frãciæ rex plurimum vtebatur, omnibus odio eſſe, coactis in vnum ingentibus copijs in Galliam traijcit, ac Theodoricum cum Bertario obuium factum, collatis ſignis fundit, fugatque. Salutem ſibi Bertarius fuga quæſiuit. In regnum verò Theodoricus ſeſe recipiens, Pipinum victorem pace ſequeſtra regni gubernatorem & maiorem domus (vt Galli aiunt) efficit. Is autem in Auſtraſiam rediens, quòd à Germanis, & Sueuis vexari ſuos intellexerat, ſuperatis hoſtibus: in Franciam denuo redijt, quod mortuo Theodorico regnum ad Childepertum fratrem eius perueniſſe cognouerat, eò perueniẽs, & à rege perbenignè ſuſceptus, cum filium Grimoaldum domus regiæ gubernatorem inſtituiſſet, in Sueuos, & Germanos iterum rebellantes infeſto animo redijt.

At verò Sergius pontifex, relegato Iuſtiniano pace ac quiete vſus, baſilicam Petri ablatis ruderibus, renouatisq; tignis, ſtillicidijs, ac parietibus, in antiquam formam reſtituit. Frontiſpiciũ baſilicæ opere vermiculato exornauit, cãdelabra atq; alia templi ornamenta ex auro, & argẽto conficit in eadem baſilica, & partẽ dominicę crucis inuenit in capſula ęnea: & beati Leonis corpus vilius vſq; ad tẽpora ſua iacens, quàm eius merita requirebãt, honeſtiore, ac celebratiore loco repoſuit. Statuas Apoſtolorum vetuſtate exoletas renouauit. Multarum prætereà eccleſiarum, quas commemorare longum eſſet, ornamẽta collapſa, vel reſtituit, vel noua de integro fecit. Conſtituit prætereà vt in fractione dominici corporis, caneretur, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis: vt litaniæ quoque à ſancto Hadriano quotannis dicerentur per vrbem die annunciationis ſanctæ genitricis, ac Simonis, inſtituit: Rauennatibus autem Damianum, Berflauardum verò Britannis archiepiſcopos dedit. Eccleſiam Aquileiẽſem quintam ſy-
*Lambertus* nodum non omnino approbantem ad ſanitatem doctrina, & auctoritate ſua tã-
*epiſcopus.* dem perduxit. Sunt qui ſcribãt, Lambertum virum ſanctiſsimum, apud Leodiũ ea tempeſtate martyrium ſubijſſe, quòd Pipinum reprehenderit, qui vxori pellicem

cem



cem Elpiadem ſuperinduxerat. Hoc autem facinus ipſius Elpiadis fratrem commiſiſſe, qui poſteà morbo pediculari conſumptus eſt. Sunt etiam qui ſcribant, Sergij virtute, & ſanctitate Saxones tum primum fidei noſtræ characterem ſumpſiſſe. His tot rebus vir ſanctiſsimus inſignis, pontificatus ſui anno xiij. menſe octauo, die iij. & xx. moritur, in baſilica Petri collachrymantibus omnibus præ dolore ob amiſſum pontificem, communem omnium parentem, magno funere ſepelitur vj. idus Septembris. Vacat tum ſedes menſem vnum, diebus viginti.

## IOANNES VI.

IOannes ſextus, natione Græcus, eo tempore põtificatum inijt, quo Theo *87. Pont.*
phylactus Exarchus Italiam petens, primò in Siciliam venit. Quod vbi ſenſêre milites Itali, veriti ne quid mali eius aduentus portenderet, quòd ſuperioribus temporibus ferè magis cum pontificibus, quàm cum imperatoribus ſenſiſſent, ingreſſurum vrbem Romam interficere conſtituerant. Verùm Theophylactus auctoritate Ioannis pontificis defenſus, qui ſequeſtrum ſe inter ducem, & milites fecerat, compoſitis rebus omnibus Rauennam proficiſcitur. Intereà verò Giſulphus Beneuẽtanus dux militum, & Exarchi diſcordia fretus, Campaniam inuadit, Soram, & Arpinum occupat, villas incendit, ruſticos, & pecora abigit: quibus malis permotus pontifex, legatos ad Giſulphum mittit, qui ei mandent vt omiſsis Campaniæ, & Hernicorum oppidis, in Samnium reuertatur: quòd ſi ſecus fecerit, breui ſenſurum omnipotentis Dei in ſe iram. His monitis perterritus Giſulphus, oppida, quæ ceperat, reſtituens, Beneuentum reuertitur. Captiuos autem omnes quoad per ærarium eccleſiæ ſibi licuit, Ioannes redemit ex toto Samnio conquiſitos.

At Iuſtinianus (quem diximus) à Tiberio in Cherſonneſum Ponti relegatum, inde fugiens ad Cacanum Auarum peruenit, à quo primò ita perbenignè ſuſceptus eſt, vt ei filiam in vxorem ſpoponderit: verùm poſteà pecunia, & muneribus à Tyberio corruptus, hoſpitem, & generum ei prodere inſtituerat. Hoc vbi
Iuſtinianus intellexiſſet, ad Trebellium Bulgarorum regem confugit, à quo eti- *Sarraceni*
am non ita multò pòſt vi, & armis in imperium reſtituitur. At verò dum hæc in *occupata*
Europa agerentur, Sarraceni occupata Libia, & Africa, ex Lepta ſoluentes tranſ- *Lybia &*
miſſo Athlantico freto, omnes Hiſpanias præter Aſtures, & Cantabros occu- *Africa Hi-*
pant. Hi enim ſicuti vltimi fuêre in Hiſpania, quos Romanum ſubigeret impe- *ſpanias oc-*
rium, vltimi quoque: qui ab eo deficerent: ſoli poſtremò, qui Viſegothorum à *cupant.*
ſe diſcuterent iugum: ita nunc demum accepta Chriſti fide, & religione armis *Beda vene-*
ſe à perfida Sarracenorum gente conſtantiſsimè tutati ſunt. *rabilis.* Africa igitur, quæ à Beliſario primi Iuſtiniani duce recuperata, centum & ſeptuaginta annis Romano paruit imperio, Sarracenis vnà cum Bætica Hiſpania (quam nunc granata vocant) tum occupata, eorum moribus, & legibus iam ſeptingentis, & quadraginta annis obtemperat, cum maxima Chriſtiani nominis ignominia: etſi Hiſpani, qui iactare ingenium, & fortitudinem ſolent, nequeant tantam labem ab Europa propellere. Sunt qui ſcribant, Bedam, qui eiſdem temporibus fuit, hanc calamitatem litteris ad principes Chriſtiani nominis, ſcriptis lamentatum fuiſſe, quò bellum in hoſtes Dei atque hominum ſuſciperent. Beda enim præter Græcæ, atque Latinæ linguæ doctrinam, quam non mediocriter tenebat, ob religionem etiam, atque modeſtiam, Venerabilis cognomentum adeptus eſt. Scripſit enim multa in Actus apoſtolorum, in Lucam. Edidit & librum de tem-
poribus, & homilias pleraſque, quibus multùm Gallici ſacerdotes vtuntur. Stra *Strabo &*
bo quoque, & Haymo viri doctiſsimi, Bedæ fratres ſunt habiti: quorum alter ple *Haymo*
raſq; homilias eleganti ſermone cõpoſuit, alter verò geneſim cõmentatus eſt. *Bædæ fra-*
At Ioannes pontifex reſtituta baſilica ſancti Andreæ in Vaticano, ſanctoq; *tres.*
tecto diui Marci, atque ornato altari principis apoſtolorum Petri, ductis columnis dextra, læuaq;, moritur pontificatus ſui anno iij. menſe iij. martyrio vt quidã volunt. Sed à quo martyrium paſſus ſit, non ſatis cõſtat. Sepultum ad catæchumbas S. Sebaſtia. via Appia quidam affirmant. Eius ex morte vacat tum ſedes menſem vnum, dies vndeviginti.

IOAN.

## IOANNES VII.

88. Pont. IOannes ſeptimus, natione Græcus, patre Platone.

Eo tempore pontificatũ inijt, quo Iuſtinianus Conſtantinopolim reuerſus, Tiberium, & Leontium, à quo fuerat imperio deiectus, ſpectãte populo interfici iuſsit. Multos præterea ex inimicis è medio ſuſtulit vario genere mortis, pleroſq; in carcerẽ coniecit: quorum de numero quotidie aliquem ſupplicio afficiebat, cum nares emungẽdo illatæ iniuriæ reminiſcebatur. Præterea verò Callinicum patriarcham Conſtantinopolitanum confoſſum oculos, Romam exulatum miſit: Cyrumque abbatem, cuius munificentia in Ponto vixerat, in locum Callinici patriarcham ſufficit.

Eadem verò ſtultitia vexatus, qua fuerat ante amiſſum imperium Sergio põtifice, duos metropolitanos Romã miſit, qui Ioannẽ adhortarentur, vt habita ſynodo, quæ de homuſio crederent orientales, eadem vera etiã occidentales affirmarent, prępoſitis libellis, in quibus ei ſubſcribendum erat. Homines autẽ re infecta ad imperatorem põtifex remiſit, neq; tamẽ (vt par erat) errores male de Deo opinantium emẽdauit cenſuris, & interdictis, quemadmodum conſtantẽ pontificem decuiſſet. Sunt qui ſcribant (ſine auctore tamen) Arithpertũ Longobardorum regem religione motũ, donaſſe alpes Cottias beato Petro: & quicquid à Taurinis, & Medullis Genuã vſque, Liguſticamq; protenditur. Alij autem affirmant donationem ipſam ab Arithperto confirmatam fuiſſe: Verùm cũ de donatione nil certi habeatur, paleamq; pontificij iuris periti appellant, quòd ſine frumẽto ſit, nihilq; Cõſtantinianæ elegantiæ, ac dignitatis habeat, quomodo de cõfirmatione conſtabit? Ad Ioannẽ pontificem redeo, virum certè multę eloquẽtię, & ſanctitatis, qui in baſilica Petri oratorium (ita enim appellant locũ orãdi) in honorẽ Dei genitricis extruxit, cuius parietes vermiculato opere intecti, dextera, læuaq; quorundam ſanctorum patrum vultus oſtendebant. Baſilicã præterea ſanctæ Eugeniæ reſtituit, iampridem vetuſtate collapſam. Cœmeteria quoq; ſanctorũ martyrum, Marcellini, Marci, Damaſiq; põtificis exornauit. Poſtremò verò multas Baſilicas pictura, & ſtatuis ſanctorum cultiores reddidit. Has autem qui cernebant, ipſum pontificem intueri videbantur, vnde exẽplaria grauitatis, & dignitatis pictores, ac ſtatuarij ſumpſerant. Moritur autem Ioannes ſecundo pontificatus ſui anno, menſe ſeptimo, die xvij, ſepeliturq; in baſilica Petri ante altare Dei genitricis quod ipſe extruxerat, quintodecimo calendas Nouembris. Eius autem in morte tribus menſibus ſedes vacat.

## SISINNIVS I.

89. Pont. SIſinnius, vel (vt alij volunt) Zoſimus, natione Syrus, patre Ioanne, xx. tãtum diebus in pontificatu vixit, quo quidem tẽpore ferunt S. Benedicti corpus è monte Caſsino furto ſublatum, propter ſolicitudinem loci, & in Galliam translatum fuiſſe. Siſinnius autem licet podagra, & chiragra ita laboraret, vt neque ambulare, neque cibum capere poſſit, tamen ita vrbis Romæ, & reipub. Chriſtianæ curam geſſit, vt nil prætermiſerit, & ante pontificatum, & in ipſo magiſtratu, quod bonum pontificem deceret. Iam enim materiam omnem parabat, qua & mœnia vrbis, & templa vetuſtate collapſa, in meliorem formam reſtitueret, celebrationaque redderet. Verùm ſubita morte correptus in baſilica Petri ſepelitur octauo idus Nouembris. Vacat tum ſedes menſem vnum, & dies decem & octo.

## CONSTANTINVS I.

90. Pont. COnſtantinus natione Syrus, patre Ioanne, eo tempore pontificatum inijt, quò Romæ triennio fame laboratum eſt: qua quidem in re ita omnes, tum vel maximè pauperes iuuit, vt Conſtantinum cælitus miſſum homines arbitrarentur. *Iuſtinian. Imperat.* Interea verò Iuſtinianus odio pontificij nominis Mauritium patritij ordinis virum, & Heliam Spatharium in Cherſonneſum, vbi exulauerat, cũ claſſe mittit, qui omnes pubertatẽ ſupergreſſos occiderent. Fecêre mandata præfecti claſsis, vt rabiem imperatoris explerent. Et ne in homine ſolã crudelitatem



delitatem fuiſſe exiſtimes, tantæ ingratitudinis fuit, vt Trebellium regem, cuius ope, & copijs in imperium reſtitutus fuerat, cum Thracibus contẽdentem, de improuiſo hoſtili manu adortus ſit: quem certè Trebellius nõ modò ſuſtinuit, verumetiã cum detrimento repulit. De priſtina vita ob calamitates, quas perpeſſus fuerat Iuſtinianus, nil immutauerat, præter hoc tantum, quod ſedem apoſtolicã contrà atque antea conſueuerat, veneratione deinceps obſeruauit, tutatusque eſt. Nam cum Felix archiepiſcopus Rauennas ordines à Romano pontifice accepiſſet, cogereturq; de more formulã obtemperandi ſcripto, & pecuniam Romã mittere, neque id præ arrogantia faceret, Iuſtinianus recognita Theodorum patricium claſsis præfectum ſtatim admonet, vt primo quoque tempore ex Sicilia in Rauennates moueat. Is autem dicto imperatoris obtemperans, & Rauennates prælio ſuperatos, maximis affecit cladibus, & Felicem cathenis vinctum Cõſtantinopolim miſit, quem poſteà Iuſtinianus in Pontum relegauit, orbatum prius luminibus æneo vaſe concauo, ac quidem candẽte diu inſpecto. Inde enim pyramis ignea exit, quæ facilimè oculorum aciem perſtringit, & obcæcat. Nequaquam tamen hanc ſæuitiam Conſtantinus probauit: redigere enim hominem ad ſanitatem volebat, non tantis malis affici.

Interea verò cùm hæc à Pontifice, & imperatore agerentur, Ariſprandus regnum auitum repetens, auxilio Bauarorum fretus, in Italiam deſcendes, collatis ſignis cum Arithperto dimicat & vincit: regnoque Longobardorum potitur, Arithperto ipſo dum trepidè nimium aufugit, in rapido flumine ſubmerſo. Verùm Ariſprandus non ita multò pòſt moriens, Luithprandum filium regni ſucceſſorem approbantibus omnibus reliquit.

Iuſtinianus autem videndi Conſtantini Pontificis admodum ſtudioſus, hominem rogat, vt ad ſe proficiſcatur, pręmiſſa claſſe quò tutius nauigaret. Appropinquanti autem vrbi regiæ Conſtantino Tiberius Iuſtiniani filius cũ regio comitatu, & Cyrus patriarcha cum omni clero honoris cauſa ad octauũ lapidem obuiam prodeunt, eumque Camelanto pontificali amictu indutum, ſolenni pompa vrbem ingreſsi, in regiã perduxêre. *Cyrus patriarcha. Camelantum.* Inde verò Nicomediam proficiſcèns, quò venturus & imperator Nicæa erat non ſecus quàm Conſtantinopoli à Nicomedienſibus ſuſcipitur. Iuſtinianus autem non ita multò pòſt vrbem ingreſſus non ſolùm pontificem amplectitur, verumetiam eius pedes venerationis cauſa exoſculatur. Cùm verò ſequentibus diebus multa inter ſe collocuti fuiſſent, confirmaſſetque Iuſtinianus pontificum decreta, Conſtantinus abiens hominem adhortatur, ne in Philippicum in Cherſonneſo exulantem grauius aliquid decerneret, veritus ne aliquid mali oriretur, quod Philippicum magni animi eſſe, & conſilij virum intellexerat. Verùm Iuſtinianus conſilio pontificis bene monentis nequaquam obtemperans, claſſem in pontum mittit eo animo, vt Philippicum interficeret: qui quidem deficientibus ad ſe militibus, eadem claſſe vſus, duodecimo ab vrbe Conſtantinopoli milliario, cum Iuſtiniano, & Tiberio dimicans, eos vincit, & interficit, imperioque ſtatim omnium conſenſu potitur. Deinde verò Cyro patriarcha in pontum relegato, quòd bene cũ pontifice Romano ſentiret, in eius locum Ioannem monachum hæreſiarchã ſufficit. Cuius quidem dogmata ſtatim Romam miſit, mandauitque vt omniũ cõſenſu approbarentur. At Conſtantinus habita ſynodo, non modò Philippici, & Ioannis monachi opiniones improbat, verumetiam decernit, vt ſanctorũ patrum imagines, qui ſex concilijs ab omnibus probatis interfuerant, in porticu beati Petri depingerentur, cũ intellexiſſet eas à Philippico è parietibus ſanctæ Sophiæ ignominię cauſa abraſas fuiſſe. *Imagines ſanctorum patrũ depingi in parietibus.* Prętereà verò idem pontifex cõſtituit, ne imperatoris hęretici nomẽ publicis ſcriptis, aut priuatis in ære, argento, plumbóue reciperetur. *Imperator hæreticus.* At Anaſtaſius cognomẽto Arthemius, ſumptis armis Philippicum imperio deiecit, anno primo, & menſe imperij vj. eumq; captũ oculis priuauit. Litteras præterea ad Conſtantinum pontificẽ mittit, quibus ſe catholicæ fidei, ac ſextæ ſynodi acerrimum defenſorem futurũ pollicetur. Verùm hic quoque triennio pòſt à militibus ſpretus, imperio deijcitur, cogiturq; à Theodoſio, qui in eis locum ſuffectus eſt, ſacros ordines recipere, ne ei ſacris initiato amplius redire ad imperiũ liceat.

liceat. Theodoſius autem catholicus imperator ſtatim imagines ſanctorum patrū (vt diximus) à Philippico demolitas, reſtitui priſtino in loco mandauit. Felix verò (quem diximus) in Pontum à Iuſtiniano relegatum, à priſtina hæreſi diſcedēs, in patriam reuertitur, ac ſedem, vnde pulſus fuerat, repetit. Declaratū eſt etiam eodem tempore, Ticinenſem epiſcopum Romanæ ſedi tantùm, non etiam Mediolanenſi archiepiſcopo obtemperare debere. Ea enim de re magna, & diuturna inter vtrunque antiſtitem contentio fuerat. Sunt qui ſcribant, duos reges Saxonum hoc eodem tempore Romam voti, & religionis cauſa veniſſe, mortuoſque ibidem eſſe peſte vt arbitor. Poſt hos verò non ita multò pòſt moritur Cōſtātinus, vij. pontificatus ſui anno, die xx. ac in baſilica Petri ſepelitur iij. idus Februarij. Sedes autem huius in morte menſem vnum & dies xl. tum vacat.

*Ticinenſis epiſcopus cui vt ob temperet decretum.*

### ANNOTAT.

*Primus omnium Romanorum pontificum imperatori Græco Philippico, qui Iuſtiniano iuniore Orthodoxo principe occiſo, imperium inuaſerat, in os reſiſtere palàm auſus fuit Conſtantinus Papa. Imperator enim in Iconomachiæ hæreſim lapſus, ſanctas imagines vbique tollendas eſſe etiam Romano pontifici iuſſerat, quod ille facere conſtantiſſimè recuſauit. Leoni verò III. Auguſto ſimilia iubenti, Gregorius, qui Conſtantino ſucceſſit, maiora auſus, Italicum imperium, quod de Longobardis ſupererat, iure eripuit anno Domini DCCXXIX. Gregorius deinde III. quem ſecundus moriens ſucceſſorem reliquit, orientalibus deſtitutus auxilijs, primus ad Francorum opes longè lateq́; patentes confugit, & ab ipſorum duce Carolo Martello, Pipini poſteà regis patre auxilia contra Longobardos Romam vexantes implorauit. Quæ res ſemel incepta cum Longobardici regni excidio finita eſt. Ex Anaſtaſio S R.E. bibliothecario, in ſupradictorum pontificum vitis, Paulo Diacono libr. 6. cap. 11. & 13. hiſtor. Longobardiæ, Annonio, qui ex Ademaro monacho de rebus geſtis Francorum ſcripſit libr. 4. cap. 57. item annalibus Conſtantinopolitanis, qui ſub Eutropij nomine circunferuntur lib. 21. Quorum auctor fuit Nicephorus patriarcha Conſtantinopolitanus, qui ante annos 70. vixit, eoſq́; Anaſtaſius bibliothecarius è Græco in Latinum vertit.*

## GREGORIVS II.

*90. Pont.*

GRegorius ſecundus patria Romanus, patre Marcello, ſub Sergio pontifice ſacris initiatus, ſacellis, & bibliothecæ præfuit, tantæ fidei & integritatis eſt habitus. Sumens deinde diaconatus ordinem, Cōſtantinopolim cum Conſtantino pontifice proficiſcitur: vbi cum acriter diſceptaretur quibuſdam de rebus ad fidem pertinentibus, ita acutè reſpōdit, vt omnibus ingenij ſui, & doctrinæ admirationem inijceret, tantę enim eruditionis, & facundiæ erat, vt facilè conuinceret malè de fide noſtra opinantes. Inito autem pōtificatu, & mœnia vrbis aliqua ex parte vetuſtate collapſa inſtaurat, & trabes baſilicæ principis apoſtolorum, Laurentijque martyris extra muros, annoſitate quaſſas reſtituit, reſartis tectis ac parietibus, introductiſque de more aquis, compaginatis fiſtulis iamdudum vetuſtate, & hominum incuria vitiatis. Alias quoquè eccleſias reſtituit, muneribuſque tum aureis, tum argenteis exornauit: quas quidem enumerare longum eſſet. Non reticebo tamen, reſtitutum eſſe ab eo monaſterium via Oſtienſi poſitum, non longè à baſilica Pauli, cuius ruinas adhuc cernimus. Reſtitutumq́ue etiam monaſterium beati Andreæ, quòd Barbarę nuncupatur, ibiq́ue diſpoſitos monachos, qui die, ac noctu laudes Deo canerent. Huius prætereà hæc peculiaris laus eſt, quòd eius opera Germani ad fidem noſtram conuerſi ſunt, miſſo eò Bonifacio monacho, qui eos è tenebris educeret propoſitæ veritatis luce. Ipſorum autem Germanorum magnam partem Romam venientem, ſuis manibus vir ſanctus baptizauit. Impulit item ſua auctoritate Luithprandum, primò quidem recuſantem, Arithperti donationem (de qua anteà diximus) confirmare: qui quidem Luithprandus principio regni ſui, & Baiouariæ magnam partem occupat, & Rauennam obſidet, ac capit. Eiuſdem tēporibus Tiberis adeò in immēſum creuit, vrbem porta Flaminia influens, vt & via Lata hominis magnitudinem aqua ferè æquaret, & à ponte Miluio vſque ad gradus ſancti Petri nauigaretur lintribus non paruis. Durauit autem hæc illuuies diebus ſeptem cum maximo ciuium damno, & detrimento, euerſis domibus, ac erutis arboribus, ſatiſq́;. Luna quoque ecclipſim tum paſſa, vſq; ad mediam noctem colorem ſanguineum præ ſe tulit. Dedit & ſigna futuri mali cometes, extenſa ad ſeptentrionem cauda. Gregorius autem quò ſummi Dei iram à ceruicibus Chriſtianorum

*Germani ad fidem conuerſi.*





auerteret, frequentes ſupplicatiōes vrbe tota facit. Dū hæc Romæ à pōtifice agerētur, nunciatum eſt Longobardos Beneuentano duce arcem Cumanam inſidijs occupaſſe: qua ex re Gregorius vehementer commotus, Lōgobardos admonet, vt arcē pręter fœdera pacis, fraude occupatā reddant, aliter eos breui indignationē omnipotētis Dei ſenſuros: cū hoſtes ſæpius moniti, res repetitas nō redderēt, Neapolitanos pōtifex adhortatur propoſito præmio, præmiſsiſq́; etiam quibuſdam militibus Romanis, vt arcem vi occupent. Hi verò mandata ſtrenuè facientes, Theodoro ſubdiacono hanc rem curante arcem recipiunt, cæſiſq́; trecētis ex his, qui in præſidio erant, ad quingentos viuos capiunt, ac Neapolim perducūt, vbi ſtatim militibus præmia reddita ſunt. Pace itaq; foris parta, Gregorius reparandis locis ſacris animum adijcit, Baſilicam namq; ſanctę crucis in Hieruſalem iampridem deſtitutā reſtituit, porticus circūquaq; poſitas inſtaurat fornicibus, & tectis. Oratorium Suſannæ in monte Cælio, à fundamentis extruxit. Domum paternam mortua matre in honorem Agathæ Chriſti martyris dedicauit, eoq́; loci monaſterium extruxit, additis ſuburbanis, & ruſticis prædijs ad monachorū vſum & commoditatem.

Sarraceni autem diſcordia Chriſtianorum freti, ex Lepta Africæ in Hiſpaniam traijcientes, prouinciam omnē præter Bęticam à ſuis iam anteà poſſeſſam depopulantes, ad Aquitaniā vſque cū coniugibus, & liberis peruenêre, eam quoque prouinciam occupaturi. Erat tum Carolus Martellus Pipini ducis filius magno apud omnes in pretio, duos enim filios Pipinus tum habuit, mortuo Grimoaldo, Carolomannum, & Carolum Martellum, qui poſteà ſolus hoc quoque mortuo regnum Franciæ obtinuit, multis tamen aduerſantibus: maximè verò Eudone Aquitaniæ duce, & Chilperico rege, quem Franci quidam poſt Theodoricum æmulatione moti regem conſtituerant. Verùm Carolus Martellus trāſmiſſo Sequana fluuio, in Aurelianos mouēs, vno impetu hoſtes fundit, fugatq́; ac regno Frāciæ ſolus potitur. Rhenum deinde traijciens, Saxones, Alemannos, Sueuos, Bauaros regno ſuo adijcit. Verùm cū intellexiſſet Sarracenos ab Eudone in Galliam euocatos, magnis itineribus in hoſtem proficiſcitur: pugnandiq́; poteſtatē facit, & vincit non lōgè à Turonum finibus. In eo autem pręlio ſcribūt hiſtorici ad trecenta & lx. millia Sarracenorum cecidiſſe: ex Francis verò mille tātummodo centum, & quinquaginta deſideratos. Sunt tamen, qui ſcribant, Eudonem tāto periculo motū, poſtremò cum Carolo ſenſiſſe. Hac itaq; ratione Sarraceni beneficio Caroli à ceruicibus Hiſpanorum, & Gallorum pulſi, rabiē omnem, & indignationem ex tanta clade conceptam, in Conſtantinopolitanos vertêre: vrbē enim terra mariq́; triennio obſidēt. Verùm cū fame, frigore, peſte, bello, poſtremò magna incommoda paterentur, obſidionem ſoluentes, ad ſua quiq́; rediêre. Ex Conſtantinopolitanis autem ad trecenta millia eadem peſte cōſumpta tradūtur. In Italia verò Longobardi duce Luithprando, Rauennā diu obſeſſam, tādē capiunt, & diripiūt: inde Ticinum, auferentes quicquid præclarum in vrbe erat, vnde crediderim tum equum illum æneum viro inſidente, Papiam aduectū, quē accolæ Regis ſolē vocāt. Sed ita fit, in rebus humanis viciſsitudo eſt. Quod enim Theodoricus, alijq́; reges Gotthorum, atq́; deinceps Exarchi Rauennates Roma Rauennam detulerant, id poſteà in varia loca diſiectum eſt.

*Martellus.*

Interim verò Romæ à quibuſdam ſeditioſis in pontificem coniuratur, principibus coniurationis Baſilio, Iordane cartulario, Ioanne ſubdiacono cognomēto Lurion, Marino ſpathario, qui ducatui Romano imperatoris nomine tū pręerat. Verùm dilata in aliud tempus res eſt, quòd Marinū imperator reuocauerat. Tentare & Paulum Exarchum coniurati cœpêre, quo quidem duce in tāta re vti volebant. Sed Romanus populus re ipſa tandem patefacta, arma capit, Ioannem & Lurionem interficit, reliquoſq́; coniuratos diſsipat. Baſiliū monaſterio includit: vbi & vitā finiuit. Paulus autē vehemēter pontifici infenſus, quòd ab eo prohiberetur, quò minus noua vectigalia exigeret, clàm, & apertè mandato imperatoris viri ſanctiſsmi mortem quęrere, ſed Romani & Lōgobardi ſumptis armis, quò minus id fieret, prohibuêre. Tum verò Leo tertius imperator, cū apertè inuehi in pontificem nō poſſet, edictū proponit, vt omnes qui ſub imperio Roma

no eſſent, ſanctorum omnium, martyrum, & angelorũ ſtatuas, atque imagines è templis abraderent, & auferrent, tollendæ (vt ipſe dicebat) idololatriæ cauſa: qui verò ſecus feciſſet, eum ſe pro hoſte publico habiturum. Gregorius autem tantæ impietati nõ modò nõ obtemperat, verumetiã omnes catholicos admonet, ne in tãtum errorem timore, vel edicto principis vllo modo dilabãtur. Qua cohortatione adeò certè animati ſunt Italiæ populi, vt paulum abfuerit, quin ſibi aliũ imperatorem deligerẽt. Quò minus autem id fieret, auctoritate ſua obſtare Gregorius annixus eſt. Rauennæ tamẽ tanta ſeditio orta eſt, cùm alij imperatori, alij põtifici obtemperandũ dicerent, vt in ipſo tumultu Paulus Exarchus cum filio occideretur. Mittitur deinde ab imperatore Eutychius eunuch⁹, qui pollicitationibus, & donis Lõgobardos à beneuolentia, & ſocietate Romani pontificis ſepararet. Verùm cùm id fruſtra quæreretur, rem toties tentatam ad tẽpus omiſit, vnde pontifex tanta moleſtia liberatus, loca pauperum, & baſilicas inuiſere cœpit, eaq; reſtituere, quæ ob vetuſtatem, & incuriam, ruinam minabãtur. Pacem prætereà inter regem Longobardorum, & duces Spoletinum, ac Beneuẽtanũ compoſuit. Hos enim rex ipſe opprimere inſtituerat, cuius animum adeò põtifex ad mãſuetudinẽ redegit, interpoſita Saluatoris noſtri auctoritate, vt omiſſo bello, armillas, baltheũ, enſem, ac reliqua arma templo principis apoſtolorũ offerret: cũ exercitu enim vſq; ad Vaticanum peruenerat, pacato tamen agmine, hac de re cum pontifice locuturus. Leo autem imperator phanatico ſpiritu iterum incitatus, omnibus mãdat, vt ſimulacra, vel lignea, vel ænea, vel marmorea ad ſe deferãt, & delata ſtatim incendit, non deferentes verò capit, & obtruncat. Germanũ patriarcham id potiſsimùm improbantem, in exiliũ mittit, in eiusq; locũ Anaſtaſium malè ſentientem ſufficit, quẽ poſteà Gregorius ſynodo habita priuauit, & ab officio diuino ſemouit, niſi ad catholicam fidem reuerteretur. Sępius pręterea, vt ſanctiſsimum virũ decuit, litteris imperatorẽ admonuit, vt omiſsis quorũdam improborum erroribus, veram tandem amplecteretur fidem: & abolere ſanctorum imagines deſineret, quorũ memoria, & exemplari ad virtutẽ & imitationem excitarentur homines. Sunt qui ſcribãt, Bonifacium huius pontificis tempore è Britannia Romam veniſſe, & ex monacho ob eius ſanctitatẽ epiſcopum factum, ac in Germaniam ad confirmandos prædicatione, & exemplo Germanos in fide miſſum, quod quidẽ ita egregiè fecit, vt Magũtinus epiſcopus creari meruerit: in Friſiam deinde proficiſcens cum verbum Dei elegãtiſsimè prædicaret, ab hoſtibus Chriſtiani nominis occiditur. Ferunt & ſanctũ Egidium natione Gręcum, exemplo, & miraculis inſignem tum habitum fuiſſe, & Petronacem ciuem Brixianum ex voto baſilicam beati Benedicti propè derelictam, ſua impẽſa reſtituiſſe. At Gregorius qui ſuo exemplo omnes ad virtutem, & ſanctitatẽ incitabat, pontificatus ſui anno ſextodecimo, mẽſe nono, die vndecimo moritur, ſepeliturq; ad baſilicã Petri, tertio idus Februarij. eius in morte epiſcopatus tum vacat dies quinq; & xxx. Centum autem & viij. ac xl. epiſcopos toto ſuo pontificatu creaſſe dicitur.

*Seditio Rauennæ propter imperatorem & pontificem*

*Germanus patriarcha in exilium mittitur.*

## GREGORIVS III.

*92. Pont.*

GRegorius tertius, natione Syrus, patre Ioanne, anno domini ſeptingenteſimo quinquageſimonono omnium conſenſu põtificatum inijt. Fuit autem vir ſingularis doctrinæ, & humanitatis præcipuæ, Græca atque Latina lingua eruditus, mentem diuinæ ſcripturæ ita callens, vt nemo tum diſertior prædicatione atq; interpretatione rerum occultarũ & ad mirabilium haberetur. Pręterea verò, ne verbo tãtum & cohortatione populos mouiſſe arbitreris, omnia, quę exẽplo mouere poſſunt, ita aſsiduè obibat, vt iudicare difficile ſit promptiórne lingua quàm opere habendus eſſet. Orthodoxæ fidei ita acerrimus defenſor fuit, vt ob eam rẽ maximorũ principũ graues ſimultates & inimicitias ſuſceperit, non armis, non potentia, nõ minis cuiuſpiam è gradu cõſtãtiæ ſuæ deiectus. Tãtæ poſtremò humanitatis fuit, vt & pauperes mira charitate cõplecteretur, ac eleemoſynis foueret, captiuos redimeret, ære alieno nex⁹ ſolueret, viduas & pupillos, quò minùs à potẽtibus circũuenirẽtur, tutaretur adeò, vt ferè omniũ parens



parens ac paſtor meritò vocaretur. Hic ſtatim vbi pontificatum inijt, cleri Romani cõſenſu Leonem tertium imperatorem Cõſtantinopolitanum, imperio ſimul & cõmunione fidelium priuat, quod ſanctas imagines è ſacris ædibus abraſiſſet, & ſtatuas demolitus eſſet, quodque etiam de homuſio malè ſentiret. Interim verò cum Luithprandus Longobardorum rex cupiditate imperandi motus, vrbem Romam obſideret, captis circunquaque oppidis omnibus, Gregorius legatos naui, quia terreſtri itinere non licebat, ad Carolum Franciæ principem ſtatim mittit, qui hominẽ rogarent, vt primo quoque tempore laboranti Romæ & eccleſiæ auxilium ferret. Cõſueuerant autem põtifices Romani, ſi quid mali ab externo hoſte immineret, auxilia ab imperatore Conſtantinopolitano petere. Quod facere Gregorius ſubſtitit, cum ob eaſdẽ cauſas, quas paulò antè cõmemoraui, tum vel maximè quòd vrbem regiam ægrè Leo à Sarracenis tutaretur, nedum alios defenderet: His itaq; rationibus accidit, vt tunc primum tutela eccleſiæ ab imperatoribus Conſtantinopolitanis ad alios tranſlata ſit. Carolus autem rogatu Gregorij patrocinium eccleſiæ ſuſcipiens, Luithprandum regem amicum & compatrem rogat, vrbémne obſideat, ac pontificémne vexet, hac re nil ſibi fieri moleſtius quicquam aut grauius poſſe. Obtemperat Carolo Luithprandus, atque vrbem obſidione ſoluit.

*Leo tertius imperator a Gregorio & imperio & communione fidelium priuatur.*

Nam inito iam antea inter ſe fœdere, Carolus Pipinum filium in Ciſalpinam Galliam ad Luithprãdum miſerat, vt ei capillum de more ſacrorum ſuccideret, vnde compatres more Chriſtiano inuicem facti ſunt, quod eſt quoddam affinitatis vinculum. Remiſerat puerum ad parẽtes Luithprãdus multis ac maximis donatũ muneribus. At Carolus pacatis Italiæ rebus, in Burgundiones verſus, eos vi capit, & prę modeſtia ſocios appellat, Friſones idololatras opprimit: Lugdunũ, Arelate, Maſsiliam de Veſogothis occupat, qui Athimum Sarracenorum regẽ in auxilium vocãt. Is itaq; cum magno exercitu Rhodanũ traijciens, Auinionẽ vi capit, opportunitate loci pro arce vſurus. At Carolus re cognita, eò properè cũ exercitu mouit, & Auinionẽ recuperat, interfectis Sarracenis omnib⁹, qui in præſidio erãt. Inde Narbonam proficiſcitur, quò aufugiſſe Athimũ cognouerat. Ab obſidione Narbonę diſcedens, quòd Amoreum alterum ex Sarracenis Hiſpaniæ regem, venire in auxilinm Athimi cũ magno exercitu intellexerat, haud procul inde in vallẽ Corbariam deſcendit: vbi inerat planities ad dimicãdũ aptiſsima. Amoreus autẽ arbitratus Carolum deſperatione rerum in fugã verſum, in vallẽ ingreditur, ſtatimq; pugnandi copiã facit. Non detrectat certamen Carolus, licet hoſtium numerus propè infinitus eſſet. Tãdẽ verò vbi acriter aliquãdo vtrinque pugnatũ eſſet, cadente autem in primis aciebus Amoreo; funduntur hoſtes fugãturque: quorum pars magna in proximis paludibus & ſtagnis quò confugerãt, oppreſſa eſt. Athimus verò fortè fortuna nauigium nactus, inde in Hiſpaniã vlteriorẽ fugiens, omnes inſulas, quas adijt, deſperatione rerum ferro ac flamma vaſtat. Eodẽ fermè tempore beati Auguſtini corpus, quod antea ducẽtis & quinquaginta annis ab Hyppone in Sardiniam tranſlatum fuerat, cum Vãdali prędabundi Africam vaſtarent, diligentia Luithprandi ex inſula ipſa Papiam delatũ eſt, & egregio in loco reconditum. At Sarraceni his cladibus domiti, intra Pyteneum ſe deinceps continẽt, vnde Veſogothi omnes, qui citeriorem Hiſpaniã & partẽ Gallię occupauerãt, auxilio carentes, in poteſtatem Caroli deuenêre, atque ita Gotthi, qui trecentis propè annis imperauerãt, funditùs deleti ſunt pręter paucos, quos Barchinonẽſes ab interitu liberarũt. Sunt qui ſcribant, Luithprandum copias auxiliares in tanto bello Carolo miſiſſe, atque ita rebus bene geſtis ſuos omnes onuſtos præda domum redijſſe.

*Auguſtini corpus Papiam delatum eſt.*

Interim verò Gregorius pontifex nequaquam ocio & pace abutens, ad exornandas eccleſias animum adijcit. Nam & altare beati Petri ſex columnis onychinis auguſtiùs reddidit, dextra ac læua poſitis ad Philopareas vetuſtate ferè cõminutas. Stabant in his columnis trabes argẽto delibutæ. In trabibus verò ęquis ſpatijs Saluatoris & apoſtolorum ſimulacra diſtinxit. Struxit & oratorium in eadẽ baſilica, in quo de reliquijs ferè ſanctorum omniũ recõdidit, celebrariq; eo loci quotidie mãdauit, atq; in canone celebritatis hęc verba addidit, marboribus cir-

cunquaque poſitis inſculpta. Quorũ ſolennitas in conſpectu tuæ maieſtatis celebratur domine Deus noſter toto in orbe terrarum, & cętera. Quibus verbis nunc ſacerdotes in ſecretis nõ vtuntur. Prætereà verò huic baſilicæ multa argentea vaſa donauit, eius quoq; iuſſu & impenſa aurea Dei genitricis imago Saluatorẽ amplectens, extructa eſt, & in baſilica ſanctæ Mariæ ad Præſepe collocata. Reſtituit etiam tectum ſancti Chryſogoni, eoq; in loco monachos collocauit, qui rẽ ſacrã quotidie celebrarent. His addidit & fundos vnde viuerent. Monaſteria quoque multa partim reſtituit, partim verò à fundamẽtis extruxit, addita regula, qua monachi integrè & ſanctè viuerẽt. Inſtaurauit & mœnia vrbis, magna ex parte vetuſtate collapſa. Idem etiam Cẽtum cellis fecit iam propè deſertis propter collapſa mœnia. Inſtituit prætereà, vt ferè ſine interuallo & à presbyteris hebdomadarijs & à monachis in eccleſia ſancti Petri diuina officia celebrarẽrur: vnde apparet, & monachorum & presbyterorum ſeculariũ domicilia multis in locis contigua fuiſſe, qui ęmulatione moti, Deo quã diligentiſsimè ſeruiebant. Gregorius verò bene de Deo & hominibus meritus, anno pontificatus ſui decimo, mẽſe octauo, die quarto & vigeſimo moritur, ac in baſilica Petri ſepelitur quarto calẽdas Decembris, collachrymantibus omnibus tãquam communi parente orbatis. Sedes autem dies octo tantummodo tum vacat.

## ZACHARIAS I.

93. Pont. ZAcharias natione Græcus, ex patre Polycronio, inter optimos pontifices annumeratur. Fuit enim vir mitiſsimi ingenij, mirę ſuauitatis & gratiæ, omni virtute præditus, cleri ac populi Romani amator: ad iram tardus, ad miſericordiam & clementiam promptiſsimus, nulli malum pro malo reddens, ſed ad imitationem Saluatoris malum in bono vincens: & adeo quidẽ, vt quos habuerit æmulos & inimicos, & eoſdem poſteà inito pontificatu honoribus & præmijs affecerit. Cum autem initio pontificatus ſui ardentem bellis Italiam offendiſſet, legatos de pace componenda ſtatim ad Luithprandum Longobardorum regem miſit, perſequentem bello Tranſmundum Spoletinum ducẽ. Verùm cum à legatis ea de re nil fieret, ipſe comitante clero Romano in Sabinos proficiſcitur. Ferunt autem octauo milliario à Narnia regem põtifici honoris cauſa obuiam factum, ex equo deſcendiſſi, ac pedibus virum ſanctiſsimum in vrbem comitatum fuiſſe. Qui ſequẽti die inter Miſſarum ſolennia orationẽ publicè habuit, & quidem elegantem, qua oſtẽdit, quid maximè regem Chriſtianũ deceret, ſiue pacem, ſeu bella gerat. Hac oratione ita permotum regem ferunt, vt ſtatim arbitrium omne componendę pacis ei commiſerit. Iã verò Tranſmundũ ducatu Spoletino rex priuauerat, in eiusq; locum Agrãdum nepotem ſuum ſuffecerat. Accipitur tamen in gratiã Tranſmundus rogatu pontificis: & ex duce in clericatum aſſumitur. Reddũtur item Romanis oppida ſua ex Sabinis capta: redditur Narnia & Ancona ex Picentibus: & quicquid à Longobardis triginta iã annis in Etruria occupatum fuerat. Redduntur & captiui omnes eo bello capti. Mira etiam humanitate põtifex vſus eſt: adhibito enim rege in cõuiuium, nullum genus comitatis & gratiæ prętermiſit. Inde verò rex pacato agmine abiens nõ ita multò pòſt moritur, anno regni ſui trigeſimo ſecundo.

Fuit autem vir tanto regno dignus: quippe qui ſapientia, prudentia, conſilio plurimum valebat, ac ita manu prõptus erat, vt nemo veteranus eo pugnacior haberetur. Iuſtitia autẽ & clemẽtia ita inſignis habebatur, vt difficile iudicaretur vtra in re maiorẽ laudem mereretur. Huic autem in regno Aldeprandus nepos ſuccedit: quo quidem poſt menſes ſex defuncto, Rachis dux omnium ſuffragijs rex decernitur, vir certè omni laude dignus, ſi vitã eius, ſi mores, ſi animi integritatem inſpicis. Redintegratum quoque fœdus cum hoc rege à pontifice eſt miſſis legatis, quibus omnia ex animi ſentẽtia rex ipſe pius & religionis amator, benigniſsimè cõceſsit. Poſt quartum verò regni ſui annum, rex diuino numine tactus, ſpreto regno, vitam monaſticam amplectitur: vxorem & filios, vt idẽ ipſi facerent, adhortatus. Huius quidem frater Aiſtulphus regnum occupat, qui ob aſtutiam ingenij & ferocitatem animi omnibus arma intentabat, maximè verò pontifici



pontifici & Romanis: quorum ditionem ſibi vẽdicare armis conabatur. Intereà verò Carolus Martellus graui morbo correptus, ſuadẽtibus amicis, regna à ſe armis occupata filijs ſuis diuidit. Nam Carolomanno maiori natu Auſtraſia & Sueuia, Pipino verò iuniori Burgundia & pars Franciæ obtigit. Moritur autem Carolus vir animi magni & ſapientiæ ſingularis villa Cariſiaco apud Iſarim fluuium, anno magiſtratus ſui (quem maiorem domus vocãt) quinto & trigeſimo, ſepeliturq; Pariſijs in baſilica Dionyſij martyris. Habuit & alium filiũ Carolus ex prima vxore ortum, quem Grifonem appellabant: cuius cum nomine etiam mores conueniebant. Rapere enim ex alieno conſueuerat, vnde & bella fratribus intulit, & Saxones, gentem ferociſsimam contra eos ſollicitauit. Carolus autem & Pipinus hoſtili manu prouinciam Saxonum ingreſſi, Theodoricũ gentis principem in deditionem accipiunt. Ab hac autem expeditione digrediẽs, Carolomannus, Romam venit: ibiq; dimiſſa imperiorum & regni gloria, in mõtem Caſsinatem ad monaſterium ſancti Benedicti proficiſcitur: vbi & monachi habitum & mores ſuſcipit.

At Pipinus regnandi cupidus, legatos ſuos ad pontificem mittit, eumq; rogat, vt regnum Frãciæ ſibi auctoritate ſua confirmet. Annuit pontifex eius poſtulatis, accepti beneficij & veteris beneuolẽtiæ memor, quæ inter pontifices & principes huius familiæ interceſſerat, atq; ita eius auctoritate regnum Frãciæ Pipino adiudicatur, anno domini ſeptingẽteſimo quinquageſimo tertio: ex maiore nãque domus, qui poſt regem ſummus erat apud Frãcos magiſtratus, reges Franciæ deinceps à Pipino ſecundo eiusque familia originem habuêre. Ferũt Carolum, quem diximus, monachi habitum ſumpſiſſe, ex monte Caſsino cum alijs monachis ad Zachariam põtificem veniſſe: ab eoq; precibus obtinuiſſe, vt eis liceret repetere ſancti Benedicti corpus furtim ablatum, quod tũ in Floriacenſi monaſterio regni Frãciæ collocatum fuerat. Annuit iſtorum præcibus pontifex, & litteris Pipinum adhortatur, vt patiatur monachos ſancti Benedicti corpus repetere. Quod quidem rex haud grauatè cõceſſit, quia inde furtim ablatum à monachis quibuſdã ſenſerat. Zacharia autem pace iam vbiq; parta, multas baſilicas ruinam minãtes reſtituit. Porticum quoq; & turrim ante baſilicã Lateranenſem fundamentis erexit: vbi & cãcellos & portas æneas extruxit. In ipſo frõtiſpicio porticus vbi orbis terrarũ imago deſcripta erat, ſanctorũ imagines vetuſtate exoletas renouauit. Lateranẽſes ædes auxit & exornauit. Bibliothecã beati Petri reſtituit. Vectigal prætereà vnicuiq; baſilicæ aſsignauit, vnde oleum pro lãpadibus emeretur. Cõdonauit & veſtẽ altari beati Petri, auro gemmisque diſtinctã, in qua depicta inerat IESV Chriſti natiuitas. Idem quoque baſilicã beati Georgij in Velabro cõdidit, eoque loci caput ipſius ſancti collocauit. Aedificauit & oratoriũ beatæ Cæcilię via Tiburtina quinto ab vrbe milliario. Huic autem baſilicę oratoriũ quoq; addidit in honorem beati Cyri abbatis, addidit & fundos, vnde ſacerdotes viuerent. Reſtituit & tectum Euſebij martyris, quod ſuo tempore corruerat. Cõſtituit itẽ, vt buccellarij quotidie eleemoſynas è Lateranẽſi palatio cuiuſuis generis præberẽt. Venetis prætereà inhibuit ſub anathematis pœna, ne ſeruos Chriſti ſigno notatos Sarracenis & gentilibus venderent, vt mercatores facere cõſueuerunt. Poſtremò verò, ne litteras in tãto rerum faſtigio cum prætermiſiſſe arbitreris, quatuor libros Gregorij in dialogo è Latino in Græcum tranſtulit, vt haberent Græci vndè bene viuendi rationẽ perdiſcerent. Cùm verò ita ſanctè & integrè populum Dei annis decem, menſibus tribus cum maxima omnium beneuolentia gubernaſſet, moritur, ac ſepelitur in baſilica Petri idibus Martijs. Eius autem ex morte epiſcopatus tum vacat diebus duodecim.

## STEPHANVS II.

STephanus ſecundus, natione Romanus, patre Cõſtantino, per gradus 94. Pont.
eccleſiaſticos ad pontificatum peruenit, licet defuncto Zacharia Stephanum quendam presbyterum Romanum pontificem populus ſtatim creaſſet, qui tertia die põtificatus ſui ſomno excitus, dũ res domeſticas diſponere incipit, morbo apoplexiæ correptus, interijt. Poſt hũc verò cleri

ac populi cõſenſu in tẽplo ſanctæ Dei genitricis ad Præſepe, Stephanus ſecundus põtifex creatus, humeris omniũ (adeò erat omnibus gratus) in baſilicã Saluatoris, quæ etiam Cõſtantiniana dicitur, deportatur, atque inde in patriarchatũ Laterancẽſem. Erat aũt vir ſingularis religionis & prudentiæ, amator cleri, eccleſiarum reſtitutor, Chriſtianę doctrinæ diligens prædicator & ſcriptor, pater pauperum, pupillorũ & viduarũ defenſor acerrimus, fortiſsimus & conſtans in rebus agendis, nõ tamen pertinax. Placare enim Aiſtulphum, Romanorum agros & fines bello vexantem, primò quidem verbis & muneribus conatus eſt. Nã tributũ ſibi rex auariſſimus pendi volebat à populo Romano, quotannis ſingulis aureis in capita collatis: vnde pontifex coactus ad externa auxilia cõfugere, ad Cõſtantinum imperatorem Conſtantinopolitanum legatos mittit, qui auxiliũ petant contra Aiſtulphum totã Italiam vexantem, quique iam Rauennam Exarchatus ſedem & magnã partem Flamminiæ cœperat. Verùm cùm id fruſtra ac ſæpius tẽtaſſet, eius rei cauſa proficiſci ad Pipinum regẽ Frãciæ inſtituit. Mittit itaque legatos ad regem, qui Aiſtulpho mãdet, vt ei tutò liceat iter facere per regnum ſuũ. Poſtulata conceſſit Aiſtulphus Pipini rogatu. Stephano iam fines regni Franciæ attingenti, Carolus Pipini filius, cui poſteà à rebus geſtis Magno cognomentum fuit, ad cẽteſimum lapidem honoris cauſa fit obuiam. Idem facit Pipinus tertio ab vrbe lapide, qui ex equo deſcendẽs, & pedes ſanctiſsimi viri exoſculatus eſt, & à freno equi, quo põtifex vehebatur, pedes ipſe nũquàm diſceſsit, donec hominẽ in vrbẽ perduceret, & in cubiculo, vbi diuerſaturus erat, collocaret. Aiſtulphus aũt veritus, ne quid mali in ſe Stephanus moliretur, Carolomannũ monachũ ad fratrem Pipinum mittit, qui eum adhortaretur, ne Stephani gratia bellũ Lõgobardis inferret: qui certè non modò monacho non optemperat, verumetiã eum in Vienneſe monaſteriũ relegat, vbi non multò pòſt dolore animi & cruciatu moritur. Intereà verò cum pro anni tempore bellũ geri non poſſet, Pipinus veteri amicitiæ multum tribuens, legatos ad Aiſtulphum mittit, qui hominẽ adhortentur, res repetitas reddere: aliter enim ſe eas bello & armis breui repetiturũ. Nõ paruit ſanis admonitionibus Aiſtulphus, vnde Pipinus appetente iã vere, copias in Lõgobardos mouet, præmiſsis leuis armaturæ militibus, qui Aiſtulphi pręſidia è clauſtris alpium deturbarent. In planitiem deinde Inſubrium deſcendẽs, cum longè ac latè omnia depopulatus eſſet, nemine obſtante, Papiam Lõgobardorum ſedem obſidione cingit & oppugnat, defendente Aiſtulpho, & qui cum eo in p̃ſidio erãt. At Stephanus tot calamitatibus hominis pertinaciſsimi & prouincialium motus, pacẽ vltrò Aiſtulpho pollicetur, modò ablata reſtituat. Accepit tandem conditiones pacis Aiſtulphus, & plura etiam, quàm quæ peterentur, promiſit iureiurando interpoſito. Hanc ob rem Pipinus ſatisfactum põtifici arbitratus, ſoluta obſidione in patriã reuertitur, relicto Varreno huiuſce pacis arbitro. Eunt Romã Stephanus & Varrenus, arbitrati Aiſtulphũ promiſſa breui pręſtiturum, qui cõtractis celeriter vndiq; copijs tumultuario magis quàm iuſto exercitu eos ſubſecutus, Romã obſidione cingit: ac ſuburbana omnia vaſtat & incẽdit, maiore propè damno ex hoc latrocinio accepto, quàm trecentis iam ante & quatuor ac quadraginta annis ab inclinatione imperij ſenſiſsẽt. Rogatus denuò Pipinus à pontifice, vt vrbi Romæ perfidia & rabie Aiſtulphi laboranti opem ferret, exercitum quanta maximè celeritate poteſt, comparat.

*Papia Longobardorũ ſedes.*

Interim verò Turci meliores ſedes expetentes, Alanos primò, mox Colchos, & Armenios, inde minoris Aſiæ populos, poſtremò Perſas & Sarracenos vincũt & opprimũt, anno domini ſeptingẽteſimo quinquageſimoquinto. Sũt qui ſcribant, hos fuiſſe Scythas, ex his præſertim, quos Alexander Macedonum rex intra Hyperboreos ferreis repagulis clauſit, hac metaphora vſi, quòd gentem indomitam in angulum illum tanquã in ergaſtulũ incluſiſſet. Verùm cùm poſt multas illatas inuicem & acceptas clades, de pace inter Sarracenos & Turcos conueniſſet, decretum eſt, vt Turci, qui in Perſide habitabant, Sarraceni appellarẽtur: atque ita ęquiore animo Sarraceni in Aſia regnare Turcos paſſi ſunt: & quòd etiam eos breui accepturos Mahumetanam ſuperſtitionem videbant, adeo erant eorum ingenia ad malum prona.

*Turci quos vicerunt.*





Pipino autem iam in Italiam cum exercitu deſcendenti, Gregorius Conſtantini quarti imperatoris protoſecretarius fit obuiam, hominem imperatoris nomine admonet, ne Exarchatum Rauennatem oppreſſum à Longobardis, ad ſe pertinentem, vel pontifici, vel Romanis dedat, ſi ei contigerit Longobardos ſuperare. cui Pipinus ita reſpondet, ſe quidem in Italiã ideo veniſſe, vt & pontifici & populo Romano rem gratã faceret, conſulturumq; eorum commodis quoad eius fieri poterit. Deinde verò Papiam mouens, ita Aiſtulphũ obſidione preſsit, vt breui eum coëgerit priſtinas conditiones pacis accipere. Redditus itaq; Romanis Exarchatus eſt: quicquid Padum & Apennium interiacet à Placentinis vſq; ad ſtagna Venetorum: & quicquid intra Iſaurum flumen Apẽninum & Hadriaticum cõtinetur. Addo etiam quæ Aiſtulphus de Etruſcis & Sabinis cœperat. Pipinus autẽ, qui ad radices alpium tamdiu conſtiterat, donec deditio fieret, relicto abbate Pholcado cum parte copiarũ, qui Aiſtulphum in officio contineret, non prius alpes tranſcendit, quàm intellexit Aiſtulphum in venatione apoplexia interijſſe, nondũ planè deditiõe facta. Deſiderius aũt qui dux Etrurię erat, copias Longobardorum ſtatim vndiq; contrahit, regnũ inuaſurus. Idem quoq; facit Rachiſius Aiſtulphi frater, quem diximus monachi habitum ſumpſiſſe. Hunc aũt Longobardi oẽs, præter eos, qui Etruria erant, ſecuti ſunt. Verùm Deſiderius multa pontifici & Romanis pollicitus, eos ſtatim in ſententiam ſuã trahit; qui quidem propere legato ad Rachiſium miſêre, atq; inter hoc Pholcadum abbatem, qui homini mãdarent, vt armis diſcederet, ac Deſiderio obtemperaret. Atq; ita Fauentia & Ferraria poſtremò pontifici reddita, nomen Exarchatus ceſſat, qui centum & ſeptuaginta durauerat annos, à Narſete vſq; ad captam ab Aiſtulpho Rauennã. Foris itaq; pace parta, atq; aucta mirum in modum eccleſiæ ditione, Stephanus habita ſynodo, oues ſuas atq; earũ paſtores recenſet, delinquentes caſtigat ſeruata clementia: errantes in viam rectã deducit, ignaros docet & admonet, quid deceat epiſcopum, quid presbyterũ, quid deniq; omnes ſacris initiatos, proponit. Litanias præterea inſtituit ad placandam Dei iram. Itum eſt primo ſabbato ad ſanctam Dei genetricem ad præſepe, ſecũdo ad beatum Petrum in Vaticanum, tertio ad ſanctum Paulum via Oſtienſi. Reſtituit & baſilicas quaſdam ab Aiſtulpho, dum vrbem obſideret, comminutas, nõ tamen recuperauit ſanctorum reliquias, quas idem rex Papiam ſecũ detulerat, ibiq; nõ indecorè in quibuſdam baſilicis collocauerat. His itaq; artibus Stephanus vir ſanctiſsimus bene de Deo, de patria, de ciuibus ſuis, deq; omnibus Chriſtianis meritus, pontificatus ſui anno v. menſe primo moritur, ac ſepelitur in baſilica Petri collachrymantibus omnibus, tãquam communi parente orbatis, vj. calendas Maij. Vacat tum ſedes dies duos & xxx.

*Pholcadus aij Holcadus.*

## PAVLVS I.

*95. Pont.*

PAulus natione Romanus, patre Conſtantino, Stephani ſecundi frater in patriarchatu mores & doctrinam eccleſiaſticam perdidicit, ſub Gregorio ſecundo & Zacharia pontificibus, à quo in diaconatus ordinem cum fratre aſcitus eſt: verùm mortuo fratre in ipſo pontificatu cum ſucceſſor quæreretur, fuêre qui Theophylactum archidiaconum proponerent. Fuêre item qui dicerent, Paulum ob integritatem vitæ & doctrinam in demortui fratris locum ſubrogandum eſſe. Exploſo itaque poſt longam contentionem Theophylacto, ſolus bonorum omnium ſuffragijs Paulus pontifex decernitur, Conſtantini & Leonis temporibus. Erat autem Paulus vir mitiſſimi ingenij, clementiæquè ſingularis, & adeo Saluatoris noſtri imitator, vt nulli vnquã malum pro malo redderet, ſed contrà malos, à quibus perſæpe iniuria afficiebatur, in bono vinceret. Hic autem tantæ pietatis & humanitatis fuit, vt noctu cum duobus & eò amplius tribus familiaribus cubicula pauperum ægrotantium circuiret, vnumquenque eorum & verbis & eleemoſynis ad recuperandam valetudinem cohortatus. Carcerem quoque frequenter adibat, indeque pleroſque ære alieno nexos, perſoluto creditoribus pretio dimittebat. Pupillos & viduas circunuentas fraude cauſidicorum tuebatur, & eleemoſynis ſuſtentabat.

Idem quoq; cōgregato clero, vniuerſoq́; populo Romano, corpus beatæ Petronellæ Petri filiæ, vnà cum ſepulchro marmoreo his literis notato, Petronellæ filiæ dulciſsimæ, ex via Appia in Vaticanum detulit canentibus (vt fit) ſacerdotibus, populoq́; celebritatem agente. Atque corpus ipſum ſanctiſsimum in templo Apollinis ad caput Baſilicæ patri dedicatæ collocauit. Interea verò cū Conſtantinus Imperator ſacras imagines vbiq; demolitus, Conſtantinum regiæ vrbis epiſcopum, impietati ſuæ reſiſtentem, verberibus necaſſet, in locumq́ue demortui Nicetam ſpadonem ſui ſacrilegij conſcium ſuffeciſſet, pōtifex ipſe omni ex parte religioni conſulens, nuncios Conſtantinopolim mittit, qui imperatorem adhortarentur, vt ſacras imagines & ſtatuas reſtitueret: id ſi facere recuſaret, eidem anathematis cenſuram minarentur.

Sed Conſtātinus in ſacrilegio ſuo pertinax, & ſanas admonitiones cōtempſit, & Sabinum Bulgarorum regē in demoliendis ſacris imaginibus eius impietatē imitatum, in gratiam recepit, cū antea bello Bulgaros perſecutus fuiſſet. Aſcito deinde Leone filio eius nominis quarto in partē imperij, cui Irenen Athenienſem mulierū omniū pulcherrimam, in matrimonium collocarat, fœdus cum *Sarracenis inijt*, ſtomachum orthodoxis Chriſtianis facturus. Interea verò Pipinus & Taxillonē Bauarorum ducem ſuo imperio ſubijcit, & Saxones in amicitiā recipit, hac tamen conditione, vt trecentos equites, quoties bellum gerere oporteret, auxilio mitterent. cum Aquitanis diuturnum ei fuit bellum: quod quidem poſtremò Carolo adoleſcenti cōmiſit, cum ipſe ſenio confectus, intereſſe nō poſſet. Hoc bello abſoluto, Carolus Borbonium, Claromontē, & multa de Aluernis oppida vi cepit. At Pipinus, quem diximus annis grauem eſſe, non ita multo pòſt moritur, duobus filijs Carolo ac Carolomanno in regno relictis. Sunt qui ſcribant, hoc tempore mortuum eſſe Aiſtulphum Longobardorū regem, quem diximus multa ſanctorum corpora Romæ *Papiam ſecum* detuliſſe: eorumq́; ſacella ædificaſſe, ac monaſteria virginum, *vbi & filias* adeò dicauit. Monachos autem ſupra modum dilexit, quorum etiā in manibus regni ſui anno ſexto, menſe quinto moritur: In principio regni nimium ferox & audax, in fine moderatus. Tantæ præterea *literaturæ* fuit, vt edicta Longobardorum in leges retulerit. Huic (vt *dixi*) Deſiderius dux militaris ſucceſsit, langueſcente iam ob delicias *Longobardorum* virtute. Moritur & Paulus in baſilica Pauli via Oſtienſi, reſtitutis quibuſdam eccleſijs vetuſtate collabentibus pontificatus ſui anno *decimo*, mēſe vno: eiusq́; corpus magna ac ſolenni pompa in Vaticanum defertur. Vacat tum ſedes annum vnum, menſem vnum.

## STEPHANVS III.

*96.Pont.* STephanus tertius, natione Siculus, patre Olibrio, anno domini ſeptingenteſimo ſexageſimo octauo pontificatum inijt, vir certè doctus atque eruditus, & in rebus agendis, maximè verò eccleſiaſticis, ſtrenuus admodum ac conſtās. Hic enim à teneris annis Romā veniens, mādato Gregorij tertij in monaſterio ſancti Chryſogoni rationē bene viuendi, & doctrinā eccleſiaſticā perdidicit, accepto clerici ac monachi ordine. Vocatus deinde à Zacharia pōtifice in patriarchatum Lateranenſem, cùm eius vita & doctrina ab omnibus probaretur, ſanctæ Cæciliæ presbyter cum titulo inſtituitur, quē tamen & Zacharias & Stephanus & Paulus à ſe nunquā dimiſêre: tantæ probitatis erat & præſtātiæ in agendis rebus. Mortuo aūt Paulo, quem nunquā ne in extremo quidē ſpiritu reliquit, Deſiderius, quem ex duce regē Longobardorū creatum eſſe adiuuante Paulo diximus, liberatus omni metu Pipini morte, Totonem Nepeſinū ducem adhortatur, vt Conſtātinum fratrem vi etiā, quando largitione & ambitione fieri non poſsit, pontificem deligat. Is itaq; Romā cum exercitu profectus, Conſtātinum fauentibus quibuſdā amicis largitione & pollicitationibus corruptis, pontificem creat. Fuêre etiā qui Philippum quendā hic præponerent, qui ſtatim abdicare ſe magiſtratu armis compulſus eſt. Cogitur & Gregorius Præneſtinus epiſcopus, Conſtātinum ipſum laicum ſacris ſtatim initiare, atq; epiſcopū inungere, cuius manus ita ob eam rem exaruiſſe miraculo dicūtur, vt eas ori admouere non poſſet.

*Conſtantinus laicus initiatur ſacris.*



Cùm verò Conſtantinus munera pōtificatus per annum obſtinatè exercuiſſet, tandem è ſede deijcitur à populo Romano, ira & indignitate rei percito: in eiusq́; locum omnium ſuffragijs Stephanus tertius ſufficitur. Hāc ob rem Cōſtantinus in baſilicam Saluatoris perductus, videntibus omnibus ac ſacris canonibus perlectis, vt fieri ſolet, depoſito pōtificali habitu, magiſtratu ſe abdicat, in monaſterio vitam priuatam ducere iuſſus. Tunc verò Stephanus in baſilica ſancti Hadriani inter tria fora à tribus epiſcopis conſecratus, & ab vniuerſo clero ac populo vt verus pontifex ſalutatus, ad corrigendos mores quorundam improborum, labefactare integritatem eccleſiæ Romanæ volentium, animum adijcit. Indicto itaq; concilio, Carolum literis ac nuncijs adhortatur, vt primo quoq; tempore epiſcopos quoſdam Galliæ ad hāc rem doctrina & integritate morum idoneos, Romam quamprimùm mittat. Idē quoque cæteris principibus Chriſtiani nominis ſcribit. Obtemperarunt oēs mandato pontificis. In Lateranenſi baſilica concilium habetur. Multa inter ſe de componendis eccleſiæ rebus collocuti, Conſtantinum ad ſe perduci iubent. Nā cum Deſiderij Longobardorū regis ſubornatione & Pauli cognomento Aphiartæ imperatoris Conſtantinopolitani fraude, crebræ ſeditiones in populo Romano orirentur, quòd Deſiderius reuocare animos Romanorum à Carolo ad imperatorem ſtuderet: & interfecti pleriq; ſunt, & Conſtantinus, cuius cauſa tot mala committebantur, ab aduerſa factione reclamante Stephano & indignante, oculis capitur. Sed ire obuiam populo in furorem verſo non licet. Perductus itaq; in medium Cōſtantinus & accuſatus, quòd nullis ſacris initiatus, ſedē apoſtolicam occupaſſet, omne crimen in vim populi, & quorundam facinoroſorū reijcit, quòd ſe etiam inuitum coëgerint pontificatum obire. Cùm verò in pauimento pronus & ſupplex iaceret veniam petens, commiſeratione moti qui aderant, eum è medio duci iubent: atq; ita rem integram in ſequentem diem reijciunt, maturiùs cōſulturi, quid in tali re facere oporteret. Verùm Cōſtantinus ſequenti die in concilium rediens, mutata ſententia, oſtendit quę adhuc egerat, maiorū exemplo feciſſe: quòd & Sergius Rauennatū archiepiſcopus, & Stephanus Neapolitanorū, ex laico epiſcopus creatus ſit. Ob hanc verò impudentiā indignati, qui in cōcilio aderant, eum turpiter eijcientes, ad cōponendam rēpub. Chriſtianam animū adiecêre, abrogatis primò Cōſtantini decretis. Inſtitutū eſt aūt omnium cōſenſu, ne quiſquā laicus, niſi per gradus eccleſiaſticos aſcendens, pōtificatum occupare auderet ſub anathematis pœna. Promulgatum eſt item, vt qui epiſcopatus dignitatē Cōſtantini tempore cōſecuti fuerant, magiſtratu ſe abdicātes, ad priſtinos ordines reciderent. Quod ſi iſtorum vita & doctrina à populo probata fuiſſet placere, vt ad ſedem apoſtolicam venientes, denuo cōſecrarentur. Idem de presbyteris & diaconis adiudicatum eſt. Vetitum tamen eſt, ne qui iſtorum maiores gradus attingerent: vetitos credo, ne quid erroris, aut ſecta aliqua inde oriretur, tanquā ex ſeminario quodam diſcordiæ ac ſeditionis. Cōſtitutū eſt præterea, vt quæ Cōſtantinus in re ſacra egiſſet, irrita haberentur, præter baptiſmum & chriſma. Poſtremò verò abrogata ſynodo Cōſtantiniana, qua decretum inter Græcos fuerat, vt ſanctorum ſimulachra & ſtatuæ è templis abraderentur, eijcerentúrue: cōſtitutum eſt, vt eædem ſtatuæ vbiq; reſtituerentur, anathematizantes execrabilem & pernicioſam illam ſynodū, qua Dei immortalis cōditio peior quàm hominum fieret. Referre enim ſtatuas mortaliū bene de repub. meritorum licet, ne ingrati videamur, vtq́; eorum facta æmulatione imitari cogamur: Dei nō licet, quē ſemper ante oculos, ſi fieri poſſet habere deberemus, ſi eius merita erga humanū genus, ſi naturæ diuinæ dignitatē inſpicimus? His verò ex ſententia peractis, decretū eſt, vt ſequenti die ſupplicationes haberentur, quibus & Deo gratias agerēt, & irā ipſius, ſi qua ex hominū peccatis cōcepta eſſet, placarent. Itum eſt aūt à Lateranenſi baſilica ad ſanctum Petrū cum maxima omnium religione nudis pedibus, & à pōtifice, & ab omnibus, qui tum aderant. Nunc verò adeò refrixit pietas & religio, nō dico nudis pedibus, ſed caligati & cothurnati vix ſupplicare dignantur. Nō flent inter eundū, vel dum ſacrificatur, vt illi ſancti patres: ſed rident, & quidem impudenter: de his etiam loquor,

loquor, quos purpura inſigniores facit, non hymnos canunt: id enim ſeruile videtur, ſed iocos & fabulas ad riſum concitandum inter ſe narrant. Quid plura? quò quis dicacior eſt & petulantior, eò maiorem in tam corruptis moribus laudē meretur. Seueros & graues viros reformidat hic noſter clerus. Quid ita? quia in tanta licentia malunt viuere, quàm bene moneri, aut cogenti obtemperare, & ob eam rem Chriſtiana religio quotidie in peius labitur. Ad Stephanum virum ſanctiſſimum redeo, qui peractis ſupplicationibus, ſtatim quæ in concilio acta erant, & voce apocriſarij & ſcripto promulgauit, pœnamq; anathematis illis propoſuit, qui abrogare auderent, quæ in ſancta ſynodo inſtituerant. Verùm non ita multò pòſt mortuo Sergio Rauennatûm archiepiſcopo, Michaël eiuſdem eccleſiæ ſcriniarius ſedem occupat, nullis ſacris initiatus, adiuuante Deſiderio rege, & Mauritio Ariminenſium duce, quos Michaël pecunia & largitione corruperat, pulſo Leone archidiacono, quem potiſsimum clerus expetebat. Auſi quinetiam miſsis ad Stephanum legatis eum pecunia ſubornare, vt eundē Michaëlem in eccleſia confirmaret: qui non modo dona reiecit, verumetiam edictum propoſuit, quo ille anathematis pœna notaretur, niſi ſedem relinqueret, quam contra ius faſq; occupauerat. Tam diu tamen vi Rauennatûm eā obtinuit, quam diu aliquid habuit & profanum & ſacrum, quòd Deſiderio munerum cupientiſsimo elargiretur. Verùm cùm pontifex cò legatos ſuos miſiſſet, cum oratoribus Caroli regis ob eā rem in Italiam miſsis, admonuiſſentq; quid maximè pontifex expeteret, ſtatim eiecto Michaële Leonem deligunt, quē pontifex confirmauit. At verò cum ob hanc rem à Deſiderio clanculum vexaretur, Carolum rogat, vt Deſiderium admoneat, vt ab iniuria inferenda caueat. Fecit id Carolus, & quidem perdiligenter, retinere tamen hominem in officio armis non potuit, quòd ei mortuo fratre, qui ſecum paribus animis biennio regnauerat, multa bella obire neceſſe fuit. Aquitanos enim, quod bellum pater inchoauerat, in poteſtatem ſuam redegit, *Vaſcones domuit in Aquitania poſitos.* Deinde verō tranſmiſsis *Pyrenæis montibus*, fuſis ac fugatis Sarracenis, vſq; ad Bætim flumen peruenit, quò nunc in *Hiſpania Sarraceni* Granatæ ſe continēt. Interim verò Stephanus paſtor quàm diligentiſsimus, & verus Petri ſucceſſor, ac Chriſti imitator, quarto pontificatus ſui anno moritur, menſe quinto, die vij. & xx. ſepeliturinq; baſilica Petri. Eius autē ex morte dies nouē ſedes tum vacat.

## HADRIANVS I.

97.Pont. HAdrianus primus, patria Romanus, patre Theodoro, ſummę nobilitatis viro, pontificatū iniens, nequaquam à maioribus ſuis degenerauit. Nā magnitudine animi, conſilio, doctrina, & ſanctitate vitæ, cum quouis optimo pontifice comparari poteſt. Cuius amplitudinem Deſiderius Longobardorum rex veritus, ſtatim de pace ineunda & de amicitia mentionem per legatos fecit. Verùm Hadrianus cognita hominis perfidia pluſquam Punica, in aliud tempus pacē diſtulit. Intereà verò mortuo Carolomanno, Berta eius coniunx Hildegardæ Caroli vxori ob amplitudinem mariti inuidens, Adoarij cuiuſdam conſilio vſa, cum filijs ad Deſideriū regem in Italiam confugit, qui eam perbenignè ſuſcepit: & quòd ſe tutiorē futurum hac ratione ab impetu Gallorū exiſtimabat, & quòd Francos propoſitis Carolomanni filijs, facilius ſumpturos arma in Carolū regē, ſi qd in ſe moueret, arbitraretur. Verùm cùm obtinere ab Hadriano precibus nō poſſet, vt filios Carolomanni reges inungeret, ad vim cōuerſus, in Rauēnates mouēs ditioni Romanæ obtēperantes, Fauentiā & Comaclū vi cepit. Præerat tum Rauēnæ archiepiſcopus & tribuni tres, qui primo quoque tēpore ab Hadriano auxilium petiêre. Pontifex autem primò quidē Deſiderium nuntijs & literis adhortatus eſt, vt ſuis finibus ſe contineret, nec ditionē eccleſiæ inuaderet. Deinde verò vbi intellexit eum Vrbinū, Senogalliā, & Eugubiū cepiſſe, tum magis atq; magis minari, cum paulò pòſt affuturū Deum vindicē violati fœderis diceret. Qui quidē in tantis minis nil aliud dicebat, quàm pōtifici in ſuas partes tranſeundū eſſe. Separare enim hominem ab amicitia Caroli omnino nitebatur, & ob hāc rem cū precibus & pollicitatiōibus id obtinere nō poſſet,



poſſet, minabatur ſe vrbem breui obſeſſurum. Iam enim Spoletium cum Aldagaſio Carolomanni filio venerat, inde tamen ad vrbem peruenturus (vt ipſe dicebat) pacato agmine voti gratia. Verùm Hadrianus redactis in vrbem reliquijs omnium baſilicarum, quę extra vrbis mœnia habebantur, tres epiſcopos ad Deſiderium miſit, qui ei ſub anathematis pœna minarentur, ne vllo modo fines Romanos attingeret. Rex igitur veritus ne iram Dei incurreret, in Ciſalpinam ſtatim redijt. Interea verò Carolus ab Hadriano de iniuria ſibi illata certior factus, Deſiderium per legatos admonet, ac fruſtra quidem, vt res iniuria ablatas pontifici reſtitueret: aliter ſe breui cum exercitu affuturum, vt quod ſpōte nollet, id vi facere cogeretur. Vtrinque igitur magni parantur exercitus, ſed Carolus mira celeritate vſus, præmiſſa parte copiarum quæ in tranſitu alpium Iouis montem occuparet, cum reliquo exercitu per montem Ciniſium in Italiam deſcendit, fuſoq; ac fugato Deſiderio obuiam facto, omnia longè ac latè populatur & capit. Deſiderius autem deſperatis rebus tanto accepto incommodo, Papiam ſe recepit, vxore ac liberis Veronam miſsis. At Spoletini, Reatini ac Longobardi omnes, qui eas regiones incolebant, audita Deſiderij calamitate Romam venientes, ſe ac ſua omnia Romani pontificis fidei committunt, adhibito iureiurando, depoſito capillo & barba, quòd apud eam gentem maximum veræ deditionis ſignum erat. Horum ſecuti exemplum Anconitani, Auximates, Firmani, pontifici ſe ac ſua liberè dedunt. Longobardis autem ad ſuos redire nolentibus, Vaticani ſedes ad incolendum conceſſa, quò poſteà ex tota Italia multi ſuæ gentis confluxêre, iſtorum exemplo permoti. At Carolus relicto Bernardo patruele ſuo in obſidione Ticinenſis vrbis, cum parte copiarum Veronam proficiſcitur: quæ quidem ciuitas haud ita multò pòſt inclinante in partes Francorum Berta ac Carolomanni filijs, deditionem fecit. Aldegiſius verò Deſiderij filius inde abiens, ad imperatorem Conſtantinopolitanum confugit. Carolus autem acceptis in deditionem omnibus fermè Tranſpadanæ Italiæ vrbibus, Romam petit, vnà cum pontifice reſurrectionis feſtum celebraturus: cui iam vrbi appropinquanti ad tria millia iudicum honoris gratia accurriſſe, Bibliothecarius ſcribit: iudices eos vocans, qui nequaquā ſordidis artibus impliciti eſſent. Expectabat hominem Hadrianus cum clero ſuo in gradibus ſancti Petri: quem quidem accedentem mira beneuolentia complexus eſt, nec retinere eum potuit, quò minus pedes ſuos exoſcularetur. Inde poſt datam acceptamque ſalutem, baſilicam ingreſsi, cum ad altare apoſtoli ſimul perueniſſent, iurauerunt mutuo Carolus ac pontifex, Romani ac Franci, & perpetuam ſe amicitiā ſeruaturos: & cōmunes eorum hoſtes fore, qui alteram partem laceſsiſſent. Vrbē deinde ingreſſus, oēs baſilicas piè admodum & religioſè inuiſit, ac muneribus quibuſdam ornauit. Nudius verò quartus poſteaquam vrbē ingreſſus fuerat, quod dono pater Pipinus Gregorio tertio dederat, eadem ipſe amplioribus priuilegijs confirmauit iureiurando interpoſito. Quæ quidem (vt Bibliothecarius refert) hæc ſunt, quicquid in Liguria ab vrbe Luna iampridem euerſa vſq; ad alpes Italiæ fines pertinet, huic ditioni additur: & Corſica inſula, & quicquid Lucam & Parmam interiacet. Additur & Forumiulij cum Exarchatu Rauennatum, cumq; Beneuentano & Spoletino ducatu. His autem rebus ita compoſitis, Carolus cum bona Hadriani gratia in Tranſpadanam rediens, ſexto menſe poſteà quàm obſideri cœpta eſt, Papiam deditione occupat.

In Deſiderium autem clementia vſus, hominem ſpoliatum regno, nō etiam vita, Lugdunū cum vxore & liberis exulatum mittit. Verſus deinde Arachinū Beneuētanum principem Deſiderij generum, qui eius furores iuuerat, hominē pacem petere breui coēgit, duobus filijs obſidibus datis. At verò dum iter in Ciſalpinam facit, ad Caſsinum diuertens religionis cauſa, omnia monaſterij dona ab alijs principibus diuo Benedicto data confirmauit. Atq; ita ſedatis in tota Italia rebus, propoſitiſq; Ciſalpinæ firmiſsimis præſidijs, cū magna præda & gloria in patriā reuertitur, Caroli fratris vxorem & liberos ſecū ducens, quos quidē ſemper in honore habuit. Paulum quoq; Longobardū Aquileienſis patriarchatus diaconū, Deſiderio ob doctrinā & ingenium admodum charum, ſecum in Galliam

Galliam ducens, libertate donauit: in pretioq; aliquandiu habuit. Verùm cum poſteà comperiſſet hominem Deſiderij libertatem quærere, eum in Diomedis inſulam relegauit, vndè poſt aliquot annos aufugiens, & ad Arachim perueniens, rogatu Adelpergæ Deſiderij filiæ & Arachis vxoris, Eutropij hiſtoriæ duos libros addidit, à Iuliano principe vſq; ad primi Iuſtiniani tempora omnia perſcribens. Mortuo inde Arachi, Caſsinenſe cœnobium ingreſſus, reliquum vitæ ſanctiſsimè vſq; ad mortem ducens, ſæpè ad Carolum regem literas elegantes, & humanitatis plenas ſcripſit, ab eodemq́;, à quo fuerat ob literaturã ſeruatus, viciſsim accepit. Longobardi itaq; quarto & ducenteſimo anno poſtquã in Italiam venerant, regnum amisêre, anno Domini ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Carolus aũt nulla interpoſita mora in Saxones idololatras, qui ob eius in Italiam diſceſſum rebellauerant, mouet, eoſdemq́;, quibus cum ad triginta annos bella geſſerat, vincit, & fidem Chriſti omninò ſuſcipere cogit. Conuerſus deinde in Hiſpanos, à noſtra quoque fide alienos, Pampalunam & Auguſtam vi captas militibus diripiendas conceſsit. Neq; Hiſpanis pacem & quietem daturus erat, niſi ipſi quoq; integrè fidẽ Chriſti recepiſſent. In Galliam verò tum quoq; rediens, rebus ex ſententia geſtis, dum Pyrenæos tranſit, in Vaſconum inſidias incidit: quo in prælio licèt ſe acriter tutatus ſit, Anſelmum tamẽ & Egibardum ſummos in bello duces amiſit. Sunt qui eo quoque prælio cecidiſſe ſcribant Rolandum Caroli ex ſorore nepotem, poſt editam ingentem hoſtiũ cædem & ſtragem. Perierítne ſiti (vt aiũt) an vulnere, haud ſatis cõſtat. Vaſcones verè tãdem à Carolo ſuperati, defectionis ac perfidiæ meritas pœnas dedêre. Mouẽt bellum in Francos, Taxillo Baiouariæ dux, Deſiderij gener, ſollicitatis Hunnis, quod quidem celeritate ſua prius penè Carolus confecit quàm inchoatum ſit: huic quoque pacem non negauit acceptis prius obſidibus. Dum hæc in Gallia gererẽtur, Conſtantinus orientis imperator elephantiæ morbo correptus, vnde fortaſſe nata eſt illa de lepra magni Conſtantini vana opinio, ob ſimilitudinẽ nominis, moriens Leonem quartum imperatorem reliquit, qui adeò gemmis delectatus eſt, vt direpto ſacrario ſanctæ Sophiæ, coronam magni ponderis ac pretij ſibi conſtituerit, qua quidem ita frequenter vtebatur, vt aut propter pondus, aut ob frigiditatem lapillorum ſubitò morbo correptus ſit. Idem quoque accidiſſe noſtra ætate Paulo ſecundo putauerim, qui adeò his muliebribus delinimentis delectatus eſt, conquiſitis vndique magno precio gemmis, & exhauſto penè eccleſiæ Romanæ ærario, vt quotieſcunq; in publicum prodiret, Cybeles quædam phrygia ac turrita, nõ mitrata, videretur. Hunc ego ortam tum ſudore præpinguis corporis, tum gemmarum põdere apoplexiam illam puto, qua correptus ſubitò morbo interijt. Leone itaq; mortuo, Irene eius vxor & filius Conſtantinus ſextus imperium accipientes, concilio trecentorum & quinquaginta epiſcoporum in Nicæna vrbe ſecundo habito inſtituêre, vt qui ſacras imagines delendas dicerent, perpetuò anathemate notarentur. Quam quidem conſtitutionem Conſtantinus adoleſcens patris flagitia ſecutus, quorundam improborum ſuaſu, non ita multò pòſt & abrogauit, & matri omninò adminiſtrationẽ imperij abſtulit. Repudiata deinde vxore, Theodoram eius ancillam corona imperij auguſtiorem redditam, in ſuos complexus traduxit. Subornauit & duces ſuos, quos in Italia habebat, contra finitimos: hos quidem vnico nuncio ſua auctoritate Carolus in officio continuit, qui tum in Sclauos & Hunnos (quos Vngaros meritò dicemus) copias mouerat, quòd horum incurſionibus circa Danubium vexarentur omnia, quibus certè perdomitis, in Franconiã duxit maiorum ſuorum natale ſolum, vnde Franci nomẽ ſumpſêre. Qua quidem prouincia haud magno negotio in poteſtatem ſuã redacta, biennio poſt Theophylactus & Stephanus epiſcopi inſignes Hadriani nomine ſynodum Francorum Germanorumq́ue epiſcoporum habuêre: in qua & ſynodus (quam ſeptimam Græci appellabant) & hæreſis Feliciana de tollendis imaginibus abrogata eſt.

*Synodus ſeptima abrogata & hæreſis Feliciana.*

Hadrianus verò opera & auctoritate Caroli à terrore bellico ſecurus, ad exornandam vrbem ſacraſq́ue baſilicas animum adijcit. Nam & corpus beati Pauli





laminis argenteis incluſit, & altare Petri pallio exornauit auro intertexto, in quo depicta hiſtoria inerat, quemadmodum angelus beatum Petrum è vinculis liberauerat. Reſtituit item & ſtrauit marmoribus Pauli apoſtoli atrium, iam anteà vetuſtate collapſum. Inſtituit item, vt ſingulis diebus centum pauperes in atrio Lateranenſi paſcerentur, in quo etiam diſcumbentes pauperes picti cernebantur. Reſtituit præterea magna impenſa aquæductus quoſdam & vetuſtate & hoſtium maleficio collapſos: Alſietinum potiſsimum ductum, iam anteà ab Auguſto via Claudia ex lacu Alſietino duobus ac viginti millibus paſſuum in ſubiacentem Tranſtiberinam regionem magis ad vſum hortorũ, naumachiæ, thermarúmue, quàm ad potum, cum aqua illa inſalubris haberetur. Sabatinum verò ex lacu Sabatino nomen ducens, quem quidem lacum alio nomine Anguilariæ appellant, à tribus angulis, quos præ ſe fert, via Aurelia in Vaticanum duxit, vt eo vterentur ſacerdotes beati Petri, tum ad vſum baſilicę, tũ ad lauãdos Chriſti pauperes, qui in Paſchate eleemoſynã accepturi lauabãtur ad imitationẽ apoſtolicæ doctrinæ & religionis. Molendi quoque vſum ea aqua interdũ præſtabat, è Ianiculo in planum cadens. Sabatinum autem lacum Anguilariæ etiã appellatum fuiſſe declarat emptio Polæ Rutiliæ, quæ fundum hac ratione in ripa lacus Sabatini, vel Anguilariæ emit, vt quicquid agri exhauſto lacu deſiccaretur, id fundo Polæ adiudicaretur, quaquà verſum fundus tenderet. Reſtituit & Iuliam à duodecimo lapide via Latina in vrbem ductam, quæ quidem (vt ait Frontinus) Tepulæ ex agro Tuſculano ductæ riua intercipitur. Ita verò Claudiam formam reparauit via Sublacenſi conceptam ad trigeſimum octauum lapidem ex duobus fontibus ampliſsimis, vt eius aquæ pars in baptiſterium Saluatoris ad Lateranum deriuaretur. reſtituit etiam Virginis formam ab octauo lapide via Collatina in vrbem introductam. Tecta quoque multarum baſilicarũ ob vetuſtatem ruinam minantia, reſarſit. Dum verò his operibus detineretur Hadrianus, adeò in immenſum excreuit Tiberis, vt & portam Flaminiam à fundamentis euerterit, & pontem Antonini Pij, quem olim Sublicium vocarunt, inter Ianiculum, & Auentinum, & multa vrbis ædificia demolitus ſit, ſecum & arbores & ſegetes & vrbis ornamenta trahens. In tanta autem calamitate hac diligentia Hadrianus vſus eſt, vt per vicos nauiculas mitteret, vnde cibaria ob excreſcentiam aquæ egredi domo nequeuntibus ſubminiſtrarentur. Eos præterea, qui tanta calamitate magis ac magis vexati fuerant, & verbis & muneribus conſolatus eſt. Turres & vrbis muros collapſos reſtituit, centum auri libris in eo ſumptu expenſis. Quid plura? nil prætermiſit in vita Hadrianus, quod ad bonum principem, & ad optimum pontificem pertineret. Nam & religionẽ Chriſtianam, & libertatem ciuium ſuorum & vitam pauperum, pupillorum, viduarum acerrimè tutatus eſt. Moritur autem pontificatus ſui anno tertio & vigeſimo, menſe x. die decimoſeptimo: ſepeliturq́; magna cum laude in baſilica Petri ſexto calendas Ianuarij.

## ANNOTAT.

*Sub Hadriano papa, Deſiderio Longobardorum rege à Carolo Magno prælio victo, & capto, ipſorum regnum, quod CC. & amplius annis durauerat, in Italia defecit. Auctores Anaſt. Bibliothecarius in vita Hadriani papæ, Annonius ex Adimara lib. 4. cap. 69. 70. & 71. Eginardus in vita Caroli Magni, & abbas Vrſpergenſis.*

*Nemo porrò poſt apoſtolum Petrum Romanorum pontificum diutius in pontificatu, quàm Hadrianus papa vixit. Sedit enim, vt ex eius ſepulchri elogio intelligitur, annos xxiij. menſes x. & dies xvij. Huius autem epitaphium, quod à Carolo Magno editum, ſepulchro eius in baſilica ſancti Petri collocatum eſt, ſubijcere placet, quod eſt eiuſmodi.*

*Hic pater eccleſiæ, Romæ decus inclytus auctor*
*Hadrianus requiem papa beatus habet.*
*Vir cui vita Deus pietas, lex, gloria Chriſtus*
*Paſtor apoſtolicus promptus ad omne bonum.*
*Nobilis, ex magna genitus iam gente parentum,*
*Sed ſacris longè nobilior meritis.*

*Exornare ſtudens deuoto pectore paſtor*
*Semper vbiq; ſuo templa ſacrata Deo.*
*Eccleſias donis, populos & dogmate ſancto*
*Imbuit, & cunctis pandit ad aſtra viam.*
*Pauperibus largus, nulli pietate ſecundus,*
*Et pro plebe ſacris peruigil in precibus.*

*Doctrinis, opibus, muris erexerat arces*
*Vrbs caput orbis honor inclyta Roma tuas.*
*Mors cui nil nocuit, Chriſti quæ morte perempta eſt*
*Ianua, ſed vitæ mox melioris erat.*
*Poſt patrem lachrymans Carolus hæc carmina ſcripſi*
*Tu mihi dulcis amor, te modo plango pater.*
*Tu memor eſto mei, ſequetur te mens mea ſemper*
*Cum Chriſto teneas regna beata poli.*
*Te clerus, populus, magno dilexit amore,*
*Omnibus vnus amor optime præſul eras.*
*Nomina iungo ſimul titulis clariſſime noſtra*
*Hadrianus Carolus rex ego, tuq́; pater.*
*Quiſq́; legas verſus, deuoto pectore ſupplex*
*Amborum mitis dic miſerere Deus.*
*Hæc tua nunc teneat requies chariſſime membra,*
*Cum ſanctis anima gaudeat alma Dei.*
*Vltima quippe tuas donec tuba clamet in aures,*
*Principe cum Petro ſurge videre Deum,*
*Auditurus eris vocem ſcio iudicis almam:*
*Intra nunc Domini gaudia magna tui.*
*Tum memor eſto tui nati te pater optime poſco,*
*Cum patre dic natus pergat & iſte meus,*
*O pete regna pater felix cæleſtia Chriſti,*
*Inde tuum precibus auxiliare gregem.*
*Dum ſol ignicomo rutilus ſplendeſcit ab axe*
*Laus tua ſancte pater ſemper in orbe manet.*
*Sedit beatæ memoriæ Hadrianus papa Annos 23. menſes 10. dies 17. obijt 7. Kl. Ianuarij.*

## LEO III.

*98. Pont.*

LEo tertius, patria Romanus, patre Azzupio, pontifex creatur, ac meritò quidem. Ab ineunte enim ætate ita erat educatus & eruditus diſciplina eccleſiaſtica, vt dignus eſſet qui cæteris anteferretur. Fuit prætereà vir caſtus, integer, pudicus, facundus: doctorum virorũ ita amator, vt eos vndiquaq; ad ſe præmijs alliceret, eorumq́; conſuetudine mirum in modum delectaretur. Præterea verò ægrotos viſere, eosq́; ad patientiam adhortari, eleemoſynas indigentibus præbere, deſperatos conſolari, errantes in viam rectam deducere, prædicationibus, admonitionibusq́;, quibus plurimum ob eloquentiã & doctrinam valebat, ei peculiare fuit. homo certè ita mitis ingenij, vt omnes diligeret, neminem odio haberet, tardus ad iram, ad miſerendum promptus, inſignis pietate, fortiſsimus rerum eccleſiaſticarum, honorisq́; diuini procurator & defenſor. Creatur itaque (vt dixi) pontifex vno omnium conſenſu in natalitijs Stephani prothomartyris, ſequentiq́; die acclamantibus præ fauore in ſede Petri collocatur.

*Irene Conſtantini imperatoris mater.*

Ijſdem verò temporibus Conſtantini imperatoris mater Irene, filij flagitia nequaquam ferens impellentibus quibuſdam ciuibus Cõſtantinopolim reuertitur, ac Conſtantinum captum oculis in carcerem conijcit: vbi & meritò tanquam ſacrilegus minimæq́; pietatis, quippe qui matrem relegauerat, vitam finiuit. Iterim verò cum Carolus multis rebellantibus vndiq́; laceſſeretur, Pipinum filium in Vngaros miſit, quos quidem grauibus prælijs ſuperatos, tandem ad deditionem compulit. Adelphonſus autem Aſturiæ & Galliciæ rex, acceptis à Carolo auxiliaribus copijs, ſuperatisq́; Sarracenis, Vlyxibonum vi cepit. qui verò in pręſidio Barchinonæ erant, Carolo audita Adelphonſi victoria, ſe confeſtim dedunt. Superantur & Bauari, qui Foroiulianos vexabant, ab Henrico Caroli præfecto.

Interea verò Leo tertius dum ſupplicationes à beato Gregorio inſtitutas, Romæ agit cum populo & clero, Paſchalis primicerij & Campuli presbyteri fraudibus apud ædem Beati Silueſtri captus, ac pontificali amictu priuatus, multisq́; verberibus adeò cæſus, vt oculis & lingua captus putaretur, in monaſterio ſancti Eraſmi in vincula conijcitur: vnde poſtea Albini cubicularij induſtria cuſtodes fallens, in Vaticanũ ſeſe proripuit: ibiq́; tamdiu latuit, quoad Vinigiſius Spoletinorum dux clanculum accerſitus, eum incolumen Spoletium perduxit, cohortibus militum in itinere ſtipatum, ne aliqua hoſtium vi obrueretur. At ſeditioſi cum ſæuire in Leonem & Albinum non poſſent, eorum domos à fundamentis diruunt. Ijdem quoque (adeò audaces erant & temerarij) ad Carolum, qui tum bellum contra Saxones gerebat, quoque Leonem profectum intellexerant, accuſandi hominis cauſa peruenêre. Verùm Carolus reiecta in aliud tempus diſceptatione, pontificem cum egregio comitatu Romam mittit, ſe eò breui peruenturum pollicitus, componendarum rerum Italicarum gratia. Leoni verò ad pontem Miluium honoris & gratulationis cauſa clerus ac populus Romanus obuiam factus, virum ſanctiſsimum in vrbem introducũt. Carolus autem



tem non diu immoratus per Maguntiacos in Belgis poſitos, Noricumq́; montem in Forumiulij deſcendens, Taruiſinos graui ſupplicio afficit, quòd Henricum præfectum occidiſſent. Creato verò in huius demortui locum altero, Rauennam primo, mox Romam expectatus proficiſcitur. Vrbem ingrediẽti omnia certè, & meritò quidem honoris genera adhibita ſunt. Octauo autem die poſteaquam vrbem ingreſſus fuerat, in baſilica Petri aſtante populo & clero, epiſcoporum omnium, qui eò ex tota Italia & Francia conuenerant, ſententias de vita & moribus pontificis rogat. verùm ab omnibus vna voce reſponſum eſt, ſedem apoſtolicam omnium eccleſiarum caput, à nemine (laico præſertim) iudicari debere. Omiſſa autem ob tam graue reſponſum à Carolo quæſtione, Leo pontifex, qui id iudicium maximè expetebat, ſuggeſtum conſcendens, ac euangelia in manibus retinens, iureiurando affirmauit, ſe omnium rerum, quæ ſibi obijcerentur, inſontem eſſe. Fuit is dies Idibus Decembris, ſalutis anno octingẽteſimo. Dum hæc autem Romæ agerentur, Pipinus mandato patris Beneuentanos duce Grimoaldo finitimos ſuos vexãtes aggreſſus, magnis cladibus ita perdomuit, vt ægrè ſe mœnibus tuerentur: cui bello Vinigiſium Spoletinum ducem præficiens, ad patrem reuertitur imperij coronam breui ſumpturum. Nam põtifex Carolo optimè de eccleſia Dei merito aliquam gratiam relaturus, cum videret Imperatores Conſtantinopolitanos ægrè id nomẽ tueri, ac ob eam rem vrbem & Italiam ipſam magnas calamitates paſſam, in baſilica Petri poſt ſolennia ſacra, populi Romani ſcito ac precibus ipſum Carolum magna voce Imperatorem decernit, ac diademate donat, ter acclamante populo Romano: Carolo Auguſto à Deo coronato, magno & pacifico imperatori vita & victoria. Pontifex item hominem inunxit vnà cum Pipino filio, quem Italiæ regem ſolenni decreto pronuntiauit. Accepta itaq; imperij poteſtate Carolus, Campulum & Paſchalẽ coniurationis reos, capite plectendos cenſet. At pontifex omni ex parte clemens, à Carolo rege tamen obtinuit, vt his vita condonaretur, in Frãciam tantummodo relegarentur. Poſt hoc verò fuêre, qui Carolo ſuaderent, vt omnes Longobardos Italia expelleret. Verùm cum id nequaquam tutum videretur, quòd multis Italiæ populis ſanguine & affinitate coniuncti eſſent, cenſuêre ſimul & Carolus & Leo, vt Longobardorum nomen ibi tantummodo remaneret, vbi ea gens præcipuè ſedem habuiſſet.

*Sedes apoſtolica omnium eccleſiarum caput.*

Pipinus autem cum in Samnium rediſſet, fruſtraq́; per aliquot menſes Beneuentum oppugnaſſet, Theate ſe conferens, oppidum vi captum incendit ac diripit. Inde Ortonam & Luceriam mouens, eas ciuitates timore perculſas, in deditionem ſtatim accipit, ac Grimoaldum Beneuẽtanum ducem Luceriæ capit: qui non ita multò pòſt dolore animi perijt. Interea verò Conſtantinopolitana imperatrix, miſsis in Italiã legatis, cum Carolo pacem & fœdus inijt, imperiũq́; his terminis diuiſit, vt Irene ea Italiæ parte potiretur, quæ ad dextram Neapoli incipiens, ad ſiniſtram Syponto (quæ vrbs nunc Manfredonia dicitur) infero ſuperoq́; mari clauditur vnà cum Sicilia. Reliqua verò Italiæ pars Carolo ipſi ex fœdere obtigit, ea tamen loca ſemper excipio, quę ditionis eccleſiaſticę habeantur. At Nicephorus patricius ægrè ferẽs Irenes mulieris imperium, cùm eam dolo captam Lesbum in exiliũ miſiſſet, fœdus iam antea initum per legatos cum Carolo renouat, qui tum Saxones totiès deficientes, migrare in Franciam cum vxoribus & liberis compulit, eos in itinere cum legionibus ſubſequens, ne quid maleficij inter eundum committerent.

At Leo cùm ſeditionibus ſemper vexaretur, ab vrbe diſcedẽs, Mantuam proficiſcitur ad viſendum Chriſti ſanguinem, qui tum miraculis magno in pretio erat. Is autem à Mantuanis perbenignè ſuſceptus, approbato Chriſti ſanguine ob frequentia miracula, ad Carolum proficitur, vt hominem veritatis cognoſcendæ cupidum, eius rei certiorem faceret: ſimulq́; etiam vt de componendis rebus Italicis inuicem colloquerentur. Rediens deinde in Italiam, adiuuante Pipino rege, mandato patris, de coniuratis quibuſdam & ſeditioſis non ſine clementia ſupplicium ſumpſit.

Carolus autem iam ſenio grauis, cùm intellexiſſet Pipinum, quem (vt diximus)

mus) Italiæ regē præfecerat, Mediolani mortuū eſſe, Ludouicū filium minorē
natu, Aquitaniæ regē & imperij ſucceſſorē, Bernardum verò nepotē Italiæ regē
declarat, eiq́; mādat, vt Ludouico rebus in omnibus obtemperet. Fines imperij
hos eſſe voluit: in Gallia Rhenum ac Ligerim, qui in Celtis oriens, eos à Bituri-
gibus diuidit: in Germania verò Danubium & Sauum fluuios: his autem pro-
uincijs Aquitaniā, Vaſconiam, magnam partem Hiſpaniæ, Ciſalpinam Galliā,
Saxoniam, vtranq; Pannoniam, Iſtriam, Liburnos addidit: maritima verò Dal-
matiæ Imperio Cōſtantinopolitano ſubiecta erant. Rebus autem ita cōpoſitis,
dum Aquiſgrani eſſet valetudinis cauſa, propter aquas calidas, quæ ibi ſcaturi-
unt, febre ac dolore laterum moritur, ætatis ſuæ anno ſecundo & ſeptuageſimo,
quinto calendas Februarij: ſalutis verò anno octingenteſimo ac quintodecimo.
eius aūt corpus nullo nō genere honoris adhibito, in tēplo Beatę Virginis, quod
ipſe magnis ſumptib⁹ Aquiſgrani exſtruxerat, ſepelitur hoc addito epigrāmate:
MAGNI CAROLI REGIS CHRISTIANISSIMI, ROMANO-
RVMQVE IMPERATORIS CORPVS HOC SEPVLCHRO
CONDITVM IACET.

Fuit autem Carolus, ſi eius res geſtas tum domi tum foris inſpicias, tantæ am-
plitudinis & integritatis imperator, vt poſtea neminem ſuperiorem, nedum pa
rem habuerit. adeò autem (cum ei per otium liceret) ſtudijs literarum delecta-
tus eſt, vt primus (ſuadente tamen Albino) gymnaſium Pariſienſe inſtituerit.
Tres autem menſas argenteas habuit, quarum vnam (in qua vrbs Conſtantino-
politana inſculpta erat) baſilicæ beati Petri, aliam (vbi imago vrbis Romæ cer-
nebatur) eccleſiæ Rauennati dono dedit, Tertiam filijs reliquit, vbi inerat orbis
terrarum deſcriptio. Sunt item qui ſcribant, hanc auream fuiſſe.

At verò Leo pontifex reſtituto ſancti Pauli tecto, quod terræmotu cōciderat,
ædificatoq́; à fundamentis apud ſanctum Petrum ampliſsimo hoſpitali, quod
Græci xenodochion vocant, nec non inſtitutis trium dierum ſupplicationibus
ante diem Aſcenſionis, quibus prima die ab eccleſia Dei genetricis ad Præſepe,
ad baſilicam Conſtantinianam, ſecunda ab eccleſia beatæ Sabinæ martyris ad
ſanctum Paulum, tertia à ſancta Cruce in Hieruſalem ad S. Laurentiū extra mu-
ros ibatur: moritur primo ac vigeſimo pontificatus ſui anno, quo etiam co-
metes apparuit (vt nonnulli putant) tantæ calamitatis indicium. Sepelitur au-
tem in baſilica Petri pridie Idus Iunij: eius in morte ſedes tum vacat diebus decē.

## STEPHANVS IIII.

99. Pont. STephanus quartus, patria Romanus, patre Iulio, pontificatus ſui menſe
tertio ad Ludouicum Imperatorem in Gallias proficiſcitur: quāobrem
aūt id fecerit, haud ſatis conſtat. Sunt tamen qui coniectant, id ab eo fa-
ctum ad vitādam ſeditionem & reliquias Campulianæ coniurationis, quæ iam
inualeſcebat mortuo Leone. In Aurelianis tunc erat Ludouicus imperator co-
gnomento Pius: qui vbi intellexit pontificem aduentare, ſtatim ei honoratiſsi-
mum quenq; obuiam miſit: maximè verò Theodolphum Aurelianorum epi-
ſcopum, cum clero & magna populi parte. Ipſe verò ad primum lapidem prodi-
ens, cùm hominem vidiſſet, ex equo deſcendit: atque eum data acceptaque ſalu-
te, cum maxima veneratione in vrbē introducit, præcedente clero, ac ſæpe car-
men repetente, Te Deum laudamus. Erat enim Stephanus ex nobili genere or-
tus, tantæ doctrinæ & integritatis, vt facilè apud omnes ſanctitatis nomen nan-
ciſceretur: quippe qui ſub duobus ſanctiſſimis viris Hadriano & Leone educa-
tus, rationem benè ac beatè viuendi didicerat. In vrbem introductus, ſuſtentan-
te eum imperatore propter impetū multitudinis ſtudio videndi concurrentis,
in regiā diuertit, vbi & ſæpe cum imperatore de componendis Italiæ rebus col-
locutus eſt: & ita ſe mutuò conuiuijs excepêre, vt raro alter ſine altero conuiua-
retur. Retinuiſſet hominem apud ſe diutius imperator, niſi tum grauibus im-
plicitis bellis, ſeſe obijcere hoſti neceſſe fuiſſet. Nam & Vaſcones ab imperio de-
fecerant, quos breui in poteſtatem ſuam redegit: & Britones res nouas molien-
tes, armis in officio continuit, & conuentu Aquiſgrani habito, legatis Sarrace-
norum



norum Ceſaream Auguſtam incolentium, pacem conceſsit. Abiturus itaq; Ste-
phanus ad imitationem Saluatoris noſtri, qui etiam inimicis pepercit, à Ludo-
uico impetrauit, vt exulibus omnibus & captiuis, quos ſceleris cōuictos in Leo-
nem admiſsi Carolus mulctauerat, redire ad vrbem Romā liceret. Secum quo-
que detulit crucem magni ponderis magnæq́; æſtimationis, quam Ludouicus
ſua impenſa beato Petro dicauerat. At verò ſanctiſsimus pontifex ad vrbem re-
diens, ſeptimo pōtificatus ſui menſe vita functus, in baſilica Petri ſepelitur. Se-
des autem eius morte, dies vndecim tum vacat.

## PASCHALIS I.

PAſchalis patria Romanus, patre Bonoſo, nulla interpoſita imperatoris 100. Pont.
auctoritate pontifex creatur: hanc ob rem vbi pontificatum inijt, ſtatim
legatos ad Ludouicum miſit, qui eius rei culpam omnem in clerum &
populum reijcerent, quòd ab his vi coactus eſſet pontificium munus obire. Ac-
cepta hac ſatisfactione, Ludouicus reſpōdit populo & Clero, maiorum inſtitu-
ta & pacta ſeruanda eſſe, cauerent ne deinceps maieſtatem læderent.

In conuentu autem apud Aquiſgranum habito, Lotharium filium maiorem
natu, imperij ſocium ſibi deligens, Pipinum ſecundum à Lothario Aquitaniæ,
Ludouicum tertium Bauariæ, reges appellauit. At verò cum Bernardus Italiæ
rex, inſtigantibus quibuſdam epiſcopis & ſeditioſis ciuibus ab imperio defeciſ-
ſet, coëgiſſetq́; ciuitates quaſdam & populos in ſua verba iurare, Ludouicum in
ſe concitauit, qui præfectos quoſdam cum ſatis valida manu in Italiam miſit.
Horum verò impetus retardare conatus Bernardus, in alpibus ſuperatur. Sedi-
tionis auctores ſtatim capti necantur. Ipſe verò Bernardus quamuis ſupplex ve-
niam peteret, Aquiſgrani ſupplicio capitali afficitur. Epiſcopi autem tanti ma-
li auctores, ſynodali decreto in monaſteria quædam relegantur. Sedato itaque
Italico tumultu verius quàm bello, in Saxones, qui ab imperio defecerant, co-
pias mouet, eorumq́; tyrannum Viromarchum regnum affectantem, & ſecum
congredi auſum ſuperat atque interficit.

Deinceps verò Lotharium filium regem Italiæ declaratum, ad pontificē mi-
ſit, à quo in baſilica Petri inungitur, & Auguſtus appellatur. Intereà verò tumul
tuante Italia, & ad res nouas ſpectante, cum Lotharius tantis motibus nequaquā
ſe parem cerneret, maiores copias paraturus, ad patrem ſe contulit. Hāc ob rem
Theodorus Primicerius, & Leo Nomenclator Romæ in Lateranēſi palatio per
ſeditionem confoſsis oculis necantur. Fuêre qui tantum crimen in Paſchalem
reijcerent: qui quidem in ſynodo triginta epiſcoporum habita, & coniecturis,
& rationibus, & iuramento à tanto ſe crimine liberauit. Accepit hanc ſatisfacti-
onem Ludouicus, &, vt Bibliothecarius ait, cum Paſchali reſcriberet, ne dein-
ceps ſeditio ex re incerta oriretur, ciuitates Etruriæ imperio ſubiectas literis de-
clarauit: Arretinum, Volaterras, Cluſiū, Florentiā à patre Carolo reſtitutā & au-
ctā, Piſtorium, Lucā, Piſas, Peruſiā, & vrbem veterem: cætera verò eccleſiæ Ro-
manæ aſſcribebat. Addidit & Tudertū in Vmbria, & vltra Appenninū Flamini-
am, ac Rauennæ vrbis Exarchatum. Idem quoq; Bibliothecarius ſcribit, Ludo-
uicum liberam eligendorū epiſcoporū poteſtatem Paſchali dediſſe, cùm antea *Libera po-*
ea quoq; in re imperatores conſulerentur: quā poteſtatem ab Hadriano pontifi- *teſtas eli-*
ce Carolo conceſſam, idem auctor refert. Paſchalis itaq;, quē Stephanus ob eius *gendorum*
virtutem & doctrinā dum viueret, monaſterio beati Stephani martyris in Vati- *epiſcoporū*
cano præfecerat, pōtificatū iniens, & corpora ſanctorū minus religioſè iacentia, *Paſchali*
in vrbem cum maxima veneratione introducta, honeſtiore loco recondidit, & *data.*
captiuos perſoluto creditoribus precio, è vinculis liberauit. Idē quoq; Praxedis
beatiſsimæ Chriſti martyris templum à fundamentis extruxit, non longè à ve-
teri, quod iam ob vetuſtatem & incuriā ſacerdotum ruinā minabatur: quo qui-
dem in templo à ſe dedicato & perſæpe celebrauit, & multorū corpora ſanctorū
collocauit, iam antè in cœmeterijs paſsim & ſine veneratione iacentia. Extat &
in eadem baſilica oratorium beatæ Hagneti dedicatum, quod ipſe pluribus or-
mentis auguſtius reddidit. Idem quoq; beatæ Cæciliæ templū extruxit, quod car-

men in apſide notatum nunc etiã indicat, eò quoq; loci & ipſius virginis & eius ſponſi Valeriani,Tiburtij,Maximi martyrum, Vrbani,Lucij, pontificum corpora collocauit, multis additis muneribus & ornamentis ex auro,argento & quouis genere marmorum. Reſtituit prætereà beatæ genetricis templum ad præſepe vetuſtate quaſſum,eiusq; apſida in meliorem formam redegit. Qui non ita multò pòſt nullo religionis,pietatis, humanitatis, benignitatis exẽplo prætermiſſo,ſeptimo pontificatus ſui anno, menſe tertio, die decimoſeptimo moritur,ſepeliturq; in baſilica Petri. Vacat tum ſedes dies quatuor.

## EVGENIVS II.

101. Pont. EVgenius ſecundus,patria Romanus,patre Boëmundo,tantæ religionis, ſanctitatis,doctrinæ,humanitatis & eloquentiæ fuit,vt omnium cõſenſu pontifex crearetur,eo maximè tempore,quo Lotharius in Italiam veniens,magiſtratum delegit,qui populo Romano ius diceret.Romani enim imperante Carolo ac filijs,libertate aliqua poſt longã & grauem ſeruitutẽ vſi ſunt.

Interim verò Ludouicus cùm quadraginta diebus ferro ac flãma Britanniam vaſtaſſet,acceptis obſidibus Rhotomagum petit,vbi Michaëlis Conſtãtinopolitani imperatoris oratores audit,eum cõſulentes, quid de ſacris imaginibus faciendum cenſeret,abolendæ ne,an reſtituendæ viderentur. Hos aũt ad pontificem reiecit,cuius maximè intererat ea de re decernere.Bulgaros deinde Pannonias inuadentes,primò quidem pepulit: verùm cùm Haydo Aquitaniæ præfectus rebellaſſet,Abderamanni Sarracenorum regis auxilijs fretus,omittere tantum bellum neceſſe fuit.hanc ob rem Bulgari per medias Pannonias in Dalmatiam infeſto agmine penetrarunt.Sed antequàm Ludouicus in Haydonem mouiſſet,magnam Hiſpaniæ partem deficiẽtibus populis iam occupauerat, dimiſſa circunquaq; claſſe,quæ maritimas ciuitates vexaret. Solus autem Bernardus Barchionenſium comes terra mariq; vexatus,in imperatoris fide permanſit.

At Eugenius dignitate corporis & præſtãtia animi inſignis, ſpretis rebus omnibus humanis,vel potius fortunæ bonis,ad munificentiam & liberalitatẽ verſus,adeo rem frumentariã curauit,vt nullibi vilius,quàm Romæ, annona venderetur. Prætereà verò pauperum,pupillorum,viduarum cauſas & vitam ita tutatus eſt,vt ab omnibus meritò pauperum pater diceretur. Hoc autẽ genere viuendi & ante pontificatum vſus eſt: & dum beatæ Sabinæ in Auentino presbyter eſſet,quam ædem pontifex in meliorem poſtea cultum reſtituit: & dum baſilicæ Lateranenſis archipresbyter eſſet,quo ex loco deinceps tantæ integritatis & modeſtiæ fuit,ad pontificatum omnium ſuffragijs traductus eſt.Huius prætereà opera & precibus,captiui omnes & exules ex Gallia tandem ad vrbem rediêre,quos bonis paternis & fortunis omnibus ſpoliatos,ſuis facultatibus ſuſtentauit,& in vita retinuit.Per eum quoque non ſtetit, quò minus Sico dux Beneuẽtanus Neapolitanos obſidione ſolueret,quos tum vehementer premebat: vnde beati Ianuarij corpus Beneuentum tranſtulit,& in maiori baſilica cum Deſiderio & Feſto honorificè collocauit. Siconem nanque mouere in Sarracenos põtifex adhortabatur,qui Panhormum in Sicilia iam ceperãt. Cùm his itaque artibus in pontificatu annis quatuor vixiſſet, moritur pontifex optimus collochrymantibus omnibus,& ſuam vicem potius,quàm mortem ſanctiſsimi viri, dolentibus,cùm mors ei ad felicitatem via optatiſsima eſſet: ſepelitur autem in baſilica Petri apoſtolorum principis.

## VALENTINVS I.

102. Pont. VAlentinus patria Romanus, patre Leontio, tantæ virtutis & ſanctitatis fuit,vt nondũ presbyter,ſed diaconus ſummũ pontificatus gradum meruerit: nec mirum,quippe cùm apud Paſchalẽ & Eugeniũ viros ſanctiſsimos & doctrinam & rationem benè ac ſanctè viuendi à teneris annis vſq; ad maturam ætatem didiciſſet.Non ludis,non iocis,aut voluptatibus intentus, vt pleriq; oẽs adoleſcentes facere cõſueuerunt,ſed doctrinã & beatè viuendi normam ex lectione veterum,& exemplo ſanctorum pontificum ſumẽs.Fuit prætereà in

homi-



homine tanta ingenij dexteritas,tanta eloquentia,vt facilè quod vellet ſuaderet & diſſuaderet:nil niſi ſanum,& quod doctrinam ſaperet ac modeſtiam, proponens. Proſtremò autem pietate,clementia,liberalitate,tum in vita priuata, tum in pontificatu,nulli maiorum ſecundus eſt habitus.Has ob res omnium conſenſu pontifex creatus,meritis hominum,qui tum erant,id fortaſſe exigẽtibus,quadrageſimo pontificatus ſui die moritur,ac in baſilica Petri ſepelitur, conquerentibus omnibus eum hominem ſibi morte ſublatum eſſe: quo ſtante labefactari Romana libertas,& Chriſtiana religio vix poterat.Vacãte autem ſede, Sicardus dux Beneuentanus,qui patre mortuo tyrannicã vitam ducebat,Deuſdedit montis Caſsini abbatem,à quo pecunias expetebat,in carcerem coniecit, quo in loco non ſine opinione ſanctitatis mortuus eſt.

## GREGORIVS IIII.

GRegorius quartus,patria Romanus,patre Ioanne, tituli S. Marci presbyter,eo tempore pontificatum inijt, quo & Sarraceni Aſiam occupantes, ad ſancta Paleſtinæ loca Chriſtianis aditum intercluſere. 103 Pont. *Sarraceni Aſiã occupauerunt.*

Et Mauri in Siciliam claſſe delati, ipſius inſulæ magnam partem vaſtauerunt,occupato(vt dixi)Panhormo. Nec prohibere Veneti potuêre, quò minus id facerent,eò claſſe rogatu Michaëlis imperatoris Conſtantinopolitani cõtendentes. Maior enim erat Maurorum claſsis,maiores etiam nauales copiæ.Creſcebat tũ res Veneta,quæ origenem à Venetis omnibus habuerat, eo maximè tempore,quo Hunni Attila rege Aquileiam,Cõcordiam, Altinum, aliasque Venetiæ prouinciæ vrbes ceperunt, ac diruerunt, à ſæuitia barbarorum ſolis æſtuarijs & paludibus ſeipſos tuentes.Dux Venetorum Iuſtinianus Patritius tum erat,cuius nomen ideo commemorare libuit,quòd ſuis temporibus corpus ſancti Marci Alexandria à mercatoribus Venetis in patriam delatum eſt:vbi nunc in maxima veneratione habetur,extructo egregio templo in celebriore vrbis loco, multisque donarijs in ipſo ſacello reconditis, Hinc primum Veneti Marci imaginẽ vrbis patroni in vexillis retulêre. *Corpus S. Marci à Venetis mercatoribus in patriam delatũ eſt.*

At verò Gregorius cum intelligeret,à Venetis barbaros pelli ex inſula non poſſe,legatos ad Ludouicum & Lotharium miſit, qui eos rogarent, vt primo quoque tempore Siculis auxilium ferrent. Tergiuerſabantur hi, cùm dicerent id bellum ad Michaëlem imperatorem Conſtantinopolitanum pertinere,ſe tamen paratos eſſe communi impenſa communibusque copijs rem ipſam gerere. Intereà verò cùm legati ea de re vltrò citroque mitterentur, Bonifacius Corſicæ comes, cum fratre Bertario, & auxilijs quorundam populorum Etruriæ, claſſe in Africam delati, inter Vticam & Carthaginem quater cum hoſtibus congreſſus, tantam hominum ſtragem edidit, vt coacti ſint Mauri, vt olim à Scipione vexati,ſuos ex Sicilia reuocare, qui patriæ laboranti auxilium ferrent. Hac igitur ratione Sicilia à barbarorum manibus liberata eſt. Redijt itaque ex Africa in Corſicam Bonifacius cum claſſe victrici, ingenti præda onuſta.Sunt qui ſcribant, dum omnia vbique in Italia placata eſſent, Lotharium ægrè ferentem quòd Ludouicus Carolum natu minimum, cui poſteà Caluo cognomentum fuit,rebus in omnibus ſibi præferret, patri vincula indidiſſe,nec ita multò pòſt eum liberum dimiſiſſe:eaque opportunitate barbaros illectos,ex Africa cũ ingẽti claſſe in Italiam delatos,Centumcellis applicuiſſe:vrbemque(quæ nunc Ciuitas vetus appellatur)vt quidam volunt, deleſſe atque inde Romam mouẽtes, vrbem ipſam cepiſse, quod quidem vero diſſonum eſt. De Centumcellis nõ negauerim.Barbaros verò vrbem oppugnare adortos conſtat:ſed Guidone Ciſalpinę Marchione eam acriter defendente,incenſis ſuburbijs, ac baſilicis Petri & Pauli via Latina,in ſaltum Caſsinatem mouentes, vbi ſancti Germani oppidum, & monaſterium beati Benedicti in monte poſitum auertiſſent,iuxta Lyrim fluuium ad mare deſcendentes,claſſe ab Oſtia eò auecta, Tarẽtum & Siciliam inuaſere: atque (vt dixi) Bonifacij virtute in patriam à ciuibus bello oppreſsis reuocati ſunt.Crediderim ego tũ Bartholomæi apoſtoli corpus ex Lypari Siciliæ, Beneuentũ tranſlatum fuiſſe à Sicardo Beneuentanorum principe,qui tãto bello in-



terfuit,

terfuit,ne ſanctiſsimi apoſtoli corpus in hoſtiũ Chriſtiani nominis manus deueniret. Ad Gregorium redeo,qui tãtæ modeſtiæ fuit,vt electus à clero populoque Romano,non prius põtificium munus obire voluerit,quàm à legatis Ludouici imperatoris ob eã cauſam Romam miſſis,qui diligẽter tãtam electionem diſcuſſerãt,confirmatus eſſet. Fecerat id Ludouicus nõ ſuperbia motus,ſed ne iura imperij amitteret,quippe qui natura clemens & humaniſsimus eſt habitus,quiq; iura eccleſiæ & dignitatẽ ſemper tutatus eſt. Inſtituit enim,ne Chriſti ſerui vlli ſeruituti humanę ſubiecti eſſent:& vt vnaquaq; eccleſia ſuos prouentus haberet,vnde ſacerdotes viuerent,ne ob inopiã rerum,cultum diuinum deſererẽt,néue ob neceſsitatem quæſtui ſeſe dederent. Idem prætereà octingẽteſimo ac trigeſimo dominicæ incarnationis anno,ſynodum multorũ epiſcoporum habuit,excogitatã ad honorem Dei & vtilitatem eccleſiaſticæ dignitatis: in qua quidem conſtitutum eſt, ne epiſcopi & clerici cuiuſuis gradus, pretioſas & exquiſitas veſtes, vtpote ſericas & coccinei coloris aut bracteatas ferrent: néue in digitis gemmas, niſi dum præſules ſacrificant,ne in cingulis,calceis,aut crepidis aurum & argentũ ferrent,quæ certè procul ab omni religione ſunt,& magnę incõtinentiæ ac vanitatis ſigna manifeſtiſſima. Vtinam noſtris temporibus Ludouice viueres. Indiget nunc eccleſia tuis ſanctiſſimis inſtitutis,tua cenſura,adeò in omnem luxum & libidinem ſeſe effundit eccleſiaſticus ordo,coccinatos & trabeatos nunc inſpiceres non homines,quod leue fortaſſe videretur,ſed equos & iumenta,præcedente,dum incedunt magno adoleſcentum,& altero presbyterorum agmine ſubſequente,non in aſinis,vt Chriſtus noſtri dogmatis auctor,& bene viuendi vnicũ in terris exemplar,ſed in equis præferocibus & phaleratis,ac ſi ex hoſte deuicto triumphum ducerent. De argẽteis vaſis,& egregia eorũ ſuppellectile,deq; cibarijs non attinet dicere,cum & Siculæ dapes,& Attalica ornamenta,& vaſa Corinthia,ſi hæc inſpicias,nullius precij dici poſſint. Quid verò ex hac intemperantia naſcatur,prætermittam,ne hos (vt ipſi aiunt) in cælum ponam. Ad Ludouicum redeo,qui his artibus & humanis & diuinis rebus conſulens,imperij ſui anno trigeſimoſexto moritur,ſepeliturque Metis in baſilica beati Arnulphi. Hunc autem non multò pòſt ſecutus eſt Gregorius pontifex,nobilitate inſignis,ſanctitate clarus,doctrina & eloquentia præcipuus,diligentiæ ac ſollicitudine,tum in rebus diuinis,tum in humanis admiratione dignus. Nam & populi ſui commoda mirum in modum curauit:diuites in officio continendo,pauperes paſcendo,deſperatos ſolando,errantes ſanis admonitionibus in viam rectã deducendo,eccleſias quoque multas vetuſtate collapſas reſtituit. Electos in ſortem domini doctrina,& exemplo,quoad vixit in officio continuit. Tranſtulit idem ſanctiſsimus pontifex beati Gregorij corpus:atque eò loci collocauit,vbi nunc iacet,magnis adhibitis ornamentis,quo in loco multi temporibus illis,religionis aut voti cauſa excubare conſueuerant. Ferunt & ab eodem corpore Sebaſtiani & Tiburtij à cœmeterijs,in quibus antè iacebant,ad baſilicam Petri trãſlata fuiſſe. Sunt qui ſcribant,rogatu Ludouici Gregorium ſanctorum omnium celebritatem calendis Nouembris inſtituiſſe,eamque rem magnopere à Rabano monacho theologo inſigni,carminibus & proſa laudatã fuiſſe. In his enim duobus dicendi generibus vir doctus,vt illa maximè tempeſtate,ſatis valebat. Commentatus eſt idem Rabanus & librum Paralipomenon,& Machabæos. Habuit etiam ſermones ſatis elegantes ad populum,ſed is potiſſimùm laudatur,quem habuit in celebritate omnium ſanctorum. Moritur autem Gregorius põtificatus ſui anno decimoſexto,ſepeliturque in baſilica Petri,ac ſedes eius in morte,diebus quindecim vacat.

## SERGIVS II.

*104. Pont. Nomina pontificum immutãdi cõſuetudo.*

SErgius ſecundus, patria Romanus, patre Sergio è regione quarta, eo tempore pontificatum inijt, quo Michaël imperator Conſtantinopolitanus moritur. Sunt qui Sergium primò quidem Os porci appellatum fuiſſe dicant,& ob turpitudinem cognomenti,Sergij nomen ſumpſiſſe,eamque conſuetudinem ad noſtros manaſſe,vt qui põtifices crearentur,ſuo omiſſo,maiorum



iorum nomina ſibi inderent,licet ab omnibus non ſit obſeruatum. Vtcunque eſt,conſtat Sergium ex illuſtri familia ortum,nequaquam à maioribus ſuis degeneraſſe,adiuuãtibus eius præclarum ingenium,Leone tertio,Stephano quarto, Eugenio ſecũdo,& Gregorio quarto:ſub quorum moribus & doctrina ita vixit, vt ſolus mortuo Gregorio dignus haberetur,qui põtificium munus obiret. Exarſerat tum inter Ludouici filios tantum odij,propter imperij diuiſionem,vt in Antiſiodorenſi agro apud Frontanetum acerrimè à Ludouico & Carolo contra Lotharium fratrem dimicatum ſit,quo quidem multi vtrinque cæcidêre. Lotharius enim tandem victus,Aquiſgranum confugit,atque inde quoque deturbatus inſtantibus hoſtibus,Viennam cum coniuge & liberis ſe contulit. Inſecuti & eò cum exercitu fratres,ad quos quidem placandos non ſolùm multi regni ipſius proceres,ſed ex Italia quidam iuſſu Sergij profecti ſunt,inter quos Georgius archiepiſcopus Rauennas primus eſt habitus: qui cum ſecundo prælio apud Lotharium componendæ rei cauſa eſſet,ac fortuna ad Ludouicum & Carolum inclinaſſet,totum comitatum in prælio amittens (eò enim cum trecentis equitibus venerat) vix ſolus è tanta ſtrage fuga prolapſus eſt. At verò hi communem totius regni calamitatem & interitum miſerati,fœdera pacis in hunc modum ineunt,vt pars illa occidentalis regni,quę à Britannico oceano vſque ad Moſam flumen pertinet,Carolo obtemperaret,in eaque etiam Francorum nomen maneret: vtque Ludouico Germania contingeret vſque ad Rheni fluenta,& trans Rhenum quicquid genitor poſſediſſet. Lotharius autem cum imperij titulo vrbem Romam obtineret cum Italia & ea parte Galliæ,quæ olim Narbonenſis, nunc Romana prouincia vocatur: huic autem addidêre eam quoque partem, quæ inter Scaldin & Rhodanum fluuios,Lotharingiæ nomen accepit à Lothario,vt arbitror. Rebus autem ita compoſitis,Lotharius Ludouicum filium,quẽ regni ſocium aſciuerat,in Italiam cum ingenti exercitu mittit:huic ſocios addidit Drogonem Matenſem epiſcopum,atque alios viros eccleſiaſticos prudentia & auctoritate dignos,quorum conſilijs vteretur. Is autem adoleſcens nimia felicitate elatus,quacunque iter facit,cædibus omnia & rapinis vaſtat,incendit,& diruit. Verùm cùm vrbi appropinquaſſet,eique obuiam honoris cauſa Romani ciues prodijſſent,depoſita ferocitate illa Gallica,mitior eſſe cœpit quòd ei præter ſentẽtiam ingredi vrbem pacato agmine liceret. Prodeunt & obuiam ad primum lapidem ſacerdotes cum crucibus,& hoc cãtu,Benedictus qui venit in nomine domini, Oſanna in excelſis. Atque eum vſque ad gradus ſancti Petri comitantur,ibi pontificem offendẽs,mutuo oſculo mutuaque ſalute data & accepta, ad argenteas portas ſimul peruenêre clauſas quidem. Tum põtifex,Si pacato magis,quàm hoſtili animo ad nos veniſti,ſique ad reip. Chriſtanę vtilitatem magis reſpicis,quàm ad voluptatem ſæuiendi prædandiue,meo iuſſu ingredere:ſin aliter animatus es,forésne tetigeris:nam ſupra caput enſem habes ſcelerum omnium vltorem. Cùm autem bono animo eſſe pontificem iuſſiſſet,ſtatim eius iuſſu fores patuêre. Ingreſſi itaque pariter magna Romanorum ac Francorum multitudine tum præcedente tum ſequẽte,cùm ad altare beati Petri perueniſſent,procidentes ſimul,omnipotenti Deo & apoſtolorum principi gratias egerũt,quòd ſine vllo maleficio res ex ſententia acta eſſet,pentecoſtes octaua. Verùm cùm poſteà à multitudine militum ſuburbia vaſtarentur,parumq; abeſſet,quin vrbem prędãdi cauſa irrumperẽt,octauo,ex quo venerat,die,videntibus omnibus,qui aderãt,Ludouicum regem oleo ſancto inungit,corona donat,Italiæ regẽ decernit. Ad quem Siginolphus dux Beneuentanus ſalutãdi hominis cauſa ſtatim venit,qua quidem multitudine & arbores truncatæ,& pecora diſtracta,& ſegetes (vt fit) in pabulum equorum ſuccisæ ſunt: His itaque pontifex quicquid petiêre, honeſtum præſertim,facilè conceſsit,quò citius ab vrbe diſcederent. Vnde Romani tyrannicæ immanitatis metu liberati,ſanctiſsimum põtificem verũ Chriſti vicarium & vnicum patriæ parentem prædicabant. Qui quidem ad ornanda templa cõuerſus,baſilicam ſanctorum Silueſtri & Martini vetuſtate collapſam reſtituit,in eaq; vnà cũ ipſis cõfeſſoribus,Fabiani,Stephani,Soteris,Aſterij,Cyriaci,Mauri,Smaragdi,Anaſtaſij,Innocẽtij,Quirini,Leonis,Arthemij,Theodori,

*Ludouicus Italiæ rex decernitur*

ri, Nicandri corpora collocauit. Struxit & à fundamentis ad ipſius baſilicæ latus, in honorem Petri ac Pauli monaſterium, vbi continuò res diuina agebatur. Demum verò ſanctiſsimus pontifex re eccleſiaſtica benè ac integrè gubernata, tertio pontificatus ſui anno moritur, ſepeliturque in baſilica Petri. Vacat tum eius in morte Romana ſedes menſibus ij. diebus xv.

ANNOTAT.

*Quæ hic Platina ex Martino tradit, Sergium II. primum fuiſſe qui nomen mutauerit, apud neminem veterum auctorum inueni, immo ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui hoc tempore vixit, contrariū magis elicitur, eū ſcilicet etiam ante pontificatum Sergium vocitatum eſſe. Fortè Sergij prænomen ſemper habuit, Oſporci verò cognomen, & pontifex factus, cognomen, prænomine tantum retento, omiſit. Sed iſta nec ſic cōcinnata mihi quadrant. Ioannem XII. ego primum inueni, qui priſcum nomen papa creatus mutarit, cùm ante pontificatum Octauianus diceretur, vt infrà oſtendam.*

## LEO IIII.

*105. Pont.* LEo quartus, patria Romanus, patre Radulpho, anno incarnationis octingenteſimo quadrageſimooctauo pontifex omnium conſenſu decernitur, ac meritò quidem. Vir enim fuit in omni vita priuata etiam, religione, innocentia, pietate, humanitate, gratia, liberalitate, doctrina eccleſiaſtica præcipuè inſignis. Tantæ præterea prudentiæ & virtutis fuit, vt euangelij ſententia, ſerpentis aſtutiam, vbi oportebat, & columbæ ſimplicitatem imitaretur. Tam conſtanti autem fama impulſus Sergius ſecundus Romanus pontifex, hominem totius virtutis exemplar, ex ſubdiacono presbyterum creat, eundemque titulo ſanctorum Quatuor coronatorum præficit. Vnde poſteà mortuo Sergio ad Lateranenſem baſilicam ductus, ac in ſede Petri collocatus, vt verus & dignus pontifex ab omnibus ſalutatur. Exoſculati ſunt etiam eius pedes, qui propè aderant, morem antiquum ſeruantes. Sunt qui arbitrantur, huius ſanctiſsimi viri orationibus Deum permotum, Sarracenorum rabiem naufragio, dum onuſti præda domum redeunt, compeſcuiſſe. Nam ſuperato apud Tarentum nauali prælio Theodoſio Michaëlis imperatoris duce, Italiam nemine obſtante longè ac latè populati, captaque Ancona ac direpta, vexatoque item Dalmatico ſinu, dū læti domum redeunt, volente Deo procellis fluctuum obruuntur. Liberatus Sarracenorum metu Leo, & ſedilia in veſtibulo atrij Lateranenſis poſita ex marmore conſtruxit, & ſolarium à Leone tertio inchoatum perfecit. Inſtituit item pius antiſtes, vt quotannis à cuncto clero in baſilica Pauli, ipſius apoſtoli natali die hora veſpertina celebraretur. Mandauit præterea, ne laicus quiſpiam presbyterium ingrederetur, dum ſacra fierent. Habitæ ſunt etiam eius iuſſu eiſdem fermè diebus ſupplicationes ad auertendam iram Dei, quam frequentes terræmotus præ ſe ferebant. Crucem quoque, quàm Carolus Romanorum imperator Conſtantinianæ baſilicæ donauerat, furto gemmis ſpoliatam, mirum in modū exornauit. Hunc autem tantæ ſanctitatis fuiſſe conſtat, vt & baſiliſcum ſerpentem (quem Latini regulum appellare poſſunt) ſuis orationibus è fornice ſanctæ Luciæ virginis in Orthea expulerit, cuius halitu & veneno multi mortalium perierant: & incendium illud ſigno crucis extinxit, quod diu per domos Saxonum & Longobardorum vagatum, diui Petri baſilicæ appropinquabat. Hoc autem factū eſt octaua die ab aſſumptione beatæ Dei genitricis, qui dies poſtea vt feſtus celebratus eſt non longè à baſilica Laurentij martyris extra mœnia. Eo nanque loco ipſius virginis templum extabat, cui munificentiſsimus pontifex multa dona ex argento auróue obtulit. Præterea verò opus muſiuū baſilicæ ſancti Martini & Silueſtri in montibus, incruſtationemque parietum à Sergio inchoatam ipſe perfecit, vt epigramma indicat, quod ſolum ſupereſt: nam pictura iam pridē corruit, vel incuria hominum, vel vetuſtate ſitu. Eius quoque iuſſu cruxilla, quæ ante pontificem à ſubdiacono fertur ex auro facta, gemmis ornatur: dum nullū genus ornamēti relinqueret, quod ad dignitatē Saluatoris noſtri pertineret. Reſtituit quoq; vrbis mœnia, & portas vetuſtate collapſas. Ad hæc verò xv. turres pro pugnacula vrbis à fundamentis erexit: harum duas maximè neceſſarias, hinc dextera, hinc ſiniſtra Tiberis amnis poſuit infrà Ianiculum & Auentinū, ne ſubuehi naues hoſtium ad diripiendam vrbem poſſent. Idē quoq; ſua diligentia corpora ſanctorum Quatuor coronatorum inuenit, eorumq; templū in ſplēdidiorē formam



formā inſtaurauit. Sanctos ipſos ſub altari collocauit, Sempronianum, Claudium, Nicoſtratum, Caſtorium. His addidit & corpora Seueri, Seueriani, Carpophorij, Victorini, Marij, Feliciſsimi, Agapeti, Hippolyti, Aquilæ, Priſcæ, Aquilini, Narciſsi, Marcellini, Felicis, Apollinaris, Benedicti, Venantij, Diogenis, Liberalis, Feſti, Marcelli. Addidit & caput ſancti Proti, & Cæciliæ, Alexandri, Xyſti, Sebaſtiani, Praxedis. At verò dum his rebus, vt ſanctiſsimum virum decebat, quàm diligentiſsimè vacaret, nunciareturque Sarracenos cum magna claſſe diripiēdæ vrbis cauſa aduentare, & Neapolitanos ac cæteros illius oræ maritimæ paulò pòſt ipſi vrbi auxilio futuros, ipſe ſtatim cum quanta potuit manu Oſtiam proficiſcitur: eoque omnes auxiliares copias conuocat, cum hoſtibus dimicaturus, ſi copiam pugnandi feciſſent. Suos autem ſanctiſsimus pontifex ad communionem primò adhortatus, vbi id obſequentiſsimè feciſſent, orationem ad Deum his verbis habuit: Deus, cuius dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, & coapoſtolum eius Paulum tertio naufragentem de profundo pelagi liberauit, exaudi nos propitius, & concede, vt amborum meritis horum fidelium tuorum brachia contra inimicos eccleſiæ tuæ ſanctæ dimicantia, omnipotenti dextera tua corroborentur & conualeſcant: vt de recepto triumpho nomen ſanctum tuum in cunctis gentibus glorioſum appareat. His dictis, ſtatim facto ſigno crucis pugnandi copiam fecit, qui ita alacriter pugnam iniêre, ac ſi victoriam certam ſibi propoſitam viderent, tandem verò poſt longum & acre certamen hoſtes ſuperantur fuganturque: multi in ipſo prelio vtpote nauali periêre: plerique tamen viui capti, & Romam perducti ſunt. Placuit etiam [illegible] Romanis quoſdam ad terrorem non longè à portu Romano furca ſuſpendere, aduerſante tamen Leone ob manſuetudinē & clementiam, qua potiſsimum inſignis habebatur: ſed ire obuiam multitudini [illegible] tanto præſertim furore, non licuit. Eorum verò opera, qui viui Romam perducti ſunt, vſus eſt Leo in reſtituendis eccleſijs, quas ipſi Agareni quondam diruerant & incenderant, in extruendis mœnibus, quibus Vaticanum cinxit, Leonianamque vrbem de ſuo nomine appellauit. Idque potiſsimum effecit, ne deinceps hoſtibus liceret eccleſiam beati Petri vna vel leui incurſione ſpoliare & incendere, vt antè conſueuerant. Non caruêre ſuis precationibus portæ. In ea enim quæ ad ſanctum Peregrinum ducit, hæc erant in marmore inciſa: Deus [illegible] apoſtolo tuo P[illegible] clauibus regni cæleſtis ligandi, atque ſoluendi pontificium munus tradidiſti, concede, vt interceſsionis eius auxilio à malis [illegible]ibus liberemur: & hanc ciuitatem, quam nouiter te adiuuante [illegible], fac ab ira in perpetuum manere ſecuram, & de hoſtibus [illegible] eſt, nouos ac multiplices habere triumphos. In ſecunda verò porta, quæ apud Hadriani molem ad prata ducit, hæc verba inerant: Deus, qui ab ipſo huius mundi principio hanc ſanctam catholicam & apoſtolicam Romanam eccleſiam ab hoſtibus cuſtodire & confirmare dignatus es, iniquitatis noſtræ chirographum propitiatus emenda, & vrbem hanc, quam tuo ſancto nomini per apoſtolorum Petri & Pauli ſuffragia nouiter dedicauimus, ab omnibus inimicorum inſidijs ſecuram permanere concede. Tertia autem precatio erat in frontiſpicio portæ, [illegible] ad ſcholam Saxonum, his verbis: Præſta quæſumus omnipotens & miſericors Deus, vt ad te toto corde clamantes, intercedente beato Petro apoſtolo, tuæ pietatis indulgentiam conſequamur, vt vrbs, quam ego famulus tuus Leo [illegible] epiſcopus Romanus te auxiliāte meo nomine Leonianā vocaui, nouo[illegible] opere dedicaui, vt ſecura atq; illeſa permaneat, apud clementiam tuam iugiter exoramus. Hanc autem vrbem primo pontificatus ſui anno inchoatam, demū [illegible]uit: eamq; Corſis, quos Sarraceni ex inſula depulerant, incolendam dedit, aſsignatis viritim agris, vnde viuerent. Sed miror in portis ipſis alia nunc inſcriptionem legi verſibus hexametris ineptis quidē, quos certè Leonis nullo modo eſſe arbitror, licet ſub eius nomine ferantur. Ex manubijs verò Sarracenorū dona quædā, tum ex auro, tum ex argento baſilicis Romanis obtulit. Sunt qui ſcribant, eius mandato etiā baſilicam ſanctæ Mariæ in via noua ædificatā fuiſſe, & turrim in Vaticano apud ſanctum Petrum, quam adhuc cernimus. Fores præterea

*Oratio pontificis prima.*

*Leoniana vrbs.*

*Oratio pontificis ante portam primā.*

*Secunda.*

*Tertia.*

reà ſancti Petri ab Agarenis direptas, ex argento reſtituit. Synodum ſeptẽ & quadraginta epiſcoporum habuit, in qua ex decretis maiorum ſuorum Anaſtaſium presbyterum cardinalem ſancti Marcelli, multis criminibus conuictum damnat, & ab eccleſia reijcit, eò maximè, quòd parochiam ſuam per annos v. contra canonum inſtituta deſeruerit. Colonias prætereà ex Sardinia, Corſicaque, quæ pulſis Sarracenis iam reſpirare cœperant, Oſtiam cultoribus propter inſalubritatem aëris & frequentes direptiones vacuam, duxit. Lothario poſtremò egregiè ſatisfecit, qui delatione quorundam impulſus Romam venerat, quòd intellexerat Leonem transferendi imperium ad Conſtantinopolitanos conſilia inijſſe. De delatoribus in mendacio deprehenſis (vt par erat) ſupplicium ſumitur, atq; amicitia inter vtrunque integratur. Sunt qui ſcribant, Ioannem Scotum huius temporibus fuiſſe, virum in rebus diuinis doctiſsimum, qui in Franciam veniẽs regis Lodouici iuſſu hierarchiam beati Dionyſij è Græco in Latinum trãſtulit, nec ita multò pòſt (vt aiunt) à diſcipulis ſtylo confoſſus perijt. Tanti ſceleris cauſa nuſquam traditur. Ferunt item Alidulphum Angliæ regem, ob religionem, inſulam vectigalem eccleſiæ Romanæ feciſſe, ſingulis nummis argenteis in ſingulas domos quotannis collatis. Moritur autem Leo vir ſanctiſsimus, & optimè de eccleſia Dei, deque vrbe Roma ac nomine Chriſtiano meritus, conſilio, auctoritate, diligentia, doctrina, magnificentia præclarorum operum, anno pontificatus ſui octauo, menſe tertio, die ſexto, xvj. calendas Auguſti, ſepeliturque in baſilica Petri. Vacat tum ſedes menſibus duobus, diebus xv.

106. Pont. [redacted]

ANNOTAT.

*Hanc Ioannis feminæ fabulam, etiam antequam in hiſtoriarum penitioribus ſtudijs verſari cœpiſſem ſemper ſuſpectam habui & iure, neq; enim mihi veriſimile vnquam videri potuit, homines hac tempeſtate adeò ſtupidos, & ſtultos fuiſſe, vt in tantæ poteſtatis gradu ignotum hominem, & qui per longa tempora ipſis probatus non fuiſſet, imo feminam pro maſculo collocare potuerint. Quod ſi tanta fuiſſet huius ſeculi inertia, vt hoc facinus*



*cinus committere potuiſſent, non eſt exiſtimandum, Deum tuliſſe, vt ſedem Petri, quam ipſe conſtituerat, à qua eccleſia ſancta dirigitur, fœmina nullius ordinis capax polluiſſet. cæterum cùm multos & magni nominis viros hiſtoriam hanc ſuſcipere eam quoq; vulgo veram exiſtimari, animaduertiſſem, diu ipſe mecum hæſitaui, poſtremo in animum induxi, vt vnde huius rei origo manarit, eiusq; auctorem, ſi fieri poſſet, inuenirẽ, & ſubtili examinatione rem totam diſcuterẽ. Vetuſtiſsimis igitur tam bibliothecæ Vaticanæ, quàm aliarum libris diligenter perlectis, cæterisq; vetuſtis eccleſiaſticis monumentis accuratè perluſtratis, tandem in apertam, & manifeſtam totius fabulæ cognitionem deueni. Oſtendam igitur primum, rem hanc nulla ratione vnquam fieri potuiſſe, ſed fabuloſam eſſe, deinde vnde originem habuerit, & qui de ea primùm ſcripſerint, reperiam. Multis autem argumentis non grauabor rem omnem, quæ Romanæ Eccleſiæ tantam ignominiam, & dedecus attulit, diſſoluere, & meras nugas eſſe, demonſtrare. Primum autem incipiam de tempore diſputare, in quod huius Pontificatum, qui de ea ſcripſerunt, conijciunt. Omnes igitur, qui de ea meminerunt auctores, Ioannis fœminæ pontificatum annorum duorum, menſium V. & dierum trium, inſuper menſtruæ vacationis ſedis inter Leonis IIII. & Benedicti III. ſacerdotium præter vnum tantum mendoſum indicem in fine ſeptimi libri Othonis Friſingenſis collocatum interponunt. Quo tempore Anaſtaſius S. R. E. bibliothecarius, qui vitas Romanorum pontificum, vſq; ad Benedicti III. ſucceſſorem Nicolaum ſcripſit, viuebat, & creationibus Sergij II. Leonis IIII. Benedicti III. Nicolai I. Hadriani II. & Ioannis VIII. vt ipſemet refert, interfuit. Is non ſolum nullam biennalis pontificatus Ioannis fœminæ mentionem facit, verum etiam Romanam ſedem, poſt Leonis IIII. obitum, dies tantum quindecim vacaſſe ſcribit, ſubijcitq; Leoni mortuo non Ioannem aliquem, ſed Benedictum ipſum III. ſtatim ſuffectum. Cuius verba hæc ſunt: Sanctiſsimus Leo Papa IIII. odormiuit in Domino XVI. Kalend. Auguſti, ſepultus ad ſanctum Petrum, & ceſſauit epiſcopatus dies quindecim. Quo mortuo mox omnis Clerus Romanæ ſedis, vniuerſi proceres, cunctusq; populus, ac ſenatus congregati ſunt, Domini clementiam exorantes, vt beatificum illis in omnibus demonſtrare dignaretur paſtorem, qui Apoſtolatus culmen regere valuiſſet tranquillè. Qui diuinitus, æthereoq; lumine inflammati, vno conſenſu, vno conamine Benedictum pro tantis, quibus pollebat ſacris operibus, Pontificem promulgauerunt erigere. Miro vero vniuerſa & alacri ſtudio plebs & populi cœtus ad Calliſti titulum properantes, eum cum hymnis & canticis ſpiritualibus, ad Patriarchium Lateranenſe perduxerunt, & vt moris eſt, in pontificali ſolio collocarunt. Hæc ille. Nullam igitur de hac fœmina mentionem facit Anaſtaſius. Ex quo etiam illud apertè intelligitur, Ioannem ipſam, veritate illius hiſtoriæ ſtante, nulla ratione hoc tempore eſſe potuiſſe. Sed faciamus Anaſtaſium ipſum eam ipſo loco collocaſſe, hoc quoque fieri non poteſt, cùm temporum, & annorum ratio, quibus Romani Pontifices huius temporis ſederunt, apertè repugnet, neque biennij ſpacium inter ſe ab Hadriano I. vſque ad Ioannem VIII. illorum Pontificatum anni, qui ex horũ temporum monumentis concinnati ſunt, capiant. Ab anno enim CHRISTI DCCLXXII. quo Hadrianus primus creatus eſt, vſque ad annum DCCCXXCII. in quo obijt Ioannes VIII. ne menſis quidem vnus nedum duo anni alieni pontificatus interijci poſſunt, ſtante maximè temporum, & annorum ſerie, quam ego accuratiſsimè ex Anaſtaſio ipſo anno, non vetuſtis inſcriptionibus, diplomatibus & inſtrumentis conſtitui. Deinde cum annus agatur DCCVI. ex quo hanc fœminam pontificem fuiſſe ſcribant (eius enim creationem in annũ CHRISTI circiter DCCCLV. conijciunt) qua nam ratione fieri potuit, vt non ſolum Anaſtaſius bibliothecarius, qui hoc tempore vixit, ſed nemo, qui vitas Romanorum pontificum, aut ex inſtituto, aut obiter ſcripſerunt, (plures autem fuère) vſque ad annum CHRISTI DCCCL. per annos continuos quadringentos, nullam omninò de ea mentionẽ fecerunt? Paulò pòſt Anaſtaſium hiſtoriã, in qua frequenter ſummorum Pontificum meminit, edidit Ademarus monachus ſancti Hermanni Lutetiæ Pariſiorum, quem Annonius eiuſdem monaſterij monachus ante quadringentos annos ſequutus eſt. Regino quoque Abbas Prumienſis ante ſexcentos annos, Hermannus Contractus, & Lambertus Schafna burgenſis, ambo monachi ante quingentos, Otho Friſingẽſis ante quadringentos, Chunradus de Lichtenauu abbas Vſpergenſis ante trecentos, chronica vel hiſtorias ſuas ſcripſerunt, & nemo hunc Ioannem profitetur, diligentiæ alioqui in Romanorum pontificum ſucceſsione enumeranda, Sed nec Leo Oſtienſis epiſcopus, Ioannes Cremonenſis presbyter, aut alius quiſpiam aliquid de ea tradiderunt, extant in bibliotheca Palatina ſex vel ſeptem Romanorum Pontificum breues enumerationes, ſiue indices, quorum vnus verſibus exaratus eſt, quem paulò pòſt ſubijciam, ante Innocentiũ IIII. varijs in libris ſcripti, nullus in his eſt Ioannes papa fœmina. Iuſuper in vetuſtis quinque Damaſi Bibliothecarij, & Pandulphi Piſani vitarum libris nulla huius fœminæ memoria eſt, ſed in margine inter Leonẽ IIII. & Benedictum III. alienis characteribus ab exemplaribus vetuſtis longè differentibus, huius rei fabula à poſteriore auctore eſt addita. Deinde qua nam ratione Leo nonus, qui ducentis plus minus annis pòſt vixit, ſcribens ad Conſtantinopolitanũ patriarcham Michaëlem Cerularium, & Leonem Acridanum epiſcopum, in hæreſin, & ſchiſma lapſos, in quadam epiſtola reprehendere potuit eccleſiam Conſtantinopolitanam, quòd fœminam, & eunuchos in patriarchatu ſuo collocaſſet, (Nicetam, & Ignatium intelligit) ſi fœmina etiam Romæ ſummum ſacerdotium, quod longè peius eſt, tenuiſſet? Scribit enim in epiſtola illa magna, ſiue libello aduerſus Græcorum hæreſes capite 23. Abſit autem vt velimus credere, quod publica fama non dubitat aſſerere, Conſtantinopolitanæ eccleſiæ contigiſſe, vt eunuchos contra primum S. concilij Niceni capitulum paſsim promouendo, fœmina & in ſede pontificum ſuorum ſublimaſſet aliquando, hoc tam abominabile ſcelus, & deteſtabile facinus, & ſi enormitas ipſius, vel horror, fraternaq; beneuolentia non permittit nos credere: conſiderata tamen incuria veſtra erga ſanctorum cenſuram canonũ, quid eunuchos & aliqua parte corporis imminutos non ſolum ad clericatum, ſed & ad pontificatum indifferenter ac ſolenniter adhuc promouetis, fieri potuiſſe penſamus. Sed & ſi faceremus multos eam*

ſcriptores cōmemoraſſe, id tamen fieri nō potuiſſe, ex fabulæ ipſius contextu etiam oſtendā. Nemo Romæ legitimus vnquā pontifex creatus fuit per annos plus minus nongentos, à S. Petro apoſtolo vſq; ad Formoſum papam, qui ab ineunte ætate Romana in Eccleſia educatus nō eſſet, & per omnium ordinū eccleſiaſticorū gradus ad diaconatum ad minus, vel ſacerdotiū ſaltem non aſcendiſſet. Quod facilè pontificū ſeriem cōſideranti, inuiolabiliter obſeruatum fuiſſe manifeſtum erit: & modò fœmina ignota, incertæ originis, & patriæ, ſine vllo ordine, & teſtimonio anteactæ vitæ, ita incōſulto pontifex fieri potuit? Qua demum ratione eius fabulam cōcinnarunt? Ioannes (inquit auctor fabulæ, ex quo Platina, & alij acceperunt) Anglicus natione Maguntinus, ſedit annos ij. menſem vnum, & dies iiij. aliàs menſes v. & dies iij. & ceſſauit epiſcopatus menſem vnū. Vide inſcitiā ſcribendi: Anglicus natione Maguntinus. An Maguntia fortè eſt in Anglia, & nō in Germania? Sed Platina diligentior præter auctoris ſententiā, eam quidē natione Anglicam refert, verùm Maguntiaco oriundā. Subijcit. Hic (vt aſſeritur) fœmina fuit, & in puellari ætate à quodam ſuo amaſio in habitu virili Athenas deducta, ſic in diuerſis ſcientijs profecit, vt nullus ſibi par inueniretur. Athenas profectā fabula narrat. Et cur? vt (inquit) literis operā daret? Rectè: cum neq; Athenæ eo tempore, neq; in ijs amplius vllum gymnaſiū eſſet, ſed omnia tunc in Attica, vt ex horum tēporum ſcriptoribus intelligitur, fœda barbarie oppreſſa tenerentur. Adiungit: Adeò vt poſtquā Romæ fuit per biennium legens, magnos magiſtros diſcipulos, & auditores haberet, & cùm in vrbe vita, & ſcientia magnæ opinionis eſſet, in papam cōcorditer eligitur. Duo hic ſuffarcinat mendacia, primum, eā tum bonas literas publicè in vrbe profeſſam eſſe, quod omninò falſum eſt, cum huius tēporis hominibus nihil minus curæ eſſet, quàm vt in vrbe quiſpiam publicè doceret: quod ex hiſtoriarū contextu facilè liquet: alterū biennij ſpacio pontificatum adeptū eſſe, cùm vt dixi, nō niſi presbyteris, vel diaconis cardinalibus in Romana eccleſia ab incunabulis enutritis pontificatus demandari perpetua cōſuetudo tunc fuerit. Sequitur. Sed in papatu per ſuum familiarem impregnatur. Verùm tēpus partus ignorans, cùm de ſancto Petro in Lateranū tenderet anguſtiata inter colloſſeum, & eccleſiā ſancti Clementis peperit, & mortua, ibidem (vt dicitur) ſepulta. Hic animaduerſione dignū, quòd huius fabulæ auctor, qui rem hāc ita imperitè tradidit, eam difficilem creditu etiā ipſe exiſtimauit, & ideo initio hic (vt aſſeritur) inquit, fœmina fuit. Nunc (vt dicitur) ſepulta eſt, ſcribit. Rem non affirmat, ſed per, vt aiunt, & tradunt, eā refert. Cæterum hæc mulier non niſi in papatu impregnatur? & quæ diu ante pontificatū, amatorē habuerat ſine partu aliquo, nunc ſenex (vt veriſimile eſt) papa ingrauidata peperit? Nónne ante partum vterum intumeſcentem præ ſe ferebat? & nemo ex tot familiaribus, ex tot aulicis, qui Romanū pontificem comitari ſemper ſolent, rem tam clarā non animaduertit? Non, Quia cum duobus, vel tribus tantum familiaribus clauſa in palatio permanebat, immò è contra, nam ſi pauco ante partum tēpore, in quo magis veriſimile eſt eam quieſcere debuiſſe, à ſancto Petro Lateranum profecta eſt, multo magis antea quoq; grauida, ſui cōſpiciendi, & alloquendi omnibus copiā faciebat. Fieri non poteſt, vt ſint, qui exiſtiment oēs huius ſeculi homines adeò ſtupidos, & ineptos tunc deueniſſe, vt nemo fuerit, qui à maſculo fœminam, ore, voce, actiſq; nō internouerit, & fœminam quidē nouem menſibus grauidā, tot moleſtijs, quæ partus præmittere ſolet circumuentā? nónne habebat ſeruos, familiares, medicos, aulicos? & nemo tam longè duorū annorum interuallo rem cognouit. Res certè Martino Ciſtertienſi monacho auctore digna eſt: qui vitas Romanorū Pontificum ſcribens, primus quod ſciam, ante trecentos annos rem euulgauit. Sed antequam de hoc viro loquar, fabulam expediamus. Et quia Dominus Papa eandem viam ſemper obliquat, creditur à pluribus, quod ob deteſtationē facti hoc faciat. Nec ponitur in catalogo ſummorū Pontificum, propter mulieris ſexum. Hæc ille. Porro aūt quod Papa Lateranū illac non pergat, ea non eſt cauſa, ſed quia per medium amphytheatrum, cui via illa correſpondet, ob loci anguſtiam magna hominum, & equorū manu comitatus trāſire nequit, ſiniſtra ad colloſſeum deflectit, deinde rectà progreditur verſus SS. Petrum, & Marcellinū, ne tot giris obequitans, comitatus ordinē confundat, reuertenda denuò circum amphitheatrum ad viam, quæ ſub SS. IIII. coronatis Lateranū ducit. Eadem ratio eſt cùm reuertitur. Quam tamen rem à multis pontificibus omninò neglectam ſcio. De ſacello verò quod nunc eo loco extat, in quo eam ſepultam tradūt, item ſedibus porphyreticis Lateranenſibus, ex quibus Papa an eſſet maſculus cognoſcebatur, aliquid dicere ſuperfluum eſſet & inane exiſtimo, cùm omnia fabuloſa ſint & ab imperito vulgo ficta. Primus aūt (vt dixi) qui huius fœminæ fabulam tradiderit, fuit Martinus quidam (vt ferunt Polonus) monachus Ciſtertienſis, & Papæ Innocentij IIII pœnitentiarius, qui vitas Romanorum Pontificum vſq; ad ſua tempora, item librum, cui mirabilia Romæ nomen eſt, conſcripſit, ab alio poſtea grauioribus mendacijs auctum: & nō eſt hic, vt quidam perperam intellexerunt, celeberrimus ille vir Martinus Cromerus Polonus, qui hiſtoriam Polonicā accuratiſſimè, & peritiſſimè edidit, ſuiq; regis diu apud Imperatorē Ferdinandū optimum, & integerrimū oratorem egit. Homo moribus, doctrina, rerum gerendarū experiētia, & omni virtutum genere cumulatiſſimus. ſed ad Martinum illum redeamus, fabulæ huius (vt opinor) auctorē: Eam enim in nullo, qui ante ipſum ſcripſerit, inueni, præterquam in vno Sigiberti chronico: in quo inter Leonem, & Benedictum ita ſcriptū eſt: Ioannes Papa Anglicus. Fama eſt hunc Ioannem fœminam fuiſſe, & vni ſoli familiari tantum cognitam, qui eam cōplexus eſt, & grauis facta peperit Papa exiſtens, quare eam quidem inter pontifices non numerant, ideo nomini numerum non facit, ita ibi. Cæterum hanc rem ex inſectionibus Galfridi monachi, qui poſt Martinum vixit, aut Roberti, qui Sigibertum ſuppleuit, eſſe, teſtimonio eſt, quod in antiquis, veris, & germanis Sigiberti exemplaribus non extat. Porro aūt vt quis hic Martinus, qui hanc rem primus ſcripſit, fuerit, quantaq; illi fides adhibenda ſit, intelligamus, ſcitu dignū, hunc auctorē eum eſſe, ex quo mirabilium vrbis Romæ liber manauit, qui ſcripſit. Primus ſucceſſor Romuli Pompilius pater Numæ, ſecūdi Romanorū Regis ponitur, eodē libro Virgilius. Numa Pompilius Romæ tribunus plebis. Qui portas Oſtienſem, Capenam & prope arcem ſancti Angeli colinam vocat. Qui Pantheum



Phanteum Agrippæ, Cybeles ædem dicit. Qui amphitheatrum templum ſolis fuiſſe tradit. Statuā M. Aurelij æneam equeſtrem Ruſticum Tiburtinum cum bubone, equos Quirinalis à philoſophis factos, templū pacis noctē Natalis Chriſti corruiſſe, & multa alia eiuſmodi primus ſcripſit. Ab hoc igitur haud multum occupato, ſed potius ſimplici ſcriptore Ioānis fœminæ fabulam, omnes quotquot poſt eum ſcripſerunt, hauſere. Sed Platina rem totam ſtilo paululum elaboratiore, quibuſdam de ſuo additis, tradit. Cui quantum credendum ſit, iam multis argumentis oſtendi. Sed quoniam omnia inſignia mendacia ab aliqua veritate origenem habent, hanc fabulam ex Ioannis Papæ XII. viri impuri vita manaſſe crediderim. Is Ioannes per vim, patris Alberici Romani principis potentia adhuc pene adoleſcens papa factus, aliquot concubinas, vt Luithprandus Ticinenſis illorum temporum ſcriptor li. 6. ca. 6. & 7. tradit, habuit: in his præcipuè erant Ioāna, Raineria, & Stephania. Ex Ioanne igitur Papa, & eius itē ſcorto Ioāna, ad cuius fortè arbitriū tāquā Papæ omnia Romæ pēdebāt, Ioānis fœminæ Papæ fabula manauit, quæ proceſſu tēporis aucta, in hiſtoriæ auctoritatē imperiti alicuius ſcriptoris opera, paulatim inrepſit.

## BENEDICTVS III.

Benedictus tertius, patria Romanus, patre Petro, meritò Benedictus 107. Pont.
appellatus eſt ob ſanctitatem vitæ & rerum diuinarum gratiam. Sub Gregorio enim militans, cum ab eo ſubdiaconatus gradum accepiſſet, ita deinceps vixit, vt mortuo Leone vnus Benedictus tanti pontificis dignus ſucceſſor haberetur. Ad hunc itaq; concurrentes omnes tanquam ad vnicū & benigniſsimū ſidus, à Deo in terras miſſum eum pōtificem decernūt. Qui flens, & Deum ac ſanctos teſtes faciēs, ſe nequaquam dignum eſſe, qui tantæ ſedi pręficeretur, dicebat. Acclamātibus itaq; omnibus, & electionem approbātibus, inuitus tandem pontificium munus ſuſcipiens, in atrium Lateranenſe perducitur, & in ſede Petri collocatur. Inde verò in equo albo ſedens, ad eccleſiam ſanctæ Mariæ ad Præſepe ductus, ieiunijs triduo & orationibus vacauit, Deum rogans, vt ſibi liceret ſanctè & integrè eccleſiam ſuam gubernare. Eò autē poſt diem tertiū iterum venêre omnes, & eius pedes de more oſculati ſunt. Hi potiſsimùm, qui Rhodoaldi Portuenſis epiſcopi factionem ſecuti, aliū neſcio quē: vel (vt quidam volūt) Anaſtaſium à Leone pontificatu deiectum, hominē ignotum pridie eius diei Benedicto præferre conati fuerant: ſed cognito errore (vt dixi) veniam petentes, in ſententiam bonorum tandem venêre, & hominem ſanctiſsimū de more adorarunt. Idem fecêre & Ludouici imperatoris legati, ad cōfirmandam cleri ac populi electionem Romam miſſi. Sequenti verò die comitāte populo ad baſilicam Petri deductus videntibus omnibus, vt mos eſt, & antiqua traditio dictat, conſecratus inſignia pōtificis ſuſcepit, acclamātibus omnibus & plaudentibus. Tātæ enim māſuetudinis fuit, tantæ dignitatis corpore & animo, vt tā in magiſtratu cōſtitutus, quàm in vita priuata charus omnibus & gratus videretur. Hic quidem ad cultum diuinū cōuerſus, multas eccleſias vetuſtate collabentes reſtituit, & dona pleraq; in earundem ſacraria repoſuit. Inſtituit præterea, vt funeribus epiſcopi, presbyteri, aut diaconi, pontifex vnà cum clero intereſſet honorandi corporis defuncti, & cōmendandæ animæ gratia, mandauitq;, vt viciſsim clerus mortui pontificis funus celebraret. Ipſe verò quod inſtituit, dum in vita eſſet, non verbis tantum, ſed re ipſa comprobauit. Sacerdotum enim funeribus ſemper interfuit. Aegrotos præterea inuiſit, pauperes aluit, deſperatos & calamitoſos conſolatus eſt, viduas & pupillos acerrimè tutabatur. His artibus vitā ſanctiſsimam traducens ſuo magis, quàm populi Romani tempore, moritur pontificatus ſui anno ſecundo, menſe vj. die ix. Sepultus eſt autem ante fores baſilicæ beati Petri apoſtoli. Interim verò dies xv. epiſcopatus vacat.

## NICOLAVS I.

Nicolaus primus, patria Romanus, patre Theodoſio benè ac ſanctè à tene- 108. Pont.
res annis educatus, primò quidem ſubdiaconus à Sergio, mox verò diaconus à Leone creatur. In quo ordine adhuc conſtitutus, nullum genus pietatis omittens, Benedicti corpus ſuis manibus tumulo collocauit non ſine multis lachrymis. At verò cùm peracto de more funere, creare alterum pontificem neceſſe eſſet, cumque ieiunijs, vigilijs, orationibus inſtarent homines, vt talem à Deo conſequerentur pontificem, qualem amiſerant, in baſilica ſancti Dionyſij confeſſoris atq; pontificis (eò nāque eius rei cauſa conuenerant) poſt longam cō-

ſultationem Nicolaum abſentem pontificem creant: & fugientem in Vati-
canum, latitãtemq́; vitandi honoris cauſa, conquiſitum in atrium Lateranenſe
perduxerunt, & nolentem etiam in ſolio apoſtolico collocarunt. Deinde vero
in baſilica Petri conſecratus, ſumptaq́; de more pontificia corona, multa cũ Lu-
douico Cæſare, qui tum aderat, collocutus eſt, tum ad pontificatum, tum ad im-
perium pertinentia. Cum verò Ludouicus ipſe ab vrbe diſceſſiſset, conſediſſet-
q́ue in loco, quem Romani Quintum appellabant, eò profectum Nicolaum fe-
runt cum proceribus vrbis Romæ, itaque honorificè ſuſceptum, vt imperator
ad mille paſſus pontifici obuiam factus, ex equo deſcendens, eum freno manibus
attrectato in caſtra perduxerit. Erat enim tantę venerationis & maieſtatis, & tan-
tæ eloquentiæ & doctrinæ, vt ab omnibus tanquam numen coleretur. Habito au
tem ſimul longo & ſecreto colloquio poſt epulas, oſculoq́ue inuicem dato & ac
cepto, ad vrbem pontifex redijt: quam quidem excreſcentia Tiberis ita vexatam
inuenit, vt nõ niſi lintribus de vico ad vicum tranſire liceret. Nam & eccleſiam
ſancti Laurentij in Lucina, & monaſterium beati Silueſtri, & totam illam pla-
nitiem, quæ à via Lata ad radices Tarpeiæ rupis, & viam Argentariam, ad Auen-
tinum ducit, ita occupauerat, vt inſtare diluuium vulgò putatum ſit. Hac inun-
datione & multæ domus euerſæ ſunt, & plures arbores euulſæ, & ſata paſsim diſ-
iecta. Neque hoc ſemel eo anno, ſed iterum Decembri menſe Romæ accidit. E-
mendare hæc damna, vel potius delenire pontifex enixus, nullum genus officij
& pietatis in ciues ſuos omiſit. Interim verò Michaël Theophili filius, Conſtan-
tinopolitanæ vrbis imperator, legatos cum muneribus Romam miſit, qui & li-
mina Apoſtolorum, & pontificem inuiſerent. Hæc autem munera fuêre, patena
aurea, & calix aureus iuſti ponderis cum gemmis magnæ æſtimationis. Hic eſt il-
le Michael, quem poſtea Baſilius cõſors imperij factus, dolo necauit, vt ſolus im-
perio potiretur. Habiti ſunt aũt à pontifice perbenignè legati, & domũ viciſsim
cum muneribus miſſi. Nicolaus verò pontificiæ dignitati admodum cõſulẽs, Io
annem archiepiſcopum Rauẽnatem, ad ſedem apoſtolicam propter obiecta cri-
mina venire recuſantem, dignitate priuauit. Is aũt Papiam ad Ludouicum cõfu-
giens, ab imperatore litteras cõmendatitias ad pontificem obtinuit, & legatos,
qui à põtifice impetrarẽt, vt Ioãni archiepiſcopo Romã ad cauſam dicẽdam tutò
proficiſci liceret: quod haud grauatè pontifex conceſsit. Ioannes autẽ facta dicen
di copia in magno præſulum conuentu in domo Leonina, nil aliud faſſus eſt,
quàm ſe maieſtatis reum eſſe, ob eam rem & à pontifice, & ab his, qui eo in conuẽ
tu aderant, ſe veniam petere. Motus hac confeſsione põtifex, & precibus eorum,
qui tũ aderant, his conditionibus Ioannem in gratiam recipit, vt & ſe in cõcilio
de hęreſi purgaret, vtq́ue quotannis Romã ſe profecturũ polliceretur, quoad fie-
ri poſſet: & ne electos etiam canonicè in Flaminia epiſcopos, cõſecrandi faculta-
tem haberet, niſi id ſibi à ſede apoſtolica litteris concederetur: néve eoſdẽ epiſco-
pos Romã proficiſci quotieſcunq́; vellẽt, prohiberet, vtq́; ei nullã exactionẽ, quã
ſacri canones non recipiunt, nullum morem, nullam cõſuetudinẽ introducere
liceret. Poſtremò verò ei ſub anathematis pœna mãdatũ eſt, ne de bonis eccleſiæ
quicquam immutaret aut decerneret incõſulta ſede apoſtolica: néue etiã profa-
na ei recipere liceret, niſi id placere ſummo põtifici intellexiſſet. Has autẽ ſanctiſ
ſimas iuſſiones tota ſynodus ita approbauit, vt ab omnibus ter acclamatũ ſit, Re-
ctum iudicium ſummi præſulis, Iuſta definitio paſtoris vniuerſalis eccleſię, Salu
bris inſtitutio Chriſti diſcipulis omnibus placet. Omnes aũt eadẽ dicimus, eadẽ
ſapimus, eadem iudicamus. Tum verò Ioannes videntibus omnibus, eadẽ ſe con
ſeruaturũ iureiurando & ſcripto confirmauit. Atq́; ita ſoluta ſynodo, Ioãnes Ra
uennam ad ſuos redijt, liberatus autem hac moleſtia pontifex, eccleſiã Dei geni-
tricis (quæ prius antiqua, nũc vulgò noua appellatur) reſtituit, egregijsq́; picturis
exornauit. Regem Bulgarorum cũ omni prouincia ad fidem Chriſti litteris & ſa-
nis admonitionibus cõuertit, eiſdemq́; Bulgaris epiſcopos & presbyteros dedit,
qui neophytos in fide cõfirmarent, pulſo Photino, cuius fraude in errorẽ Bulga-
ri dilapſi fuerant. Pacem præterea inter Ludouicum imperatorem & Andaliſiũ
Beneuentanum ducem compoſuit, Sarracenos Beneuentũ vſq; aliquãdo perua-

*Tiberis excreſcentia tã magna, vt diluuiũ inſtare Romani putauerant.*





gatos repulit. Poſtremò verò approbãte Ludouico imperatore inſtituit, ne prin-
ceps vllus ſecularis aut imperator concilijs clericorum intereſſe auderet, niſi de
fide ageretur, licere tum ac par eſſe cenſuit. Sunt qui ſcribant, beatũ Cyrillum ex
Cherſona Ponti, ſancti Clementis corpus Romã tũ detuliſſe: idq́; in eccleſia his
temporibus ſancti Clementis appellata, recõditum fuiſſe, nec ita multò pòſt Cy
rillũ mortuũ eo loci ſepultũ iacere. Nicolaus autẽ in omni genere virtutis vnici
viri exẽplar, ſeptimo põtificatꝰ ſui anno, mẽſe nono, die decimotertio moritur,
& ante fores baſilicæ beati Petri ex teſtamento ſepelitur. Sunt qui ſcribant, poſt
mortem eius, annis octo, menſibus ſeptem, diebus nouem ſedem vacaſſe.

### *ANNOTAT.*

*Ad hunc vſq; Nicolaum Romanorum pontificum vitas, quæ adhuc apud me ſunt, ſcripſit Anaſtaſius monachus, & S.R.E. bibliothecarius, ſub quo, & eius ſucceſſoribus, Hadriano II. & Ioanne VIII. in vrbe floruit. Quæ ſequuntur, concinnauit Guillelmus quidam alter bibliothecarius, quæ in libro, qui ſub Damaſi nomine circunfertur, extant. Porrò autem cùm ſequentes pontifices, vſq; ad Clementem II. neq; perpetuum quendã habeãt ſcriptorem, & maiorẽ ſuorum actorum partẽ amiſerint, tempora adeo incerta, & obſcura habent, vt neq; quo loco, neq; quo ordine aliquot Romanorum pontificum nomina reponerentur, ſatis liqueat. Quidam verò etiam noui inrepſerunt pontifices, vt poſt Marinum Agapitus, & poſt Hadrianum III. Baſilius, quos Sigibertus in chronicis prodidit. Quibus ſtante maximè hiſtoriæ veritate, & temporum ratione, locus in hac ſerie eſſe non poteſt. Hi enim vel ijdem, nominibus mutatis, cum aliquot alijs pontificibus, vel ſchiſmatici fuerunt, vel omnino nunquam extiterunt. Vnumquodq; autem horum aſſerere dubium eſt, & incertum, cæterùm ſi quæ alia animaduerſione digna occurrent, ea non omittam.*

## HADRIANVS II.

HAdrianus ſecundus, patria Romanus, patre Valaro epiſcopo, Sergio pon *109. Pont.*
tifici familiaris fuit, à quo cùm aliquando denarios quadraginta dono
accepiſſet, domum rediens diſpenſatori mandauit, vt eos peregrinis &
pauperibus, qui in veſtibulo domus ſuæ ſtabant, erogaret. Facere ille mãdata co-
natus, cùm videret ne minimę quidem parti tantula re ſatisfieri poſſe, ad Hadria-
num rediẽs, rem ipſam exponit. Tum Hadrianus accepta pecunia ad pauperes ve
niẽs, & ternos denarios ſingulis pręſtitit, & totidem ſibi, rei familiari ſatisfactu-
rus reſeruauit, admirãte diſpenſatore miraculo rei. Cui Hadrianus, vides, inquit
quàm benignus & largus ſit dominus, his præſertim, qui liberales & munifici in
pauperes ſunt? Hac & alijs virtutibus tanto in pretio apud omnes fuit, vt cùm de
pontifice creãdo ſermo haberetur, certatim omnes vnicum Hadrianum delige-
rent, quem etiam ab eccleſia ſanctæ Dei genitricis ad pręſepe, ad Lateranẽſem ba
ſilicam nolentem detulêre, ac ſtatim pontificem crearunt. Nõ eſt habita in tãto
tumultu cuiuſpiam ratio. Hanc ob rẽ Ludouici legati, qui eius rei cauſa aderãt,
indignati, quòd nuſquam (vt par erat) dum hæc agerẽtur intereſſe potuiſſent, &
auctoritatem imperatoris in creando pontifice interponere. Legatis autẽ hac ra
tione ſatisfactum eſt, quòd dicerent multitudinis volũtatẽ in tãto tumultu mo-
derari non potuiſſe, eos tamen rectè facturos, ſi virum optimum, quẽ & clerus &
populus elegerat, de more põtificem ſalutarent. Fecêre id legati, quãquam aper-
tè cernerent, clerum & populum eligendi pontificis totam auctoritatẽ ſibi vẽdi-
care, ne deinceps principis cuiuſpiam nutus expectaretur: fortè etiã vt libertas ec
cleſiaſtica tũ inoleſceret. Superuenêre à Ludouico imperatore litterę, quibus Ro
manos admodum laudat, quòd ſummum põtificem ſanctè & integrè creaſſent,
nõ expectato aliorum voto, qui fortè ea in re ob ignorationem perſonarum mi-
nus iudicij habuiſsẽt. Quî enim fieri poſſe dicebat, vt peregrinus & hoſpes digno
ſcere poſſit, in aliena rep. quis potiſſimùm cæteris pręferẽdus ſit? Id maximè ad ci-
ues pertinere, & ad eos præſertim, qui cum inquilinis familiariter vixêre. Hadria
nus autem pontificatum adeptus, omnia, quæ ad honorẽ ſummi Dei pertinerẽt,
diligẽter circunſpiciebat, verbis, exemplo, auctoritate, tum ſua, tũ maiorum, v-
numquẽq; ad benè beateque viuẽdum cohortatus: Circumuẽtos etiam aliorum
iudicijs & potẽtia, acerrimè tutatus eſt. Haberi enim ſynodum Conſtantinopoli
paſſus eſt, qua & pulſus eſt Photius vir ſeditioſus, & reſtitutus Ignatius iam anteà
iniuria pulſus. Habita etiam in eadem ſynodo longa contentio eſt, Bulgari (quo

rum legati tũ aderant) ſedi ne Romanæ, an Conſtantinopolitanæ ſubiecti eſſent. Tandẽ verò Baſilio contradicẽte, Romanæ ſedi adiudicantur. Quare Hadrianus à Bulgaris rogatus, vt virum vita & doctrina in prouinciã mitteret, cuius auctoritate & exemplo in fide Chriſti retinerentur: tres ſanctiſsimos viros eò cũ ſumma poteſtate miſit, qui eccleſias illas ex ſententia ad meliorem cultum redigerẽt. Hi autẽ fuêre, Siluester ſubdiaconus, Leopardus Anconitanus, Dominicus Taruiſinus, qui rem omnem ex ſententia pontificis breui compoſuêre. Quãquam Bulgari nõ ita multò pòſt donis & pollicitationibus à Cõſtãtinopolitanis corrupti, pulſis Latinis ſacerdotibus, Græcos receperint: quę quidem ſeditio multorũ malorum incẽdia inter Græcos & Latinos ſuſcitauit. Hadrianus verò ſeſe omnibus eccleſiæ hoſtibus, quoad fieri poterat, obijciens, cùm mortuo Ludouico Carolũ filiũ inuncturus eſſet, moritur pontificatus ſui anno quinto, mẽſe ix. die xij. Eius

*Tribus diebus ſanguine pluit.* autem ante mortẽ & tribus diebus ſanguine apud Brixiam pluit, & locuſti Gallias mirum in modum vaſtarunt, tam calamitoſæ mortis indicia permaxima.

*A N N O T A T.*

*Synodus, cuius leuiter Platina meminit, à Latinis octaua vniuerſalis Conſtantinopolitana iiij. appellatur, CCCXXCIII. epiſcoporum. cui Donatus Oſtienſis, Stephanus Nepeſinus epiſcopi, & Marinus S. R. E. diaconus poſtea papa apoſtolicæ ſedis legati præfuerunt. Quam ex Græco in Latinum Anaſtaſius bibliothecarius, qui ei interfuit, conuertit. In qua Photio patriarcha eius ſedis inuaſore pulſo, Ignatius ex papæ Hadriani auctoritate eſt reſtitutus, ſed de hac re latius aliàs. Huius ſynodi tam Græca, quàm Latina exemplaria extare dicuntur. Latina autem apud me ſunt. Eius etiam meminit Annonius libro quinto, cap. vigeſimo ſeptimo de rebus geſtis Francorum.*

## IOANNES IX.

*110. Pont.* IOannes nonus, patria Romanus, patre Gũdo, *initio pontificatus* ſui Carolum, qui tum Romam venerat, imperatorem decernit. Hãc ob

*Carolus imper.* rem indignati duo Caroli, Ludouici regis Germaniæ filij, cõtractis vndiq; copijs in Italiam deſcendũt, patruũ Carolũ imperio ſimul & vita priuaturi. Is autẽ Tridẽtinos ſaltus nepotibus clauſurus, cũ exercitu Veronã properans, apud Mãtuam valetudine correptus, venenata potione moritur, quã Sedechias Iudęus, quo medico vtebatur, curandę valetudinis cauſa (vt creditũ eſt) ei dederat. Ea re cognita, Ioannes pontifex omnibus viribus annitebatur, vt Ludouicus rex Franciæ Caroli filius, imperator decerneretur. Quò minus autẽ id faceret, obſtitêre Romani proceres, Carolũ tertiũ Germaniæ regẽ. qui cum fratre Carolomanno iam partẽ Italiæ occupauerat, imperatorẽ eſſe cupientes. In tãta verò ſeditione cum non deeſſent, qui etiam Ludouico fauerent, pontifex capitur, & in vincula conijcitur. Hanc ob rem non ita multò pòſt, adiuuantibus quibuſdam amicis, è vinculis prolapſus, ad Ludouicũ cognomẽto Balbum, in Franciam confugit: vbi per annum immoratus & regem inunxit, & controuerſias quaſdam inter eccleſiaſticos ortas ſuſtulit. Nam Gibertus Neumanenſis epiſcopus, Leonẽ abbatem poſſeſsione monaſterij ſui vi priuauerat. Erat enim monaſteriũ ſancti Petri, in quo beati Egidij corpus quieſcebat. Situs aũt loci Flauianus appellatus eſt à valle Flauiana, quam Flauius quondam rex beato Egidio donauerat: is poſteà eò loci in honorem Petri & Pauli monaſterium cõdiderat. Multis itaq; epiſcopis & iudicibus aſtantibus, pontifex cognita cauſa Leoni monaſteriũ adiudicat. Arelate hæc cõtentio extincta eſt, vnde Ioannes abiens, annuente Ludouico, apud Trecas ciuitatem cõcilium habuit: in quo & multa ad fidẽ pertinentia ſunt inſtituta, & Flãdris, qui tum primùm ex locis nemoroſis ad meliorem cultum venerant, epiſcopus datus eſt. Verùm cũ Italia à Sarracenis vaſtaretur, cùmq; iam montis Caſsini monaſterium cepiſſent ac diripuiſſent, Ioãnes Romam accitus, adiuuãtibus principibus Chriſtianis, Agarenorum magnã partem Italia ac Sicilia expulit. Carolum præterea, quò ei liberius in vrbe viuere liceret, imperij corona donauit, tertiuſq; Carolus appellatus eſt. Qui poſteà in Normannos mouens, Franciã & Lotharingiam vaſtantes, ita eos perdomuit, vt Rhothifredus eorum rex, pacem petere & fidem Chriſti ſuſcipere coactus ſit: quẽ imperator in gratiam recipiẽs, è baptiſmatis fonte leuauit, vt ſcribit Anaſtaſius, qui





tum in pretio erat, Romanæ eccleſiæ bibliothecarius, vir ſanè ita vtraque lingua doctus, vt è Græco in Latinum & ſeptimam vniuerſalem ſynodum, & Hierarchiam Dionyſij Areopagitæ, & vitas multorum ſanctorum, Caroli gratia in Latinum eleganter & doctè tranſtulerit. Sunt qui ſcribant, Carolum ipſum multa monaſteria condidiſſe, ac rem diuinam auxiſſe. Sed hæc eius præcipua laus, quòd multos ad ſcribendum impulit. Nam & Milo beati Amandi monachus, eiuſdem ſancti vitam accommodatè perſcripſit: & Ioannes Scotus quædam noſtræ religionis acutiſsimè diſputata, grauiſsimè compoſuit. Non caruit etiam hac laude ſcribendi Ioannes pontifex dum adhuc priuatus eſſet. Diaconus enim, primi Gregorij vitam quatuor libris egregiè conſcripſit. Cùm verò in pontificatu annis decem, diebus duobus vixiſſet, moritur, & in baſilica Petri ſepelitur.

A N N O T A T.

*Ioannes hic omnino VIII. non IX. eſt, vt à Platina deſcribitur, nam & ſi Ioannes femina papa, quam profitetur, fuiſſet, non tamen numeri notam habere debuiſſet, ſacri ordinis non capax. Adde quòd in omnibus huius pontificis hiſtorijs, bullis, & inſtrumentis, Ioannes VIII. ſemper appellatur. Ad quem Ioannes quidam diaconus cardinalis S. R. E. quatuor libris vitam S. Gregorij, ex eius potiſsimùm operibus excerptam, diligenterq; in vnum collectam, quæ etiam circumfertur, conſcripſit. Annonius in hiſtoria Francorum libro 5. à cap. 32. vſque ad 37. de hoc Ioanne in Galliam profecto, multa, & maximè memoratu digna literarum monumentis commẽdauit. Huic ſoli Romanorum pontificum accidit, vt breui temporis ſpatio tres imperatores coronaret, Carolum Caluum, Ludouicum iij Balbum, & Carolum iij. Craſſum. Annonius in locis ſuprà citatis, & Otho Friſingenſis libro hiſtoriarum 6. cap. 7. & 8.*

## MARTINVS II.

MArtinus ſecundus, natione Gallus, patre Palumbo, poſt Ioannem põti- *111. Pont.*

ficatũ inijt. Sunt qui hunc Marinum vocent, quos ego ſimilitudine ſcri- *aliàs Marinus.*

ptionis deceptos puto. Martinus itaq; appellatur: cuius vita ideo breuior eſt, quia breui tempore in pontificatu vixit, imperantibus apud Conſtantinopolim Leone & Alexandro Baſilij filijs, in occidente verò Carolo tertio, quem ab Ioanne octauo coronam accepiſſe ſcripſimus: quemq; Normannos Galliam infeſtantes, ita cõtinuis prælijs attriuiſſe, vt eos & fidem Chriſti, & leges victoris accipere cogeret. Sunt qui ſcribãt, Martini fraude, vt in Formoſo dicetur, Ioannem pontificem ita ſeditionibus agitatum fuiſſe, vt ei in vincula coniecto aufugere neceſſe fuerit. Martinus autem malis artibus pontificatum adeptus, breui moritur. Annum enim & menſes quinque tantummodo in põtificatu vixit, nil dignum memoria gerẽs, vel ob breuitatem temporis, vel quòd nil tum accidit, quo nomẽ eius fieret illuſtrius, vel quòd Dei nutu malis artibus principatus acquiſiti, veram gloriam, vnicum optimi principis cibum amittunt.

*A N N O T A T.*

*Pontifex hic, quem Martinum II. Platina vocat, in eius diplomatibus, inſtrumentis ſuo tempore confectis, & vetuſtis libris hiſtorijſq;, vt Leonis Oſtienſis, Guillelmi Bibliothecarij, Annonij, & ſimilium, Marinus vbiq; vocatur, non natione Gallus, ſed ex Galleſio Faleriorum in Etruria oppido ortus, quemadmodum, & eius affinis Romanus, qui & ipſe paulò pòſt papa fuit. Hoc ex antiquo Bibliothecario Guillelmo animaduertit Antonius Maſſa Galeſius in patriæ ſuæ deſcribenda vetuſtate diligentiſsimus. Vir probitate, doctrina, fide, & humanitate in vrbe clariſsimus, & de me optimè meritus. Idem de Martino III. dicendum eſt, qui vbiq; in ijſdem, quæ ſuprà citaui, monumentis Marinus II. ſiue iunior vocatur. Quare Martinus IIII. & V. ſecundus, & tertius vocandi eſſent.*

## HADRIANVS III.

HAdrianus tertius, patria Romanus, patre Benedicto, tanti animi fuit, vt *112. Pont.*

initio pontificatus ſui, ſtatim ad ſenatum populumq; retulerit, anno domini octingenteſimo nonageſimoquinto, ne in creãdo põtifice imperatoris auctoritas expectaretur, vtq; libera eſſent & cleri & populi ſuffragia: quod quidem inſtitutum à Nicolao primo tentatum potius, quàm inchoatum diximus. Illectum credo hac opportunitate Hadrianum, quòd Carolus imperator ab Italia cum exercitu diſcedens, in Normannos rebellantes mouerat.

Fuerat ei in animo, gentẽ inquietam omninò delere. At verò cùm id difficile videretur, nec fieri ſine magna ſuorum clade poſſet, partẽ illam Galliæ ad inco-

lendum his conceſsit, quæ vltra Sequanam flumen eſt, quæq; hodie à gente ipſa, Normandia vocatur. Pendere aũt quotannis vectigal regibus Franciæ ſunt iuſsi, ne vi, ſed benignitate imperatoris Caroli loca illa obtinuiſſe videretur. Intereà verò Guillelmus cognomẽto Pius Aquitaniæ dux & Aluerniæ comes, cùm ſtirpe virili careret, Cluniacenſe monaſteriũ in fundo paterno Burgundiæ pago Maſticenſi magnificentiſsimis operibus inchoauit, eidemq; loco Bernonem abbatem præfecit, deſignatis prouentibus, vnde monachi viuerent. Ante tempus verò Guillelmus moriens, monaſterium imperfectum reliquit, Elbo comite Pictauienſi hærede inſtituto, qui rem ipſam ex teſtamento curaret.

Hadrianus autem pontifex, de quo clerus populusq; Romanus magnã ſpem conceperat ob eius virtutem & magnitudinem animi, anno primo & menſe ſecundo pontificatus ſui moritur, ſepeliturq; in baſilica Petri, collachrymantibus omnibus & ingemiſcentibus, tãtum parentem iniquo tempore tam repente ſibi ablatum eſſe.

## STEPHANVS V.

113. Pont. STephanus quintus, patria Romanus, ex via Lata, patre Hadriano, pontificatum inijt eo tempore, quo Normanni adiunctis ſibi Dacis omnem ferme Galliam ruptis fœderibus vaſtarunt.

Timore verò tantæ incurſionis beati Martini corpus Turonis Antiſiodorum deportatum eſt, & in eccleſia ſancti Germani collocatum. Accidiſſe miraculum tum ferunt, orta inter monachos diſcordia, cui potiſsimùm ſancto nomen eccleſiæ aſſcriberetur. Hãc ob rem diſcutiendæ ambiguitatis cauſa, leproſus in medio vtriuſq; ſancti collocatus, ea parte ſanatur, quæ ad Martinum vergebat: conuerſus deinde in alteram partem virtute beati Martini integer omninò redditur. Hoc totum à Germano hoſpiti ſuo tributum creditur, ne de ſanctitate eius ob translationem quicquam diminutum videretur. Sunt qui ſcribant, huius pontificis tempore Carolum cognomento Craſſum, qui iam annis duodecim imperauerat, poteſtate deiectũ ab optimatibus ſuis fuiſſe ob ſegnitiem corporis & ingenij tarditatem: in locumq; eius Arnulphum nepotem ſuffectũ fuiſſe, qui ſeptimus à Carolo Magno imperator eſt habitus. Hac itaq; perturbatione rerum illecti Hunni gens Scythica (vt Vincentius & Martinus ſcriptores referunt) in Pannoniam inferiorẽ ad conſanguineos Vngaros deſcendentes, pulſis inde Gepidis & Auaribus, ipſam occupant: inde in Germaniam hoſtili agmine mouẽtes, ad Belgicam vſque Galliam peruenêre, ferro ac flamma omnia vaſtantes. Stephanus verò in tanta rerum perturbatione, ſanctitate Luithprandi Ticinenſis eccleſiæ diaconi, Valdridi Bauari, Bernardi Pictauienſis, mirificè recreabatur. Quorum vita ac moribus ita Chriſtiana fides inoleuit, vt & monaſteria multa & ſacella magnis ſumptibus in vtraque Gallia ſint condita.

Moritur autem Stephanus pontificatus ſui anno ſexto, die xj. Vacat tum ſedes diebus quinque.

### ANNOTAT.

*Stephanus hic VI. dicendus eſſet, non V. & ſic deinceps in cæteris huius nominis pontificibus numeri nota ſeruanda, quod ante Stephanum illum, quem ſecundum Platina vocat, fuerit papa Stephanus alius, qui triduo tãtum vixit, vt tradit Anaſtaſius bibliothecarius. Non enim plus, vel minus viuendi ratio aliquem verum facit eſſe pontificem, ſed vera & legitima comitia, quibus Stephanũ illum ſecundum renuntiatũ fuiſſe conſtat. Ideo & in Stephanis numerorum notæ mutandæ, & qui alijs eſt II. III. IIII. V. & ſic deinceps, deberet eſſe III. IIII. V. VI. & cæteri vſq; ad decimum.*

## FORMOSVS I.

114. Pont. FOrmoſus Portuenſis epiſcopus, poſt Stephanũ pontifex creatur, qui ſtatim inito magiſtratu eccleſiam Petri principis apoſtolorum leui pictura exornauit. Hic aliquando Ioannis pontificis ſeueritatem veritus, epiſcopatũ ſuum deſerens, in Gallias aufugit. Verùm cùm reuocatus redire abnueret, anathemate notatus, Romam veniens, omni eccleſiaſtica dignitate priuatus, profana indumenta ſimul cum moribus aſſumens. Sunt qui arbitrãtur, hoc ideo Formoſo accidiſſe, quòd eius coniurationis conſcius & auctor fuerit, qua Ioannes captus & in vincula coniectus eſt. Hac itaque contumelia motus Formoſus, ab vrbe diſcedens, iureiurando affirmauit, ſe nunquam poſtea vel Romam vel ad epiſcopatum rediturum. At verò Martinus pontifex Ioannis ſucceſſor, hominem poſtea iuramento ſolutum in patriam & priſtinam dignitatem reſtituit, vnde ad pontificatum non ita multò pòſt largitione potius, quàm virtute contradicentibus quibuſdam aſſumitur.



Arnulphus autem quem ſeptimum à Carolo imperatorem diximus, primo quidem ſtrenuè ſumptis armis, Normannos adhuc rebellantes, magnis cladibus perdomuit. Verùm poſtea nimio ſucceſſu elatus, ita contumax in omnes, tum vel maximè in eccleſiaſticos factus eſt, vt Dei nutu pediculari morbo breui cõſumptus ſit. Huius in locum poſtea ſuffectũ Ludouicum imperatorẽ legitur, quẽ tamen nuſquã habuiſſe imperij coronam accepimus. Hic aũt (vt Martinus ſcribit) cum Berengario duce Foroiuliano, à regibus Longobardorũ originem ducente, & auitum paternumq; regnum repetente, armis decernẽs, eum primo quidem ſuperat & vincit: Mox renouato prælio apud Veronam Ludouicus ſuperatus ingenti ſuorum clade capitur, & oculis priuatur.* Atq; ita imperiũ, quo annis ferè centum Franci potiti ſunt, demum in Longobardos transfertur, imperante apud Græcos Conſtantino Leonis filio. Verùm neſcio quo fato accidiſſe dicam, vt vnà cum induſtria imperatorum, ſimul etiam põtificum virtus & integritas defecerit: quæ quidem tempora infeliciſsima eſſe arbitror, cũ auctoritate Platonis tales ſoleant eſſe reliqui ciues, quales ſunt in republica principes.

*Is non eſt Ludouicus Arnulphi filius, ſed alius.*

Ad Formoſum redeo, cuius tempora ne omninò infeliciſsima haberentur, effecit Remigij Altiſiodorenſis virtus & doctrina. Hic enim multa commentatus eſt, & ſcripſit in Matthæum potiſsimùm & Pauli epiſtolas. Sunt qui ſcribant, huius interpretationis auctorem fuiſſe Remigium Remenſem, non autem hunc, de quo loquimur: vtcunque ſit, conſtat vtrunq; Remigium doctiſsimum fuiſſe. Formoſus autem pontificatus ſui anno quinto, menſe ſexto moritur. Vacat tum ſedes diebus duobus.

### ANNOTAT.

*Formoſus Papa, vt ego obſeruaui, primus omnium Romanorum Pontificum ex aliena diœceſeos epiſcopo, Romanus pontifex eſt factus, cùm ante ipſum non niſi ex presbytero, vel diacono cardinalibus factus fuiſſet Romæ papa. Idem refert vetuſtiſsimus & ſine auctoris nomine ſcriptus liber Bibliothecæ Vaticanæ. Multa de hoc ſcribit Luithprandus Ticinenſis libro primo, capite primo & octauo hiſtoriarum ſuarum, & Luithprando Abbas Vrſpergenſis. Quæ verò de eius cadauere ex ſepultura à ſucceſſoribus eruto dicuntur, proculdubio fabulæ magis quàm vero ſimilia ſunt, quod ex illorum, qui de ea re ſcripſerunt, diuerſitate, & repugnantia facilè liquet, & ego alibi demonſtraui.*

## BONIFACIVS VI.

BOnifacius ſextus, natione Tuſcus, in demortui Formoſi locum põtifex creatur. 115. Pont. Quantum autem in pontificatu vixerit, magna cõtrouerſia eſt. Plus enim alij, minus quidam tempori huic aſſcribunt. Sentio ego cum pluribus, qui affirmant, pontificem hunc diebus tantummodo ſex & xx. in pontificatu vixiſſe. Hoc vt credam, faciũt hiſtoriæ, in quibus nulla vel parua de hoc homine fit mentio. Quo enim modo fieri poſſet, vt huius tempora ſub ſilentio præterirentur, ſi annis duodecim (vt quidem referunt) in ſede Petri vixiſſet? Ponere itaque hunc hominem in catalogo ſummorum pontificum inſtitui, non propter res geſtas, quæ nullæ ſunt (Quid enim geri in tanta breuitate temporis potuit) ſed quia legitimè & rectè põtifex creatus eſt. Moritur enim (vt dixi) pontificatus ſui die ſexto & vigeſimo, ſepeliturq; in baſilica Petri.

## STEPHANVS VI.

STephanus ſextus, patria Romanus Anagninus epiſcopus, pontifex creatus, 116. Pont. tanto odio perſecutus eſt Formoſi nomẽ, vt ſtatim eius decreta abrogauerit, res geſtas reſciderit, licet quidam ſcribãt, ipſum Stephanum epiſcopatum Anagniæ à Formoſo conſecutum fuiſſe. Sed ego arbitror hoc odiũ ex ambitione ortũ fuiſſe, cùm iã eò deueniſſent eccleſiaſtici, vt nõ coacti, vt antea, ſed ſponte & largitionibus pontificiũ munus obirent. Hinc odiũ ortum eſt, quo etiam in mortuum Stephanus ſæuiebat, quòd ei antea impedimẽto fuiſſet, quò minus

*Martinus hiſtoriarũ ſcriptor.*

minus optata ſede potiretur. Refert Martinus ſcriptor, Stephanum tanta rabie deſæuiſſe, vt habito concilio, corpus Formoſi è tumulo tractum, pontificali habitu ſpoliatum, indutumq; ſeculari ſepulturæ laicorum mandauerit, abſciſsis tamen dextræ eius duobus digitis, illis potiſsimùm, quibus in conſecratione ſacerdotes vtuntur: in Tiberimq; proiectis, quòd (vt ipſe dicebat) cõtra iura ſacramenti Romam & ſacerdotiũ repetiſſet, quo à Ioanne octauo iure ſpoliatus fuerat. Magna fuit hæc controuerſia & peſsimi exempli, cùm poſtea ferè ſemper ſeruata hæc conſuetudo ſit, vt acta priorum põtificum, ſequentes, aut infringerẽt, aut omninò tollerent. Quod hactenus certè ab optimis illis pontificibus, quorũ vitas conſcripſimus, alienum fuit. paulùm certè abfuit, quin noſtra tempeſtate Paulus ſecundus Venetus Formoſi nomen (vt fit) ſibi inderet, quòd id nomen ei maximè conuenire videretur, propter proceritatem corporis & maieſtatẽ. Quò minus autem id faceret, deterruêre eum cardinales quidam hiſtoriæ non ignari, ne poſt mortem id accideret, quod olim Formoſo. Tulit id ægrè Paulus, quia nil ei præter hoc nomen ad ſummam felicitatem deeſſe videbatur.

Interim verò ignauia pontificum fretus Conſtantinopolitanus imperator, Symbaticum patritium protoſpatarium ſuum, in Italiam cum exercitu mittit, qui Beneuentum tertio menſe poſtea quàm obſideri cœptum eſt, in poteſtatem ſuam redegit, poſſeſſum ante à Longobardis annis CCC. & XXX. Verùm anno tertio pòſt Guido Longobardus, pulſis Græcis, vrbem recuperat, atq; ita denuo ad Longobardos recidit.

Ad Stephanum redeo, qui pontificatus ſui anno primo, menſe tertio moritur. Sedes autem eius ex morte tribus diebus tum vacat.

## ROMANVS I.

*117. Pont.*

ROmanus patria Romanus, vbi pontificatum inijt, Stephani põtificis decreta & acta ſtatim improbat abrogatq;. Nil enim aliud hi pontifices cogitabant, quàm & nomen & dignitatem maiorum ſuorum extinguere, quo nihil poteſt eſſe peius & anguſtioris animi, qui enim his artibus nituntur, nulla virtute muniti, eo de loco abradere bene merentes conantur, quem ipſi ob ignauiam & malitiam attingere non poſſunt. Neminem ſiquidem vnquam inuenies alienæ famæ inuidere, niſi qui omnibus probris contaminatus, deſperat ſuum apud poſteros celebre nomen aliquando futurum. Hi ſunt, qui fraude, malitia, dolo, maledicentia de humano genere benè meritos mordent, lacerãt, accuſant, corrodunt, tanquam ignaui canes & inutiles, nec feris ſeſe obijcientes ob timiditatem, ſed vinctas & caueis incluſas mordẽtes. Commemorare tamen huius pontificis nomen libuit, quia de more Petri ſedem obtinuit, in qua tertio pontificatus ſui menſe demoritur.

## THEODORVS II.

*118. Pont.*

THeodorus ſecundus, patria Romanus, pontifex creatus, veſtigia ſeditioſorum ſequitur. Nam & Formoſi acta reſtituit, & eius ſectatores in pretio habuit, imperante adhuc in Italia (vt quidam volunt) Arnulpho, regnãte in Francia Carolo *Simplici*, Cõſtantinoque *Leonis* filio orientale imperium gubernante.

Quo quidem tempore Sarraceni Apuliam ingreſsi, occupatoq; ſancti Angeli monte, magnam vim hominum & pecorum cepêre. Verùm Itali tumultuaria manu comparata, magna ex hoſtibus edita ſtrage prædã recuperant. Agebantur hæc in Italia, cum Guillelmus cognomento Sectorferi, Engoloſinæ comes, à Carolo Caluo originem ducens, monaſterio Carthuſienſi reliquias ſanctorũ, quæ incurſionis Normardicæ tempore inde ablatæ fuerãt, reſtitui mãdauit. Videbat enim ſeditionem inter populos orituram, quieſcẽtibus iam Normannis, niſi in loco priſtino reliquiæ collocarentur. Qui fuerint Normanni, haud ſatis conſtat. Sunt tamen qui dicant, eos ex Noruegia in Galliam deſcendiſſe.

*Sectorani Engoloſinæ comes.*

At Theodorus vigeſimo pontificatus ſui die moritur, nulla magnoperè de ſe relicta memoria ob breuitatem temporis.





## IOANNES X.

*119. Pont.*

IOannes decimus, patria Romanus, pontifex creatus, Formoſi cauſam in integrum ſtatum reſtituit, aduerſante magna populi Romani parte, quã ex re tanta ſeditio orta eſt, vt paulum admodum ab iuſto prælio abfuerit. Is autem Rauennam profectus, iiij. & lxx. epiſcoporum habito conuentu, & Stephani res geſtas improbauit, & Formoſi acta reſtituit, dijudicans perperam à Stephano factum, qui cenſuit eos iterum ordinandos eſſe, quos Formoſus ad ſacros ordines aſciuerat. Hoc idem accidiſſe putauerim ego, cùm quia pontifices ipſi à Petri veſtigijs diſceſſerant, tum vel maximè, quia reſpub. Chriſtiana ignauos & deſides principes habebat, quorũ maximè intererat nauiculam Petri fluctibus exagitari: ne ſi gubernator aliquando* reſipiſceret, principes ipſos vt malos nautas è rep. deijceret.

*Reſpiceret.

Deditus erat voluptatibus Arnulphus, non multum diſtabat à ſuo cognomento Carolus rex Franciæ, quem ſimplicem vel potius ſtolidum vocabant. Hac autem opportunitate illecti Vngari, gens quidem fera & indomita, hoſtili manu Italiam primò, mox Germaniam & Galliam ita inuadit, nemine propè reſiſtẽte vt ferro ac flamma omnia quoquò proficiſceretur, abſumeret, nulli mortalium ætati aut ſexui parcens. Præterea verò Afri Calabriam ingreſsi, cum iam magnã prouinciæ partem cepiſſent, oppugnarentque Conſentiam, eorum rege in oppugnatione ictu fulminis diuinitus mortuo, paſſim dilabũtur, & ad ſuos redeunt. Deus enim populi ſui calamitatem miſeratus à principibus terræ derelicti, tum demum telum ſuum in hoſtes Chriſtiani nominis direxit: quod niſi feciſſet, de nomine Italico, deque eccleſia actum profectò tum putabatur, adeò ſocordes & nullius precij homines in principatibus tum erant.

*Vngari Italiam Germaniam & Galliam inuadunt.*

Ioannes autem pontificatus ſui anno ſecundo, die decimo quinto moriens, nil de ſe dignum memoria reliquit, niſi quòd ſeditiones quaſdam propè extinctas reuocauit.

## BENEDICTVS IIII.

*120. Pont.*

BEnedictus quartus, patria Romanus, pontifex creatur ob eius humanitatem & clementiam. Verùm nil ſuo tempore geſtum eſt, quod magnopere collaudari poſsit. Acciderat huic ætati, quod alijs interdum ſolet, vt hominum induſtria in quouis genere virtutis conſeneſceret, nullis calcaribus adhibitis, quibus hominum ingenia ad laudem excitarentur, quod fieri à bene inſtitutis populis optimisque principibus conſueuit. Conſtat enim (vt anteà dixi) falſum Ludouicum Arnulphi filium imperium paternum repetere conantem, eo tempore Veronæ captum & interfectum à Berengario fuiſſe, atq; tũ primùm genus Caroli Magni ignauia poſteriorum principum tam Franciæ, quàm etiam Germaniæ imperij titulos amiſiſſe: Verum eſt certè quod Criſpus ait, quæ orta ſunt, occidunt: quę aucta, ſeneſcunt. Imperium ipſum magnũ habuit incremẽtum: verùm poſtea principũ ac populi Romani ignauia ſpendor ille Romani nominis in obſcuras tenebras conuerſus eſt, tum vel maximè, vbi remiſſa exercitatione virtutis, voluptatibus ſe & thermis ad effœminanda corpora inuẽtis, tradidêre. Idem etiam accidiſſe pontificali dignitati dicere poſſumus. Sanctitate enim & doctrina, quæ non niſi magnis laboribus conſumataque virtute comparantur, pontificium decus ſine vllis opibus primo quidem auctum eſt inter tot hoſtes & obſtinatos perſecutores Chriſtiani nominis: mox verò vbi cum ipſis opibus laſciuire cœpit eccleſia Dei, verſis eius cultoribus à ſeueritate ad laſciuiã, peperit nobis tanta licentia peccandi, nullo principe flagitia hominũ tum coërcente, hęc portenta: à quibus ambitione & largitione ſanctiſsima Petri ſedes occupata eſt potius, quàm poſſeſſa. Hæc tamen Benedicti laus eſt, quòd in tam corruptis moribus grauiter & conſtãter vitam ducens, pontificatus ſui anno tertio, menſe quarto moritur. Vacat tum ſedes diebus ſex.

## LEO V.

*121. Pont.*

LEo quintus, cuius patriam hiſtorici non ponũt, pontificatum adeptus, à Chriſtophoro eius familiari dominandi cupido capitur, & in vincula conijcitur: quod quidem fieri non ſine magna ſeditione & multorũ in-

teritu potuit. Quãtæ enim auctoritatis pontificatus tum eſſet vitio priorum põtificum, ex hoc vel maximo comprehendi poteſt, quòd à viro priuato tanta dignitas vi & factione vno ferè momento occupata eſt. Verũ eſt certè quod dici ſolet: plus auctoritatis dignitates ex hominibus capere, quã ex dignitatibus homines, vt in cenſura Romana apparuit, quæ primò vt exiguus magiſtratus poſthabita eſt: verùm vbi ciuitatis optimates obire munus illud dignati ſunt, tãtam ei auctoritatem tribuêre, vt inter optimates infelix propè haberetur, qui cenſoriam dignitatem conſecutus in vita non fuiſſet. Chriſtophorus itaque ſedem occupat xl. Leonis in pontificatu die: quem ego præ dolore animi paulò pòſt perijſſe crediderim, quòd ab eo potiſſimùm honore ſpoliatus fuiſſet, quem ipſe vt lupum domi aluerat, vt illud Theocriti, Enutrito lupos, qui te comedant.

## CHRISTOPHORVS I.

122. Pont. CHriſtophorus, cuius patria & cognomentum ob ignobilitatem ignoratur, pontificatum malis artibus adeptus, malè amiſit. Septimo enim mẽſe dignitate ac meritò quidem eiectus, monaſticam vitam, vnicum calamitoſorum refugium, obire cogitur. In monaſteria enim tanquam in inſulas clerici malè de eccleſia Dei meriti, tum relegabantur. Sunt qui ſcribãt, Chriſtophorum deiectum pontificatu fuiſſe, Ludouico tertio imperante: alij hęc tempora Berengario aſſcribunt, quem diximus è duce Foroiuliano imperatorem creatum, quòd in Italia oriundus eſſet è ſtirpe Longobardorum regum: quodque etiam in eo ſolo ſpes vnica imperij collocari tum maximè poterat ob virtutem & nobilitatem. Vt autem credam, Berẽgarium tum imperaſſe, facit & pontificum, qui antè fuêre, breuis vita, quos tanquam monſtra quædam è medio breui Deus ſuſtulit, & ipſius imperatoris tempus, qui ſuperato Guidone duce Spoletino, interfectoque Ambroſio comite Bergomate, quos primo hoſtes habuerat, accepta à Formoſo imperij corona annis ix. vixit. Quid verò poſteà Chriſtophoro acciderit, è pontificatu deiecto, in Sergio dicetur.

## SERGIVS III.

123. Pont. SErgius tertius, patria Romanus, patre Benedicto pontificatum iniens, baſilicam Lateranenſem, quæ tum corruerat, reſtituit, Chriſtophorum è monaſterio tractum in vincula coniecit. Rebus deinde cõfirmatis, Gallias profectus, Lotharij gratia & amicitia fultus, qui tũ regnabat, in Italiã rediens, & Chriſtophorum arctiore cuſtodia reuinxit, & Formoſi acta ita improbauit, vt denuo ad ſacros ordines eos admittere neceſſe fuerit, quos Formoſus antea ſacerdotali ordine indignos cenſuerat. Neque hanc quidam ignominiam mortuo intuliſſe contẽtus, eius cadauer è ſepulchro tractum, capitali ſupplicio, ac ſi viueret, afficit, corpusq; ipſum in Tiberim proijcit, tanquam ſepultura & honore humano indignum. Ferunt piſcatores corpus ipſum inter piſcandum repertum, ad baſilicam Petri detuliſſe, atque dum funus celebratur, ſanctorum imagines, quæ in templo locatę erant, corpus ipſum veneratas fuiſſe: & ob eam rem creditũ eſſe, Formoſum iniuria quidem tali ignominia affectum fuiſſe. Sed factúmne ſit hoc à piſcatoribus, haud ſatis conſtat, viuente pręſertim Sergio, qui Formoſi factionem perſequebatur, quod antea ei impedimento fuerat, quò minus pontificatum conſequeretur. Vide quæſo, quantum iſti degenerauerint à maioribus ſuis. Illi enim, vtpote viri ſanctiſsimi, dignitatem vltro ablatam cõtemnebant, orationi & doctrinæ Chriſtianæ vacantes: hi verò largitione, & ambitione pontificatum quęrentes, & adepti, poſthabito diuino cultu, inimicitias non ſecus ac ſęuiſsimi quidam tyranni inter ſeſe exercebant: ſuas voluptates poſtea ſecurius expleturi, cũ nullibi, extarent, qui eorũ vitia coërcerent. Crediderim ego Sergium hæc facere à Lothario compulſum, quòd Formoſi opera à Gallis in alienigenas imperium tranſlatum ſit. Sergius autem his artibus vitam ducens, ſeptimo pontificatus ſui anno, menſe quarto, die xvj. moritur: cùm paulò antè igneæ faces in cælo & ſtellæ micantes, diſcurrentesque præter conſuetudinem ſint viſæ. Vnde non ita multò pòſt Vngari Italiam cum exercitu ingreſsi, multas viciſsim intulêre accepereque clades.





## ANASTASIVS III.

ANaſtaſius tertius, patria Romanus, eo tempore pontificatum inijt, quo Landulphus Beneuentanus princeps, graui prælio in Apulia cum Græcis decertauit & vicit. Nam Patritius Leonis Conſtantinopolitani imperatoris dux Italiam ingreſſus, ſe omnia breui euerſurũ minabatur, niſi Leoni properè obtemperarent. Verùm (vt dixi) Landulphi virtute imperium ſimul cum loquacitate omiſit, quanquam verò à Berengario iam pararentur copiæ quæ Patricio obuiam fierent, plus terroris, quàm virium ſecum ferenti. Anaſtaſius autem, à quo nil memoria dignum geſtum eſt, ſecundo anno pontificatus ſui moritur, & in baſilica Petri ſepelitur. Hunc tamen pontificem hac vna in re laudare poſſumus, quòd neminem eorum, qui ante ſe in pontificatu fuêre, ignominia aliqua notauerit, vel maledicentia perſecutus ſit: modeſtè enim & integrè vixit, nec in ſe quicquam habuit, quo reprehendi poſsit. 124. Pont.

## LANDVS I.

LAndus patria Romanus, Anaſtaſio ſucceſsit. Huius autem vita ita obſcura fuit, vt etiam ſint, qui eum inter pontifices non numerẽt, maximè autem Vincentius hiſtoricus. Aliter tamẽ Martinus & Cuſentinus ſentiũt, horum de numero & Gothifredus eſt, qui ſcribit, Landum auctoritatem ſuam interpoſuiſſe, quò minus Berengarius & Rodulphus comitis Guidonis filius, inter ſe decertarent. 125. Pont.

Sunt qui ſcribant, Rodulphũ apud Veronam Berengarium ſuperaſſe, ac imperio tribus annis potitum eſſe. Magna enim tum erat inter Italos, Germanos & Francos de poſſeſſione imperij cõcertatio. Vnde & grauiſſima bella orta ſunt, nec extincta ſine multorum interitu, omniumque prouinciarum calamitate. Annitebantur tamen Romani Italiq; imperij nomẽ in prouincia retinere, obſtantibus barbaris omnibus, licet duce & auctore tam præclari facinoris indigerent, extinctis iam non ſolùm illis præclaris luminibus, quæ Italiam quondam per totum orbem terrarum illuſtrarunt, verùm etiam ſublato omninò & exciſo illo egregio ſeminario, vnde tam præclaræ radices pullulabant.

Landus autem ſexto pontificatus ſui menſe, die vigeſimoprimo moriens, in baſilica Petri ſepelitur.

## IOANNES XI.

IOannes vndecimus, patria Romanus, patre Sergio pontifice, anno Domini nongenteſimonono pontificatum inijt, Præſul Rauennas is antea fuerat, epiſcopatu deiectus populi tumultu. Verùm Lando mortuo, pontificatum adeptus, ſpiritus militares magis, quàm religioni deditos geſsit. Indigebat huiuſcemodi pontifice tum quidem & eccleſia & Italia. Nam Græci (vt diximus) vt Landulphi virtute ſuperati, Sarracenos in Italiam vocant, qui ex Calabris & Apulis in Lucanos & Campanos mouentes, vrbi Romæ exitium ſe illaturos propediem minabantur. Hoc autem periculo motus Ioannes, Alberico Etruriæ Marchione in auxilium accito, habito delectu cum Sarracenis confligens & ſuperans, ab Vrbis finibus ſubmouit. Verùm nil actum ea victoria exiſtimans, niſi fugiẽtes inſequeretur, eos ad Lyrim fluuium nactus (quem Gariglianum vocant) apud Minturnas tanta clade ſuperat, vt de relinquenda omnino Italia cogitauerint, locaq; omnia ferme, quę in littore Italico obtinebant, incẽderint. Poſtea tamen mutata ſententia occupato monte Gargano, incurſionibus loca circunquaq; poſita vexabãt. Interim verò Ioãnes in triumphi modum Romam rediens, cùm omnia ſibi vendicaret, Alberici odium ita in ſe concitauit, vt ingens ſeditio ſit orta, qua quidem Marchio pulſus, Ortam proficiſcens, oppido munito & arce, Vngaros præmijs ſollicitatos in Italiam vocat: qui certè prouinciam ingreſsi, plus propè calamitatis Italiæ intulêre, quàm olim Sarraceni. Pueros enim & virgines abducebant, grandioribus natu necatis: neque ipſis quidem Etruſcis pepercêre, quos ex fœdere Alberici intactos eſſe oportebat: imò verò magis in hos, quàm in cæteros Italos ſæuitum eſt, incenſis & euerſis ferè omnibus oppidis, quæ ipſi occupauerant. Crediderim ego Berengariũ, qui 126. Pont.

tum Ciſalpinam tantummodo tuebatur, hoſtibus iter in Etruriam dediſſe, modò ſine vllo ſuorum maleficio tranſirent. Hac autem dulcedine prædæ illecti Vngari, frequenter deinceps Italiam repetebant. Qua calamitate Romani permoti, cùm ſæuire in hoſtem præferocem & potentem non poſſent, Albericum capiunt & obtruncant. Ioannes quoque ſeditione militari, maximè verò à militibus Guidonis comitis captus, & in vincula coniectus, ceruicali in os coniecto necatur pontificatus ſui anno xiij. menſe ij. die iij. Cuius in locum alter Ioannes ſubrogatur: verùm quia vi ſedem occupauerat, è loco ſtatim deiectus, cõnumerari inter pontifices non meruit.

*ANNOTAT.*

*Hic Ioannes X. (vt dixi) appellandus eſſet, fuitq́ue, vt ex horum temporum ſcriptore Luithprãdo Ticinenſi lib. 2. cap. 13. rerum per Europam ſuo tempore geſtarum liquet, natione Romanus ante ex epiſcopo Bononienſe factus archiepiſcopus Rauennas, Ioannis cuiuſdam, vt auctor eſt Guillelmus bibliothecarius, non papæ Sergij III. filius. Cui Ioanni papæ ceruicali ſuper os coniecto, & ſuffocato, ſi Luithprando Ticinenſi horum temporum ſcriptori credere volumus, Ioannes XI. Sergij papæ & Marociæ nobiliſſimæ inter Romanas fœminæ filius, matris, quæ tunc in vrbe potentiſſima erat, auctoritate & ſtudio ſucceſſit. cæterum omnes quotquot de Romanis pontificibus ſcripſerunt, plures autem fuêre, Ioanni huic non alterum Ioannem, ſed Leonem VI. & illi Stephanum VII. ſubijciunt. Poſt quos Ioannem ipſum XI. Sergij papæ filium communi conſenſu referunt. Quos & magis ſequendos eſſe exiſtimo.*

## LEO VI.

*127. Pont.* LEo ſextus, patria Romanus, legitimis ſuffragijs pontifex creatus, nil tyrannicum in vita præ ſe tulit, integrè ac modeſtè vitam ducens, ac rei diuinæ conſulens, quãtum illa tempora in tam corruptis moribus patiebantur. Reuocare enim ciues ad concordiam, temeritate & ſtultitia priorũ pontificum adhuc tumultuantes, componere res Italas, pacare externum hoſtem, propulſare barbaros à ceruicibus Italiæ conatus eſt. quo certè nil melius aut laudabilius in tam breui magiſtratu fieri potuit. Septimo enim menſe, die xv. pontificatus ſui moritur, ſepeliturq́; in baſilica Petri, magno ſui apud Romanos deſiderio relicto.

## STEPHANVS VII.

*128. Pont.* STephanus ſeptimus, patria Romanus, eo tempore pontificatum inijt (vt quidam ſcribunt) quo Vngari Alemanniam Saxoniamq́; populãtes, ab Henrico Germaniæ rege apud Merſpurgum ingenti clade ſuperati ſunt. Ferunt tum etiam Rodulphum Burgũdionum regem, in Italiam hoſtili manu contra Berengarium ſecundum deſcendiſſe, eumq́; ſuorũ fraude regno ſpoliatum ad Vngaros confugiſſe, qui ſumptis armis, tertio anno poſt pulſum Berengarium in Italiam cum magno exercitu duce Salardo venientes, Papiam vi captam, ferro & igne magna ex parte vaſtarunt. At verò Itali cum non ſatis virium in Rodulpho cernerent, Hugonem Arelatenſem comitem in Italiam vocant. Huic autem non ſine contentione tamen Rodulphus cedens, cum hoſtes acriter inſtarẽt, in Burgundiam ſeſe recepit. Hugo verò non ſatis his fidens, qui ſe vocauerant, multos in exilium pepulit: qui quidem ad Arnoldum Bauarorum ducem confugientes, hominem regnandi cupidum mouere copias in Italiam propellunt. Deſcendentem itaque ex alpibus Veronẽſes ſtatim intra mœnia benignè ac comiter recipiunt: verùm Hugo in eum mouens, commiſſo prelio hominem ſuperat, Veronamq́; ſtatim recipit. Mortuo autem apud Bauaros Berengario, vt alij volunt, apud Vngaros, Berengarius tertius primi Berengarij ex filia nepos, in Italiam veniens, anno ſalutis nongenteſimo trigeſimoquinto imperio potitur. Sunt autem qui hæc, quæ ſcripſi, huius pontificis temporibus aſſcribant. Ego verò & priorum quorundam, & ſequentium temporibus aſſignanda crediderim, cùm ea, quæ breuiter ſcripſi, non ſine diuturnitate geri potuerint. Sed ſatius fuit in tanta ſcriptorum varietate & temporum, omninò aliquid ſcribere, quàm quæ ſunt aliquando geſta, ob incertos auctores omittere. Conſulimus poſteritati, nec ita ſuperſtitioſi ſumus, vt nolimus ea credere, quæ varij auctores ſparſim conſcripsêre.

Huius quoq́; põtificis tẽpori meritò aſſcripſerim ſanctum Vgibertum nobilem Lotharingiæ principem, qui Gemblacenſe cœnobium propria impẽſa ma-





gnis operibus breui extruxit. Ferunt & hac tempeſtate Spireneum Bohemiæ ducem fidem Chriſti tum primùm recepiſſe. Nam duces antea qui Bohemiæ præerant, nunc demum reges appellantur, auctis opibus & copijs. At Stephanus, cuius vita manſuetudinis & religionis plena fuit, ſecundo pontificatus ſui anno, menſe vno, die duodecimo moritur, inq́; Petri baſilica ſepelitur.

## IOANNES XII.

IOannes duodecimus, patria Romanus, patre Sergio põtifice, vt quidam *129. Pont.* volunt, eò tempore pontificatum inijt, quo ſanguinis fons (vt Martinus & Vincentius aiunt) Genuæ largiſsimè effluxit, futuræ magnæ calamitatis indicium. Nam & Genua à Sarracenis ex Africa venientibus tum capitur ac diripitur, & Vngari Italiam ingreſsi, longè omnia ac latè populati ſunt. Verùm dum onuſti præda Pelignorum fines attigiſſent, à Marſis, qui repente arma ceperant, opprimuntur, atque ita prædam omnem cum vita amisêre. Scripſit *Racherius epiſcopus Veronenſis* tum multa Racherius ex monacho Veronenſis epiſcopus factus, in exiliumq́ue Papiam ab Hugone rege miſſus, quòd apertè nimiùm in eius mores inueheretur. Ioannes autem pontificatus ſui anno quarto, menſe decimo, die xv. moritur. Vacat tum ſedes diebus duodecim.

## LEO VII.

LEO ſeptimus, natione Romanus, Hugone & Lothario in Italia impe- *130. Pont.* rantibus, pontificatum adeptus, nil dignum memoria geſsit. Huius autem tempora illuſtriora fecêre Spireneus Bohemiæ dux (vt Martinus refert) iuſtitia & religione inſignis, & eius filius Vinceslaus, nequaquam à patre degenerans, à fratre Boleslao interemptus ob regni cupiditatem: qui quidem Vinceslaus poſtea in ſanctos referri meruit, comprobata eius vita, approbatisq́; miraculis, in vita & poſt mortem editis. Leo autem pontificatus ſui anno tertio, menſe ſexto, die decimo moritur, & in baſilica Petri ſepelitur. Vacat tum ſedes dies tres.

## STEPHANVS VIII.

STephanus octauus, natione Germanus, pontificatum iniens, ita à Ro- *131. Pont.* manis ſeditionibus vexatus eſt, vt nil memoria dignum ab eo geri potuerit, imò verò (vt Martinus refert) in tanta ſeditione mutilatus turpiter aliquandiu vitam duxit, cùm ob inhoneſta vulnera prodire in publicum erubeſceret. Parabat quidem rex Hugo tantam iniuriam vlciſci, ſed in ipſo apparatu moritur, cui quidem Lotharius filius in regno ſuccedens, hac de re nullam mentionem fecit: vel quòd populi Romani amicus eſſet, vel quòd breui regnauit: biennio enim tantum poſt mortem patris ſuperuixit. Otho autem Germanorum rex, Vinceslai Bohemiæ regis mortem vlturus, in Boleslaum, qui fratrem per ſcelus interfecerat, copias mouens, hominem tandem poſt multas illatas acceptasq́ue clades, in poteſtatem ſuam redegit. Stephanus verò pontificatus ſui anno tertio, menſe quarto, diebus xij. moritur. Vacat tum ſedes diebus x.

## MARTINVS III.

MArtinus tertius, patria Romanus, manſuetudinem & placabilitatem *132. Pont.* Stephani ſeptimi imitatus eſt: pontificatum enim adeptus, bella omit- *aliàs Martinus II.* tens, religioni ſeſe totum addixit, templa vetuſtate collapſa inſtaurans, pauperes eleemoſynis paſcens. Non caruit tamen huius temporibus Europa ipſa bellica rabie. Nam cùm Otho anniteretur Italiam ingredi aduerſante Lothario, magnæ cædes vtrinque commiſſæ ſunt. Adhortante tamen eos Martino põtifice, vt ab armis diſcederent, tum vel maximè, cùm vbique fame & penuria rerum omnium laboraretur, ſuccisis vndique arboribus, proſtratis ſegetibus, & abductis grauiſsimo bello colonis ac pecoribus: apud Conſtantinopolim quoque tumultuatum vehementer eſt. Nam ciues ipſi Conſtantinum imperatorem captum, abraſo capite, in inſulam relegarunt. Verùm non ita multò poſt Conſtantinus Leonis filius imperium adeptus, ſeditioſos ciues eadem turpitu-

dine tantùm affectos, qua ipſi Conſtantinum notauerant, in eandem inſulam exulatum mittit. Martinus autem tertio pontificatus ſui anno, menſe ſexto, die decimo moritur, & in baſilica Petri ſepelitur. Eius autem in morte ſedes Romana diebus duodecim tum vacat.

## AGAPETVS II.

133. Pont. AGapetus ſecundus, natione Romanus, ardente tumultu bellico in Italia pontifex creatur.

*Henricus Bauariæ dux.*

Vngari enim tum etiam hoſtili manu Italiam ingreſsi, iam ferè omnem oram Tranſpadanam occupauerant, cum Henricus Bauariæ dux, ſumptis propere armis, comparatoque exercitu in prouinciam mouens, nõ ſine magno incolarum incommodo duobus grauiſsimis prælijs eos ſuperat, ac prouinciam omnem ab Aquileia Papiam vſque occupat. Vnde nõ ita multò pòſt propere in Auſtriam diſceſsit, quòd iam aduentare Berengarium cum magno exercitu intellexerat. Potitus autem Italia Berengarius, imperatoris nomen ſibi indit, filiumq́; Albertum regem Italiæ nuncupat, coniecta in carcerem Adalinda Lotharij fratris filia, ne Papiam vrbem dotalem repeteret. Interim verò Agapetus pontifex, Italiæque proceres, cognita Berengarij ſuperbia, quòd omnia ſibi contra ius faſque vendicaret, Othonẽ Germaniæ regem in Italiam vocant: qui quidem per Forumiulij prouinciam cum quinquaginta millibus hominum ingreſſus, deturbatis ſtatim è regno Berengario & Alberto, Adelindam Lotharij filiam è carcere ductam in vxorem accepit, ex qua poſtea filium ſuſcepit, cui Othoni ſecundo nomen fuit. Otho tamen Italia decedens, hac moderatione vſus eſt, vt Berengario & Alberto gubernandæ prouincię arbitrium permiſerit, compoſitis inter pontificem & Berengarium rebus. Idem quoque Otho Ludouicum regem Franciæ magnis eò propere deductis copijs iuuit, quem proceres prouinciæ adiuuante Hugone Pariſiorum comite, ipſius Othonis ſororio propè è regno depulerãt. At verò Albertus Berengarij filius, qui tum Rauennæ præerat, Comaclenſiũ claſſe & auxilijs fretus, mercatores Venetos aduerſante Agapeto pontifice infeſtabat, vnde Veneti ira incenſi comparatis propere quibuſdam nauigijs, Comaclum expugnatum incendunt.

Dum hæc itaque hoc modo agerentur, Agapetus pontifex vir innocens, & reip. Chriſtianæ amator: pontificatus ſui anno nono, menſe ſeptimo, die x. moritur, eo ferè tẽpore, quo Oddo Cluniacenſis monaſterij abbas in domino quieuit. Cuius quidem diſcipulus habitus eſt Domaielus vir miræ ſanctitatis & monaſticæ diſciplinæ reſtitutor.

## IOANNES XIII.

134. Pont. IOannes decimustertius, patria Romanus, de via Lata patris Alberici potentia fretus, pontificatum occupat. Octauianus is quidem primo vocabatur, homo ſanè ab adoleſcentia omnibus probris ac turpitudine contaminatus, venationibus magis, ſi quid temporis à libidinibus ſupererat quàm orationi deditus.

*Romæ duo annui conſules.*

Erant tum Romæ duo annui conſules, ex nobilitate præfectus vnus, qui ius populo diceret: ex plebe autem decarchones xij. creabantur, qui vicem ſenatus gererent. Non carebant aliqua ditione Romani. nã & vicina Etruriæ oppida intra Vrbeuetanum Tudertinumq́ue agrum, & quicquid à Neapoli Beneuentoque, à Marſis, à Reatinis ad vrbem ſpectat, Romanæ ciuitati obtemperabat. Vlteriora partim Græci, partim Sarraceni occupauerant. Quis tum Picenum Spoletinumq́ue agrum obtineret, incertum eſt. Octauianus itaque patris potentia in ſatis libera ciuitate fretus, pontificium munus humeris ſuis nequaquam conueniens, ſibi deſumit. Hac quidem indignitate moti duo cardinales, literis Othonem obſecrant, vt clerum populumq́; Romanum è manibus Berengarij Ioannisq́ue duodecimi vendicare conetur, aliter Chriſtianam fidem vnà cum imperio perituram. Otho enim tum magno in pretio

*xiij.*

erat, domito Bodeslao (vt dixi) Bohemiæ rege, ſuperatisq́ue tribus grauiſsimis prælijs Vngaris Germaniam vaſtantibus, ac captis tribus eorũ regulis, quos Ger-





mani, contradicẽte imperatore, vitam finire laqueo coëgêre. Interim verò dum Otho expectaretur, re per indices pateſacta, Ioannes pontifex cardinales ipſos capit, & huic naſum, illi verò manum abſcindit. Hanc ob rem Otho in Italiam mouens, primo quidem Berengarium & Albertum filium in poteſtatem ſuam redigit: alterumq́; Conſtantinopolim, alterum in Auſtriam relegat. Mox vrbem ingrediens, ab ipſo Ioanne honorificentiſsimè ſuſcipitur, coronaturq́; (vt quidam tradunt) accepto Germaniæ Pannoniæq́; titulo, quod reliqui imperatores deinceps obſeruarunt, translato tum primùm ad Germanos imperio. Alij verò à Leone octauo, de quo paulò pòſt dicemus, hoc factum exiſtimant, quorum opinionem Gratianus in decreto ſecutus eſt. priorem ſententiam Richardus & Cuſentinus non improbant. Lateranenſis autem bibliothecarius Othonem Ioannis tempore Romam veniſſe ſcribens, de coronatione eius nullam mentionem facit, adeo confuſa ſunt & perturbata hæc tempora, ſcriptorum negligentia & incuria. Otho autem compoſito aliquantulum ſtatu ciuitatis, cum Ioanne ſecretò collocutus, hominem primò blãdè appellando à flagitijs deterrens, ad virtutẽ adhortabatur: verùm cùm nequaquam moueri à ſententia verbis eum cerneret, ad minas conuerſus, concilium indicit, conuocatis epiſcopis Italiæ, quorum iudicio vita ſceleratiſsimi hominis dijudicaretur. Is itaque iudicium bene ſentientium reformidans, in Hernicos aufugit, in ſiluisq́ue more feræ aliquandiu delituit. Hanc ob rem Otho perſuadente clero, Leonem Romanum ciuem Lateranenſis eccleſiæ protoſcriniarium pontificem creat. Verùm abeunte imperatore, Ioannis cognati & clientes, pulſo Leone, Ioannem ipſum reuocant: quem quidem diuinitus eiſdem fermè diebus perijſſe creditum eſt, ne eccleſia Dei pernicioſa ſeditione iam gliſcente labefacteretur. Sunt qui ſcribãt, hunc ſceleratiſsimum hominem, vel hoc monſtrum potius, in adulterio deprehenſum & confoſſum interijſſe Verùm nõ ita quoq; leuata ſeditio eſt. Nam Romani mortuo Ioanne in eius locũ Benedictum ſubrogant, idq́; ab imperatore, qui tum Spoleti erat, confirmari contendunt. At imperator iratus, nõ ſolùm Romanos, vtpote iniqua poſtulãtes, à ſe repulit, verumetiam eoſdem armis (vt poſtea dicetur) coëgit abrogato Benedicto Leonẽ ſuſcipere. Ferunt multa prodigia tum in Italia apparuiſſe. Nã & lapis de cœlo miræ magnitudinis cecidit, ſæuiente ventorum atque imbrium procella, & in veſtibus multorum ſignum crucis, ac quidem cruentæ, diuinitus apparuit. Quæ quidem portenta indicare magnas clades & calamitatem eccleſiæ multi interpretabantur. Ioannes autem vir omnium, qui vnquam ante ſe in pontificatu fuêre, pernicioſiſsimus & ſceleratiſsimus, pontificatus ſui anno ix. menſe iij. die quinto moritur. Eius verò in morte ſedes in ſeditione dies xij. tum vacat.

*Prodigia multa apparuerunt.*

### ANNOTAT.

*Ioannem hunc XII. ab omnibus ſcriptoribus (præter vnum Platinam) appellari obſeruaui. Quem primum eſſe inueni, qui nomen in pontificatu mutarit. Nam cùm antea Octauianus vocaretur, vt Guillelmus bibliothecarius ſcribit, gentili nomine omiſſo tanquam parum maieſtati, & religioni pontificiæ idoneo, ſe Ioannem appellauit. Cuius exemplum ſequentes pontifices, qui deforme, & parum conueniens tanto magiſtratui nomen habuêre, ſenſim, & paulatim ſequuti, leuem conſuetudinem tanquam in legem perpetuam tranſtulerunt. Cæterùm hanc rem Romani pontifices, & maximè ex Germania lecti, Bruno, Gerebertus, Suidegerus, Poppo, alius Bruno, Geberardus, Fridericus, Gerardus, Cadolus, Anſelmus, Hildebrandus, & ſimiles maximè confirmarunt, barbarorum nominum deformitate commoti.*

## BENEDICTVS V.

BEnedictus quintus, patria Romanus, ex diacono in ſeditione pontifex 135. Pont.
creatur, ab his potiſsimùm, qui Ioanni cognatione factioneq́ue coniuncti fuerant, ægrè ferentes Leonem ab Othone Ioanni antelatum. Verùm cùm imperator hanc electionem nequaquaquam probaret, Romanos id maximè expetentes à ſe repulit, eosq́ue ferro & flamma omnia circa vrbem poſita vaſtans, compulit, pulſo Benedicto vel dedito potius, Leonem ſuſcipere, adactos ſacramento, nil ſe earum rerum immutaturos, quas ipſe imperator in pontificia conſtituiſſet. Compoſitis autem hoc modo rebus, Otho in Germaniam rediens, ſecum Benedictum ipſum duxit, qui non multò pòſt dolore animi apud

Hamburgum moritur, vbi relegatus erat. Vixit autem in pontificatu menſibus ſex, diebus quinque. Sedesque deinceps diebus * triginta vacauit. *xx.

*ANNOTAT.*

*Hunc Benedictum V. appellari ab omnibus, & in eius numeri nota illius rationem haberi à ſequentibus pōtificibus, qui illud nomen tulêre video, & id quidem parum accuratè factum fuiſſe exiſtimo, cùm ſchiſmaticus fuerit contra Leonem VIII. papam legitimè creatum, per vim renuntiatus. Duo autem ſimul legitimi papæ eſſe non poſſunt. Ille germanus, & verus pontifex ſemper cenſetur, cuius in eccleſia ſucceſſio extat, quæ quidem Leonis VIII. non Benedicti V. eſt. Regino libro ſecundo, Luithprandus libro 6. cap. 11. & Guillelmus bibliothecarius auctores.*

## LEO VIII.

136. Pont. LEO octauus (vt antè dixi) protoſcriniarius, à clero populoq́; Romano, pulſo Ioanne pontifex creatur. Nam cum Ioannes flagitioſè nimium & intemperanter viueret, inſtarentq́; Romani apud imperatorem, vt alterum pontificē abrogato Ioanne crearet, reſpondit, electionem ad populum & clerum pertinere: Eligerent quem maximè idoneum putarēt, ſe eum ſtatim approbaturum. Vnde cum Leonem elegiſſent, quem ipſe confirmauerat, deinde mutata ſententia abrogato eodem, Benedictum ſuffeciſſent, iratus Otho, eos vi & armis compulit, dedito etiam Benedicto Leonem ſuſcipere, qui ſtatim Romanorum inconſtantiam pertæſus, auctoritatem omnem eligendi pontificis à clero populoq́; Romano ad imperatorem tranſtulit. Verùm Leo in pontificatu non diu vixit. Anno enim primo, menſe quarto moritur.

## IOANNES XIIII.

137. Pont. IOannes decimusquartus, Narnienſis epiſcopus, patria Romanus, patre Ioanne epiſcopo, Leoni ſucceſsit. Verùm Romani inita iam conſuetudine pellendi pontifices, hunc quoque ſeditionibus fatigant. Accerſito enim Iofredo Campaniæ comite, Lateranenſes ædes vi irrumpentes, Ioannem capiunt, captumq́; primò in Hadriani molem perducunt, mox inde hominem in Campaniam exulatum mittunt. Verùm interfecto Iofredo eiusq́; vnico filio à Ioanne Campano principe, pontifex vndecimo menſe ſui exilij Romam properè redijt. Otho præterea cognita pontificis calamitate, cum Othone filio ingentibusq́; copijs magnis itineribus Romam perueniens, conſules & præfectum cum dearchonibus captos in vincula conijcit, ſciturus coniurationis capita. Quæſtionibus autem recognita, conſules in Germaniam mittuntur: Dearchones verò laqueo ſuſpenſi, pœnas ſtatim dedêre. Petrus autem vrbis præfectus, malorum omnium fons & origo, diu cum ignominia per publica vrbis loca tractus ac virgis cæſus, in Germaniam vinctus mittitur. Sunt qui ſcribant, Petrum ipſum excarnificandum pontifici traditum abraſa barba, capillis ſuſpenſum ad caput equi Conſtantiniani aliquādiu ſtetiſſe, vt eius exēplo talia facinora malefici declinarent. Inde autem ablatum, aſinoque ſuperimpoſitum, verſo ad clunes vultu, & manibus ſub cauda ligatis, atque ita per vrbem ductum, & virgis cæſum ferè vſque ad interitum fuiſſe: poſteà verò in Germaniam exulatū miſſum. Hac etia ſeueritate (exempli gratia) in Iofredum à Ioanne principe Campano (vt diximus) cæſum, imperator vſus eſt, vt eius ac filij cadauera è loco ſacro tracta, in profanum proijci iuſſerit.

Intereà verò Sclaui, qui Hadriani tertij pontificis, & Sueropyli principis Dalmatiæ tempore fidē Chriſti ſuſceperant, in Italiam traijciētes, Sarracenos ingēti clade ſuperatos monte Gargano deiecerunt. Horum autem exemplum & virtutem imitati Vngari, reliquias Sarracenorum ita attriuêre, recuperata Cōſentia iam ab hoſtibus capta, vt Othoni magni Othonis filio eò cū exercitibus miſſo, haud difficilè fuerit reliquias bellorum abſoluere. Nec cōtentus Sarracenos cædere, Græcos quoq;, qui cū Mauris fœdera inierant, grauiſsimis prælijs ita perdomuit, vt eos ferè omni Calabria & Apulia eiecerit. Sunt qui ſcribant, idcircò Othonem Græcos perſecutum fuiſſe, quia Nicephorus Conſtantinopolitanus imperator filiam iam ei pactam, in matrimonium daturum ſe negabat. Conſtat tamen Othonem ipſum adoleſcentem egregium, pulſo Nicephero, & Ioan-



nē filium in imperio confirmaſſe, & Theophaniam ſororem in vxorem accepiſſe, quam quidem Ioannes tertiusdecimus vnà cum marito apud Lateranenſem baſilicam corona imperij exornauit, annuente Othone ſene, qui filium cōſortem imperij creauerat. In tanta autem & tam publica lætitia, Campana eccleſia metropolitanæ nomen à Ioanne pontifice conſecuta eſt. Otho verò in Germaniam proficiſcens, ſenio confectus, Viennæ moritur: quem non ita multò pòſt Ioannes pontifex ſexto pontificatus ſui anno, menſe xj. die v. ſubſecutus eſt. Eius in morte dies xiij. ſedes tum vacat.

## BENEDICTVS VI.

BEnedictus ſextus, patria Romanus, Ioanni in pontificatu & calamitatibus ſucceſſit: à Cintio enim Romano ciue & quidem præpotenti captus, in Hadrianam molem (quam ſancti Angeli arcem nūc vocant) cuſtodiam noxiorum, vel potius innocentium includitur, eodemq́; in loco non multò pòſt ſtrangulatur: vel (vt Cuſentinus refert) fame moritur. De tanta iniuria nullam ſumptam eſſe vindictā, vel à ciuibus Romanis aduerſæ factionis, vel ab Othone imperatore, non poſſum ego nō admirari, præſertim cum Otho ipſe vir optimus ſit habitus, & eccleſiæ Romanæ defenſor acerrimus. Sed vereor ne talia fuerint Benedicti merita, quale prẹmiū à Cintio conſecutus eſt. Malè tamen à Cintio actum eſt: neq; enim ad ſe pertinebat, etiamſi Benedictus grauiter deliquiſſet, pontifici manus inijcere. Sed heus, vt rerum omnium viciſsitudo eſt. Nam Romani pontifices noſtra ætate Romanos ciues, aut delinquentes, aut ob potentiam ſuſpectos, eo loci tanquam in Tullianum carcerem includunt & macerant. Crediderim ego Othonem alijs negocijs implicitum, Romano pontifici præſtare auxilium nequiſſe, ob eamque rem anno primo, menſe ſexto, pontificatus ſui mortuum eſſe. 138. Pont.

## DONVS II.

DOnus ſecundus, patria Romanus, tantæ modeſtiæ fuit, vt ſi nihil in pontificatu geſſerit, quo magnopere laudaretur, non tamen vel aliqua iniuria affectus, vel ignominia notatus eſt. Huius autem tempora, ne omnino obſcura eſſent, effecêre res quædam, tum à principibus quibuſdam, tum à ſanctis viris geſtæ. 139. Pont.

Nam Baianus artis magicæ peritus Bulgarorum princeps, ita Baſilium & filiū Conſtantinum Byzantinos principes bello vexabat, vt paulùm ab capienda vrbe regia abeſſet, negligentia Græcorum propè derelicta. Inita tamen ſunt inter eos fœdera, licet nō æqua, & pax compoſita eſt. Adalbertus autem Bohemus Pragenſis epiſcopus, tantæ ſanctitatis tum habitus eſt, vt diuino ſpiritu impellēte in Pannoniā deſcendens, & Regē Vngarorū baptizauerit, & omnes prouinciẹ epiſcopos ad bene de Deo promerendū exēplo & vita inſtruxerit. Profectus deinde in Pruſiam, dum fidem Chriſti quàm diligētiſſimè prædicat, martyrio coronatur. Ferunt & beatum Eduardum Angliæ regem, ſanctitate in pretio tum habitum fuiſſe, quem certè nouercæ dolis & fraude interfectum conſtat. His addit & Richardus ſcriptor ſanctum Maiolum abbatem, qui in Cluniaco magnum ſui apud poſteros vita & miraculis exemplum reliquit.

Donus autem anno pontificatus ſui primo moritur, & in baſilica Petri ſepelitur: diebus tantummodo duobus ſedes tum vacat.

## BONIFACIVS VII.

BOnifacius ſeptimus, cuius cognomen & patria ob ignobilitatem credo reticetur, pontificatum malis artibus adeptus, malè etiam amiſit. Nam inito magiſtratu conſpirantibus ſimul bonis ciuibus, relinquere vrbem coactus, precioſiſſima quæque è baſilica Petri ſubtrahens, Conſtantinopolim confugit: vbi tandiu ſubſtitit, quoad diuenditis, quæ ſacrilegio abſtulerat, magnam vim pecuniarum comparaſſet, quibus tanquam adminiculis occupandæ tyrannidis fretus, vrbem repetit, ciues Romanos largitione 140. Pont.

corrupturus. Obſtabant conatibus ſuis viri boni, maximè verò Ioãnes diaconus cardinalis, quem captum adiuuantibus quibuſdã pernicioſis hominibus, oculis ſtatim priuauit. Atq; ipſe tantorũ malorum auctor, gliſcente maiorem in modũ ſeditione, ſiue timore, ſiue pœnitentia patrati ſceleris, turpiter vitã finiuit. Vide quæſo quantum degenerauerint hi pontifices à maioribus ſuis, qui hanc rempublicam Chriſtanam tam amplam, tamq; magnificam ſuo ſanguine nobis reliquêre. Pontifex Romanus ſacrorum pater & rex, ſacra ipſa furto abſtulit: & qui vindicare ſacrilegia debuerat, tanti ſacrilegij factus eſt auctor. Hoc autem contingere in quauis rep. conſueuit, quando plus malorum ambitio & auaritia valet, quàm bonorum virtus & grauitas. In clerum igitur deligendi eſſent, quorũ vita & doctrina probata ſit: non autem hi, qui cùm nil virtutis & religionis habeant, ambitione & largitione ſibi potentiam quærunt. Vixit autem Bonifacius in põtificatu menſibus ſeptem, diebus v. Vacat tum ſedes dies viginti.

## BENEDICTVS VII.

141.Pont. BEnedictus ſeptimus, patria Romanus, ſtatim inito põtificatu, Arnulphum epiſcopum Remenſem ſeditione quorundam pulſum, habita ſynodo in integrum reſtituit.

Eo maximè tempore, quo Otho ſecundus & Henricum Bauarorũ ducẽ rerũ nouarum cupidum perdomuit, & in Lothariũ mouit, qui Lotharingiam Romani imperij prouinciam occupauerat, Aquiſgranenſemq; agrũ populatus fuerat. Otho autẽ ſuperato Lothario, vaſtatiſq; Sueſsionũ agris, ac incenſis Pariſiorum ſuburbijs, dum in patriam copias reducit, apud Auxonã fluuium nonnihil incõmodi accipit. Deinde verò comparato maiore exercitu in Italiam contra Baſilium & Conſtantinum imperatores Grecorũ veniens, qui iam Calabriam & eam partem Italię occupauerant, quæ ad Siciliam vergit, apud Baſentellum ſuperatus, ſcapham conſcendens, ſalutem ſibi fuga quærebat: A piratis autem fortè fortuna captus, *in Siciliã* defertur. Verùm Siculi redempto homine, ac Romam miſſo, de piratis ſupplicium ſumpſere. Otho deinde cõparato ſatis iuſto exercitu, animaduertere in Romanos & Beneuentanos conſtituerat, à quibus *initium* fugiendi factum fuerat, dum ad Baſentellum contra Græcos pugnaretur, agere id in Romanos minus tutũ viſum eſt. In Beneuentanos itaq; conuerſus, vrbem capit & incendit, tranſlato inde ſancti Bartholomæi corpore, Romæque in inſula Tiberina collocata, eo loci maximè, qui olim Iouis hoſtia Lycaonia dicebatur, quiq; triremis puppim præ ſe fert. Nam inſula vt adhuc ex Tiburtino lapide cernitur, triremis formam habuit, ad ſimilitudinẽ illius credo, qua Aeſculapius Romam aduectus eſt: viſitur adhuc ſerpẽs lapidi inſculptus, viſuntur tranſta, adeo viri illi excellentes ſtudioſi erãt, vel naturam in artem redigere, vel artẽ ad naturam. Ad Othonẽ redeo, qui non multo poſt trãſlatum ſancti Bartholomęi corpus Romæ moritur, & in veſtibulo beati Petri (paradiſum vocant) labro porphyretico, quod adhuc introeuntibus ad læuam apparet, honorificentiſsimè ſepelitur. Cum autẽ de creando nouo imperatore conſultatio haberetur, & alij Othonem tertium ſecũdi filium, alij verò Henricum Bauariæ ducem, primi Othonis ex fratre nepotem expoſcerent, inſtarentq; Itali quidam, vt Creſcentio Nomẽtano viro clariſſimo res committeretur, Germani ſtatim, qui tum frequentes Romæ aderant, Othonem tertium delegêre.

*Bartholomæi corpus trãsfertur.*

Inſtabat Benedictus vir optimus vnumquemque rogando, vt in creando imperatore reipub. Chriſtianæ conſulerent, quæ tum maximè perito & ſolerti gubernatore indigebat. Tandem verò ne ſeditio aliqua oriretur, Germanorum ſentẽtiam approbat. Moritur & ipſe pontificatus ſui anno octauo, menſe ſexto. Vacatque ſedes diebus quinque, Valderico Amburgenſi epiſcopo tum maximè in precio exiſtente doctrina, moribus & ſanctitate vitæ.

## IOANNES XV.

142.Pont. IOannes decimusquintus, patria Romanus, vel (vt nonnulli volunt) Papienſis, poſt adeptum pontificatũ menſe tertio à Romanis capitur & in mole Hadriani, vt publica cuſtodia incluſus, ibi tandiu pedore carceris, inedia



inedia & moleſtia animi maceratur, quoad vitam turpiter finiuit. Sunt qui ſcribant, eum vi mortuum fuiſſe à Ferrucio Bonifacij ſeptimi parente, magnæ potentiæ virò, ob eam rem credo, quod filio in pontificatu aduerſatus fuiſſet. Vtcunque eſt, conſtat eum in carcere mortuum, & in baſilica Petri ſepultum. Deiectúſne pontificatu fuerit, vel ob impotentiam & tyrannidem, vt quidam coniectant, vel ob inuidiam maleuolorum & ſeditioſorum quorundam, haud ſatis conſtat: adeo ſunt confuſæ iſtorum temporum hiſtoriæ.

Fuiſſe tamen in pretio hac tempeſtate conſtat & Odilonem abbatem Cluniacenſem, & Berengarium Turonenſem, viros ſanctitate & doctrina inſignes, quanquam ſint qui dicant, Berengarium amplitudine doctrinæ confiſum, primo in fide erraſſe, cum de ſacramento euchariſtiæ malè opinaretur, erroremque ſuum poſtea publico concilio Romæ habitò emendaſſe, ac ſtatim omiſſo ſtudio ſophiſticæ diſciplinæ, cum eſſet archidiaconus Andegauenſis, omnia pauperibus erogans, labore mannuum ſuarum victum ſibi quæſiuiſſe.

## IOANNES XVI.

IOAnnes decimusſextus, patria Romanus, patre Leone presbytero è regione Gallinæ albæ, pontificatum adeptus, miro odio in clericos exarſit, vnde merito ab ipſis clericis odio habitus eſt, maximè verò quod diuina humanaque omnia cognatis & affinibus ſuis elargiebatur, poſthabito Dei honore & Romanæ ſedis dignitate, quem certè errorem ita poſteris tradidit, vt ad noſtram quoque ætatẽ peruenerit. Qua quidem conſuetudine nil certè dici pernicioſius poteſt, cum non ob religionem & Dei cultum appetere pontificatum noſtri ſacerdotes videantur, ſed vt fratrum vel nepotum vel familiarium ingluuiem & auaritiam expleant. Apparuiſſe cometem tum ferunt futuræ calamitatis indicium: nam & fame & peſte diu laboratum eſt, & terræmotu Beneuentum ac Capua concuſſa, eaque mala ob ſuperbiam & rapacitatem pontificis, contemptumque Dei & hominum accidiſſe putatum eſt. Moritur autem Deo volente octauo pontificatus ſui menſe, ſepeliturque in baſilica Petri. 143.Pont.

## IOANNES XVII.

IOannes decimusſeptimus, patria Romanus, pontificatum inijt Othone imperante, ſed nondum coronam imperij adepto. Fuit autem Ioannes vir tantæ doctrinæ, vt multa quidem eleganter ediderit, quemadmodum Martinus ſcribit. Agitatus deinde ſeditionibus à Creſcentio conſule Romano, imperium vrbis ſibi vẽdicare conante, cupditati hominis cedens, exulatum in Hetruriam abijt. At verò Creſcentius cognita Ioannis indignatione, qua percitus Othonem contra ſe cum exercitu in Italiam vocabat, ipſius pontificis cognatos & amicos, qui in vrbe remanſerãt, ad hominem mittit rogatum, vt omiſſa accerſendi Othonis cura, ad vrbem cum poteſtate redeat, polliceturque ſe ei rebus in omnibus obtemperaturum. Precibus autem ſuorum motus Ioannes, veritus etiam, ne ſi Otho cum exercitu Italiam ingrederetur, plus maleficij, quàm beneficij ſecum afferret, ad vrbem veniens, prodeunte obuiam Creſcentio cum omnibus magiſtratibus, & vrbana multitudine, in ædes Lateranenſes magno comitatu introducitur: quarum in veſtibulo eius pedes Creſcentius & omnes ſeditionis auctores, petita venia, exoſculati ſunt, atque ita in concordiam redacti, vitam ſimul quietè traduxêre. 144.Pont.

Ferunt tum Henricum abbatem Lobienſem in Lotharingia, & Adeoboldum epiſcopum Vltraiactenſem, qui multa in laudem beatæ virginis, ſanctæque Crucis ſcripſit, & Albonem abbatem Floriacenſem (qui poſtea in Vaſconia ob fidem Chriſti martyrium paſſus eſt) doctrina, religione, ſanctitate, magno in pretio habitos.

Moritur autem Ioannes pontificatus ſui anno decimo, menſe ſexto, die decimo. Vacat tum ſedes diebus ſex.

GREGO.

# GREGORIVS V.

145.Pont. GRegorius quintus, natione Saxo, patre Othone, Bruno antè vocatus, Othonis tertij auctoritate ob affinitatem pontifex creatur. Verùm abeunte in Germaniam Othone, ſeditionibus Romanorum exagitatus, in Etruriam primò, mox in Germaniam ad imperatorem confugit. Interim verò Romani Creſcentium denuo cum ſumma poteſtate conſulem decernunt, qui ſtatim Ioannem quendam natione Græcum, epiſcopum Placentinum, non minus pecunioſum, quàm doctum, pontificem creat, cuius certè nomen inter pontifices, quidam ſupprimunt, vtpote minus legitimè creatum: alij verò xvij. hunc vocant, quòd populi clerique Romani conſenſu, ad quos electio ſpectabat, pontificatum inijſſet. At Creſcentius cognito Othonis cum magno exercitu ad vrbem aduentu, vrbis mœnia & portus quàm diligentiſſimè firmat, molem Hadriani munit, poſitis in vnaquaque ſtatione firmiſsimis præſidijs. Hinc eſt, quòd poſtea moles Hadriani, Creſcentij arx appellata eſt, ſumpto nomine ab ipſo munitore Creſcentio. Superueniente deinde imperatore, vrbemq; oppugnare adorto, populus Romanus, cùm nequaquam tantis copijs par eſſe poſſet, clementia Othonis fretus, Germanis portas aperit. Tum Creſcentius & Ioannes cōſilij & auxilij inopes, in arcem Hadriani confugientes, ſeſe acriter contra hoſtes tuebantur. Verùm propoſita ſpe veniæ, dum ex arce ad imperatorem ſe conferunt, multis vulneribus à multitudine Creſcentius confoditur: Ioannes autem, effoſſis prius oculis, pontificatu ſimul & vita priuatur, in priſtinamque ſedem Gregorius xj. menſe poſteaquam pulſus fuerat, reſtituitur. Is autem cognita imperij imbecillitate, varietateque fortunæ, quò diutius apud Germanos ſumma poteſtas remaneret, illeque cęteris pręeſſet, qui virtute & dignitate cęteris pręſtaret, ſanctionem retulit haud abnuente Othone de imperatore eligendo anno Chriſti M. ac ſecundo, quam vſque ad tempora noſtra ſeruatam videmus, videlicet, Solis Germanis licere principem deligere, qui Cæſar, & Romanorum rex appellatus, tum demum imperator & Auguſtus haberetur, ſi eum Romanus pōtifex confirmaſſet. Hos autem imperatoris eligendi auctoritatem primo habuiſſe Ptolemæus refert, archiepiſcopum Maguntinum Germanię, archiepiſcopum Treuerenſem Galliæ, archiepiſcopum Colonienſem Italiæ nomine. His additi & iiij. principes, Marchio Brandemburgenſis, imperatoris poſt electionem camerarius, comes Palatinus qui dapes, dux Saxoniæ qui enſem fert. Sunt qui ſcribant Bohemiæ regem vij. electorem, imperatoris pincernam eſſe: hisque in eligendo additum eſſe, ad tollendam diſcordiam partium: ad vtros enim inclinaſſet, ea pars certè potior habebatur. Tuliſſe hoc iniquo animo Francos aiunt. Verùm quia in Ludouico Lotharij filio genus Caroli Magni defecerat, regnumq; illud ad Hugonem ducem cognomento Caputium venerat (nam à regibus ad duces res aliquandiu tranſlata eſt) repetere imperium deſtitêre: maximè verò quòd ipſi duces noui homines, illa fortuna tum contenti, moliri maiora non ſunt auſi: quippe qui nondum bene regni fundamenta iecerant. Laudatur tamē, & meritò quidem Robertus magni Hugonis filius, regnum à patre accipiens fortitudine, iuſtitia, modeſtia & religione. Hic enim etſi rei militaris admodum ſtudioſus erat, tum vbi per otium licebat, ita Dei templa frequentabat, diuinaq; officia celebrabat, acſi ſacrorum omnium initiatus fuiſſet. Ferunt cantum illum eius inuentum fuiſſe, Sancti ſpiritus adſit nobis gratia. His artibus autem non minus quàm armis crediderim ego Robertum conciliaſſe ſibi animos vulgi, eosque à prima illa Caroli Magni ſtirpe, ad genus ſuum nouum tranſtuliſſe. Ferunt tum quoque magno in pretio fuiſſe Robertum quendam Carnotenſem epiſcopum, doctrina & ſanctitate vitæ. Multa enim ſcripſit, & canendi modum in ſacris meliuſculum reddidit. Gregorius autem ij. pontificatus ſui anno, menſe v. moritur. Vacat tum ſedes diebus xv.

*Germanis ſolis electio imperatoris permiſſa.*

*Principes electores.*

### ANNOTAT.

*Quæ hic Platina de electoribus tradit, ſatis à me examinata ſunt in libro quem de comitijs imperatorijs ſcripſi. Nam quæ ſub Gregorio X. inſtituta ſunt, Quinto adſcribunt. Huius ſepulchrum adhuc in baſilica ſancti Petri prope altare ſancti Andreæ extat cum hoc epitaphio,*

Hic



*Hic, quem tegit humus, oculis vultuq; decorum,*
*Papa fuit Quintus nomine Gregorius.*
*Ante tamen Bruno Francorum regia proles*
*Filius Othonis de genitrice Iudith.*
*Lingua Teutonicus Vangia doctus in vrbe*
*Sed iuuenis cathedram ſedit Apoſtolicam.*
*Ad binos annos, & menſes circiter octo*
*Ter ſenos Februo connumerante dies.*
*Pauperibus diues per ſingula ſabbata veſtes*
*Diuiſit numero cautus Apoſtolico.*
*Vſus Franciſca vulgari, & voce Latina*
*Inſtituit populos eloquio triplici.*
*Tertius Otho ſibi Petri commiſit ouile*
*Cognatis manibus vnctus in imperium.*
*Exuit, & poſtquam terrenæ vincula carnis*
*Aequiuoci dextro ſubſtituit lateri.*
*Diſceſſit xij Kl. Mart.*

# IOANNES XVIII.

IOannes decimusoctauus, Placentinus epiſcopus, vt diximus, potentia 146.Pont. Creſcentij Romani conſulis fretus, quem pecunia corrupiſſe creditum eſt, tempore Gregorij quinti per factionem pontificatum occupat. Tantum enim pecuniarum ex Conſtantinopoli ad vrbem ſecum detulerat, vt conſtantes etiam ſua largitione ad maleficium impelli potuiſſent, nedū Creſcentius homo auariſsimus & regnandi cupidus. Miror ego, hiſtoricos Ioānem ipſum inter pontifices numeraſſe, cum viuente adhuc Gregorio ſedem occupaſſet, niſi fortè in conſcribendis pontificum vitis ita faciendum cenſent, vt in perpetua hiſtoria fit. Nam & tyrannorum peruersè facta, optimorum principum rebus geſtis annumerantur, vt quantum inter ſe boni & mali diſsideant, à legentibus cognoſci poſſit, quò malorum exemplo à vitijs deterreantur: & bonorum exemplo ad virtutem impulſi, vitam ducant interris felicem & beatam: qua quidem beatitudine Ioannes caruit, fur certè in pontificatu & latro: non enim, vt par fuerat, per oſtium intrauit. Moritur autem, atque cum ignominia quidem, decimo vſurpati pontificatus menſe. Vacat tum ſedes dies viginti.

# SILVESTER II.

SIlueſter ſecundus, Gerebertus anteà vocatus, natione Gallus, malis 147. Pont. artibus (vt aiunt) pontificatum adeptus eſt. Adoleſcens enim & Floriacenſi cœnobio in Aureliana diœceſi poſito dedicatus monachus & addictus, relicto monaſterio, diabolum ſecutus, cui ſe totum tradiderat, Hiſpalim ciuitatem Hiſpaniæ bonarum artium cauſa peruenit. Erat enim admodum doctrinæ & litteraturæ cupidus, qua in re tantum profecit, vt breui ex diſcipulo optimus præceptor ſit habitus. Diſcipulos autem eius hos fuiſſe Martinus teſtatur, Othonem imperatorem, Robertum Franciæ regem, Lotharium virum nobilitate & doctrina inſignem, qui poſtea Senonenſis archiepiſcopus creatus fuit. Gerebertus igitur ambitione & diabolica dominandi cupiditate impulſus, largitione primò quidem archiepiſcopatum Remenſem, inde Rauennatem adeptus, pontificatum poſtremò, maiore conatu adiuuante diabolo conſecutus eſt, hac tamen lege, vt poſt mortem totus illius eſſet, cuius fraudibus tantam dignitatem adeptus erat. Nam cùm Gerebertus regnandi cupidus, diabolum ſciſcitaretur, quamdiu in pontificatu victurus eſſet, reſpondit humani generis hoſtis ambiguè, vt ſolet: ſi non attigeris Hieruſalem, diu viues. Dum itaque pontificatus ſui anno quarto, menſe vno, die decimo in baſilica ſanctę crucis in Hieruſalem Romæ ſacrificaret, fato moriturum ſe ſtatim cognouit, vnde pœnitentia motus, & errorem ſuum coram populo faſſus, omnes primò poſthabita ambitione, & diabolicis fraudibus, ad benè & ſanctè viuendum adhortatus eſt: deinde verò vnumquenq; rogauit, vt poſt mortem truncum corporis ſui laceri & deſiecti, quemadmodū merebatur, bigæ ſuper imponerēt, eoq; loci ſepelirent, quò ſponte ab equis vectum foret. Ferunt itaq; Dei nutu & prouidentia, vt ſcelerati ſciāt apud Deum locum veniæ ſibi relictum eſſe, ſi in vita aliquando eos pœnituerit, equos ipſos ſponte ad Lateranenſem baſilicā perueniſſe, eoq; loci ſepultum eius corpus fuiſſe. Scribit idē Martinus, tam ex colluſione oſsiū, quàm ex ſudore ipſius ſepulchri, vel humectatione potius, deinceps morituri pontificis ſigna, & quidem manifeſtiſſima colligi, idq; ipſius ſepulchri epitaphiū indicare. Verùm ne ſit, an ſecus, ipſi pōtifices viderint, ad quos pertinet.

A.N.

### ANNOTAT.

*Huius in bibliotheca Alexandri Fornaſi cardinalis ampliſſimi extat in membranis ſcriptus vetuſtiſſimis characteribus liber, cum hac præſcriptione.* INCIPIT LIBER GEOMETRICAE ARTIS EDITVS A DOMINO GERBERTO PAPA ET PHILOSOPHO, QVI ET SILVESTER II. EST NOMINATVS. *Cuius mortis fabulã ex Martino Ciſtertienſe, & additionibus Galfridi in chronicum Sigeberti ſequutus eſt Platina, quare nihil abſurdius, magisq; inter ſe repugnans. Non poſſum certe non mirari, tantam fuiſſe hominum in eiuſmodi rebus perquirendis negligentiam, immò facilem credulitatem, vt viris optimis, & doctiſſimis ab horum, & ſequentium temporum parum diligentibus ſcriptoribus talia crimina impingi impunè, non ſolum permiſerint, verùm inſcitiam quoque ipſorum ſequuti ſint. Vir fuit Silueſter II. vt Annonius libr. 5. de rebus geſtis Francorum cap. 46. Guillelmus bibliothecarius: Vetuſtiſſimus liber Regni Siciliæ, qui eſt in bibliotheca Vaticana, & alij tradunt, doctiſſimus: Mathematicus, & philoſophus egregius, monachus ex Floriacenſi cœnobio, propter inſignem doctrinam primùm archiepiſcopus Remenſis, deinde ab Othone III. imperatore archiepiſcopus Rauennas, demum papa creatus, quòd omnes etiam horum temporum ſcriptores referunt. Verùm quoniam rari admodum tunc in occidente erant, qui philoſophiæ, & mathematicis operam darent, ſi quis eiuſmodi eſſet, ab imperito vulgo ſtatim magus, & nigromanticus vocabatur, cæterum hanc de morte eius, ſiue diaboli percuſſione famam alibi commodius cõuellam. Addam tantum eius ſepulchri, quod Laterani adhuc viſitur, elogium, quanquam barbarum, rem tamẽ totam aperiens, ab eius ſucceſſore Sergio papa factum, ſic.*

*Iſte locus mundi, Silueſtri membra ſepulti,*
*Venturo domino conferet ad ſonitum.*
*Quem dederat mundo celebre doctiſſima virgo,*
*Atq; caput mundi culmina Romulea.*
*Primùm Gerbertus meruit Francigena ſede,*
*Remenſis populi Metropolim patriæ.*
*Inde Rauennatis meruit conſcendere ſummum,*
*Eccleſiæ regimen nobile ſitq; potens.*
*Poſt annum Romam mutato nomine ſumpſit,*
*Vt toto paſtor fieret orbe nouus.*
*Cui nimium placuit ſociali mente fidelis,*
*Obtulit hoc Cæſar tertius Otho ſibi.*
*Tempus vterq; comit clara virtute ſophiæ,*
*Gaudet & omne ſeclum, frangitur omne reum.*
*Clauigeri inſtar erat, cælorum ſede potitus,*
*Terna ſuffectus, cui vice paſtor erat.*
*Iſte vicem Petri poſtquam ſuſcepit, abegit*
*Luſtralis ſpatio ſæcula morte ſui.*
*Obriguit mundus diſcuſſa pace triumphus,*
*Eccleſiæ mutans dedidicit requiem,*
*Sergius hunc loculum miti pietate ſacerdos,*
*Succeſſorq; ſuus compſit amore ſui.*
*Quiſquis ad hunc tumulum deuexa lumina vertis,*
*Omnipotens Domine, dic miſerere ſui.*

*OBIIT ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS M. III. INDICTIONE I. MENS. MAI. DIE XII.*

## IOANNES XIX.

148.Pont. IOannes decimuſnonus, cuius cognomentum & patria ob ignobilitatem ignoratur, quarto menſe, die xx. poſt initũ pontificatum moritur. Vnde ob breuitatem pontificatus nil ab eo, vel à quopiam alio geſtum memoria dignum ſcribitur, niſi quòd illo quinquemeſtri pontificio multa prodigia apparuêre, futura mala indicantia: viſus & cometes, & terræmotu multæ vrbes concuſſæ.

*Satius eſt bene viuendo laudem & gloriam quàm male agendo diuitias cum ignominia reportare.*

In his autem malis vnicum leuamen Hugo præfectus Othonis in Italia, & Etruriæ gubernator eſt habitus, adeo enim iuſtè & integrè prouinciam ſibi creditam rexit, vt optimi principis deſideriũ nemini nõ prouincialium reliquerit. Quem poſteà Piſtorij mortuum Etruſci omnes non ſecus ac publicum parentẽ luxêre, nullo non genere honoris funeri eius adhibito. Placuit hoc loco Hugonis laudes commemorare, vt gubernatores prouinciarum intelligãt, ſatius eſſe benè & integrè viuendo laudem & gloriam, quàm malè agendo diuitias malè partas cum ignominia & nota ſempiterna reportare.

## IOANNES XX.

149.Pont. IOannes vigeſimus, patria Romanus, è regione portæ Metodij, pontificatum iniens, ad otium conuerſus, nil dignum memoria geſſit.

*Robertus rex Franciæ.*

Laudari vel maximè Robertus rex Franciæ poteſt, qui ea tempeſtate non minus piam, quàm regalem vitam ducebat. Nam & doctrina & ſanctitate omnes reges Chriſtianos ita anteibat, vt diſputationibus nulli ſecundus haberetur: longè aliter ſentiens, quàm quod noſtrorum temporum reguli arbitrantur, nequaquam principe dignum eſſe dictitantes, ſcire literas, cùm eos maximè deceat, qui populos regunt, benè gubernandi rationem ex aliorum pręceptis colligere: quod fieri ſine doctrina & lectione non poteſt. Quid enim



enim aliud eſt princeps illitteratus, quàm imago leonis cæteris feris imperantis? Sedent affectus tum ſuos, tum populorum neceſſe eſt, qui digni haberi volunt, vt alijs imperent. Meritò igitur Robertum laudamus, cuius præterea tanta fuit religio, vt quoties ſibi per occupationes bellicas liceret, horas canonicas vnà cum ſacerdotibus caneret. Hac autem pietate hoc meritum ferũt, cum oppidum quoddam ex hoſtibus obſideret, neque horas ſuas intermitteret, mœnia hoſtium diuinitus corruerent, ſtatimque irruentibus ſuis oppidum caperetur.

Ioannes verò (vt quidam auctores ferunt) pontificatus ſui anno quarto, menſe item quarto moritur, ſepeliturque in baſilica Petri. Vacat tum ſedes diebus vndeuiginti.

### ANNOTAT.

*Ioannes hic quem xxi. Platina vocat, ſe ipſe xix. appellat, in ſuis, quæ apud me extant diplomatibus, item publicarum tabularum inſtrumentis ſuo tempore factis, quare Ioannes illi, quos nos xxi. xxij. & xxiij. vocamus xx. xxi. & xxij. dicendi eſſent.*

## SERGIVS IIII.

SErgius quartus, patria Romanus, patre Martino, vir ſanctiſſimæ vitę grat æq; conſuetudinis, & ante pontificatũ & in ipſo magiſtratu fuit. In pauperes liberalis, in amicos & familiares iucundus, in delinquẽtes clemens, in contumaces modeſtus. Tantæ prætereà prudẽtiæ fuit, vt toto ſuo pontificatu nil cõmiſſum ſit, quo meritò reprehendi gubernantis negligentia poſſit. In Deum enim omnem mentem conuertẽs (quod facere pontifices omnes deberent) iuſtè atq; integrè omnia ex animi ſui ſentẽtia bene natura & moribus inſtituti gubernabat. Interea verò huius conſilio & monitionibus principes Italiæ compoſito fœdere cõſilia ineũt pellendi Sarracenos è Sicilia. Idque moliri paribus animis & copijs inſtituunt. 150.Pont.

Erant tum in Italia Tancredi magni Normandiæ ducis filij plerique, quorum de numero Guillelmus cognomẽto Ferrabrach, tanti animi fuit, vt aſſumpto in ſocietatem expeditionis Malocho Michaëlis Catalaici Cõſtantinopolitani imperatoris copiarum duce, Sarracenos è Sicilia breui expulerit, adiuuantibus etiã Campano & Salernitano principibus. Verùm cum poſteà Malochus prædã malignè diuideret, Guillelmus diſſimulandum eſſe ad tempus ratus, in Italiã rediens cum quadraginta millibus Normannorum militũ, qui tum ab expeditione Hieroſolymitana redierant, Apuliam Græcis obtemperantem occupat: ad Melphiam Malochũ cũ exercitu occurrentẽ fundit fugatq;. Atq; ita virtute Guillelmi à Græcis ad Normannos regnum Apuliæ tranſit. Verùm poſteà mortuo ſine heredibus Guillelmo Drogo frater, Drogoni autem Hũfridus iunior ſucceſſit, vnde poſteà Robertus Guiſcardi & Rogerius frater originem habuêre.

Dum hæc autem in Apulia agerentur, laborante Italia, ac ferè toto orbe terrarũ fame ac peſte, Sergius vir ſanctiſſimus ſecundo pontificatus ſui anno, die quintodecimo moritur, ſepeliturque in baſilica Petri. Vacat tum ſedes diebus octo.

## BENEDICTVS VIII.

BEnedictus octauus, patria Tuſculanus, patre Gregorio, inito pontificatu in demortui Othonis tertij locũ Henricum primũ è gente Bauara imperatorẽ, ſecundũ inſtitutionẽ Gregorij quinti creatũ, corona imperij donat. Sunt qui ſcribant, Othonem ipſum Romæ mortuũ, eiusque corpus in Germaniam delatum fuiſſe: alij autem in baſilica Petri ſepultum affirmant. Vtcunque eſt, conſtat Henricum Bauarorum ducem virum optimum ac ſanctiſſimum imperatorem creatum, habuiſſeque vxorem, quæ nequaquam mariti laudibus, pietate, religione, humanitate cederet. 151.Pont.

Verùm dum is res Germanię componit, Sarraceni Italiam ingreſſi, Capuam occupant, Barum obſident. Barenſibus autem fame laborantibus, Veneti annonã claſſe important. At verò dum nihilominus ciuitas ipſa obſideretur, ijdẽ Veneti adiuuãtibus Græcis Sarracenos aggreſſi, multis interfectis, Barum obſidione liberãt, anno ſalutis octauo & milleſimo: quo quidem tempore Turci Hieroſolymis

mis captis,non tamen ſepulchrum Domini eccleſiaſque montis Syon aut Beth-
leē violauêre.Laborantibus Hieroſolymis ſuccurrere Venetis erat in animo,ni-
ſi Iaderenſes hoſtes eos diſtinuiſſent. Quos quidem Veneti apud Lauretum tan-
ta clade perdomuere,vt nunquam poſtea inferre bellum finitimis ſint auſi.Hen-
ricus autem compoſitis Germaniæ rebus Romam veniens accepta imperij coro
na Capuam mouens,Sarracenos inde expulit, ac Bubaganum Græcorum ducē,
qui Mauris fauerat,acerrimo bello adeo perſecutus eſt,vt eum quoq; è Troia eie-
cerit, quæ in finibus Apuliæ à ſe eo loci condita fuerat, vbi olim Hannibalis ca-
ſtra ſunt habita. Sunt autem qui ſcribant Henricum cum vxore Chunegūda ita
caſtè ac ſanctè vixiſſe, vt vterque in morte miraculis claruerit. In vita enim nil
*Bambergē ſis epiſcopatus.* prætermiſit,quod ad honorem Dei pertineret.Nam & Bambergenſem fundauit
epiſcopatum,& ſororem ſuam regi Vngarorum in vxorem collocauit, cuius o-
pera rex ipſe & populi omnes imperio eius ſubiecti integram Chriſti fidem acce-
pêre. Moritur autem Henricus decimooctauo imperij ſui anno, magno de ſe re-
licto apud ſuos deſiderio.

Benedictus verò mortuo Henrico, quo defenſore rebus in omnibus vtebatur,
per ſeditionē alio in locū eius ſuffecto pellitur. Verùm poſtea inita cum inimicis
*Adulterinus pōtifex* ſuis concordia,pulſo adulterino pontifice,in vrbem cum dignitate rediens,vn-
decimo pontificatus ſui anno,menſe vno,die xiij. moritur,ſepeliturque in baſi-
lica Petri. Sunt etiam qui referant epiſcopum quendam die in ſolitudine vidiſſe
Benedictum equo nigro inſidentem,eumque interrogaſſe, quid cauſæ eſſet,cur
mortuus equo nigro veheretur: Tum Benedictum hominem rogaſſe, vt pe-
cunias,quas occultauerat(locum indicat)pauperibus ſuo nomine erogaret: quæ
antea datæ fuerant eleemoſynarum nomine,nil ei profuiſſe,quia ex rapinis par-
tas conſtabat. Facit mandata epiſcopus,ac ſtatim epiſcopatu ſe abdicat, & vitam
monaſticam amplectitur. Scribit Vincentius Gerardum Canodienſem epiſ-
copum,doctrina & moribus eiſdem tēporibus magno in precio fuiſſe: huic ad-
dit Guthet epiſcopum Pragenſem doctrina & ſanctitate vitæ tum præcellentem,
& ob eam rem ab hoſtibus orthodoxæ fidei martyrio coronatum. Tanta præte-
reà eodem tempore pèſte laboratum eſt, vt plures mortui, quàm ſuperſtites ſint
habiti. Quam quidem calamitatem in Lotharingia fons ſaluberrimæ aquæ indi
cauit, in ſanguinem tum verſus.

## IOANNES XXI.

*152. Pont.* IOannes vigeſimusprimus, patria Romanus, patre Gregorio,epiſcopus
Portuenſis,vt quidam volunt, vt alijs placet, nullis ſacris antè initiatus
pontificium munus ſuſcepit, eo tempore, quo Conradus Sueuus in de-
mortui Henrici locum triennio pòſt legitimis ſuffragijs imperator creatur. Hoc
autem interregno crediderim ego multas Italiæ ciuitates ſpe libertatis erectas,
ab imperio defeciſſe.

Hanc ob rem Conradus vir in re militari præſtans,quippe qui apud Henricum
diu ordinum dux fuerat,coactis propere copijs in Italiā deſcendens,primò in Me
diolanenſes ducit tantæ defectionis auctores,eos obſidet,ſuburbia incendit,exci
diumq; & interitum vrbi minatur.Mutata deinde ſentētia obſidionē ſoluit,Co
lonienſi antiſtite id ei ſuadente,quòd diceret beatum Ambroſiū ſibi inter miſſa-
rum ſolennia apparuiſſe,exitiumq; omnibus minitātem niſi ab vrbe diſcederēt,
cuius patrocinium ipſe ſumpſerat. Romā itaque Conradus proficiſcēs, accepta à
*Burgundia imperialis prouincia.* Ioanne pōtifice imperij corona,in Sclauos & Vngaros ducit, q rebellātibus Itali
cis auxilia præſtiterāt,eosq; breui perdomuit. At verò Rodulphus Burgundionū
dux,ſuorum ſeditionibus vexatus, Cōradi fidei & patrocino ſe cōmiſit. Quam-
obrē Burgundia deinceps imperialis prouincia aliqua ex parte habita eſt. Ferunt
Cōradum ipſum leges multas ac perutiles quidem tuliſſe,hanc præcipuè, vt cui-
uis principi capitale eſſet pacem,& quietem prouinciarum turbare. Hac itaq; ra-
tione motus,Lapuldum comitē Germaniæ acerrimè perſecutus eſt, quòd ab eo
turbandi otij & quietis initium ortum fuerat. Nūcios prætereà miſit, qui Græcis
& Normannis inter ſe de regno Apuliæ concertantibus imperarent, vt ab armis
diſcederent. Romanis quoq; exitium interminatus eſt, ſi diutius quemadmodū
cœpe-



cœperant,pontificem ſeditionibus vexaſſent,cuius tempore quorundam abba-
tum ſanctitate & vita monaſtica religio in Gallia præcipuè floruit, & Himeri-
cus beati Stephani Vngarorum regis filius ſanctiſsimus ob miracula eſt habitus.
Ioannes autem,cuius vita mirificè laudatur,vndecimo pontificatus ſui anno,
die nono moritur. Vacat tum ſedes diebus octo.

## BENEDICTVS IX.

BEnedictus nonus,vt quidam volunt,Ioannis nepos, patria Tuſcula- *153. Pont.*
nus, patre Alberico, eo tempore pontificatum inijt, quo Cumitus
Anglorum rex,voti & religionis gratia Romam venit, qui voti cō-
pos factus,in patriam rediens,filiam ſuam Henrico Conradi filio in
matrimonium locat.

Verùm non ita multò pòſt Conrado vita functo, Henricus filius eiuſdem no-
minis ſecundus,patri ſuccedēs comparato ſtatim exercitu, cū Olderico Boëmo-
rum rege dubio marte decertat. Repetito deinde certamine Oldericum ſupe-
rat & capit, vectigalemque factum incolumem dimittit. Mouens deinde in Vn-
garos de regno inter ſe diſsidentes, Petrum ab Alboino pulſum, in regnum re-
ſtituit.

Interim verò Romani Benedictum hominem ignauum, & nullius pretij
perosi, è ſede deijciunt, in eiusque locum ſufficiunt Ioannem Sabinum epiſco-
pum,Silueſtrum tertium appellantes, quo poſt nouem & quadraginta dies pul-
ſo,denuo Benedictus reſtituitur. Is autem cum cerneret ſe iterum ſubiturum ea-
dem diſcrimina, Ioanni archipresbytero ſancti Ioannis ad portam Latinam,
qui poſtea Gregorius ſextus appellatus eſt,pontificium munus liberè ceſſit: vel
(vt quidam affirmant) vendidit. Hāc ob rem meritò ab omnibus Benedictus ip-
ſe accuſatus eſt,& iudicio diuino damnatus. Cōſtat enim ſimulachrum eius ad-
modum monſtruoſum poſt mortem cuidam apparuiſſe: interrogatumque quid
illa horrida imago præ ſe ferret, cùm antea pontifex fuiſſet: Quia(inquit) in vita
ſine lege & ratione vixi, ideo volente Deo & Petro, cuius ſedē omnibus probris
fœdaui, ſimulachrum meum plus feritatis, quàm humanitatis in ſe habet. Nam
cum annis decem, menſibus quatuor, diebus nouem per interualla ſedem Petri
occupaſſet, tandem moritur. Nec vacaſſe tum ſedes dici poteſt, cùm pontificatū
vendiderit. Sunt qui ſcribant, hoc tempore Gerardum Venetum Vngarorum e-
piſcopum, virum optimum & doctiſſimum, ab hoſtibus Chriſtianę fidei marty-
rium æquiſſimo animo paſſum. Ad currum enim ligatus, ex altiſſimo monte in
præceps demittitur ac laceratur.

## SILVESTER III.

SIlueſter tertius,patria Romanus, patre Laurentio, in locum pulſi Bene- *154. Pont.*
dicti ſubrogatus, non diu in pontificatu manſit. Nono enim & quadra-
geſimo die factione ſuorum Benedictus reſtituitur. Eò enim tum pontifi
catus deuenerat, vt qui plus largitione & ambitione, non dico ſanctitate vitæ &
doctrina valeret, is tantummodo dignitatis gradū bonis oppreſſis & reiectis ob-
tineret, quem morem vtinā aliquādo non retinuiſſent noſtra tempora. Sed hoc
parum eſt, peiora(ni Deus caueat) viſuri aliquando ſumus. Ad Silueſtrum redeo
cardinalem Sabinum pontificem creatum, nō dico à collegio patrum, quod to-
lerabilius fuiſſet, ſed largitione, vt quidam tradūt: quo quidem pulſo ac merito,
cum non per oſtium, ſed per poſticum intraſſet, vt fur & latro, Benedictus denuo
reſtituitur tumultuante vrbe, & nunc alium appetente: quod fieri ab his populis
conſueuit, qui duce & rectore carent, quiq; malos pluris, quàm bonos faciunt.

## GREGORIVS VI.

GRegorius ſextus, ſancti Ioannis ad portam Latinam archipresbyter, pon- *155. Pont.*
tificatum(vt diximus) à Benedicto nono accepit. Has ob res Henricus ſe-
cundus in Italiam cum magno exercitu veniens, habita ſynodo, cum Be
nedictum nonum, Silueſtrum tertium, Gregorium ſextum tanquam tria teter-
rima monſtra abdicare ſe magiſtratu coëgiſſet, Suidegerum Bambergenſem
epiſcopum, cui Clementi ſecundo appellatio fuit, pontificem creat. Gilbertus

N 2 tamen

tamen hiſtoriarum ſcriptor, affirmat Gregorium bene de eccleſia Dei meritũ eſſe, cùm ſedis apoſtolicæ dignitatem negligentia priorum pontificũ labefactatã, ſua auctoritate & animi magnitudine breui reſtituerit. Nã & ditionem eccleſiæ recuperauit, & latrones circa vrbem poſitos, quorum ſęuitia peregrini ad vrbem religionis cauſa accedentes necabantur è medio ſuſtulit, prius execrationibus & interdictis admonitos, deinde vi & armis domitos. Hãc ob rem ferunt à pernicioſis hominibus vulgò homicidam, ſimoniacum & ſanguinis humani appetẽtiſſimum habitum, idq́; à Cardinalibus etiam quibuſdam prædicari ſolitum. Motũ itaq; Gregorium ipſum in ea ęgritudine, qua poſtea moritur, Cardinales ad ſe vocatos verbis caſtigaſſe, quodq́; iuſtè & ſanctè feciſſet, ipſi liuore moti reprehenderent: & vt, inquit, ſcire poſſitis, vbi mortuus fuero, rectè an perperam fecero, corpus meum antè fores eccleſiæ ſiſtite vectibus obſeratas: ſi diuino nutu aperiẽtur, cẽſetote me dignum Chriſtiana ſepultura: ſin ſecus corpus meũ vnà cum anima damnatum, quò volueritis, eijcitote. Fecêre mandata Cardinales, itaq; ita portæ coorto graui vento apertę ſunt, & corpus cum admiratione omnium & opinione magnę ſanctitatis introlatum eſt. Hęc ferè ſunt, quæ à varijs auctoribus de Gregorio ſcribuntur: quem quidem conſtat in pontificatu ſediſſe annis duobus, mẽſibus ſeptem, durante ſchiſmate.

*A N N O T A T.*

*Huius temporis ſchiſma accuratè ſane deſcribitur ab Hermanno Contracto monacho in chronicis, Leone Oſtienſe hiſtoriæ Caſſinen libro II. capit. xxc. & xxcij. & Othone Friſingenſe epiſcopis in hiſtoriarum ſuarum lib 6. cap 32. & 3;. ex quibus ego illud diligenter in meis libris digeſsi. Illud igitur à Platina omiſſum ſcitu dignũ Benedicto V I I I pulſo Silueſtrum I I I ſuffectum eſſe, quo à Benedicto ipſo vrbe exacto, Benedictus ſecum ordinari fecit alium Pontificem nomine Ioannem. Atque ita tres Pontifices Romanam ſedem vexabant. Quibus proborum hominum precibus & pollicitationibus ſacerdotiorum ſuorum iuri cedentibus, quartus ſuffectus eſt Ioannes Gratianus archipresbyter S. Ioannis ante portam Latinam, Gregorius VI. vocatus, qui Cluniaci pontificatu priuatus (quo ab Imperatore Henrico tertio relegatus fuerat) mortuus eſt, & non vt Platina tradit, illo mortis genere adhuc pontifex affectus. Ea enim, quæ poſt eius mortem accidiſſe ſcribit, minus certa ſunt, probatosq́; ſcriptores deſiderant. Multa de eo ſcripſit Gregorius Papa VII. qui eius diſcipulus, & alumnus fuit.*

## C L E M E N S I I.

156. Pont. CLemens ſecundus, Suidegerus antea vocatus, Bambergenſis epiſcopus in ſynodo pontifex creatur, annuente Henrico ſecundo, vel imperante & cogente potius. Verùm Henricus accepta à Clemente imperij corona, Romanos in verba ſua iurare coëgit, põtificum electioni ſe nequaquam interfuturos, niſi iuſſu imperatoris id facere cogerentur. Videbat enim imperator cò licentię factioſum quenq; & potẽtem, quamuis ignobilem deueniſſe, vt corruptis ſuffragijs tantã dignitatem conſequeretur: quæ certè niſi ſanctitate & doctrina bene meritis volente Deo demandari cuipiam non deberet. Inde verò Capuam profectus, rebus in prouincia bene diſpoſitis, cõductisq́; eò loci militibus, qui Sarracenis hoſtibus reſiſterent. Roma deinceps in Germaniam iter facit. Abeunte itaq; imperatore, vt quidam ſcribunt, Romani pontificem iniuſſu ſuo creatum, veneno è medio ſuſtulêre, pontificatus ſui menſe nono. Scribunt auctores venenum ipſum in hos vſus à Stephano paratum, qui ei in pontificatu ſucceſſit, Damaſusque ſecundus appellatus eſt, eo maximè tempore, quo Odiloni abbati Cluniacẽſi in magna ſanctitate mortuo Hugo abbas ſubſtituitur, vir genere, pietate, religione, clementia, doctrina inſignis, regnante altero Henrico in Francia, Alphõſo in Hiſpania, Michaele cum filio Conſtantino Byzantij: quod quidem imperium iam tum maximè labefactatum erat.

*A N N O T A T.*

*Quatuor ſequentes pontifices, viros quidem ſanctiſsimos, optimos & de Dei eccleſia bene meritos, ex imperatoris Henrici iij. auctoritate creatos ex horum temporum ſcriptoribus Hermanno Cõtracto in Chromeo, Lamberto Schafnaburgẽſe in hiſtoria Germanica, Othone Friſingenſe lib. 6. ca 33. & alijs probatis auctoribus cõſtat. Vnde miror Platinã optimi pontificis Damaſi II. famã ita fœdaſſe. Sed venia dignus eſt: nã alios auctores minus quã par eſſet diligẽtes hac in re forte eſt ſecutus, Martinũ dico & Galfridũ. Poſt hæc tẽpora ob inſignẽ librorũ & auctorũ copiã, quæ hactenus deſiderata eſt, clariora & illuſtriora omnia erunt. Vnde ex obſcuriſsimis tãquã tenebris hiſtoriarũ egreſsi paulatim in apertiſsimã lucẽ prodemus. Quare deinceps nõ eſt quòd multũ laborẽ, cum Platinæ ipſius lõgè poſt hæc accuratiorẽ hiſtoriã habeamus. Breui tamẽ quæ memoratu digna exiſtimabo. tãgã.*





## D A M A S V S I I.

DAmaſus ſecundus, natione Bauarus, cognomento Bagniarius, vel Popo, 157. Pont.
vt quidam volunt, pontificatum per vim occupat, nullo cleri populique conſenſu. Adeo enim inoleuerat hic mos, vt iam cuiq; ambitioſo liceret Petri ſedem inuadere. Sed obſtitit Deus iuſtus vindex, vt is cæteris exemplo eſſet, ne quod virtus dare conſueuit, ambitione & largitione quæretur. Nam tertio & xx. pontificatus ſui die moritur. Cenſent nonnulli hunc inter pontifices nequaquam numerandum eſſe, cum non rectè pontificatum adeptus ſit. Miranturque cur Romani tanta rei indignitate moti contra iuſiurandum Henrici iuſſu habitum abdicare ſe magiſtratu hominẽ ſtatim non coëgerint. Sed cùm breui admodum tempore vixerit, cumq́; vix ſui colligendi Romanis facultas data ſit, nequaquam eos aliqua cenſura dignos putauerim. Ad Leonem deinceps tranſeamus.

## L E O I X.

LEo nonus, natione Alemãnus, anno Domini milleſimo quadrageſimo- 158 Pont.
nono pontificatum hac ratione inijt. Nam cum Romani legatos ad imperatorem miſiſſent oratum, vt optimum põtificem ſibi daret, is ſtatim Baunonem epiſcopum Tullenſem, virum bonum & ſimplicis ingenij, legatis & eccleſiæ Romanæ obtulit. Cui quidem Romam pontificio habitu petenti, abbas Cluniacenſis, & Hildebrandus monachus Soana oriundus, obuiam facti perſuaſere, vt depoſito pontificali ornatu, Romam priuatus ingrederetur, quod dicerent Henricum nullam creandi pontificis poteſtatem à Deo habere, ſed ad clerum populumque Romanum id pertinere. Motus his verbis Leo, cùm etiam vocem è cælo intereundum audiuiſſet, Ego cogito pacis cogitationes, non afflictionis, depoſito pontificio apparatu, priuatus vrbem ingreditur, ſeipſum accuſans, quod imperatori maluerit, quàm Deo obtemperare. At verò Romanus clerus ſuadente Hildebrando eundem Baunonem in pontificem eligunt, eò libentius quòd omnem auctoritatem eligendorum pontificum ab imperatore (vt par erat) ad clerum tranſtuliſſet. Fecerant tamen vitia quorundam pontificum, quemadmodum ſcripſimus, vt meritò ipſi clero ſublata poteſtas videretur Dei iudicio, quò in melius eorum mentes flagitijs contaminatæ aliquando verterentur, ne Chriſtiana reſp. malis rectoribus commiſſa peſſundaretur. Pontificatum itaque hoc modo Bruno adeptus, ac mutato nomine Leo nonus appellatus, Hildebrandum ipſum ſtatim ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubdiaconum cardinalem creat: eidemque ſancti Pauli eccleſiam gubernandam committit, vt quaſi conſors pontificij muneris ſecum videretur, cùm alter Petri, alter Pauli templum tueretur & regeret. Interim verò Drogone Normannorum comite in Apulia mortuo, Giſulphus frater regnum adeptus, Beneuentum vrbem Romano pontifici deditam per vim occupat. Nam cùm Henricus imperator in honorem beati Georgij templum Bambergæ condidiſſet, cuperetque id in cathedralem eccleſiam conſecrari, annuente Benedicto octauo quotannis cenſus nomine daturã ecleſiam ipſam Romano pontifici, centum argenti marcas cum equo albo ac Falerato. Leo nonus dono Beneuentum ab imperatore accipiens, Bambergenſis eccleſiæ tributum remiſit. Hanc itaq; ob rem Leo ſuo iure & copijs imperaroris fretus, cum in Giſulphũ incompoſito agmine mouiſſet, ab eo ſuperatur & capitur. Nec ita multò pòſt Romã incolumis cũ magno comitatu remittitur. Sunt qui ſcribãt Robertum Guiſcardi è Gallia in Italiam cum exercitu profectum, fugatis Græcis & Afris, Apuliam occupaſſe, ſtatuamq́; reperiſſe circa caput æneũ circulũ habentem his literis notatum, Calendis Maij oriente ſole aureum caput habebo. Vnde Sarracenus quidam magicæ obſeruationis peritus, à Roberto Guiſcardi captus notato termino vmbræ ipſius ſtatuæ, calendis Maij oriente ſole effoſſo loco theſaurũ inuenit, quo ſe à Roberti manibus liberauit. Ad Leonẽ redeo, virũ certè pietate, innocentia, benignitate, gratia, hoſpitalitate adeo inſignẽ, vt eius domus peregrinis & pauperibus ſemper patuerit. Nam cùm ſemel ante fores ſuas leproſum pauperẽ inueniſſet, eumq́; præ miſericordia collocari in lecto ſuo mãdaſſet, apertis mane à ianitore foribus, nuſquam pauper inuẽtus eſt, Chriſtũ pau-

periſ nomine eo loci recubuiſſe creditum. In rebus prætereà ad religionem pertinentibus tanta diligentia & ſolertia vſus eſt, vt & in Concilio Vercellenſi Berengarium hæreſeos auctorem damnauerit, & Conſtantinopolitanum imperatorem ſuis monitionibus impulerit ſepulchrum domini Hieroſolymis à barbaris diruptum reſtituere, eo maximè tempore, quo & Theobaldus nobilis Francus ſanctitate vitæ apud Vicentinos in precio fuit, & Vicentius Franco Leodienſis epiſcopus doctrina & moribus inſignis, ad Hermannum præſtantis ingenij virum de quadratura circuli doctè multa & acutè ſcripſit. Moritur autem Leo pontificatus ſui anno quinto, menſe ſecundo, die ſexto.

## VICTOR II.

159. Pont. VIctor ſecundus, Gebeardus antea vocatus, natione Alemannus ex Bauaria, pontificalem dignitatem poſt Leonem adeptus eſt, magis Henrici gratia, quam liberis ſuffragijs. Verebatur enim clerus populuſque Romanus Henrici potentiam, quem in creandis nouis pontificibus aliquando læſerant. Ne itaque contra iuſiurandum moliri aliquid viderentur, Victorem proponunt, legato Hildebrando ad Henricum ob eam rem miſſo, qui omnia ex ſententia Romani cleri imperatoriſque perfecit. At victor in ſede omnium conſenſu confirmatus, magnam ſynodum annuente imperatore Florentiæ habuit, in qua quidem multos epiſcopos, tum Simoniæ tum fornicationis cauſa epiſcopatu priuauit, clerumque admonuit quid maximè ad ſe pertineret, propoſita pœna his, qui leges canonicas transgrederentur. Sunt qui ſcribant Victorem ad Henricum profectum, magnificentiſſimeque ab eo habitum: ſed ego ſolum Hildebrandum eò profectum puto, qui auctoritate legationis fretus, Henricum tertium Henrici filium, Cæſarem creat.

Interim verò dum Capua à Sarracenis obſideretur, trepidarentque omnes finitimę ciuitates, Robertus Guiſcardi ſumptis armis, fugatis Sarracenis, & Campanos obſidione, & finitimos omni formidine vno impetu liberat. Vnde autem origenem habuerit Robertus ipſe, haud ſatis conſtat, cum alij Normannum, alij Francum fuiſſe exiſtiment. Vtcunque ſit, conſtat eum magni animi excellentiſque ingenij fuiſſe, & ob eam rem meritò Apuliæ regnum adeptum.

Victor autem pontifex, de quò nunc ſermo fit, ſecundo pontificatus ſui anno, menſe tertio, die quartodecimo moritur. Vacat tum ſedes diebus xj.

## STEPHANVS IX.

160. Pont. *Eccleſia Mediolanē ſis Romanæ reſtituta.*

STephanus nonus, Ferdericus antea vocatus, natione Lotharingus, Caſſinenſis abbas, pontificatum adeptus, ſtatim curauit, vt Mediolanenſis eccleſia, quæ à Romana ducentis ferè annis ſe ſubtraxerat, nunc demum eidem obtemperaret, vt veræ omnium eccleſiarum parenti & altrici, quam poſtea non ſecus obſeruauit, ac veræ filiæ pientiſsimam matrem facere conſueuerunt.

Hoc ferè tempore & Henricus tertius in locum Henrici patris demortui ſufficitur: & Alexius Nicephoro imperatori Cōſtantinopolitano ſuccedit. Et Robertus Guiſcardi Græcos magno prælio ſuperatos, è Calabria omnino expulit, relictis tantummodo Græcis ſacerdotibus, qui vſque ad noſtram ætatem linguam ſeruant cum moribus. Adeo enim Conſtantinopolitanum imperium iam erat imminutum à Sarracenis, vt ægrè Thraciam, Galatiam, Pontum, Theſſaliam, Macedoniam, Achaiam obtineret, è quibus prouincijs nunc Turci, nunc Sarraceni quotidie aliquid ſubtrahebant.

Stephanus autem ſeptimo pontificatus ſui menſe, die octauo Florentiæ moritur, eo quoque in loco honorificè ſepelitur, vt Martinus ſcribit. Sunt qui dicant Stephanum pontificem in Henricum imperatorem hæreſeos nomine inuectum eſſe, quòd ſummorum pontificum auctoritatem diminueret, contempta religione, ſpretoque immortali Deo.





## BENEDICTVS X.

BEnedictus decimus, natione Campanus, qui prius Mincius dicebatur, 161. Pont.
Veliternus epiſcopus, factione quorundam nobilium eo maximè tempore pontifex creatur, quo Hagnes Henrici tertij mater, Gibertum Parmenſem virum inſignem, regni Italici gubernatorem inſtituit.

Erat & tū in Italia Gotifredus Mithildis comitiſſæ fœminæ nobiliſsimæ maritus, vir ſanè potens. Nam Mithildis mater Beatrix, Henrici ij. imperatoris ſoror fuerat, nupſeratq; Bonifacio cuidam viro potentiſsimo ac nobili Luca vrbe Etruriæ oriundo: quo mortuo, omnis potentia primò ad Beatricem, poſtea ad Mithildem & maritum Gotifredum peruenit. Nam & Lucā, & Parmā, & Rhegium Lepidi, & Mantuam, & eam partem Etruriæ poſsidebant, quam nunc patrimonium ſancti Petri vocamus.

Ad Benedictum redeo, ab Hildebrando pontificatu pulſum, quòd non per oſtium quemadmodum decebat, ſed per vim & largitionē intraſſet. Fidē enim dederant clerici omnes Hildebrando ſubdiacono, nō prius ſe habituros ſuffragia noui pōtificis creandi, quàm ipſe Florentia, quò tum proficiſcebatur, ad vrbem reuerteretur. Rediens itaq; cū Gerardo epiſcopo Florentino, in omes acerbiſsimè inuectus eſt, tum vel maximè in eos, qui fidem dederant ſe eius aduentū expectaturos. At verò cùm hac de re magna cōtentio eſſet, probarentq; nōnulli Benedictum ipſum vt virum optimum & ſapientiſsimum: contrà autem eam electionem pleriq; magnis clamoribus improbarent, vtpote minus canonicè & legitimè factam: tandem plurimorum conſenſu Hildebrando inſtante, Gerardus vir tanto magiſtratu dignus, eiecto Benedicto, pontifex creatur. Sunt tamen qui ſcribant hanc electionem Senis factam, cùm libera ſuffragia Romæ ob factionem quorundam potentum haberi non poſſent. Benedictus itaque menſe ix. die xx. pontificatu deiectus, Velitras exulatum abijt.

### ANNOTAT.

*Hic Benedictus legitimus pontifex non fuit, cum Simoniacè per vim, & metū contra canones, & iuramenta pontificatū occuparit. Quod diſertè in epiſtola quadā refert Petrus Damiani epiſcopus Oſtienſis, qui hoc tempore vixit. Vnde meritò alio ſubrogato, exactus eſt, quare in numeri nota eius ratio habenda nō eſſet. Vide auctores Hermannū Contractum, Lambertū Schafnaburgenſem, Leonem epiſcopum Oſtien. hiſt. Caſsinen. lib. 2. ca. 102.*

## NICOLAVS II.

NIcolaus ſecundus, natione Allobrox Gerardus antea vocatus, epiſcopus 162. Pont.
Florentinus, ob virtutem & animi præſtantiā abrogato Benedicto, haud legitimè creato, pōtifex maximus Senis decernitur, qui ſtatim inito pōtificatu Sutrium conceſsit: ibiq; anno Domini milleſimo quinquageſimonono concilio habito, cui non ſolùm epiſcopi, verùm multi Italiæ proceres interfuere, Benedictum abdicare ſe pontificio munere & habitu coëgit, & Velitras exulatum abire. Inde verò Romam proficiſcens, ſecundo apud Lateranum cōcilio habito legem tulit, vt in decretis legitur, Romanæ eccleſiæ admodū ſalubrem quæ talis eſt: Si quis pecunia, vel gratia humana, aut populari militariue tumultu ſine concordi & canonica electione cardinalium fuerit in throno Petri collocatus, is nō apoſtolicus, ſed apoſtaticus, id eſt, à ratione deficiens meritò vocetur: liceatq; cardinalibus, clericis & laicis Deum colentibus, illum vt prædonē anathematizare, & quouis humano auxilio à ſede apoſtolica propellere: atq; quouis in loco, ſi in vrbe non liceat, catholicos huiuſce rei cauſa congregare. In eodem quoq; concilio reuocatum ab errore ſuo Berengarium diaconum Andegauenſis eccleſiæ ferunt, qui arbitrabatur in ſacramēto euchariſtiæ & calicis nō eſſe verum Chriſti corpus, integrumq; ſanguinē, niſi vt in ſigno & figura myſteriòue: quē quidem errorem inſtante & vrgente Nicolao & Alberico diacono viro doctiſsimo, publicè cōfeſſus eſt, affirmans illud eſt verum Chriſti corpus, integrumq; ſanguinem. Scripſimus hūc errorem à Leone nono damnatū, non tamē emēdatum fuiſſe. Quæ certe laus tota Nicolai eſſe, vt Lanfrancus ſcribit, vir ea tempeſtate doctiſsimus, qui errores eiuſdem Berengarij præclaro opuſculo notauit. Dum hæc à pontifice Nicolao Romæ agerentur, Gotifredus Normannus, qui Drogoni fratri in Apuliæ Calabriæq; comitatū ſucceſſerat, moriēs

Bagelardum filium comitatus hæredem inſtituit: verùm Robertus Guiſcardi frater (vt quidam volunt) hoc ægrè ferens, pulſo nepote, Apuliam & Calabriam occupat, adiecta Troia, quæ pontificibus Romanis parere conſueuerat. Hanc autem ob rem indignatus pontifex, nonnihil Roberto ſuccenſuit. Is verò cùm poſtea rogatu Roberti in Apuliam profectus fuiſſet, receptis, quę de eccleſia amiſerat, nō ſolum hominem in gratiam accepit, verùm etiam eundem vectigalem eccleſiæ factum, Calabriæ & Apuliæ (prouincias Romanæ eccleſiæ cenſuarias) ducem creat. Accepto deinde magno à Roberto exercitu, ad vrbē rediens, Præneſtinos, Tuſculanos, Nomentanos Romanæ eccleſiæ rebelles perdomuit. Tiberim quoque traijciens direpta Galeria, alijsq; Gerardi comitis Sutrium vſque caſtellis expugnatis, ditionem Romanam tutiorem reddidit. Sunt qui ſcribant Henricum tertium à Nicolao ſecundo coronam imperij accepiſſe, totoq; tempore pontificatus ſui ob beneficium acceptum, nil contra eccleſiaſticos molitum eſſe. Nicolaus autem vir omnia vita probatus, tertio pontificatus ſui anno, menſe ſexto, die vj. & xx. moritur. Vacat tum ſedes diebus xij.

## ALEXANDER II.

*163. Pont.* ALexander ſecundus, Anſelmus antea vocatus, patria Mediolanēſis, epiſcopus Lucenſis, mortuo Nicolao, ob humanitatem, benignitatē, & doctrinam abſens etiam pontifex creatur. At verò Ciſalpini epiſcopi arbitrati ob dignitatem prouinciæ ſuæ, par eſſe, vt è ſuo numero aliquis eligeretur, Giberto Parmenſi viro potentiſsimo admodum annitente, ab Henrico imperatore obtinuere, reclamante eius matre Hagnete, vt alter quoq; pontifex eligeretur. Quare epiſcopi ipſi habito concilio, Cadolum Parmenſem epiſcopum pontificem creant. Cui ſtatim Ciſalpini omnes obtemperauere, præter Mithildim optimam feminam, & cum eccleſia Romana bene ſentientem. Superueniente deinde Cadolo ab his, qui Alexandro aduerſabantur, accito, in pratis Neronianis ſub radicibus aurei montis graue prælium committitur: in quo multi vtrinque cecidere, Alexandro & Gotifredo Mithildis viro ſeſe ad ædes Lateranenſium continentibus. Incerti enim erant quibus potiſsimùm ſe tutò committerent, adeo omnia infida & fluxa videbantur. Sunt qui ſcribant Alexandrū ante prælium commiſſum, Lucam profectū vitandæ cædis cauſa, eoq; loci quietè aliquandiu vixiſſe. Neque ingratum tantæ erga ſe Lucenſium beneuolentiæ, eccleſiam & ciuitatem multis priuilegijs, vt in eorum animalibus apparet, inſigniorem reddidiſſe. Repulſus tandem ab vrbe Cadolus, non diu in prouincia quieuit: accitus enim à Romanis quibuſdam, quorum maximè intererat omnia Romæ perturbari explendarum voluptatum cauſa, comparato maiore exercitu, quàm antea, Romam venit, ac vrbem Leoninam eccleſiamq; beati Petri vi occupat. At verò erumpentibus Romanis cum Gotifredi copijs, tantus terror repente hoſtes inuaſit, vt & effuſa fuga omnes abierint, & paulum abfuerit, quin Cadolus caperetur à ſuis derelictus, quem Cincius Romani præfecti filius, facto cum ſuis cuneo, per media ciuium agmina ægrè in arcē Hadriani perduxit. vbi aliquandiu obſeſſus, cùm nullam liberè abeundi ſubeſſe ſpem videret, trecentis argenti libris ab his ſe redimens, qui arcem obſidebant, conſcenſo ſtrigoſiſsimo equo inde ſolus aufugit. At verò Anno Colonienſis archiepiſcopus, apud Henricum adoleſcentem Hagnetem criminatus, quòd contra maieſtatem imperij Chriſtiana reſp. mulieris nutu gubernaretur, accepta poteſtate componendæ ex arbitrio eccleſię Dei Romam veniens, Alexandrum primò quidem grauiſsimis verbis increpat, quòd ſedem Romanam iniuſſu Cæſaris, & contrà atq; conſuetudo & lex ipſa iubebat, occupaſſet. Tū Hildebrandus archidiaconus, qui fortè tum aderat, partes pōtificis acerrimè tutatus, quòd diceret electionē ad clerum pertinere, ſi ius, ſi antiquam cōſuetudinē vellet inſpicere, facilè Annonē in ſententiā traxit. Quare Henricus cognito errore ad ſe poſtremò rediens, Alexandrū rogat, vt cōcilium, quò ſe peruēturum pollicetur, indicet. Vrbs Mantua ad eam rem potiſsimùm idonea viſa eſt, eò proficiſcuntur oēs, ad quos pertinere videbatur



batur eccleſiæ ſalus & tutela. Vbi compoſitis rebus omnibus, imperator ipſe nō ſolùm in gratiam pontificis redijt, verùm etiam precibus ab eo impetrauit, vt & Cadolo veniam petenti ignoſceret, & Gibertum tanti mali (vt diximus) auctorem, Rauennatis eccleſiæ archiepiſcopum crearet. primum haud grauate fecit, Saluatoris noſtri exemplum imitatus, qui nouit etiam pro perſecutoribus exorare. ſecundū inuitus conceſsit, & non niſi precibus Henrici fatigatus: quòd verebatur, ſicuti poſtea accidit, ne ea res eccleſiæ Romanæ magnas calamitates afferret. Abiens Mantua pōtifex, ac Luca iter faciens, eccleſiam maiorem cuius epiſcopus antea fuerat, ſacris ſolennibus adhibitis conſecrat, tamdiu ibi immoraturus, quoad ab Hildebrando archidiacono res in Apulia pacatiores redderentur. Is enim acceptis à Mithilde comitiſſa auxiliaribus copijs, non ſolùm Richardi & Guillelmi impetus repreſsit, verùm etiam eos coēgit, quæ de eccleſia cepiſſent, reſtituere. Veniens itaque ad vrbem Alexander pontificatus ſui anno vndecimo, menſe ſexto moritur, in baſilicaque Lateranenſi ſepelitur, nullo genere honoris, quod impendi ſummo pontifici poteſt, non adhibito, & à clero & à populo. Ferunt tum magno in pretio fuiſſe Ioannem Gualbertum monachum Vallis vmbroſæ, & illius ordinis auctorem virum ſanctiſsimum ac miraculis inſignem.

### ANNOTAT.

*Cadolus hic ſchiſmaticus, de quo Platina ſcribit, Honorius II. in ſuo pontificatu vocatus eſt, vt ex antiquo eius diplomate didici.*

## GREGORIVS VII.

GRegorius ſeptimus, Hildebrandus antea vocatus, natione Etruſcus, patria Soanenſis, patre Bonicio, omnium bonorū conſenſu pontifex creatur. Ipſius autem electionis verba ita annotata ſunt. Nos ſanctæ Romanę eccleſiæ cardinales, clerici, acolyti, ſubdiaconi, presbyteri, præſentibus epiſcopis, abbatibus, multiſque tum eccleſiaſti, tum laici ordinis, eligimus hodie decimo calēdas Maij in baſilica ſancti Petri ad vincula, anno ſalutis M.LXXIII. in verum Chriſti vicarium Hildebrandum archidiaconum, virum multæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, iuſtitiæ, conſtantiæ, religionis, modeſtum, ſobrium, continentem, domum ſuam gubernantem, pauperibus hoſpitalem, in gremio ſanctæ matris eccleſiæ liberè à teneris annis vſque ad hāc ætatem educatum, doctum: quem quidem cum ea poteſtate eccleſiæ Dei præeſſe volumus, qua Petrus Dei mandato quondam præfuit. *164. Pont. Verba quibus in pontificibus eligendis vtebantur.* Adeptus pontificatum Gregorius, ſtatim Henricum imperatorem admonet, ne deinceps largitione corruptus, epiſcopatus & beneficia alicui per Simoniacam cupitatem committat, aliter ſe vſurum in ſe & delinquentes cenſuris eccleſiaſticis. His admonitionibus & quidem ſanis non modò nō obtemperauit Henricus, verùm etiam Hagnetem imperatricem bene admonentem, quid fieri cum religione oporteret, omni adminiſtratione depulit. quæ Romam profecta, non diu ſuperuixit, dolore animi vitam cum morte permutans. Tandem verò multis legationibus vltro citroque miſsis, imperator in gratiam cum Gregorio redijt, eundemque in pontificatu confirmauit, vt tum imperatorum mos erat. At verò cùm Henricus in bono leuis, in malo pertinax, Simoniam nequaquam omitteret, ſæpius admonitus: illos anathematis cenſura pontifex notauit, qui epiſcopatus & beneficia largitione adepti erant. Et ne id temerè feciſſe videretur, concilium apud Lateranū habito, in quo multi epiſcopi interfuêre, maximè verò Gibertus Parmenſis archiepiſcopus Rauennas, rationem reddidit, quamobrem cenſuris eccleſiaſticis Simoniacos notaſſet: facturum quoq; id in imperatorem crebrò dicebat, niſi ſententiam mutaret. Tum verò Gibertus ſoluto concilio, & criminandi Gregorij occaſionem nactus, ad pōtificatum viam quærens, Cincium Romanum ciuem Stephani præfecti vrbis filium, hominem temerarium & ſeditioſum, in pōtificem animat, magna ei pollicitus imperatoris nomine, ſi tātum facinus ex ſententia cōfeciſſet. Structis itaq; inſidijs Cincius, dum pōtifex media nocte natalis Domini noſtri celebrat in templo beatæ Mariæ ad Præſepe, quæ maior nūc dicitur,

tur, irrumpens cum ſatellitibus & cõiuratis, dum hoſtiam ſacrificij committit, hominem capit, & in regionem Parionis ſecum trahẽs, in turri quadam munitiſsima eum collocat. Sequenti verò die populus Romanus, cognito facinore, in Cincium arma ſuſcipit, pontificem liberat, ædes ac turrim ſcelerati hominis à fundamentis euertit, familiamq́; eius nares mutilatam ab vrbe pellit. Ipſe verò Cincius tanti mali auctor, fuga ſalutem quærẽs, in Germaniam varijs tramitibus ad imperatorem tãdem peruenit. Gibertus autem tanti doli machinator, cùm inſidiæ ex voto non ſucceſſiſſent, ſimulata beneuolentia à põtifice dimiſſus, Rauennam peiora moliturus ſe contulit. Nam & Theobaldum Mediolanenſem archiepiſcopum, & pleroſq; alios Ciſalpinæ antiſtites coniurare in Gregorium pollicitationibus perpulerat. His addidit Hugonem Candidum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalem: qui & ſi antè idem fecerat, in gratiamq́; ſimulato animo redierat, nunc malum animum, malam mentem præ ſe tulit. Is enim viribus omnibus annixus eſt imperatorẽ & Normannos inter ſe de imperio diſſidentes, compoſita pace, initisq́; fœderibus, in pontificem concitare. Quod vbi Gregorius reſciuit, congregata ad Lateranũ ſynodo, propoſitis rationibus quare id faceret, Gibertum & Hugonem dignitatibus priuatos anathemate notat. Dum hæc Romę agerentur, Henricus cum Saxonibus hoſtibus feliciter pugnãs, adeo felicitate illa elatus eſt, vt habito cõuentu apud Vormatiam, Sigifredo archiepiſcopo Maguntino negotium procurante, interdicere omnibus auſus ſit, ne vlla in re pontifici Romano obtemperarent. Ex illo aũt conuentu mandato Henrici Rolandus clericus Parmenſis Romam veniens, & Gregorio publicè interdixit, ne quid ageret deinceps quod ad magiſtratũ põtificis pertineret: & cardinalibus ipſis mandauit, vt relicto Gregorio, aliũ habituri põtificem, ad ſe proficiſcerentur. Tum Gregorius tantam iniuriam diuinæ maieſtatis cauſa nõ diutius ferens, & Sigifredum alioſq́; clericos cum Henrico ſentientes, dignitatibus ac beneficijs priuauit, & imperatorẽ ipſum anathemate notauit, priuatum priùs omni regia adminiſtratione. Abrogationis aũt põtificiæ habita ferè hæc formula eſt: Beate Petre apoſtolorum princeps, inclina quæſo aures tuas, & me ſeruum tuum exaudi, quem & ab infantia educaſti, & vſq; ad hunc diẽ ab iniquorum manibus vendicaſti, qui me pro mea in te fide oderũt, & perſecuti ſunt. Tu mihi teſtis es optimus, & pia IESV Chriſti mater, & frater tuus Paulus tecum martyrij particeps, me nõ ſponte, ſed inuitũ põtificatus gubernacula ſuſcepiſſe. Nõ quòd rapinam arbitratus ſim ſedẽ tuam legitimè conſcendere, ſed malebam vitã meam in peregrinatione degere, quàm locum tuum pro fama & gloria tantum occupare. Fateor ego, ac meritò quidem, mihi tua gratia, nõ meritis meis, populi Chriſtiani curam demãdatam eſſe, cõceſſamq́; ligandi & ſoluendi poteſtatem: Hac itaq; fiducia fretus, pro dignitate & tutela eccleſię ſuæ ſanctæ, omnipotentis Dei nomine patris, filij, & ſpirituſſancti, & Henricũ regem Henrici quondã imperatoris filium, qui audacter nimium & temerariè in eccleſiã tuam manus iniecit, imperatoria adminiſtratione, regiaq́; deijcio: & Chriſtianos oẽs imperio ſubiectos, iuramento illo abſoluo, quo fidẽ veris regibus præſtare cõſueuerunt. Dignum eſt enim, vt is dignitate careat, qui maieſtatem eccleſiæ imminuere conatur. Præterea verò quia monita mea, imò tua ad ſuijpſius populorumq́; ſalutẽ pertinentia contempſit, & ſe ab Eccleſia Dei, quam ſeditionibus peſſundare cupit, ſeparauit, eum anathematis vinculo colligo, certò ſciens te eſſe Petrum, in cuius petra, vt in verò fundamento rex noſter Chriſtus ædificauit eccleſiam ſuam. Fuêre tum multi poſt execrationem, qui pacis mentionem facerent: Quibus ita Gregorius reſpondit, Se pacis conditiones non abnuere, modò Henricus ipſe primò cum Deo pacem ineat. Nõ ignoratis, inquit, quandiu & quantis malis Romanã affecerit eccleſiam, quotieſq́; à me ſit admonitus, vt meliorem vitã moreſq́; probatiores indueret. Hoc tribuimus beneuolentiæ & charitati, qua Henrico patri cõiuncti olim fuimus. Sed nil profecimus, adeò mores à patre auerſos imbibit. Inſtabant tamen ex his, qui aderant, nonnulli, regem nõ ita citò anathematizandum eſſe. Quibus ita pontifex reſpondit: Quando, inquit, Chriſtus eccleſiam ſuam Petro commiſit, & dixit, Paſce oues meas, excepitne

*Abrogationis pontificiæ formula.*

pitne



pitne reges? Nam cùm idem ligandi & ſoluendi poteſtatem daret, nullum excepit, vel neminem eius poten[illegible] ſubtraxit. Hanc ob rem, qui dicit ſe vinculo eccleſiæ ligari non poſſe, reſtat etiam vt fateatur ſe abſolui ab eius poteſtate nullo modo poſſe: & qui hoc impudenter negat, à Chriſto & eccleſia eius ſe omninò ſeiungit. At Henricus cognita Gregorij cenſura, multas literas ad gentes & nationes conſcripſit, quibus ſe contra ius faſque damnatũ à pontifice oſtendebat. Gregorius autem id à ſe iure factum non verbis tantùm & literis, verùm etiam ratione & teſtibus comprobabat, re ipſa ante oculos omnium propoſita. Interim verò cùm pars regni ab Henrico defeciſſet, & iam Saxones bellum contra Henricum quàm diligentiſsimè pararent, Alemanni principes veriti, ne quid mali in prouincia naſceretur, conuentu habito decernunt, vt ſi Gregorius in Alemanniam pergat, Henricus ſupplex veniam errati petat. Quod ſe facturum rex ipſe interpoſito iuramento pollicitus eſt. Motus itaq; pontifex his pollicitationibus & precibus Treuirẽſis archiepiſcopi Henrici oratoris, Auguſtam prætoriam petiturus, Vercellas vſq; iam peruenerat, vbi ab epiſcopo loci ipſius regni Italiæ cancellario, clam reſciuit Henricum hoſtili in ſe animo cum exercitu aduentare. Tum verò põtifex omiſſo inſtituto itinere, Canoſſam ſe recepit, oppidum agri Regienſis, ditioni Mithildis comitiſſæ ſubiectũ. Venit & eò properè cum omnibus copijs Henricus, qui ſtatim depoſito regali ornamento, nudis pedibus, vt oppidanos ad miſericordiam cõmoueret, portæ oppidi appropinquans, ſuppliciter intromitti petebat: denegatum ingreſſum æquò animo tulit, aut tuliſſe diſsimulauit, quamuis aſpera eſſet hyems, & gelu cuncta rigeſcerent. In ſuburbio quidem oppidi triduò immoratus, cõtinuò veniam petens tãdem rogatu Mithildis, & Adelai Sabaudiẽſis comitis, & Cluniacenſis abbatis introductus abſoluitur, & eccleſiæ reconciliatur, pace iureiurando cõfirmata, obedientia promiſſa. Regij aũt iuriſiurandi hæc formula eſt, Rex Henricus compoſita pace ex ſententia Domini noſtri Gregorij ſeptimi, affirmo me pacta & fœdera conſeruaturum, curaturũq́;, vt quoquò voluerit idem pontifex ſine vllo diſcrimine ſuijpſius & comitatus proficiſci poſsit, maximè aũt per loca imperio noſtro ſubiecta, neq; per me ſtaturum, quò minus liberè pontificio munere vbique locorum vti poſsit, & hæc obſeruaturum me iureiurando addico: Actũ Canoſſæ quinto calendas Februarij, indictione decimaquinta. Tum verò rebus ita ex ſententia peractis, dilabentibus inde omnibus varijs itineribus, dũ Henricus Papia iter facit, Cincium amittit ſubita febri correptum. nõ tamen mortuo tam pernicioſo homine, Henricus rebus nouis ſtudere deſtitit. Pacis enim fœdera abrũpens, eò Alemannos principes indignitate rei motos perpulit, vt Rodulphũ Saxoniæ ducẽ, regem prouinciæ crearẽt poſthabito Henrico. Petijt primo quidem Henricus à pontifice, vt Rodulphum execrationibus ab occupatione regni depelleret. Id verò cùm impetrare nequiſſet, ſumptis armis, magna clade & incerta victoria vtrinq; dimicatum eſt. Miſsi tum quidẽ ab vtroq; legati ad pontificem rogatum, vt in partes ſuorum declinaret: quibus nil aliud ipſe reſpondit, quàm vt ab armis diſcederent. Pugnarent iterum ſimul æquo marte Henricus & Rodulphus. Verùm cùm tertiò prælium inijſſent, magna cæde vtrinq; cõmiſſa, ac ſuperior aliquantulùm Henricus videretur, Rodulphi legatos pacẽ petentes audire noluit, ad pontificẽq́; denuo ſcripſit, vt Rodulphum regnũ occupare conãtem, execratione anathematis notaret. Quod cùm facere Gregorius recuſaret, tanta ira percitus Henricus eſt, vt die noctuq́; nil aliud cogitaret, quàm quod ad pontificis perniciem & exitium vergeret. Interea verò ne quid in orbe Chriſtiano deeſſet, quod ſeditionibus non agitaretur, Michaël cũ Andronico filio à Nicephoro cognomento Botoniata, vi ab imperio Cõſtantinopolitano deiectus, ad Gregorium cõfugit, qui & Nicephorum excõmunicauit, & Rogerio Romanæ eccleſiæ feudatario negotiũ dedit, vt Michaëlem, quo cum Ceparani locutus eſt, in imperiũ reſtitueret. Is itaq; mandato pontificis comparata claſſe, Rogerio minore natu in Italia dimiſſo, Boëmundum alterum filium ſecum ducẽs, Auleon primò adnauigat, & ad Dyrrachium caſtra facit, vrbem tanto bello perneceſſariam primò occupaturus. Sed Dominicus Siluius dux Venetus cũ Nicepho-

*Regij iuriſiurandi formula.*

ro ſen-

ro ſentiens, Rogerium ab obſidione repellit, magno illato acceptoq́; in cōmodo. Verùm nō ita multò pòſt Nicephorus ab Alexio cognomento Mega copiarum ſuarum duce deceptus, libertate ſimul & ciuitate priuatur, quā triduo Alexius militibus diripiendum ex pacto conceſsit. Captus ipſe Nicephorus in templo ſanctæ Sophiæ, vita donatur, hac conditione tamen, vt monachi habitum cum vita ſuſciperet. At verò Gregorius cùm videret Henricum cōtra eccleſiam Dei à quibuſdam ſeditioſis epiſcopis concitari, habita ingenti ſynodo, Giberto Rauennati archiepiſcopo ob ſuperbiam & malitiam interdicit ſub anathematis pœna, ne epiſcopali & ſacerdotio munere fungatur. Vocatus præterea ad ſedem apoſtolicam, ſcelerum ſuorum conſcius parere deſierat, qua ex re tantummodo pœnam anathematis merebatur. Rolandumq́; Taruiſinum cenſura notauit, quòd legatus ad res componendas inter Henricum & ſe factus, conſequendi epiſcopatus cauſa ſemina diſcordiarum, non pacis ſeuerat. Nec Hugoni quidem tituli ſancti Clementis cardinali pepercit, quòd cum Cadolo Parmēſi epiſcopo in ſeditionibus & hæreſi ſenſiſſet. In eodem poſtremò conuentu tres legatos delegit, Bernardum diaconum, alterum Bernardum Maſsiliēſem abbatem, Odonem, Treuerenſem archiepiſcopum, qui de latere ſedis apoſtolicæ ad componendas res inter Henricum & Rodulphum proficiſcerentur. Videbat enim ſapientiſsimus pontifex, eam diſcordiā, niſi ſedata foret, magnas aliquando calamitates populo Chriſtiano parituram. Verùm quia certò ſciebat, non defuturos pernicioſos quoſdam, qui id quò minus fieret, impedire conarentur, quòd eorū maximè intererat diſcordias augeri, non tolli, Literas apoſtolicas in hunc modum conſcriptas, legatis ad principes & nationem dedit: *Literæ pōtificis.* Cognita imbecillitate, cupiditate & ambitione humani generis, mandamus, ne quiſpiā cuiuſuis conditionis ſit, vel rex, vel archiepiſcopus, epiſcopus, dux, comes, marchio, ſiue miles, aliqua elatione temerarióue auſu, fraude, dolo, cupiditate ductus, legatis noſtris reſiſtere audeat, ne pacem & concordiam ex æquo & bono cōponere poſſint. Quicunq; autem temeritate ductus, quod nō optamus, huiuſce noſtræ cōſtitutionis violator extiterit, legatisq́; noſtris impedimento fuerit, quò minus pacem componant, eum anathematis vinculo alligamus: & non ſolum in ſpiritu, verùmetiam in corpore, atq; in omnibus fortunæ bonis apoſtolica poteſtate colligamus, victoriamq́; in armis partā ei auferimus, vt ſaltem confundatur, ac duplici pœnitentia cōteratur. Mandatum præterea legatis eſt, vt in Alemannia conuentu habito, maturè decernant, vtri duorū regum ex æquo & bono ius cōpetat, eidemq́; conſenſu bonorū regnum decernant, cuius cauſa iuſtior & potior videbitur: ſe verò poſteà recognita, quod egerint, confirmaturū, interpoſita omnipotentis Dei & beati Petri auctoritate, qua nulla poteſt eſſe maior. Intereà verò Gregorius, ne Romana eccleſia ob largitionē & Simoniacā cupiditatē aliquid incommodi caperet, conuentu habito, maiorum decreta ad reſcindendam hanc labem pertinentia cōfirmauit, his verbis: *Pontificis decretum.* Sanctorum patrum inſtituta nūc ſequentes, quemadmodū in prioribus concilijs fecimus, auctoritate omnipotentis Dei decernimus ac cōfirmāmus, vt qui deinceps epiſcopatū, vel cœnobium, vel aliquod aliud eccleſiaſticū beneficium à laico acceperit, nullo modo in numero epiſcoporū, abbatum, vel clericorum is cenſeatur: néue idem ſub cenſura anathematis limina apoſtolorū attingat, priuſquàm locū ambitione & contumacia conquiſitum, quod eſt idololatriæ ſcelus, reſipiſcendo cōmutauerit. Eiſdem quoq; cēſuris teneri volumus & alligari reges, duces & principes, qui epiſcopatus eccleſiaſticáſue dignitates, quod contra ius faſq́; eſt, demandare alicui fuerint auſi. Confirmamus prætereà anathematis ſententiā meritò latam in Theobaldum Mediolanēſem, Gibertū Rauennatem archiepiſcopū, in Rolandū Taruiſinū præſulem, & Petrum olim Redonenſem epiſcopū, nunc aūt inuaſorem Narbonenſis eccleſiæ, pari cenſura damnamus. Prætereà verò gratiā S. Petri & ingreſſum eccleſiæ his interdicimus, quouſq; pœnituerint, ſatisfecerintq́;, ſiue Normanni ſint, ſiue Itali, vel cuiuſuis nationis, qui aliqua ex parte læſerint, aliquóue incōmodo affecerint Marchiam Firmanā in Picentibus, ducatū Spoletinū, Campaniā in Hernicis, agrū Sabinum, Tiburtinū, Præneſtinum, Tuſcu-

lanum,



lanum, Albanū: & quicquid in Volſcis & Etruſcis ad mare vergit. His addo monaſterium ſancti Benedicti: & quicquid in Caſsinatum agro poſitum eſt, nec Beneuentum in Samnitibus excipio. At ſi quis iſtorū auferendi res repetitas & non redditas habere iuſtā cauſam ſe dixerit, prius à nobis vel à magiſtratibus noſtris iuſtitiā requirat: quòd ſi eis nō fuerit factū abunde ſatis, cōcedimus vt ad res ſuas recuperandas inde tantum auferant, quantum ſat eſt: nec more prædonum modum excedāt, ſed agant vt Chriſtianos decet, & eos maximè, qui ſua magis repetunt, quàm aliena percupiant: quiq́; & iram Dei & execrationē beati Petri reformidant ac timēt. Prætereà verò execrationē in Henricum his verbis denuo cōfirmauit: *Execratio pontificis in Henricū.* Beate Petre apoſtolorū princeps, & tu Paule gentium doctor, veſtras quæſo aures mihi paululum præbete, meq́; clementer exaudite: nam veritatis diſcipuli eſtis & amatores: quæ dicā, vera ſunt. Hanc cauſam ſuſcipio veritatis gratia, vt fratres mei, quorum ſalutē exopto, mihi obſequentius acquieſcāt, ſciant, intelligāt quòd veſtro auxilio fretus poſt Chriſtum & matrē eius ſemper virginē, flagitioſis & iniquis reſiſto: fidelibus aūt præſto adſum & auxiliū fero. Nō enim volens & libens hanc ſedē conſcendi, ſed inuitus & lachrymans, quòd me indignum iudicabam qui in tam excelſo throno ſederem. Hæc aūt dico, quia nō ego vos, ſed vos me elegiſtis, & grauiſsimum pondus humeris noſtris impoſuiſtis. In me aūt veſtro iuſſu montem ipſum conſcendentem, clamantē & annunciantē populis eorum ſcelera, & filijs eccleſię peccata, membra diaboli conſurrexêre, & ad ſanguinem vſq; manus ſuas in me coniecêre. Aſtiterunt enim reges terræ & principes ſeculi, cum his coniurarunt eccleſiaſtici quidam & vulgares in dominum & nos Chriſtos eius, dicētes: Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum: hoc autem fecêre, vt me vel morte vel exilio mulctarent: quorum de numero fuit Henricus, quem regem vocant, Henricus, inquā, Henrici imperatoris filius, qui cornua & calcem contra eccleſiam Dei ſuperbè nimium erexit, facta coniuratione cum multis epiſcopis Italici, Gallici, Germaniciq́; nominis, cuius ſuperbiæ veſtra adhuc reſtitit auctoritas, qui fractus potius, quàm ad ſanitatem redactus, ad me in Ciſalpinam perueniens, abſolutionem anathematis ſuppliciter quæſiuit. Hunc ego, quem ad pœnitentiam veniſſe credideram, in gratiam recepi, huicq́; tantummodo communionem reddidi, non tamen in regnum, è quo eum in Romana ſynodo meritò depulerā, reſtitui, nec vectigalibus regni, vt ad finem redirent, conceſsi. Hoc ideo feci, vt ſi redire in gratiam cum finitimis ſuis, quos ſemper vexauerat, differret, redderéq; res tum eccleſiaſticas tum profanas ex fœdere abnueret, cogi ad officium execrationibus & armis poſſet. Hac opportunitate adiuti quidam Germaniæ epiſcopi, & principes ab hac fera beſtia diu vexati, in locum Henrici ſuis flagitijs è regno cadentis, ducem ſuum & regē Rodulphum deligūt. Qui regia modeſtia & integritate vſus, ſtatim nuncios ad me miſit, à quibus intelligerē, ſe coactum regni gubernacula ſuſcipere, nō eſſe tamen adeo regnandi cupidum, vt nō malit nobis, quàm regnum pollicentibus obtemperare: futurum ſe in Dei poteſtate ſemper ac noſtra, idq́; vt arbitremur ipſum facturū, filios obſides pollicitus eſt. Stomachari tum Henricus cœpit, & nos primò quidem precari, vt Rodulphū ab occupatione regni execrationibus propelleremus. Dixi me velle videre, cui ius cōpeteret, & eò miſſurum nuncios, qui rem omnem reſciſcerēt, meq́; deinceps iudicaturum vter ipſorum in cauſa potior habēdus eſſet. Vetuit Henricus quò minus rex à legatis noſtris decerneretur, multosq́; tum ſeculares tum eccleſiaſticos interfecit, eccleſias diripuit & profanauit, atq; hoc modo ſeſe anathematis vinculis illigauit. Hanc ob rem fidens in Dei iudicio & miſericordia, inq́; patrocinio beatæ Virginis, fultus etiam auctoritate veſtra, ipſum Henricum eiuſq́; fautores vinculo anathematis colligo: atq; iterum regiā ei poteſtatē adimo, interdicoq́; Chriſtianis omnibus illo iuramento abſolutis, quo fides regibus dari cōſueuit, ne Henrico vlla in re obtemperent, Rodulphum in regē ſuſcipiant, quē multi prouinciæ principes abrogato Henrico in regem optimum ſibi delegêre. Etenim par eſt vt ſicuti Henricus ob ſuperbiam & cōtumaciam facultatibus ſuis priuatur, ita Rodulphus omnibus gratus, pro ſua pietate & religione regia di-

O gnitate

gnitate & poteſtate donetur. Agite igitur apoſtolorum ſanctiſsimi principes, & quod dixi veſtra auctoritate interpoſita confirmate, vt omnes nunc demum intelligant, ſi poteſtis in cælo ligare & ſoluere, in terra quoq; imperia, regna, principatus, & quicquid habere mortales poſſunt, auferre & dare nos poſſe. Si enim quæ ad Deum pertinent, iudicare poteſtis, quid de his inferioris & profanis cenſendum eſt? Etſi angelos dominantes ſuperbis principibus veſtrum eſt iudicare,
*nos quid in ſeruos illorum facere* vos decet? Ediſcant nunc reges huius exemplo & omnes ſeculi principes, quid in cælo poſsitis: quantiq́; apud Deum ſitis, ac deinceps timeant ſanctę eccleſiæ mandata contemnere. Hoc aūt iudiciū citò in Henricum exercete, vt intelligant oēs iniquitatis filium nō fortuitò, ſed veſtra opera è regno cadere. Hoc tamen à vobis optauerim, vt pœnitentia ductus, in die iudicij veſtro rogatu gratiam à domino conſequatur: Actum Romæ nonis Martij, indictione tertia. Ad hoc verò Gibertum diſcordiarum omniū & hæreſum, quæ tunc erant, auctorem, ab eccleſia Rauennate deijciens, ſacerdotibus omnibus eidem eccleſiæ obtemperantibus mandauit, ne Giberto facinorum omniū auctori, & ob eam rem execrationis vinculo illigato vlla in re obedirent. & ne populi illi gubernatore indigerent, Petrum imitatus, qui Apollinarem quaſi ſupplementum mittere cōſueuerat, vbi oportebat, eò alterum archiepiſcopum proficiſci iubet cum integra poteſtate, qui & hæreſim Giberti auelleret, & mentes hominum in fide confirmaret. Tum verò Henricus irritatus magis his cenſuris, quàm monitis, capto Oſtienſi epiſcopo è legatione redeunte, habitoq́; epiſcoporum ſecum malè ſentientium conuentu, Gibertum olim Rauennatem archiepiſcopum, pontificem creat, Clementemq́; appellat. Verùm cùm à Saxonibus premeretur, relicto ad tempus nouo pontifice, in eos mouet, ac commiſſo prælio magno ſuorum incommodo ſuperatur. Victor Rodulphus accepto vulnere paululum abſcedens, mortuus inuentus eſt. Ferunt Henricū ea clade adeo perterritum fuiſſe, vt vix decimoſeptimo die repertus ſit, quo quidem tempore Germani Hēricum eius filium eiuſdem nominis quartū, in locum patris ſuffecerant. Qui ſimul poſtea cōiunctis copijs in Italiam venientes, Clementē ſuum in pontificatum collocaturi, pulſo Gregorio Mithildim obuiam cum exercitu factā leui prælio ſuperant. Quæ quidē mulier primo marito mortuo, paulò antè Azonem marchionē Eſtenſem prioris viri cōſanguineum, ac tertio gradu affinitatis ſibi coniunctum, in cōiugem accepit. Verùm re poſteà cognita, ſuadente Gregorio, diuortium cum Azone fecit. Henricus itaq; ſuperata apud Parmam Mithildi eiuſq́; marito Azone, Romā hoſtili animo proficiſcens, in pratis Neronianis caſtra collocat, vrbē Leonianam ingreditur, ſancti Petri baſilicā cum ſuo Clemēte profanat, porticuſq́; demolitur. Idem quoq; factū de baſilica Pauli conſtat, At verò cum vrbē ingredi non poſſet: Tibur concedens, inde tanquam ex arce belli in Romanos quotidie incurſiones faciens, vaſtatis rebus omnibus, eò inopiæ eos redegit, vt pacem quauis conditione expeterēt. Admotis itaq; copijs Henricus re per transfugas cognita, vrbem ingreditur: Tum pontifex haud ſatis populo fidens, in molem Hadriani ſe confeſtim recepit, vbi aliquādiu obſeſſus eſt, acriter qui in præſidio erant, arcē ipſam defendentibus. Non eſt vſus ea fortuna Gregorij nepos ex fratre, qui eo tumultu ad Septem ſolia Seueri Afri opus confugiens, cùm ferre oppugnationem nō poſſet, deditionem turpiter fecit. At verò Henricus, cognito Guiſcardi aduentu Apuliæ ducis in auxiliū Gregorij, non amplius immorandum ratus, ad dolos conuerſus, Cluniacenſem abbatem ad Gregorium in arcē mittit, qui diceret ſe in Germaniam propere cū exercitu rediturum, ſi ab eo in Laterano coronaretur: populus quoq; Romanus, vt idem fieret, precibus inſtabat. Facturum ſe id Gregorius dicebat, ſi errata ſua Hēricus corrigeret, veniamq́; peteret: quod cùm facere recuſaret, & iam aduentare cum exercitu Guiſcardum ſentiret, Clementem antipapam in Lateranenſi baſilica corona pontificia publicè donat, eam rem procurantibus Bononiēſi, Ceruienſi, Mutinenſi epiſcopis. Quo facto, ſtatim Senas proficiſcitur Clemente ſecū ducto. Guiſcardus aūt per portam Flaminiam irrumpens, reſiſtētibus ciuibus vſq; ad triumphalem Domitiani arcum vrbē incendio conſumpſit. Munierant Capito-



lium ciues, & ſe acriter contra Guiſcardum defendebāt, qui Lateranum iam ceperat. Vnde cùm multa crebro vtrinq; committerentur certamina, & illa pars vrbis euerſa eſſet, quæ Lateranum & Capitolium interiacet, & ipſum Capitolium poſtremò vi captum, ferè vſq; ad ſolum æquatur. Inde verò ſuperata iam & capta Roma, fortuniſq́; ciuium militibus in prædam datis, ad molem Hadriani profectus, vbi pontifex obſidebatur, hominem multis calamitatibus vexatum, tādem è manibus hoſtium liberat, ſecumq́; Caſsinum ac Salernam perducit. Vbi non ita multò pòſt pontificatus anno xij. menſe vno, diebus tribus ſanctè & piè moritur. Vir certè Deo gratus, prudens, iuſtus, clemens, pauperū, pupillorum, viduarum patronus, atq; vnicus eccleſiæ Romanæ fortiſsimus & acerrimus defenſor contra hæreticorum improbitatem, & malorum principum potentiam, res eccleſiaſticas per vim occupare conantium.

ANNOTAT.

*Huius Gregorij viri celeberrimi, & maximè memorabilis vitam, & res geſtas, quinq; libris conſcripſi. Animus erat quædam de eo cognitu digniſſima hic ſubijcere, neq; à Platina, neq; ab alijs, qui circunferuntur auctoribus, quod ſciam, ſcripta: ſed rei ipſius moles longè maiorem locum, quàm annotationis deſiderat. Illud tātum dicam, hunc maximum pontificem, totius eccleſiaſticæ libertatis vnicum aſſertorem fuiſſe, qui quanquam vir ſanctiſſimus eſſet, vt ab infinitis penè ſuorum temporum ſcriptoribus traditur, tamen nec ipſe ineptiſſimam vulgarium hominum opinionem effugere potuit: ab alijs enim necromanticus, ab alijs Simoniacus, à qua labe ſupra omnes alienus fuit, ab alijs ſanguinarius, & ſimilibus nominibus appellatur. Quæ omnia in gratiam imperatoris, quo cum maximas inimicitias ob liberalitatem eccleſiaſticam, quæ eius tyranni deprimabatur, recuperandam geſſerat, conficta fuerunt. Sed de his aliàs latius. Multa de hoc pontifice & ſcitu digna ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis monachus Iſerueldēſis, Leo epiſcopus Oſtienſis libro tertio hiſtoriæ Caſſinenſis, qui eo tempore vixerunt, Otho epiſcopus Friſingenſis hiſtoriarum libris 6. & 7. & alij complures.*

## VICTOR III.

Victor tertius, Deſiderius antea vocatus, montis Caſsini abbas, pontifex 165. Pont.
creatus, ſtatim Gregorij partes ſuſcepit. Hanc ob rem crediderim eum quoq; Henricum regem hoſtem habuiſſe, cuius fraude (vt Martinus ſcribit) veneno in calicem iniecto dum ſacrificat, necatur. Vincentius tamen longè aliter ſentit, cum dyſenteria perijſſe hominem dicat, quod à ſuſpicione dati veneni nequaquam alienum eſt, vnde in dyſenteriam veneno petiti interdum vertuntur, correptis & labefactatis inteſtinis.

Vindicaſſet autem tantam iniuriam Guiſcardus, ni ei mori properè nimium contigiſſet. Superatis enim Græcis in Caſsiopam inſulam delatus moritur, cui abſente Boëmundo Rogerius natu minor in Apuliæ ducatu ſucceſsit. Ferunt & eodem tempore in toto ferè orbe terrarum fame laboratum eſſe, qua quidem occaſione Auful Gallæciæ rex, Toletum multis annis obſeſſum de Sarracenis cepit, eandemq́; vrbem Chriſtianis incolendam tradidit. Henricus præterea in Germania ſiniſtro Marte cum Saxonibus dimicans, quatuor millia militum amiſit Deo volente, vt tandem deſiſteret eccleſiam ſuam perſequi, & calamitatibus vexare. Sunt qui hoc tempore multa prodigia apparuiſſe ſcribant, quòd & aues domeſticę, vtpote gallinæ, anſeres, columbi, pauones, ad loca montana cōfugerint, ſilueſtreſq́; ſint factæ, & piſces tum fluuiales tū marini magna ex parte perierint. Terræmotu etiam quædam vrbes adeo concuſſæ ſunt, vt Syracuſis maior baſilica corruens, dum veſperæ celebrarentur, omnes qui tum in templo aderant, contriuerit, duobus tantum diuinitus ſuperſtitibus, diacono ſcilicet & ſubdiacono. Sunt qui dicant hoc tempore corpus ſancti Nicolai Barum tranſlatum à mercatoribus eſſe, ibiq́; in pretio habitum, vt Martinus Scotus vir magnæ doctrinæ ſingulariſq́; vitæ, in ſua hiſtoria cōſcribit. *Nicolai corpus tranſlatum.* Victor autem cuius gratia Deuſdedit librum canonum in ordinem redegit, anno vno, menſe quarto pontificatus ſui non ſine ſuſpicione dati veneni moritur.

ANNOTAT.

*Victoris III. vitā, & res geſtas diligentiſſimè ſcripſit Leo Marſicanus monachus, Caſſinen. Oſtienſis epiſcopus in libro 3. hiſtoriæ Caſſinenſis. Vir certè tanto pontificatu, & qui Gregorio VII. ſucceſſit, dignus. Obijt Caſſini, cuius monaſterij ante pontificatum abbas fuerat, ibiq; cum hoc elogio ſepultus.*

*Caſſini in monaſterio S. Benedicti, Victoris III. ſepulchro.*

*Quis fuerim, vel quid, qualis, quantusq́; doceri*
*Si quis fortè velit, aurea ſcripta docent.*
*Stirps mihi magnatum, Beneuentus patria, nomen*
*Eſt Deſiderius, Tuq́; Caßine decus.*
*Intectam ſponſam, matrem, patriamq́; propinquos*
*Spernens, huc propero, monachus efficior.*
*Abbas dehinc factus, ſtudui pro tempore totum*
*Vt nunc aſpicitur hunc renouare locum.*
*Interea fueram Romana clarus in vrbe*
*Presbyter eccleſiæ Petre beate tuæ.*
*Hoc ſenis luſtris minus anno functus honore*
*Victor apoſtolicum ſcando dehinc ſolium.*
*Quatuor & ſemis vix menſibus inde peractis*
*Bis ſex luſtra gerens mortuus his tumulor.*
*Solis Virgineo ſtabat lux vltima ſigno*
*Cum me ſol verus hinc tulit ipſe Deus.*

## VRBANVS II.

*166. Pont.* VRbanus ſecundus, Otho vel Obdo antea vocatus, monachus Cluniacẽſis primò, deinde Cardinalis Oſtienſis, poſtremò quinto mẽſe poſt mortem Victoris pontifex creatur, ac meritò quidem. Doctrina enim & ſanctitate vitæ quouis grandi magiſtratu dignus erat. Tum verò Rogerius opportunitatem nactus, quòd mortuo Gregorio res ad Vrbanum nouum hominem deueniſſet, Capuam vrbem & quicquid inde vſque ad Tiberim pertinet, de Romanis & pontifice vi cepit. Hanc ob rem Vrbanus parum etiam Romanis iam pridem rebus nouis ſtudentibus fidens, Melphim ſe contulit: ibi verò ſynodum habiturus, quò tutius eò proficiſci liceret, Rogerio & Boëmundo inter ſe de ducatu Apuliæ contendentibus imperat, vt ab armis diſcedant, hac tamen conditione, vt Rogerius permiſſa Boëmundo Apuliæ parte, ipſe reliquam patris ditionem haberet. Tum pontifex ex ſententia animi ſedatis rebus Italicis, compoſitoq́; rei eccleſiaſticæ ſtatu, quãtum in tanta perturbatione licuit, Troiam proficiſcitur, recogniturus qd maximè clerus eo loci ageret, correcturusq́; errores quorundam malè viuentium. Interim verò Boëmundus fratre Rogerio in Sicilia contra Sarracenos bellum gerente, Melphim furto occupat. Hanc autem ob rem Rogerius è Sicilia rediens, viginti millibus Sarracenorum bello conductis fratrem Boëmundum Melphi obſidet, acriter ciuitatem qui in præſidio erant, defendentibus. Pontifex itaque cum in Italia nullibi quietis locum cerneret, in Gallias profecturus, Placentiæ ſynodum habuit, in qua licentiam quorundam eccleſiaſticorũ mirificè compeſcuit. *Placentia ſynodus.* Inde verò in Gallias abiens, rem memoratu dignam aggreſſus eſt. Concilio enim apud Clarum montem habito, ita principes Galliæ ad recuperandam Hieroſolymam à Sarracenis iamdiu occupatam animauit, vt anno ſalutis milleſimo & octogeſimo quarto trecenta millia hominum nomen in militiam Chriſti dederint, ſignumq́; crucis ſuſceperint: quo facto Romam ſtatim redijt, vt compoſitis in Italia rebus, Italos ad eam quoque rem animaret.

Non deſtitit interim Henricus rex, homo pernicioſus, Robertum Flandriæ comitem prælio laceſſere, quò eum à ſancta expeditione auerteret. Multi tamen Petrum quendam eremitam virum incomparabilis ſanctitatis ſecuti, per Germaniam & Pannonias iter facientes, Conſtantinopolim communem belli ſedem peruenere, quos non ita multò pòſt ſecuti duo fratres ſunt Gotifredus, Euſtachius & Balduinus cognomento Bolioni, Galliæ comites, viri & animi conſtantia & corporis robore inſignes. Præterea verò & Podienſis epiſcopus & Raymundus ſancti Egidij comes, & Hugo Magnus Philippi regis Francorum frater, & duo Roberti: quorum alter Normandiæ, alter Flandriæ comes erat, & Stephanus Carnoti comes, tranſmiſſis alpibus magnis copijs iter per Italiam facientes, primò Romam peruenêre. Vnde recognitis prius ſanctorum locis, ſacelliſq́; inuiſis, accepta à pontifice benedictione Brunduſium peruenêre, inde in Epirum traiecturi. Verum quia non omnes idem portus capiebat (tanta erat multitudo) pars Barum pars Idruntum petijt. Boëmundus autem (quem diximus Melphim occupaſſe) cupiditate gloriæ incenſus, relicta Melphi, cum duodecim millibus delectorum hominum Italicæ iuuentutis in eandem expeditionem proficiſcitur. Huius autem virtus & animi præſtantia adeo fratrem Rogerium permouit, vt poſitis armis dixerit ſibi omnia cum fratre communia deinceps fore, ac ſtatim Tancredum filium pugnandi cupidum, belli comitẽ fratri tradidit. Per-





uenerat iam Conſtantinopolim Petrus eremita, & in ſuburbijs caſtrametatus, tot mala ciuibus inferebat, non ſponte, ſed militum licentia, vt omnium interitum Græci peroptarent. Permotus itaq; ſuorum malis Alexius imperator, Petrum compulit negato commeatu, ante tempus Boſphorum traijcere: qui Nicomediam primò, mox Nicæam peruenientes, ciuitatem ipſam natura & præſidio Sarracenorum munitam, oppugnare adorti ſunt. Verùm cùm obſidentibus commeatus deficerent, dilaberenturq́; paſsim milites Chriſtiani, eius rei cauſa à Sarracenis inſidijs oppreſsi, ac relinquere obſidionem coacti, tãtum in fuga detrimentum accepêre, vt & Reynaldus dux Alemãnorum abnegata Chriſti fide, cum aliquot militibus deditionẽ fecerit, & Petrus legationis nomine ſine militibus Conſtantinopolim redierit. Quæ res Alexio grata admodũ fuit, quòd ſperaret Chriſtianos tanto accepto incommodo, eam expeditionẽ omiſſurus. Interea verò ſuperuenientibus alijs copijs, cùm eos aperto Marte repellere Alexius nõ poſſet, clam noctu in ſuburbijs Conſtantinopolitanis caſtrametantes aggreditur, ſed nil eſt actum, acriter qui in ſtatione erant, caſtra defendentibus, donec reliqui milites ſomno excitati, arma caperent. Pugnatũ eſt item ſequenti die paruo vtrinq; accepto incõmodo. Tum Boëmũdus exercitus nomine ad Alexium miſſus, hominẽ partim minis, tum pollicitationibus ad pacẽ ineũdum cõpulit his fœderibus, vt & iter tutum per loca imperio eius ſubiecta facere liceret, & cõmeatum ac ſupplementa præberet, vtq́; quod è Sarracenis caperetur, eius imperio ſubijceretur, excepta Hieroſolyma. Peractis his rebus ex ſententia, tranſmiſſoq́; Boſphoro, primò Nicomediam, inde Nicæam ventum eſt, à Turcis, qui in præſidio erant, acriter defenſam. Sarraceni enim & Turci paribus copijs auſpicijsq́; bellum cõtra Chriſtianos tum gerebant. Ad ſexaginta enim Turcorũ millia, qui proximos montes inſederant, ſigna eruptionis oppidanis præbẽtes, Chriſtianorum caſtra adorti, magno accepto incõmodo, ad montes ipſos, re infecta, rediêre. Difficile tamen erat vrbem oppugnare, quia commeatus & ſupplementa militum ſubmitti per lacum vrbi adiacentem continuò poterant. Verùm ſuperuenientibus è Conſtantinopoli lembis non paucis, in lacumq́; miſsis rerum omnium inopia oppidani preſsi, dies poſt duos & quinquaginta ab initio obſidionis deditionẽ fecere, Turcis, qui in præſidio erant, cũ rebus ſuis & armis abire permiſsis. At verò Chriſtiani munita Nicęa, inde abeuntes, cùm iter per loca deſerta facere neceſſe eſſet, bifariam copias diuiſere. Cùm aũt Boëmundus herbidũ ſolum ad riuum quendam inueniſſet, caſtris poſitis reficere militem labore itineris feſſum inſtituerat, cùm ſubitò eum Sarraceni & Turci Solimãno duce adorti ſunt: quẽ certè oppreſsiſſent abundãte vndiq; multitudine, ni Hugo & Gotifredus cum quadraginta millibus equitum, ei confeſtim re per nũcios cognita opem tuliſſent. Pugnatum eſt vtrinq; acriter & diu, nec dirimi niſi noctis interuentu certamen potuit. Eo aũt prælio, quo Medi, Turci, Syrij, Chaldæi, Sarraceni, Arabes interfuêre, quadraginta millia hominũ cecidiſſe ſequenti die cognitum eſt. Solimannus autem effuſa fuga inde abiens, ac vbiq; prædicans ſe victorem fuiſſe, decem millia Arabum ad exercitum venientium obuiam habuit, quos ſtatim ſecum in Lycaoniam duxit Chriſtianis eò proficiſcẽtibus commeatus & iter intercepturus. At Chriſtiani ſegetibus iam matureſcentibus adiuti, ſine vllo incommodo Iconium primam Lycaoniæ ciuitatem peruenêre: qua in poteſtatem dedentibus ciuibus redacta, pari felicitate Heracleam, Tarſumq́; cepere. Tum Balduinus præſtantis animi & ingenij vir, primus omnium in Aſia dominatum adeptus eſt, Tarſo donatus, & quicquid in ea regione caperet: qui quidem paulò pòſt Edeſſa & Maniſta vrbibus potitus eſt. Flexit inde in Ciliciam maior exercitus, quæ nunc minor Armenia vocatur. Quam quidem primo impetu captam, Palinuro Armenio cum noſtris militare ſolito, regendam commiſere. Capta deinde Cæſarea Cappadociæ, in Antiochiam mouere tranſmiſsis altiſsimis montibus. Antiochiæ verò Caſsianus rex tum pręerat, quę vrbs antea Reblata appellata eſt. Hanc autem duplici muro circundatam, de ſuo nomine rex ille quondam Aſiæ dominator appellauit, ductis circunquaq; quadringentis & ſexaginta turribus. Hæc item quondam Petri apoſtoli ſedes fuit. *Sedes Petri apoſtoli.* Hinc Lu-

cas euangeliſta, & ille Theophilus originem duxerunt, ad quē Lucas euange-
lium & actus Apoſtolorum ſcribit. Hic tamen primum baptiſmatis fonte rena-
ti, Chriſtianos ſe appellauere: in eaque ſub Chriſtiano imperio mille annis flo-
ruêre. Centum etiam ac lx. epiſcopos ſub patriarcha Antiocheno fuiſſe conſtat
ante vrbem à barbaris captam, in qua ad trecentas & lx. eccleſias fuiſſe legimus.
Anno igitur ſalutis noſtræ milleſimo nonageſimoſeptimo, vrbs Antiochia
magnis operibus obſideri cœpta eſt.

Quo quidem tempore Vrbanus maximis ſeditionibus exagitatus, in domo
Petri Leonis potentiſsimi ciuis biennio ſe continuit, apud eccleſiam ſancti Ni-
colai in carcere Tulliano. Verùm mortuo Ioāne pagano ſeditioſiſsimo homi-
ne, liberior factus, ad componendum eccleſiæ ſtatum animum adijcit. Nam &
archiepiſcopum Mediolanenſem iam antea magiſtratu pulſum, quòd ab vno
tantùm epiſcopo contra ius diuinum conſecratus fuerat, in gratiam recepit,
cùm antea mutato habitu eius rei cauſa in cœnobio ſponte ac ſanctiſsimè vixiſ-
ſet, & eidem pallium ſuppliciter petenti cum integra poteſtate tranſmiſit, his
verbis: Literis tuis exorati, cum apoſtolicæ ſedis benedictione pallium fraterni-
tati tuæ mittimus, quod quidem dignitatis genus nulli antè niſi præſenti con-
ceſſum eſt. Prætereà verò Toletano archiepiſcopo, qui Romam veniens de mo-
re in verba pontificis iurauerat, pallium & priuilegia quædam conceſsit, eun-
demq; totius Hiſpaniæ primatem inſtituit. Regem autem Gallæciæ cum omni
diœceſi ſancti Iacobi, anathematis vinculo illigauit: quia prouinciȩ epiſcopum
in carcerem, inaudita cauſa, coniecerat. Eodem ferè tempore Henricus Sueſsio-
nenſis epiſcopus Romam ad Vrbanum veniens, epiſcopatu, quem à rege Fran-
corum acceperat, liberè ſe abdicat ſine vlla reſtitutionis ſpe. Hanc ob rem Vrba-
nus cum neceſsitas prouinciæ ita exigeret, nolenti & recuſanti epiſcopatum re-
ſtituit, accepto iureiurando. His tamen verbis in reſtitutione hominem vſum
ferunt, Excommunicatis ab hac ſede deinceps ſciens & volens non cōmunica-
bo: Similiter verò cōſecrationibus eorum, qui epiſcopatus vel cœnobia à laicis
contra ius fasq; acceperint, nunquam interero: & ita me Deus adiuuet, & hȩc ſan
cta Dei euangelia, vt nunquam de ſententia cedere inſtituerim. Idem quoq; in
Beluacenſem epiſcopum actum ferunt. Nec eſt cur eum ob has res pertinacem
quiſpiam fuiſſe putet. Didicerat enim vbi erat opus, mutare ſentētiam, quod eſt
viri boni proprium. Nam cùm clericum quendam à Giberto antipapa ad ordi-
nem ſubdiaconatus antea prouectum, iterum ad ſacros ordines admiſiſſet, ſen-
tentiam mutauit, quòd ea res mali exempli videretur, pariturāq; aliquādo eſſet
ingentia mala. Ciſtertienſem autem ordinem primò in Burgundia excitatum,
ſua auctoritate confirmauit. Sunt etiam qui ſcribant Carthuſienſes religioſos
huius pontificis tempore originem habuiſſe. Alij autem temporibus Victoris
tertij hoc aſcribunt. At verò cùm Vrbanus ſanctiſsimus pontifex non opere ſo-
lùm & exemplo, verùm etiam ſcriptis contra hæreticorum dogmata eccleſiam
Dei confirmaſſet, duodecimo pōtificatus ſui anno, menſe iiij. die xix. apud tan-
ctum Nicolaum in carcere Tulliano in ædibus Petri Leonis ciuis egregij mori-
tur, iiij. calend. Auguſti, cuius corpus per Tranſtiberinam regionem ad vitādas
inimicorum inſidias, qui etiam mortuum lædere conabantur, ad ſanctum Pe-
trum in Vaticano delatum eſt, ibiq; honorificentiſsimè ſepultum.

*Ciſtertienſium ordo confirmatur, & Carthuſienſes, vt quidam ſcribūt, ex huius tempore originē habuere*

## PASCHALIS II.

*167. Pont.*

PAchalis ſecundus, Rainerius ante pontificatum vocatus, natione Italus
è Flaminia, patre Creſcentio, matre Alſacia, eò ferè tempore pontifex
creatur, quo Chriſtiani in Aſia dimicantes Antiochiam cœpêre, Pyrrho
Antiocheno ciue admodum potente, vrbis ingreſſum præbente.

Qui Boēmundi virtutem admiratus, dediturum ſe illis vrbem ſpopondit, ſi
reliqui Chriſtiani eidem cum imperio præeſſe Boēmundum paterētur. Ingreſsi
vrbem Chriſtiani, omnibus ferè pepercere, in præſidia Sarracenorū tantummo-
do ſæuitum eſt. Caſsianus aūt rex ad loca montana cōfugiens, ab Armenijs tru-
cidatur. Sola arx ſupererat: quam dū Boēmundus acerrimè oppugnat, femur ſa-

gitta



gitta traijcitur: & adeo grauiter, vt per aliquot dies ab oppugnatione deſtiterit.
Verùm ſuperueniēte Corbane Perſarū regis militiæ principe, cū Senſadolo Caſ-
ſiani filio Antiochiam recuperaturis, Boēmūdus iam ex vulnere integer obuiā
cum exercitu factus, ſtatim pugnandi copiam facit. In montibus ſe hoſtes conti-
nebant, nec elici ad certamen vllo modo poterāt. Quare Boēmundus penuria re
rum omnium vrgēte, decertare omnino inſtituit etiā iniquo loco. Prælata itaq;
lancea illa tanquam vexillo optimo, qua Chriſti latus transfixū à Longino fuit,
nuper in baſilica ſancti Andreȩ Antiochiæ reperta, hoſtes primò acriter reſiſten-
tes ſuperat & cædit, quorum de numero ad centum millia perijſſe conſtat. Præte
reà verò in eorū caſtris ad quindecim millia camelorum capta tradūtur: indeq;
tanta præda auecta, vt ab extrema inopia ad ſummam rerum omnium vberta-
tem ventum ſit. Præfectus autem arcis, cognita ſuorum calamitate, & arcem Boē
mundo tradidit, & Chriſti fidem ſuſcepit: permiſſum & his, qui in præſidio erāt
vt ſi Chriſti fidem amplecterentur, abire cum rebus ſuis liceret quoquò vellent.
Magna deinde inter Boemundum & Raymundum cōcertatio orta eſt, cùm Boē
mundus ſibi Antiochiam depoſceret, & Raymundus inſtaret, vt imperatori Cō
ſtantinopolitano ex fœdere prius inito ſine vlla controuerſia traderetur. Sacer-
dotes autem, quibus eius rei arbitrium commiſſum eſt, Boēmundo Antiochiā
ſtatim adiudicāt. Intereà verò mortuo Hugone Magno, qui componendarum re
rum cauſa Conſtantinopolim inerat, reliqui duces, Raymundo excepto, qui Cæ
ſaream Cappadociæ obſidebat, proficiſci Hieroſolymā cum exercitu inſtituere,
in Lyciam ſimul conuenientes. In itinere autē Tortoſam oppugnare adorti, tri-
bus menſibus fruſtra cōſumptis, ſoluta obſidione, Tripolim mouere: cuius regu
lus pecunia, commeatu, armis benignè præbitis, pacem hac lege impetrauit, vt ſi
Hieroſolymæ caperentur, Chriſtianum nomen amplecteretur & fidē. Inde verò
mouentes, ac Cæſareā Palæſtinæ prætereuntes, quinis caſtris Hieroſolymā tandē
peruenere, in arduo monte ſitam, ac pluribus conuallibus diſtinctā, adeo, vt non
niſi à maximis exercitibus obſideri vrbs poſſet. Adde quòd aquis fontanis & fluuiali
bus caret, quæ exercitibus maximè neceſſariæ ſunt. Solus enim Syloē amnis, & is
quidem æſtate pertenuis, ac interdum nullus, per montem Syon in conuallē Io-
ſaphat delabitur. Sunt tamen permultæ in vrbe & in agris ciſternæ, quæ ſolis ciui
bus aquam præſtent, non etiam magnis exercitibus & iumētis militaribus. Chri-
ſtiani tamen cōparato omnifariam commeatu, quatuor locis oppugnare vrbem
magnis viribus adorti, eā Hieroſolymitanis acriter defendētibus, idibus Iulij vi
cœpere, trigeſimonono die poſteaq̃ obſideri cœpta eſt, anno ſalutis milleſimo
nonageſimonono: anno quadringenteſimo nonageſimoq; poſteaquā imperāte
Heraclio à Sarracenis occupata fuerat. Præcipua tamen in recuperāda tanta vrbe
laus Gotifredi fuit, qui partem muri ei ac fratribus ad oppugnādum aſſignatam
primus conſcendit: Balduinoq; poteſtatem fecit, vt in vrbem deſcendēs, Chriſtia
nis portas recluderet: quibus certè irrumpentibus, tanta cædes facta eſt, cū in vr-
be, tū vel maximè in templo, vt morientium cruor talos hominū ſupergredere-
tur. Cœpiſſent eadem quoq; die templum, niſi nox ſuperueniſſet. Verùm ſequēti
die repetita oppugnatio eſt: & his venia cōceſſa, qui poſitis armis ſuppliciter ſalu-
tem petiêre. Chriſtiani autem tanta victoria potiti, vbi & diebus octo à bellicis re
bus quieuiſſent, & ſancta vrbis loca ac Domini ſepulchrū de more viſum iuiſsēt,
vno omnium conſenſu Gotifredum humeris etiam in regiā delatū, regem de-
cernūt. Qui regni quidem titulum non abnuit, coronam verò aureā reiecit, in-
dignum arbitratus illic aureo diademate hominē vti, vbi rex regū Chriſtus ſpi-
neam coronā pro redēptione humani generis tuliſſet. Prætereà verò Arnulphus
presbyter patriarcha creatus, ab epiſcopis, qui tum aderant, conſecratur. Perterri-
ti autem hac victoria Neapolitanæ vrbis Aſſyriæ ciues, legatos ad Gotifredū mi-
ſere, qui ſe ac ſua omnia illi dederent. Verùm cùm non ita multò pòſt, nūciatū fu
iſſet, Solimanni Babylonis regis ingētem exercitū Aſcalonē perueniſſe, vrbem
viginti millibus paſſuū ab Hieroſolymis diſtantē, Hieroſolymitanoq; populo
ſemper infenſam, occurrere hoſti Gotifredus ſtatuit, Petro eremita ad cuſtodien
dam vrbē relicto: reuocatoq; Euſtachio & Tancredo, quos Neapolim cū duabus

legionibus miſerat. In hoſtem itaq; profectus, cùm ex captiuis cōperiſſet Clemen
tem eſſe regis Babyloniorū Solimanni militiæ principem, quo cū quinquaginta
millia hominū militarēt, eundēq; habere claſſem frumēto & machinis onuſtā,
decertare omnino inſtituit. Vnde pugna cōmiſſa, victoriæ cōpos, ad xxx. millia
hominū interfeciſſe traditur. Clemens aūt hoſtium dux, naui fugiens, ſalutē ſibi
quęſiuit. Aſcalonitæ verò tanto accepto incommodo, vrbem ſtatim Gotifredo
tradidêre, in qua tantū auri & argenti deprehenſum eſt, quantū alio vnquā in lo-
co. Recuperatis itaq; Hieroſolymis, multi principes voti cōpotes facti, redire in
Europam ad ſuos inſtituêre. Inter quos ſancti Egidij Trecenſiſq; comites ſunt ha
biti. Gotifredus aūt cum fratribus mira felicitate victoriæ vſus, & Ioppem mariti
mam & Ramulā vrbem expugnauit, quæ impedimēto Chriſtianis erat, quò mi-
nus tutò ab Aſcalone Hieroſolymam proficiſcerētur. Obſedit & Caipham, quæ
alio nomine Prophoia dicitur, ad Carmeli radices ſitā, & quatuor millibus paſ-
ſuum ab Accon ſemotam. Verùm durante adhuc obſidione, Tiberias Galilęę vl
tro ſeſe obtulit, Caipha nō ita multò pòſt ex fœdere recepta. Sed nihil in huma-
nis rebus, quod ad felicitatem pertineat, diuturnū eſt. Anno enim vno poſt captā
tot laboribus Hieroſolymā, Gotifredus febri correptus moritur, cui ſtatim Chri
ſtiani, ne ob interregnum aliquid detrimenti caperent, Balduinum fratrē in re-
gnum ſufficiunt, anno ſalutis noſtræ centeſimo primo ac milleſimo.

Ad Paſchalem, autem redeo, quem quidem Gregorius ſeptimus ob virtutē &
doctrinam, ſancti Clementis presbyterum creauit, in quo quidem loco clerus ip
ſe poſt Vrbani mortem eundem Paſchalem vita priuata contentum (quippe qui
antea monachus fuerat (etiam nolentem & latitantem pontificem creat, quòd
diceret humeros ſuos nequaquam tanto oneri ſuffecturos, ſed expetēte populo,
eligente clero, collaudante cardinalium ſenatu, pontificium munus ſuſcepit:
maximè verò cùm ter acclamatum eſſet, Sanctus Petrus Rainerium virum opti-
mum pontificem elegit, cui poſtea primiſcrinij & ſcribæ regionarij, Paſchalis
nomen indidêre. Indutus deinde coccineam chlamydem, tiaraq́ue capiti eius
impoſita, comitantem populo & clero, equo albo ad Lateranum perducitur ma
ximè verò ad eam porticum, quæ ad auſtrum verſa, in Baſilica Saluatoris ducit,
quam Conſtantinianam vocant: vbi cùm in ſede ad eam rem de more parato ali
quandiu quieuiſſet, atriū Lateranenſe conſcēdens, balteo ſuccingitur, vnde ſep-
tem claues ſeptemq́ue ſigilla pendebant, vt intelligeret ſe ſecundum ſeptifariam
ſancti ſpiritus gratiam ſanctarum eccleſiarum quibus Deo auctore præerat, clau
dendi, ſigillandi, aperiendi, recludendiq́ue rationem habere. Inuiſit ſceptrum
pontificium manibus gerens, ea quoque loca, quæ ſolis pontificibus ſunt adiu-
dicata. Sequentibus verò diebus conſecrationem accepturus, ad baſilicam beati
Petri proficiſcitur, in qua eū chriſmate inunxêre Oddo Oſtienſis epiſcopus, Mau
ritius Portuenſis, Gualterus Albanus, Bono Lauicanus, Milo Præneſtinus, Offo
Nepeſinus. Oddoni Oſtienſi primæ partes, quas adhuc retinet, obtigere. Poſt vn-
ctionem verò in vrbem rediens, coronam de more accepit. Hoc ita futurum Al-
bertus Alatrinus epiſcopus aliquando diuinauit. Nam cùm ab amico interro-
garetur, quem Vrbano ſucceſſurum putaret, Rainerium, inquit, propter fidē &
conſtantiam Deus eligat. Ferunt & eundem Albertum tempus ipſum, quo in pō
tificatu victurus erat, prędixiſſe. At verò Paſchalis eccleſię Dei propè labenti quo
rundam ſeditionibus conſulturus, copias ſuas in Gibertū antipapam mittit ma-
lorum omnium caput. Vt autem tanto bello ſufficere pontifex poſſet, Rogeri-
us Siciliæ comes ei turmas aliquot, & mille auri vncias auxilio miſit. Albę Mar-
ſorum Gibertus homo pernicioſus tum degebat. Qui vbi intellexit hoſtes aduē-
tare, haud ſatis copijs ſuis fidens, à Richardo Cāpano comite acceptis, relicta Al-
ba in Furconenſium montana, quę nunc Aquilanorū mutato nomine habētur,
ſeſe proripuit. Vbi non ita multò pòſt ſubita morte correptus, ſui ſceleris pœnas
luit. A malis tamen eccleſia Dei nō ſtatim, tam pernicioſo homine ſublato, quie
uit. Richardus enim, quem diximus Giberto copijs & opibus fauiſſe, in locū de-
mortui Albertum quendam ſufficit Atellanum ciuem, quæ vrbs Auerſa nūc di-
citur, inter Neapolim & Capuam poſita, qui ſtatim à bene ſentientibus abdicare
ſe ma-



ſe magiſtratu coactus, relegatur. Cauenſes autem agri Præneſtini incolæ, Richar
di ſtultitiam & arrogantiam imitati, Theodoricum quendam pontificem crea-
uere. Verùm hi quoque pœnitentia ducti, quinto & centeſimo die è pontificatu
deiectum, anachoritæ habitum induere cogunt, & vitam ducere priuatam. Ter-
tius prætereà Maginulphus Romanus ciuis apud Rauennam pontificatus titu-
lum vſurpare auſus eſt: quem quidem & Romani exilio mulctarunt, & Rauen-
nates omni humana ope deſtitutum, ab vrbe ſua pepulere. Pacata autem hoc mo
do Romana eccleſia, Paſchalis vir magni ingenij atque animi, à religione ad ar-
ma conuerſus, adiuuante Rogerio, vrbem Caſtellanam & Beneuentum ab ho-
ſtibus occupatum recipit. Interim verò Petrus Columna Romanus ciuis impel-
lente Richardo Campano comite, cuius maximè intererat copias pontificis di-
ſtrahere, Cauas occupat pontificiæ ditionis oppidum. Hanc ob rem pontifex in
eum mouens, non ſolùm Cauas recepit, verùm etiam Zagarolum & Columnā
paternæ hæreditatis caſtella ei abſtulit. Ex Columna hanc familiam cognomen-
*Familiæ cognomentū ex columna.*
tum duxiſſe cetèputauerim. Erat & alia familia Romæ admodum potens, Corſi
hi ſunt appellati, Gregorio ſeptimo adeo fideles, vt eorum domus ſub Capitolio
poſitæ, ab Henrico tertio ſint exuſtæ & ſolo æquatæ. Verùm poſtea mutato con-
ſilio Stephanus eiuſdem familiæ princeps, abſente Paſchali, ſancti Pauli baſili-
cam & caſtellum eo loci ædificatum furto occupat: vnde incurſionibus mirum
in modum vrbem Romam continuò vexabat. Hanc ob rem omiſſis rebus exter
nis, pōtifex ad vrbem properè rediens, Stephanum inde vi deijcit: quem ideo in-
columem abijſſe credimus, quòd monachi habitum indutus, irrumpentes dece-
pit. Apparuiſſe tum multa prodigia auctores plerique ſcribūt, quòd & mare qui-
*Prodigia.*
buſdam in locis littus præter ſolitum viginti paſſibus occupauerit: in quibuſdā
verò à littore in altum centum exceſſerit. Hoc ego quoque ſuperiore anno apud
Puteolos vidi, exeſis quibuſdam columnis marmoreis vſq; ad tres cubitos, quas
mare (vt incolæ dicebant) triennio ante abluere conſueuerat. Apparuiſſe, & co-
metem miræ magnitudinis tum affirmant, qui in occaſu cadente ſole ſtatim ap-
parebat. Non mouebatur his prodigijs Paſchalis, quippe qui fieri hæc natura cer-
nebat. Verùm cùm intellexiſſet Florentinum epiſcopum affirmare ſolitum An
tichriſtum natum eſſe, eò ſtatim proficiſcitur, concilioq́; habito re ipſa admodū
diſcuſſa, cùm leuitate quadam, vt alicuius magnæ rei auctor videretur, Motum
epiſcopum cerneret, hominem verbis caſtigatū dimittit, atq; inde in Ciſalpinā
*Conuentus ad Guardaſtallum.*
proficiſcitur. Vbi ad Guardaſtallū conuentu multorum principum & epiſcopo
rum habito, de homagijs, de feudis, de ſacramētis epiſcoporū laicis antea exhibi-
tis, exhibēdiſue, magna eſt habita ratio. At verò cū intelligeret Gallos ſacerdotes
nō ita integrè, vt dicebat, vitam ducere, eò profectus, apud Trecas conuentu ha-
bito, redactis ad laudabiliorem cultum eccleſijs, earumq́; præſidibus partim pul-
ſis, partim caſtigatione emendatis, in Italiā propere redijt, ꝙ intellexerat omnia
ſeditioſorum quorundā factionibus perturbari. Stephanus enim Corſus montē
altum & Ponticelum de ea parte Etruriæ, quam nunc principis apoſtolorum pa-
trimoniū vocāt, ceperat præſidijsq; muniuerat, vnde frequēti incurſione omnia
circunquaq; vexabat, quē pontifex inſecutus, ex altero caſtello deiecit: alterū vi-
capere non potuit, natura loci obſtāte, & hyeme, quæ iam appetebat. Iturus itaq;
in Apuliam componendarum rerum Italicarū gratia, Lauicano epiſcopo eccle
ſiam, Petro Leonis, & Leoni Fregepani vrbem vrbanaq; omnia, Prolemęo Subla
cenſi domino, quæ circa vrbem ſunt, quàm diligētiſſimè commendauit, relicto
Gualfredo nepote militiæ principe: qui vnà cum his ditionem eccleſiaſticā tue-
retur. Verùm abſente pontifice, quē ferunt Ptolemæum tanti mali auctorē dice-
re ſolitū, nūquam amplius ad vrbem rediturum, ab eccleſia Dei hi omnes defe-
cere: Petrus Columna, quem pontifex in gratiam receperat, Farfenſis abbas cum
Anagninis, Præneſtinis, Tiburtinis, Tuſculanis, Sabinis. Auſus & idem Ptolemę
us comparato exercitu Albam Latinam oppugnare, ciuibus ipſis acriter vrbē de-
fendētibus. Verùm ſuperueniente pontifice cum principe Caietano, cumq; Ri-
chardo Aquilano egregijs copiarum ducibus, pulſis tyrannis eccleſiā Dei occu-
pare conantibus, & Albam obſidione liberat, & reliqua oppida, quæ iam defece-
rant,

rant, in deditionem recipit. Tibur obſtinate reſiſtens expugnat non ſine magno vtriuſq; patris incommodo. Montem altum, deiecto inde Stephano, recipiens, totum patrimonium breui pacatum reddidit. Pace deinde compoſita, ad bellũ Aſiaticum animum adijcit, principes Chriſtianos literis & nuncijs ad eam rem quàm diligentiſsimè animat, quòd intellexerat Gotifredo Hieroſolymis mortuo, Sarracenos recuperandę Hieroſolymæ cauſa magnos exercitus eò duxiſſe: ſuperatisque Chriſtianis ingenti clade, & comitem Burgundiæ in ipſo prælio cecidiſſe, ac Boemundum viuum in manus hoſtium deueniſſe, ipſum verò Balduinum regem Gotifredi fratrem, ægrè ex tanta clade ſeſe proripuiſſe, nec paulùm abeſſe, quin vrbs caperetur.

Veruntamen barbari tanta victoria potiti, obſidere Hieroſolymas nequaquam ſunt auſi. Tancredus aũt egregiè defenſa Antiochia, Laodiceam vrbem imperio Conſtantinopolitano ſubiectam vi cœpit, quòd intellexerat Alexiũ imperatorẽ Chriſtianorum clade delectatum, militibus quoq; noſtris impedimento fuiſſe, quò minus ſupplementi cauſa ex Europa in Aſiam traijcerent. Felicitate & audacia Tancredi Balduinus rex percitus, comparato properè exercitu, in Accon ducere ſtatuit, vocatis in auxilium Genuenſibus & Venetis: qui eò properè cũ octoginta roſtratis nauibus ac triremibus pleriſq; profecti ſunt: quare & vrbs terra mariq; acriter oppugnata, vigeſima die tandem capitur, & Sarraceni, qui eò venerãt tuendæ vrbis cauſa, fuſi fugatiq; ſunt. Tancredus autem tantæ fuit pietatis in patruum Boemundum ab hoſtibus triennio in vinculis detentũ, vt ei magna vi auri redempto, Antiochiæ principatum reſtituerit. Poſteà verò idem Boemundus Antiochiam ipſam Tancredo committens, in Italiam primò, mox in Galliam profectus, Conſtantiam Philippi regis Francorum filiam in vxórem accepit. Cognito deinde Alexij imperatoris Cõſtantinopolitani conatu, qui maritimas Antiochiæ vrbes infeſtabat, in Italiam rediens, parata claſſe in Dalmatiam nauigat, Dyrrhachiumq; obſidet, vt ea ratione Alexiũ à bello Aſiatico reuocet, quod etiam breui factum eſt: pacem verò petẽti Boëmundus hac lege edidit, vt bello Antiocheno omiſſo, militibus Francis nullo maleficio per ſua loca tranſeuntibus, iter in Aſiam tutò facere liceret. Compoſita autem pace, cum ea claſſe, quam in Alexium parauerat, in Aſiam Boëmundus contendens, adeo Chriſtianorũ animos recreauit, vt Balduinus rex Berytum vrbem maritimã Phœniciæ inter Sidonem & Byblium poſitã, ac Tyro metropoli obtemperantem, obſeſſam duobus menſibus vi tandem cœperit, non ſine magno ſuorum incõmodo. Hanc ob rem & paſſim in omnes ſæuitum eſt, & vrbs ipſa tanquam colonia Chriſtianis omnibus conceſſa eſt. Eodem quoque tempore capta & Sidon eſt. In tanta verò Chriſtianorum felicitate Boëmũdus clariſsimus princeps morte ſublatus, luctu omnia compleuit, qui Boëmundum filium paruulum admodum, ex Conſtantia vxore ſuſceptum, principatus Antiocheni ſucceſſorem relinquens, Tancredo nepoti donec adoleſceret, commendauit.

Interea verò Henricus quartus mortuo patre, quem apud Leodium bello ſuperauerat, compoſitis in Germania rebus in Italiam veniens, apud Sutrium ſubſtitit, ꝙ ſenſerat eius aduentum Paſchali parum admodum gratum eſſe: quippe qui & eccleſias multas in bellis euerterat, & epiſcopatus contra ius faſq; pro libidine animi, cui placuiſſet demandauerat. Verùm miſſis vltro cetroq; legatis, cũ imperator iureiurãdo interpoſito polliceretur ſe, & pacato agmine vrbem ingreſſurum, & coacturum ſuos epiſcopos, vt ſe à poſſeſſione epiſcopatuum abdicarẽt, quos largitione acceperant & potentia, portæ repẽte apertæ ſunt. Nam Sutrio mouens Henricus ad montem Guadij, vel (vt alij volunt) ad mõtẽ Malum (ſunt etiã qui montem Aureum hunc appellent) caſtra poſuerat, vnde poſtea annuẽte populo prodeũteq; obuiam honorato quoq;, vrbem Leonianã primò ingreditur, pręcedentibus ſacerdotibus cum infulis & reliquijs ſanctorum à mole Hadriani. Nam per eam portam vrbẽ Leonianam ingreſſus eſt vſq; ad baſilicam ſancti Petri, cuius in gradibus pedes pontificis eouſq; cum cardinalibus prodeuntis, exoſculatus eſt. Poſitis deinde militibus ſuis in ſtationibus, vnà cum pontifice, ad dexteram tamen, templũ ingreditur, in quo poſt orationẽ ad altare factam, à põtifice petit,

ce petit,



ce petit, vt illos confirmet, quibus ipſe epiſcopatus dederat, licet iuſiurandũ anteà interpoſuiſſet, ſe nunquam id à pontifice petiturum. Paſchalẽ verò id facere recuſantem intromiſsis militibus, dato ſigno, vnà cũ cardinalibus ſtatim capit, eumq; cum magna parte cleri ſpoliati prius in caſtra perducit. Permotus tã inſigni iniuria populus Romanus, ſumptis armis, Teutonicos ex vrbe Leoniana pellit, portaſq; omnes claudit. Tũ verò imperator ad Soractis montẽ perueniẽs, quẽ nunc ſancti Silueſtri vocant, in loco excelſo & munitiſsimo põtificem & Cardinales collocat, diſpoſitis circũquaq; cuſtodibus & præſidijs, ne inde aufugere vel retrahi ab aliquo poſſent, quo facto, ſtatim reliquas copias vrbem oppugnaturus mouens, ad Anienem peruenit. Vnde occupato prius põtæ Mãmæo, à Mammæa matre Alexandri imperatoris nomẽ ducente, ac tanti operis auctore, incenſis circunquaq; villis, incurſiones continuò in Romanos faciebat. Quare pontifex incõmodis ciuiũ & precibus motus, ad pontem Salarium perductus, accitis ex vrbe notarijs, qui pacta conſcriberẽt, eos omnes (licet inuitus) in epiſcopatu cõfirmauit, quos antè Henricus delegerat. Hoc itaq; modo cõpoſitis rebus, demiſſis captiuis omnibus, imperator à põtifice coronatur in baſilica ſancti Petri, clauſis prius vrbis portis, ne populus erũperet, firmataq; ſtationibus ipſa ab Henrico baſilica. Vnde nõ ita multò pòſt voti cõpos factus, in Germaniam redijt. Põtifex verò pacata aliquantulum Italia, Piſanos nauali gloria admodũ potẽtes adhortatur, vt ex inſulis Balearibus, quas iam antea occupauerant, in Sarracenos moueãt, mare noſtrum & littora Chriſtianorum infeſtantes. Quare Piſani cupiditate glorię capti, comparata ingenti claſſe, impoſitaque maiore iuuentutis ſuæ parte, in hoſtem proficiſcuntur. Verùm dum apud vada Volaterrana ventũ expectãt, Lucenſes eorum vrbem defenſoribus vacuam inuadũt, quam quidẽ Florentini Piſanorum precibus moti, repulſis Lucẽſibus, acerrimè tutati ſunt. Ob quam rem Piſani de Sarracenis victores domũ redeuntes, Florẽtinos duabus porphyreticis columnis donant: quę adhuc ad portam Sarelli beati Ioannis Baptiſtæ viſuntur. Interim verò Paſchalis concilio apud Lateranum habito, omnia, quæ Henrico promiſerat, reuocat, quòd coactus, non libens in eius ſentẽtiam armis, nõ rationibus munitam deſcendiſſet, inſtãtibus cardinalibus, qui in vinculis erãt, populoq; Romano, qui ab Henrico bello vexabatur, vt quauis conditione pacem cõponeret. Satius itaq; viſum eſt retractare malè acta, violenter pręſertim, quàm pati exemplo pernicioſo, vt id quoque reliquis principibus licere videatur, quod Henricus ab inuito pontifice extorſerat. Hoc autem tempore Mathildis comitiſſa admodum ſenio confecta moriens, Romanæ eccleſiæ ex teſtamento reliquit, quicquid à Piſſia amne & ſancto Quirico agri Senenſis vſque ad Ceperanum inter Apenninũ & mare pertinet, addita Ferraria, quæ adhuc Romanæ eccleſiæ vectigalis eſt. Sunt qui ſcribãnt, quorum de numero Vincentius eſt auctor egregius, hanc mulierem Florentiæ mortuam eſſe eo incendio, quo & magna pars vrbis conſumpta eſt, & ad duo millia hominum combuſta traduntur, eiuſque corpus poſtea in Ciſalpinam tranſlatum eſſe, & in monaſterio ſancti Benedicti, quod ab vrbe Mantua xij. millibus paſſuum diſtat, ſepultum. Crediderim ego mulierem ipſam Mantuæ diem extremum obijſſe, ſuoq; iuſſu ad ſanctũ Benedictum ſua impenſa ædificatum, tranſlatam & ſepultam, procurante eam rem Anſelmo viro ſanctiſſimo ac tanti monaſterij auctore: quippe qui operam dederat Mathildis impenſa, vt cœnobium tam amplum, tamq; magnificũ ædificaretur. Eodem quoq; in loco ſepultum fuiſſe eundem Anſelmum epiſcopum Lucenſem comperi, ac Mantuam deinceps tranſlatũ in eccleſiam cathedralem, ob eam rẽ credo, ne à vicinis furto ſurriperetur: cùm miraculis continuò clarior fieret. Affirmant Lucenſes corpus Mathildis apud ſe eſſe: quod ne credam, facit; Guidonis Gonzagæ auctoritas. Qui dum monaſterium ſancti Benedicti reſtitueret, inuentum corpus honeſtiore loco (vt par erat) collocauit. Alium quoq; Anſelmum fuiſſe his temporibus quidam auctores ſcribunt, virum doctiſsimũ & apud Anglos tãti pretij habitum, vt breui ex monacho abbas, deinde Cantuarienſis archiepiſcopus ſit factus: qui etiam libros de meditationibus, cur Deus homo, de libero arbitrio, de ſimilitudinibus, de cruce, de beato Ioanne Baptiſta

con.

conſcripſit. Felicia certè hæc tempora fuêre, quæ & Sigibertum monachum Gemblacenſem virum ſpectatæ doctrinæ, & Bernardũ ex Caſtilione Burgundiæ nobili genere ortum, protulêre. Is xxij. annum attingens, ſub abbate Stephano, qui tertius fuerat ab inchoato Ciſtertienſi monaſterio, vnà cum triginta ſocijs monachi habitum ſuſcipiens, tanti pretij ob doctrinam & ſanctitatem eſt habitus, vt breui abbas Clareuallenſis monaſterij, tum primùm Roberti viri illuſtris impenſa ædificati creatus ſit, cui certè loco cum maxima gloria ad annos ſex & triginta præfuit. Moriens deinde Bernardus, præter ſanctitatem, multo quoque ſcriptis ingenij ſui monumenta reliquit: maximè verò commentarios in cantica canticorum conſiderationes diuinæ contemplationis ad Eugenium pontificem, vnde pontificij muneris ratio duceretur: ſcripſit & varias epiſtolas: vnam potiſſimùm ad Romanos, qua eos vehementer carpit, ſcripſit & apologeticum & ſermones in ſolennibus habitos. Ad Paſchalem redeo, qui in concilio apud Guardaſtallum habito decreuit, ne vrbes Aemiliæ, Placentia, Parma, Regium, Mutina, Bononia, Rauennati eccleſię antea Metropoli ſubiectæ amplius eſſent, quòd ſępius ob ſuperbiam in Romanam ſedem præſules Rauẽnates cornua erexerant. Pontificem verò ad vrbem redeuntem rogarunt ciues quidam, vt in locum Petri præfecti vrbis demortui filium ſubrogaret. Quod cùm facere pontifex negaret propter ætatem pueri, qui vix decimum attigerat annum tanta repẽtè ſeditio exorta eſt, vt ei abire ex ciuitate neceſſe fuerit, ne magna aliqua cædes inter ciues committeretur, cùm multi ineſſent, qui nequaquam tantum magiſtratum puero committendum dicerent. Neque ita quoque ſeditionis ſemina abſtulit. Nam cum Albæ eſſet, intellexiſſetque Petrum Leonis eccleſiæ fautorẽ, in ædibus ſuis ab aduerſa factione oppugnari, eò properè Ptolemæum mittit ab Aricia accitum cum ſatis valida manu, qui pulſos in Tranſtiberinam regionem aduerſarios partim interfecit, partim capit, ac per municipia cuſtodiendos diuidit. Sed magna repentè in Ptolemæo inconſtantia apparuit. Nam quos ipſe paulò antè ceperat, eoſdem poſtea ſuo quoque nutu ad municipia proficiſcentes, dũ iter per Algidum faciunt, ex inſidijs adortus capit, & Ariciam ſecum ducit: inter quos & demortui præfecti filius erat. Non contentus autem tanto admiſſo facinore Ptolemæus, Sarminetum, Nymphæum, Tiberiam, oramque maritimam occupat. Interim verò Henricus è Germania in Italiam cum exercitu deſcendẽs, magno terrori omnibus fuit. Verùm cùm is Romam veniſſet, abſente põtifice, qui tum in Apulia concilium habebat, cumque ſe priuatum dignitate imperij putaret, vna cum poteſtate dandorum epiſcopatuum, à Bracharenſi archiepiſcopo patria exule, iterum coronatus ante beati Gregorij corpus, in patriam abijt. Paſchalis autem abſoluto conuentu ex Apulia Romam cum copijs Normannorũ rediens, & multa oppida ab hoſtibus occupata recepit, & Præneſte Caloioannis imperatoris Conſtantinopolitani, qui patri Alexio ſucceſſerat, oratores libẽter audiuit, eiſdemque in mandatis dedit, vt Caloioannẽ ſuo nomine contra Sarracenos animarent. At verò Farfenſis abbas & Ptolemæus, qui nullum ſibi veniæ locum apud pontificem ob ſua maleficia reliquerant, latebris deliteſcentes, tandem per amicos in Paſchalis viri mitiſſimi gratiam redeunt. Pacatis hoc modo rebus, dedicataque Præneſte Agapeti baſilica, Romam effuſa obuiã vrbana multitudine honoris cauſa tãdem redijt: qua quidem ex frequentia in valetudinem incidens, ſe paulò poſt moriturum cognouit: quare acceptis eccleſiæ ſacramentis, cohortatuſque clerum ad pacem & concordiam, pontificatus ſui anno decimooctauo, menſe ſexto, die ſeptimo moritur decimoquinto calendas Februarij: ſepeliturque honorificentiſsima pompa in baſilica Conſtantiniana. Suo autem pontificatu facta poteſtate ſacrorum ordinum presbyteros quinquaginta, diaconos triginta, epiſcopos centum creauit. Romæ præterea eccleſias quindecim cõſecrauit, maximè verò baſilicam ſancti Hadriani in tribus foris profanatam quorundam factioſorum ſcelere eccleſiam ſanctæ Mariæ Monticelli in regione Ariolæ: poſtremò verò reſtituit & cõſecrauit baſilicã ſanctorũ coronatorũ, eo tẽpore diruptã, quo Robertus Guiſcardus Salernitanus princeps eã partẽ vrbis incẽdit, quæ à Laterano ad Capitolium vergit, vt in vita Gregorij ſeptimi diximus.

GELA-



## GELASIVS II

168. Pont.

GElaſius ſecundus, Ioannes antea vocatus, patria Caietanus, patre Creſcẽtio, nobili genere natus, ingenueq; à teneris annis educatus & doctus, in monte Caſſino religionis fundamẽta perdidicit ſub Oderiſio abbate viro ſanctiſſimo. Hanc ob rem ab Vrbano ſecundo Romam accitus, cognita hominis virtute & fide, ſemper in precio eſt habitus. Verùm in primis eius fides perſpecta eo tempore eſt, quo Vrbanus pontifex à Germanis, & Giberti antipapæ factionem ſequentibus in inſula Lycaoniæ Romæ inter duos pontes obſeſſus eſt. Solus enim vnà cũ Petro Leone viro illuſtri, hominẽ ſanctiſsimũ nunquã deſeruit. Hanc ob rẽ poſteà cũ Vrbanus meliore fortuna vteretur, tanti beneficij memor, Gelaſium primò quidem ſecretis ſuis admouet ob fidem & doctrinam: eiq; negotium dedit ob elegantiam compoſitionis ſuæ, vt Romanę curię ſtylum negligentia & ignorantia maiorum labefactatum, in meliorem formam & ornatum redigeret. Poſtea verò cognita hominis amplitudine, eundem referre in cœtum cardinalium inſtituerat, eaque de re ſæpius in ſenatu locutus fuerat, aſſentientibus omnibus. Verùm mortuo non ita multò pòſt Vrbano, Paſchalis meritorum tanti viri non immemor, ſtatim eum diaconum cardinalem decernit. Mortuo deinde Paſchali, cum de creando nouo pontifice ratio haberetur, ob eamque rem cardinales omnes in monaſterio ad Palladium paululum infra ædes Leonis & Cincij Fregepanis congregati eſſent, vno omnium conſenſu Ioannes Caietanus Gelaſius pontifex creatur. Verum Cincius Fregepanis ira ob hanc electionem percitus, quòd vnum ex ſuis cardinalibus collegio propoſuerat, quem pontificem eligerent, in monaſterium Palladij cum armatis ſatellitibus irrumpens, refractis foribus, obuium quenque percutit pontificem obtorto collo in terram deiectum calcibus conterit, in vinculaque conijcit. Cardinales autem fugam parantes, ex mulis & equis deijcit, nullumque genus contumeliæ prætermittit, quo affici tantus ſenatus poſſet. Non tulit autem tantam iniuriam populus Romanus. Ad ædes Cincij Fregepanis armatus cõcurrit, eiq; ac familiæ interitũ minatur, niſi properè Gelaſium incolumen reddat. Faciunt mandata Fregepanes: maximè verò Leo, qui pontificis pedes videntibus omnibus ſæpius exoſculatus, veniam ſuppliciter petebat. Equum itaque album conſcendens pontifex, via ſacra in Lateranum ducitur, comitante clero populoq; Romano, ibique de more coronatur. Interea verò Balduinus, quem ſtatim litteris & nũcijs pontifex adhortatus eſt, vt barbarorum impetum tandiu ſuſtineret, quoad in Aſiã noua ſupplementa mitterentur, caſtellum in Syria Sobal vocitatũ occupat & munit, vt Chriſtianis contra barbaros cõtinnè dimicantibus receptaculum eſſet. At verò Boẽmundo adoleſcente mortuo, Tancredus tutor Antiochię princeps ab omnibus Chriſtianis declaratur: quem quidem confirmato prius principatu, Balduinus Hieroſolymitanus rex ad ſe cum militibus ſuis vocat, dimicaturus cum hoſtibus Turcis, Sarracenis, Arabibus: qui cum magno exercitu prouinciam Hieroſolymitanam ingreſſi erant. Eò itaq; veniens Tãcredus, cognita Chriſtianorũ paucitate, fruſtra Balduino diſſuaſit, ne collatis ſignis cũ hoſte decerneret: néve rem Chriſtianam in ſummum diſcrimen adduceret. Nam cùm hoſtibus ipſis pugnãdi copiam feciſſet, ingenti clade ſuperatus ægrè cum paucis Heroſolymam ſe recepit, diuerſis præterea tramitibus Tancredus Antiochiã perueniens, fuga ſalutem ſibi quæſiuit. Elati autẽ tanta victoria hoſtes, montem Tabor conſcendẽtes, monaſteriũ eo loci poſitum diruunt, monachis ad vnum omnibus interfectis.

Cincius Fregepanis homo factioſus.

Nec interim quietus ab externo hoſte Gelaſius fuit, qui Henrici imperatoris furorem Italiam vaſtantis, iam iãq; vrbem hoſtili animo ingreſſuri deuitans, ad ædes Bulgamini potentiſsimi ciuis primò confugit. Verùm cùm ibi quoq; nequaquam tutus videretur, vnà cum ſuis triremes conſcendẽs: duę enim iam ad id inſtructæ parataq; erãt, Oſtiã Tiberi delabitur, inſequentibus Germanis militibus, & pontificẽ telis ac ſagittis petẽtibus. Cùm Oſtiam verò perueniſſet, neq; ingredi mare propter inſtantes procellas liceret, terreſtri itinere Ardeã proficiſcitur, Hugone xij. apoſtolorum cardinali viro ampliſſimo ſemper eum comitante. Cadẽtibus autem fluctibus Oſtiam reuerſus, Tarracinam primò, mox Caietam adnauigat,

nauigat, vbi perbenignè à ciuibus ſuis ſuſcipitur. Conuenere eò ſtatim & Guil-
lielmus Apuliæ dux, & Robertus Campanus princeps ac Richardus Aquilanus,
pollicẽtes ſe in eius poteſtate ſemper futuros, vt veros decet eccleſiæ Dei vectiga-
les. Cùm igitur parari exercitũ contra ſe Henricus intellexiſſet, Mauritiũ Bracha
renſem archiepiſcopum antipapam creat: quem potiſsimum Gelaſio obijceret,
eumq́; Fregepanum familiæ cõmendauit: Gregorius is appellatus eſt: Nõ conten
tus autem tã pernicioſo exemplo Henricus, in Anagninum agrum copias ſuas
mouens, omnia hoſtilem in modum diripit & capit, Turriculũ quoq; munitiſſi
mum locum iam oppugnabat, cum ſubitò nũciatum eſt Gelaſium cum proceri
bus Apuliæ, magnoq́; cum exercitu aduentare: quare motis caſtris Italia cedens,
cuncta cædibus & rapinis compleuit. Gelaſius autem remiſſis in Apuliã proce-
ribus Romam venit, arbitratus ob diſceſſum Hẽrici omnia deinceps pacata fore.
Verùm longè ſecus, quàm putarat, accidit. Nam cum intellexiſſet, antipapã Fre-
gepanum auxilio fretum Romę manſiſſe, potentiã iſtius familię veritus, apud a-
micos quoſdam prius delituit. At verò cùm poſtea in eccleſia ſanctę Praxedis my
ſteria celebraret, inſtantibus hoſtibus cum factione ſua, vix ſeſe ab eorũ manibus
fuga ſubtraxit, Corſis, Normannis, familijs egregijs ac Creſcentio nepote acerri-
mè defendentibus. Sequẽti verò die à ſuis armis & clientelis bene munitis, in vr-
bem vocatus (nam ad ſanctum Paulum confugerat) habito cardinaliũ conuẽtu
diſcedere ab vrbe inſtituit, ne creſcẽte in dies magis magisq́; ſeditione magna ali
qua clades oriretur. Relicto itaq; Petro Portuenſi epiſcopo, qui vices eius quantũ
ad rem ſacram pertinebat, Romæ gereret, commendataq́; Beneuentanę ciuitatis
cura Hugoni cardinali xij. apoſtolorũ, Piſas primò adnauigat, cùm terreſtre iter
nequaquam ſibi ac cardinalibus, quos comites ſociosq́; habebat, tutũ videretur.
Exceptus itaq; perbenignè à Piſanis, cùm rationem diſceſſus ſui ab vrbe audienti
bus omnibus reddidiſſet, inde ſoluens in Galliam, ad portam ſancti Egidij perue
nit: vbi cùm abbate Cluniacẽſi viro optimo, tùm à monachis, & omnibus fideli-
bus, qui eò eius rei gratia vndiq; cõuenerant, magnificè ac ſplendidè ſuſcipitur.
Deinde verò per continentem honeſto comitatu magis quam ſplendido, vt nũc
fit, incedens, inter eundum baſilicam ſanctæ Cæciliæ in Stragello, eccleſiã ſancti
Silueſtri in Tillano, eccleſiã ſancti Stephani in Tornaco dedicat, lapidibusq́; ec-
cleſiarum terminos notat. Tandem verò ad Cluniacenſe monaſteriũ perueniẽs
pleureſi correptus, põtificatus ſui anno primo, die quinto moritur, vir ſanctiſsiſ
ſimus & omni laude dignus, ſi vitam continentiſsimam, ſi mores, ſi doctrinam
inſpicis: quibus ex rebus fit, vt facillimè credam eum, qui ita conſtanter & ſanctè
in tantis procellis humanarũ perturbationum vixerit, nunc beatam & ſempiter
nam vitam in cælo ducere. Sepelitur autem eius corpus intra limina Cluniacẽ-
*Templarij milites.* ſis cœnobij. Sunt qui ſcribant huius pontificatu inchoatam eſſe templariorum
militum originem, qui non longè à ſepulchro Domini habitantes, peregrinos
ſuſcipiebant, eosq́; per loca ſacra armati ducebant ac reducebant: quò eis ſine vl-
lo maleficio inuiſere loca ſancta liceret. Hos vita, fide, gratia mirum in modum
Cuſentinus commendat.

## CALLISTVS II.

*169. Pont.* CAlliſtus ſecundus, Guido antea vocatus, natione Burgundus, Viennẽſis
archiepiſcopus, originem à regibus Franciæ ducens, ab his cardinalibus
pontifex creatur, qui mortuo Gelaſio Cluniaci tum aderant. Verùm is
non prius pontificium habitum ſibi deſumpſit, quàm intellexit ſe ab his quoq;
cardinalibus confirmari, qui Romæ & in Italia remãſerãt. Re itaq; litteris & nũ-
cijs cognita, Romam veniẽs, populo obuiã prodeunte ac honorato quoq; vrbem
ingreditur, cõgratulantibus omnibus tum pontifici, tũ ciuitati Romanæ quòd
hunc quietis & pacis auctorem futurum cernebant. Rebus autem ex ſentẽtia Ro
mæ compoſitis, Beneuentum proficiſcitur, quò & principes omnes ſtatim con-
uenere, ſalutandi (vt mos eſt) pontificis cauſa, maximè verò Guillelmus Apuliæ
dux, Iordanus Cãpaniæ comes, Arnulphus Ariolæ, Robertus Lorotelli comes,
viri inſignes & ſine cõtẽtione illius partis Italiæ facilè principes: qui etiã polliciti
ſunt adhibito iureiurãdo, ſe in poteſtate põtificis ſemper futuros. Calliſtus autẽ,
qui



qui nil aliud meditabatur, quam bellum Aſiaticum, in quo de Chriſtianis ægrè
tot barbaras gentes ſuſtinentibus addubitabatur, Romam rediens, Lambertum
Oſtienſem epiſcopũ, Saxonem S. Stephani in Cælio monte presbyterũ cardina-
lem, Gregoriũ S. Angeli diaconũ, legatos ad imperatorẽ mittit: qui pace ſine vl-
la contentione cõpoſita, ad vrbem redeuntes, tabellam pacis ad Lateranenſem
baſilicam ſuſpendere. Qua quidẽ perlecta, tãta repentè lætitia publica exorta eſt,
vt paſsim congratulantium cœtus audirẽtur. Verùm ne diuturnior hæc lætitia
videretur, effecit Rogerius Siciliæ comes, qui Calabriã & Apuliã abſente Guillel
mo comite occupat, Guillelmus enim Alexij imperatoris Cõſtantinopolitani
filiã in vxorẽ ducturus, abiens Calabriam & Apuliam pontifici cõmendauerat.
Hanc ob rem Calliſtus ab vrbe diſcedẽs, Beneuentũ peruenit, indeq́; Hugonem
cardinalem ad eum miſit, arcem Nicephoriũ tum in Calabria obſidentẽ. Moni-
tus aũt Rogerius vt ab armis diſcederet, nequaquam pontificis edicto obtempe-
rat, imò acrius inſtabat, ne Guillelmus conſobrinus rediens, ei impedimẽto fo-
ret, quò minus Apulia & Calabria potiretur. Parabat iã arma põtifex, cùm ſubi-
tò vnà cum magna parte ſenatus febri correptus redire ad vrbem re infecta com-
pellitur. Hanc ob rem Rogerius nemine aduerſante, Apulia & Calabria potitur.

Atq; hoc modo Guillelmus vxore fruſtratus ac principatu deiectus, apud Sa-
lernitanũ principem vitam degẽs, ſine hæredibus breui moritur. Rogerius itaq;
tanto aduerſario ſublato, regem Italiæ ſe nuncupat. Calliſtus autem recuperata
valetudine, apud Lateranum noningentorum patrũ concilium habuit, in quo
quidem deliberatum eſt, vt primo quoq; tempore ſupplementa militiæ iam de-
ficientis Chriſtianis in Aſia bellum gerentibus ſubminiſtrarentur. Qua ſpe ere-
ctus Balduinus Hieroſolymitanus rex, Gazim regem Turcorũ minorum Aſiam
incolentium, cum magno exercitu in ſe mouentẽ ſuperat, & captum in carcerẽ
conijcit. Eadem quoq; fortuna vſus, Damaſci regem Hieroſolymas cum exerci-
tu hoſtili animo petentem fundit fugatq́; duobus millibus hoſtiũ cæſis, milleq́;
captis. Verùm ſuperueniente cum magnis copijs Balahac Parthorum rege, cui
ſtatim nullis expectatis auxilijs congredi auſus eſt, tanta clade ſuperatur Baldui-
nus, vt etiam ipſe vnà cum proceribus multis captus & in vincula coniectus ſit.

Quare Calliſtus pontifex maturandum ratus, ne reliqui Chriſtiani amiſſo re-
ge opprimerentur, inſtante Veramũdo Hieroſolymitano patriarcha viro opti-
mo ac doctiſsimo, Venetos ſpe gloriæ & præmij cõcitos in hoſtem magna claſſe
permouit, Dominico Michaële duce, milleſimo centeſimo ac vigeſimo ſecũdo
ſalutis noſtræ anno: qui quidẽ ad Ioppem claſſe delati, quã Sarraceni Babylonis
terra mariq́; obſidebãt, ſuperatis barbaris ingẽti clade, obſidionẽ ſoluunt. Itum
eſt & in Tyrum, quam diu obſeſſam haud incruenta victoria cœpere, pacti tamẽ
prius, vt Tyri & Aſcalonis dimidium obtinerent, ſi eorum opera in Chriſtiano-
rum poteſtatem deuenirent. Verùm Emanuel Græcorũ imperator Caloioanni
ſuffectus, tantam victoriam Latinis inuidens, vel Latina literatura vtentibus,
Venetis mandat vt claſsis ſuæ præfectũ reuocent: qui certè eorũ dicto obtempe-
rans, ira incenſus Rhodũ, Chium, vnde corpus beati Theodori martyris Vene-
tias translatum tum eſt, Samum, Mitylenen, Andron imperatoris inſulas, diri-
puit: Motonium ſpoliatũ incolis muniuit. Tragurium ex Vngaris captũ ditioni
Venetæ ſubiecit. Lapidem præterea ſecum in patria detulit, ſuper quo apud Ty-
rum Chriſtus ſediſſe fertur. At verò Balduinus, quem diximus ab hoſtibus captũ,
precio redemptus, Hieroſolymas rediens, Chriſtianam remp. iam labentem ali-
quandiu ſuſtinuit. Hanc ob rẽ Calliſtus aliquid quietis à rebus externis nactus, &
cardinales xij. creat, & baſilicas multas vetuſtate collapſas reficit. Mœnia vrbis
inſtaurat, aquã in vrbem inducit, arces eccleſiæ munit, donaria plurima argenti
auriq́; baſilicis diuidit. Fundos pleroſq; coemptos beato Petro donat. Eccleſiam
beati Nicolai in palatio ędificat. Verùm ne tanta felicitas ſine aliquo incõmodo
diutius in terris eſſet. Gregorius antipapa Burdinus antea vocatus, nomẽ ponti-
ficis vſurpare conatus, Sutrij ſe cõtinens, auxilio quorundã tyrannorũ fretus, &
Romanos incurſionibus vexabat, peregrinos negotij ac religionis cauſa ad vrbẽ
accedentes ſpoliabat. Quare Calliſtus cõparatis repentè copijs præmiſſoq́; cũ ex-


peditiſsi-

peditiſſimo quoq; Ioāne Cremēſi ſancti Chryſogoni presbytero cardinali, ſubſequens ipſe hoſtem vincunt, Sutrium capiunt, Burdinum camelo impoſitum, in triumphi ſpem Romam ducunt: quem pontifex vita donatum Cauēſi monaſterio incluſit. Calliſtus autē de Deo deq; hominibus bene meritus, pontificatus ſui anno quinto, menſe x. die vj. in Domino moritur. Vacat tum ſedes dies viij.

ANNOTAT.

*Sub Calliſto II. inter imperium, & ſacerdotium, inſignis illa pax, & concordia facta eſt, anno plus minus quinquageſimo, ex quo inter Gregorium VII. & Henricum IIII. diſcordia ingens ob ſacerdotiorum collationem excitata fuerat. In qua epiſcoporum, & abbatum electiones, quæ ad imperatorem, & reges hactenus pertinuerant, clero & monachis reſtitutæ ſunt. Cuius tranſigendæ cauſa papæ Calliſti legati omni memoria digni fuerunt Lambertus Bononienſis, Oſtien. epiſcopus, poſt Honorius II. Saxo de Comitibus Anagninus presbyter, & Gregorius de Papareſeis Romanus, pòſt Innocentius II. tunc diaconus cardinalis, cuius rei adhuc mentio cum pictura extat in antiqua vetuſti palatij pontificum camera Lateranenſis, vbi eſt hoc elogium:*

*ECCE CALLISTVS PATRIAE DECVS IMPERIALE*
*NEQVAM BVRDINVM DAMNAT PACEMQVE REFORMAT.*

*Huius rei mentionem fecerunt Chunradus de Liſtenauu abbas Vrſpergenſis in vita Henrici v. imper. Guillelmus Tyrius lib. de bello ſacro 1. cap. 13. Otho Friſingenſis lib. 7. cap. 16. Pandulphus Piſanus in vita Calliſti papæ II. & alij multi.*

## HONORIVS II.

*170. Pont.* HOnorius ſecundus, qui & Lambertus, ex agro Imolēſi oriūdus, Oſtiēſis epiſcopus, eo tēpore pontifex creatur, quo Balduinus ab hoſtibus precio redēptus, Antiochiā Hieroſolymitano regno adiunxit, mortuis his omnibus, ad quos principatus ille iure deueniebat. Verū cùm tātus principatus retineri ſine præſide nō poſſet, eidē præfecit Raymūdū Guillelmi ducis Auſtriæ filiū, cui ſuperioris Boēmūdi filia nupſerat. Hoc autē modo compoſitis rebus, regem Aſcalonitarū, Aegyptiorum copijs fretū, & ob eam rem Hieroſolymitanos infeſtantem, vnico prælio repulit. Balduinū præterea Damaſci regulum idem moliētem, ſed maioribus copijs, tribus grauiſsimis prælijs fundit fugatq;, multis paſsim more pecorum cæſis. Ad Honorium redeo, qui etſi obſcuro loco natus erat, tamē litteratura & moribus tāto magiſtratu dignus videbatur. Verùm non adeo eius ingreſſus laudatur, cū ambitione quorundam potius, quàm omnium bonorū conſenſu pontificatū inierit. Mortuo enim Calliſto, cùm de legēdo nouo pontifice ratio haberetur, Leuo Fregepanis omnibus cardinalibus interdixit, ne vſq; ad diem tertium pontificē crearēt, quò & maturius deliberare, & canones inſpicere liceret, quāuis non ea mente id fecerit homo acutus & ad fallendū vafer, quam verbis præ ſe ferebat, ſed ei tantiſper diſponere hominum ſuffragia liceret, quibus Lambertus pontifex crearetur. Nā populus ipſe Saxonem ſancti Stephani cardinalem, pontificem percupidè nimiū optabat. Id quoq; ſe cupere Leo Fregepanis oſtendebat, quò & populum & patres negligentes & incautos in ſententiam ſui quauis arte pelliceret. At verò cū id velle Leonem cardinales quidam cernerent, ne ex eius ſententia pontificem legerēt, omiſſo Saxone, Thebaldum ſanctæ Anaſtaſiæ presbyterum cardinalē, pontificē deligunt, quem Cæleſtinum appellarunt. Tunc autem Leo nō amplius immorādum ratus, quòd iam offenſum hac electione populum cernebat, Lambertū (de quo antè diximus) pontificem magna voce proponit acclamāte populo, cleroq; eam electionem manibus, & nutibus approbāte. Tum Leo maturandum ratus, ne ſententię hominum immutarentur, in Simijs, loci nomen eſt, non lōgè ab eccleſia ſancti Silueſtri, hominē pontificali habitu exornat. Qui etſi primo artibus quibuſdam tantùm magiſtratum adeptus eſt, tamen poſtea omnium cōſenſu pōtifex maximus conſalutatus. Pontificatum adeptus, cardinales quoſdā viros inſignes creauit, quorum opera poſtea magnis in rebus vſus eſt. Familiaritate enim præclarorum virorum mirificè delectatus eſt. Nam Pōtium quendam abbatem Cluniacenſem, virum induſtriū Romæ retinuit, Ingenium quoq; Hildeberti Cenomanēſis epiſcopi mirificè extulit: quem deinceps Turonenſem archiepiſcopū creauit, quòd plurimùm heroico elegiacóue carmine valeret. Huius quoq; tēpore clariora fecit Hugo de ſancto Victore, ſi cognomentum inſpicis: ſi patriam, Pariſienſis



Pariſienſis doctor inſignis. Hic enim tum dicendo, tum ſcribendo ingenij ſui præclara monimenta reliquit. Extat eius liber de ſacramentis, liber ſententiarum, liber in dialogo, qui Didaſcalus appellatur: liber de cura animæ, liber de artibus & doctrinis. Hos autem omnes tanta beneuolentia Honorius pontifex amplexus eſt, vt nullum genus officij prætermiſerit, quo eos ad honeſtiorem dignitatis gradum euehi poſſe exiſtimaret. Vnum tamē ſuis temporibus accidit, quod nequaquam probandum eſt. Arnulphus enim Chriſtianæ religionis prædicator egregius, clericorum inſidijs Romæ necatur, quòd acerbè nimium in eorum laſciuiam & libidinem inueheretur: quodque eorum pompam, & in comparandis diuitijs nimium ſtudium improbaret, paupertatem Chriſti & integerrimam vitam ad imitationem omnibus proponens. Hunc multi ex nobilitate Romana tanquam verum Chriſti diſcipulum & prophetam ſequebantur. Hunc laudibus ad cælum tollebant. Hinc odium, hinc iræ in perniciem bene ſentientis vſque ad necem excitatæ. Fuerit ne hic ſanctiſsimus vir presbyter, an monachus, an eremita, haud ſatis conſtat. Sunt qui ſcribant Honorio ipſi id admodum diſplicuiſſe, non tamen tanti facinoris auctores vnquam inuentos. At verò cùm in pontificatu rectè gubernato quinquennio ac menſibus duobus vixiſſet, collachrymantibus omnibus moritur, & in baſilica Lateranēſi nullo non genere honoris adhibito ſepelitur. Vacat tum ſedes diebus octo. Neſcio ego quid ſibi velit marmor illud ſuo nomine inſcriptum, quod ante ædes beatæ Praxedis adhuc extat.

## INNOCENTIVS II.

INnocentius ſecundus, patria Romanus, ex Tranſtiberina regione, patre *171. Pont.* Ioanne, pontifex creatus, in Rogerium Rogerij comitis Siciliæ filium hæredem nuncupatum, quòd mortuo Guillelmo Apuliæ duce, omnique Roberti Guiſcardi familia in eo deficiente, dominatum Apuliæ occupare nitebatur, ſtatim bellū mouet. Nam is ad ſanctū Germanū caſtra habebat, quem certè primo impetu repulit. tantum valuit Romani exercitus fortitudo & virtus: oppidoque ipſo capto, tyrannum in Galucio aliquandiu acriter obſedit. At verò Guillelmus Calabriæ dux cum magnis copijs adueniens, & patrem vnico prælio feliciter habito obſidione liberat, & pontificem cum his cardinalibus capit, qui in exercitu Romanorum erant. Hos autem omnes non ita multò pòſt Rogerius mira modeſtia vſus, vnà cum pontifice liberos facit. Quam ob rem deinceps quod voluit facilè à pontifice obtinuit, præter regni titulum, quem maximis præmijs & pollicitationibus impetrare contendebat. Interim verò Petrus Romanus ciuis, Petri Leonis potentiſsimi hominis filius, Romæ antipapa creatur, quorundam facinoroſorum ſeditionibus, Anacletusque appellatur: qui ſpoliatis Romanæ vrbis templis, ſpoliatis eccleſiarum theſauris, vi irrumpens, maximè verò in baſilicam Petri, vnde crucifixum aureum & coronas pendentes ſuſtulit: tantum pecuniarum conflauit, vt perfacilè largitionibus ſeditioſum quenque Romæ in ſententiam ſuam alliceret. Innocentius autem ad vrbem rediens, vbi ſeditionibus plena omnia cerneret, ſpectareque rem ipſam ad cædem multorum videret, ſponte cedens, primò quidem Piſas adnauigat, deinde Genuam, poſtremò in Franciam peruenit. Interim verò Anacletus antipapa, tanto aduerſario ſubmoto, & animos ciuium cum Innocentio ſentientium quoad fieri poteſt, ſibi largitionibus conciliat: & Rogerium in partes ſuas facilè deſcendentem, quò magis ei obnoxius eſſet, vtriuſque Siciliæ regem creat. Innocentius autē celebrato apud Clarum montem concilio, in quo Petrum antipapam cum ſectatoribus damnauit, Aurelianū ſe contulit, viſoq; rege Philippo, à quo perbenignè eſt habitus, Carnotum in Belgis petijt: vbi Henricū Angliæ regē in itinere obuiam factū, multis rationibus ad expeditionē in Sarracenos adhortatus eſt. In Lotharingiam inde flectens, Lotharīū Leodij repertum, à Germanis tum regem creatum, de ſe reſtituendo multa pollicentē, ſacramento adigit expeditionem parare, qua quidem tutus etiā ad vrbem reduceretur. Remis deinde in Belgis altera ſynodo habita, in Italiā redijt, celebratoq; concilio apud Placentiā, Piſas ſe contulit: quam ciuitatē iam pridem cum Genuēſi populo diſsidentē, in

gratiam tandem redegit. Genuẽſem quoq; epiſcopum, qui Mediolanẽſi ſuberat, archiepiſcopum creat, tribus Corſicę epiſcopis illi cum Bobienſi parêre iuſſis. Piſanis quoq; archiepiſcopum dedit, tribus item alijs Corſicę epiſcopis cum Populonienſi eidem ſubiectis. Lotharius autem cum magno exercitu in Italiam veniens, admonito pontifice quid fieri oporteret, partitis copijs ad vrbem mouet. Nam dum ipſe occupato prius Ianiculo vrbem ingreditur, Innocentius Anienem ponte Mammæo traijciens in Lateranum perducitur, nuſquam apparente antipapa, cuius factionem Lotharius mira felicitate ad ſanitatem redegit, cauitque quãtum in eo fuit, ne deinceps vexari ab aduerſarijs Innocentius poſſet. Tãto itaque beneficio deuictus Innocentius, mortuo Henrico, Lotharium imperatorem Romanum creatum imperij corona exornat, quo ſtatim in Germaniam abeunte ad compeſcendos Leuticorum motus, dum pontifex cõcilium Piſis pro rep. Chriſtiana, proque tuẽda fide de more habet, rurſum antipapa, quem in eodem concilio damnauit, factioſis quibuſdam & Rogerio adiuuantibus, in pontificem ſurgit. Quare & Lotharius imperator iterum cũ exercitu ſuperatis Leuticis Italiam repetit, & Piſani claſſem potentiſſimam in auxilium pontificis educunt, quibus copijs & Romæ ſeditionem oppreſſere, & Rogerium terra marique oppugnatum, amiſſis rebus omnibus, Italia in Siciliam breui pepulere. Audita tanta victoria Ioannes Conſtantinopolitanus imperator, qui Rogerio aduerſabatur, legatos ſtatim ad Lotharium mittit de ſuperato hoſte congratulatum, quorum de numero quidam Philoſophus erat, qui diſputationibus oſtendere nitebatur Latinam eccleſiam admodum errare, quòd contra ſententiam Nicæni concilij, vt ipſe dicebat, quo declaratum eſt ſpiritum ſanctũ à patre procedere, Latini à filio quoq; id fieri addidiſſent. Tum Petrus diaconus homo doctus & argutus, qui tum in corona aderat diſputandi gratia: Si, inquit, Latini damnandi ſunt, quòd addiderint ſpiritum ſanctum à filio quoq; procedere, damnãdi multò magis Græci videntur, qui id fieri à ſolo patre addiderint, cum ipſum concilium à patre dixerit. Deluſus homo audax tam acuto reſponſo, ſubſtitit amplius hac de re diſceptare. At verò pontifex, ne abeunte imperatore, Rogerius iterum Apuliam repeteret, Rainonem Lotharij imperatoris comitem, cum aliquot cohortibus ad propulſandam iniuriam relictum, ducem Apuliæ creat. Mortuo deinde antipapa, occulteq; à ſuis ſepulto, cùm etiã eius cardinales in fidẽ Romani pontificis deueniſſent, quietura iã reſp. Chriſtiana videbatur, cùm ſubitò Romani quidam ſeditionibus potentiã quęrentes, ſenatores creauere, qui remp. Romanam ditionemq; ad ſe pertinentem gubernarent. His autẽ dum pontifex reſtitit, habito apud Lateranũ concilio, quo inſtituit, ne quis laicus manũ violẽtam clerico inijceret, pontificatus ſui anno xiiij. menſe vij. die xiij. moritur, MCXIIII. ſalutis noſtræ anno, quo tẽpore magno in pretio ſunt habiti & Gilibertus è Britãnia oriundus, vir tantæ doctrinæ, vt ob varietatem diſciplinarũ vniuerſalis appellaretur, & Ambertus Remenſis archiepiſcopus, Giliberto præceptore nequaquam eruditione & doctrina inferior. Huius quoque pontificis illud opus eſt, quod adhuc cernimus in fornice ſanctę Marię Tranſtiberinæ è muſiuo.

*ANNOTAT.*

*Innocentium II natione Romanum, de regione Tranſtiberim, ex parte Ioanne fuiſſe conſtans fama eſt. Cæterum familiam eius de papa, ſiue de Papareſeis vocatam eſſe intelligitur ex antiquo pulpito marmoreo, quod Romæ in ædicula S. Iacobi trans Tiberim adhuc extat, ab eius nepote Cincio Cardinali S. Hadriani facto, vt elogiũ marmoreæ tabulæ inſcriptum indicat. Hanc verò gentem eam eſſe: quæ nunc de Matthæis appellata, nobiliſsima in vrbe viget, ex eo mihi perſuadeo, quòd in vetuſtis tabularum eius familiæ inſtrumentis, qui nunc de Matthæis tunc de Papareſeis vocantur. Meam verò hanc opinionem maximè confirmat, quod Matthæorum familia ex Tranſtiberina regione oriunda eſt, & noua hæc eius gentis inſignia, haud multum ab antiquis illius clypeis differunt. Hoc tempore populus Romanus multa cum finitimis Tiburtinis, Tuſculanis, Albanis, Præneſtinis, & reliquis Latij populis bella gerere cæpit. Quare Tuſculi tandem excidio quinquageſimo poſtquam ſuſcepta fuerant anno finita ſunt. Quorum occaſione Romano pontifice Innocentio II. qui pacem, quàm bellum malebat, à ciuitatis adminiſtratione ſubmoto, nouum reipublicæ corpus, præter eius voluntatem, conſtitutum eſt. Senatoribus aliquot (non conſulibus, vt Platina & Volaterranus tradunt) equeſtri ordine, patricio qui omnibus præeſſet, iudicibusq; quibuſdam, veterum Romanorum exemplo, inſtitutis. In quibus controuerſijs populus Romanus, quod pontifici rebellis eſſet, anathemate notatus, tunc primùm à pontificijs comitijs omnino excluſus eſt, & ad ſolos*

*cardina-*



*Cardinales, pontificis electio paulatim, cleri etiam primoribus omnino excluſis, vel in Cardinalium collegio cooptatis redacta. Primus porrò ſine vllo populi interuentu papa creatus eſt mortuo Innocentio ſecundo, Cæleſtinus ſecundus. Ex vetuſto ſine auctoris nomine libro bibliothecæ Palatinæ, & Othone Friſingenſi libro hiſtoriarũ ſeptimo, cap. xxvij. xxxi. & xxxiiij. Item libro primo de geſtis Friderici imperatoris cap. xxvij. xxix. qui hanc etiam de electione rem tantùm tetigit.*

## CAELESTINVS II.

*172. Pont.*

CAEleſtinus ſecundus, Guido antea vocatus, ſancti Marci presbyter cardinalis, natione Tuſcus, è caſtro Felicitatis, quod nonnulli ciuitatẽ Caſtelli eſſe affirmant, Tyfernum ab antiquis appellatum, pontifex in demortui Innocentij locum omnium conſenſu creatur, eo maximè tempore quo in Aſia Balduino rege vita functo. Andegauenſium comes Fulco, Balduini gener tertio loco, ſi ordinem ſucceſsionis inſpicis, regnum Hieroſolymitanũ accepit, quod duorũ etiam filiorũ virtute fretus aliquandiu acerrimè tutatus eſt.

Nam cùm Turci ſinum Perſicum incolentes in agrum Antiochenum incurſiones feciſſent, eos non ſolùm fudit rex Fulco, verùm etiam ex his tria millia interfecit, totidemq; cœpit. Hac autem clade excitus Alaph genere Turcus, Babylonum auxilijs fretus, Edeſſam Meſopotamiæ ciuitatem, Arach ab Hebræis vocatam, inuaſit: quam antea diximus Balduinum à fratre Gotifredo precibus obtinuiſſe. Capta eſt autem vrbs & à barbaris crudeliter direpta, occiſis omnibus Chriſti fidem abnegare recuſantibus, ſtupratis etiam nobiliſsimis matronis ſuper altari ſancti Ioãnis Baptiſtæ, quod ſciebant à noſtris piè ac ſanctè cultum fuiſſe. Sed neſcio quo fato dum parantur copiæ, Fulco in venatione leporem concitatè nimium & incautè inſequẽs, caſu equi moritur: cui filius Balduinus eiuſdem nominis tertius in regno ſucceſsit.

Cæleſtinus autem pontificatus ſui menſe v. moritur, ſepeliturq; in Lateranenſi baſilica, vnà tantum re felix, ob breuitatem temporis, vt arbitror, quòd nullis ſeditionibus toto ſuo pontificatu vexatus fuit.

## LVCIVS II.

*173. Pont.*

*Edeſſam Thadæus ad fidem Chriſti cõuertit.*

LVcius ſecundus, patria Bononienſis, patre Alberto, eo tempore pontificatum inijt, quo Edeſſæ vrbis euerſio nunciata eſt. Ea enim ciuitas Edeſſa eſt, ad quam Thobiam miſiſſe filium Gabelo ſacræ literæ teſtantur: quamq; Thadæus apoſtolus ad fidem Chriſti conuertit: & in qua beati Thomæ oſsibus ornata Abagarus regnum obtinuit, qui datis ad Ieſum literis, ſcripta manu Dei reſponſa accipere meruit. Hac verò clade audita, Bernardus Clarauallẽſis vir & ſanctitate & doctrina, vt dixi, inſignis, patrocinium religionis Chriſtianæ aſſumens, principes oẽs Chriſtianos tum literis, tum nuncijs adhortatus eſt, vt crucem in Sarracenos Chriſti vexillum ſumerent. Hanc ob rem Conradus Sueuus, qui Lothario in regnum Romani nominis ſucceſſerat, in militiam nõmẽ dedit. Dum hæc aũt pro fide Chriſti in Gallia & Germania pararẽtur, Rogerius pontificum negligẽtia in Italiam reuerſus, quæ amiſerat breui recuperauit, nullo repugnante: qua ex re copijs deinceps & animis auctus, claſſe in Africam traijciens, adeo regem Tuneſij vexauit, vt hominẽ, data pace perſoluere tributũ quotannis coëgerit, quod certè ad triginta annos continuò exegit. Conradus verò magno cruce ſignatorũ comparato exercitu, Conſtantinopolim perueniens, ab Emanuele ſecundo Græcorum imperatore precibus compellitur, nullo cõparato commeatu, Iconium ſtatim ducere: ſe enim præſtaturum omnia, quæ exercitui neceſſaria erãt, Emanuel pollicebatur. Obſeſſa eſt vrbs natura & artificio munita aliquãdiu atq; acriter. Verùm cùm ſceleſtus imperator, Græco vſus ingenio, gypſum farinæ miſcuiſſet, ex eaq; re panis fieret, quo exercitus Chriſtianorũ aleretur, tot ſtatim milites periere, vt re infecta, relicta obſidione, in Thraciam ſecedere oportuerit. Hoc tamen emolumenti illa expeditio præſtitit, quod Balduinus quartus Hieroſolymitanus rex animo auctus, Aſcalonam diu obſeſſam tandem vi cæpit, cum paulò antè Gazã vrbem antiquiſsimã penitus ab hoſte derelictã ędificaſſet, incolendãq; fratribus templarijs cõceſsiſſet. Auſus quin etiam idem Balduinus Turcorũ ſatrapas Hiericontinos infeſtãtes propulſare, quorum de numero vnico prælio ad quinq; millia interfecta referũtur. Noradinũ quoq;

Damaſcenæ militiæ principem, Hieroſolymitanum agrum vexantem, tanta
clade ſuperauit & perſecutus eſt, vt ægrè Chriſtiani retenti ſint, quò minus vnà
cum hoſte Damaſci mœnia ingrederentur.

Ad Lucium pontificem redeo, qui interim nil prętermittebat, quod ad tãtam
expeditionem, tamq́; neceſſariam pertineret. Credo ego hominem ipſum miro
amore excitatũ retinendæ Hieruſalem, quod tituli ſanctæ crucis in Hieruſalem
presbyter cardinalis, pontifex creatus fuerat, quam quidem baſilicam totam fer
mè reſtituit. Eius præterea cõſenſu in Gallia ſynodus epiſcoporum quorundam
& abbatum facta eſt contra Petrum Abelardum philoſophum Peripateticum,
virum multæ doctrinæ, non benè in quibuſdam cum fide noſtra ſentientẽ, qui
præſente etiam Ludouico rege, rationibus victus, non modò ſententiam muta-
uit, verùm etiam monaſticam vitam & religionem induit, ac deinceps vnà cum
quibuſdam diſcipulis in loco deſerto ſanctiſsimè vixit. Lucius autem pontifi-
catus ſui menſe xi. die iiij. moritur, ac in baſilica Lateranenſi ſepelitur.

## EVGENIVS III.

174. Pont. EVgenius tertius, Piſis oriundus, ſancti Anaſtaſij abbas, in monachũ an-
tea à Bernardo viro ſanctiſsimo electus, in eccleſia ſancti Cæſarij põtifex
creatur. Nam cùm haud ſatis inter cardinales conſtaret, quẽ potiſsimũ è
numero ſuo deligerent, diuino nutu perciti, virum ſanctiſsimũ Eugenium de-
ligunt. Qui vbi Romanos inſtare minis etiam cognouit, quò ſui cõfirmarentur
ſenatores, ad Farfenſe monaſteriũ noctu in Sabinos abijt, comitante cardinaliũ
cœtu, ibiq́; conſecrationis munus ſuſcepit. Verùm cùm poſtea Romanorũ non
minas tantummodò, ſed etiam facta contemneret, ſenatores ipſos eò perpulit,
vt petita pace magiſtratu ſe abdicarẽt. Romã itaq; rediens, vbi intelligit Roma-
nos nequaquam bono animo, ſed fraudi in gratiam ſecũ rediјſſe, inſidias veritus
Tibur dilabitur, fugientem Romani telis & ſagittis inſequũtur. Poſtea verò Pi-
ſas profectus, nauigio in Franciam cõtendit, regemq́; Ludouicum cruce ſigna-
tum in Turcos & Sarracenos animat, quẽ Conſtãtinopolim cum exercitu pro-
fectum nõ ſecus Emanuel fraude circumuenit, quàm olim Conradũ Sueuum.

Perſuaſum enim iniquo tempore ducere copias per deſerta Syriæ, eo neceſsi-
tatis eum compulit, vt lacerum exercitum difficultate & inopia rerum Antio-
chiam re infecta ducere coactus ſit. Hanc ob rem Rogerius Siciliæ rex Emanue-
li infenſus claſſe in Græciam delatus, Corcyram inſulam, Corinthum, Thebas
& Euboeam de imperio Emanuelis occupat, duxiſſetq́; eodem animo Conſtan-
tinopolim, ni Veneti inſtructa in Hadriatico ſexaginta triremium claſſe, quò
minus id faceret, prohibuiſſent. Flexit itaque Rogerius ad littora Aſiæ Deo vo-
lente. Nam tum forte Sarracena claſsis Ludouicum regem Franciæ circumue-
nerat, qui nõ longè à portu ſancti Simeonis ſoluẽs, Palæſthinam petiturus erat.
Rogerius itaque barbaros in anguſto nactus oppugnat & vincit, Chriſtianumq́;
regem cum exercitu ab interitu liberat. Interim verò claſsis Veneta, quæ Ema-
nueli admodum fauebat, ea loca recipit, quæ Rogerius occupauerat, immuni-
taq́; ac ſine vllo præſidio reliquerat. Rogerius autem dimiſſo apud Ioppen Lu-
douico Conſtantinopolim delatus, ſuburbia vidente Emanuele incendens, eo-
uſque victoria delatus eſt, vt & ædes imperatoris aliquandiu oppugnauerit, & po
ma ex hortis eiuſdẽ manu legerit. Verùm cùm poſtea inde in Siciliã compoſita
claſſe abiret, in Venetos incidẽs inſtructos, & ad dimicãdum paratos, ex ſuis tri-
remibus xx. amiſit, ægreq́; fuga ſibi ſalutẽ quæſiuit. Interim verò Cõradus, Lu-
douicus & Balduinus iunctis copijs animiſq́;, Damaſcum magnis conatibus ob-
ſident: quã vrbem ſeruos Abrahæ fundaſſe conſtat, loco cãpeſtri naturaq́; arido,
ſed artificio hubere atque fœcundo. Ager enim effoſsis cuniculis ductiſq́; fiſtu-
lis, vnde irrigari poteſt, mirã hubertatẽ præ ſe fert. Paruus amnis in regione vni-
cus non longe ab vrbis mœnibus præterlabens, lingulam quandam facit, in qua
noſtri caſtra poſuerant, vnde facile cohibere ab aquatione oppidanos poterant:
verùm Aſſyrio quodã perſuadente, cui maxime Balduinus in rebus arduis cre-
debat, caſtra ad alterã vrbis partem transferuntur: quòd diceret facilius irrumpi
hoſtium



hoſtium mœnia eo loci poſſe, vtpote minus munita. Motis itaq; caſtris Damaſ-
ceni repentè ſtatiua noſtrorum occupant ac muniũt, noſtroſq́; ab aquatione &
commeatu prohibent. Quare cum ſiti fameq́; laboraretur, tandem non ſine cõ-
tumelia obſidionẽ ſoluunt. Hieroſolymã Balduinus, in Europã Ludouicus &
Cõradus cõminutis varijs caſibus exercitibus reuertũtur, M C L I I. ſalutis anno.

Venerat tum Romam Eugenius, excitis ad expeditionẽ Chriſtianis, qui egre-
gio apparatu & magna ciuium charitate ſuſceptus eſt. Tarracina autem, Setia,
Norbano ac Fumonis arce receptis, quæ loca hoſtes ac tyranni circunquaq; poſi-
ti occupauerunt, Tibur recreandi animi gratia conceſsit. Vbi nõ ita multò pòſt
pontificatus ſui anno viij. menſe iiij. die vigeſimo moritur: cuius corpus Ro-
mam delatum, magna, vt decebat, pompa in baſilica Petri ſepelitur. Eius autem
iuſſu & impenſa extructa eſt porticus, vel reſtituta potius ſanctæ Mariæ ad Præſe-
pe, quemadmodum ex inſcriptione apparet.

## ANASTASIVS IIII.

ANaſtaſius quartus, patria Romanus, patre Benedicto, abbas antea ſan- 175. Pont.
cti Rufi Veliternæ diœceſis, ex cardinali pontifex creatur, eo potiſ- *Alphonſus*
ſimùm tempore, quo Alphonſus Hiſpaniæ rex ab expeditione Hieroſo- *rex ab ex-*
lymitana rediens moritur: in eiuſq́; locum ſufficitur Sanctius filius, cui paulò *peditione*
pòſt mortuo pro Chriſti fide in Arabia bellum gerenti, Ferdinãdus frater in re- *Hieroſoly-*
gno ſuccedit. Anaſtaſius autem pontificatum adeptus, & calicem pulcherrimi *mitana re-*
operis magnæq́; æſtimationis Lateranenſi baſilicæ condonauit, & ædes egregias *uertitur.*
apud Pantheon, quod ſanctam Mariam rotundam vocant, breui ædificauit. Plu
ra quoq; mente deſtinauerat, tum ad dignitatẽ eccleſiæ, tum ad ornatũ vrbis Ro
mæ pertinentia, ſi ei aliquandiu viuere licuiſſet. Fecit tamen cùm ſpes ex eo cõ- *Richardus*
cepta, tum Richardi de ſancto Victore doctrina, ne eius tẽpora ignobilia vide- *de ſancto*
rentur. Richardus enim doctor inſignis multa & grauiter & copioſè tum ſcri- *Victore.*
pſit, præcipuè verò librum de trinitate. Habuit & ſermones ad populum nõ mi-
nus doctè quàm eleganter. Laboratum hòc etiam tẽpore in tota ferme Europa
fame eſt, Anaſtaſio pontifice & clam & aperte pauperibus ipſis eleemoſynas præ-
bente, qui pontificatus ſui anno vno, menſe quarto, die quarto & vigeſimo mo-
ritur, ſepeliturq́; in Lateranenſi baſilica, concha porphyretica.

## HADRIANVS IIII.

HAdrianus quartus, natione Anglicus, Albanus epiſcopus & cardinalis 176. Pont.
ab Eugenio creatur, quòd in Noruegiam miſſus, prædicando & bene mo
nẽdo prouinciam illam ad Chriſti fidẽ redegerat. Mortuo deinde Ana-
ſtaſio pontifex creatus, tentatuſq́; à Romanis tum precibus, tum minis, vt *con- *aliàs ſena-*
ſulibus liberam vrbis adminiſtrationem relinqueret, id ſe facturum conſtãtiſ- *toribus.*
ſimè renuit. Inſtabat Romanus clerus vt in Lateranum proficiſceretur faciendę
cõſecrationis cauſa, quod etiam facere recuſauit, niſi prius Arnaldus Brixianus
hæreticus, ab Eugenio antea damnatus, ex vrbe pelleretur. Hoc aũt ægrè ferens
populus, cardinalem ſanctæ Pudentianæ ad pontificem via Sacra proficiſcentẽ,
vno atq; altero vulnere afficiunt. Hanc ob rem iratus pontifex, eos acerba etiam
execratione perſecutus eſt, quoad mutata ſententia, & Arnaldum ab vrbe pepu-
lere, & conſules abdicare ſe magiſtratu coëgere, relicta pontifici adminiſtrandæ
vrbis libera facultate. Interim verò Guilelmus Siciliæ rex, qui mortuo Roge-
rio ſucceſſerat, Beneuentana ſuburbia, Ceperanum, Baucũq́; in Hernicis de ec-
cleſia occupat. Ob quam rem indignatus pontifex, regem graui anathemate no
tat, eiuſq́; ditioni ſubiectos omni ſacramento liberat, quo facilius à rege defice-
rent, nullo iureiurando aſtricti. Fredericus autem primus hoc tempore & gente
Sueua imperator creatus, Ciſalpinã Galliam cum exercitu ingreſſus, cùm Der-
tonam haud ſatis imperio obtemperantem aliquandiu obſeſſam, vt tandẽ cœ-
piſſet, magnaq́; celeritate, Romam verſus iter ſtatim fecit. Pontifex aũt Viterbij
tum agens cõfirmaturus in fide eccleſiaſticas ciuitates circunquaq; poſitas, Or-
uietum, & ciuitatem Caſtellanam adijt. Verùm cùm poſtremò ſe imparẽ tanto
exercitui

exercitui cerneret,pace per internuncios compoſita,in agro Sutrino imperatori fit obuiam: qui ex equo deſcendens, eum vt verum Chriſti vicarium ſalutat. Cùm verò ad vrbem veniſſent,& pontifex in baſilica Petri Fredericum imperij corona donaret,populus Romanus clauſis tum portis ne quid tumultus excitaretur,per Hadriani pontem vi erumpens,Teutonicos cum pontifice præter eorum voluntatem ſentientes,paſsim cædit.Excitus quidem tanto tumultu imperator intromiſſo exercitu,qui in pratis Neronianis cõſederat, Romanos ex Vaticano in vrbem retrudit,multis cæſis,captisq́;,pontificis tamen precibus imperator lenitus,captiuos incolumes dimittit. Verùm cùm poſtea,vt mos eſt, ituri ſimul ad Lateranum pontifex & imperator eſſent,fieriq́; id nequaquam tutò viderent, Romanis ad arma ſpectantibus, Mallianam ſimul proficiſcuntur: vbi tranſmiſſo flumine,per Sabinos & pontem Lucanum ad Lateranum peruenientes ſolennia perſoluere.Dum hæc autem Romæ agerentur, Tiburtini ad imperatorem venientes,ſe,ac omnia ei ſpontè dedunt.Verùm cùm imperator intellexiſſet vrbem illam ad põtificatum pertinere,eandẽ Hadriano ſtatim reſtituit, neq; ita diu immoratus,in Germaniam redijt. At pontifex à proceribus Apuliæ rogatus,Beneuentum ſe contulit,maiorẽq́; regni partem ſua tantum præſentia Guillelmo abſtulit. Interea verò Palæologus, vir quidem nobilitate inſignis, Emanuelis ſecũdi imperatoris Cõſtantinopolitani nuncius,& orator, Anconã primo nauigio delatus,terra deinde Beneuentum petijt, põtificiq́; imperatoris nomine ſpõtè obtulit auri libras quinq; millia, fugaturũq́; ſe ex Italia Guillelmum,ſi tres maritimæ in Apulia vrbes, ei ex fœdere rebus bene geſtis darentur. Quòd vbi Guillelmus reſciuiſſet,põtificem ad miſericordiam cohortatus, pollicetur nõ modò ſe reſtiturum quæ de eccleſia abſtulerat,verùm vltro quædam alia condonaturum,Romanosq́; eccleſię rebelles in officio retenturum,ſi vtriuſq; regni titulis tam citra,quàm vltra Pharum poſiti,inſignior fieret. Facere id quidem pontifici nequaquam licuit, aduerſantibus quibuſdam cardinalibus. Hanc ob rem Guillelmus inſtructo exercitu Apuliam hoſtili animo ingreſſus, cùm omnia ferro ac flamma conſumpſiſſet, in Græcos & Apulos mouens,qui apud Brunduſium caſtra poſuerant, eos facilè ſuperat: vnde Salentini, Apuliq́; oẽs deditionem ſtatim fecere. Pontifex aũt cardinalibus infenſus, qui obſtiterãt quò minus pax cõponeretur,Guillelmum in gratiam recipit,eidẽq́; vtriuſq; regni titulos aſſcripſit,adhibito prius ſacramento,ſe nil deinceps moliturũ,quòd eccleſiam Romanã offenderet. Rebus aũt ex ſententia compoſitis, pontifex per Caſsinates,Marſos,Reatinos,Narnienſes,Tudertinos iter faciens,ad Oruietum tandem peruenit,primus põtificum Romanorum, à quo ea vrbs & inhabitata, & cultior reddita eſt. Cum verò inſtantibus Romanis ad vrbem redijſſet, vexaretur ́q; à conſulibus libertatem Romanã reſtituere conantibus, Anagniam petijt: vbi non ita multò pòſt moritur,pontificatus ſui anno quarto, menſe x. relicta magno in precio eccleſiæ Romanæ ditione. Nam & circa lacũ ſanctæ Chriſtinæ multa caſtella muniuit, & Radicofanum, quod nunc Senenſes obtinent, muro & arce propè inexpugnabile reddidit. Horum aũt temporum hiſtoriam ſcripſit ſatis eleganti ſtylo & oratione Richardus Cluniacẽſis monachus, quem alij ſcriptores non parum laudãt. Corpus autem Hadriani Romam delatum, in baſilica Petri ſepelitur non longè à ſepulchro Eugenij pontificis.

## ALEXANDER III.

177. Pont. ALexãder tertius,patria Senẽſis, patre Ranucio, mortuo Hadriano, duorum & viginti cardinalium ſuffragijs pontifex creatur,licet Octauianũ Romanum ciuem tituli ſancti Clemẽtis presbyterum cardinalem, Victorem appellatum,tres tantum ſubrogauerint, vnde ſchiſma ortum eſt. Tum verò Alexander,ne diutius ſeditio illa cum pernicie eccleſiæ Romanæ protraheretur,Fredericum imperatorem Cremonam tum obſidentem,per legatos rogat,vt interpoſita auctoritate imperatoria ſeditionem tollat. Reſpondit ille, vtrumq; pontificẽ Papiam ire oportere,quò & ipſe proficiſceretur cognoſcendę diſceptationis cauſa. At verò cùm Alexander accepto tali reſponſo Anagniam

ſe con.



ſe contuliſſet, Octauianus Siginam occupat. Tum imperator indignatus quòd dicto ſuo pontifex non obtemperaſſet, epiſcopos ij. ad Alexandrum mittit,qui eum non pontificem,ſed cardinalem appellatum,ad concilium citarent. Hi autem ab Alexandro confutati & reiecti,ad Octauianum ſtatim ſe conferunt: eũq́; Papiam perducunt, vt haberent quem Alexãdro obijcerent. Habito deinde cõcilio,Fredericus Octauianum pontificem confirmat,eumq́; equo albo inſidentem per vrbem Ticinenſem ducit,& de more adorat. Qua iniuria Alexãder permotus,præmiſſa admonitione Octauianum & Fredericum anathemàtis vinculo colligat, literasq́; mittit ad Chriſtianæ reip. principes & populos,quibus intelligant id à ſe iure ac meritò fieri. Rediens deinde Romam Alexander pontificatus ſui anno ſecundo, multos aduerſarios in vrbe inuenit, in ſe cornua palàm erigentes, quòd Frederici exercitus, præter vrbem veterem & Anagniam, omnem eccleſiæ ditionem iam occupauerat. Quare Alexander,adhortante etiam Philippo Francorum rege,Tarracinam profectus, cõſcenſo nauigio ad eam rem mandato Guillelmi Siciliæ regis parato, in Frãciam contendit: cõuentuq́; in Claro monte habito,anathema in imperatorem & Octauianum factum ſtatim enunciat. Dum hæc autem in Europa agerentur, mortuo apud Hieroſolymam Balduino iij. Almericus frater ſtatim regnum accepit: ne ob interregnũ in tanta barbarie & perfidia aliquid noui exoriretur. Verum cõpoſitis pro tẽpore rebus in Aegyptios ducens,Drogonem copiarum præfectũ edita ingẽti cæde, ſtatim ſuperat: Alexandriamq́; obſidet, quam Tiracinus Soldani Sarracenorũ regis præfectus,in ſuam poteſtatem fraude redegerat: Alexandrini autẽ cùm nec diutius pati obſidionem poſſent, nec ſubijci Chriſtianorum imperio vellent, Almerico ſe hac cõditione commiſere,vt in Soldani poteſtatem pulſo Tiracino tyranno redigerentur. Almericus itaq; ingenti pecunia recepta,Soldano vrbem reſtituit. Verùm cùm ſecum fraude homo ingratus ageret, nec pactã pecuniam præſtaret,in eum ducens,Cares vrbẽ,nunc Cairum appellatã,obſidet. Fredericus aũt tyrannica poteſtate vſus,direpta Dertona, & Mediolanũ ſolo æquauit (vnde tranſlata magorũ corpora Coloniã tum crediderim à Rodolpho Colonienſium archiepiſcopo) & Cremonenſes magnis incommodis affecit. Quare Veronenſes, Vincentini, Patauini, Veneti, communi periculo moti decreuere,ne amplius vlla auxilia Frederico Ciſalpinam vaſtanti præſtarentur.

Fredericus itaq; ira incenſus,Veronam ducens oppugnandæ vrbis cauſa,cùm eò perueniſſe aliarum vrbiũ auxilia intellexiſſet,retrocedens,ac Papiam ſeſe recipiens,literis & nũcijs Franciæ regem adhortatur, vt tollendi ſchiſmatis cauſa Alexandrũ ſecum ad concilium ducat,quò & ſe vnà cum Victore profecturum pollicetur. *Magorum corpora Coloniam transferũtur.* Apud Diuonẽ locus eſt,vbi Sauo fluuius Gallos à Germanis diuidit. Is locus concilij eſt habitus,quò Fredericus,rebus Italiæ pro tempore cõpoſitis, profectus cum Octauiano eſt,Scotiæ ac Boẽmiæ regibus,magnisq́; armatorũ copijs ſtipatus. *Concilium apud Diuonem.* Verùm cùm Alexander ad id ſe profecturũ conciliũ recuſaret,quod ipſe non indixiſſet, Turoniq́; id inchoaſſet, Fredericus ira ac minarũ plenus in Germaniam rediens,Octauianum quẽ paulò pòſt ſecuturus erat,in Italiam miſit: quo quidem Lucæ mortuo,Guido Gremenſis in antipapam Octauiano ſubrogatur. At verò Romani creatis * conſulibus, Alexãdro pontifici amicis, eum ſtatim ex Francia reuocant,qui primò in Siciliam, mox Romam nauigio delatus,congratulantibus omnibus perbenigne ſuſcipitur. *Aliàs ſenatoribus.* Aduentu autem Alexãdri Ciſalpinæ Galliæ populi in ſpem libertatis erecti,anno ſalutis, MCLXV. in Fredericum ſæue nimium imperantem arma ſumunt,præſidiaq́; eius ex arcibus quibuſdã deijciunt. Verùm Fredericus comparato magno exercitu in Italiam veniens, præter ſpem nulli noxius, traiecto ratibus Pado, in agrum Bononienſem deſcendens, copias partitur. Cohortes enim quaſdam Lucam miſit,quarum præſidio tutus antipapa eſſet,qui tum Lucæ erat. Ipſe verò cum reliquo exercitu Anconam profectus, vrbem aliquandiu obſidens,in ſuam tandem redegit poteſtatem. Interim verò ſociæ Ciſalpinæ Galliæ ciuitates, Mediolanum reſtituunt ac muniunt: Laudenſes Mediolanenſium hoſtes in ſocietatem recipiunt,quò facilius Frederico reſiſtere poſſent,ſi in eos moueret. Verum Fredericũ

maior

maior cura inceſsit. Mortuo enim Guillelmo Normãno Siciliæ rege, Emanuel Græcus imperator legatos ad pontificem miſit, qui ei pollicerentur, & magnas copias in Fredericum, & vnicam mentem omnium Grecorum cum eccleſia Romana conuenientem, vt orientalis cum occidentali eadem fieret, ſi pateretur imperium Romanum antea diuiſum, in vnum corpus redigi. Legatis autem quid ſit reſponſum, haud ſatis conſtat, cum bellum inter Romanos, Tuſcalanos, atque Albanos ortum, pontificem impediuerit, quò minus certum, reſpõſum legatis daret. Nam cum Tuſculani Albaniq́; pendere Romanis tributa immoderatius imperata recuſarẽt, incẽſus ira populus Romanus, reclamante põtifice, populariter in Tuſculanos mouent. Tuſculanorum rempub. tum maximè gubernabat Raino comes, quam Rogerius ducatu Apuliæ deiecerat. Is itaq; in re militari peritus, accerſitis Germanis, qui apud Nepete, Sutriumq́; conſederant, tanta Romanos clade affecit, vt deinceps vix ſe tueri mœnibus, nedum hoſtem foris laceſſere potuerint. Tum verò Fredericus vlciſcẽdi iniurias (vt ipſe dicebat) ab Alexandro acceptas occaſionem nactus, Ancona diſcedens, Romã mouet. Poſitis autem in pratis Neronianis caſtris, irrumpere ſuburbium Vaticani conatus, à familiaribus Alexandri conſtantiſsimè repellitur. Sequenti verò die baſilicam Petri incendiſſet, ſi æditui furẽtem ac iam facem intentantem admiſiſſent. Pontifex autem haud ſatis tutò in Laterano conſiſtens, quod iamiam irrupturos Germanos videbat, in ædes Fregepanum ad Palladium diuertentẽ confugit. Tum verò Guillelmus Siciliæ rex magni Guillelmi filius, audito pontificis diſcrimine, magnam vim pecuniæ & triremes duas paratiſsimas ei miſit. Inſtabat cum populo Romano Fredericus, cui pacem promittebat, vt de duobus pontificibus digniorem eligeret, altero eliminato & reiecto. Quæ res certè cum tota ad Frederici nutum ſpectaret, pontifex noctu abiens nauigatione, ſalutem ſibi fuga quæſiuit: Caietam primo, mox Beneuentum delatus. Expulit & Fredericum ab vrbe Roma peſtis, qua paſsim veluti pecora & ciues & milites oppetebant. Venienti autem in Ciſalpinam Galliam Friderico imperatori, fœderatæ ciuitates cum exercitu obuiam fiunt: quos acriter nimium inſtantes detrectato certamine ſtudioſè vitans, in Germaniam peruenit. Abeunte itaque Frederico, ſociæ ciuitates Alexandriam de nomine Alexandri pontificis nuncupatam, apud Rouretum Taro amni adiacentem, paribus animis impenſaq́; condunt: in eamq́; ex omnibus ciuitatibus quindecim millia hominum ad incolendũ mittunt, diuiſis agris viritim, partitiſq́; in vrbe locis ad ædificandum. Romani aũt acceptæ cladis memores, abeunte Frederico Albam vi capiunt ac diruunt. Idem etiam in Tuſculanos feciſſent, ni pontifex eos nunc minis, nunc execrationibus à tanto facinore deterruiſſet. Miſit tum etiam Emanuel imperator Conſtinopolitanus alios oratores, qui maiora pollicebantur, ſi põtifex in ſententiam ſuam deſcendiſſet: quibus Alexander ita reſpondit, ſe nolle id in vnum coniungere, quod olim de induſtria maiores ſui diſiunxiſſent. Moritur interim Guido Cremenſis antipapa in baſilica ſancti Petri: quam magno Frederici præſidio adhuc obtinebat, cuius in locum à ſeditioſis quibuſdam ſufficitur Ioannes Strumienſis abbas ex Pannonia, vir pridem furto infamis, cuiq́; Raino comes ſibi timens ob cladem antea Romanis illatam, Tuſculum tradidit, montem Flaſconem ex pacto recepturus. Verùm cum Raino à Flaſconenſibus non reciperetur, recuſarentq́; Tuſculani antipapã recipere, Tuſculum rediens omninò excluditur. Inde verò ad Alexandrum, qui tum Verulis erat abiens, ius omne ſuum, quod in Tuſculo habebat, ei condonauit. Vnde Tuſculani, publico etiam decreto ac cõſilio adhibito, pontificem recipiunt, quo in loco Henrici Angliæ regis oratores auditi ſunt, regem ſuum purgãtes, quòd falſo diceretur in necem beati Thomæ archiepiſcopi Cantuarenſis coniuraſſe. Hanc ob rem pontifex cum non facilè oratoribus regis crederet, in Angliam duos cardinales cum magna poteſtate mittit, qui rem ipſam diligenter inſpicerent, quibus certe rex omiſſo Hybernico bello, quo erat implicitus, honoris cauſa apud Normanniam occurrit: reque diſcuſſa ad hoc ventum eſt, vt Henricus iuramento adhibito, cum non ſatis de facto conſtaret, ſeſe purgauerit, promiſeritq́; ſe pœnitentiam pro nece ſanctiſſimi





ſimi viri acturum: cuius etſi fuiſſet inſons atque inſcius, occaſionem tamen preſtitiſſe ſit viſus, quod viuentem ſimultate & odio perſecutus ſit. Additum præterea, vt cc. milites Hieroſolymam mitteret, qui ſuis auſpicijs, ſuaq́; impẽſa per annum contra Sarracenos dimicarent: vtq́; ipſe triennio cum quanto poſſet exercitu contra barbaros bellum gereret, libertatem eccleſiaſticam in ſuo regno tueretur, appellationibus ad curiam Romanam factis nõ aduerſaretur. His autem rebus iureiurando confirmatis, regni Anglici titulum in ſe, atq; in hæredes ſuos transferri meruit, pontifice annuente. Hinc autem obſeruatum eſt, vt omnes Anglici reges à Romano pontifice regni iura recognoſcant. Alexander autem diu cum Romanis colluctatus, cum diceret ſe vrbem eorum pace ingreſſurum, nil amplius quàm rem diuinam curaturum, omiſſa eis cura rerum ſæcularium, cum id etiam non impetraret, Signiam proficiſcitur ibi auditis legatis, qui ex Anglia venerant, cognitiſq́; beati Thomæ miraculis, eum in numerum ſanctorum refert. Fredericus autem in Italiam per montem Cinſium rediens, Secuſam dolo captam diruit: Aſtienſes timore perculſos in deditionem accipit: Alexandriam menſes quatuor graui obſidione premens, magnum incommodum ab erumpentibus accipit. Poſteà verò pertæſus longitudine laborum, in die Paſchatis obſidionem ſoluens, Papiam venit: vbi de pace Italiæ eſt actum, interpoſita pontificis auctoritate, quam Veneti cum imperatore Conſtantinopolitano antea ſentientes, libenter amplexi ſunt, ob violatum à Græcis ius gentium. Henricum enim Dandalum ciuem ſuum, legatum ad Emanuelem miſſum, tamdiu cadentia ænea inſpicere coëgere, quoad oculorum aciem amitteret. Intereà verò Almericus Hieroſolymitanus rex Cairum obſidens, quamuis ſpe potiundæ vrbis non careret, tamẽ ingenti pecunia accepta, obſidionem ſoluit in Aſcalonam mouens, quam paulò pòſt re item infecta reliquit, quod commeatibus indigeret: quodq́; etiam milites feſſos diutino & graui labore cerneret, domum autem rediens, cum non diu ſuperuixiſſet, moriens filio Balduino regnum reliquit. Qui etſi lepra ac quidem vehementi laborauit, regnũ tamen conſtantiſsimè ac prudentiſsimè gubernauit, Alexander autem pontifex cum iam pacata eſſe omnia exiſtimaret, Alexandriæ nouæ vrbi epiſcopum dedit, anno ſalutis noſtræ MCLXXV. Verùm non ita diu pòſt Fredericus in Italiam cum magnis exercitibus deſcendens, omnia ſtatim infeſta reddidit. Mediolanẽſes tamen adiuuantibus ſocijs omnibus, eius copias ita attriuere frequentibus prælijs, vt paulum abfuerit, quin ipſe quoq; imperator ſubfoſſo eius equo interficeretur. Ex Papienſibus autem, & Comẽſibus, qui imperatori fauebant, multi deſiderati ſunt. Ipſum verò Papienſem epiſcopum pallij, & ferẽdæ crucis dignitate priuauit pontifex, quia in partes imperatoris declinauerat. Tum verò Frederici proceres arbitrati id ei accidiſſe, quod eccleſiam Dei perſequeretur, palam minari ſe in patriam redituros, omiſſa tam iniqua militia, ni properè cum pontifice in gratiam rediret. Dum itaq; pax in Italia tractaretur, in locum Noradini Sarracenorũ regis demortui, Saladinus vir fortiſsimus ſufficitur: qui rege Aegypti armis capto atque occiſo, Aegyptum ſtatim ac Syriam ſuo adiecit imperio. In Chriſtianos deinde mouens, nequaquam certè tali fortuna vſus eſt. Nam primo prælio apud Aſcalonam, ſecũdo ad Tiberiadem duce Balduino, ſuperatur. Comparatis deinde copijs contra Emanuelem in Siciliam profectum, exercitum mouet, quem ſimulata fuga in anguſtas cõualles protractum ſuperat & capit: eaq́; conditione omittit, vt quæ in Aſia cœperat, ſtatim dimitteret. Conuenerat iam Venetias Alexander componendæ pacis Italiæ cauſa, eò & Fredericus accedens, in veſtibulo S. Marci pontificis pedes exoſculatur: ſimul deinde ad altare maius, profecti, accepta dataque ſalute, de fœderibus pacis inter ſe multum diuq́; collocuti ſunt, quæ poſtea ſequenti die ex ſententia confecta eſt. Abiens deinde imperator cum bona pontificis venia, Rauennam primò, mox Bertonorum ſe contulit: quod oppidum cum retinere ob opportunitatem loci inſtituiſſet, rogatu Alexandri eccleſiæ tãdem reſtituit. Abiens quoque Venetijs Alexander cum triremibus xiij. Guillelmi Siculi, & iiij. Venetorum, ornato ob beneficium acceptum eorum ſummo magiſtratu inſignibus quibuſdam & muneribus

neribus, Sypontum primò ventis delatus, atq; inde Troiam & Beneuentum, per Caſsinenſem ſaltum Anagniam ſe cōtulit: vbi non diu immoratus, Tuſculum petens, de abrogandis COSS. agere cum Romanis cœpit, antequàm pax componeretur. Verùm quia res in L. annum protracta, tolli difficillimè videretur, pacti ſunt, vt non prius electi à populo COSS. magiſtratum inirent, quàm in verba pontificis iurarent, ſe eccleſię Romanæ fideliſsimos fore: nihilq; vnquam molituros, quod dignitati pontificiæ obeſſet. Hoc itaque modo rebus compoſitis, pontifex tertium Romam profectus. prodeunte obuiam gratulationis & honoris cauſa honoratiſsimo quoque, concilium ſtatim in Laterano cōcelebrat: tum vt mores curiæ iam nimia licentia labefactatos componeret, tum vel maximè, vt decerneretur ſub anathematis pœna, ne quis ferrum, ligna, armáue infidelibus, & à religione noſtra alienis importaret. Moriens hoc fere tempore Emanuel Conſtantinopolitanus imperator, Alexium filium hæredem imperij reliquit, Andronico Græco regia progenie tutore dato: qui aliquot annis imperium ſapienter & ſumma cum fide adminiſtrauit. Eius quoque conſenſu Philippus Franciæ rex, Hagnetem filiam adoleſcenti in matrimonium locat. Balduinus item quartus huius nominis Hieroſolymitanus, quò rem ſuam stabiliorem redderet, ſororem Sibyllam Guillelmo Montisferrati Marchioni cognomento Longaſpata, viro in re militari præſtantiſsimo, in vxorem collocat: arbitratus, ſi opus eſſet, Guillelmum ipſum cum alijs Chriſtianis principibus rei ſuæ laboranti opem ſtatim allaturum. Interim verò Alexander poſt longos & aſsiduos labores, cum iam quieturus à tyrannicis perturbationibus videretur, pontificatus ſui anno xxi. die xix. Romæ moritur, ſublatis prius è medio iij. ſchiſmaticis pontificibus, quorum ſeditionibus eccleſia Romana fere ſubuerſa eſt.

### ANNOTAT.

*Alexandri III. & Victoris IIII. ſuorumq; ſucceſſorum ſchiſma, & eius cauſas accuratè, diffuſeq; Radeuicus canonicus Friſingenſis in libri ſecundi, alias quarti hiſtoriarum, quas Othoni Friſingēſi epiſcopo adiunxit, à cap. 54. vſq; ad caput 70. item Ioannes Cremonenſis presbyter, abbas Vſpergenſis, ac innominatus Alexandri papæ III. capellanus, qui hoc tempore vixerunt, exponunt. Ex cuius rei occaſione, clero omninò, & populo à pontificis electione excluſis, ea ad cardinales ſolos, tunc primum redacta eſt, lexq; ſalutaris de duobus tertijs ſuffragiorum cardinalium, ad euitanda in poſterum ſchiſmata, ab Alexandro iſto tertio in concilio generali Lateranenſi facta eſt anno Domini ∞ CLXXIX. Iuxta cuius conſtitutionis formam, ſcrutinij ratione Lucius papa III. primus creatus eſt, vt ex eiuſdem pontificis diplomate, quod apud me eſt, liquet. Cæterùm non alienum à meo inſtituto eſſe mihi viſum eſt, hic ſubijcere breue Romanorum pontificum Catalogum, verſibus à Nicolao quodam Maniacutio canonico regulari Lateranenſi, qui hoc tempore vixit exaratum ad incorrupta nomina pontificum, rectamq; ſeriem conſeruandam maximè facientem, & ad plura, de quibus ſuprà verba feci, confirmanda aptiſsimum, quem ex antiquo Lateranenſis baſilicæ archiuio accepi. Eſt verò huiuſmodi.*

## NICOLAI MANIACVTII CANONICI REGVLARIS LATERANENSIS ORDINIS S. AVGVSTINI VERSVS DE ROMANIS PONTIFICIBVS AD ALEXANDRVM PAPAM III.

Si vis pontifices Romanæ noſcere ſedis,
Carminibus noſtris perlectis ſcire valebis.
Primo papatus Petrus eſt in ſede locatus,
Qui conſederunt Linus, Cletusq; fuerunt.
His Clemens iunctus: ſimili fuit ordine functus,
Hinc nutat mundus ſit quartus, ſit ne ſecundus.
Hinc Anacletus præſedit, hinc Euariſtus,
Hinc Alexandro ſuccedit in ordine Xyſtus,
Hos iuxta poſitus Teleſphorus eſt, & Hyginus
Additur Anicetus, ſeu præſul nomine Pius
So ter, & Eleuther, quibus eſt Victor quoque mixtus
Quos Zephyrinus habet comites, martyrq; Calliſtus

Vrba-



Vrbanus turbæ CHRISTI prælatus in vrbe.
Poſt hos papatus ſuccedis Marce locatus,
Hinc Pontianus, hinc Anterus, hinc Fabianus,
Cornelius, Lucinus, Stephanus, Xyſtusq; ſecundus.
Hos rutilans iuxta Dionyſi ſede venuſta
Felix Romanus, cui iungitur Eutichianus.
His comites Caius, ſeu Marcellinus habentur
Marcellus, nec non Euſebius enumerentur.
Miltiades etiam, poſt quem Silueſter haberi
Te Dominus papam decreui in ordine cleri.
Marcus cui Iulius ſuccedit, Liberiusq;
Felix, & Damaſus, cleri ſpeculumq;, decusq;.
Exuli Liberio Felix in ſede locatur,
Martyriumq; ſubijt, cum Liberius reuocatur.
Quare Liberij Damaſus ſucceſſor habetur,
Sicut Hieronymi chronica narrante docetur.
Poſtea Siricium numeramus Anaſtaſiumq;.
Hinc Innocenti te, qui comitaris vtrunque.
Poſt Soſimum verò Bonifacius enumeretur,
Hinc Cæleſtinus cum Xyſto conſocietur.
Hos autem iuxta Leo vir doctiſsimus extat,
Eloquium cuius quantus fuerit manifeſtat.
Hilarius hanc, & Simplicius, Felixq; ſequuntur,
Poſt quos Pelagius, Anaſtaſiusq; leguntur.
Symmachus, Hormiſda rutilant præſulq; Ioannes
Agapitum cum Silueſio, tecumq; Vigili
Pelagium legimus, papali ſede potiri.
Hos meriti magni papæ præmitto Ioanni,
Papam poſt iſtum tunc numero Benedictum.
Pelagium Romæ prælatum poſtea prome,
Hinc tu Gregori confortans cuncta decori,
Eccleſiæ CHRISTI ſal, atque lucerna fuiſti.
Poſt te Bleranum ciuem lego Sabinianum,
Hinc Bonifacius, & Bonifacius annumerentur.
Deuſdedit, & quintus Bonifacius his ſocientur.
Honorium cum Seuerino, teq; Ioannes
Inter prædictos cæleſtes ſcribimus amnes.
Poſt hos Theodorum, Romæ, Martinum conſociemus,
De quo quod fuerit per Græcos paſſus habemus.
Additur Eugenius, præſul quoque Vitalianus
Adeodatum cum Domno ſuſcipiamus.
Deſcribitur hinc Agatho Siculæ regionis alumnus,
Et copulatus ei prudens Leo papa ſecundus.
His adiungantur Benedictus, atque Ioannes,
Et Conon tecum Sergi, ſextusq; Ioannes.
Hinc alio papa gauiſa eſt Roma Ioanne,
Et te Siſinni genite genitore Ioanne.
Poſt Conſtantinum Gregorius alter habetur,
Tertius his etiam Gregorius aſſocietur,
Cui Zacharias, Stephanus, Paulusq; decenter,
Hic Conſtantinus, Stephanus quoq; connumerentur
Poſt Hadrianum Leo tertius eſſe videtur.
Poſt Stephanum quartum, Paſchalis præſul habetur.
Eugenius verò Papa ſubſcribitur iſtis,
Cui ſucceſſor tu Valentine fuiſti.
Gregorius quartus, & Sergius, & Leo quartus

 Ponti-

Pontificem dictum, poſt quos legimus Benedictum,
Hinc Nicolae tuo, tua gaudet Roma decore,
Cuius Hadrianus poſt mortem fulſit honore.
Octaui viguit poſt hos doctrina Ioannis,
A` quo Marinus perpaucis præfuit annis.
Præſtantibus præſul ſubnectitur his Hadrianus
Et Stephanus quintus, genuit pater hunc Hadrianus.
Poſtea Formoſum cathedram legimus tenuiſſe,
Inde Bonifacium Papatum promeruiſſe.
Poſt Stephanum ſextum, Romanum perlege tandem,
Et poſt Theodorum, nonum ſubnecte Ioannem.
Cui Benedicte pater, Leo tecum connumeretur.
De titulo Damaſi Chriſtophorus aſſocietur,
Sergius hinc rutilans Anaſtaſio copulatur,
Et Lando viuens modicè ſub aſtra leuatur.
Omnibus his tandem decimum coniunge Ioannem.
Te Leo cum Stephano præcedit papa Ioannes
Cui Leo, poſt Stephanus ſuccedunt dogmate grandes,
Necnon Marinus, & Agapitus, atque Ioannes
Præſulibus quintus coniungitur his Benedictus,
Cui Leo iungatur, Ioannes, & Benedictus,
Et Domnus, necnon Bonifacius, & Benedictus,
Et decimum quartum poſt iſtos ſcribe Ioannem,
Et quintum decimum poſt iſtos ſcribe Ioannem,
Et decimum ſextum poſt iſtos ſcribe Ioannem,
Gregorium quintum prius, & poſt ſcribe Ioannem,
Poſt quem Siluestrum prius, & poſt ſcribe Ioannem,
Huic etiam nonum decimum ſubſcribe Ioannem,
Sergius hinc quartus ſubnectitur & Benedictus.
Reſtat viceſimus Ioannes & Benedictus.
Hunc nonum decimum depromunt ſcripta Ioannem,
Quod cur euenerit, dabit hoc agnoſcere carmen:
Quendam Ioannem ſi Mercurium vocitamus
Iuſtum viceſimum, nonum decimum numeramus.
*Siluester* cum Gregorio, Clemensq; ſecundus,
Cum Damaſo rutilat Leo, Victorq; ſecundus,
Stephanus huic nonus, nec non decimus Benedictus
Et ſuccedit eis Nicolaus in ordine mixtus
Alter Alexander, & Gregorius copulatur.
Victor, & Vrbanus cum Paſchali comitatur
Gelaſium mundo conceſsit poſtea CHRISTVS,
Cui decedenti ſucceſsit papa Calliſtus.
Honorius cathedram poſt omnes hos decorauit,
Hinc Innocenti papam Roma vocauit.
Poſt Cæleſtinus cæleſti dogmate functus,
Chriſmate lætitiæ fit præ conſortibus vnctus.
Lucius hinc mundi cupiens reſiſtere morbis,
Aſt raptus ſtatim, quia dignus non erat orbis
Tertius Eugenius, qui nunc præclarus habetur.
Donec vult viuat demum ſuper aſtra tenetur
Sunt centum quinque, nec non, & ſeptuaginta.
Quartus Anaſtaſius poſt eccleſiam viduauit,
Quam ſibi mox copulans Hadrianus clarificauit.
Hinc licet inuictum papali ſede potitum
Scimus Alexandrum, per ſecula commemorandum
Sunt omne centum, ſunt octo, & ſeptuaginta.





## LVCIVS III.

LVcius tertius, natione Tuſcus, Luca vrbe, gente nobili oriundus, omniũ consenſu eo tempore põtificatum inijt, quo Andronicus Græcus, quem diximus Alexio pupillo tutorem datum, pulſis Latinis, qui puero fauebant, Conſtãtinopolitanum imperium vſurpauit, necato in vndis puero, dum laxandi animi cauſa paruo nauigio huc illuc temere dilabitur. Prȩterea verò ne facinore partam tyrannidem amitteret, facinus haud paruum addidit. Nam proceres omnes quorum virtutum ſuſpectam habebat, breui interfecit. At verò Guillelmo Longaſpata Hieroſolymis mortuo, Balduinus rex nepoti conſulturus, Sibyllam nouo marito collocat Guidoni Luſigniano è Pictauorum gente oriundo, hac tamen lege, vt ſe mortuo Guido pro nepote Balduino quoad pueritiam ſupergrederetur, regnum gubernaret: illudq; deinceps nepoti traderet. Agebantur hæc omnia Lucij pontificis auctoritate, qui ad Chriſtianam remp. pertinere arbitrabatur, principes Aſiæ quàm maximè inter ſe beneuolentia & affinitate connexos eſſe, quò facilius Sarracenis & Turcis in bello reſiſterent. Is tamen ex vrbe eijcitur, dum fauentibus quibuſdam ciuibus Romanis, abolere conſulum nomen annititur. Fautoribus eius in vrbe deprehenſis, effoſsi oculi ſunt. Accepta autem tam inſigni contumelia pontifex Veronam profectus, cõcilio habito, & Romanorum licentiam ac ſuperbiam improbauit, & principes omnes Chriſtianos adhortatus eſt, vt noſtris in Aſia pro fide Chriſti laborantibus ſuccurreretur: maximè verò cum ſeditione principum noſtrorum hoſtes freti, duce Saladino Hieroſolymitanum agrum popularentur. Nam pulſo Guidone Luſignano ab adminiſtratione regni ob ſuperbiam, Bertrãdo comite Tripolitano tutore deſignato, ad arma ciuilia res ipſa ſpectare videbatur. Non deſtitit tamen pontifex & literis & nuncijs eos adhortari, vt poſitis ſimultatibus, vna mente, eodemq; animo tam diu hoſtibus reſiſterent, quoad nouæ copiæ in ſupplementum militiæ ſubmitterentur. Iam enim inſtante Heraclio patriarcha Hieroſolymitano, qui primo Veronam eius rei cauſa ad Lucium venerat, deinde ad Philippum Franciæ regem acceſſerat, milites cruce ſignati ad tantam expeditionem mittebantur. Verùm Guillelmus Siciliȩ rex, iniquo tempore iniurias Latinis ab Andronico Conſtantinopolitano imperatore illatas vlturus, cum armato exercitu in Græciam traijciens, omnia perturbauit. Nã & Theſſalonicam Macedoniæ vrbem vi cæpit, & multas Græciæ Thraciæq; ciuitates varijs calamitatibus affectas partim cæpit, partim diripuit: nuſquam occurrente Andronico, & dijs & ciuibus ſuis infeſto, propterea quòd multos occiderat, pleroſq; exilio damnauerat. Hac verò neceſsitate impulſi & coacti Conſtantinopolitani ciues Iſaacium quendam regia progenie ortum, è Peloponneſo ad imperium vocant: qui Andronicum prælio ſuperatum & captum, varijs cruciatibus interfecit. Quo ſublato, Lucio pontifici haud difficile fuiſſet. Guillelmum regem pace cum Iſaacio compoſita, impellere pollicitationibus, & præmijs, vt in Aſiam traijceret. Verùm dum ob hanc rem nuncij vltro citroq; mitterẽtur, Lucius vir optimus pontificatus ſui anno quarto, menſe ſecundo, die xviij. Veronæ moritur: ſepeliturq; magna adhibita pompa ante altare cathedralis baſilicȩ. Hic autem pontifex non immemor patriæ ſuæ, eam multis muneribus, tum diuinis, tum humanis ante mortem ornauit. Ab imperatore enim Frederico, quo cum in pace vixit, obtinuit, ne Etruſci alia quam moneta Lucenſi vterentur, quemadmodum Longobardi ſolam Papienſem admitterent ſignatam imperatoria nota. Nam Ciſalpinos iam antea pontifex imperatori cõciliauerat. Scribit Ptolemæus Lucenſis & Petrum Comeſtorem, qui hiſtoriam vtriuſq; teſtamenti conſcripſit, & Ioachimum abbatem in Calabria apud monaſterium Floris ab eo conditum, in pretio tum fuiſſe, doctrina & diuinandi arte, quam ſub ambagibus quibuſdam præ ſe ferebat. 178. Pont.

### ANNOTAT.

*Lucius iſte Lucæ ortus, ex nobili gente, quæ Allucingula dicebatur, tertio pontificatus ſui anno Veronam patriam meam florentiſsimam tunc Italiæ vrbem ciuili ſeditione vrbe à ſenatoribus (non vt Platina ſcribit, conſulibus)*

*libus) pulſus vt Chriſtianorum principum conuentum ageret, adiens, ibidem diem clauſit extremum, in cathedrali eccleſia cum hoc elogio ſepultus.*

*Luci Luca tibi dedit ortum, pontificatum*
*Oſtia, papatum Roma, Verona mora. Immo*
*Verona dedit tibi lucis gaudia, Roma*
*Exilium, curas Oſtia, Luca mori.*

*Huic Vrbanus III. Veronæ à Cardinalibus creatus, & Ferrariæ mortuus ſucceſſit. Cui Gregorius VIII. ſubrogatus eſt, deinde huic Clemens III. Piſis renuntiatus. Ex vetuſtis eorundem pontificum bullis ſiue diplomatibus, quorum exempla apud me ſunt, ex bibliotheca Palatina excepta.*

## VRBANVS III.

*179. Pont.* VRbanus tertius, patria Mediolanenſis, patre Ioanne, è gente Cribella, pō-
tificatum iniens reuocare ad concordiam Chriſtianos principes primò
annixus eſt, ne diſsidentes à barbaris opprimerētur. Verùm mortuo Bal-
duino quarto lepra laborante, non potuit Tripolitanus comes, tutor Balduini
quinti deſignatus, curam eius ſuſcipere, Sibylla pueri matre, Guidoneque Luſi-
gnano prohibentibus.

Non ſuperuixit diu puer: octauo enim menſe poſt patrē moritur, cuius mor-
tem tam diu occultauit mater, donec largitionibus ac blāditijs in ſententiā ſui-
ipſius deducto patriarcha & proceribus, Guidonem creari regē obtinuit. Tulit
eam quidem rem grauiter & iniquo animo Raymundus Tripolytanus comes,
atq; quò ei facilius vlciſci iniurias ſuas liceret, inducias cum Saladino paciſci-
tur. Hoc itaq; modo Tripolis & Tiberiadis & Gallilææ principatus à Chriſtianis
auulſus eſt. Raymundo enim comiti tum parebāt ob vxorē, quam nuper duxe-
rat: & ne quid Saladino deeſſet, occaſionē belli gerendi enixe quærenti, Montis
regalis Chriſtianus princeps, qui vltra Iordanē longè ac latè imperitās, annonā
& quidē abundantem Hieroſolymis perpetuo ſubminiſtrabat, inducias temere
violauit. Hāc ob rem Saladinus veniſſe tēpus ratus, quod maxime expetebat: cō-
parato ingenti peditū atq; equitum exercitu, ad Ptolemaidā caſtra ponens, cum
tēplarijs in præſidio poſitis acerrimè dimicat. Fuere ſuperiores templarij, opti-
mo tamen quoq; de ſuis occiſo. Nā & magiſter militiæ & pleriq; alij conſilio ac
manu prōpti, eo prælio cæcidere. Auxit exercitū Saladinus, & à calamitate ani-
mum ſumens, Templarios magis magisq; vrget. Hanc ob rem Raymūdus haud
ſatis Saladino credens, Tiberiadi vxore relicta, quā firmiſsimo præſidio munie-
rat, Tripolim reuerſus, in gratiā cum Guidone rediens, barbarorū inducias con-
tempſit. Quare Saladinus belli gerendi occaſionē nactus, Ptolemaida omiſſa, in
Tiberiadem ſuo iure mouet. Inſtātibus itaq; Chriſtianis omnibus, maxime ve-
rò Tēplarijs, vt exercitus in hoſtē duceretur, Guido rex in Saladinū mouens, qui
loco irriguo & amœno caſtra poſuerat, repulſus ab hoſte, haud longe caſtrame-
tatus loco iniquo & arido, ſequenti dię ad pugnā cōpellitur, ac magna clade ſu-
peratur, laborātibus ſiti Chriſtianis. In tam vero ſiniſtra pugna capti fere omnes
principes ſunt, maxime aūt Guido rex, & Templariorum magiſter: quorum de
numero multi ſecuri percuſsi ſunt. Hac itaq; victoria potitus Saladinus, Aconē
propere duxit: quā ſtatim Chriſtiani dedidere, cum ſingulis veſtimētis abire per-
miſsi. Eadē quoq; fortuna vſus, Berytū, Byblum, ac maritima omnia occupat.
ſoli Aſcalonitæ munitionibus fiſi, reſponderunt, ſe non niſi poſt captā Hieroſo
lymā deditionem facturos. Multum certe Saladini humanitas & fides, Chriſtia-
nis obfuit. Nemo enim (adeo ſe æqualē omnibus præbebat) eius imperiū aſper-
nabatur. Is itaq; Aſcalonā mouens, decem dierum oppugnationem eam his cō-
ditionibus in deditionem accepit, vt reddito Guidone rege, & templi magiſtro,
quos in vinculis habebat, ciuitatē dedentibus incolis acciperet. Vt hæc autē de-
ditio quamprimū fieret, Saladinus properabat quod iam Tyrum perueniſſe Cō-
radum intellexerat Montis ferrati Marchionē, cum claſſe ab Iſaacio imperato-
re Conſtantinopolitano accepta, cuius ſororē nuper in vxorē duxerat, eoq́; per-
uenturum breui ſuſpicabatur Guillelmū Siciliæ regem cum triremibus xl. At
verò Turci, cum intellexiſſent tanta cū gloria Chriſtianos à Saladino ſuperatos,
æmulatione gloriæ moti Laodiceā profecti, vrbe recepta in Antiochenū agrum
deſcendunt: quo in loco à Chriſtianis tāta clade ſuperati ſunt, quantā Saladinus
Chri-



Chriſtianis intulerat. Oppugnabat tum Saladinus vrbem Hieroſolymitanā, &
quidem acriter: quam tandem ij, qui in præſidio erant, deſperatis ſuppetijs, hac cō
ditione dedidere octauo & octogeſimo anno, poſteaquam à Gotifredo capta fue
rat, vt tantum abeunti cuiq; ferre liceret, quantū ſuis tantūmodo humeris ſuſti-
nere poſſet. Migrantium Chriſtianorum pars Tyrū, pars Antiochiam, pars Ale-
xandriam delata eſt. Inde verò multi deinceps Sicula claſſe in Italiam delati
ſunt. Saladinus autem Hieroſolymam ingreſſus, campanas primo è turribus de-
iecit, mox baſilicas omnes, præter Salomonis templum, prophanauit: quod pri-
uſquam ingrederetur, aqua roſacea lauiſſe ferunt. Manſere Hieroſolymis Chri-
ſtiani Aſiatici, Syriani, Armenij, Iacobitæ, Georgiani, Græci permittente Saladi-
no: qui relicto eo loci firmiſſimo præſidio, Tyrum propere ducit: quam Guillel-
mus publico conſilio, auxilioq́; defendendam acceperat. Hic itaque Siculæ claſ-
ſis auxilio fretus, Saladinum ab vrbe repulit. Verùm cùm poſtea conſtaret homi
nem ferocem Antiochiam oppugnandæ vrbis cauſa, profectum, Vrbanus pon-
tifex, qui omnibus viribus annixus fuerat, ne Hieroſolymæ caperentur, Veneti-
as, comparandæ claſſis gratia, proficiſcens, dolore animi, quem ex calamitate
Chriſtianorum acceperat, Ferrarię in itinere moritur, pontificatus ſui anno pri-
mo, menſe decimo, die vigeſimoquinto.

## GREGORIVS VIII.

GRegorius octauus, patria Beneuentanus, ſummo omnium conſenſu pō- *180. Pont.*
tifex creatus, ſtatim nuncios, & litteras ad principes Chriſtianos mittit,
eos cohortatus, vt viribus omnibus vnà ſecùm cōparato exercitu, terra
mariq; Hieroſolymam ab hoſtibus captam recuperarent. Quo verò id liberius
fieri liceret, ipſe Piſas ſtatim proficiſcitur, vt compoſita inter Piſanos & Genuen
ſes pace, vtrunq; populum bello maritima præpotentem, in ſanctam expeditio-
nem concitaret. Verùm dum hæc intentiore cura vir ſanctiſſimus agit, Piſis mo-
ritur, pontificatus ſui die lvij.

## CLEMENS III.

CLemens tertius, patria Romanus, patre Ioanne, cognomēto Schola- *181. Pont.*
ris, pontificatū iniens, ſtatim de bello in Sarracenos gerendo edictū
proponit. Nā Saladinus ſecundā victorię fortunā ſecutus, iam ciuita
tes quinq; & viginti de principatu Antiocheno cęperat: ipſamq́; An
tiochiam, corrupto largitionibus patriarcha, deniq; occupauerat.
Hanc ob rē moti Chriſtiani principes, bene admonente pontifice arma ſumūt:
quorum de numero præcipui fuere Fredericus imperator, Philippus Franciæ, Ri-
chardus Angliæ reges, & Otho Burgundiæ dux, ſubſequentibus multis epiſcopis
archiepiſcopisq́;. Veneti quoq; & Piſani paratiſſimas eduxere claſſes. Venetę prę-
fuit archiepiſcopus Rauennas, Piſanæ Piſanus præſul. Guillelmus autem Siciliæ
rex, pacato à piratis mari Annonam omnifariam ex Sicilia & Apulia proficiſcē-
tibus ſubminiſtrabat, Friſones præterea, Dani, & Flādrenſes cū quinquaginta tri-
remium claſſe inter nauigandū ad Africę littora flectentes, Sarracenos magis in-
commodis afflixere, capta ac direpta Siluma eorum vrbe. Bela autē Polonię rex,
ſaluti Chriſtianorum conſulens, Vngaris pacē dedit, quò omnibus proficiſci fa-
cilius ad tantam expeditionē liceret. Tyrum iam peruenerant, omnes indeq́; pa
ribus animis è Ptolemaida mouerant, vrbemq́; oppugnabant. tum ſuperueniēte
cum magno exercitu Saladino, & à tergo, & à fronte eodem tēpore contra hoſtē
dimicare neceſſe fuit. Pugnatū eſt diu, atq; acriter & iam ad Chriſtianos victoria
inclinabat, cum equus è manibus gregarij cuiuſdam elapſus, Chriſtianis fugiēdi
initium fecit, arbitrātibus ſuos in fugā verſos. Verùm Gaifredus Luſignanus ad
cuſtodiam caſtrorum relictus, eruptione facta & hoſtes repreſſit, & ſuis animum
ad reſiſtendū dedit. Conſtat tamen ex Chriſtianis ad duo millia eo die cæſos fuiſ-
ſe. Periêre item ex acceptis vulneribus Templariorum magiſter, & Andreas Bre-
menſis comes. Durante autem diutius obſidione, tanta fame obſidentes oppreſſi
ſunt, vt etiā ab hoſte annonam peterēt. Quare Saladinus bene gerēdæ rei oppor-

 tunitatem

tunitatem nactus, caſtra rerum omniũ copia referta ſine vllo cuſtode dimiſit: ad quæ diripiẽda cum paſsim nullo ſeruato ordine Chriſtiani accurriſſent, Saladinus rediens, multo incautos & nil tale opinantes opprimit. Non deſeruere tamẽ tam grauem & diutinam obſidionẽ Chriſtiani, licet ad cætera mala, dyſenteria quoq; in caſtris laboratum ſit: quo quidem morbo & Sibylla Guidonis vxor, & quatuor filij, quos ex ea ſuſceperat, in caſtris periere. Interim verò dũ hæc in Aſia agerentur, Guillelmus Siciliæ rex, Panhormi moritur: cuius regnum ad eccleſiã recidebat, nullo legitimo hærede relicto: licet inſulæ proceres Tancredũ ſtatim ſuffecere, ex Rogerio Normanno, & pellice quadam genitum, hominem certè tantæ ſocordiæ, vt eum Guillelmus negaret ex Rogerio genitum.

Repetiturus itaq; ſua iura Clemens pontifex, copias eò celeriter miſit: quibus dum Tancredus reſiſtit, rapinis, & cædibus omnia repleta ſunt. Mouerat iam copias ſuas in hoſtes Chriſtiani nominis Fredericus, & per Vngariã iter faciẽs, Thraciamq́; iam Conſtãtinopolim peruenerat: quem certè Iſaacio imperator eius potentiam veritus, traijcere Boſphorum ſtatim adhortatus eſt. Transmiſſis itaq; copijs, Fredericus, inſtante etiam litteris & nuncijs Clemente, & Philomeliũ vrbẽ de Turcis capit: & agrum Iconio adiacentem populatur, & Armeniam minorẽ in poteſtatem ſuã redigit. Verùm dum lauãdi cauſa rapidum amnem inexplorato ingreditur, in vndis perijt. Tũ verò eius exercitus in Antiochenum agrum delatus, partim morbo, partim fuga conſumptus eſt. Philippus autẽ, Richardusq́ue reges, Gallico, Tyrrhenoq́; pelago Meſſanã ſimul delati, varia fortuna deinceps vſi ſunt. Nam Philippus proſpera nauigatione vſus, Ptolemaidis portũ attingẽs, Chriſtianorum exercitum, & animos auxit. Richardus verò tẽpeſtate in Cyprũ delatus, cum a Græcis portu prohiberetur, inſulã vi ingreſſus, expugnatam, ſpoliatamq́; firmo ſuorum communiens præſidio, Ptolemaidẽ tãdem in caſtra peruenit. Oppugnabatur tũ acriter vrbs: ſed inerat validum Saladini præſidiũ: quo quidem perſæpe erumpẽte, Chriſtiani magna incommoda recipiebant. At verò Clemẽs omiſſo tantiſper Tancredo, donec Chriſtiani contra Sarracenos dimicãtes, meliorem fortunam nãciſcerentur, ad componẽdas res eccleſiaſticas animũ adiecit. Nam & mores clericorum quorundam non ſatis probatos ſeueritate ſua emendauit, & clauſtrũ ſancti Laurentij extra muros ædificauit, & Laterani ædes non mediocri impenſa reſtituit: tẽplumq́; vermiculato opere, ac muſiuo exornauit. Moriens deinde haud ita multò pòſt pontificatus ſui anno tertio, mẽſe quinto, in baſilica Lateranenſi ſepelitur, ducta ingenti funeris pompa.

*A N N O T A T.*

*Perpetua per annos plus minus quinquaginta inter populum pontificesq́; Romanos, ab Innocentio II. vſque ad Clementem III. diſcordia ciuilis fuit, regiminis Vrbani occaſione excitata: cum populus Romanus pontifici ſuo vrbis adminiſtratione ſubmoto ſenatores, qui reipublicæ præeſſent, cum patricio quodam, ſumma cum auctoritate creaſſent, vt Otho Friſingenſis epiſcopus libro hiſtoriarum 7. & libr. primo de geſtis Frederici imperatoris, capitibus ſuprà citatis, & abbas Vrſpergenſis, item vitarum pontificum incerti nominis ſcriptor bibliotheca Platinæ auctores ſunt. Ex cuius rei occaſione Innocentius II. & Cæleſtinus II. animi dolore defecerunt, Lucius II. penè eſt interfectus. Eugenius III. Alexander III. & Lucius III. vrbe pulſi, Vrbanus III. & Gregorius VIII. exules fuere: donec nouiſsimè tanti diſsidij vtraque parte pertæſa, populus Romanus cum pontifice populari ſuo Clemente iij. pacem æquis conditionibus facit, ſenatoribus confirmatis, patricij vero loco præfecto, quem magiſtratũ aboleuerant, refecto. Huius pacis fœdera, & conditiones cũ omniũ ſubſcriptionibus ex libris cenſuum cameræ Apoſtolicæ excerptas adhuc apud me ſunt. Diuturna deinde quies, & tranquilla eccleſiæ tẽpora fuerũt.*

## CAELESTINVS III.

182. Pont. CAeleſtinus tertius, patria Romanus, patre Petro, cognomento Bubonis, pontificatum adeptus, ægrè ferens Tancredum regno Siciliæ potiri, Conſtantiam rege Rogerio natam, occultè è monaſterio Panhormitano eduxit: eamq́; licet Deo dicatam, Henrico ſexto Frederici Barbaroſſæ filio diſpenſatione apoſtolica in matrimonium collocauit: hac conditione, vt regnum Siciliæ cis, & vltra Pharum dotis nomine repeteret, reſeruato cẽſu, qui pontifici feudatario iure quotannis ſolueretur. Hac autem beneficentia motus Henricus, Tuſculum (quod ipſe firmo præſidio munierat) Cæleſtino reddidit, quod ſtatim Romani à pontifice acceptum, adeo diripuere euertereq́;, vt ſaxa demolitę vrbis in Capitolio vſque ad multam ætatem in memoriam tantę cladis ſeruata ſint.





At verò Henricus, & Conſtantia Neapolim oppugnantes, ſoluere obſidionem coacti ſunt, peſte exercitum populante. Chriſtiani autem, qui biennio Ptolemaidem obſederant, tandem eam dedente præſidio receperunt, his conditionibus, vt & pars dominicæ crucis, quã ſuperius amiſſam diximus, à barbaris redderetur: & eiſdem cum ſingulis veſtimentis abire liceret. At verò cum dominica crux non reperiretur, multos è barbaris Richardus trucidauit. His itaque malis perterritus Saladinus, deſperanſq́ue poſſe reliqua tueri, quarundam vrbium mœnia demolitus, de reddenda Chriſtianis Hieroſolyma cogitauit: quod certè ne faceret, diſcordia inter Philippum Richardumq́ue orta de principatu inter ſe contendentes, effecit. Verùm abeunte ex Aſia Philippo, ſimulato interim morbo, Richardus maiori animo rem bellicam deinceps aggreditur, eo potiſsimum tempore, quo Conradum Monteferratum Tyri in foro agentem, ſicarij duo (arſaculas Sarraceni vocant) gladijs confodere, deuoti prius ac iurati ſe hoſtes omnes ſuæ ſuperſtitionis ea ratione interfecturos. Hi autem poſtea de fuga retracti, exquiſitiſſimis cruciatibus ſunt interẽpti. Henricus verò Campaniæ comes, Iſabella regina in vxorem ducta, Tyri dominatu potitus eſt. At Richardus Guidonem Luſignanum blandè eum appellando, in eam ſententiam tandem adduxit, vt ſibi regni Hieroſolymitani iura permitteret, quem titulum Anglici reges adhuc vſurpãt. Auctus itaque animo Richardus, obſidere Hieroſolymam inſtituerat. Verùm in itinere à Saladino extremum agmen carpẽte vexatus, cum iniquo loco decertare neceſſe eſſet, hoſtem magno ſuorum incommodo tãdem ſuperat. Qui poſtea non longe à Bethleem munitiſſimo loco caſtrametatus, intercipere commeatus inſtituerat, quò minus ab Aegypto ad Chriſtianos Hieroſolymam obſeſſuros importarentur. Ob hãc itaque cauſam, & ob hyemem, quæ iam appetebat, Richardus relicta tam neceſſaria obſidione, ad quam pontifex eum cõtinuo ſubminiſtratis pecunijs animabat, Aſcalonam conceſſit: quam pariter, & Gazam à Saladino antea deletas inſtaurauit. Dilabentibus deinde paſsim maritimis copijs, Piſani in hadriaticum delati, Polam capiũt, eo loci hybernaturi. Hãc ob rem Veneti aucta maiorem in modum ſua claſſe, Piſanos Pola eijciunt, vrbẽq́ue diripiũt: eos quouis in loco perſecuturi, ni Cæleſtinus reip. Chriſtianæ cauẽs, vtrunque populum ad pacem cohortatus fuiſſet. Inſtabat iam ver, & mouere copias Hieroſolymam Richardus inſtituerat, cùm ſubito nunciatum eſt, regẽ Franciæ Normanniam ea mente vexare, vt in Angliam traijciens, regnũ illud fratri Ioanni acquireret. Mutata itaq; ſententia Richardus pacem cum Saladino cõponit, his conditionibus, vt ſibi omnia præter Tyram & Ptolemaidem haberet: reliqua autem, quæ in poteſtate Chriſtianorum remanerent, nequaquã vexaret. Ictis hoc modo fœderibus, Richardus in Europam rediens, ab hoſtibus capitur. Redẽptus autem ingenti pecuniæ vi, tandem in Angliã proficiſcens, ſæpe cũ rege Frãciæ decertauit, inclamante pontifice, qui ſuo, ac Chriſtianorum omniũ iniquo tempore tantum certamen excitaſſent: maximè verò, quòd Saladino mortuo tũ maximè recuperari Hieroſolyma poſſet. Ferunt Saladini viri clariſſimi trophęũ hoc in funere habitũ. Eius enim interior tunica lancea ſuſpenſa, ante funus deferebatur præcone clamante, Saladinum Aſiæ dominatorẽ, ex tanto regno, tãtiſq́; opibus nil aliud ſecum ferre: Dignum ſane tanti principis ſpectaculum, cui nil aliud ad ſummam laudem defuit, quàm Chriſti character.

Tum verò Saladino mortuo, Cæleſtinus in magnã recuperandæ Hieroſolymæ ſpem veniens, Henricum imperatorem, qui mortuo Tancredo regnũ Siciliæ occupauerat, ad bellũ Aſiaticum adhortatur: quod cum ipſe obire nõ poſſet, eò Maguntinum archiepiſcopum, & Saxoniæ ducem cũ magnis copijs properè mittit. Idem quoq; feciſſet & Franciæ rex, ni Sarraceni Mauritaniã incolẽtes, in vlterioremq́; Hiſpaniam traijcientes, capto rege Caſtellæ, Bæticã omnino cępiſſent, quæ hodie Granata dicitur. Non enim quieturos barbaros Galli arbitrabantur, tanta victoria elatos, ſed illaturos bella finitimis. Hanc itaq; ob rem militẽ in Europa retinebant. Germani verò in Aſiam traijcientes, & Berytũ à Sarracenis deſtitutũ minuêre, & Ioppen obſidione preſſam liberauerũt: petituri deinceps Hieroſolymam, ni Cæleſtino tũ mori cõtigiſſet, pontifici ſanctiſsimo: & qui nil in vita prætermiſit,

termiſit, quò terra ſancta (ita enim Hieroſolymas vocant) recuperaretur. In tãtis autẽ perturbationibus rerum, tantoq; ſumptu bellico ædes egregias, tum apud ſanctum Petrum, tum ad Lateranum ædificauit, qua recipi põtifices percõmodè poſſent. Extant adhuc in Laterano valuæ æneæ è regione ſancta ſanctorũ ſuo iuſſu, ſuaq; impenſa fabrefactæ. Præterea verò ciuitatis nomen Viterbio dedit: eccleſiamq; eorum cathedralem fecit: Tuſcanenſem & Cẽtumcellenſem ita in eandẽ transferens, vt vnus epiſcopus omnibus præeſſet. Moritur autẽ Cæleſtinus pontificatus ſui anno ſexto, mẽſe ſeptimo, die vndecimo, ſepeliturq; in baſilica Petri, bonis omnibus, præ dolore, & deſiderio hominis, lachrymantibus.

## INNOCENTIVS III.

183. Pont. INnocentius tertius, patria Anagninus, patre Traſimundo è familia Comitũ, vir etiam ante pontificatum doctrina & moribus inſignis, à Cæleſtino in numerum cardinalium refertur: quo mortuo, in eius locũ omnium conſenſu pontifex ſufficitur. Hic autem ſtatim vbi magiſtratum inijt, bello Aſiatico animum adijciens, Germanos propter Henrici mortẽ in Aſia tumultuantes retinere in officio litteris, nũcijs, præmijs, pollicitationibus conatus eſt. Verùm id quidem fruſtra tentauit. Germani enim nemini obtemperantes, relicta Aſia, in Europam cum maximo Chriſtianorum detrimẽto tranſeunt: potiſſimùm verò Ioppenſiũ, in quos omni ope deſtitutos delati Turci, Sarraceniq; etiã deditionem facturos, vi captos ad vnum omnes interfecere, euerſa ſtatim à fundamentis vrbe. Orta & in Germania ſeditio nõ parua eſt, cũ pars electorũ Othonẽ Saxoniæ ducem, pars Philippum Germanum Sueuiæ ducem, quem Henricus tutorem filij moriens reliquerat, imperatorẽ optaret. Et ne quid mali ad perturbanda omnia deeſſet, rex Franciæ, Philippo, Othoni rex Angliæ fauebat. At verò Innocentius ne tumultu omnia complerentur, Othonem imperatorem confirmat, legitimè ab his, ad quos pertinebat, electum. Non deſtitit tamen Philippus ob hanc rem, & Etruriam in Italia, & Sueuiam in Germania firmo præſidio munire. Idem fecit & Conſtantia Henrici vxor, quæ Frederici ſecundi filij ſui adhuc pueri Siciliæ regnum cis & vltra Pharum præter conditionem ſexus, ad propulſandam vim hoſtium conſtãtiſsimè muniuit. Increbeſcentibus itaq; hoc modo diſcordijs, non omittendum bellum Aſiaticum Innocentius ratus, ſua auctoritate & Bonifacium Montisferrati Marchionem, & Balduinum Flandrię, & Henricum ſancti Pauli, & Ludouicum Sabaudiæ comites in Sarracenos mouit.

Hi autem omnes coniunctis copijs Venetias delati, non prius Venetos perpulere claſſem in Turcos & Sarracenos armate, quàm polliciti ſunt omnes paribus animis Iaderam, quæ iterum ad Vngaros defecerat, recuperaturos. Comparata itaque claſſe, & Tergeſtinos mare infeſtantes compeſcunt, & Iaderenſes poſt longam obſidionem capiunt. Agebantur hæc in ſinu Hadriatico, cum Alexius Iſaacium fratrem imperatorem Conſtantinopolitanum, quo Latini amiciſſimo vſi ſunt, imperio depulit, & captum oculis in vincula coniecit. Hanc ob rem Alexius adoleſcens Iſaaci filius, ex fuga in caſtra perueniens, opem pro patre contra tyrannum petit, quæ profecto hac conditione ei conceſſa eſt, vt & Græcam eccleſiam Romanæ ſubijceret: & auri marcas xxx. millia perſolueret ob damna, quæ olim Emanuel imperator Venetis Franciſque intulerat. Hoc autem modo ictis fœderibus ab Iadera mouentes, dum Cretam præterlabuntur, eam puer Alexius in deditionem accipiens, Bonifacio Montisferrato ſibi cognatione coniuncto condonauit. Inde verò Conſtantinopolim profecti, dum terra mariq́ue vrbem oppugnant, Theodorum Laſcari, Alexij tyranni generum erumpere conantem, intra mœnia retrudunt, vrbemq́ue biduo continuata oppugnatione vi capiunt. Aufugerat noctu Alexius, relicto magno auri pondere apud Irenem virginem Deo dicatam. Redeuntes itaque in vrbem pater Iſaacius & filius Alexius, non diu ſuperuixêre. Pater enim morbo, filius autem veneno penitus interiere. Interea verò Bonifacius Mõtisferratus regno Theſſalię potitus, cum pecunia indigeret, ſuadente Balduino accepta ingenti vi auri, Cretam Venetis dedit. His autẽ pecunijs fretus Bonifacius, Hadrianopolim à tyrãno preſſam oppugnãs, & Valachos olim Romanos vlteriorem Danubij ripam incolẽ-

tes,



tes, & Bulgaros vicinos in ſe excitauit. Multitudinem itaque hoſtium timens, Conſtantinopolim petijt, Soldano Iconij iturus obuiam, qui Satellia vrbe Gręca capta, maximis calamitatibus Chriſtianos quotidie vexabat. Innocentius autem tot hoſtibus vndiq; laceſsitus, conquiſitum vndequaq; militem continuò ſubmittebat. Qui vbi accepit Hilminolinum maxima claſſe in Hiſpaniam traieciſſe, Toletumq; oppugnare, publico edicto omnes, qui ferre arma poſſent, ad extinguendum tantum incendium concitauit. Conuenerant eò multi Galli opem Hiſpanis allaturi: qui ſtatim in patriam rediere, vbi aduentum ſuum Hiſpanis minimè gratum ſenſere. Hanc ob rem Hilminolinus vtranque Hiſpaniam incredibili celeritate hoſtilem in modum peruagatus, Arelatum vſque, & Auinionem perueniens, cædibus omnia, & populationibus compleuit. Hac autem calamitate perciti quatuor Hiſpaniæ reges, Caſtellæ, Arragoniæ, Portugalliæ & Nauarræ, copijs ſimul iunctis, cum Sarraceno congreſsi, maximam victoriam adepti, nil præter Granatam Hilminolino reliquere.

Oborta tum apud Toloſam hæreſis eſt, quam Innocentio procurante beatus Dominicus, qui poſtea in ſanctos relatus eſt, mira celeritate compeſcuit, adiuuante etiam Simone Monteforti. Non enim diſceptationibus verborum tantum, verùm etiam armis opus fuit: adeo inoleuerat tanta hæreſis. *Dominicus hæreſim apud Toloſam compeſcit.*

Otho interim Romanorum imperator, vbique à Philippo ſuperatus, cum in Agrippina Colonia obſideretur, eruptioneq́; infeliciter tentaſſet, à Colonienſibus excluditur, qui ſtatim Philippo deditionem fecere. Non diu tamen ſuperuixit Philippus: à comite nanque Palatino inſidijs petitus necatur. Cognita verò huius morte, Germani ducem Saxoniæ imperatorem deligũt, Othonẽ quintum appellatum: quem Innocentius ſequenti anno Romæ coronauit. Veneti autem tum maximè rei maritimæ ſtudentes, cum obire omnia publicè nõ poſſent, priuatis etiã ciuibus negotiũ dedere, vt qua vellent inſulas occuparẽt, modo in fide reip. permanerẽt. Vnde multi ciues inſulas Ionij & Aegei occuparũt, publicè tamẽ Corcyram, Motonium, Coronum in ſuam redegere poteſtatem.

Otho verò, quem diximus ab Innocentio coronam imperij ſuſcepiſſe contra ius faſq́; occupatis Monteflaſcone, Radicofano, multiſq́; eccleſiæ Romanæ oppidis, in regnum Neopolitanum mouẽs, id adoleſcenti Frederico ſecundo ſublaturus, cuius ob ætatem curam tutores adhuc gerebant, iram pontificis in ſe concitauit: à quo & anathemate notatur, & imperij titulis priuatur, cum monitus vt ab iniuria diſcederet, parere deſierit. Hãc ob rem Boëmiæ rex cum Maguntino & Treuerenſi archiepiſcopis, Lantgrauio Turingiæ, atque Auſtriæ duce ſuadente, Fredericum ſecundum Siciliæ regem, vigeſimum agentem annum, Romanorum imperatorem deligunt. Otho itaque in Germaniam rediens, paternæ ditioni conſulturus, Innocentio recuperandi omnia, quæ in Italia cæperat, facultatem dedit. Veneti autem rebellantem Cretam in fide armis continentes, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo quartodecimo, eandem in Coloniæ formam redegêre, miſsis eò ciuibus, qui Cretenſes in officio continerent. Venerat tum Romam Fredericus ſecundus coronæ gratia: quam vbi ab Innocentio impetrare nequiuiſſet in Germaniam profectus, regni Germaniæ diadema à Maguntino archiepiſcopo accipiens, cum Ludouico rege Franciæ amicitiæ & fœderis ſocietatem inijt: qua quidem amicitia Ludouicus ipſe fretus, Ioanni Angliæ regi bellum ſtatim intulit. Verùm Ioannes auxilio diuino & humano vſurus, Angliam Hiberniamq́ue Romanæ eccleſiæ vectigales faciens, centum auri marcas quotannis ſoluturum ſe pollicebatur, quod poſtea aliquandiu ſeruatum eſt. Fredericus autem Othonem perſequens, à Ludouico rege Franciæ graui bello ſuperatum Aquiſgranum cœpit: ibiq́; iterum Innocẽtij pontificis auctoritate fretus, vexillum crucis ſuſtulit: laturus (vt ipſe dicebat) opem, & quã primùm, Chriſtianis contra Sarracenos in Aſia dimicantibus. Præterea verò vt grati animi ſignum aliquod præ ſe ferret, Fundanum comitatũ eccleſiæ Romanæ dono dedit: vel datum antea, & vſurpatum deinceps, reddidit: At pontifex, vbi videret Sarracenorum potentiam in Aſia concreſcere, apud Lateranũ maximum cõcilium celebrat, cui interfuere Hieroſolymitanus, Cõſtantinopo-

tinopo-

tinopolitanus patriarcha, Metropolitani lxx. epiſcopi quadringenti, duodecim abbates, priores conuentuales octogenti, Grçci & Romani imperij legati, regum verò Hieruſalem, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ & Cypri oratores. Venere multa tum quidem in conſultationem, nec decerni tamen quicquam apertè potuit, quòd & Piſani & Genuenſes maritimo, & Ciſalpini terrreſtri bello inter ſe certabant. Eò itaque proficiſcens tollendæ diſcordiæ cauſa pontifex, Peruſij moritur, pontificatus ſui anno decimo octauo, menſe ſeptimo, die decimoſexto, cuius vita adeò probata fuit, vt poſt eius mortem nil earum rerum, quæ in vita egerit, laudauerit, improbaueritque, immutatum ſit. Nam et decreta pleraque retulit, quibus tam laicorum, quàm clericorum mores cõponerentur. Scripſit & libros de ſacramento euchariſtiæ, de ſacramento baptiſmi, de infelicitate conditionis humanæ. Habuit item ſermones temporibus & ſolennibus diebus accomodatos. Improbauit præterea abbatis Ioachimi libellum quendam, non ſanam doctrinam præ ſe ferentem. Damnauit & errores Almerici hçretici, qui poſtea Pariſijs cum ſectatoribus ſuis exuſtus eſt: qui ad reliquos errores affirmabat ideas, quæ ſunt in mente diuina, & creare & creari, cum & ſententia beati Auguſtini in mente diuina nil niſi æternum & incommutabile ſit. Dixerat præterea in charitate conſtituto nullum peccatum imputari. Iuuere autem huius pontificis virtutem & doctrinam beati Dominici, vnde Prædicatorum; & Franciſci Aſſiſinatis ſanctitas, vnde Minorum ordo tum originem habuit. Sunt qui ſcribãt & Gratianum compilatorem decreti, & Papiam Lombardum, qui vocabula Latina in ordinem redegit, tempore Innocentij fuiſſe. De Papia non ambigitur: Gratianum *Hoſpitale ſancti ſpiritus cõditur* Alexandri tertij pontificis temporibus quidam adſcribunt. Et ne exiſtimes Innocentium opera pietatis in tanto pontificatu prætermiſiſſe, ſcito eius opera & impenſa hoſpitale ſancti ſpiritus conditum fuiſſe, auctumq́ue adeo magnis prouẽtibus, quibus & peregrini, & ægroti, & vulgò concepti ac orphani alerentur. Ornauit & altare ſancti Petri opere vermicolato, vt eius imago, & litteræ in fornice ipſo ſcriptæ indicant. Vniuerſis præterea vrbis Romæ eccleſijs libram argenti dedit, vnde calices ſacrificãdi gratia conficerentur. Reſtituit & beati Xyſti eccleſiã iam vetuſtate collabantem. Hoc ideo factum ab eo maledici dicebãt, ne omnem impenſam in turrim quandam, nunc Comitum appellatam cognomento familiæ ſuæ tranſtuliſſe videretur. Vtcunque eſt, conſtat eum in quouis genere vitæ probatiſsimum fuiſſe, dignumq́ue, qui inter ſanctos pontifices cenſeatur.

## HONORIVS III.

*184. Pont.* HOnorius tertius, patria Romanus, patre Americo, omnium ſuffragijs pontifex creatur, ad quem Petrus imperator Conſtantinopolitanus cum Iole vxore veniens, in baſilica ſancti Laurentij extra muros coronatur, deligiturq́ue ſtatim Ioannes Columna cardinalis Romanus, qui legatus ad res Aſiæ componendas cum ijs copijs proficiſceretur, quas Innocentius ad eam rem collegerat. Peruenerant iam Aconem Chriſtiani proceres Honorio hortante: maximè verò Andreas Vngariæ rex Venetorum nauagio fretus, quibus ob tantum beneficium ius omne conceſsit, quod in Dalmatia dux Auſtriæ habuerat.

Andreã quoque ſecuti ſunt & Henricus comes Niuernenſis, & Gualtherus regis Franciæ camerarius. Hi autem omnes inito conſilio cum Ioanne Hieroſolymitano rege, Damiatam Aegypti vrbem obſidere inſtituentes anno ſalutis milleſimo ducenteſimo ac decimooctauo, menſe Maij eò proficiſcuntur. * Heliopo*falſum.* lis hçc vrbs quondam appellata eſt, ab Aelio Pertinace, qui eam triplici muro circundedit, deducta Nili particula, quç vrbem in inſulæ formam redigeret. Suburbia habebat circunquaque poſita plena mercimonijs, hæc primo miles diripuit. Verùm cum poſtea flantibus zephyris Nilus in immẽſum creuiſſet, corrupta annona, laborare inopia rerum Chriſtiani tum cœpere, præcipuè autem obſidente aditus Soldano, ne quid importaretur, qui non longè à noſtris caſtra poſuerat. Hac itaque difficultate rerum moti Chriſtiani, in Soldanum copias mouent. Is autem terrore perculſus, relictis caſtris rerum omniũ copijs refertis, noſtris obſidendi vrbem quam liberaturus venerat, facultatem præſtitit. Cordirius autem





magni Soldani filius, Hieroſolymæ retinendæ ſpem abijciens, ſi Damiata Chriſtiani potirentur, dirupto vrbis muro, turrim Dauid, & templum Domini tantummodo integrum reliquit: nec ſepulchrum Chriſti violauit, motus (vt aiunt) illorum Chriſtianorum precibus, qui ea loca incolebant. Dum noſtri autem Damiatam acriter oppugnant, Soldanus cum maioribus copijs rediens, inter Cairum, & Damiatam caſtra poſuit, nec vnquam elici ad certamen conuicio, aut maledicto potuit. Hac verò indignitate moti Galli, ſine ordine in eos ruentes, magnum incommodum ab erumpentibus accepêre, non tamen obſidio Damiatæ relicta eſt, quæ tandem menſe decimoquinto à Chriſtianis capitur: direpta, militem ingenti præda locupletauit.

Interim verò Honorius Romæ & ordinem beati Dominici ipſo inſtante *Ordo Dominici cõfirmatur.* confirmat, & Fredericum ſecundum anathemate notatum, imperij dignitate priuat; quòd mortua matre Conſtantia, quæ ipſum in officio continebat, Romam veniens, contra ius faſq́ue ditionem pontificiam vexabat. Hanc igitur ob rem motus Soldanus, quod de inimicitia pontificis & imperatoris ei conſtabat, maiorem, quàm nunquam antea, comparauit exercitum, arbitratus Chriſtianos nuſquam apparituros, qui ſtatim ſuadente Ioanne Columna cardinali Romano ſumpti armis, hoſti ad Nilum obuiam fiunt.

Is verò timorem ſimulans, ne à loco, in quo conſederant, abirent, Nili excreſcentiam expectauit, quæ paulò pòſt apertis vndique ipſius fluminis cataractis, ita omnia inundauit, vt cubitum quouis in loco excederet. Hoc autem malo perterriti Chriſtiani, pacem ſtatim hac conditione inîere, vt Damiata relicta, captiuis vtrinque dimiſsis, reddito à barbaris crucis ligno Chriſtianis, Aconem, Tyrumq́ue redire liceret. Damiata itaq; in celebritate purificationis beatæ Virginis à Chriſtianis prius habitari cœpta, in eiuſdem natali die barbaris tum ex fœdere reddita eſt, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo & vigeſimoprimo. Quo quidem anno Tartari gens Scythica, vel, (vt alij volunt) à montibus Indiæ digreſſa, vaſtata Parthia, Media, Perſia, Aſſyria, Armenia, in Sarmatas tandem peruenit: atque non longè à Mæotidos palude concedentibus accolis ſedes poſuit.

Chriſtianorum autem duces, cum moliri in Aſia nil poſſe viderent, obſtantibus hoſtibus, cum Ioanne Columna in Italiam redeunt, quos ſubſecutus Ioannes Hieroſolymitanus rex, cum Romam veniſſet, perbenignè magnis donatus muneribus ab Honorio ſuſcipitur. Frederico deinde, quem diximus anathemate pontificis notatum filiam ex Iole vxore ſuſceptam, in matrimonium locat, eiq́ue ius illud condonat dotis nomine, quod ſibi hæreditario iure in regno Hieroſolymitano competebat. Hinc eſt quod omnes Siciliæ, Neapolitaniq́ue reges, titulum Hieroſolymitani regni verbis, non etiam armis ſibi vendicant. Ioannes deinde in Franciam proficiſcens, meliore certè fortuna quàm antea vſus eſt. Nam Philippus rex Franciæ moriens, ei ex teſtamento quadraginta millia librarum argenti, totidemq́ue magiſtro templi Hieroſolymitani reliquit: quo adminiculo fretus, in Hiſpaniam proficiſcens ad perſoluendum votum beato Iacobo promiſſum, Berengàriam regis Hiſpaniæ ſororem in vxorem accipit: eo præſertim anno, quo Dominicus vir ſanctiſsimus Bononiæ moritur, quoq́ue Fredericus Henricum filium decennem adhuc, Alemanniæ regem promulgat. Honorius autem ſatis à rebus externis quietus, & eccleſiam ſancti Laurentij extra muros, & baſilicam Sancta ſanctorum, & eccleſiam ſanctæ Vibianæ reſtituit. Aedes præterea Caſæ Marij ædificauit: ſemifornicem, & Ciborium beati Pauli miris operibus exornauit. Decretales quoque epiſtolas compilauit. Ordinem beati Franciſci comprobauit, quem biennio pòſt, Gregorius in catalogum ſanctorum retulit. Hoc autem modo Honorius benè ac beatè vitam ducens, vt bonum paſtorẽ decebat, anno pontificatus ſui decimo, menſe ſeptimo, die decimotertio moritur, ſepeliturq́ue in baſilica ſanctæ Mariæ maioris ad Præſepe. Poſt cuius mortem tanti terræmotus repentè exorti ſunt, vt in montibus Saluijs ad quinq; millia hominũ perijſſe conſtet, cadẽtibus domibus, ſaxiſq; ex cacuminibus montium in habitatas conualles paſſim ruentibus.

# GREGORIVS IX.

185. Pont.

GRegorius nonus, natione Hernicus, patria Anagninus, è familia Comitum, Innocentij tertij nepos, apud Septizonium pontifex creatus, Fredericum ſtatim monuit ſub anathematis pœna, vt primo quoq; tēpore in Aſiam cum exercitu proficiſceretur recuperandæ Hieroſolymæ cauſa. Promiſit quidem Fredericus ſe id facturum: atque omnibus cruce ſignatis mandauit, vt Brūduſij ad certam diem cum armis adeſſent. Venerat eò magna multitudo, pręcipuè verò è Germania Lantgrauius Haſſiæ, qui Brunduſij vnà cū magna parte militum moritur, dum Fredericus ægritudinem ſimulās in Sicilia ſe continet. Hæc autem fraus ita apertè deprehenſa eſt, vt conſtet ipſum Fredericum cognita Lantgrauij morte, eò celerrimè adnauigaſſe, omnēq; eius ſupellectilem diripuiſſe: nō deſtitit tamē fingere ſibi in animo eſſe in Aſiam traijcere. Eò enim poſt rapinā nauigationem direxit, omnibus qui tum aderāt ſubſequi iuſſis, licet nō ita multò pòſt (vt ipſe dicebat) procellis agitatus, Brunduſiū redierit. Hac autē fama percitus Ioannes rex Hieroſolymitanus, cū Berengaria vxore pōtifici rem gratā facturus Bononiam venit, Venetorum nauigio in Aſiam traiecturus. Verū pontifex cognita Frederici fraude, ne Ioanni re infecta abire liceret, eum & Exarchatus Rauennatis gubernatorem inſtituit, & Honorij tertij ſententiā in Fredericū latam, confirmauit: grauioraq́; in eum molitus fuiſſet, ni Maurorū impetum reformidaſſet, claſſe tum potentiam, quos tandem Ferdinandus Arragonū rex tanta clade ſuperauit, vt breui Maiorica inſula, vna ex Balcaribus, & Valētia vrbe potitus ſit, pulſis Sarracenis, incolas locorū ſuſcipere Chriſtianos ritus impulerit. Nauigauit tandem Fredericus amicorū precibus & minis pontificis feſſus, in Cyprum vſq;, vt Chriſtianis in Aſia bellantibus, quos ſæpe deceperat, aliquam ſpem daret. At verò dum inde Soldani vires explorat, Rainaldus eius præfectus, quē in Sicilia dimiſerat, in pontificem mouēs, multa Picentini agri oppida occupat. Erat tum Peruſij pontifex, Aeſiſium petiturus, vt quæ de Frāciſco viro ſanctiſſimo miracula audierat, pręſens cognoſceret. Quam ob rem eum re (quemadmodum audierat) comperta, in ſanctorum numerū ſtatim retulit, magno Chriſtianorū conuentu ob eā rem habito. Dum hæc à pontifice agerentur, alter Frederici ſatelles Fulgineum per factionem occupat: vnde paulò pòſt armis benè cum eccleſia Dei ſentiētium depellitur. Inſtabat litteris, nuncijs, Fredericus Anconē iam profectus, vt à pontifice abſolueretur, quod diceret ſe deinceps in eius poteſtate futurū. Verùm pontifex cognita hominis fraude, & Chriſtianos milites in Aſia dimicantes admonet, vt ſibi à Frederici inſidijs caueāt, aliquid noui ſemper machinātis in hominum perniciem: & Ioannem Hieroſolymitanum regē cōparato exercitu in Rainaldum mittit, Picenum agrum rapinis & incendijs vexantē. Alijs verò copijs, quibus cardinalem Columnam præfecerat è ſancto Germano præfectū Frederici deijciens cum Sarracenis mercede conductis, omnia ab eo ſaltu Capuā vſq; pertinētia, in deditionem breui recepit. Hac autem calamitate moti, qui in Vmbria & Picentibus Frederici nomine militabant, relictis quæ occupauerāt, in regnum trepide redeunt. Interim verò Fredericus Brūduſiū rediens, pacis admodum cupidus, vltro pōtificē rogat, vt in gratiam recipiatur, imperatorq́; appelletur, ac pro regno Siciliæ verus eccleſiæ feudatarius. Quod quidē non prius impetrauit, quàm vncias auri centum & viginti millia eccleſiæ Romanæ ob illata dāna perſoluiſſet, ipſeq́; pro ea re ſupplicatum ad pontificem Anagniā veniſſet. Cū autem Gregorius ad omnia intētus (vt bonum paſtorem decebat) Peruſinorum res ab exulibus perturbatas, eò profectus cōponere ſtudioſus eſſet, ſtatim Romæ tanta ſeditio orta eſt & hæreſis, quanta nunquā antea, Hannibale ex gente Hannibalda cum quibuſdam ſacerdotibus malè ſentiente, quo quidē auctore populus Romanus auſus, in eccleſiam Dei coniurauerat, ſed hunc diuina vltio cito cōpeſcuit. Nam & Tiberis ſupra modum inūdans, multa damna mortalibus intulit: & tanta peſte laboratum eſt, vt decimus quiſq; vix ſuperfuerit. Pontifex tamē mira clemētia vſus, Romā veniens, populo Romano ignouit, pulſo è ſenatorio ordine Hannibaldo, conuictis de hæreſi ſacerdotibus errorem faſſis, ac ſaniorē opinionem ſubire iuſſis. Adornandā verò vrbem deinde conuerſus, & veteres cloacas





cas elimatas reſtituit, & nouas extruxit, vrbis dignitati, & valetudini vno tēpore conſulens. Ab vrbe deinde abiens valetudinis gratia, & Reate (vt quidam volūt) beatum Dominicum, principem ordinis Prædicatorum, & Spoletij Antoninū, Vlyxibona oriundum, Patauij mortuum, ſecundū à Franciſco ordinis Minorū auctorem, in ſanctos retulit. Anagniā deinde rediēs, omnia circumquaq; poſita muniuit, Romanorum contumaciam veritus: quorum ſenator more veterū legē rogauerat, populusq́; ſciuerat, vt omnia oppida circa vrbem poſita Romanis vectigal penderent: non eſt tamē veritus pōtifex diſſuadentibus cardinalibus Romam proficiſci, quò Romanos ad ſanitatem reduceret, tum monendo, tū caſtigando. Verùm cum nihil proficeret, Reate ſe contulit, quò & Fredericus imperator. Collocuti ſimul de rebus agendis, in hanc ſtatim ſententiā venere, vt primo quoq; tempore Romanos coniunctis copijs adorirentur. Decepit tū quidem pōtificem, vt antea ſemper, Fredericus. Nanq; in Germaniam abiens, militibus ſuis mandauit, vt Romanis rebus in omnibus obtemperarent. Hac itaq; perfidia pontifex motus, Germanis militibus ad caſtra ſua confugientibus magnū propoſuit præmium, qua re tanta multitudo confluxit, vt poſtea Romani aperto marte cū eccleſię copijs congredi nuſquam ſint auſi. Recuperato igitur & patrimonio ſancti Petri, & agro Sabino, ſpretisq́; Soldani legatis, qui ſuppliciter pacem petebāt, multos ex Franciſci & Dominici fratribus per Europam miſit, qui prędicatione Chriſtianos ad arma contra Sarracenos concitarent: quorū opera tanta multitudo militum breui comparata eſt, quanta nunquā antea. Interim verò dum tāto exercitui dux idoneus quæreretur, Eliſabet regis Vngariæ filiam, mulierem optimam, ac miraculis claram, pontifex in ſanctas retulit. Theobaldus autē Nauarrę rex & Aimericus Montisfortis, Henricusq́; Bari ac Campanię comes, iter per Germaniam & Vngariam cum magnis copijs facientes, Conſtantinopolim primò, mox traiecto Boſphoro Ptolemaidem peruenere, lōgè ac latè omnia populātes. Verùm non ita multò pòſt ſuperueniente magna hoſtium multitudine, cùm ſe cædendo biduo defendiſſent, cum optimo quoq; milite cadunt. Atq; hoc modo expeditio magno conatu inchoata, breui cecidit imperitia ducū, Pontifex autē tantā calamitatē ęgrè ferēs, Romam perſuadentibus Romanis & obſecrantibus redire inſtituerat, faciendarum ſupplicationum cauſa ad placādam Dei iram, ſi quam ex peccatis hominum conceperat. Quo minus autem id faceret, vetitus à Petro Fregepane, qui partes imperatoris ſequebatur, Peruſia Viterbium ſe cōtulit, iturus contra imperatorem armato milite: quem intellexerat trāſpadanā Italiam iam tum attigiſſe, ac contra ius faſq́; ſocias ciuitates oppugnare iā feſſas calamitate, alia ſuper aliam ab Ecelino Patauino tyranno accepta. Ecelinus enim cognomēto de Romano, cuius auus Teutonicus ſub Othone tertio in Italia ordines duxerat, copias à Frederico ſecūdo accipiens, magnam tyrannidem in trāſpadana Italia ſibi comparauit, redactis in poteſtatem ſuā Taruiſio, Patauino, Vicentia, Verona, Brixia. Fredericus itaque aui fœdera nequaquam obſeruans, Mediolanēſes, & ſocias ciuitates apud nouam Curtem (ita enim locus vbi pugnatū eſt, appellabatur) ingenti clade ſuperatos trucidat. Hanc ob rem pontifex omiſſa deinceps ſpe rei benè gerendę, ob illatum ſocijs incōmodum, redire ad vrbē inſtituit, Ioanne Cincio vrbis ſenatore contradicente: cuius audaciam Iacobus Capocius Romanus ciuis infringens, pontificem magnificè ac ſplendidè ſuſcepit. Hic eſt ille Iacob9, cuius nomē adhuc legitur in tabernaculo opere muſiuo ſua impēſa extructo in ſancta Maria ad Præſepe, qua in baſilica Petrus quoq; Capocius ſepultus eſt, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis, qui Fredericum imperatorē ſchiſmaticum perſecutus eſt, quiq́; & hoſpitale ſancti Antonij non longè ab eadē baſilica, & Peruſij gymnaſium (quod Sapientiam vocāt) ſua impenſa extruxit. Gregorius autē pacata vrbe, & Fredericum iterum anathemate notat, ac imperio priuat, & legatos Genuenſium, ac Venetorum iā ad arma ſpectantium, componēdę rei cauſa ad ſe vocat, hisq́; rationibus inter vtrūq; populum fœdera cōponit, ne alter ſine altero cum imperatore Conſtātinopolitano fœdus ineat, vtque bella gerenda vtriq; communia eſſent, & ſigna vtriuſq; viciſſim ferrent. Illis autē, qui fœdera hæc in nonum inita annū rupiſſent, interdictū ſibi à ſacris, anathematis

*Pōtifex ab imperatore deceptus.*

*Eliſabet regis Vngariæ filia.*

vinculo ſcirēt. Balduinus autem, qui mortuo Ioanne, biennio, Conſtātinopolitanum tenuerat imperium, cū ægrè ſe ab hoſtibus inopia ærarij tutaretur, & filiū pignori mercatoribus Venetis, ob æs mutuo acceptum, dedit: & ex ædibus ſacris ablatum plumbum, ac item lanceā illam, ſpongiamq́;, qua Chriſtus ſaluator noſter hinc potus eſt, hinc vulnus accepit, Venetis pecunioſis vēdidit. Fredericus autem Venetis admodum infenſus, quòd Gregorij partes tuerentur, eos tum paludibus cōcluſos vehementer oppreſſit, ac maximis calamitatibus afflixit. Interim verò conſpirantibus omnibus Trāſpadanis ciuitatibus, duce Gregorio Montelōgo, Bononienſis ciuitatis legato, Ferraria, quæ ab eccleſia Romana ad imperatorem defecerat, capitur, Salinguerra viro fortiſſimo eā acerrimè aliquādiu defendēte. Capta autē, Azoni Eſtenſi, qui bello interfuerat, eccleſiæ nomine gubernāda cōmittitur, ſalutis noſtræ anno milleſimo ducenteſimo ac quadrageſimo. At verò imperator, qui tū Piſis erat, cùm nō ſatis ſibi cōſtaret, qui partes ſuas, quíue pontificis ſequerētur, ciuitates Italiæ in duas factiones tū primū diuiſit. Nam

*Guelphi & Gibellini.* qui pōtifici fauebāt, Guelphi, qui verò imperatori, Gibellini appellati ſunt. Hæc quidem teterrimarum factionū nomina, ad perniciem humani generis inuēta, primùm apud Piſtorienſes audita ſunt, cùm cancellarij Pāzaticos Gibellinos ab vrbe eieciſſent, cumq́; alteri factioni Guelphq́;, alteri Gibel Teutonici fratres fauerēt, vnde tantę perniciei nomina indita ſunt. Florentini pręterea nobiles ſuos Piſanis Gibellinarum partium fauentes, in exiliū eijciunt. Pellunt & Guelphos viciſſim ab vrbe ſua Arretini, & Senenſes, quorum exēpla multæ ciuitates Italiæ ſecutæ, bella pluſquam ciuilia inter ſe cōmiſere. Hinc multę ciuitates à pontifice deſciuere, tum in Vmbria, tum in Etruria, præcipuè autem Viterbienſes. Defeciſſent etiam Romani ciues, ni pontifex delatis per vrbem ſupplicando apoſtolorū capitibus, populum ad cōmiſerationem mouiſſet, habita etiā in baſilica ſancti Petri oratione digniſsima: qua tumultuantes in ſententiā ſuam traxit, vt eos impulerit pro eccleſia Dei crucem & arma ſuſcipere. Hi poſtea veniētem hoſtili agmine ad vrbis mœnia Fredericū armis ſubmouere, qui indignabundus captiuū quemq; varijs cruciatibus necans, in Samium conceſſit: Beneuentum vi captum diripuit: ac mœnia circūquaq; euertit. Iterū aūt ad vrbē rediens via Latina hoſtili animo Caſſinenſe monaſteriū ſpoliat, eiectis inde monachis: Soramq́; quondā Samnitium ciuitatem, ad Lyris fluuij caput ſitam, ferro, flammaq́; vaſtat. Tēplariorum bona vbiq; diripit. Sarracenos verò adeo dilexit, vt eorum opera prę cęteris in bello vteretur, magiſtratusq́ue eis, ac propriam vrbem conceſſerit, quæ noſtris quoque temporibus Nuceria Sarracenorum vocatur. Fratrem præterea regis Tuniſij, Panhormi baptiſmum petētem, ne id faceret, verbis deterruit. Rauēnam autem repentino incurſu petitam, in poteſtatem ſuam redegit. Hanc ob rē Gregorius concilium apud Lateranum indixit, in quo de abrogando Frederico ratio haberetur. Verùm Fredericus terra marique vias præcluſit, & quoſdam cardinales ac prælatos de via & nauigatione captos, adiuuantibus Piſanis in carcerē coniecit. Qua ex re tantum dolorem Gregorius cæpit, vt non diu ſuperuixerit.

*Solis eclipſis ante mortē Gregorij.* Moritur enim pontificatus ſui anno quartodecimo, menſe tertio, cū paulò antè ſolis eclipſis tāta apparuiſſet, quanta nunquā antea. Raymundum autem Barchinonenſem, quo adiutore in compilādo libro decretalium Gregorius vſus eſt, ita quidam tum laudant, vt maiori commendatione laudari nemo poſſit.

*186. Pont.*

## CAELESTINVS IIII.

CAeleſtinus quartus, patria Mediolanenſis, è familia Caſtilionum, epiſcopus Sabinus, vita & doctrina inſignis, ſenex admodum & valetudinarius in locum Gregorij ſuffectus, decimooctaua pontificatus ſui die moriens, in baſilica Petri ſepelitur, magno ſui deſiderio relicto, quòd homines ſperabāt ſe eius pontificatu felices futuros. Vacat tum ſedes vno & viginti menſibus. Cenſuere enim qui tum auctoritate in eccleſia Dei valebant, neminem in pontificem eligendum eſſe, donec cardinales à Frederico in carcere detinerentur. Interim verò ſede vacante, Fredericus agrum Picenum percurrens in Flaminiā vſq; Fauentiam, & Bononiam aliquātulum reſiſtētem vi occupat, ſcholāque Bononienſem



nienſem quibus admodum infenſus erat, tum primū Patauium trāsfert. Omnes prætereà quos fautores eccleſiæ intellexerat, varijs calamitatibus afficit. Balduinus autē Conſtātinopolitanus imperator, omiſſa ſpe omni bene gerendæ rei in Aſia, cum Raymundo Toloſano comite in Italiā veniens, tantum precibus valuit, & auctoritate apud Fredericū, qui tum Parmæ erat, vt cardinales captiuos, alioſq́ue eccleſiaſticos incolumes dimitteret. Qui non ita multò pòſt Anagniæ conuentu habito, de creando nouo pontifice rationem habuere.

## INNOCENTIVS IIII. *187. Pont.*

INnocentius quartus, Sinibaldus antea vocatus, patria Genuenſis, familia Fliſca, è Lauaniæ comitibus, Anagniæ pontifex creatur, quo nuncio Fredericus imperator non admodum delectatus eſt. Norat enim hominis virtutem, magnitudinemq́ue animi. Antea nāque ſimul familiariter aliquādiu vixerant, & ob eam rem verebatur, ne à ſe anteactæ vitæ rationem expoſceret. Quare congratulantibus amicis dixiſſe ferunt, Sinibaldum cardinalem ex amico optimo in hoſtem acerrimum ob pontificatum mutatum eſſe. Innocentius autem pōtificium habitum indutus, Romam veniens prodeunte obuiam honorato quoq; magno omnium applauſu ſuſcipitur: qui ſtatim peractis quæ de more in conſecrādis, coronandiſq́; pontificibus fieri conſueuerunt, de pace cum Frederico ineunda mentionem facit, Balduino ad rem cōficiendā auctoritatem ſuam interponente. In lōgum verò protracta res, quatuor menſium tempus inſumpſit, conuentumq́; inter eos tandem, vt pontifex ciuitatem Caſtellanā petēs, eo loci imperatorem operiretur, ſecum de componendis rebus ſermonē habiturum. Verùm cùm Innocentius paratas ſibi à Frederico inſidias, tum Romæ, tū in itinere certo indice comperiſſet, Genuenſium nauigio fretus, quod apud Centūcellas in portu conſederat, in Franciam proficiſcens, ſecunda nauigatione vſus, Lugdunum peruenit, ab omnibus benignè & comiter ſuſceptus. Cōcilio deinde eo loci indicto, anno ſalutis milleſimo ducēteſimo quadrageſimoſexto, litteris, nūcijs, præcone poſtremò imperatorem ad ſe citat, propoſita pœna niſi dicto obtemperet. Imperator autem Sinueſſanum quendam iurecōſultum eò mittēs, nihil aliud præter dilationem tēporis à pōtifice petens, iturum ſe breui pollicetur. Datum eſt tempus quo id fieri deberet. Verùm cùm Fredericus fallendi arte callidus, occaſionem calumniādi, & opprimendi Innocentij quæreret, omnium cōſenſu imperio & regnis priuatur. Hāc ob rem Fredericus ira incenſus, ædes ac villas cognatorum quorundā Innocentij, qui eius monitu Parma, vbi fundos habebāt, Placentiam commigrauerant, dirui iuſſit. Inito deinde fœdere cū duce Burgundiæ proficiſci Lugdunum inſtituit, parato ingenti comitatu. Peruenerat iā quidem ad Taurinos, cum ei nunciatum eſt Parmenſes exules, ſuperatis ad Tarū fluuium ciuibus ſuis vrbem vi ingreſſos maximam cædem edidiſſe. Hāc ob rem Fredericus omiſſo itinere quod cœperat, conuocatis ex tota Italia copijs ſuis, quę ad ſexaginta millia hominum fuiſſe conſtat, obſidere Parmam inſtituit, ad quā tuendā magna profecto ciuitatum ſociarum cum legato apoſtolico auxilia cōuenerāt. Is autem biennio conſtāti animo obſidionem paſſus tandem erumpēs, Fredericum nil tale metuentem fundit, fugatq́ue, eūq; caſtris rerum omnium copia refertis ſpoliat. In vrbis enim modū caſtra vallo ac foſſa Fredericus ipſe hac mente munierat, vt direpta & verſa Parma, in quam magnum conceperat odiū, eo loci vbi ſtatiua habuerat, nummoſq́; conflarat. Victorinos appellatos, Victoriam vrbem conderet. Sunt qui ſcribant Fredericum ea clade & coronam maximi precij, & vaſa aurea magni ponderis amiſiſſe, ægreq́; ex tāta calamitate ad Cremonēſes confugiſſe: quorū tamē vrbē intrare nequaquā auſus eſt, quod multi ex Cremonenſibus cum Frederico militantibus eo prælio ceciderāt. At verò Innocentius vbi intellexit Fredericum tanta clade infractū animo, voluptatibus ſeſe dediſſe, extructis amœniſsimis hortis, in eiſdēq́; incluſo cū ſpadonibus ſuis pulcherrimarum mulierū agmine, hominis ſortem miſeratus omiſſo cōcilio, legatos per Frāciam, & aliàs prouincias miſit, qui populis ſuaderēt militiam Chriſti ſuſcipere, Ludouicumq́; regem Franciæ ſequi, in Aſiam traijcere properantē, id

enim ſe facturũ Ludouicus dũ graui valetudine cruciaretur, pollicitus eſt, & vouit.

Impedire tamen hãc expeditionem nonnihil viſi ſunt Tartari, qui agmine bipartito Europam tũ, & Aſiam inuaſerãt. Nam qui Aſiam petiêre, Georgianam ſuperioremq; Armeniam peruagati, Iconium vſq; Turcorum regiã peruenêre. Alia verò manus Batone duce Poloniam, & Vngariam populati, ad mare põticum deflexêre, vbi Ruſsiam ſiue Rutheniã, & Gazam ampliſſimas regiones vaſtarũt. Eodem quoq; tempore Groſſoni gens Arabica, Soldano Babylonis impellente, Templarios aggreſſi eos fundũt, ac Hieroſolymam facilè capiunt mœnibus carentem. Chriſtianos, qui tum in ea erãt, trucidant. Sepulchrũ Chriſti quouis genere turpitudinis fœdant. Hãc ob rem motus Innocentius, regem accelerare iter in Aſiam cohortatur cum eo exercitu, quem ad eam comparauerat. In Cypro hyemare ei neceſſe fuit, quia eò iniquo anni tempore peruenerat. Vere autẽ appetente, Damiatã contendens, & claſſem Soldani repulit, & pugnantes in littore terreſtres hoſtium copias ſuperat: ibiq; ſtatiua tandiu habuit, donec ab Italia reliquæ copiæ ſubſequerentur. Quo minus autem ex Italia eò miles proficiſceretur, Frederici rabies effecit, qui à libidinibus quibus aliquãdiu immerſus fuerat, ad arma conuerſus, totam prouinciam tumultu compleuerat, impuleratq; quaſdã ciuitates ſtudio partium à pontifice deſciſcere, maximè verò Foroliuienſes, Ariminenſes, Vrbinates, ac totum Picenum. In Vmbria præterea deſecerãt omnes prҿter Tudertinus, Peruſinos, Aſſiſiates. Soli autem Florentini in Etruria põtificem ſequebantur, quos certè adeo bello Fredericus vexauit, vt tãdem eos coẽgerit Guelphos cõciues ſuos ab vrbe pellere. Bononienſes verò cum Henrico Frederici præfecto pugnare auſi, hominem vincunt, & obtruncant. Sunt autem qui ſcribant Fredericum hoc tempore, dum in Siciliam traijcit, Panhormi mortuũ. Alij verò affirmant eum in Apulia graui morbo laboraſſe, & iam cõualeſcẽtem à Mãfredo filio adoleſcente ex nobili concubina ſuſcepto, compreſſo vi ore, mori coactum. Illud certè conſtat, Fredericum paulò antè mortem Mãfredo, quem Tarentinis principem dederat, multa etiam oppida, præter ipſum principatũ dediſſe: Conradum verò ex Iole Ioannis Hieroſolymitani regis filia ſuſceptum, hҿredem rerum omnium reliquiſſe; quem poſtea Manfredi opera veneno petitum conſtat, cum tamen prius Neapolim, & Aquinum vi captum diripuiſſet, obſtãte pontifice, & fruſtra reclamante: qui pacem Italiæ ea mente quærebat, vt ei tranſmittere militem Italum ad Ludouicum iam Damiatã oppugnãtem liceret. Verùm capta Damiata, cũ Robertus Pictauienſis comes nouas ex Gallia copias traieciſſet. Damiata mouens ad Pharamiam vrbem exercitum mouet, quò Soldanus cum magnis copijs id veritus iam peruenerat. Fluuius certè duos exercitus dirimebat, qua ex re factũ eſt, vt nunquam collatis ſignis ad ſummam dimicationẽ ventũ ſit. Leuia interdum committebãtur prœlia, vtroq; exercitu caſtra ſua tuẽte. Robertus tamen maiora auſus, cum temerè progrederetur, ab hoſtibus capitur.

At verò Innocentius incendijs bellorum iam penè in Italia extinctis, ad vrbẽ redire inſtituit, redacto tamen prius in ſanctorum numerum Edimũdo cõfeſſore Cantuarienſi archiepiſcopo. Cum verò Peruſiã iam perueniſſet, Romam cõſulto declinãs ob ſenatoriam poteſtatem, quæ nimia ei, ac curiæ Romanҿ videbatur, Petrum Veronenſem ordinis prædicatorum ab hæreticis Mediolanũ & Comum intercæſum, in ſanctos Chriſti martyres retulit. Idẽ fecit de ſancto Staniſlao Cracouiẽſi epiſcopo, qui in vita miraculis claruit. Accerſitus deinde à proceribus regni Siculi, Neapolim nuper inſtauratam ſtatim proficiſcitur: ibiq; moritur ac ſepelitur, in eccleſia ſancti Laurẽtij, põtificatus ſui anno vndecimo, mẽſe ſexto, die duodecimo, dum breui ſe toto regno potiturum arbitratur. Ipſius autem Innocentij viri optimi decretũ fuit, vt octaua natiuitatis beatæ Mariæ virginis in eccleſia Dei quotannis celebraretur. Idem verò bono conſilio vſus, cardinalium ſedes iam pridẽ vacuas optimo quoq; in collegium cooptato repleuit, ſtatuitq; vt cardinales equo in publicũ vecti, galero rubro vterentur, honeſtandi ordinis cauſa. Multa quoq; vir doctiſſimus in tanto rerũ faſtigio collocatus, edidit, & compilauit. Apparatus nãque decretalium compoſuit, quo ipſi canoniſtæ

*Cardinales rubro galero utũtur.*

plurimùm



plurimùm vtuntur. Cõtinent enim diſputationes quaſdam, quæ rem ipſam mirificè aperiunt. Edidit & alium in cõcilijs approbatum, quẽ Oſtienſis in ſumma ſua Autencticas vocat. Scripſit & librum de iuriſdictione imperij & auctoritate pontificis, contra Petrum quendam, cognomento de Vinca, qui imperij, & aliarum rerum omnium arbitrium imperatori tantum adſcribebat. Hunc librum poſtea Innocentius apologeticum vocauit. Doctorum quoq; virorum familiaritate mirificè delectatus eſt, quos etiam ad dignitatis gradũ euexit. Hugonem enim vita & doctrina inſignem, ſanctæ Sabinҿ cardinalem promulgauit, qui ob dignitatem acceptam à priore vita nuſquam deceſsit: ordinis ſancti Dominici prius habebatur. Scripſit idẽ Hugo & gloſſas in Biblia & concordantias, vt iſtorũ vocabulo vtar. Huius quoq; pontificis tempore & mandato Alexander de Ales ordinis Minorum frater, qui iam grãdis natu religionem ingreſſus fuerat, ſummã in theologiam ſcripſit admodum copioſam. Edidere & libros ſuo tempore in decretales, quos apparatum vocarunt, Bernardus Parmenſis, & Compoſtellanus viri doctiſsimi, ad hanc laudem diligentia & benignitate Innocentij excitati. Pontificis verò nepos Guillelmus, patruum non multò pòſt ſequitur, cuius quidem ſepulchrum in ſancto Laurentio extra muros adhuc cernitur.

ANNOTAT.

*Hic in vigilia natalis Domini anno ∞ CCXLIIII. Lugduni in cõcilio generali, xij. cardinalibus viris excellentiſsimus creatis, eius ordinis hominibus proprium inſigne pileum rubeum dedit. Auctor Martinus, qui eo tempore vixit in huius pontificis vita, quo ſignificabatur eos etiam caput ſuum, ſi opus eſſet, pro eccleſiaſtica libertate tuenda, gladio offerre debere, & præſertim eo tempore, quo Romana eccleſia à Friderico ij. imperatore, vehementer oppugnabatur. Reliqua eius ordinis inſignia poſteriores pontifices excogitarunt, in his præcipuus fuit Paulus ij. Hæc F. Ptolemæus, Platina, & alij auctores tradunt.*

## ALEXANDER IIII.

ALexander quartus, natione Campanus (nam Hernicos olim, nunc Campanos vocant) patria Anagninus, in locũ Innocentij ſuffectus, Manfredũ ſtatim admonet, ne quicquã contra dignitatẽ eccleſiæ moliatur, qui accerſitis à Nuceria Sarracenis, copias eccleſiæ nil tale metuentes apud Foſſam aggreſſus, partim occidit, partim cæpit, iampridem animos regios gerens, mortuo (vt ipſe fingebat) Coradino, cuius ſe hæredem meritò futurum dicebat. 188. Pont.

Chriſtiani autem, quos diximus ad Pharamiam caſtra habuiſſe, peſte ac fame laborare cœperũt, parte Nili ab hoſtibus occupata, per quam commeatus in caſtra vehebantur. Eò enim Hieroſolymitanus patriarcha cum multis nauigijs profectus, ab hoſtibus capitur. Hanc ob rem Ludouicus, ne fame opprimeretur, Damiatam repetens, in maximas incidit hoſtium copias, à quibus bello ſuperatus, cum Alphonſo Pictauienſi, & Andegauenſi comite fratribus germanis capitur. Verùm interfecto à ſuis poſt tantam victoriam Soldano, alter, qui ei ſuffectus eſt, recuperata Damiata, & accepta pecunia, Chriſtianos omnes liberos & incolumes Ptolemaidem perduxit. Ludouicus autẽ rex, ſuadente Alenandro pontifice, remiſsis in patriam fratribus tamdiu in Aſia commoratus eſt, quoad Cæſarea, Ioppe & Sidon, quæ oppida Chriſtiani de Sarracenis nuper receperant, inſtaurata præſidijs firmarentur. Tum demum verò ſexto expeditionis ſuæ anno in patriam reuertitur.

Interea quidem Alexander pontifex excommunicato Manfredo, Anagniam profectus, Octauianum Vbaldina gente ortum, eccleſiæ Romanæ cardinalem, Neapolim mittit, qui Neapolitanos contra Manfredum in fide cõfirmaret, pollicitus ſe breui Campanis omnibus ac Neapolitanis auxiliũ allaturũ. Sed Manfredus nõ cõtentus Neapolitanos vexare, in Etruria quoq; factiones mouet: maximè verò Florentiæ, quæ mortuo Frederico, ſtatim in libertatem ſeſe vendicauerat. Vnde cõmuni decreto placuit Guelphos ſub Frederico eiectos in patriam reducere, qui Gibellinorum conatibus reſiſterent. Hac itaque ratione Guelpha factio tãtum in Etruria valuit, vt Piſtorienſes, Arretinos, Piſanos, Senenſes, qui Guelphos ciues ſuos eiecerãt, graui odio & maximis bellis perſequerẽtur: Lucẽſes contra Piſanos potiſsimum adiuuãtes, quos certè Florentini tum oppreſsiſſent ſuperatos ad Arbiã fluuium, niſi Bonitij oppidi ſuſpectã fidem habuiſſent.

Erat enim Bonitium in valle Helſæ ſitum, à Senis duodecim millibus paſſuum diſtans, loco, natura, & arte munitum: quo quidem Gibellini, vt arce belli, in Guelphos vtebantur: hoc vi ſublato & euerſo, Florentini, contra quos Manfredus ſenſerat, Alexandro pontifici Manfredi aduerſario copias pollicentur. Hãc ob rem Manfredus iam Panhormi rex declaratus, conducto Sarraceno milite, & legatum apoſtolicum magnis cladibus attriuit, & Iordanem copiarum ſuarum præfectum cum mille & quingentis equitibus in auxilium Senenſium cõtra Florentinos miſit, qui non ita multò pòſt Florentinos ad Arbiàm flumen tanta clade ſuperarunt, vt relinquere vrbem hoſtibus ſint coacti. Non deſtitit tamen pontifex tyrannos vbique locorum perſequi. Cum enim Ecelinus tyrannus, quem diximus totam fere Venetiam occupaſſe, Mantuam obſideret, Philippum Fontaneſium archiepiſcopum Rauennatem Alexander Venetias properè miſit, qui prędicata Chriſti cruce, comparatoq; exercitu Anſediſium Ecelini ex vxore nepotem, Patauio expulit. Hanc ob rem Ecelinus Mantuam obſidione ſoluens, ac Veronam concito gradu petens, cum recuperandi Patauij ſpem omnino omiſiſſet, Patauinos omnes (ad duodecim millia fuiſſe in caſtris conſtat) varijs cruciatibus necauit. Tum verò theologi quidam ordinis Minorum Brixiam miſsi, eò, prædicando ciuitatem deduxere, vt & Guelphos extorres reciperent, & partes eccleſiæ ſequerentur. Idem quoque Placentini & Cremonenſes feciſſent, ni Vbertus Pallauicinus dominatum adiuuantibus Gibellinis occupaſſet. In hũc verò & Ecelinum belli ſocium, legatus apoſtolicus Brixia mouẽs, adiuuantibus Guelphis, apud Gambaram magna accepta clade ſuperatur, & capitur cum epiſcopo Brixiano, & factionis Guelphæ optimatibus, quos omnes Ecelinus accepta prius Brixia incolumes ſtatim dimiſit, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono. Legatus autem apoſtolicus veritus ne Ecelini potentia ſupra modum creſceret, ſeiungere Vbertum Pallauicinum ab Ecelino inſtituit. Id autem potiſsimùm per Boſium Douarium ciuem Cremonenſem & domi nobilem tentat, qui Vbertum impulit, propoſita cum deteſtatione Ecelini crudelitate & ſæuitia, vt omiſſo Ecelino, cum Mediolanenſibus & Mãtuanis, alijsq; ſocijs ciuitatibus fœdus iniret. Tum verò Ecelinus ira percitus, quod omnes propemodum in ſe coniuraſſe cerneret, comparato ad Caſſanum exercitu, omnem Inſubriam vaſtans, ſocias ciuitates ad bellum excitauit, à quibus non ita multò pòſt ſuperatus & captus, Soncini moritur: eò enim, poſt acceptum graue vulnus, delatus fuerat. Omnes itaq; Ciſalpinæ ciuitates libertatem mortuo tyranno conſecutæ, Alexandri pontificis deinceps auſpicia & monita ſecutæ ſunt. Legatus autem apoſtolicus, qui Patauinos in libertatem vendicauerat, reliquias bellorum perſecutus, Albericum Ecelini fratrẽ Taruiſio pulſum cum vxore & liberis obtruncat. Alexander verò põtifex ſublatis tyrannis, extincto tanto incendio, repetere bellum Aſiaticum inſtituerat: ſed diſcordia inter Genuenſes & Venetos orta effecit, ne tam pium bellum tamq; neceſſariũ ſumeretur. Ptolemaidem Tyrumq;, vrbes admodum diuitijs & opibus præpotentes, Chriſtiani tum incolebant: maximè verò Genuenſes, Piſani, Veneti mercatores, qui per annos iam quatuor & ſexaginta, omnes fere orientis, atq; occidentis mercaturas eò contraxerant. Hi autem mercatores ſeparatas habebant aras, ſeparatos vicos, portoria propria, nec quicquam commune inter Venetos Genuenſesq; apud Ptolemaidem erat præter diuina templa. De monaſterio ſancti Sabæ orta contentio eſt, quod vtraq; ciuitas ſibi vendicare conabatur. Cõponere hanc litem põtifex annixus, literas vtriq; dedit, quibus oſtendebat ſibi placere monaſteriũ vtriq; ciuitati cõmune eſſe debere. Sed Genuenſes cognita prius pontificis voluntate, fretiq; beneuolẽtia Philippi Montisfortis vrbis præfecti, excluſo Veneto monaſterium capiunt, & in arcẽ munitiſsimam redigunt. Hãc ob rem Veneti populariter abeuntes, inito fœdere cum Manfredo Siciliæ rege, contra Genuenſes arma ſumunt, eorumq; claſſem duarum triremium & trium ac viginti magnarũ nauium, in portu Ptolemaidis vi irrumpentes incendũt, ac monaſteriũ ſancti Sabæ eodẽ impetu captũ euertunt. Genuenſes aũt hac calamitate magis irritati quàm perterriti, cõparata denuo claſſe, apud Tyrũ Venetis occurrũt, qui



qui induſtria incedentes, in pontum delati, Selymbriam vrbem de Sarraceno expugnatam diripiunt. Interim verò auctis vtrinq; copijs Tyrum communem belli ſedem ab vtroq; contenditur. At pontifex veritus, ne aliqua magna clades ex hac contentione oriretur, legatos vtriuſque populi ac Piſanos ad ſe vocat, cõponendæ pacis cauſa: quæ propemodum compoſita erat, cum nunciatum eſt inter Tyrum & Ptolemaidem Piſanos ac Venetos eo bello ſocios, Genuenſes ingenti clade ſuperaſſe, vigintiquinque eorum nauibus partim captis partim ſubmerſis, atque victores Ptolemaidem, victos Tyrum redijſſe. Ptolemaidi autem omnia Genuenſium ędificia diruta, omnia bona direpta fuiſſe, pulſosq; inde ciues omnes. Hanc cladem ita moleſte tuliſſe dicitur pontifex, vt nõ prius admittere Venetorum legatos voluerit, quàm captiuos Genuenſium incolumes dimitterent: & ne vni tantum incommodo pontifici mederi neceſſe eſſet, Balduinus imperator Conſtantinopolitanus, quo ſtante ſpes aliqua recuperandæ terræ ſanctæ ſupererat, de relinquenda Conſtantinopoli cogitabat. Michaël enim Palæologus duorum Theodori Diplobatacij filiorum ob affinitatem ex teſtamẽto patris tutor, omni genere iniuriarũ Latinos perſequebatur, pulſo ex Achaia Guillelmo Frãco, vexatoq; Balduino & domi & foris armis ac ſeditionib9. Quo quidem abeunte ad tuendam oram Ponticam ab hoſtibus vexatam, Conſtantinopolitani ciues nocte cõcubia Palæologum in vrbem admiſere. Hanc ob rem Balduinus & Pantaleo patriarcha Ponto in Europam flectentes, contentiones bellorum omiſere. Tum verò Palæologus ſublato æmulo & hoſte, occiſis clam pueris, imperium ſibi deſumit, quod poſt annos octo & quadraginta à Latinis in Græcos rurſum translatum eſt. Interea verò Octauianus cardinalis Vbaldinus, re Neapolitana parum feliciter adminiſtrata ſtatim ad põtificem redijt: qui vbi Claram virginem ordinis ſancti Franciſci Anagniæ in ſanctas retuliſſet, Viterbium ſtatim proficiſcitur pacem inter Genuenſes & Venetos cõpoſiturus. Qua in re diutius vexatus, eo loci tædio animi tandem moritur, & in eccleſia ſancti Laurentij honorificè ſepelitur, pontificatus ſui anno ſeptimo. Vacat tum ſedes menſibus tribus, diebus quatuor. Huius pontificis vita ab omnibus certè mirificè laudatur. Beneficus enim & liberalis eſt habitus, maxime verò erga pauperes Chriſti, & benè de religione Chriſtiana meritos: vnde libellos quoſdam contra paupertatem editos à quodam Guillelmo de ſancto amore, perpetuo edicto aboleuit. Affirmabat enim vir ille pernicioſus, pauperes religioni deditos eleemoſynis viuentes, non eſſe in ſtatu ſalutis. Combuſsit etiam vidente curia Romana libellum peſtiferum, quo auctor aſſerebat ſtatũ gratiæ non à lege Euangelij, ſed à lege ſpiritus procedere. Quæ opinio ex libris Ioachimi abbatis ſumpta dicebatur. Hic aũt liber à ſectatoribus Euãgelium æternum dicebatur. Ipſe verò Alexander vbi ab externis negotijs vacuus fuit, aliquid ſemper, quod ingeniũ ſaperet, edidit: nam & decretales epiſtolas cõpilauit, & viris doctis ita fauit, vt eos ad cardinalatum vſq; prouexerit: maximè verò Henricum cardinalem Oſtienſem, virũ diuini, humaniq; iuris peritiſsimũ. Vſus eſt & magna liberalitate erga Bartholomęũ Brixianũ, qui multa in decretales edidit, quibus ex reb9 præter doctrinã ſingularẽ & ſanctitatẽ, magnã conſecutus eſt laudẽ, eius quoq; opera redactum eſt templum teſtudineũ, quod apud ſanctã Hagnetem cernimus, ad cultũ diuinum, cum antea Baccho dicatum eſſet, cõſecrationemq; altaris beatæ Conſtantiæ huius manibus factam, literæ ipſæ indicant in veſtibulo templi poſitæ.

ANNOTAT.

*Et hic pontifex, quod Platina omiſit, è nobili genere Comitum fuit, Innocentij III. & Gregorij IX. à quo cardinalis creatus fuit propinquus, Rolandus antea vocatus, epiſcopus cardinalis Oſtienſis & Veliternus, ex eiuſdem pontificis regiſtris, qui in bibliotheca Palatina Romæ conſeruantur.*

## VRBANVS IIII.

VRbanus quartus, ex Trecenſi Gallica vrbe oriundus, patriarcha Hiero- *189. Pont.*
ſolymitanus, pontifex creatus, ſtatim è Gallia milites conuocauit, quos Manfredo ditionem eccleſiæ vexanti obijceret. Hãc ob rem Iordanis copiarum Manfredi in Etruria contra Guelphos dux reuocatus in regnum, Guelphis

phis reſpirandi facultatem aliquantulam dedit: maximè verò Florẽtinis & Lucenſibus, quos è medio tollere omnino Gibellini inſtituerant. Laboratur, & eadem peſte in Ciſalpina Gallia, Vberto Pallauicino factionem Gibellinam vbiq; extollente, contrariamq́; deprimente. Tantæ etiam verſutiæ is fuit, vt Brixia potitus ſit vtraq; factione id approbante, cum ſe omnibus pariter affuturum oſtendit. Tum verò Mutinẽſes & Regienſes Ferrarienſium ac Bononienſium cõſilio vſi, qui verebantur ne Pallauicinus omnia occuparet, in partes eccleſiæ declinãtes, Gibellinos ciuitatum ſuarum eijciunt, eorũq́; bona Guelphis Florentinorũ exulibus condonant, quo factio ſua vbiq; validior haberetur. Fiebãt hæc in Ciſalpina Gallia, pontifice ipſo oẽs continuò ad pacem cohortante. Apud Conſtãtinopolim verò Palæologum Veneti imperio deieciſſent, niſi à Genuenſibus ſocijs & amicis fuiſſet adiutus. Factus deinde potentior Palæologus capta Manouaſia, Venetis & Guillelmo Acaiæ principi facilè reſiſtebat. Parauerat iam legatum pontifex, qui pacem inter Venetos & Genuenſes componeret, cùm ſubitò Manfredus cõparatis nouis Sarracenorũ copijs, agrum Picenum iam anteà nutantẽ occupat. Põtifex itaq; eundẽ legatum in Galliam mittit, qui Gallos cruceſignatos, iam anteà ea de re monitos, maturare iter precibus & pollicitationibus impelleret: qui certè duce Guidone epiſcopo Antiſiodorenſi in Italiam deſcendentes, ſuperato ad Brixiã Pallauicino, nemine deinceps reſiſtẽte. Viterbiũ vſq; peruenere. Vnde nõ ita multò pòſt accepta pontificis benedictione digreſsi, per Vmbros & Marſos iter faciẽtes. Sarracenos qui eò cõfugerant, facillimè ſuperãt, & ad Lyrim vſq; propellunt. Eodẽ quoq; tempore Romani, etſi ditionẽ eccleſiæ nequaquã vexarent, nõ tamen pontificis imperio obtẽperabãt, magiſtratus in vrbe ſuo nutu creãtes. Deſinẽtes itaq; ſenatorẽ ex ciuitate Romana creare, tum primũ ex exteris Brancaleonẽ Bononienſem magni animi cõſilijq́; virum, ad tantum magiſtratũ magno propoſito præmio acciuere. Verùm poſtea mutata ſententia, hominẽ comprehenſum in carcerẽ conijciunt. Hac aũt iniuria Bononienſes moti, Romanos quoſdã captos nõ alia cõditione dimiſſuros ſe affirmant, niſi reſtitutum in libertatẽ ciuem ſuum Brancaleonẽ intellexerint. Tum verò Romani ſuis cauentes, nõ ſolum Brancaleonẽ dimittũt, verùm etiam eundẽ in priſtinam dignitatẽ reſtituunt: alio etiam ex omni regione vrbis delecto magiſtratu (quem Bandereſios appellabant) penes quem vitæ ac necis hominũ arbitrium eſſet. Hac aũt inſolẽtia ideo vti Romanos pontifex intelligebat, quod ſe à Manfredo vexari armis cernerent, nec eorum conatibus poſſe reſiſtere. Quare tyrannos à ceruicibus eccleſię aliquando reiecturus, legatos ad Ludouicum Frãciæ regem mittit, qui eum adhortẽtur, vt primo quoq; tẽpore Carolum prouinciæ & Andegauiæ comitem conſobrinũ & generum ſuũ, cum exercitu in Italiã mittat, quod ſibi in animo eſſet Manfredo pulſo, hominẽ regem Siciliæ citrà & vltrà Pharum creare. Feciſſent tum id quidẽ (adeo erat ad tantam rem ob ingratitudinẽ Manfredi animatus) ni ægritudo à rebus gerendis eũ abſtraxiſſet. Quod deinceps à ſequenti pontifice poſteà factum autumant. Sunt qui adſcribãt huius pontificis ætati Albertum Teutonicum ordinis Prædicatorum fratrem, quem ob amplitudinẽ doctrinæ magnum appellant. Qui & omnia opera Ariſtotelis cõmentatus eſt, & theologiam Chriſtianã acutiſsimè aperuit, & de paruis naturalibus quàm diligenter ſcripſit. Edidit & librũ de coæquæuis, in quo quidẽ res naturales theologiæ, quantum fieri poteſt perſimiles oſtenduntur. Expoſuit & magnã partẽ Bibliæ. Euãgelia ac Pauli epiſtolas gloſsis optimis aperuit. Inchoauit etiã ſummã theologiæ, ſed nõ perfecit. Tantæ præterea modeſtiæ fuit, adeoq́; lectionum appetentiſsimus, vt Ratiſponenſem epiſcopatum abnuerit, quẽ tumultu & armis gubernare interdũ opus erat, vt nunc etiã apud Germanos mos eſt, quorũ pleriq; epiſcopi enſe & milite rem ſuam tutãtur. Priuatus itaq; Coloniæ aliquandiu publicè legit. Tandem verò octogeſimum ætatis agens annũ, eodẽ in loco moritur, multis diſcipulis, qui poſteritati conſulerent, relictis, maximè aũt Thoma Aquinate: qui relicto patria inſigniq́; cognatione (originẽ enim è comitibus Apuliæ ducebat) Coloniam pergens, tãtum profecit, vt poſt aliquot annos apud Pariſios primum in doctrina locum teneret. Vbi & quatuor libros in

*Albertum magnũ hoc tempore fuiſſe aliqui ſcribunt.*

*Thomas Aquinas Alberti diſcipulus.*



in ſententias edidit. Scripſit & librum contra Guillelmum de ſancto amore virum pernicioſum, vt antea diximus. Duos præterea libros edidit, quorum alter eſt de qualitate & eſſentijs, alter verò de principijs naturæ. Romam deinde ab Vrbano accerſitus, ſpretis dignitatibus, quæ vltrò ei offerebãtur, totum ſeſe lectioni & ſcriptioni dedit. Nã & ſcholam Romæ inſtaurauit, & rogatu Vrbani multa conſcripſit, & totam fere naturalem philoſophiam ac moralem commentationibus expoſuit, & contra gentiles librum edidit. Declarauit & Iob, catenãq́; auream contexuit. Compoſuit & officium de Chriſti corpore, quo in opere plurimæ figuræ teſtamenti veteris continentur. Ad Vrbanum põtificem redeo, qui pontificatus ſui anno tertio, mẽſe vno, die quarto Peruſij moritur, in cathedraliq́; baſilica ſepelitur. Vacat tum ſedes menſibus quinq;.

ANNOTAT.

*Vrbanus papa IIII. Iacobus, vel vt alij, Pantaleo (quod fortè cognomẽ erat) antea vocatus, fuit natione Gallus patria Trecenſis, quæ Campaniæ vrbs eſt, humili ac ſordido loco natus ex patre (vt fertur) ſutore veteramẽtario. Qui cùm eſſet Hieroſolymitanus patriarcha, Viterbij vbi tunc curia Romana erat, à cardinalibus numero nouem inter ſe diſcordantibus, extra eorũ collegium iiij. Kalend. ſeptembris anno Domini ∞ CCLXI. Romanus põtifex renuntiatus, ſedit annos tres, menſem i. & dies quatuor. Hic veterem ac nobiliſsimam Tuſciæ vrbem accedens, loci aſpectu & ſecuritate delectatus (eſt enim in ſummo ſaxo poſita, & ad expugnandum difficillima) diu in ea cum Romana curia permanſit. Nam Manfredi Siciliæ regis Romanæ eccleſiæ hoſtis potentia, & vi ſancta ſedes tunc præcipuè vexabatur. A ciuibus Vrbeuetanis honorificentiſsimè ſuſceptus Monaldenſes & Philippenſes primarios vrbis ciues, bello ciuili inter ſe laborantes, in concordiam redegit, & dum vixit, eam conſeruauit. Vrbem ſibi & Romanæ eccleſiæ fideliſsimam varijs ædificijs, tum publicis tum priuatis, multis item priuilegijs exornauit. A fundamentis autem ædificauit ſuperbas illas ædes pontificias in loco, qui dicebatur Solianum prope S. Mariam Priſcam quarum adhuc parietes ſuperſunt, extruxit etiam eccleſiam & monaſterium ſancti Auguſtini, eccleſias verò Minorum & Prædicatorum reſtituit & ampliauit. Ibidem etiam concilium, ſiue multorum prælatorum cõuentum celebrauit, in qua inter cætera tractatum eſt, quanam ratione ſancta ſedes apoſtolica à Manfredi potentia & tyrannide ſe tueri poſſet, decretumq́;, vt Carolus Ludouici Francorum regis frater prouinciæ comes, & dux Andegauenſis in Italiam contra Manfredum cum Siciliæ regis titulo euocaretur. Cardinali legato ad illum ob eam rem miſſo, quod poſtea ſub Clemente IIII. factum eſt. In ea poſtremo vrbe anno Domini ∞ CCLXIIII. ſacratiſsimi corporis CHRISTI ſolennitas quinta feria poſt octauã Pẽtecoſtes ab eodem pontifice perpetuis temporibus cum ſolenni ſupplicatione, quæ nunc etiam celebratur, inſtituta eſt, cum eius ſolennitatis officium ſanctus Thomas Aquinas, qui eo tempore publicè theologiam in ea ciuitate profitebatur, compoſuiſſet. Id verò factum fuit propter miraculum: quod hoc tempore Vulſinijs in diœceſi & ditione Vrbeuetana in eccleſia ſanctæ Chriſtianæ accidit. Nam dum ſacrificulus quiſpiam ſacra miſſarum ſolennia celebraret, ſacramẽto iam cõfecto, de panis & vini tranſubſtantiatione, & CHRISTI corpore dubitauit. Vnde ſtatim (dictu & auditu mirum) ex ſanctiſsima, quam in manibus tenebat hoſtia, viuus ſanguis manare cœpit, & totam mappam, quam corporale vocant, tinxit. quo miraculo attonitus pontifex Vrbanus IIII. corporale primum ad ſe ab epiſcopo loci cum proceſsione vrbem veterem transferri voluit, & illud ſolennitate inſtituta in eccleſia Vrbeuetana recondidit. Quæ omnia ex eiuſdem pontificis bullæ, quæ adhuc extat, intelliguntur. Quanquam non me lateat, quoſdam eſſe, qui neſcio quid de quadam muliere ſancta Moniali recluſa nomine Eua fabulentur. Quorum ſententiam nihil moror: cùm quod ſupra dixi, vulgariſsimum ſit. In cuius poſtea rei memoriam ciues Vrbeuetani tunc nobiles ditiſsimi & potentes nobiliſsimum templum Deo & beatæ virginis Mariæ à fundamentis conſtruere cœperunt, tanta mole, apparatu, & impenſarum magnitudine celebre, vt nullum in toto terrarũ orbe, tunc ei potuerit comparari. cæterùm hoc non niſi xxv. anno, poſt CHRISTI verò ∞ CCXC. factum fuit. Nicolao IIII. pontifice maximo, qui eodem anno xiij. de Nouembris primùm lapidem in maximi & auguſtiſsimi templi fundamentis. Cardinalibus cum omni Romana curia, multis peregrinis prælatis, epiſcopo ciuitatis, clero, magiſtratibus, nobilibus, & vniuerſo populo Vrbeuetano adſtantibus, poſt celebres ſupplicationes habitas, ſolenniter poſuit, maximasq́; ſingulis annis ipſo die eccleſiam illam viſitantibus indulgentias largitus eſt, ab alijs poſtea pontificibus confirmatas & auctas. In quo celeberrimo templo, cùm perfectum penè fuiſſet, poſtea ſanctum corporale collocatum eſt, altari & tabernaculo ad illud conſeruandum elegantiſsimè fabrefactis, quod ſingulis annis in die corporis CHRISTI in celebri illa ſupplicatione deuotiſsime circumfertur, finitimis omnibus populis eò illa die ad id videndum confluentibus. Eius porrò templi anterior pars tota è marmore Pario incruſtata eſt, varijs & elegantibus ſigillis noui & veteris teſtamenti exornata, multisq́; alijs decorata ornamentis. quæ eo tempore excellentius in ſtatuaria opus exiſtimata eſt, omnium quæ toto terrarum orbe id genus eſſent.*

## CLEMENS IIII.

CLemens quartus, Guido Fulcodij antea vocatus, natione Narbonen- *190. Pont.*
ſis è villa S. Aegidij, meritò ob ſanctitatem & doctrinam pontifex creatur. Is enim iureconſultus totius Galliæ ſine contentione primarius, in curia

curia regia cauſas integerrimè agens, vxorem & liberos habuit,qua mortua,primo Podienſis,deinde Narbonenſis epiſcopus,poſtremò cardinalis omniũ conſenſu creatus, ſolus ob integritatem & auctoritatem deligitur,qui lites inter Henricum Angliæ regem & Simonem Montisferrati comitem componeret. Poſteà verò pontificatum adeptus,(vt quidam tradunt) mendicantis religioſi cuiuſdam habitum indutus,Peruſium incognitus peruenit: eò deinceps profecti cardinales,quem etiam abſentem in pontificem delegerant,hominẽ ipſum Viterbium honorificè perducunt.Carolus autem,quem diximus ab Vrbano in regnum accitum, cum triginta triremibus Maſſilia ſoluens, Tiberi amne ſubuectus,Romam ingreſſus,tamdiu ſenatorium munus mandato pontificis obiuit,quoad ſuperuenêre Cardinales à pontifice miſsi, qui hominem in Lateranenſi baſilica Hieruſalem & Siciliæ regem declararunt: hac cõditione,vt Carolus ſacramento adactus, quotannis feudi nomine quadraginta millia nummũ aureorum eccleſiæ Romanæ perſolueret:néue imperium Romanum etiã vltrò oblatũ acciperet.Magna enim de imperio cõtentio iam orta erat inter Alphonſum regẽ Caſtellæ,imperium armis & largitione quærentem,& Richardũ Carnubiæ comitem regis Angliæ fratrẽ: ad quem electores nõ facilè reſpiciebãt. Ne igitur Manfredo ſpes vlla ſubeſſet diſcordiarum inter Alphonſum & Carolum ad quem magna pars hominum imperium deferebat,ſublata petendi facultate, pontifex hominem in Manfredum concitabat eccleſiæ Romanæ contemptorẽ.

Iam enim Caroli copiæ, ſuperatis Alpibus, in Ciſalpinam deſcenderant: factoq́; per Flaminiam itinere,omnes factionis Guelphæ milites Romã vſq; perduxerant. Vnde Carolus mouẽs & Ceperanum capit,pulſo inde Manfredi præſidio & ſaltum Caſsinatem occupat,quem Manfredus ipſe cuſtodiendum acceperat: quanquam deinde mutato conſilio,Beneuentum profectus expectare hoſtem in planis patentibusq́; locis inſtituerat,quod plurimùm equitatu valeret. Mouit & eo Carolus: & facta pugnandi copia,licet ex itinere feſsi milites eſſent, prælium non detrectat.Ciet vterq; dux ſuos in pugnam.Verùm dum Carolus laboranti ſuorum turmæ intentius, vt fit, ſuccurrit,ex equo conſternatus,ita hoſtium animos auxit, vt Manfredus extra ordinem incautius pugnans interfectus,apparente ſubito Carolo,fortunam belli ſtatim mutauerit.Ex ſuis enim in fugam verſis multi interfecti ſunt,pleriq; verò viui capti. Carolus autem tanta victoria potitus,Beneuentum mouens,vrbem dedentibus vltro ciuibus,ingreditur.Nuceriam deinde oppugnare adortus,quò ſe noui vetereſq́; Sarraceni receperant,magiſtrum militiæ ſuæ(quem Mareſcallum vocant) cum quingentis equitibus in Etruriam mittit,qui Guelphos extorres in ciuitates ſuas reduceret. Is itaq; profectus,abeuntibus ſpõte Gibellinis, magiſtratum ſine prouocatione Florentiæ conſtituit,quem accolæ factionis Guelphæ capitaneos vocant. Inde verò in Senenſes mouens,omnes Gibellinos Etruriæ,maximè verò Piſanos, in ſe cõcitauit, dum ad Bonitium caſtra habet,quod Gibellini acriter defendebãt. Carolus aũt vtroq; regno in poteſtatẽ recepto,excepta Nuceria , Sarracenis tandem pacẽ cõcedit,permiſsis etiã ſuis legibus in Italia viuere. Ipſe verò cum exercitu vocante pontifice,Viterbium ſe contulit,quò & Henricus à fratre rege Caſtellæ pulſus,paulò antè peruenerat: quem pontifex Caroli cõmendatione motus,& multis muneribus donauit,& ſenatorẽ vrbis creauit.Carolus aũt in Etruriam mouens,Gibellinos domiturus,qui Corradinum adoleſcentem Conradi Sueui nepotem,in Italiam contra Guelphos vocabãt,Bonitium egregiè defenſum & natura munitum,cum vi capere non poſſet, fame ad deditionem cõpellere inſtituit: quo tandem poſt longã obſidionem recepto, in Piſanos mouens, Mutronium eorum oppidum captum,Lucenſibus dono dedit. Moliturus etiã maiora tum Carolus videbatur, niſi à ſuis in regnum properè vocatus fuiſſet, ob factioſos quoſdã qui Corradini rebus fauebãt,maximè verò Sarracenos,quos deinceps munitiſsimis caſtellis in Nuceria cõcluſit, quò ei tutius in Corradinũ proficiſci liceret,quẽ Piſani in regnũ deducere conabãtur,vaſtatis prius Lucenſium agris: ſuperatoq́; atq; interfecto apud Arretium Caroli mareſcallo, adiuuante præſertim Guidone Ferretano,totiuſq́; Ciſalpinæ factione Gibellina.





Ferunt pontificem(dum adoleſcens per agrum Viterbienſem iter in regnum faceret) eius caſum miſeratum,prophetica voce dixiſſe, Corradinum ipſum vt victimã ad cædem duci.Is itaq; Romã proficiſcens,Henricum ſenatorem ad põtem Miluium cum populo Romano obuium habuit, imperatoris nomine ſæpius acclamato,timore ne id fecerint,an ſtudio partium,haud ſatis conſtat. Dimiſſo autem Romæ Guidone ferretano,ipſe cum exercitu in regnum properãs, vbi intellexiſſet Carolum ſaltus Hernicos Latinãq́; viam occupaſſe, flexit inde ad Aequicolos montes,quos Taliacocij vocãt,in Marſos profecturus.Caſtra itaque primo nõ longe à lacu poſuit, ferè aquæductu vetere & ædificiorum ruina munita.Mouerat & eò Carolus,decimo inde ſtadio ad concauæ vallis fauces caſtra locans, qui Alardi Neapolitani conſilio vſus, (is enim cum Germanis diu militauerat) partem exercitus ſtatim præmiſit cum mareſcallo regia veſte induto,laceſſendi hoſtis cauſa.Ipſe verò citra collem cum fortiſsimo quoq; in inſidijs bene gerẽdæ rei occaſionem interim expectabat.Ad tres aũt horas iam pugnatum eſt dubio marte,cum mareſcallus fortiſsimè pugnãs occiditur:cuius in morte cedentibus Gallis, Germani ferociores facti , paſsim ſine vllo ordine inſequebãtur.In hos itaq; incompoſitè ruentes Carolus delatus, ſtatim fundit fugatq́; magna in fuga edita hoſtium ſtrage. Henricus aũt ſenator Reate in fuga captus eſt: & Corradinus cum duce Auſtriæ cognitus,dum traijcere Tiberim nauigio in Etruriam tẽtat,ad Carolũ pertractus, capitali ſupplicio afficitur:quòd, vt diximus,pontifex futurum propediem diuinauerat.Carolus itaq; anno ſalutis milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octauo,tanta victoria potitus,totoq́; regno ſine contentione in poteſtatem ſuã redacto,Romã proficiſcẽs, ſenatorium munus volente põtifice aliquãdiu adminiſtrauit miſſo mareſcallo ſuo in Etruriam: cuius certè & induſtria & opera pax inter Senenſes & Florentinos compoſita eſt. Verùm mortuo Clemente,põtificatus ſui anno tertio , die vigeſimoprimo, eodemq́; Viterbij ſepulto , tanta repente non ſolùm inter populos Italiæ, quos aliquãtulum in officio ſanctiſsimus pontifex auctoritate ſua continebat, verùm etiam inter cardinales diſcordia orta eſt de creando nouo põtifice, vt biennio ſedes vacauerit. Tum verò Carolus omnia circunſpiciens , ne quid mali eccleſiaſticę ditioni obueniret, cum parte exercitus in Etruriã profectus,Bonitium oppidum (vnde initium turbandæ pacis ortũ eſt) captum Florentinis vendidit. Quo demolito,nouum haud longè in plano condidere, Poggium Bonitium appellatũ.Carolus deinde inita cum Piſanis pace,quorũ nauigijs in Africã traiecturus vti inſtituerat,redire in regnum cõſtituit,relicto cum parte copiarũ in Etruriam Rufo Anguillariæ comite,qui Etruſcos in officio contineret.Interim aũt Ludouicum regem Maſsilia ſoluentẽ, tres filij adoleſcentes , rexq́; Nauarræ Theobaldus,& comes Cãpaniæ cum legato apoſtolico ſecuti ſunt. Tuniſium itaq; ſimul applicãtes, vrbẽ obſidione cingunt, incurſionibus omnia circunquaq; poſita vaſtãtes. Verùm orta in caſtris peſtilentia, ac diutius per ignota capita vagata,Ludouicum regẽ cum filio minore natu, cũq́; legato apoſtolico è medio ſuſtulit: cuius in locum Philippus filius ſuffectus,de diſceſſu cogitare iam cœperat. Superueniente aũt Carolo Siciliæ rege, hac conditione pax cõpoſita eſt, vt dimiſsis vtrinq; captiuis,rex gẽtis Carolo tributum penderet, liberãq́; in Africa Chriſti prædicationẽ ſineret. Reductis deinde in Siciliam copijs, mortuo apud Drepanum rege Nauarræ & Cãpaniæ comite, Philippo & Carolo placuit,partim pietate motis,partim vitandæ contagionis cauſa,Centumcellas adnauigare,inde terreſtri itinere Viterbium ituri. vbi de eligẽdo pontifice cardinales adhuc cõtendebãt , qui certè tãtorum regum præſentia moti, Theobaldum Placentinum,Leodienſem archidiaconum abſentẽ,pontificem crearunt.

Ad Clementem redeo: cuius vita omni ex parte laudãda eſt doctrina, pietate, religione,humanitate,modeſtia,charitate in proximũ & pauperes Chriſti. Bona aũt eccleſiæ ita accuratè diſpẽſauit, vt plus Deo quàm affinitati & cognationi tribuiſſe videatur. Duas habuit filias ex mortua vxore ante pontificatum ſuſceptas,quarũ alteræ in monaſterium collocatæ triginta libras Turonenſium paruorum dedit,alteræ autem quæ marito ſuæ cõditionis nupſerat,trecentas libras

Turonenſiū dotis nomine numerari iuſsit: hac conditione, ne quid vnquā amplius peteret. Habuit & nepotem clericum: quem vbi comperit tres præbendas (ita enim canonicatus vocant) habere, optionem facere compulit, vt quam vellet ex his retineret, duas relinqueret. Verùm inſtantibus amicis, non ſolùm quæ habebat, nepoti dimitteret, ſed maiora & plura tribueret: Reſpondit vir ſanctiſſimus (quem vtinam noſtræ ætatis pontifices imitati eſſent) ſe Deo, non autem carni & ſanguini acquieturum. Deū ita velle, vt ſua in pias cauſas erogarentur, nec eſſe dignum Petri ſucceſſorem, qui plus cognationi quàm pietati & Chriſto tribueret. Dum autem Viterbij eſſet, referreturq́; quotidie Ednigē Poloniæ ducissam iampridem mortuam, miraculis ſummo in precio eſſe, eam in ſanctas
*Bonauētura ordinis Minorum Generaliū.* retulit. Delectatus eſt etiam mirificè doctrina Bonauenturæ, ordinis Minorum generalis: qui grauiter & copioſè tum ſcripſit in primum, ſecundum, tertium, & quartum Sententiarum librum. Hac autem commēdatione moriens vir ſanctiſsimus, magnum ſui apud omnes deſiderium reliquit. Hinc contentio inter cardinales orta eſt, cum dignus Clementi ſucceſſor quæritur.

### ANNOTAT.

*Hic pontifex vir optimus, & ſanctiſsimus fuit. Cuius rei eius res in pontificatu geſtæ, vita innocenter, pureq́; acta, & incredibilis morum, & vitæ ſanctitas, quæ omnia de eo à fide dignis auctoribus feruntur, fidem facilè facere poſſunt. Verùm vt hæc magis eluceſcant, ſequentem bullam addere inſtitui, quam, vbi pontifex renunciatus fuit, cuidam Nepoti ſuo ſcripſit, quæ inuenta eſt à Petro Michelio Hiſpano, Barchionenſi notario, ſcriptore hiſtoriæ Hiſpanicæ diligenti, in antiquo libro ſacriſtiæ monaſterij ordinis prædicatorum Barchinone pag. 240. eam autem refert in hiſtoria Hiſpanica pagina lxix.*

*Clemens epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Petro Groſſo de ſancto Egidio ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

*Multis de noſtra promotione gaudentibus, nos ſoli ſumus, qui certius immenſitatem oneris experimur. Et idcirco quod alijs gaudium, nobis metum ſubminiſtrat, & fletum. Sanè, vt ſcias, qualiter his auditis debeas te habere, ſcire te volumus, quod humilior ſolito debes eſſe, neque enim quod nos vehementer humiliat, debet noſtros extollere, maximè cùm honor huius ſeculi momentaneus ſit, & ſicut ros tranſeat matutinus: nec ad nos te, nec fratrem tuum, vel ex alijs noſtris aliquem venire volumus, ſine noſtro ſpeciali mandato. Quia ſpe ſua fruſtratus, ſi ſecus venire præſumeret, oporteret redire confuſus. Sed nec in tuæ ſororis nuptijs gradum quæras propter nos altiorē, nec enim nos haberes propitios, nec in aliquo adiutores. Si tamen eam filio militis ſimplicis deſponſaueris in tercentum libris Turonenſibus tibi proponimus ſubuenire. Et ſi altiora quæſiueris, nec à nobis denarium ſperes vnum, & hoc ipſum ſecretiſsimum eſſe volumus, & tibi & matri ſolummodo, notum eſſe. Illud etiam ſcias, quod nullum, nullamq́; de ſanguine noſtro ſub noſtri ſublimatione obtentu inflare volumus, ſed tam Mobiliam, quàm Cæciliā illos viros habere volumus, quos haberent, ſi eſſemus in ſimplici clericatu. Sibyllam viſita, & dic ei, quod locum non mutet, ſed remaneat apud Suſam, & omnem maturitatē, & habitus honeſtatem obſeruet, & preces nobis pro aliquo non præſumat aſſumere, nam & ei, pro quo fierent, eſſent inutiles, & ipſis, qui rogauerint, damnoſæ. Et ſi fortè per aliquos ex hac cauſa munera offerrentur, ea reſpuat, ſi vult noſtram gratiam retinere. Saluta matrem & fratres. Non ſcribimus tibi, nec familiaribus noſtris ſub bulla, ſed ſub piſcatoris ſigillo, quod Romani pontifices in ſuis ſecretis vtuntur. Datis Peruſij in feſto S S. Perpetuæ, & Felicitatis. Hanc habui ab Antonio Auguſtino Rotæ auditore, quem ob inſignem pietatem, eruditionem, & morum grauitatē, maximamq́; in rebus gerendis dexteritatem, & fidem Philippus Hiſpaniarum rex maximus proximè epiſcopum Ilerdenſem à Romano pontifice Pio IIII. poſtulauit, & vt ex Alli. eccleſia ad eandem transferetur obtinuit.*

## GREGORIVS X.

191.Pont. GRegorius decimus, Theobaldus antea vocatus, natione Italus, patria Placentinus, Leodienſis archidiaconus, in Aſia exiſtens, Viterbij à collegio cardinalium pontifex creatur.

Eo enim tempore, quo Ludouicus in Africam nauigauit, Odoardus regis Angliæ filius, ex Anglia cum ingenti claſſe in Aſiam traiecit, recuperādæ terræ ſanctæ cauſa. Verum dum Ptolemaidi tam diu immoratur, quoad Ludouicus rex Frāciæ, vt pollicitus erat, eò ex Africa victor traijceret ab Arſacida familiari, dū ſolus in cubiculo eſſet, tribus vulneribus petitus, ægrè mortis periculum euaſit, adiuuante altero familiari: qui manum ſicarij tam diu retinuit, donec à domeſticis diſcerptus & extractus è cubiculo ſceleratus Arſacida eſt. Odoardus autem vbi ex vulneribus conualuit, Theobaldum contubernalem ſuum, magno ſemper





per in precio habitum, quippe qui omnes reges & principes Chriſtianos continuò in Sarracenos animauerat, iturum Romam pontificatus gratia à cardinalibus accitum, nauigio, pecunijs, egregio comitatu mirificè iuuit, eo potiſsimum tempore, quo Henricus adoleſcens, Richardi paulo ante mortui comitis Cornubiæ filius, Viterbium videndi Clementis cauſa venerat. Quo mortuo, dum adoleſcens ipſe ibi aliquandiu moram trahit, malo fato ſublatus eſt: à Guidone enim Monteforti, qui tum cum Philippo Francorum rege cathedralem eccleſiā audiendæ rei diuinæ cauſa petierat, ante aram interficitur, quod à Richardo pater eius Simon in Anglia dolo necatus fuerat. Vltus hoc modo patris necem, ad Rufum Etruriæ præfectū incolumis euaſit. Abiere Viterbio hac indignitate moti, non ita multò pòſt, & Philippus in Galliam, & Carolus in Apuliam, qui pace cum Sarracenis inita, Theobaldum Sypontū, quod & Manfredoniam nūc vocant, nauigijs appulſum, Ceperanum vſq; comitatus eſt. Inde verò pontifex per Marſos & Sabinos iter faciens, Viterbium tandem peruenit: vbi à cardinalibus perbenignè & honorificentiſsimè ſuſceptus, coronaque pontificia ornatus oēm poteſtatem accipit, quam Chriſtus Petro reliquit. Compoſito deinde pro tempore pōtificatu, ad componendam pacem inter Genuenſes & Venetos animum adijcit. Hi enim populi inter ſe magnis cladibus iam dudum decertauerant. Hanc ob rem Philippus rex Franciæ Cremonæ ſubſiſtens, pontificis rogatu vocatis Genuenſium & Venetorum legatis, pacem inter eos in quinquennium compoſuit: quo ſimul omnibus proficiſci in Sarracenos liceret. Quieſcebat iam Italia, cum initium perturbādi omnia à Venetis ortum eſt, noua vectigalia exigentibus. Inſtituerant enim ne quis in ſinu Hadriatico nauigaret, maximè verò Pola Venetias, niſi ſoluto portorio è mercium numero. Hāc autem indignitatem non ferentes Bononienſes, qui magnæ Flaminiæ parti tum præerant, triennio varia fortuna cum Venetis decertarunt. Demum verò feſsi hac lege pacem acceperunt, vt dirupto caſtello, quod in primo Padioſtio ædificauerant, quarūdam mercium liberam eductionem haberent, hoſtiorum Padi Veneto libera cuſtodia dimiſſa. Anconitani quoque indignabundi, quòd Veneti Hadriatici maris dominatum ſibi vendicarent, vectigalq́; à nauigantibus exigerent, ea de re apud pontificem conqueruntur, cuius officium eſt prohibere, ne noua vectigalia imponantur. Is autem Venetis ſtatim imperauit, vt exactionem illam tollerent, qui certe nil aliud reſpondere, quàm pontificem non habere rei ipſius planam cognitionem, verùm re cognita, tum melius iudicaturum. Non potuit Gregorius rem inchoatam ex ſententia perficere. Eundum erat ad concilium, *Concilium*
quod Lugduni indixerat: quò & Palæologus imperator Conſtantinopolitanus *Lugduni.* cum magno comitatu profectus tertiadecima vice in ſententiam Romanæ eccleſiæ Græcos toties deficientes pertraxit. Huius præterea auctoritatem quidam Tartari proceres ſecuti, ſacrū baptiſma tum recepere. Interea verò vacante imperio occidentali, Rodulphus Habſpurgenſis comes, ab electoribus hac conditione imperator creatur, vt ſequenti anno Romam peteret coronæ accipiendæ cauſa. Florentini autem Guelphi, Gibellinos cōciues ſuos à Gregorio (dum iter in Galliam facit) in patriam reductos, ſtatim eijciunt. Hanc ob rem iratus pontifex, eis ius faſq́; omne interdixit: paulumq́ue abfuit quin idem quoq; in Bononienſes ageret, qui Lamberteſcos Aſinelloſq́; Gibellinos cum præclaris familijs eiecerant: ſed hi non ita multò pòſt pœnas dedere. Nam cum exercitum in Foroliuianos duxiſſent, qui exules ſuos perbenignè ſuſceperant, eruptione facta, de Bononienſibus ad octo millia cæſa traduntur, qua quidem calamitate confiſæ quædam Flaminiæ ciuitates ab ipſis Bononienſibus ſtatim defecere maximè vero Ceruia, vnde magnum ſalis vectigal ſuſcipiebant. Gregorius autem abſoluto Lugdunenſi concilio, in quo multa decreta ſunt, ad electionem ſummi pontificis, ad expeditionem in Sarracenos, ad vnionem Græcæ Latinæq́; eccleſiæ, ad pacem Chriſtianorum pertinentia, iter in Italiam faciens, obuium habuit Alphonſum Caſtellæ regem apud Bellocadorum, admodum conquerentem, quòd imperium Rodulpho mandaſſet. Verùm accepta pontificis ſatisfactione, ius omne ſuum Rodulpho conceſsit. Pōtifex autem perbenignè ab om-

nibus Italis ſuſceptus, dum iter per Etruriam facit, Florentinos ſpōtè deuitans, ne interdictum tolleret, Arretium peruenit: vbi pontificatus ſui anno quarto, menſe ſecundo, die decimo moritur, & ſepelitur: vir certè in omni vita clarus, prudentia rerum gerendarum, fortitudine animi, qua pecunias & res humiles contemnebat: humanitate, clementia, benignitate in pauperes Chriſti, & eos potiſsimum, qui ad gremium ſedis apoſtolicæ confugiebant.

ANNOTAT.

*Ratio cur conclauis vſus in creatione Romani pontificis inuentus fuerit.* **Anno Dominicæ natiuitatis M CCLXVIII.** *Clemens papa IIII. Viterbij, vbi cum curia ſua toto penè ſui pontificatus tēpore permanſerat, in die ſanctæ Cæciliæ ægrotare cepit & octauo die pòſt morbo, ſenioq; confectus, iij. Kalend Decembris obijt. Cuius cadauer honorificè ad Eccleſiam Prædicatorum ſanctæ Mariæ ad gradus Viterbij ſepultum eſt. Quo mortuo vacauit ſedes propter cardinalium diſcordiam annos duos, menſes ix. & diem. Eo porro vita functo, cardinales, qui tunc in curia Romana præſentes erant numero xvij. in creatione futuri Pontificis diſſentire ceperunt, electionisq; ratio adeo diſcordijs agitata eſt, vt propè in triennium protraheretur. Sæpius ſiquidem congregati, negocium conficere nulla ratione valuere, dum vnuſquiſque ipſorum ad pontificatum aſpirans, nemini cedere vellet. Eo autem tempore nequaquam, vt nunc conſuetudo eſt, cardinales in conclaui recludebantur, ſed ſummo mane ſingulis diebus ſi Romæ erant, Laterani: vel in baſilica ſancti Petri, aut alibi prout occaſio ſeſe offerebat: ſin autem extra vrbem in eccleſia cathedrali illius ciuitatis, in qua tunc commorabantur, vna conueniebant, perinde ac noſtro tempore faciunt cùm congregationem ſunt habituri, de Romani Pontificis electione tractantes. Quo interim tempore ad curiam Romanam Viterbium venerunt Philippus Francorum, & Carolus Siciliæ reges, collegiumq; pro celeri & matura pontificis electione rogantes, parum profecerunt, ſed rebus infectis reuerſi ſunt. Tunc Ioannes epiſcopus cardinalis Portuenſis videns cardinalium pertinaciam, ijs in comitio exiſtentibus, & ſpiritum ſanctum inuocantibus, publicè dixit: Domine, diſcooperiamus tectum cameræ huius, quia ſpiritus ſanctus nequit ad nos per tot tecta ingredi. Qui etiam cùm papam Gregorium renuntiatum animaduertiſſet, hos de ſua electione verſus iſtos edidiſſe fertur:*

*Papatus munus tulit archidiaconus vnus,*
*Quem patrem patrum fecit diſcordia fratrum.*

*Poſtremo poſt longiſsimum duorum annorum, menſiumq; nouem interregnum, quod maximo Reipublicæ Chriſtianæ malo, & incommodo fuit: à Viterbienſibus propemodum coacti, cum diſcordantibus animis, vt vnum ex ſe eligerent fieri non poſſet, tandem per viam compromiſsi, in ſex cardinales facti ſuadente maximè S. Bonauentura ordinis Minorum Generali miniſtro Kalend. Septembris anni M CCLXXI. in pontificem maximum renuntiauerunt Thealdum Vicecomitem Placentinum, archidiaconum Leodienſem, virum ſanctum, & religioſum, extra collegium cardinalium & abſentem. Is in obſequio Chriſti tunc trans mare in Syria apud Ptolemaidem commorabatur, cum Odoardo primogenito regis Anglorum, tempus opportunum expectans, vt Hieroſolymam cum cæteris peregrinis proficiſceretur. Qui decreto electionis à collegij legatis trans mare miſsis, accepto, atque confirmato, menſe Decembri ex Syria nauigio receſsit, Brunduſiumq; primum, demum Viterbium ſequenti anno, vbi cardinales erant, iij. idus Februarij venit, Romani pontificatus inſignia ſuſcepturus. Inde Viterbio diſcedens Romam profectus eſt, vbi vi Kalend. Aprilis conſecratus & coronatus Gregorius X. eſt appellatus. Sedit autem à die electionis annos iiij mēſes iiij dies x. Hæc ex regiſtris eius. F. Ptolemæo Lucenſi, Martino Polono, Theodorico à Niem, Ioannes de Columna, & alijs horū temporum ſcriptoribus, qui huius Pontificis vitam edidére, excepi. Qui pontifex altero pòſt conſecrationē anno, Chriſti verò MCCLXXIIII. maximo Chriſtianorum concilio Lugduni in Gallijs congregato multas ſuper eccleſiæ catholicæ reformatione leges edidit, quas canones appellant. Inter quas has quoque de futura Romani pontificis electione tulit, longiſsimis interregnis quæ in poſterum accidere poſſent, remedium aliquod allaturus. Quæ proceſſu temporis paululum varietate in hanc propemodum formam ex vſu redactæ ſunt.*

*Præcipuæ leges, quæ in comitijs Romani pontificis ſeruari debent.*

I *Vt noui pontificis comitia habeantur loco idoneo, vbi pontifex præcedens cum ſua curia reſidens, cauſarumq; & literarum apoſtolicarum audientiam habens, mortuus fuerit. Quod ſi in villa, pago, aut oppido obierit, & propterea commodè ibidem comitia haberi nequierint, in vrbe, in cuius diœceſi villa, pagus, vel oppidum fuerint habeantur, niſi interdicta ſint. Quo caſu in proximiore vrbe non interdicta ipſa electio fieri debet. Si verò ipſa audientia alio loco fuerit, tunc non vbi papa obierit, ſed vbi eadem audientia fuerit, futuri pontificis creatio habeatur Gregorius X. & Clemens V.*

II *Vt mortuo pontifice, comitia non habeantur, niſi ad minus decem dierum ſpacio interiecto, quo tempore, & cardinales abſentes expectari, & nouem dialia demortui pontificis per cardinales præſentes celebrari debēt.*

III *Vt cardinales omnes quauis ratione à conclaui abſentes, nullum ferendorum ſuffragiorum ius habere poſsint.*

IV *Vt non ſolum cardinales abſentes, ſed & omnes cuiuſuis ordinis, & conditionis homines in Romanum pontificem creari poſsint.*

V *Vt finitis nouendialibus, ſacrisq; die decimo rite ſancto ſpiritui factis, omnes cardinales, qui adſunt (ſiue abſentes venerint, ſiue non) in palatio, in quo mortuus pontifex habitabat, loco tuto, vndique cluſo, ac optimè cu-*



*mè cuſtodito, quod conclaue vocant, recludantur, cum duobus tantum, vel, vt nunc conſuetudo eſt, tribus, aut quatuor famulis, qui eis neceſſaria ſubminiſtrent, quo in loco comitia habeantur. Nec alicui præterea fas ſit, locum ingredi, vel egredi, niſi infirmitatis cauſa, certisq; quibuſdam hominibus, quorum opera in conclaui exiſtentibus, maximè eſt neceſſaria. Is porro locus conclauis nullum intermedium parietem habeat, ſed omnes cardinales in cellulis ſuis laneis diſtinctis pannis ipſum inhabitent in communi.*

VI *Vt locus, & portæ conclauis diligentiſsimè cuſtodiantur, ſi Romæ electio habeatur, primum à prætorianis, deinde à Regulis Romanis, & oratoribus principum ſacramento prius aſtrictis, demum in loco oſtio conclauis proximiore ab epiſcopis, & conſeruatoribus vrbis. Si autem extra vrbem comitia hæc habentur, à loci eiuſdem dominis temporalibus, eodem iuramento fidelitatis obligatis. Quorum munus eſt, conclaue cuſtodire, & diligenter cauere, ne quid conclaui inferatur, ſeu exportetur, quò minus legitima ſuffragia ferri poſsint, atq; ſingula ſcrutari, quæ vel cibi, vel alterius rei cauſa inferuntur ad eos, & prouidere, ne quid detrimenti patiantur cardinales, omnibusq; ipſorum nutibus præſto eſſe ac eligere pontificem differentes ad maturandum arctare. Milites verò prætoriani, ac Reguli Romani conclaue ab omni impreſsione tutum reddere debent.*

VII *Vt cardinales conclaui egredi nulla ratione poſsint, niſi Romano pontifice creato, quod ſi re infecta egreſſi fuerint, ab his qui conclauis cuſtodiæ præſunt, iterum ingredi cogi debent.*

IIX *Vt Cardinalibus venientibus poſt ingreſſum cōclauis, & ante papæ creationem, poteſtas ſit cōclaue ingredi, & cum cæteris ſuffragia ferre, nullusq; cardinalis quauis occaſione, aut prætextu etiam excommunicationis vinculo innodatus, ab electione ipſa arceri poſsit.*

IX *Vt poſt triduum ingreſſus conclauis, niſi Pontifex renuntiatus fuerit, epiſcopi, Reguli Romani, & qui conclauis cuſtodiæ præſunt, maximam in epulis, & cibis, quæ cardinalibus inferuntur, rationem habeant, & illis non niſi ferculum vnum inferri permittant.*

X *Vt in comitijs habendis ſub anathematis pœna, nulli fas ſit aut largitione vti, aut quicquam polliceri, aut prenſare, ſiue ambiendo, animos cardinalium ſibi in noua creatione deuincire. Quo interim tempore cardinalibus nulli alij negocio vacandi ius, poteſtasq; ſit, quò electio maturetur.*

XI *Vt nemo Romanus pontifex renuntiari poſsit, niſi duarum partium ex tribus Cardinalium, in conclaui præſentibus integra ſuffragia tulerit.*

XII *Vt mortuo Romano pontifice, omnes eccleſiaſtici magiſtratus, & officia ſtatim ceſſent, atq; à muneribus ſuis vacent præter pœnitentiarum maiorem, minoresq;, & camerarium S. R. E. quorum munera etiam mortuo papa perdurant. Ex libro 6. decretalium, Bonifacij papæ VIII. libro primo, titulo ſexto de electione & electi poteſtate, capite tertio, Vbi periculum. Item libro Clementinarum primo, titulo tertio, de electione & electi poteſtate cap. Ne Romam.*

*Porro autem iuxta Gregorij X. conſtitutionem, Arretij, vbi Gregorius X. papa obierat, primum papa creatus eſt Innocentius V. ex ordine Fratrum Prædicatorum ad epiſcopatum Oſtienſem aſſumptus anno ſalutis M CCLXXVI. deinde eo mortuo Hadrianus V. Romæ: nouiſsimè Viterbij Ioannes papa XXI. Vigeſimus ritè dicendus, vt ex ijſdem auctoribus, quos paulò antè citaui, intelligitur. Idem refert gloſſa capituli vbi periculum quam fecit Io. And.*

## INNOCENTIVS V.

INnocentius quintus, Petrus Tarantaſienſis antea vocatus, natione Bur- 192. Pont.
gundus, ordinis ſancti Dominici, vir in ſacris literis doctiſsimus, anno Domini MCCLXXV. Arretij pontifex creatur: vnde paulò pòſt Romam abiens, in ſancto Petro coronatus, ſtatim animum ad pacandas res Italas adiecit. Quare legatos magnæ auctoritatis viros miſit, qui & Etruſcos in perniciem Piſanorum conſpirantes, & Genuenſes ac Venetos de vita ac ſanguine inter ſe certantes, ab armis diſcedere ſub anathematis pœna cogerent. Aderant & oratores Caroli regis, cuius etiam auctoritate rem magis ex ſentētia confici poſſe ſperabat. Fecêre mandata Etruſci, maximè Florentini, quos ob hanc rem pontifex ab interdicto Gregorij abſoluit. Genuenſes autem & Veneti, quorum odia magis inoleuerant, in armis continuò erant, ſeſe inuicem mutuis cladibus conficientes, quos tamen Innocētius in ſententiam ſuam traxiſſet, ſi ei diutius viuere licuiſſet: adeo ad eam rem animatus erat. Moritur autem pontificatus ſui menſe ſexto, die ſecundo, ſepeliturq; in Lateranenſi baſilica. Quo minus autem mors eius moleſta presbyteris ſecularibus videretur, effecit eius iudicium paulò antè latum. Nā cum Viterbij inter ſacerdotes cathedralis eccleſiæ & fratres prædicatores de corpore Clementis quarti orta contentio eſſet, vterque enim ordo ſanctiſsimum corpus apud ſe volebat, adiudicauit id fratribus committi debere, quò diceret ſanctiſsimum pōtificem id ita dum viueret inſtituiſſe. Hanc itaq; ob rem leuem offenſiunculam Innocentius contraxit, alioqui vir optimus, & de quo bona omnia ſperari poterant.

## HADRIANVS V.

193. Pont. HAdrianus quintus, patria Genuēſis, familia Fliſca, Othobonus antea vocatus, Romæ in atrio Lateranenſi pontifex creatur. Fuit aūt Innocentij quarti nepos: ſanctiq; Hadriani diaconus cardinalis ab eodē creatus, & in Angliam legatus cū ſumma poteſtate miſſus, ad ſedandū tumultum inter regē & barones ortum. Creatus itaq; pōtifex, Viterbium ſtatim proficiſcitur: Rodulphumq; imperatorē ad comminuendā Caroli potentiā, qui tum Romæ omnia pro arbitrio agebat, in Italiā vocat. Verùm Rodulphus Boēmico implicitus bello, Hadriano ſatisfacere nō potuit. Carolus aūt ad declinandū inuidiā intētus, oēm vim belli in Achaiam transfert, viam ſibi ad imperium Cōſtantinopolitanum facturus. Verùm mortuo Hadriano pontificatus ſui die quadrageſimo, in Italiam redijt. Moritur aūt pontifex Viterbij ante munus conſecrationis ſuæ, ſepeliturq; in cōuentu fratrum Minorum. Fuerat quidē ei in animo, & ditionem eccleſiæ tutiorem à tyrannis reddere, & cōſtitutionem Gregorij de eligendo pōtifice, in meliorem formam redigere, nō omnino tollere. Eius aūt conatibus & animi magnitudini mors obſtitit. Vacat tum ſedes dies octo & viginti.

## IOANNES XXII.

194. Pont. IOannes vigeſimus ſecundus, natione Hiſpanus, patria Vlixiponenſis, Petrus antea vocatus, ex epiſcopo Tuſculano pontifex creatur. Hic etſi doctiſsimus eſt habitus: tamen ignoratione rerum gerendarum, & morum inæqualitate, plus detrimenti, quàm honoris & emolumenti pontificatui attulit. Multa enim ſtoliditatem & leuitatem prę ſe ferentia egit. in vno tantum cōmendatione dignus, quòd adoleſcentes literarum ſtudioſos, inopes maximè, beneficijs eccleſiaſticis & pecunia iuuit. Vexabant tum Veneti Anconitanos, quòd in Dalmatia mercaturam exercerent, nullo perſoluto Venetis portorio: neque eos (vt par erat) vectigales eccleſiæ pontifex ipſe tuebatur, in verbis tantummodo promptus, in rebus agendis timidi & infracti animi. Anconitani autem pontificis auxilio deſtituti, ſeipſos colligentes, eruptione facta, Venetos vrbem obſidentes, magno illato incommodo propellunt. Vſus tamen conſilio Ioannis Caietani, cuius nutu omnia tum gerebātur, quòd ipſius auxilio & ſuffragijs pōtifex creatus fuerat, legatos tum ad Palæologum, tum ad reges occidentales miſit, qui eos ſuo nomine cohortarentut, vt pace inter ſe inita, arma in Sarracenos & hoſtes Chriſtiani nominis pararent. Pollicebatur homo ſtolidus ſibi longam vitam, & diu ſe victurum omnibus prædicabat: quippe cuius vita & mores omnibus patebant, adeo erat inuerecundi & ſecordis ingenij. Sed ecce dum hanc ſtultitiam omnibus prædicabat, camera quædam noua, quā in palatio Viterbienſi extruxerat, ſubitò corruit, atq; inter ligna & lapides inuentus, ſeptima die poſt tantam ruinam acceptis omnibus eccleſiæ ſacramentis, pōtificatus ſui mēſe octauo moritur, Viterbijq; ſepelitur, vir (vt dixi) admodum literatus, ſed parum prudens. Multa enim in vita ſua ſcripſit, potiſsimum verò canones quoſdā ad medicinam pertinentes. Nā medendi arte admodum peritus habebatur. Scripſit & librum, quem theſauros pauperum vocat. Edidit & problemata quędam, Ariſtotelem imitatus. Sed hoc neſcio quo pacto compertum eſt, vt viri quidam admodum literati, ad res agēdas parum idonei videantur. Neſcio quo pacto dixi, cum mirum potius omnibus videri debeat, vt qui contemplatione delectatur, idem etiam rebus terrenis animum applicet.

### ANNOTAT.

*Poſt Innocentij V. mortem, qui ei ſucceſſit Hadrianus papa V. Gregorij X. de conclaui conſtitutionem ſtatim reuocauit. Cuius reuocationem, ſiue ſuſpenſionem, quod ante eius coronationem facta fuiſſet, inualida erat, Iones XXI. confirmauit. Atq; ſine conclauis recluſione, qui deinceps ei ſucceſſerunt Romani pontifices Nicolaus III. Martinus II. dictus IIII. Honorius IIII. Nicolaus IIII. & Cæleſtinus V creati ſunt. A Cæleſtino verò eadem qua Gregorius X. cauſa, moto, ipſius Gregorij conſtitutionem de conclauis recluſione denuo renouatam, & approbatam: qui ei ſuffectus eſt Bonifacius papa VIII. ratam habens, & confirmans libro decretalium ſexto regiſtrauit. A quo deinceps tempore vſque ad noſtram memoriam perpetuo obſeruata eſt. Hæc ex Gloſſa capituli vbi periculum. Cuius auctor fuit Io. Andrea celeberrimus iureconſultus.*





## NICOLAVS III.

NIcolaus tertius, patria Romanus, ex familia Vrſina, Ioannes Caietanus 195. Pont. antea vocatus, pontifex tandem creatur, protracta in ſex menſes electione, non ſine magna cardinalium contentione, quorum cōclaui ſenator Siciliæ rex præfuit, qui admodum inſtabat, vt vnus aliquis ex natione Gallica eligeretur. Nicolaus autem inito pontificatu, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimooctauo, Caroli potentiam comminuturus, Etruriæ vicariatum abſtulit, quod diceret Rodulphum id ægrè ferentem, nō aliter expeditionem pro terra ſancta promiſſam acturū, cum Etruria imperatoriæ iuriſdictionis haberetur. Hoc conſecutus pontifex, nihilominus Flaminiā ipſamque Bononiā cum Exarchatu Rauennatū, quæ tum imperatori ſuberāt, in poteſtatem ſuam redegit: eoq; miſit Bertoldum nepotem, Romādiolæ comitē declaratū. Miſit & alterū nepotem Latinū cardinalem legatum in Etruriā, qui reſtitutus vbiq; Gibellinis, Florentiæ ac in cæteris Etruriæ vrbibus pro arbitrio animi magiſtratus impoſuit. Munus verò ſenatorium, quod principibus & regibus demandari conſuerat, ipſe ſolus obiuit. Legatos Venetorum (qui tum Anconitanos bello vexabāt) à conſpectu ſuo reiecit. Abeuntes præterea ex itinere reuocatos, grauiſſimis verbis increpauit: & perniciem eorum ciuitati cōminatus eſt, ni ab Ancona oppugnāda deſiſterent. Tandem verò multis vltro citroq; illatis incōmodis, æquis conditionibus pax inter vtranq; ciuitatem componitur. Huic autem pōtifici in animo fuerat duos reges creare, vtrunq; Vrſinum: quorum alterum Etrurię, alterū Lombardiæ præficeret: qui inde Teutonicos partem Alpium incolentes, hinc Gallos Siciliam & Regnum Neapolitanum tenentes, armis in officio cōtinerēt. Vt verò id ei facere liceret, Petro Arragonum regi perſuaſerat, vt iure hæreditario Conſtantiæ vxoris ſuæ, regnum Siciliæ repetere anniteretur. Senatoriam autem dignitatem ipſe à Carolo ad ſe trāſtulit, vetuitq; perpetuo edicto, ne quis rex aut princeps magiſtratum ipſum petere aut obire auderet. Fuit autem Nicolaus pontifex (vt auctores ſcribunt) vir magni animi atq; cōſilij, adeoq; moribus & vita integer, vt vernacula lingua cōpoſitus vulgo diceretur. Amator & cultor doctorum virorum, & eorum maximè, qui doctrinā cum prudentia & religione coniunctam haberēt. In partiendis autem dignitatibus & honoribus, cōmunis omnibus eſt habitus. Nam ſemel habita poteſtate ſacrorum initiandorū, Albanum epiſcopum ex ordine Minorum, Oſtienſem & Portuenſem ex ordine Prædicatorum delegit. Prænestinus & Tuſculanus epiſcopi ſeculares fuere. Creauit & duos presbyteros, videlicet Gerardum tituli duodecim apoſtolorū, & Hieronymum ordinis Minorum, tituli ſanctæ Pudentianæ. His addidit duos diaconos, videlicet Iordanem fratrē ſuum ſancti Euſtachij, virum multę doctrinę & innocentiæ: & Iacobum Columnam ſanctæ Marię in via Lata, virum exactæ religionis & grauitatis. Aedificijs præterea ædes pontificias exornauit. Aedes enim apud ſanctum Petrum percommodè extruxit, quarum partem aliquā adhuc cernimus. Has poſtea Nicolaus quintus magna impenſa reſtituit. Cinxit etiā mœnibus in vrbis modum pomarium ſancti Petri, quod viridarium nūc vocāt. Eccleſiam quoq; ſancti Petri ferè vetuſtate collabentem reſtituit, ac pictura ſummorū pontificum exornauit. Idem etiam fecit in baſilica Pauli. Auxit pręterea mirum in modum diuinum cultum, aucto canonicorū numero, & ſeruientiū eccleſijs prouentu. Diuiſit etiam ordines eccleſiaſticos inter ſe, & quid cuiq; conueniret oſtendit. Habitationes quoq; vnicuiq; aſsignauit: vt & aduenæ ſcire poſſent, quo in loco quiſque magiſtratus, curialis præſertim, inueniri poſſet. Perfecit etiā Lateranenſes ædes ab Hadriano quinto antea inchoatas. Cōdidit præterea à fundamentis Sancta ſanctorum, primo ſacello iā vetuſtate collapſo: templumq; ipſorum opere vermiculato (vt adhuc cernitur) & cruſta marmorea exornauit: eoq; trāſtulit apoſtolorum capita, donec templum Conſtantinianū ſua impenſa reſtitueretur. Quo facto, ſtatim in capſulis argenteis ſuo iuſſu extructis, comitāte populo in templum reſtituit: condunturq; in ſacello ad eā rem percommodè fabricato. Eodem quoque die baſilicam ipſam conſecrauit, pridie nonas Iulij is dies eſt habitus. Scribunt hiſtorici quidam, neminem ante ipſum ſacrificare reli

gioſius viſum, cum ſemper dũ ſolennia ageret lachrymas funderet. Erat enim re
ligionis obſeruantiſſimus, & adeo ordinis Minorum, ob contemptum rerũ hu-
manarum, amator, vt ipſe etiam decretali epiſtola quædam ipſius ordinis ambi-
gua declarauerit. Vacãtibus eccleſijs nullus pontifex celerius ac maturius conſu-
luit, cum eas ſtatim optimo cuiq; & idoneo cõmiſerit. Prius enim mores homi-
num & doctrinã inſpiciebat, deinde vacãtes ſedes his ſtatim committebat: quòd
diceret in mora periculum eſſe, cum non deeſſent, qui diuina etiam cupidiſſimè
diriperent & occuparent. Notarios & tabelliones, vtpote ſanguine pauperum
litigantium viuentes, à ſe vt peſtiferos reiecit, Gregorium decimum & Ioãnem
vigeſimumprimum hac in re imitatus. Verùm quoniam vbique terrarum ma-
gna in magiſtratibus corruptela erat, cõſtituit ne magiſtratibus ipſi vllo in loco
magis quàm annui crearẽtur: eos ſi quiſpiam retinere vlterius auſus fuiſſet, ana-
thematis pœna notabatur, à qua, niſi à põtifice abſolui nõ poſſet. Multa prætereà
cõſtituit, ad vtilitatẽ cleri populiq; Chriſtiani pertinentia, vt in titulis ſuis appa-
ret. Non caruit tamẽ in tantis laudibus reprehenſione. Suos enim ita amaſſe dici
tur, vt aliũde raperet quod eis cõdonaret. Nã quibuſdã nobilibus Romanis caſtel
la vi abſtulit, ac ſuis dono dedit, maximè verò Surianum. Vbi idem põtifex cibi
ac potus continentiſſimus, ſubita tamẽ morte correptus, tertio ſui põtificatus an
no, menſe octauo, die quintodecimo moritur. Quam mortem prædixiſſe quen-
*Tiberis inundatio.* dam ferunt, notato per excreſcentiã Tiberis vaticinio. Adeo enim in immẽſum
excreuerat, vt altare ſanctæ Mariæ rotundæ quatuor pedibus & eo amplius exce-
deret. Eius autem corpus Romã delatum, in ſacello beati Nicolai à ſecondito in
baſilica ſancti Petri ſepelitur, tumulo marmoreo & vermiculato opere exorna-
to, quem adhuc cernimus, anno Domini MCCLXXX. aſſumptionis octaua die.
Quo quidem anno Carolus rex beatæ Magdalenæ corpus iam antea à beato Ma-
ximino in villa ſui nominis cõditũ, ornatiore ſepulchro & maiore ſacello exor-
nauit: caputq́; eius ſeorſum in theca argentea cõdidit. In morte autẽ Nicolai va-
caſſe põtificatum quinq; menſibus ferunt. Nam dum Viterbij à cardinalibus no
ui põtificis electio fieret, præeſſetq́; conclaui Richardus ex Hannibaldenſium fa-
milia Romana, ac ſine cõtentiõe primaria, qui paulò antè Vrſum mortui Nico-
lai nepotem, prætura Viterbienſi deiecerat: erat enim huius familiæ hoſtis acerri
mus: duo cardinales ex familia Vrſina impediebãt, quò minus electio fieret, niſi
Vrſus in præturam reſtitueretur. Hãc ob rem Viterbienſes Richardũ ſecuti, con-
claue ingreſſi, cardinales capiunt, & in vincula conijciũt. Quod vbi Romæ ſcitũ
eſt, eadem Hannibaldenſiũ factio familiã Vrſinam ab vrbe pellit, quæ ſtatim po-
pulariter cum ſua factione abiens, Præneſte ſeceſſit. Poſt quintum itaq; menſem
Gallici cardinales abſentibus Vrſinis, ſuffragijs Italos ſuperantes, Gallicum pon
tificem creant.

## MARTINVS IIII.

*196. Pont.* MArtinus quartus, Simon antea vocatus, tituli ſanctæ Cæciliæ presbyter
cardinalis natione Gallius, patria Turonenſis, pontifex electus, Viter-
bij coronari noluit, quòd ei ciuitati ob impetum in cardinales factum,
interdictum ſacris putabat. Vrbem itaque veterem petens, quod Oruietum vo-
cant, eo loci omnia ſolennia peregit decimo calendas Aprilis. Reſurrectionis
autem die ſex cardinales creauit: quorum de numero fuere Comes Mediolanẽſis
tituli ſanctorũ Marcellini & Petri, & Benedictus Caietanus ſancti Nicolai in car
cere Tulliano diaconus. Regem verò Carolum ad ſe venientẽ, non modò perbe
nignè ſucepit, verùm & eidem ſenatoriam dignitatẽ, qua à Nicolao priuatus fu-
erat, reſtituit, quod nõ ita ab omnibus probatũ eſt, cũ ea res excitatura videretur
magnas in vrbe ſeditiones, reuerſis iam Vrſinis & pulſis Hannibaldenſibus. Vrſi
nis enim ob odium in Nicolaum cõceptum, Carolus mirificè aduerſabatur. Io-
annes itaque Latini fratris vlturus iniurias, tutaturusq́; dignitatem ſibi à populo
Romano traditam, comparato ſatis iuſto exercitu, in Viterbienſes mouens, eo-
rum agros longè ac latè populatus eſt. At Martinus qui tum in Monteflaſcone e-
rat, Viterbiẽſium calamitate permotus, Matthæum ex gẽte Vrſina cardinalem,
Romam



Romam properè miſit ad res componendas: qui ex itinere Ioannem populi Ro-
mani capitaneum (ita enim populi ducem appellant) ſecum duxit. Venerant &
eò omnium factionum capita mandato legati: maximè verò Richardus Hanni-
baldenſis, vt ab interdicto, quod Viterbij cõtraxerat, dum conclaue violenter ir-
rupit, & cardinales Vrſinos in carcerem cõiecit, abſolueretur legati auctoritate.
Is itaque ad cardinalis pedes prouolutus, laqueum collo gerens, quod eſt maxi-
mum pœnitentiæ ſignum, ac veniam petens abſoluitur. Compoſita autem hoc
modo inter vtranq; factionem pace, reuocatoq́; exercitu Romano ab iniuria Vi
terbienſiũ, põtifex Romanis ſtatim cõceſſit, vt ex ciuibus duos ſenatores ſibi de-
ligerent, qui vrbem gubernarẽt. Delecti itaq; duo, Hannibaldus Petri Hannibal-
di filius, & Pandulphus Sabellus, qui ciuitatẽ toto ſuo magiſtratu optimè guber-
narunt: eo potiſſimùm tempore, quo Martinus pontifex Palæologũ vnionis pa-
cta non ſeruãtem, inſtante Carolo Siciliæ rege excommunicauit. Tum verò Pa-
lęologus Caroli potentiã veritus, clã fœdera cũ Petro Arragonię rege inijt, qui re
gnũ Siciliæ ob Conſtantiã vxorem Manfredi filiã, & Corradini neptẽ, ſuo iure re
petebat. Communi itaq; impenſa magna claſſis ab vtroq; parabatur. Quare põti-
fex legatum ad Petrum mittit ſciſcitatum, quid ſibi vellent tãti apparatus. Cui il
le ita reſpondit, interiorem ſe tunicã laceraturum, ſi illam arbitraretur ſuarum
cogitationum conſciã fieri poſſe. Abijt itaq; re infecta legatus. Petrus verò com-
parata iam claſſe in Africã cõtendens. Hipponenſium littora vehementer popu-
latus, in Sardiniam redijt, expectans vt à Ioanne Prochita res nouę in Sicilia ori-
rentur, quemadmodum inter eos conuenerat.

Oborti ſunt interim & noui motus in Ciſalpina Gallia. Nam Vicecomites
familia nobiliſsima, duce Luchino Turrianos admodum potentes, Mediolano
pellunt. Inde verò Luchinus in Etruriam vicarius ab imperatore miſſus, apud
Miniatem oppidũ ſe continens, Florentinos & Lucenſes grauiſſimis incurſioni-
bus vexabat, ſpretis pontificis interdictis, quibus hominem à ceruibus ſociorum
remouere conabatur. Peruſini quoque ſumptis armis ita Fulginiates tum inua-
dunt, vt eorum vrbem vi cœperint, & mœnia aliqua ex parte demoliti ſint. Quã
ob rem à pontifice ſacris interdicti, veniam deinceps meruere, perſoluta tamen
prius magna pecunia pœnæ nomine. Interim verò Siculi, quorum motus rex Pe
trus in Sardinia expectabat, ſuperbiam ac libidinem Gallorum amplius ferre ne
queuntes, ſuadente Ioanne Prochita, in Carolum coniurationem ineũt, data die
ad rem conficiendam, vt cum primum veſperi campana audita fuerit, vbiq; Gal-
li nullo ſexus diſcrimine habito cæderentur. Qua in re adeò certè ſæuitũ eſt, vt e-
tiam mulieres Gallico compreſſu prægnantes cæſæ dicantur. Hinc tritus ille ſer-
mo eſt, cùm quis multorum interitum exoptat, vt veſperas Siculas cõmemoret.
Malum quoque fatum expertus eſt eodem tempore Guido Appius, cũ octingen-
tis equitibus Gallici nominis, ad recuperandam Romandiolam miſſus põtificis
nomine. Nã dum Forumliuij obſidet, eſſentq́ue erumpendi cupidi ciues, Guido
Bonatus aſtrologiæ peritiſſimus, conciues ſuos adhortatus eſt, expectata aſtrorũ
benignitate, vt tum demum erumperent, quãdo eis ſignum daret. Fecere illi mã
data, & in tempore erumpentes Guidonẽ cum omnibus ferè Gallis interfecere.
Atque ita vrbs tãta obſidione liberata eſt. Carolus autem audita Siculorum de-
fectione & ſæuitia, cum magnis copijs in Siciliam traijciens, primo Meſſanã vr-
bem obſidet, quam certe per deditionem tandem cœpiſſet, niſi Galli vltionis cu
pidi, deleturos ſe vrbem minati fuiſſent. Tum verò Petrus Arrago tantos motus
(vt diximus) expectans, ea de re certior factus, è Sardinia properè in Siciliam tra-
ijciens, Panhormũ contendit, à ciuibus & Siculis perbenignè ſuſceptus: à quibus
etiam regium nomen conſecutus eſt, confluẽte vndiq; ad eũ omni multitudine.
Hanc ob rem Carolus perterritus, Meſſana relicta, in Calabriã ſe ſtatim recepit,
expectaturus filium Salerni principẽ, quem paulo poſt è Narbonenſi prouincia
cum aliquot cohortibus venturũ ſciebat: Reprehenſus à Carolo Petrus Arrago,
quòd affinis cõſanguineusq́; regnũ inuadere auſus eſſet, reſpondit ſe miſericor-
dia motum, calamitoſo populo & indigna ferenti petitã opẽ negare non potuiſ-
ſe: quanquam id quoq; regnũ iure hæreditario ei deberetur, propter vxorẽ Con-
ſtantiam

ſtantiam Mãfredi filiam,& Corradini neptem. Concreſcentibus autem vltro citroque iurgijs, res tãdem ad ſingulare certamen deducta eſt: hac conditione tamen, vt vterq; rex centum ſibi ad tãtum certamen commilitones cooptaret, loco certandi apud Burdegalam delecto.

Vtriq; enim rex Angliæ affinitate coniunctus erat, qui tamẽ certamẽ,, adiuuãte Martino põtifice, tãdẽ diremit. Verùm cũ nihiſominus Petrus Carolũ bello premeret, Martinus Gerardum Parmenſem cardinalem, legatum Neapolim miſit, qui & populos in fide Caroli contineret, & Carolum ipſum adoleſcentẽ cõſilio & auctoritate iuuaret. At verò cum Petrus Rogerium Doriam claſſis ſuæ præfectum Neapolim miſiſſet, Carolus aliter ſentiente legato & reclamãte, nequaquã tãtum regnum fortunæ committẽdum eſſe, in hoſtem mouens, non lõge à Neapoli, ingenti ſuorum clade ſuperatur: & captus in Siciliã primo, deinde in Arragoniã perducitur. Hoc certe ei nõ accidiſſet, ſi bene monenti legato (vt par erat) obtemperaſſet. Nã paulò pòſt pater Carolus cum ingenti claſſe ſuperuenit, qua etiã cum hoſte nondum victore decertare potuiſſet. Martinus autem calamitate Caroli permotus, Petrum Arragonẽſem anathemate notat, eiusq; regnũ in prędã id occupare volenti exponit, ſubiectos, à Petri iuramẽto abſoluit, cruce ſignatos in hominem cõcitat, bonorum eccleſiaſticorum vſurpatorẽ, vt ipſe dicebat. Milites quoq; eccleſiaſticos Carolo auxilio miſiſſet, ni ei bellũ in Flaminia gerere neceſſe fuiſſet contra Foroliuianos, qui adiuuãte Guidone Montisfeltri comite, deficere ab eccleſia ſunt auſi, & quædã etiam Caſtella haud longe poſita oppugnare. Verum cum Guido ipſe pœnitentia ductus, pacem cum põtifice inijſſet, & mœnia Foroliuianorum demolitus eſt in vltionem Guidonis Appij, & magnã partem Flaminiæ breui recepit. Vrbinum quoq;, quod tũ oppugnabat, cæpiſſet, ni Rubeus Anguillarius Etruriæ comes, in oppugnatione ipſa mortuus fuiſſet. Duo tũ caſtris præerãt duces, quorum alter in Etruriam miſſus eſt, ad eã orã tuendã, quæ ad Soanam vergit: alter verò (quem Iuuenatij comitem vocabant) obſidionem iuſſu pontificis continuabat, ſubminiſtrante clãculum auxilio & commeatu oppidanis ipſis Guidone Mõtefeltrano. Interim verò cũ Martinus curis agitatus addubitaret, à quo duorum populorũ, Piſanorum ſcilicet & Genuẽſiũ, contra Petrum Arragonẽſem auxiliũ peteret, tãta repẽte inter hos de poſſeſſione Corſicę cõtentio exorta eſt, vt ipſi aliũde auxiliũ peterẽt. Legatũ tamen apoſtolicũ pontifex adhortatus eſt, vt tã diu populos in fide contineret, quòd Carolus cũ ſupplemẽto copiarum ſuperueniſſet. Ingreſſus deinde Neapolim Carolus cõfirmatisq; ciuium animis, in Africã proficiſcens febri correptus moritur: quare ad legatum ipſum totum gubernandæ prouinciæ pondus recidit. Erat tũ rumor ac prope conſtans fama, Philippum regis Franciæ filium, comitem Atrebatenſem, eius regni cauſa aduentare: qui tamen deterrere Petrum nõ potuit, quò minus regnum vexaret, cum iam conſtaret eum cum paruis copijs aduentare. Nam pater Philippus in Arragoniam cum magno exercitu profecturus erat, ad occupãdum Petri regnum à Martino põtifice grauibus cenſuris prius interpoſitis, in prædam occupanti datum. Põtifex autem tot curis circunuentus, Vrbeuetanis etiam tumultuãtibus (nam Gibellini Guelphos expulerant,) Peruſium proficiſcitur. Vbi nõ multò pòſt lenta febri diu vexatus, tãdem moritur, põtificatus ſui anno quarto, menſe vno, ſepeliturq; in cathedrali baſilica. Ad cuius ſepulchrum multi valetudinarij delati, multi cæci perducti, muti & claudi priſtinam valetudinẽ ſanctiſſimis pontificis meritis à Deo recepere.

## HONORIVS IIII.

197. Pont. HOnorius quartus, patria Romanus, è gente Sabella, familia nobiliſſima, Iacobus antea vocatus, diaconus cardinalis, Peruſij pontifex creatus, Romam venit, anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo quinto, fratre eius Pãdulpho ſenatoriam dignitatem tum gerente. Tantæ enim ſeueritatis & iuſtitiæ Pandulphus eſt habitus, vt quoties Romani ciues purgare vrbem latronibus, ſicarijs, furibus, parricidis vellent (quorum tũ in ſolo Romano magna copia ob ſeditiones ciuiũ erat) nõ aliũ ſenatorem, quam Pãdulphum expo-



ſcerẽt. Is etſi podagra & chiragra vexabatur, non tamẽ animi magnitudine & conſtantia à benè valentibus ſuperabatur. Eodem quoq; morbo ita etiam interdũ Honorius laborabat, vt ei inſtrumentis quibuſdam ad id aptè fabrefactis, ſacrificare neceſſe eſſet. Conſilio tamen, & prudentia tãtum valuit, vt nõ multũ corporis vires in eo deſiderarentur: quippe cum ſolus plura prope videret, quàm omnes ſimul, qui tum in vrbe aderãt. Habitauit hic in Auentino apud ſanctã Sabinam, egregiasq; ædes (quarum veſtigia adhuc cernũtur) in monte ipſo ædificãs eò ad incolendum multos quoque Romanos excitauit, vnde breui mõs ipſe frequentibus ædificijs incoli cœptus eſt. Cum aũt neminẽ lædere in pontificatu ſuo cõſtituiſſet, omnibus prodeſſe quoad fieri poterat, prouocatus Petri Arragonũ regis iniuria, qui regnũ Siciliæ occupare conabatur, Martini interdicta cõtra Petrum confirmauit. Rodulphus autẽ imperator comparandæ pecuniæ ſtudioſus, cancellarium ſuum è gente Fliſca in Etruriã miſit: qui populos omnes liberos faceret, & eos potiſſimum, qui ſe pecunia redimerent. Perſoluere autem ob eã rem Lucenſes duodecim millia nummũ auri. Florẽtini verò ſex millia, qui ſtatim liberi omnino facti, magiſtratum (quem priores artium vocãt) addito vexillifero iuſtitię creauere. Non diſplicuit hęc vẽditio Honorio, licet indigna tãto principe videretur, quòd ea ratione eccleſiaſtica ditio futura ſecurior videbatur, cũ nõ amplius imperatori liceret liberas ciuitates vexare. Dum verò rex Franciæ vrbẽ Gerundenſem obſideret, curaretq; Petrus Arrago, quò minus in caſtra hoſtiũ cõmeatus à Narbona ferrẽtur, acri prælio cõmiſſo graue vulnꝰ accipiẽs, paulò poſt malè curatus moritur, atq; ita Gerũda dedẽtibus ex pacto ciuibus, in poteſtatẽ regis Frãciæ redacta eſt, qui nõ diu ſuperuixit. Ex febre enim moritur cõtracta in caſtris, dũ Perpinianũ obſidet. Cuius etiã claſſis nõ multò pòſt in portu Narbonẽſi à Rogerio Doria capta & incenſa eſt. Duos habuit filios Petrus Arrago, Ferdinandũ & Iacobũ. Ferdinandũ aũt natu maiorẽ Arragonię, Iacobũ verò Siciliæ regẽ ex teſtamento reliquit. Hac autẽ ratione mortuis primis regibus, bella ad ſecundos tranſlata ſunt: qui hinc Piſanos, hinc Genuẽſes maritimis prælijs inſignes, trahere in partes ſuas conabantur. Verũ hi odio & armis inter ſe certantes, tanta rabie apud Lamellum inſulam Piſano portui vicinã concurrunt, vt ex Piſanis, qui triremes quadraginta nouẽ amiſere, duodecim millia hominũ deſiderata ſint, partim cæſa, partim capta: quam quidem calamitatẽ Honorius ita ægrè tulit, vt paulum abfuerit quin Genuenſes obſtinatè nimiũ Piſanos inſequẽtes, interdicto eccleſiaſtico notaret. Ea calamitas adeò certè Piſanos attriuit, vt nunquã poſtea vires recuperauerint. Odoardus verò Angliæ rex in Vaſconiam tum ſe cõtulit, pacem compoſiturus inter Carolum adoleſcentem regis Franciæ filium, quẽ diximus bello captum, & Ferdinandum Arragoniæ regem. Confecta iam ex ſentẽtia res erat, & de libertate Caroli agebatur, cũ interim legatus apoſtolicus & comes Atrebatenſis, Auelini comite adiuuãte, Catinam vrbem occupant, eoq; ex Etruria collectas copias tranſmittunt. Hanc ob rem Odoardus re infecta in patriã redijt. Rogerius autem Doria gallicam claſſem ex Sicilia redeuntem occupãs, Ferdinandi regis fortunam meliorẽ reddidit. Adijcere certe animũ huic bello Honorius non potuit, quod armis à Guidone Feltrano in Flaminia vexaretur. Verũ tandem ſuperato Guidone, totam Flaminiam breui recipit. Non diu tamẽ pòſt moritur põtificatus ſui anno ſecundo, die vno, corpusq; eius à ſancta Sabina ad baſilicã Petri magna funeris põpa transfertur: ſepeliturq; ſepulchro marmoreo, quod adhuc extat in numerum à Pio põtifice tranſlatum, vt inſignia familię indicant, eiusq; epigramma: & meritò quidem, cum vir fuerit omni vita probatiſſimus, & Chriſtianæ religionis amantiſſimus. Nam & ordinem Carmelitarũ non ſatis in concilijs probatum, mutatis chlamydibus nigris in albas, & ordinẽ Eremitarum apud Pariſios improbatum, confirmauit. Solum autem cardinalẽ Ioãnem Buccamatium epiſcopum Tuſculanum, ſuo põtificatu creauit, viros dicẽs & eoſdem bonos ac doctos, non etiam rudes & rerum humanarũ ignaros, in tantum collegium cooptandos eſſe. Adeò verò aulicos amauit, vt quotannis, æſtate præſertim, Tibur proficiſceretur vitãdi æſtus vrbani cauſa, vnde multæ ægritudines oriuntur. Mortuo autem Honorio, decem mẽſibus ſedes tum vacat. Nã cum apud

apud ſanctam Sabinam conclaue haberetur,multi cardinales repentina ægritudine ſunt correpti,quorum de numero moritur Iordanus Vrſinus Comes Mediolanenſis,Hugo Anglicus,Geruaſius Andegauenſis decanus Pariſienſis,& Antherus vir inſignis. Hāc ob rē ſoluto cōclaui, in aliud tempus magis ſalubre rem ipſam reijciunt, maxime verò cū terræmotus ipſi,qui tum permagni fuere, religionem quandam iniecerint,quò minus tum quidem id fieret.

## NICOLAVS IIII.

198 Pont. NIcolaus quartus,natione Picentinus,patria Aſculanus, Hieronymus antea vocatus,ordinis Minorum frater & generalis, deinde presbyter cardinalis,apud ſanctam Sabinam,decimo menſe poſt mortem Honorij pontifex creatur,collocaturque in ſede Petri,ipſius ſancti cathedra. Reate deinde profectus ob ſeditiones,quæ tum Romæ ſubortæ erant,quoſdam cardinales creat ex omni fere religione. Omnes enim pariter amabat:nec plus debere affinibus & cognatis,quàm cuiuis bono arbitrabatur. Virtutes & vitia faciebant, vt in hūc magis quàm in illum inclinaret. Horum de numero quos cardinales creat,fuere Neapoleo Petrus Columna,Hugo de Biliamo ordinis Prędicatorum doctor inſignis,Matthæus de Aquaſparta Fratrum Minorum generalis, epiſcopus Portuenſis,Romam deinde poſt annum rediens,ſedatis aliquantulum perturbationibus ciuium,apud ſanctam Mariam Maiorem habitauit, quam baſilicam ipſe vnà cum Iacobo Columna reſtituit,vt in fornice maiori apparet:vnde Saluatoris ipſiusque pontificis ac Iacobi cardinalis imago ex opere muſiuo adhuc cernitur. Idem quoque pontifex anteriorem poſterioremq; partem baſilicę Lateranēſis reſtituit,ornauitque opere vermiculato,quemadmodum litteræ ipſæ indicant.

Interim verò reges Arragoniæ & Siciliæ his fœderibus, adhortante Nicolao pacem ineunt,vt rex Carolus è vinculis miſſus,ſua impenſa Iacobum Arragonē Siciliæ regem conſtitueret:quod niſi triennio id effeciſſet,in carcerem ſe rediturum pollicebatur,datis ob eam rem obſidibus duobus filijs:Carolo cui poſtea regi Vngariæ creato,Martello cognomentum fuit, & Ludouicum, qui poſt benè actam in ordine beati Franciſci vitam,in ſanctos relatus eſt. Dum hæc autem in Europa gererentur,Soldanus diſcordijs Chriſtianorum fretus, Tripolim Aſiæ ciuitatē inſignem quidem, interfecto Chriſtianorum præſidio,igni ferroq; vertit. Parem quoque calamitatem Sidon & Beritus pertulere, nemine adiuuante. Reſtabat Ptolemais in annos duos inducias à Soldano conſecuta: hanc vt tueretur Nicolaus pontifex annixus,milites ad vexillum Chriſti vocat, ære ſuo conductos. Hi ad mille & quingenti fuere. Hos poſtea multi nullo dato nomine,nullis ſignis & auſpicijs ſecuti, cum Ptolemaidem perueniſſent, non minora Chriſtianis quàm Sarracenis damna intulere. Soldanus autem cum res ſuas repetijſſet,nec redditæ eſſent,noſtris omnibus exitium comminatus eſt. Magna inter Chriſtianos de poſſeſſione Ptolemaidis concertatio tum orta erat,cum eam patriarcha Cōſtantinopolitanus,Templarij Teutonici,rex Cypri, Sicilię rex Carolus vindicare anniterentur. Erat & Piſanis in animo Ptolomaidem repetere ( vt ipſi dicebāt)ſuo iure,quos profectò bellum in Etruria ortum, à tāta rei fœditate auertit. Hi enim Vgolino comite cū duobus filijs,totidēq; neptibus in carcerem cōiectis,inedia interēpto,animos Gibellinorū in Guelphos ita cōcitarūt,vt omnibus pariter exitiū minarentur. In Arretinos primū arma cōuerſa ſunt,petentibus id exulibus Gibellinis. Præerat tamē Arretio Guillelmus Petramala eiuſdē ciuitatis epiſcopus,cui Feltranus comes & Florētini auxilio venerāt. Verū cū Florentini non ſatis ſuis copijs fiderent, etiam eò miſere Carolum ſecundum cum aliquot cohortibus,qui ad pontificem iturus, forte eà tum iter faciebat. In agro Tifernate collata ſunt caſtra caſtris:Tifernum,ciuitatem Caſtelli mutato nomine nunc vocant. Commiſſo itaque prę lio,magna ſtatim de Florentinis cędes fieri cæpta eſt. Verùm non ita multò pòſt mutata fortuna, cadētibus tamen in prælio Guillelmo epiſcopo,& Feltrano comite,ex Gibellinis ad tria millia interfecta,& duo millia capta dicuntur. Campaldinum locum vbi pugnatum eſt,accolæ dixere. Carolus autem tanta victoria potitus recta ad Nicolaum proficiſcitur,

ac



ac vtriuſq; Siciliæ regnum feudatario iure obtinet. Hoc vbi Iacobus Arrago intellexit,oppugnare Caietam ſtatim aggreditur. Ne quid autem deeſſet ad perturbandam Chriſtianorum quietem, inter Philippum Franciæ & Odoardum Angliæ reges,grauiſſimum bellum exortum eſt: quæ res & Chriſtianos in Aſia mirificè perturbauit,& hoſtibus noſtris delendi in Aſia Chriſtianorum nomē, audaciam & ſpem dedit. Soldanus enim,qui tum ægrotabat,ad centum & quinquaginta millia hominum,filio duce Ptolemaidem miſerat. Interim verò duorum mēſium obſidione protracta,patre mortuo,fili⁹ ſtatim ſufficitur:qui certè acrioribus animis vrbem oppugnans,completis foſſis, prædaque militibus promiſſa, ad mœnia vſque iam pugnādo peruenerat,cùm à Chriſtianis erumpentibus magno ſuorum incommodo in caſtra retruditur.

Dum hæc in Aſia gererentur,Nicolaus pontifex duos è latere legatos,Benedictum Caietanum,& Gerardum Parmenſem in Franciam properè mittit,qui cōpoſita inter duos reges pace,eos contra Sarracenos Ptolemaidem oppugnātes animarent. Nam & pacem inter Iacobum Arragonenſem & Carolum captū his conditionibus(quas ſupra memoraui)iam compoſuerat, quò omnibus in hoſtē liberius proficiſci liceret:& parare claſſem cœperat, de pace ferè certus. Sed nec reges ipſi pōtifici benè monenti obtemperarūt, nec qui in præſidio Ptolemaidis erāt inter ſe diſſidentes(quemadmodum poterant ) vim hoſtium propulſarunt. Dilabentibus enim quotidie multis,ſoli tum ad duodecim millia remāſere,qui poſtea cum patriarcha Hieroſolymitano per dromonem ad id ſeruatū, fugiētes, primò ſecunda nauigatione vſi,tandem ſub ipſam Cyprū naufragio periêre. Soldanus autem deſertam cultoribus vrbem ingreſſus, eam ferro ac flamma ſtatim euertit,anno cētesimo nonageſimo ſexto,poſteaquā à Gotifredo capta fuerat. In tātis autem malis inſula Cyprus & Armenia minor,Cilicia prius appellata,in fide Chriſtianorum tamē permāſere. Inſtabat tum vel maxime Nicolaus, veritus ne hoſtes reliquū Aſiæ occuparent,vt imperator Rodulphus eò copias ſuas mitteret. Quo nō ita multò pòſt mortuo, cū Adolphus de Naſſau electus ſucceſſor, imperij iura repeteret,ab Alberto Rodulphi filio in agro Spirenſi prę lio interficitur. Vir quidem inſignis,ſed parū milite ac pecunijs potēs:oppreſſus enim multitudine hoſtium,potius quā ſuperatus dicitur. Nicolaus autem pontifex tædio animi(vt quidam putāt)quòd male ſibi crederet omnia videre, quodque etiam pluſquam pontificem decebat,in partes declinauerat,Romæ apud ſanctam Mariam maiorem pōtificatus ſui anno quarto,mēſe vno,die octauo moritur,eoq; loci ſepelitur,ad caput baſilicæ apud Petri Columnæ cardinalis ſepulchrū, vt in pauimēto cernitur,emblemate & porphyreticis lapidibus notato. Poſt eius verò mortem cardinales Peruſium profecti,quò eis liberius eligere pōtificem liceret, rem ipſam diſcordijs inteſtinis biennio menſeque tertio in lōgum deduxêre. Interim autē Michael Palæologus imperator Cōſtantinopolitanus moritur. Quò minus autē eius corpus in loco ſepelitur ſacro, vetuêre ſacerdotes & monachi, quòd occidentali eccleſiæ in Lugdunenſi cōcilio acquieuiſſet. Andronicus autem Michaëlis filius,libenter tum quidem cum Latinis ſenſiſſet,ſi quid auxilij à noſtris habuiſſet. Verùm cū ſedes vacaret, deſtitutus auxilio Andronicus,à fide catholica tandem defecit. Hæc autem incōmoda Carolus ſecundus rex Neapolitanus proſpiciens,è Narbonenſi prouincia Peruſium veniens, cardinales ipſos ſæpius ad cōcordiam & electionem pontificis adhortatus eſt. Nec id quidem facere deſtitiſſet vir inſignis,niſi acriter reprehenſus à Benedicto Caietano patria Anagnino,quòd inſtando acerbè nimium, ipſis cardinalibus vim afferre videretur,quorum ſuffragia libera eſſe deberent.

## CAELESTINVS V.

CAeleſtinus quintus,Petrus Moroneus antea vocatus profeſſione anachoreta,patria Eſerniēſis,ſecundo à Sulmone milliario cœnobium incolēs inſtante Carolo rege & Latino cardinali pontifex creatur: adeò maiore omnium admiratione,quo ob ſanctitatem vitæ à tanto faſtigio rerum ſponte remotior eſſe videbatur. Aquilam itaque poſt creationem ſuam profectus, eò 199. Pont. Aquiliam:

T statim

ſtatim cardinales omnes Peruſio ad ſe vocat. Inſtabant tamẽ illi & litteris & nũ-
cijs, vt Peruſium proficiſceretur ciuitatem pontificali dignitati magis cõuenien
tem. Vicit demũ Cæleſtini ſententia, quòd ita velle Carolum regẽ intelligebat.
Omnes igitur eo profecti, Cæleſtinum ipſum vt verum põtificem adorant. Eius
autem coronationi interfuiſſe ducenta millia hominũ Ptolemæus ſcribit: & ſe
etiã affuiſſe fatetur, homines credo motos nouitate rei & ſanctitate viri, quòd ho
mo heremita ad tãtum dignitatis gradum non niſi diuinitus prouectus eſſe vide
retur poſt tam lõgam eligentium contentionem. Inito itaq; põtificatu, duode-
cim cardinales ſtatim creat viros integerrimos, quorũ de numero duo heremi-
tæ ſunt habiti. Verùm cum Cæleſtinus à priore vita ob pontificatum nequaquã
declinaret, adeo benignus & facilis omnibus petẽtibus erat, vt eadem diuerſis cõ
cederet: vnde & cõtemptus dignitatis, & imminutio pontificatus oriebatur. Erat
ſiquidem ob priuatam vitam, quã anteà in heremo duxerat, rebus agendis parũ
idoneus. Hanc ob rem de abrogatione eius mentio fieri cœpta eſt: maximè verò
mortuo Latino cardinali viro optimo, cuius auctoritate Celeſtinus tãtum pon-
dus adhuc ſuſtinebat. Verùm inſtantibus acriter cardinalibus quibuſdam, maxi-
mè verò Benedicto Caietano, viro in iure ciuili & canonico peritiſsimo vafroq;
qui primum locum apud põtificem tenebat, vt ſe pontificatu abdicaret, ne eccle
ſia Dei ob imperitiam gubernantis periclitaretur, de omittendo põtificatu cogi
tare cœpit. Hac autem eius leuitate & ſuperſtitione motus Carolus, hominẽ ami
ciſſimum Neapolim perducit, eiusq; animũ à tanta fœditate rei amouere cona-
tur, clamãte vbiq; locorum populo ſe nolle alium pontificem quàm Cæleſtinũ,
idq; ab eodem pontifice precibus & obſecrationibus contendente. Cui põtifex
reſpõdit, nil aliud ſe eſſe facturũ, quàm quòd Deus vellet, quodq; ipſe è rep. Chri-
ſtiana eſſe cenſeret. Tum verò cardinales abdicationẽ hominis quærentes, vehe-
mẽter inſtãt, vt id quamprimum agat, propoſito reipub. Chriſtianæ diſcrimine,
quod ſua ignoratione imminere omnium ceruicibus oſtendebãt, affirmãtes om
nia mala tum accidentia, die iudicij ſibi imputatum iri. Motus his verbis vir ſan
ctus & ſimplex, futurum ſe in eorũ poteſtate dixit, modò id iure fieri poſſet. Qua-
re cõſtitutio omnium conſenſu facta eſt, licere pontifici abdicare ſe magiſtratu.
Quam quidem cõſtitutionem Bonifacius octauus eius ſucceſſor poſtea cõfirma-
uit, quemadmodum libro ſexto decretaliũ apparet. Tum verò Cæleſtinus ad pri-
uatam vitam ſe redigens, alterius ſubrogandi põtificis cardinalibus ex inſtituto
poteſtatem dat, pontificatus ſui menſe ſexto. Atque ita Benedictus Caietanus
plurimorum conſenſu põtifex creatus, Cæleſtinum ad heremum abeuntem, ex
itinere ad ſe retrahit, eundemq; præfecto arcis Fumonis, quæ in Hernicis eſt, cu-
ſtodiendum tradit. Hac ratione motus, vt ipſe dicebat, ne auctores ſeditionum
aliquam calamitatem hoc duce eccleſię Dei aliquando inferrent, licet reuera ho
minis ſanctitatem admirarentur. Vtcunque eſt, cõſtat hominem ipſum magnæ
ingratitudinis & calliditatis fuiſſe: quippe qui ambitionis cauſa & virum ſanctũ
deceperit, dum eum magiſtratu ſe abdicare cõpulit, & captum vitam heremiti-
cam appetẽtem, in arce Fumonis dolore animi ante tempus mori coẽgerit, anno
vno, menſe quinto poſt initum pontificatum. Sunt autem qui ſcribant Cæleſti-
num poſt mortem adeo miraculis claruiſſe, vt plerunque in cõcilijs de eo in ſan-
ctos referendo habita mentio ſit: fuiſſeque pleroſque qui eum pro ſancto cole-
rent, & in catalogo Cõfeſſorum recenſerent. Eius autem celebritas quartodeci-
mo calendas Iulij, qua die moritur, quotannis obſeruatur ex inſtitutione Cle-
mentis quinti Auenioni facta.

## BONIFACIVS VIII.

200. Pont. BOnifacius octauus, natione Hernicus, patria Anagninus, Benedictus Ca-
ietanus antea vocatus, Neapoli pontifex creatur in vigilia natalis Do-
mini MCCXCIIII. vir quidem doctrina & experientia rerum inſignis.
Diu enim in curia verſatus fuerat, & per omnes dignitatis gradus ad pontifica-
tum, non ſine tamen ambitionis crimine peruenerat. Nam dum eſſet ſancti
Martini in montibus presbyter cadinalis, adeo dignitatem pontificatus exopta-
uit,



uit, vt nil ambitione & fraude prætermiſerit, quod ad eam rem conſequendam
pertinere arbitraretur. Tantæ præterea arrogantiæ fuit, vt & omnes ferè contem-
neret, & gratias à Nicolao quarto & Cæleſtino V. factas reuocauerit. Gibellinos
quoq; mirificè perſecutus eſt. Hinc oritur illa inter põtificem & Columnẽſes Gi-
bellinos cõtentio, qui etiam Anagniæ contra pontificem factionis ſuæ partes fò
uebãt. Hos itaq;, maximè verò cardinales duos, Petrum & Iacobum eiuſdem fa-
miliæ viros inſignes, calumniari cœpit, quòd theſauros eccleſiæ in morte põtifi-
cũ diripuiſſent, quodq; libellos famoſos cõtra ſe ſparſiſſent. Scripſerunt ſiquidẽ
poſt illatam ſibi iniuriam ad reges, ad principes, ad nationes de arrogãtia Boni-
facij, de ambitione, quod contra ius fasque põtificatus ſedem occupaſſet, reiecto
fraudibus Cęleſtino, eodemque in carcerem cõiecto. Sunt enim qui ſcribãt Boni
facium immiſiſſe ſubornatores clanculum quoſdã, qui noctu dimiſſa quaſi cæli
tus voce in cubiculum Cæleſtini hominis ſimplicis, ei perſuaderent, vt põtifica-
tum dimitteret, ſi ſaluus fieri vellet. Citati autem cardinales cum nuſquã apparu
iſſent, Bonifacij pertinaciam veriti, Nepete enim ſeceſſerãt, vnà cũ tota Colum-
nenſiũ familia publico decreto ſchiſmatici habẽtur, beneficijs, dignitatib9, fun-
dis paternis, caſtellis, oppidis priuantur: quam priuationem Bonifacius poſteà in
decreti formã retulit, vt libro apparet, quem Sextum appellant. Sumptis deinde
armis Bonifacius, cõcitatisq; multis crucesignatis, eos opprimere conatus, Præ-
neſte, quò ſe cum Sciarra viro inſigni eorum patruo receperãt, obſidione cingit.
Dilapſos inde, capto ac direpto Præneſte, Zagalorum & Columnam confugien
tes perſequitur: vnde nõ ita multò pòſt abire ob multitudinẽ hoſtiũ neceſſe fuit,
à quibus hæc item caſtella diripiuntur, maximè verò Columnæ paternum ſolũ.
Cardinales autem inde quoq; dilapſi, Reate petiuere. Sciarra verò apud Antium
multũ diuq; in nemoribus vixit, ſæuitiam Bonifacij veritus: ſed in piratarũ ma-
nus incidens, remigio admotus multas calamitates perpeſſus eſt, quanquã ſic qui
dem æquiore animo exilium pati mallet, quàm ſæuitiẽ Bonifacij experi, qui Gi-
bellinos omnes vno odio perſequebatur. Notum eſt illud certè, quòd Procheto
dixerit Genuẽſi archiepiſcopo, ad pedes eius die cinerum prodeunti. Nã cum di-
ci à ſacerdote tum ſoleat, Memẽto homo, quia cinis es & in cinerẽ reuerteris, di-
xit mutatis quibuſdam verbis, Memento homo, quia Gibellinus es, & cũ Gibel-
linis in cinerem reuerteris: in eiusq; oculos cincerẽ coniecit, nõ in caput, vt mos
eſt. Eũdemq; ob nomẽ factionis archiepiſcopatu priuauit, licet poſtea in integrũ
reſtituerit, cum intellexiſſet cardinales Columnenſes, quemadmodũ ipſe ſuſpi-
cabatur, Genuã non petijſſe. Pulſis hoc modo Columnenſibus, Bonifacius dupli
cẽ celebritatem, & apoſtolis & euangeliſtis, & quatuor eccleſiæ doctoribus, Gre-
gorio, Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio ſtatuit. Idem etiã dum in Vrbe veteri
eſſet, beatum Ludouicum ex regia Francorum ſtirpe ortum, vtpote ex Carolo ſe
cundo, ordinis ſancti Frãciſci profeſſum, vt quidã volunt, in ſanctos retulit. Idẽ
quoq; eccleſiã cathedralem ſanctæ Cæciliæ Albienſis ciuitatis, canonicis ſecula-
ribus pulſis inde, regularibus cõmiſit, inſtãte Bernardo Caſtaneto Albienſi epi-
ſcopo. Edidit præterea ſextum põtificij iuris codicem, ſuo iuſſu à tribus doctiſſi-
mis viris compilatum, quibuſdam decretis nouis à ſe additis. Vrbẽ quoq; Eugu-
bium, quæ Gibellinorũ auſpicijs ab eccleſia defecerat, breui recuperauit. Alber-
to duci Auſtriæ, imperij confirmationem bis terq; petẽti, negauit. Mortuo autẽ
Iacobo Arragonio, cum Robertus Caroli filius Calabriæ dux in Siciliã traieciſ-
ſet, Catinamq; cœpiſſet, tantum repẽtè bellum exortum eſt, vt tota fere Italia tu-
multuaret. Nam & Siculi Arragonenſibus fauentes, comparata claſſe, Philippũ
Roberti fratrem bello ſuperant, & captum in carcerem conijciũt. Quare Rober-
tus relicta Catina, re infecta, in Italiam reuertitur. Fredericus autẽ Arrago ex Hi-
ſpania cum exercitu in Siciliam delatus, nõ ſolum Siciliam totã, verum etiã Ca-
labriam recuperauit. In Etruria verò adeò contra Piſanos Genuenſes exarſerãt,
vt & Liburnũ ceperint, incẽdioq; euerterint: & naues onerarias in fluminis oſtio
demerſerint, ne Piſanis nauigare liceret. Fiebant hæc in Italia cũ magno prouin-
cię detrimento, pontifice nullibi ad pacem cõficiendam auctoritatẽ ſuam inter-
ponẽte. Et ne exiſtimares tum Deum cum hominibus pacem habuiſſe, tãtus repẽ

tè terræmotus exortus eſt, quantus nunquã anteà: quo quidem multis diebus per interualla plurima durante, ædificia paſsim corruêre. Reate pōtifex tũ erat cum tota curia, qui certè veritus ne ruina ædificiorũ opprimeretur, caſulam quãdam ex tabulatis ſubtilibus, in medio clauſtro fratrum Prædicatorũ, prato admodũ lato, ædificari iuſſit: eoq́; in loco aliquandiu reſedit, licet horrida ſęuiret hyems. In celebritate namq; ſancti Andreę hęc perturbatio exorta eſt. Apparuit tũ quoq; cometes, magnæ alicuius futuræ calamitatis indiciũ. Verùm Bonifacius poſt tantos & tam diuturnos terræmotus, ad ſe rediens, cardinales aliquot creauit, quorũ de numero fuêre archiepiſcopus Toletanus, Richardus Senẽſis, Nicolaus Taruiſinus ordinis Prędicatorum magiſter, Ioãnes Murro ordinis Minorũ generalis, Petrus Hiſpanus. Iubileum quoq; idẽ retulit anno milleſimo treceteſimo, quo plenam delictorum omnium remiſsionem his prępſtabat, qui limina apoſtolorũ viſitaſſent, ad exemplũ teſtamẽti veteris, licet primo quidem apud Iudæos huius longè alia ratio habita ſit. Iubileum nãq; quinquageſimo quoq; anno repetebãt, quo debitores à creditoribus laxabantur, vt ait* Ioſephus, & ſerui libertatẽ vendicabãt: vnde libertatis nomen præ ſe fert tam animi, quàm corporis. Nam liberi verè hi dici poſſunt, quibus peccata remittuntur. Idem etiã centeſimo quoq; anno obſeruari mandauit. Ob hanc rem eo anno tanta vndiq; hominũ multitudo Romam venit, vt vix incedere per vrbem, amplam quidem & vaſtã liceret. Venerat & Romam Carolus Valeſi comes, Philippi Frãcorum regis frater, qui filiam Balduini vltimi Cõſtantinopolitani imperatoris in vxorem duxerat, à Bonifacioq́; impetrauerat, vt ſocero ſuo liceret imperiũ ipſum repetere, à quo depulſus fuerat. Fecerat id quidem libenter Bonifacius, quod ei in animo erat horũ principum auxilio exercitum in Aſiam trãſmittere, qui Hieroſolymã recuperaret. Interim verò dum res ipſę cõponerentur, & Carolum ipſum patrimonio ſancti Petri cum omni poteſtate præfecit, & legatum in Etruriam miſit, qui nouas ſeditiones compeſceret. Nam à Gibellinis & Guelphis, ad Albos & Nigros tranſierant. Verùm cùm legatus nil proficeret, propoſitis etiam interdictis, Carolus Valeſius eò põtificis mandato profectus continere Florentinos nõ potuit, quò minus Albos non ſine magna cæde ab vrbe ſua pellerẽt. Albi enim Gibellini tum appellati ſunt. Sed pontifex Hieroſolymitanam expeditionem iam pridem meditatus, Apameẽſem epiſcopum ad Philippum regem Frãcorum mittit, qui hominẽ ad eam rem cohortaretur. Is itaq; eò profectus, cum nil precibus impetraret, minas quidam addidit. Hanc itaq; ob rem iratus Philippus, hominem ſubito in carcere conijcit. Quod vbi Bonifacius reſciuit, eò ſtatim miſit Narbonẽſem archidiaconum, virum certè inſignem, qui põtificis nomine Philippo mãdaret, vt miſſum faceret epiſcopũ Apameẽſem. Id ſi nõ impetraret, diceret audientibus omnibus regnũ Franciæ ad eccleſiã deuolui ob cõtumaciam Philippi, & violatum ius gentium: adderetq́; anathema, & omnes Francos à iuramẽto regio abſolueret. Fecit omnia quam diligentiſsimè archidiaconus, ac regẽ cõpulit epiſcopum Apameenſem dimittere. Rex autẽ aliqua ex parte iniurias ſibi à põtifice illatas vlturus, edictum propoſuit, ne quiſquam è regno ſuo Romam proficiſceretur, aut eò pecunias mitteret. Secundo verò poſt iubileum anno, Carolus Valeſius ad Carolũ ſecundum conſobrinũ ſuum ſe cõtulit: cuius aduẽtu motus Fredericus Arrago, pacem his cõditionibus petijt & impetrauit, vt redditis quæ in Italia cœperat, ei Siciliam quoad viueret, retinere liceret. Verùm abeunte ex Etruria Carolo Valeſio, Albi Florentia pulſi, Forumliuij populariter cõmigrarunt: quorũ de numero habitus eſt Dantes Aldegerius vir doctiſsimus, & ſua vernacula lingua poẽta inſignis: qui poſtea redire in patriam perſæpe conatus eſt, ſed fruſtra adiuuãtibus etiam Bononienſibus, & Canegrandi Veronẽſium domino, quo cum poſtea familiariter aliquandiu vixit. Sunt qui ſcribãt Bonifaciũ hoc tempore Hermnani cuiuſdam corpus apud Ferrarienſes iam viginti annis pro ſancto cultũ, exhumari mandaſſe, ac comburi, habita de eius hæreſi quàm diligẽtiſsima inquiſitione. Hũc ego è fratricellis fuiſſe crediderim, quorum ſecta tũ maximè inualeſcebat. Interim verò Philippus rex Franciæ, Bonifacij arrogantiã iniquo animo ferens, habito apud Pariſios eccleſiaſticorum & nobilium magno conuento, cõmemoratisq́;

*Iubilei ratio.*

*Antiquitatum lib. iij. cap. xiiij.*



ratiſq́; iniurijs à Bonifacio acceptis, eiuſq́; ambitione & malis artibus ad occupãdum pontificatum, quem iniuſtè teneret, ad ſedem apoſtolicã tũ, vt ipſe dicebat, vacãtem, futurumq́; concilium appellauit. Qua quidem repercitus Bonifacius, habito generali concilio, Philippum eiuſq; regnũ Alberto imperatori ſubijcit, quem in initio põtificatus ſui repulerat. Tum verò Philippus ſuperbiã hominis domiturus, Sciarram Columnenſem in portu Maſsiliæ cognitum à piratis redẽptũ, cũ Guillelmo Nogaretio Gallo equite fidiſsimo Romã mittit; hac ratione (vt ipſe palam dicebat) vt appellationem ſuam publicarent. Verùm ei longè alia mẽs fuit. Nam Sciarra ſeruili habitu Latiũ ingreſſus collectis vndiq; amicis, Nogaretium cum ducentis equitibus Gallis mercede cõductis è militia Caroli Valeſij Ferentinũ præmittit: qui inde ei, ſi opus eſſet, auxiliũ ferret. Ipſe verò Anagniã clam noctu ingreſſus, adiuuantibus Gibellinis, quos Bonifacius diu multũq́; vexauerat, põtificem nil tale metuẽtem in domo paterna capit, refractis valuis, captumq́; Romã perducit, vbi quinto & trigeſimo die pòſt dolore animi cõfectus perijt, põtificatus ſui anno octauo, menſe nono, die decimoſeptimo, ſepeliturq́; in baſilica Petri ſepulchro à ſe antea extructo: quod quidẽ adhuc extat in ſacello à ſe cõdito opere vermiculato. Idẽ quoq; ſuggeſtum cõdidit cũ porticu apud baſilicã Lateranenſem, in quo execrationes in cœna Domini fiũt: quo ꝗ; in loco & Philippum regem Franciæ, & Columnenſes anathemate notauit. Moritur autẽ hoc modo Bonifacius ille, qui imperatoribus, regibus, principibus, nationibus, populis, terrorem potius, quàm religionem inijcere conabatur: quiq́; dare regna & auferre, pellere homines ac reducere pro arbitrio animi conabatur, aurũ vndique cõquiſitum plus, quàm dici poteſt, ſitiens. Diſcant itaq; huius exemplo principes omnes tam religioſi, quàm ſeculares præeſſe clero & populis, non ſuperbè & contumelioſe, vt hic, de quo loquimur, ſed ſanctè & modeſtè, vt Chriſtus rex noſter, eiuſq́; diſcipuli ac veri imitatores: & malint à populis amari, quàm timeri, vnde tyrannorum pernicies oriri meritò ſolet. Sunt qui ſcribant hunc quoq; diſcordias inter Italos aluiſſe: maximè verò inter Genuenſes & Venetos, populos quidem nauali prælio ſatis potentes.

## BENEDICTVS XI.

BEnedictus vndecimus, natione Italus, patria Taruiſinus, Nicolaus antè vocatus, cardinalis Oſtienſis, Romæ calendis Nouembris põtifex creatur. *201. Pont.* Hic enim ab ineunte adoleſcẽtia ordinem Prædicatorum ingreſſus, tantum virtute & doctrina apud fratres ſuos valuit, vt eum per omnes magiſtratus ad Generalis dignitatem prouexerint. Vnde & põtifex creatus, magnum breui tempore virtutis ſuæ documentum præſtitit. Ita enim vixit, vt pòſt mortem inter beatos meritò cenſeatur. Inito autem pontificatu Nogaretium & Sicarrã, omneſq́; Anagninos cum his in capiendo Bonifacio ſentientes, & citatos antea ad iudicium, nec apparentes, grauiori anathemate notat. Cognita quoque regis Philippi cauſa, hominem Bonifacij cenſuris irretitum abſoluit, in gratiã præterea recipit Ioannem & Iacobum cardinales Columnenſes, quos ingenti odio Bonifacius factionis Guelphæ ſtudioſus, plus quàm põtificem decebat, perſecutus fuerat. His quoq; bona reſtituit, à galero tantum rubeo, quo à Bonifacio priuati fuerant, ſed breue tempus abſtinere ſunt iuſſi. Cõpoſitis autem hoc modo in vrbe rebus, creatiſq́; cardinalibus quibuſdam, quorum de numero Nicolaus Pratẽſis ordinis Prædicatorum eſt habitus, animum ſtatim ad cõponendam Italiæ pacem adijcit. Verùm quia in Etruria magis, quàm alibi ſeditionibus laborabatur, eò Nicolaum epiſcopũ Oſtiẽſem cum ſumma poteſtate mittit: qui & nouos magiſtratus Florentiæ cõſtituit, in illiſq́; ædibus collocauit, quas nuper ad recipiendos magiſtratus ædificauerãt, dominorum palatium nunc vocatur. Tũ verò Nicolaus plura his ſibi licere arbitratus, de reducẽdis exulibus mentionẽ facit: quod vbi ex animi ſententia nõ impetrauit, propoſito anathemate, Pratũ ſe contulit: mortuo deinde nõ ita multò pòſt Benedicto põtifice tumultuantibus in Etruria omnibus exules omnium ciuitatum in agrũ Bononienſem cõuenientes, primo ingredi Florentiam inſtituunt, atque ita clam noctu apud portã, quæ Bononiam ducit,

ducit,mœnia nōdum perfecta ſuperingreſſi, vſque ad templum diuæ Reparatæ
paulò antè inchoatum perueniūt. Verùm dum & prædam cupidè nimiū quærūt,
& amicos conſulunt,quid maximè agendum cenſeant,hoſtibus ſuis ſumēdi ani
mos,& capiendi arma tempus dant:à quibus nō ſine multorum cæde properè ex-
pelluntur.Cōducto deinde Roberto Calabriæ duce,nō ſolum ſua tueri, verùm
etiam aliena oppugnare auſi,Piſtoriū obſidione cingūt,adeo egregiè ab his, qui
in præſidio erant defenſum,vt eruptione facta,Robertum cum exercitu Pratum
vſq; repulerint.Benedicti autem viri optimi ac ſanctiſsimi mēs fuerat, pacata Ita
lia,Tartaros,Syriam & Palæſthinam ingreſſos iuuare, à quibus litteris & nuncijs
ad tātam rem conficiendam continuò inuitabatur. Mortuus itaque Peruſij( eò
enim profectus cum curia fuerat)pōtificatus ſui menſe octauo,die decimoſepti-
mo,rem deſtinatam omittit.Sepelitur autē magna pompa,vt par fuit,in eccleſia
Fratrum prædicatorum,nonis Iunij milleſimo trecenteſimo tertio. Fuiſſe autē
Benedictum virum optimum ac ſanctiſsimum,declarāt miracula à ſe pòſt mor-
tem edita,ſanatis ægrotis,pulſisq; dæmonibus è cordibus obſeſſorum. Vacauit
tum ſedes à nonis Iunij vſque ad nonas Iulij inſequentis anni , licet cardinales
in cōclaui ob eam rem conſtituti,à Peruſino populo impulſi perſæpe ſint, minis
interdum additis,vt pontificem deligerent.

## CLEMENS V.

202. Pont. CLemens quintus, natione Vaſco, Burdegalenſis epiſcopus, Bertrandus
Gotho antea vocatus , Peruſij à collegio cardinalium abſens, poſt lon-
gam contentionem pontifex tandem creatur.Is autem electioni conſen
tiens,ex Burdegala Lugdunum profectus,eò cardinales omnes ad ſe vocat: qui
ſine mora pontifici obtemperarunt, atq; ita curia Romana in Gallias tranſlata
eſt, milleſimo trecenteſimo quinto: vbi etiā ad ſeptuaginta quatuor annos re-
manſit cum magno Chriſtianorum incōmodo, potiſſimum verò vrbis Romæ,
cuius templa magna ex parte ob ſolitudinem & ſitū corruere, abſentibus his,ad
quos quidem ea reſtituere pertinebat.Coronationi autem pōtificis interfuere,&
Philippus rex Franciæ,eiusq; frater Carolus nuper ex Italia reuerſus, Ioānes Bri-
tāniæ dux,qui ruina muri oppreſſus moritur,cum pleriſq; alijs, dum pōpa coro-
nationis,vt fit per vrbem ducitur.Philippus quoq; rex ea ruina aliqua ex parte de
bilitatus eſt.Pontifex autem in tāta trepidatione ex equo deturbatus, ſolum car-
bunculum ex tiara amiſit,precij aureorum ſex millium,vt quidā ſcribunt.Pera-
cto deinde ſolenni,ſedatisq; rebus omnibus,Clemēs multos cardinales Gallicos
tum creat,ex Italia nullū, licet Ioanni & Iacobo Columnenſibus dignitatē car-
dinalatus integram reſtituerit.Tres præterea cardinales cum ſenatoria poteſtate
Romam miſit,quorum auſpicijs vrbs ipſa atq; Italia gubernaretur.At verò cum
cerneret Genuēſes & Piſanos inter ſe grauiſsimo bello implicitos, interimq; Sar
diniam à Sarracenis occupatam eſſe,inſulam hac cōditione Frederico Siciliæ re-
gi conceſsit,vt primo quoq; tempore eam pulſis inde hoſtibus recuperaret. Vene
ti aūt cū Carolo ſecundo cōtra imperatorem Cōſtantinopolitanū fœdus ineun-
tes,eò Raſsianum regē perpulere,milleſimo trecēteſimo ſeptimo,vt orthodoxę
fidei rationē à Romano pōtifice petierit. Verùm cùm poſtea Veneti ac Carolus
refrixiſsēt, Raſsiani ipſi malo exēplo ſentētiā mutāt.Interim verò apud Nouariē
ſes noua hæreſis à Dulcino & Margarita inuenta eſt,qua mares & fœminę ſimul
habitātes,in omnē libidinē prolabebantur. Fraticelli hi ſunt appellati,quos op-
primere Clemēs conatus,eo ſtatim milites quoſdā cum apoſtolico legato miſit,
qui eos in alpib[9] poſitos,partim inedia & frigore,partim armis oppreſſit.Dulcin[9]
aūt & Margarita viui capti,mēbratim lacerātur: eorūq; oſſa cōbuſta diſſipantur.
Tēplarij ad Sarracenos defecerūt. Reſcitū quoq; eodē fere tēpore eſt,Tēplarios olim Chriſti milites,à noſtris ad Sar
racenos defeciſſe.Hanc ob rem interfecti illi ſunt,qui comprehendi potuere:eo-
rumq; bona partim Rhodijs militibus,qui inſulam paulò antè occupauerāt,par
tim verò nouis religionibus ſunt attributa. Iudæos quoque Philippus rex Frāciæ
cum ſingulis veſtimētis è prouincia ſua deiecit,direptis eorum bonis ob malefi-
cia quædam & auaritiam. Verùm cum non ita multò pòſt Albertum imperato-
rem



rem Ioannes ex fratre nepos interfeciſſet,omnes ferè ciuitates Ciſalpinæ Galliæ
dominos ſibi eos delegere,quos antea capitaneos habuerant. Capitaneos enim
præfectos vrbium vocant, vt Verona Scaligeros, Mantua Paſſerinos, Patauium
Carrarienſes. Eſtenſes autem iampridem dominatu Ferrariæ potiebantur, ſed
tunc potiſsimum Mutinam in poteſtatem ſuam redegere. Nec indignatus eſt
Carolus ſecundus Neapolitanus rex, Beatricem filiam Azoni Marchioni Eſten-
ſi vxorem tum collocare. Verùm Friſcus eius filius nouercam ſibi ſuper indu-
ctam cernēs,patrem in carcerem coniectum necat, Ferrariaq; potitur, impetra-
to à Venetis auxilio ad expugnandum Thealdum,caſtellum(ita accolæ vocant)
ponti impoſitū.Tum verò cardinalis cognomento Pelagura,Bononiam à Cle-
mente miſſus,Venetis ſub anathematis pœna imperat, vt à re Ferrarienſi abſti-
neant.Optabant quidem Ferrarienſes ipſi ditioni eccleſiaſticæ ſubeſſe. Hanc ob
rem Veneti maturandum rati,caſtellum die noctuq; oppugnatum tandem ca-
piunt: quo facto,Friſcus ipſe vindictæ cupidus,dimidiam Ferrariæ partem incē-
dit,potiſsimum verò eorum domos,qui rebus nouis ſtudere videbantur. At ci-
ues tantam iniuriam nō diutius laturi,ſumptis armis, Friſco dominatu eiecto,
Venetis ſeſe dedunt,cum cernerent ſe ab his egregiè defendi poſſe. Quare Pela-
gura indignatus,cruce ſignatos in Venetos & Ferrariēſes vndequaq; properè ad
ſe vocat.Clemens verò cognita Venetorum contumacia & regnādi cupiditate,
eis anathemate notatis ſacra interdicit: pro ſeruisq; direptis eorum bonis, vbi-
cunq; locorum reperirentur,haberi iuſsit.Quamobrem gens ipſa mercaturę ad-
modum dedita,& in Anglia & in Gallia maxima incōmoda perpeſſa eſt. Alios
præterea cardinales in Etruriam bellis tumultuantem pontifex miſit, qui Ro-
berto Calabriæ duci,Florentinis ac Lucenſibus reliquisque prouinciæ populis
mandarent,vt oppugnare Piſtorium deſiſterent.Paruere tum omnes præter Flo
rentinos & Lucenſes: quare his quoq; à ſacris interdictum eſt. Verùm abeunte
Roberto Auinionem ſalutandi pontificis cauſa, Piſtorienſes diutino bello fa-
tigati,deditionem tandem fecere. Ceptæ vrbis Florentini & Lucenſes mœnia
euertunt,foſſas complent,agrum ſibi diuidunt: à ſanguine tamen ciuium tēpe-
ratum eſt. Solum vrbis vtriq; populo commune remanet. Quod quidem Florē-
tini non ita multò pòſt contra fœdera inter ſe & Lucenſes inita occuparunt,du-
cto circunquaq; muro,eliminatisq; foſsis. Iidem præterea vt omnia circūquaq;
tutiora haberēt,Acianū gentis Vbaldinæ caſtellum in agro Mugellano poſitū,
emptum pecunia diruunt:in planoq; haud longè Scarpariam, vt paucis ante an-
nis in valle Arni Caſtelfrancum & ſanctum Ioannem,cōdunt. Miſſus tum qui-
dem in Etruriam Neapoleo cardinalis Vrſinus, qui res ipſas componeret, ſpre-
tus à Florentinis & Lucenſibus,eò iræ prorupit,vt anathemata & interdictū pu-
blicè continuaret.Hanc ob rem Florentini clerum ipſum grauiſsimis exactioni
bus diu multumq; vexarunt. Vſi pręterea hac ſæuitia ſunt:nam Curſium Dona-
tum ciuem egregium & de rep. benemeritum,interfecere, quia Hugutionis Fa-
giolani filiam in vxorem duxerat,adeo nobilitatem odio habebāt. Verùm cùm
poſtea Pelagurā legatū in recuperanda Ferraria caſtelloque Thedaldo à Venetis
occupato iuuiſſent,à pōtifice in gratiā recipiūtur, milleſimo trecēteſimo nono.

Eodem verò anno Carolo ſecūdo rege Neapolitano mortuo,filius Robertus
in regnum à pōtifice miſſus, Bononiam ad Pelaguram proficiſcitur: quē ſtatim
eccleſiæ nomine tumultuāti Ferrariæ præfecit.Is autem Neapolim iturus,Degū
Catelanum virum inſignē,cum cohorte equitum in præſidio reliquit. Qui vbi
continere Ferrariēſes vrbis & minis in officio nō poſſet, equites ex arce in ciues
demiſit: quorū de numero multos certe trucidauit. Ad octo nanq; & viginti ex
optimatibus Eſtenſium dominatum appetentes laqueo necauit. Eodē verò tem
pore Henricus Lucemburgenſis à Germanis imperator electus,hac quidem lege
à pontifice confirmatur,vt intra biennium coronam Romę habiturus,Italiam
ingrediatur.Hoc aūt animo id egerat pōtifex, vt imperatoris aduētu motus Ita-
lici cōprimerentur.Imperator itaq; omnia ſe facturū pollicitus,oratores ſtatim
in Italiam ad populos & principes mittit, maximè verò ad Florentinos,qui tum
Arretinos vexabāt: petitq; vt ſibi & exercitui ſuo hoſpitiū in vrbe parēt,ac vexa-

re Arretinos deſinant. reſpondere tum Florentini, tantum quidem principem
imprudenter agere, qui barbaros in Italiam ducere conetur, quam ipſe imperij
cauſa à barbaris tueri deberet. Arretinis præterea imperatorem ipſum non benè
conſulere, quos ſciret Guelphos quidem ciues ſuos expuliſſe: exules enim ab im-
peratore reſtituit conſueuiſſe, & extorres retineri. Ferunt tum Dantem Florenti
nos cæcos appellaſſe, quod imperatori tam inſulſe reſpondiſſent: quo certè nil
poterat eſſe magis à republica ſua alienum: maxime autem tanto principe cum
tanto exercitu hoſtili animo aduentante. Animos ſiquidem eis dabant Rober-
ti regis promiſſa, qui in regnum proficiſcens, factionis Guelphæ defenſorem
acerrimum vbique ſe futurum pollicitus erat. Imperator autem ad Taurinos
alpes tranſgreſſus, in plana deſcendens, omnes ferè ciuitatum principes hono-
ris cauſa obuios habuit. Duæ tum præerant Mediolani factiones: quarum altera
Turrianorum, altera Vicecomitum habebatur. Guelphis præerat Guido Tur-
rianus populi capitaneus, vt gentis vocabulo vtar: Gibellinis verò Maphæus Vi
cecomes. Veritus autem Guido, ne Vicecomes Henrici gratiam ob factionem
præoccuparet, contracto exercitu in agro Mediolanenſi caſtra ponit, viſurus, vt
ipſe dicebat, qui nam vrbem ſe inuito ingrederentur. Tum verò Maphæus nun-
cijs imperatorem ipſum properè Mediolanum vocat ad vrbem, vt ipſe dicebat,
imperij Romani domicilium. Henricus itaque copias vrbi admouens, magnos
tum quidem tumultus ingreſſo iam Guidone concitauit, quos ſtatim rebus hoc
modo compoſitis repreſsit, vt Guido Vercellis potiretur, Maphæus verò equi-
tum ſuorum dux & præfectus haberetur. Potitus Mediolano imperator, omnes
fere ciuitates ſtatim in deditionem accepit, præter Alexandrinos. Coronam ita-
que ferream Mediolani accipiens, quam modo etiam de more capere debuerat,
tanta ciues impenſa vexauit, vt grauata onere plebs, quæ libertatem ſperabat, ar-
ma ſumpſerit. Tum verò Germani cum ab vtraque factione ſuos cædi viderent,
ex ſuburbijs vrbem ingreſsi, factionum capita aduocant. Galeatius autē Maphæi
Vicecomitis filius, relicto domi genitore, cum magna clientum manu ad impe
ratorem proficiſcitur, oſtenditq; Turrianos tyrannidem vrbis affectantes, tan-
tum tumultus cōcitaſſe. Hanc ob rem Germani cum Gibellina factione in vnū
conuenientes, Turrianos nonnihil apud plateam ſanctę Marię nouæ reſiſtentes
ab vrbe pellunt: qui Guidone ſuadente, Vercellas populariter petunt. Ex hac aūt
factione ad triginta interfecti referuntur, quorum de numero quatuor Turriani
fuêre. Mouens dein Cremonenſes & Cremenſes Henricus, qui Gibellinos eiece-
rant, Guelphos ad ſupplicium vocat, ſed libera Cremonenſium deditio, Henri-
cum mitiorem reddidit. In Cremenſes aliquantulum ſæuitum eſt, & eorū mœ-
nia funditꝰ euerſa ſunt. Parmēſes autem timore perculſi, qui Gilberto Corrigia-
ſuadente, Rubeos in vrbem acceperant, pulſis Guelphis imperatoris vicarium
recipiunt. Tutati ſunt aliquandiu ſe Brixiani. Verùm cum acriter ab Henrico
oppugnarentur, noctu ad Montana cōfugientes, vacuam cultoribus vrbem re-
liquere. Ingreſsi itaque Germani, vrbis mœnia confeſtim demoliuntur. His aū-
tem vicinorum calamitatibus perterriti Mantuani, Veronenſes, Vicentini, Pa-
tauini, Taruiſini, Veneti, mandata imperatoris ſtatim fecêre, Placentini quo-
que pulſo Alberto Scoto Guelphorum duce, imperatoris præfectum ſuſcipiūt.
Cōpoſitis itaque hoc modo Ciſalpinæ Galliæ rebus, imperator Amedeo Sabau-
diæ comite, Piſanorum Genuenſiumq; oratoribus ſubſequentibus, per Placen-
tinos iter faciens Genuam proficiſcitur. Quò etiam nō ita multò pòſt applicue-
re & legati Roberti Neapolitani & Frederici Siculi regis: illi ſimulatam, iſti ve-
ram amicitiam præ ſe ferentes. Nam Robertus rex mareſcallum ſuū cum duo-
bus millibus equitum in Etruriā miſerat, qui Florentinis & Lucenſibus, ſi opus
videretur, contra imperatorem auxilio eſſent. Verùm Henricus Piſas claſſe de-
latus, præmiſsis terreſtribus copijs, maximis incommodis Lucenſes afficit. Li-
buit hactenus cōmemorare hæc incōmoda Italis illata, quorum omnis culpa à
quibuſdam in Clementem trāsfertur; qui Henricum impulerit cū exercitu Ita-
liam ingredi. Sunt tamen qui ſcribāt id ex vtilitate prouinciæ à Clemēte factum
ob inteſtina mala, quæ quotidie cum magna hominū cęde in vnaquaq; ciuitate,
imò



imò in quouis paruo etiam caſtello, committebantur. Cædebantur ciues, neca-
bantur ſenes, allidebantur infantes, nec vllus crudelitatis modus inerat: vnde
Clementi placuit, quod ſcriptum apud Homerum eſt, Vnus ſit princeps, ad quē
omnia referantur. Henricus autem Romam verſus iter arripiens, cum quingē-
tis equitibus Ludouicum Sabaudienſem Amedei filium præmittit, qui certè
apud Stephanum Columnam non longè à Lateranenſi palatio diuertens, ma-
gnum Vrſinæ factioni timorem iniecit. Henricus tamen Viterbium primo, in-
de Romam veniens, effuſo obuiam honorato quoq; cum vrbana multitudine
perbenignè ſuſcipitur. Coronatus deinde à tribus cardinalibus, Romanos om-
nes in verba ſua, vt mos eſt, iurare compulit, edito ingenti conuiuio, cui omnes
ciuitatis proceres, exceptis duntaxat Vrſinis, interfuere. Ne tamen in tanta cele-
britate quicquam tumultus ob concitatas hominum mentes oriretur, milites
ſuos in theatris, thermis lociſq; munitis pro ſtatione collocauit: quibus præſi-
dijs adeò confiſus eſt, vt auſus ſit etiam tributum inſuetum à populo exigere.
Qua ex re omnes vtriuſq; factionis ciues, ad Vrſinos confugiunt: qui ædes ſuas
prope Tiberim & Hadriani pontem ſitas, validis præſidijs cōmunierant. Tum
verò imperator ira percitus, ſagittarios nauales à Piſanis miſſos, in vrbem cōtra
Romanos vocat, quos certè nil tale metuentes, Ioannes Roberti regis frater, qui
ſuas nauales copias ſub Auentino collocauerat, facilè in fugam vertit: & intro-
miſſo equitatu haud longè in ſtatiuis collocato, populo Romano adiuuāte, im-
peratorem ipſum Tibur abire coëgit. Diſceſsit & Ioannes Roberti frater cardi-
nalium iuſſu, vrbemq; pacatam reliquit. Henricus autem Peruſio iter faciens,
cum Arretium perueniſſet, Robertum regem maieſtatis reum facit: citatumq;
nec apparentem regno priuauit, improbante eam rem Clemente, quod in loco
nequaquam idoneo tātam rem, nec ad ſe pertinentem peregiſſet: pōtificis enim
proprium eſſe dicebat, regnum Siciliæ cis & vltra Pharum dare & adimere. Mo-
uens Arretio imperator, in Florentinos & Lucenſes cum Roberto ſentientes co
pias ducit. Verùm cùm vrbem oppugnare non poſſet, occupato Bonitio, eodēq;
munito, Senenſibus bellum indicit, qui auarè nimium ac malignè cōmeatus ei
ſubminiſtrabant. At verò cum ægrotare cœpiſſet, ad Macereti balnea ſe cōtulit,
vnde multo imbecillior quàm anteà ad Bonconuentū redijt: vbi poſt aliquot
dies moritur, nō ſine ſuſpicione dati à Florentinis veneni, ſubornato pollicita-
tionibus & præmijs monacho quodam, qui ei euchariſtiā veneno illitam dede-
rat, vt nōnulli ſcribūt. Piſani aūt mortuo imperatore Florentinorū potentiam
veriti, Hugutionem Fagiolanum ducē ſibi ac tyrānum deligunt: qui paulò pòſt
ab equitatu cum Henrico militare ſolito adiutus, Lucenſes agris mulctatos, in
poteſtatē ſuam redegit. Clemens verò ad cætera mala, quæ Italia patiebatur, au-
dito incēdio baſilicę Cōſtantinianæ vehemēter indoluit: pecuniaſq; clero ac po
pulo Romano miſit ad templū reſtituendū, licet eo anno tanta caritate penuria
rerū laboratum in regno ſit, vt vix ad cibū & potū ſatis pecuniarū haberet. Quæ
quidem mala & frequentes eclipſes ſolis cometæq; portendebant, & ipſa peſtis,
qua fere vbique tum laboratum eſt. Clemens autem cum animum ad cōponen-
dum eccleſiæ ſtatum adieciſſet, ſacris ordinibus ter habitis, & pleroſq; cardina-
les viros optimos creauit, & tribus concilijs diuerſis in locis varijſq; temporibus
habitis, multa prudenter & maturè egit. Nam & Dulcini ſectam eccleſiaſticos
impugnantem, vt dixi, perdomuit: & Templarios ſuſtulit in maximos errores
prolapſos, Chriſtum ſcilicet abnegantes, eorumq; bona Hieroſolymitanis mi-
litibus addixit: & regi Franciæ apud Pictauium quædam inhoneſta petenti, quò
minus id impetraret, reſtitit: nam & damnari Bonifacium, & abſolui Nogare-
tium ac Sciarram petebat. Primum certe nunquam obtinuit, ſecundum poſtre-
mo impetrauit, pollicente Nogaretio ſe iturum pœnitētię gratia cōtra Sarrace-
nos. Quam quidē expeditionē Clemens ipſe maximè optabat, vt ex eius concilijs
apparet. Præterea verò & Cæleſtinum quintum approbatis eius miraculis, in ſan
ctos retulit ſub nomine Petri confeſſoris: & librum Clementinarū à ſe compo-
ſitū in Viennenſi cōcilio edidit. Deinceps verò varijs ægritudinibus afflictatus:
nunc dyſenteria, nunc ſtomachi ac laterū dolore cruciabatur, octauo pontifica-
tus

tus ſui anno, menſe decimo, die quintodecimo moritur. Vacat tum ſedes annis duobus, menſibus tribus, diebus ſeptemdecim, dum non ſatis inter cardinales conſtat, quem potiſsimùm diligãt. Nec minor quidem diſcordia inter electores imperij tum fuit mortuo Henrico, cum alij Ludouicũ Bauariæ, alij Fredericum Auſtriæ duces proponerent. Quibus inter ſe prælio concurrentibus, ſuperato Frederico, tanta ſuperbia Ludouicus elatus eſt, vt abſq; auctoritate Romanæ ſedis & imperatorẽ ſe appellauerit: & ita Vicecomitibus in Ciſalpina fauerit, vt Mediolano potiti ſint, quò ei facilius Romam proficiſci liceret ad coronam auream, vt mos eſt, accipiendam. Tum verò Etruſci omnes, ac maximè Guelphi trepidare cœperunt, quod cernebant Ludouicum imperatorem omnia imperij iura, adiuuantibus Vicecomitibus & Hugutione Fagiolano Piſanorum & Lucenſium tyranno, breui repetiturum. Hanc ob rem & Guidonem Petramalam epiſcopum Arretinum ac dominum, & Philippum Tarentinum principẽ Roberti regis fratrem, in partes ſuas pollicitationibus & muneribus pellexerunt. Multum enim Philippus equitatu & diſciplina rei militaris tum valebat.

*A N N O T A T.*

*Clemens Papa V. comitiorum pontificalium legibus à Gregorio X. editis confirmatis, nonnulla addidit, ſeu ſuppleuit in generali concilio Viennenſi, quæ etiam ſupra annotaui, à Ioanne papa XXII. in libro Clementinarum primo, titulo tertio de electione, & electi poteſtate, cap. Ne Romani pontificis, &c. poſtea regiſtrata. Poſtremo Clemens VI. bullam de moderatione legis cibariæ cardinalium, in conclaui recluſorum fecit, quæ in libro ceremoniali extat. De quibus omnibus latiſsimè in libris, quos de varia creatione Romani Pont. ſcripſi, diſſerui.*

*Ratio creandi Romani pontificis.*

*Rationem verò, qua Romani pontifices deinde creari conſueuêre breuibus ſubijcere placuit, vt nihil poſtremò deſit, quod accuratus lector deſiderare poſsit. Eſt autem eiuſmodi.*

*Patres conclaue ingreſsi diem integrum ſequentem formandis legibus impendunt, ad ſanam Romani pontificis adminiſtrationem maximè neceſſarijs, quibus patrum quiſq; ſubſcribens iureiurando votoq; promittit obtemperaturum ſe illis, ſi pontifex factus fuerit. His actis, ſtato quodam die prima comitia indicuntur. Mane autem eius diei patres omnes induti pallijs, à ſummo deorſum apertis, quas croccias vocant, in capellam vbi corpus Chriſti aſſeruatur conueniunt. Ibi diuina ſpiritusſancti ritè ſacra celebrantur. Quibus abſolutis, ſuo loco diſponunt ſe per ſubſellia. Quiſque autem quos eligere decreuit, in codicillo ante deſcribit, hũcq; ſuo annulo obſignat. Inde tres ex partibus ad altare aſcendentes, Decanus videlicet, presbyterorum, & diaconorum primi calicem, in quo eo die, ſacra facta ſunt, ad medium altaris conſtituunt, cuſtodes ipſi omnium, ac inſpectores aſtantes. Poſthæc eodem ordine procedunt & reliqui patres, atque ante altare in genua procidentes, codicillum ſigillatim in calicem dimittunt. Id autem poſtquam ab omnibus factum eſt, tres illi, quos dixi, calicem ipſum ad ceteros inferius conſedentes, ſublatum altius oſtendunt, cõſiſtentes in ſubſelliorum medio, vnde ſpectari, & audiri à circumſtantibus poſſunt: numerant mox codicillos, quorum, vt cõueniſſe numerus inuenitur, ſinguli à Decano aperiuntur, & leguntur, ac diacono proximo pronuntiandi traduntur. Patrum quiſque papirum tenens, ac pugillare, quos quiſq; eligit, chirographo annotatus. Nullus autem ex Alexandri III. conſtitutione pro pontifice haberi poteſt, niſi qui duarum partium ex carnalibus integra ſuffragia tulerit. Qui numerus ſi ex codicillis adimpletur, tum pontifex creatus eſt: ſin minus, liberum eſt cuique quem voluerit patrum, non electum à ſe ſcripto, voce eligere, quæ electionis ratio acceſſus appellatur. Rarum eſt quempiam ex ſolis codicillis eligi, vocum acceſsio conficere totum opus ſolet. Alius eſt quoque creandi pontificis mos, qui per adorationem dicitur. Hoc autem eſt, cùm duæ partes cardinalium non expectato, vt vocant, ſcrutinio, ſed voce tenus omnium conſenſu, & voluntate quempiam ex carnalibus in Romanum pontificem ſalutant, atq; venerantur. Qua ratione Iulius III. Marcellus II. & Paulus etiam IIII. renuntiati fuerunt.*

## IOANNES XXIII.

203.Pont. IOannes vigeſimus tertius, Iacobus Caturcenſis anteà vocatus, epiſcopus Portuẽſis poſt longam viginti trium cardinalium altercationem Lugduni pontifex creatus, nonis Septembris in eccleſia cathedrali coronam pontificatus accepit. Inde verò Auinionem cum curia profectus, octo cardinales in ieiunijs quatuor temporum aduẽtus Domini creauit: quorum de numero fuit Iacobus Caturcenſis eius ex ſorore nepos, & Ioannes Caietanus ſancti Theodori diaconus cardinalis è gente Vrſina. Præterea verò in ſanctos Cõfeſſores retulit Ludouicum epiſcopum Toloſanum, quondam Caroli regis Siciliæ filium. Sunt tamen qui hoc Bonifacio octauo aſſcribant, vt antea dixi. abdicare aũt ſe epiſcopatu & ſacerdotio compulit Hugonem Caturcenſem epiſcopũ, priuatũ omnibus põtificalibus inſignibus, anulo, mitra, cappa, pileo, camiſiaq; Romana. Priuatum aũt, degradatum (vt iſtorum vocabulo vtar) ac curiæ ſeculari tradi-



traditum, omnibus cruciatibus coactam eſſe vitam cum morte commutare, quòd in pontificem coniuraſſet. Eccleſiam verò Toloſanam, quam vnicè dilexit, ad archiepiſcopatum tranſtulit: cuius quidem caſtella ſex in ciuitates erexit, vt haberet archiepiſcopus Toloſanus, quibus cum dignitate præeſſet. Diœceſes quoque archiepiſcopatui Narbonenſi aſcripſit, Limoſam & abbatiam ſancti Pontij. Adeo præterea rebus nouis pontifex ipſe ſtuduit, vt & ſimplices epiſcopatus bifariam diuiſerit, ac diuiſos in vnum redegerit: & abbatias in epiſcopatus, & epiſcopatus in abbatias viciſsim tranſtulerit. Nouas quoque dignitates, noua collegia in eccleſijs conſtituit ac conſtituta prius in aliam formam tranſtulit. Hac tamen gratitudine vſus eſt, quòd Clementinarum editionem cõfirmauit, mandauitq; doctoribus omnibus publicorum gymnaſiorum, vt librum ipſum publicè legerent. Ordinem autem Grandimontenſem, quorundam improborum factionibus labefactatum, in meliorem formã redegit, amputatis his, quæ ordini obeſſent, additisq; inſtitutionibus quibuſdam, quibus tanta religio conſtaret. Cum verò Cæſar auguſtanam eccleſiam admodum diligeret, eam in Metropolitanam erexit, quinque cathedralibus eccleſijs ex vndecim, quæ Tarraconenſi ſubſunt, huic aſsignatis. Inſtituit & nouum ordinem militum, qui militare ſub Chriſto dicerẽtur in Luſitania, quæ Portugallia dicitur, qui Sarracenis reſiſterent, Bæticam & Africam incolentibus. Bætica apud antiquos ea pars Hiſpaniæ dicebatur, quæ ad mare mediterraneum vergit, noſtris temporibus Granatæ nomen obtinens, à cocco, vt arbitor, quo ea pars Hiſpaniæ maximè abundat. Coccum autem nunc granum vocãt, vnde lanæ inficiuntur. Huius autem ordinis, quem diximus à pontifice conſtitutũ, caput in maritimo Siluenſis diœceſis oppido repoſitum eſt: militibusq; omnia bona templariorum, annuente rege Portugalliæ conceſſa ſunt, quò liberius militiæ Chriſti vacarent. Cuius cẽſor & moderator eſt abbas Alcoaſiani monaſterij Ciſtercienſis ordinis Vlyxipònenſis, qui & conſcribendi & exauctorandi milites facultatem habet. Deinceps verò duos Thomas in ſanctos retulit, Thomam ſcilicet epiſcopum Herferdenſem virum nobilem genere, probatum moribus, doctrina inſignem, miraculis clarum, & Thomam Aquinatem ordinis ſancti Dominici doctorem præcellẽtem, de cuius vita & ſcriptis multa ſuperius annotauimus. Creatis deinde ſeptẽ cardinalibus ſecunda ordinatione, milleſimo trecenteſimo vigeſimoſecundo, ſtatim edictum propoſuit, quo eos declarauit pertinaces & hæreticos, qui affirmarent Chriſtum eiusq; diſcipulos nihil priuati vel proprij habuiſſe, quod certè non multum cum ſacra ſcriptura conuenit, quæ multis in locis teſtatur Chri- *Matth. 19.*
ſtum eiusq; diſcipulos ac veros imitatores nil proprij habuiſſe, vt illud euangelij: Qui non vendiderit omnia, quæ habet, & pauperibus dederit, non poteſt eſſe dignus me diſcipulus. Præterea verò hæreticum putauit eſſe, ſi quis affirmaret ipſis diſcipulis vendendi, donandi, teſtandi, acquirendi ſuopte ingenio ius non cõpetere, quod ad religionem euntes, in alterius arbitrium tranſeãt: vnde fit vt domini mancipia non ſibi, ſed domino acquirant: vel acquiſita prius, ex arbitrio & mandato eius pauperibus diſtribuant. Harum autem inſtitutionem literas apoſtolicas ad gymnaſia publica tranſmiſit, ne amplius ſcholaſtici ea de rè diſputare auderent. Damnauit præterea gloſſulam quandam Fratris Petri ordinis Minorum, qui conuentum quendam tertij ordinis ad imitandam Chriſti paupertatem animauerat, quorum de numero multi damnati & exuſti fuêre. Habita præterea conſtitutione, vt eorum vocabulo vtar, decèm cardinales creauit: inter quos Ioannis Columnæ & fratris Matthæi è gente Vrſina ordinis Prædicatorum, ratio eſt habita.

Dum hæc à pontifice agerentur, Florentinus exercitus ingenti clade non longè à monte Catino ab Hugutione Fagiolano ſuperatus eſt. Verùm Lucenſes nõ diutius tyrannidem Hugutionis laturi, capta occaſione, Nerium eius filium vrbe eijciunt, dũ Caſtrucium virum domi nobilem & manu promptũ, quẽ in carcerem cõiecerat ob prædam ex hoſtibus captam, ad ſuppliciũ ducit. Pulſus itaq; Luca Nerius, patrem in Lucenſes concitat, cui quidẽ ex vrbe in hoſtem prodeũti, Piſani ſtatim clauſere portas. Is autem cum filio ad Malaſpinas confugiens, tenta-

tentato ſæpius, ac fruſtra ad tyrannidem reditu, tandem in Flaminiam ſolũ paternum pontifice iubente redijt. Atque ita Caſtrucius ab extrema calamitate ad ſummam felicitatem perducitur: è carcere enim ad dominatum ciuitatis Lucenſis traductus eſt. At verò pontifex intelligens & Eſtenſes, pulſo præſidio eccleſiaſtico, omnino Ferraria, & Vicecomites adiuuante Ludouico Bauaro Mediolano potitos eſſe: omiſsis, vt ipſe dicebat, ad tempus Eſtenſibus, Vicecomites interdictis notauit, magis in Ludouicum, qui titulos imperij ſibi vſurpat, quàm in Vicecomites inuectus. Eodem quoque tempore Gibellini Genuenſes à conciuibus ſuis Guelphis pulſi, adiuuante Roberto rege, cuius poteſtati ciuitatem commiſerant, Sauonam populariter migrauêre. Hos poſtea etiam extorres bello inſequens Robertus, dum in Gallias traijcit, vnà cum Sauonenſibus in poteſtatem ſuam redactis, aliquandiu malè habuit. Pontifex autem intelligens diſceſſu Roberti Guelphos vbiq; opprimi, Carolum Valeſij comitem, Franciæ regis Philippi filium, in Italiam mittit, qui Guelphis præſidio eſſet: & his potiſsimum qui apud Vercellas cum Turrianis erant, vrbis ditione potitis. Verùm ſuperueniente Ludouici imperatoris iuſſu Galeatio Vicecomite ante aduentum Caroli, Turriani Vercellis pelluntur, eaq́; vrbs in poteſtatem Vicecomitũ redigitur. Potitur & Caſtrucius nõ ita multò pòſt Piſtorio, vt Guido Petramala paulò antè Tiferno, Florentinis aduerſantibus. Sed Caſtrucius Galeatij Vicecomitis auxilio fretus, nam Accium filium cum mille & quingentis militibus ei auxilio miſerat, Florentinos magna clade ſuperatos ad mœnia vſque perſequitur.

Tum vero pontifex videns in Bauaro turbandi omnia principium ineſſe, ei ſacra interdicit more ſolenni, vt fieri cõſueuit: Guidonemq́; Petramalam poſt occupatum Tifernum, ſacerdotio exauctorauit. Cortonam quoq; à diœceſi Aretina ſeparatam in ciuitatem erexit, creato Ioãne Viterbienſi Cortonienſium epiſcopo. Interim autem Nicolaus Eſtenſis Ferrariæ dominus, Argentam Rauennatis eccleſiæ oppidum vi occupat, adiuuante Baſſarino Bonacoſsio vrbis Mantuæ tyranno, qui ſororem Nicolai paulò antè in vxorem duxerat. Hi etiam iunctis ſimul copijs Bononienſes aggredi ſunt auſi, ſed à Bertrando eccleſiæ copiarum duce ſuperati, cum magno incommodo abiêre, non ita multò pòſt à pontifice anathemate notati. Ferrariæ præterea interdictum ſacris, donec Argẽta redderetur. Caſtrucius verò adeo Florentinos tum vexabat capto oppido Signa, vnde frequẽtes incurſiones in eos faciebat, vt deſperatione rerum adducti, Carolum Roberti filium in dominum vocauerint. Tum verò Ioannes pontifex Ioannem Vrſinum in Italiam properè mittit, qui Florentinos & Guelphos omnes in Bauarum confirmaret, iam alpes cum magnis exercitibus tranſeuntem. Is autem Romam iter facturus, primo Mediolanum proficiſcitur, Gibellinorum precibus motus. Verùm cùm accepta ferrea corona pecunijs indigeret, atque eas à populo exigeret, quem Galeatius tuebatur omnibus Vicecomitibus in carcerem coniectis, quatuor & viginti ciues deligit, qui remp. adminiſtrarent addito præfecto, quem ex gente ſua vrbi præfecit. Bauarus tamen poſtea Caſtrucij precibus motus, Vicecomites omnes incolumes dimiſit, dũ Lucæ eſſent, vbi imperator à Lucenſibus magna cum benignitate ſuſceptus eſt. Inde verò abiens, comitãte cum mille & quingentis equitibus Caſtrucio Romam peruenit: apud ædes Laterani iuſſu cleri populiq́; Romani à Stephano Columna coronatur. Præerant tum vrbi duo ex nobilitate Romana, quos Romani imperatoris vicarios appellabant. Tum verò cùm Nicolaus comes alter collega abeſſet, Stephano ea ſors obtigit. Coronatus imperator, Petrum Corbarienſem ordinis Minorum, ex Reatino agro oriundum, pontificem ſtatim creat, Ioannis vigeſimi tertij, æmulum futurum, hominem quidem humili loco natum, ſed doctũ, & ad res agendas aptiſsimũ. Habuit hic primò vxorem, qua renuente ac reclamante, religionem & habitum ſancti Franciſci ſuſcepit. Creatus itaq; pſeudopontifex, ac Nicolaus quintus appellatus, ab imperatore & his, qui tum cum eo aderant, vt verus Chriſti vicarius conſalutatur. Creauit is quoque cardinales & epiſcopos homines ſuijpſius conſimiles.

Interea verò cùm equites Galli in præſidio Florentinorum relicti, noctu inſi-

dijs



dijs Piſtorium occupaſſent, Caſtrucium Roma abire confeſtim cogunt: qui primo iunctis cum Vicecomitibus copijs, Piſas Lucamque peruenit: inde verò in Piſtorium mouens, ciuitatem diu obſeſſam fame ad deditionem tandem compulit. Subſequens autem Caſtrucium cum exercitu Bauarus, Viterbij antipapam reliquit, Florentiam oppugnaturus: quam fortaſſe occupaſſet, ni Caſtrucio graui morbo ex immenſis laboribus contracto, mori contigiſſet. Bauarus tamen tanti accepti beneficij immemor, eius filios Piſis ac Luca expulit, dum in ciuitatibus præſidia diſponerent, vrbibusque ipſe potitus eſt. Mortuo quoque eodem tempore Galeatio Vicecomite, eius filij ad Bauarum confugiunt, hominem rogantes, vt accepta grandi pecunia, quam ipſi pollicebantur, ſe in patriam remittat. Tum ille pecuniæ admodum cupidus, Accium in patriam remittens, Marcum fratrem tandiu obſidem apud ſe detinuit, quandiu ei pecuniæ redderentur. Verùm Bauarus relicto Piſis antipapa, Marcoque Vicecomite, Mediolanum profectus, in Germaniam iturus, nequaquã ab Accio in vrbe recipitur paternarum iniuriarum memore. Germani autem milites, qui in Etruria Marcum Vicecomitem obſidem retinebant, cognita hominis virtute, in eius verba iurauere, ex captiuo ducem creantes: qui ſtatim dedentibus arcem Caſtrucianis militibus, Luca potitus eſt. Verùm non ita multò pòſt abſente Marco, Germani milites mutata ſententia, Lucam vrbem cuidã Genuenſi ex gente Spinola, qui multum claſſe valebat, vendidere. Abeunte præterea in Germaniam Bauaro, re omni infecta ad imperium ſpectante, Bonifacius Piſanus comes rem gratam Ioanni pontifici facturus, antipapam Auinionem perducit: vbi in carcerem coniectus, vitã cum morte permutauit. Tum vero põtifex duabus maximis curis liberatus, quod antipapam è medio ſuſtulerat, quodq́; Bauarus in Germaniã relictã Italia abierat, inſtante Franciæ rege, expeditionem in Sarracenos promulgat, impoſitis decimis, quæ Philippo ipſi ad expeditionem ituro, darentur. Cœperant tũ Lucã Florentini, vnde à militibus Boemicis ſtatim expellũtur, quos ante Brixiani contra Bergomates in Italiam accerſierant: quorũque auxilio fretus põtificis legatus, Parmam, Regium, Mutinamq́; cæperat. Is autem inita cum Ioanne rege Boemiæ amicitia, omnẽ rationẽ factionũ Italicarũ repentè cõmutauit. Nã quib[9] põtifex & Boemiæ rex amici ac ſocij erãt, illis Robertus ac Florentini repentè aduerſabãtur, nullo Guelphorum aut Gibellinorum diſcrimine habito. Maſtinus enim Scala Veronæ, Philippinus Gonzaga Mantuæ, Carrarienſes Patauij, Eſtenſes Ferrarię domini, amicitiam & ſocietatem cum Roberto ineũt, cuius etiã auxilio Florentini adiuti, Piſtorium capiunt, dedentibus tamẽ vrbem quibuſdã ciuibus, nemineq́; aduerſante. Interea verò Marchiones Eſtenſes nõ prius ab interdicto eccleſiaſtico abſoluti ſunt, quàm Ferrarienſium precibus fatigati, Argentã à ſe occupatam, eccleſiæ Rauennati reddidere. Hi tamẽ auxilio Scaligerorũ freti, caſtellum ſancti Felicis agri Mutinenſis obſidere incipiũt. Verùm ſuperueniẽte Carolo Boemiæ regis filio, Mãfredoq́;, cognomẽto Pio Carpi domino, qui ſocietatẽ ſimul inierant, Eſtenſes fundũtur fuganturq́;. Ex eorum militibus ad octingentos cęcidiſſe ea pugna cõſtat, multosq́; ex nobilitate captos, maximè verò Nicolaum Eſtenſem Rainaldi Marchionis fratrẽ. Hac autem oportunitate motus legatus Bononienſis, cõparato ſatis iuſto exercitu, cui & Galeotus Malateſta Ariminenſis, & Franciſcus Ordelaphus Foroliuiẽſis, & Richardus Manfredus Fauẽtinus, & Hoſtaſius Polentanus Rauennas præfuere, Ferrariã obſidet. Nam hi omnes ſuarum ciuitatum dominatum paulò antè occupauerant, cũ prius earũdem capitanei haberẽtur. Oppugnabatur tũ acriter Ferraria, capto ſancti Antonij ſuburbio, cum auxiliares copiæ à Philippino Gõzaga, à Maſtino Scala, ab Vbertino Carrarienſi miſſæ, animũ ad erũpendũ Ferrariẽſibus dedere, qui & hoſtes fundũt, & omnes ferè duces capiũt. Captus autẽ Romandiolæ comes, cum Nicolao Eſtẽſi cõmutatur: reliqui deinceps incolumes ad ſuos remittũtur, hac conditione tamen, ne arma amplius contra Eſtenſes capiãt. Elatus verò tanta victoria Rainaldus Eſtenſis, in agrum Bononienſem mouens, lõgè omnia populatus, à capiẽda vrbe paululum affuit. Vẽturum quidem in auxilium legati regẽ Boemię Bononiẽſes ſperabãt: & iam eſſe in itinere dicebatur, cũ ſubitò ei nunciatum eſt, & Ma-

V ſtinum

ſtinum Scalam Brixiam ac Bergomum in deditionē accepiſſe & Accium Vicecomitem Papiam ingreſſum, arcem oppugnare. Hanc ob rem ab inſtituto itinere diſcedēs, relicto Parmæ filio, cum aliquot cohortibus Papiam ipſe profectus, cum ſuperare munitiones Vicecomitis non poſſet, vaſtato Mediolanenſium agro, Parmam deinceps re infecta redijt: vbi quoque intellexit Americum Caſtrucij filium, Lucam amicorum opera recepiſſe. Oppugnabatur tamen arx, quā etiam rex accepta grandi pecunia Lucenſibus & Americo reliquit, breui in Germaniam iturus, Italicas factiones pertæſus. Nam Vicecomites capta iam arce Papienſi, longè & latè vires ſuas diffundebant. Mutinæ itaque & Regij impoſito Germanorum præſidio, commendataq; Parma Marſilio & Petro Rubeo, in Germaniam abijt, celerem reditum cum maioribus copijs pollicitus. Abeunte autem rege, Bononienſes ipſi adiuuātibus Florentinis, & Marchione Eſtenſi, pulſo legato, in libertatem ſe vendicant, cæſo tum in vrbe, tum in agris eccleſiaſtico præſidio. Hanc ob rem legatus omni ope deſtitutus, Auinionem proficiſcitur anno Domini milleſimo trecenteſimo quarto, quo tempore eodem in loco Ioannes pōtifex moritur ætatis ſuæ anno nonageſimo, pontificatus verò xix. menſe quarto, relicta in theſauris tanta vi auri, quantam nullus ante ſe pontifex. Sepelitur autem in eccleſia cathedrali cum magna funeris pompa. Sunt qui ſcribant, Petrum Muronteum, quondam pontificem, à Ioanne in ſanctos relatum: Gentilemq́ue Fulginatem & Dynum Florentinum medicos inſignes magnis præmijs & honoribus tum ab eo affectos. Amator enim doctorum virorum eſt habitus.

## BENEDICTVS XII.

Pont. 204. BEnedictus duodecimus, patria Toloſanus, ordinis Ciſtercienſis Iacobus antea vocatus, ſanctæ Priſcæ presbyter cardinalis, ſextodecimo die poſt Ioannis mortem, Auinione pontifex creatus, ſtatim cenſuras in Bauarū à Ioanne factas, vt in vſurpatorem imperij, confirmauit. Hac autem ratione vacante imperio, ad arma omnia reſpiciebāt, cùm vnuſquiſq; quantumuis paruus dominus, rapere ex alieno conaretur, Scaligeri enim non contenti Veronę, Brixiæ, Bergomi dominatu, Parmam adimere Rubeis conabantur: Gonzaga Regium, Eſtenſis Mutinam, Florentini Lucam appetebant. Verùm cum Scaligeri potiri Parma nequirent, acriter qui in præſidio erant, vrbem defendētibus, maximè verò Germanis militibus, qui Scaligero infenſi habebantur. in Vicetinos exercitum mouent: vnde re infecta abeuntes, cum Germanos milites abijſſe Parma intellexiſſent, eò profecti, vrbe ſtatim potiuntur, Rubeis ipſis eam dedentibus. Nicolaus quoque Eſtenſis, Beatrice Guidonis Gonzagæ filia in vxorem accepta, ſoceri copijs aditus, Mutinam capit. Philippinus item Gonzaga ciuibus ipſis vltro dedentibus, Regium Lepidi in poteſtatem ſuam ſtatim recipit. Tum verò creſcente Maſtini Scalæ potentia, qui & Parmam & Lucam & Patauium, dedente Vbertino Carraria, in poteſtatem ſuam redegerat, ad tantum dominatum extinguendum omnes ferè Italiæ populi & principes ſimul coniurarunt, maximè autem Veneti, & Luchinus Vicecomes, qui Accio paulò antè mortuo in dominatu ſucceſſerat. Cinxerunt Veronā obſidione Veneti, Gonzaga, Eſtenſisq́;, dum Luchinus alio exercitu Brixiam & Bergomum in ſuam poteſtatem redigit. At verò cum Veneti timerent, ne dum potentiam vnius extinguere parant, alterius augerent, pacem hac conditione cum Maſtino Scaligero ineunt, vt omiſſo Patauio Carrarienſibus, dimiſſaq́; Brixia & Bergomo Vicecomiti, quas vrbes nuper occupauerat, ipſe Veronam, Vicetiam, Parmam Lucamq́ue retineret. Diſplicuit vehementer hæc pax Florentinis ſocijs & amicis, qui potiri Luca admodum cupiebant: ſed reiecta in aliud tempus querela, tum quidem reticuere.

Pontifex aūt miſſo in Italiam legato, ſenatui populoq́; Romano perſuaſit, vt ſenatoriam dignitatem, quam diu regio nomine geſſerant, ſuis tandē & eccleſię auſpicijs adminiſtrarēt. Hāc ob rem & Stephano Columnæ ſenatoria dignitas in quinquennium prorogata eſt, & collegæ annui ei dati ſunt. Verùm cùm pōti-





fex Stephanum ad ſe Auinionem vocaſſet, Vrſus Anguillariæ Comes, Stephani collega, Franciſcum Petrarcham virum eloquentiſsimum, maximè autem vernacula lingua rythmiſq́; vulgaribus, corona poëtica in Capitolio donauit, aſtāte populo omniq́; Romana nobilitate, anno ſalutis milleſimo trecenteſimo trigeſimooctauo. (Franciſcus Petrarcha.) At pontifex veritus, ne vacante imperio Italia ab aliquo externo hoſte inuaderetur, Luchinum Vicecomitem Ioannemq́; eius fratrem archiepiſcopum Mediolanenſem, Mediolani, aliarumq́; vrbium, quas poſsidebant, vicarios inſtituit. Eandem quoque poteſtatem Maſtino Scalæ, Veronæ & Vicetiæ: Philippino Gonzagæ Mantuæ & Regij: Albertino Carrariæ, Patauij: Obicoini Eſtenſi Ferrariæ, Mutinæ, Argentæ ſuo iure (vt ipſe dicebat) tribuit: quòd vacante imperio, omnis eius poteſtas in pōtificem recidat, Ieſu Chriſti ſupremi regis vnicum in terris vicarium. Obicoini tamē Eſtenſi hoc vectigal impoſuit, vt quotannis decem millia nummûm auri eccleſiæ Romanæ perſolueret. Semel autem toto ſui pontificatus tempore ſex presbyteros cardinales creauit, viros egregios, non de ſua ſtirpe, vt nunc fit, ſed vndequaq; ad tantam dignitatem vocatos. Non improbo tamen eos, qui ob cognationem & affinitatem ad ſummos dignitatis gradus eriguntur, ſi tanta conditione digni ſunt. Tantæ præterea conſtantiæ fuit, vt dimoueri à recto vel vi, vel precario, vel pollicitationibus nunquā potuerit. Bonos enim diligebat, & viciſsim malos ac ſceleratos apertè odio habebat. Cōponere item pacem inter Philippum Franciæ & Eduardum Angliæ regem ſæpe tentauit per legatos, at fruſtra, qui maximis cladibus quàm ſæpiſsimè inter ſe cōcertarunt. Nam Eduardi claſsis ſupra Scluſas non longè à portu Flandriæ, tanta vi cum Gallis dimicauit, & vicit, vt ad triginta tria millia Gallorū vna pugna interfecta referantur. Pontifex autem rem ſæpius tentatam omittens, ædes pontificias cum turribus & pometis inchoauit ac perfecit: ſuoq́; iuſſu impenſaq́; baſilicæ ſancti Petri tectum reſtituit, quemadmodum epigramma ad eius ſtatuam in eadem baſilica poſitum, indicat. Moritur autem pontificatus ſui anno ſeptimo, menſe iij. die xvij. Multam vim auri non cognatis ſuis & affinibus, ſed Eccleſiæ reliquit. Iotum pictorem illa ætate egregium, ad pingēdas martyrum hiſtorias in ædibus ab ſe ſtructis conducere in animo habuit. In morte autem optimi pontificis & doctiſsimi, omnes verò collachrymarunt: idq́; in pompa funeris qui aderant, fletibus & gemitu præ ſe tulere.

## CLEMENS VI.

CLemens ſextus, patria Lemouicenſis, Petrus antea vocatus, primò monachus, deinde archiepiſcopus Rhotomagenſis, poſtremò pōtifex Auinione creatus eſt. (205. Pont.) Fuit autem vir multæ doctrinę, compoſitæq́; eloquentiæ, liberalis in omnes, comis & perhumanus. Electus itaque nonis Maij, milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſecundo, coronatur xiiij. calendas Iunij. Sequentibus verò ieiunijs pontificatus ſui anno primo, octo presbyteros cardinales creat, diaconos duos, ſcilicet fratrem ſuum monachum Tutellenſis profeſſionis, & Guillelmum ex ſorore nepotem. Ex his præterea quos presbyteros creauit, vnus ei affinitate coniunctus fuit. Sequenti autem anno duos item creauit, quorum alter eius erat ex altera ſorore nepos. Petentibus ſiquidem Romanis, vt quemadmodum Bonifacius octauus olim conceſſerat, vt centeſimo quoq; anno (quod ſeculum antiqui appellabant, vnde ludi ſeculares nominati ſunt) plenam peccatorum omnium remiſsionem viſitantibus limina apoſtolorum Petri & Pauli, quinquageſimo quoque anno id facere libenter annuit, cum dicerent, ætatem hominum iubileum illum centum annorum attingere non poſſe. Verùm cùm intelligeret, totam Italiam in tumultu eſſe, ſolos Luchinum & Ioannem Vicecomites, vicarios Inſubriæ confirmauit, de reliquis Italiæ principibus nulla mentione habita. (Vide Sabellicū lib. 8. Ennead. 9. non longe à fine.) Exiſtimabat enim, ſolos Vicecomites Bauaro reſiſtere poſſe, in Italiam (vt ipſe prædicabat) deſcenſuro, qui viciſsim, vt par pari pontifici redderet, in ditione eccleſiaſtica multos vicarios imperiali auctoritate confirmauit. Nam Ioannem de Vico vrbis præfectum Viterbij, Galeotum Malateſtam & fratres, Arimini, Piſauri, & Fani: Antonium Feltranū, Vrbini: Nol-

phum & Gallaſium fratres, Callij: Alegretum Clauellum, Fabriani: Bulgaru-
tium, Matelicæ: Iſmedutium, ſancti Seuerini: Gentilem Varraneum, Camerini:
Michaëlem, montis Milonis: Pongonium, Cingoli: Nicolaum Boſcaretū Aeſij:
Guidonem Polentenſem, Rauennæ: Franciſcū & Sinebaldum, Foroliuij & Cæ-
ſennæ: Ioannem Manfredum, Fauentiæ dominos confirmauit: licet ante qui-
dam ex his loca ipſa partim vi, partim beneuolentia ciuium adepti fuerant, vt
in Benedicto diximus. Interim verò Freſcobaldi Florētini ciues admodum po-
tentes, à ciuibus ſuis pulſi, Piſanos ad arma concitant iniquo quidem tempore.
Florentini enim Parmam à Scaligeris empturi tum erant: & ob eam rem filios
obſides iam Ferrariam miſerant, quingenta millia nummûm auri polliciti. Se-
queſter enim ad eam rem conficiendam, Ferrarienſis ab vtroq; electus eſt. Ve-
rùm cum Florentini alia ſuper aliam clade, tum à Piſanis, tum ab eorum ſocijs
afflictati eſſent, omittere tantam emptionem coacti ſunt: ferre tamen auxilium
Lucenſibus à Piſanis obſeſsis nō omiſere, adiuuantibus etiam ſocijs, copiarum
duce Malateſta Ariminenſi, cognomento Vngaro, qui Piſanos à ceruicibus Lu-
cenſium armis quidem repulit. Tum verò Robertus Florentinorum amicus, ſo
ciorum calamitatibus permotus, Gualterium quendam Gallum Athenarum
ducem appellatum, cum paruo equitatu in Etruriam miſit, qui artibus exquiſi-
tiſsimis deiecto Malateſta, vt imperito belli duce, ita gratiam Florentini populi
aucupatus eſt, vt breui & copijs eorum & vrbi præficeretur, deiectis & extinctis
omnibus vrbis magiſtratibus. Huius quoque fortunam iuuêre Arretini, Piſto-
rienſes & Volaterrani, qui homini ſeſe ſtatim dedidere. At cum Accius Corri-
gienſis Parmam vrbem, quam ipſe tueri non poterat, Obicioni Eſtenſi dediſſet,
Philippus Gonzaga bello ab ipſo Obicione laceſsitus, cōparato exercitu in agro
Regienſi hominem inuadens, collatis ſignis tanto impetu fundit, vt fugientem
Ferrariam vſq; perſecutus ſit. Tum verò Obicio deſperatione rerum motus, Par
mam ipſam, quam retinere non poterat, Luchino Vicecomiti tuendam tradit,
anno Domini milleſimo trecēteſimo ſexageſimoſexto. Cum autem Florenti-
ni ferre Gualterij tyrannidem diutius nō poſſent, necarenturq́; quotidie multi
in eum ob libertatem coniurantes, Angelus Acciaiolus vrbis epiſcopus, ciues
armatos in epiſcopatum properè ad ſe vocat, patriam in libertatē vendicaturus.
Quare tyrannus imparem ſe ciuibus videns, epiſcopo ipſo pacis ſequeſtro adhi-
bito, incolumis cum militibus & rebus ſuis decimo tyrannidis ſuæ menſe abijt.
Verùm plebs ipſa ingrata vt ſemper, nobiles ciuitatis, quorum conſilijs & armis
libertatem cōſecuta erat, exules facit, direptis eorum bonis ædibusq́; euerſis. Et
ne quid deeſſet ad perturbandam totam Italiam, in regno quoq; Neapolitano
magnæ diſcordiæ exortæ ſunt. Rex enim Robertus ſine ſtirpe virili moriens, Io-
annam filiam Andreæ nepotis ſui Caroli regis Vngariæ filio vxorē dedit. Nea-
polim enim illis diebus adoleſcens venerat. Verùm Ioāna hominem ſocordem
peroſa, eū in vrbe Auerſa per inſidias interimit: alteriq́; fratrueli nubit, Ludo-
uico olim Tarentini principis filio, quem Roberti quoq; fratrem fuiſſe conſtat.
Tum verò Ludouicus rex Vngariæ primi mariti frater tantum ſcelus vlturus,
cum paratiſsimo exercitu in Italiam veniens, primo Sulmonenſes reſiſtere au-
ſos oppugnare adoritur. Interim aūt Romæ creandorum ſenatorum ex auctori-
tate apoſtolica cōmutata ratione, Nicolaus Rentij ciuis Romanus publicus ſcri-
ba, vir quidem erecti ad libertatem excelſiq́; animi, occupato armis Capitolio,
tantū ſibi beneuolentiæ & auctoritatis apud oēs comparauit, vt facilè quò vellet
mentem populi Romani flecteret. Is autem quò magis animos hominum com
moueret, hoc titulo vſus eſt: Nicolaus ſeuerus & clemens libertatis, pacis iuſti-
tiæq́; tribunus, ac ſacræ Romanæ reip. liberator illuſtris. Hac aūt verborū pom-
pa tantam de ſe & admirationem & opinionem concitauit, vt omnes Italici no
minis per legatos pacem amicitiamq́; ab eo petierint. Fuêre & quædam externæ
prouinciæ, quæ ad Romani imperij gloriam renaſcentem, vt ipſæ putabant, re-
ſpicerent. Sed parum inoleuit fucata gloria: nam dum parti ciuium conſulit,
parti aduerſatur, repentè ex patrono tyrannus eſt habitus. Hanc ob rem ſeptimo
magiſtratus ſui menſe, ſponte ſua, ignaris omnibus, mutata veſte, per obſcuram
noctem



noctem Roma abiens, ad Carolum Ioannis filium in Boëmiam proficiſcitur:
quem Clemens pontifex ob multarum linguarum literarumq́; peritiam, in Ba
uari etiam contumeliam ab electoribus in Cæſarem deſignari paulò antè fece-
rat. Captus itaque tribunus à Carolo, & Auinionem miſſus, pontifici dono da-
tur. Ludouicus autem Sulmone poſt longam oppugnationem potitus, regnum
deinceps facilè occupat, abeuntibus in prouinciam Narbonenſem ob timorem
Ioanna & adultero Ludouico, relicto ad regni cuſtodiam duce Dyrrachino, Ro
berti regis nepote: quē Carolus prælio ſuperatum & captum, vltimo ſupplicio
affecit. At verò cum fere in tota Italia peſte laboraretur, Carolus relicto ſatis ma
gno præſidio, tertio menſe in Vngariam reuertitur, eo maximè tēpore, quo Io-
annes archiepiſcopus magni animi conſilijq́; vir, mortuo fratre Luchino, vica-
riatum Mediolanenſem à pontifice ſuſcepit. At Clemēs retento in vinculis Ni-
colao, cardinales quoſdam Romā miſit, qui ſtatum vrbis cōponerent: ad quos
Franciſcus Petrarcha perſcribens eis perſuadet, vt promiſcuè ſenatores ad tol-
lendam ſeditionem ex plebe ipſa creent, cùm non ſatis conſtet in ipſa vrbe Ro-
ma, qui ſenatorij, quiq́; plebeij ordinis ſint, quò oēs ferè peregrini ſint, & ignotis
parentibus orti. Declarati itaq; ſenatores ſunt, Petrus Sciarra Columnēſis, & Io-
annes Vrſi filius. Quo quidem tempore peſtis adeo triennio totam Italiam per- *Peſtis in*
uagata eſt, vt vix decimus quiſq; ex milleſimo homine ſuperfuerit. Nec id quidē *Italia.*
mirum, cum ob iubileum contagione hominū & multitudinē vndiq; Romam
cōmigrantium, ſqualore, ſitu, pedore, omnia inficerētur. Venêre aūt tum in po
teſtate Florentinorum Collis oppidum, & Geminianū. Venit & in poteſtatē ar-
chiepiſcopi Mediolanenſis Bononia, ciuibus ipſis vltro dedentibus. Quare pon
tifex cōmotus, miſſo in Italiam legato, Florentinos & Maſtinum Scalam in Vi-
cecomitem cōcitat. Sed mortuo Maſtino, archiepiſcopus Canem grandem Ma-
ſtini filium, oēsq́; Flaminiæ & Etruriæ Gibellinos in fœdus amicitiamq́; ſui pel-
liciens, Bernabouem nepotē Bononiam miſit, qui ciues in fide cōtineret. Inte-
rim verò Florentini nemine vetante, Piſtorienſes ac Pratenſes aggreſsi, eos tā-
dem in poteſtatem ſuam armis redigunt. Verùm poſtea ab archiepiſcopo vexa-
ti, duce copiarum Ioāne Aulegio, vix tum quidem ſe mœnibus tutati ſunt. De-
feciſſe tum Anglare & Burgū ſancti ſepulchri eccleſiæ oppidum ad Vicecomites
cōſtat. Pugnaſſe tum etiam legitur Genuenſes & Venetos inter ſe bello nauali,
in quo primo victi Genuenſes ſunt: mox victores præfecto claſsis Philippo Au-
ria, & Chium inſulam de Venetis cepere, & Euboeam (quam Necropontum vo
cant) magnis cladibus vexarunt. Clemens aūt quieti Italiæ tandē cōſulturus, Lu
douicum Tarentinum principem, regem Neapolitanū decreuit, pacem cū Vn-
garo inſtaurat. Vrbem Auinionenſem à Ioāna regina emit, eius enim patrimo-
nium habebatur. Perſoluitur precium feudi permutatione: tātundē enim & eò
amplius ob regnum Neapolitanū eccleſiæ Romanæ debebat. At verò dum An-
glerianus Vicecomes Scarperiam in Mugello obſideret, Senenſes, Arretini, Pe-
ruſini ſuis rebus timentes, nouam ſocietatē cum Florentinis cōtra Vicecomites
ineunt. Sentire cùm Vicecomitibus Piſani apertè non poterant ob Gambacur-
tos familiam potentem Florentinis amicam: qui reſiſtere Vicecomiti nequeū-
tes, Carolum imperatorem in Italiam vocant. Hanc ob rem motus pontifex ve
ritusq́; ne Italia ferro ac flāma vaſtaretur, quēadmodū ſe facturū imperator mi-
nabatur: & Vicecomitibus Bononiam hac lege permittit, vt xij. millia nūmûm
auri quotannis eccleſiæ perſoluerent. & pacē inter Vicecomites & Florentinos
cōponit his cōditionibus, vt neuter iſtorum Piſanos, Lucenſes, Senenſes, Peru-
ſinos vexaret. vtq́; Burgus ſancti ſepulchri eccleſiæ obtemperaret, libertatemq́;
Cortonenſium Vicecomites tuerentur. Pacem quoq; & fœdus componere inter
Philippum regē Franciæ & Eduardum Angliæ annixus eſt, ſed fruſtra: adeo erāt
ad bellum animati, in quo Eduardus victor cæſis viginti Gallorū millibus, Ca-
leſium vndecim menſibus obſeſſum, vi tandem cæpit. Eadem quoq; fortuna ſu-
perantur Scotij ab his, qui Eduardi auſpicijs in Scotia tum militabant. Pontifex
aūt boni paſtoris officio functus, cū foris prodeſſe Chriſtianis non poſſet, domi
eccleſiaſtico ſenatui cōſuluit. Aliquot enim præſtātes viros in cardinales legit:

 maxi-

maximè verò Egidium Hiſpanum archiepiſcopum Toletanũ, Nicolaum Cappocium Romanum ciuem, Rainaldum Vrſinum eccleſiæ Romanæ protonotarium. Nepotem quoque ſuum huic numero aſſcripſit, qui poſtea põtificatum adeptus eſt, & Gregorius vndecimus appellatus. Sunt qui ſcribant hunc pontificem in ſanctos retuliſſe Iuonem presbyterum & confeſſorem Britannicũ. Pontificatus autem ſui anno decimo, menſe ſexto, die vigeſimo octauo, milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſecundo mortuus, Auinione ſepelitur, adhibita à cardinalibus, qui tum aderant, honeſta funeris pompa.

## INNOCENTIVS VI.

206. Pont.

INnocentius ſextus, patria Lemouicenſis, Stephanus antea vocatus, pontificij ciuilisq́; iuris vir conſultiſsimus, procurator primò, mox epiſcopus Claromontanus, deinde cardinalis, pontifex tandem creatur, anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſecundo, decimo ſexto calendas Decembris. Fuit autem vir integerrimæ vitæ, magnæq́; conſtantiæ & ſeueritatis. Beneficia autem eccleſiaſtica non niſi probatiſsimis ſacerdotibus tum vita, tum doctrina dedit. Poſt verò coronationem ſuam multas reſeruationes à Clemente factas ſuſpendit: conſtituitq́; ſtatim, vt omnes prælati, omnesq́; qui beneficia habebant, ad eccleſias ſuas ſub anathematis pœna proficiſcerẽtur. Dicebat enim oues paſcuas à proprio paſtore, non à mercenario cuſtodiri debere. Impenſam quoque domeſticam, quæ magna erat, imminuit, familiam ſuam ad certum & honeſtum redigens numerũ. Nec domi voluit niſi viros habere probatiſsimos. Idem vt facerent cardinales, acerrimo edicto mandauit, dictitãs ſuam ac omnium eccleſiaſticorum vitam cæteris exemplo eſſe debere, ad imitationem Saluatoris noſtri, cuius tota vita ad inſtitutionem humani generis reſpiciebat. Præterea verò ſacri palatij auditoribus ſalaria inſtituit, ne muneribus corrumpi in decernendis litibus ob inopiam poſſent. Dicebat enim famelicos non facilè etiam ab alieno cibo abſtinere, ſi ſit oblata quouis modo edẽdi facultas. In victu parcus eſt habitus, in ſumptu bellico largiſsimus, dũ bello repetit, quæ à tyrannis ſuperioribus temporibus occupata fuerant. Egidiũ nanq; Hiſpanum è gente Carilla cardinalem Sabinum virum inſignem, è latere ſuo in Italiam miſit, qui bello tyrannos perſequeretur, ditionemq́; eccleſiaſticam tutiorem redderet, eo maximè tempore, quo imperator Conſtantinopolitanus, Arragonum rex, & Veneti, contra Genuenſes fœdera inter ſe iniere: Hi aũt comparata ingẽti claſſe, numero nauium & copia militum ſuperiores, Genuenſes inter Conſtantinopolim & Chalcedonem aggrediuntur loco ipſis Genuenſibus iniquo, vento aduerſante. Pugnatum eſt ab aurora vſq; ad veſperam: ac tandem Græcis in fugam verſis, Veneti ac Catelani magna ex parte cum præfecto claſsis cæduntur, Pagano Auria duce. Veneti aũt tantam cladẽ & ignominiam iniquo animo ferentes, redintegrata cum Catelanis claſſe, Nicolao Piſano Venetæ claſſis præfecto, ſequenti anno non longè à Corſica Genuenſes fundunt, eorumque triremes quadraginta viris onuſtas demergunt. Hac clade perterriti Genuenſes, archiepiſcopo Mediolanẽſi ciuitatem ac ſua dedunt: qui Venetos bello aggreſſus, Patauium principem, Veronenſem, Ferrarienſem, Mantuanum, & Florentinos in ſe cõcitat, veritos ne ſuperatis Venetis, ad ſe demum iretur. Pugnabatur terra mariq́;: ſed Genuenſes præfecto Pagano Auria, mira felicitate nauali pugna vſi, apud Sapientiam Peloponneſi promontorium Venetos ſuperãt: eorumq́; præfectũ Nicolaum Piſanum captum cum quinq; millibꝰ hominum, Genuã perducũt, anno Domini milleſimo trecẽteſimo quinquageſimo quarto. Verũ ſequẽti anno mortuo archiepiſcopo Mediolanẽſi, Veneti ac ſocij magna cura liberati ſunt. Bernabas & Galeatius ex Luchino fratre nepotes, patrui hæredes fuere. Sola Genua ab his defecit, inito cum Venetis fœdere, inchoato prius à Bernaboue & Galeatio ſuadẽte põtifice, Egidioq́; eius legato. Interim verò Calo Ioãnes Cõſtantinopolitanus imperator in patriã redijt, pulſo armis Ioãne Cãtacuſeno imperij cõtra ius fasq́; occupatore. Id aũt factum eſt Frãciſci Gataluſij Genuenſis opera, viri rerũ maritimarũ peritiſsimi: cui Mitylenẽ cum Lesbo dono dedit,

Vita eccleſiaſticorũ alijs exemplar.



dedit, grati animi ſignum præ ſe ferens, quam certe inſulam ſuperioribus annis Turcus Gataluſijs ipſis vi abſtulit, occupata prius Cõſtantinopoli, totaq́; Thracia. Nec Romæ certe minor perturbatio, quàm Cõſtantinopoli tum fuit. Franciſcus enim Baruncellus Romanus ciuis admodũ potens, pulſis ſenatoria dignitate Ioanne Vrſino & Petro Columnenſi, tribunitiam dignitatem ſibi vſurpat cũ his titulis, Franciſcus Baroncellus ſcriba ſenatus, Dei gratia almæ vrbis tribunus ſecundus, ac Romanus conſul. Tum verò Innocẽtius pontifex re cognita, ad cõprimendam hominis audaciam Nicolaum Gencij, qui eodem modò dominatũ appetierat, è carcere Auinionenſi ductum, Romã mittit ad tribunatum repetendum. Is itaque vrbem ingreſſus, adiuuante nobilitate, ac magna plebis parte, Baruncellum è Capitolio deiectum interficit, ac ſolus tribunatu potitur. Verũ cũ nõ ita diu priſtinæ conditionis immemor nobilitatẽ perſequeretur, maximè verò Columnenſes à porta Exquilina in Hernicos cum clientela proficiſcẽtes, magno incõmodo pulſus, in Capitolium ſe recepit: vnde fugiens inſtantibus hoſtibus, mutata veſte cognitus à ciuibus Romanis obtruncatur. Tũ verò auctoritatẽ apoſtolica Guido Iordanis vnicus ſenator ad annum creatur. Imperator autẽ regis Boëmiæ filius, perbenignè à Carrariẽſibus, Gonzaciacis Vicecomitibus ſuſceptus, Mediolani coronam ferream, vt mos eſt, accipit. Inde verò Piſas abiẽs, legatos Senenſium, Volaterranorũ, totiusq́; ferè Etruriæ obuios habuit, qui dicerent ſe paratos eſſe eius mandata facere. Idem feciſſent Florẽtini, niſi prius data ingẽti pecunia ſe ab eius manibus redemiſſent. Romam autem proficiſcens, hac cõditione à duobus cardinalibus ad eam rem miſſis coronatur, vt neque Romæ, neq; in Italia diutius immoraretur. Quo quidem in Germaniam abeunte, Egidius legatus omnia ferè oppida breui recepit, quæ tyrãni inſtigãte Bauaro in Flaminia, quã Romandiolam vocamus, in Marchia Anconitana, in patrimonio ſancti Petri occupauerant. Eos tamẽ vicarios in oppidis ſuis cõfirmauit, quos viderat eccleſiæ Romanæ obſequentes, vtpote Galeotum Malateſtam, & Guidonẽ Polentanum in Flaminia, Varenẽſes in Piceno. Ordelaphus autem nequaquam eccleſiæ Romanæ obtemperantes bello biennio perſecutus, eos tãdem è Foroliuij, Foroq́; Popilij, ac Ceſena deturbauit. Potuiſſent hi quidem aliquam partem dominatus retinere, adiuuante Iacobo cardinali Colũnenſi, viro huic familię amiciſſimo, ſed maluere totum cõſtanter amittere, quàm partem turpiter retinere. Egidius autem pacata Flaminia, adeo Foroliuij delectatus eſt, vt & ærarium eccleſiæ & pecuniã ab Auinione miſſam, vnde arces Italię ędificarentur, eo loci repoſuerit, & inſtitutiones quaſdam ibi cõpoſuerit, quibus adhuc prouincia ipſa vtitur. Cum autẽ Egidius Italiam pacaſſet, arcesq́; in ditione eccleſiaſtica plures ac perneceſſarias ædificaſſet, omnesq́; Italos principes ac populos ad officium redegiſſet, ad annum quintum legationis ſuæ ſucceſſorem habuit, Arduinũ Burgundũ abbatem Ciſtercienſem, hominẽ rebus agendis nequaquã idoneũ. Hanc ob rem abeunte Egidio, omnes Italiæ principes ac populi arma capiunt. Nã & Piſani Florẽtinos adeò vexauere, vt cum nemo prodire obuiam auderet, agrũ omnem Florentinũ diriperent, capto Figino ſuperioris Arni caſtello, incenſisq́; villis omnibus, quę paſsim in agris ædificatæ erãt. Dux aũt Florẽtini exercitus Pãdulphus Malateſtatum erat, quẽ populus abdicare ſe magiſtratu coëgit, quia nunq̃ congredi cũ hoſte auſus eſt. Tum verò Piſani elatiores facti, nõ tam ſpe potiundæ vrbis q̃ inferendæ contumeliæ cauſa, leuibus aliquot prælijs ante portas commiſsis, cũ magna præda domũ redeunt, inſtante iam autumno: Bernabos quoq; Bononiã bello agitatã, acriter eam defendente abbate Cluniacẽſi, multis caſtellis ſpoliat. Erat quidem Bononia, vt antea diximus, Vicecomitum dominatui ſubiecta, ſed Aulegianus eam abbati Cluniacenſi prodidit, Firmum in mercedẽ proditionis accepturus. Verùm dum Bernabos Bononiã & Regium bello premit, legatus apoſtolicus accitis in ſocietatem belli Philippino Gonzaga, Cane Veronenſi, Nicolao Eſtẽſi, in Brixianos mouet. Tum Bernabos Brixianorum periculo motus, relicta Bononia ac Regio, in hoſtem proficiſcens, apud Montem clarũ tãto prelio ſuperatur, vt ægrè deinceps vrbis mœnia tutatus ſit. Eodem ferè tempore Florentini Galeoto Malateſta duce Piſanos ſuperant, illectis prius ad ſe corũ militibus

bus pecunia. Hanc ob rem Piſani in Cambacurtos ciues ſuos præpotentes, omne crimen conijcientes, quod auarè maligneq́; ſtipendia militibus perſoluerēt, Ioānem Agnellum exulem Bernaboui amicum, & Cambacurtis aduerſantē reuocāt, qui ciuitatem breui in poteſtatem ſuam redegit, ſublatis è medio aduerſæ factionis amicis. Verùm compoſita à pōtifice inter Piſanos & Florētinos pace, Ioannes Haucut Piſanorum ſtipēdijs militare ſolitus milites omnes paſsim per omnem Italiam ſparſos colligēs, magnum omnibus terrorem iniecit, tumultuāte potiſſimum ciuitate Romana in creandis ſenatoribus, quam diſcordiā Innocentius optimè ſedauit, externo ſenatore ad vrbē miſſo Raymundo Ptolemæo ciue Senenſi, qui annum integrum magiſtratū geſſit, anno Domini milleſimo trecēteſimo quinquageſimo nono. Nō quieuêre autem compoſitis etiā hoc modo rebus Romani. nā pulſo ſenatore, ſeptē ciues crearunt cum ſumma poteſtate, quos Reformatores totius reipub. vocarunt. Hanc ob rem Innocentius Hugonē Luſignaneum, Cypri regem, ad bellum, quod in Turcos gerebatur proficiſcentem, ſenatorem creauit, mādauitq́; vt magiſtratum Reformatorum omnino aboleret. Erat autem tum maximè intētus abolēdo bello, quod inter Anglos & Gallos gerebatur, quò omnibus proficiſci in Turcū liceret. Verùm cùm Angli in Pitrienſi agro Gallos ſuperaſſent, cœpiſſentq́; regem cum Philippo filio, rem difficiliorē factū feciſſe videbātur. Cum Eduardus magnitudine animi motus, captiuos omnes hac cōditione liberat, ne amplius contra ſe bella gerant: qui non ita multò pòſt pacis fœdera rumpentes, Eduardum capere arma & obſidere Pariſios impellunt. Parare & claſſem cōtra hoſtes Chriſtiani nominis Innocentius cōſtituerat, cum & Piſani, qui rem nauticam optime norant, cum Florētinis, & Veneti, qui claſſe plurimum valebant, cum Ludouico Vngariæ rege bella tū gererent. Taruiſium enim rex magnis copijs tū obſidebat: nec ſeditionibus inteſtinis Veneti carebant. Nam Marinus dux affectatæ tyrannidis conuictus, ſecuri percutitur. In tantis verò animi perturbationibus afflictatus Innocētius, pōtificatus ſui anno nono, menſe octauo, die ſexto moritur. eo potiſſimū tempore, quo & Bartholus Saxoferratus vir illa ætate omnium conſultiſsimus. Ante verò pontificis mortē tanta ſolis defectio facta eſt, quanta nunquam anteà. Viſum itaq; omnibus eſt, tātæ mortis planetas etiam ſigna aliqua dediſſe.

*Bartholus Saxoferratus.*

## VRBANVS V.

207. Pont. Vrbanus quintus, patria Lemouicenſis, Guillelmus Griſant antea vocatus, ſancti Victoris Maſsilienſis abbas, abſens etiam omnium conſenſu pontifex creatur. Legatione enim tum apud Vicecomites in Italia fungebatur. Vocatus itaque Auinionem pontificatum iniens, vir ſingularis virtutis, ingētis animi, innocētiſsimæq́; vitæ, ſtatim ad tuendā libertatē eccleſiaſticā animū adijcit: eorumq́; opera vtitur, qui ad eā rem animati erāt. Egidium enim Hiſpanū virum præſtantē (de quo anteà diximus) in Italiam cum ſumma poteſtate mittit: qui ita Ludouicum Gonzagam, Nicolaum Eſtenſem, Franciſcum Carrarium initis fœderibus in Bernabonē cōcitauit, vt prœlio ab his ſuperatus, & ſaucius ægrè aufugerit, amiſſo in bello filio, captisq́; Andrea Pepulo Bononiēſi exule, Sinebaldo Ordelapho, Paulo Mirādula, Guidone Foliano, Azone Corrigēſi, Guillelmo Caualcaboue egregijs copiarum ſuarum ducibus. Permoti autē calamitate Vicecomitum, Franciæ, Angliæ, ac Cypri reges, legatos ad Egidiū miſere oratum vt Vicecomitibus pacem redderet. Non diſceſſere re infecta legati: reddita ſiquidem pax eſt, quæ non diuturna fuit. Ioannes enim Haucut Vicecomitibus militans, cum Florētinos bello laceſſeret, eorum copias apud Miniate oppidum grauiter profligauit. Hāc ob rem Egidius legatus Thomam Obicionem egregium copiarum ducem, cum tribus millibus equitū, & ſatis magno peditatu Florentinis auxilio mittit. Pugnatum eſt inter Arretiū & Cortanā dubio Marte quatuor horis: atque demum Thomas ita hoſtes ſuperat annitente peditatu, vt ex ſex millibus equitum, qui cum Anglico militabant, pauci euaſerint, atq; ipſe dux in deditionem venerit. Huius autem tantæ victoriæ fama permoti, qui ab eccleſia defecerant, ſtatim deditionem fecere. At verò cùm Vrbanus ad quartū ſui pontificatus annum in Italiam veniſſet componendarum rerum cauſa, ei legatus Egidius Corneti fit obuiam, rationemq́; adminiſtratæ prouinciæ reddēs, dū Corneto Romā proficiſcitur liberatus tantæ legationis onere, quieturus ob ſenium Viterbiū redijt: vbi & tertio menſe poſt moritur: vir certè ſingularis virtutis, præſtantisq́; animi: quiq́; dignitatem eccleſiaſticam, dum vixit, mirificè tutatus eſt. Eius autem corpus Aſſiſium delatū, in eccleſia beati Franciſci tumulatur, ſepulchro à ſe cōdito dum viueret. At verò cùm Carolus imperator intellexiſſet Vrbanum Romam profectum, eò & ipſe quoq; cum vxore & liberis ſtatim aduolans, in itinere Lucā Piſanis, Miniate oppidum Florentinis adimit, ſibiq́; vendicat. Profectus ne ſit Romam, haud ſatis cōſtat, cum ab Innocentio ſexto pontifice Romano coronam imperij accepiſſe dicatur, cardinali Oſtienſi Romā ob eā rem miſſo. Accepta autē à Florentinis ingenti pecunia, ne eos bello vexaret, tertio mēſe poſteaquàm venerat, Italia ceſſit, anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octauo. Vrbanus verò apoſtolorum capita diu quæſita tādem inuenit: deſierāt enim in honore eſſe propter deſuetudinem & ignorationē hominum. Apud verò Sancta ſanctorum reperta, ac locellis argēteis recondita, ad altare maius baſilicæ Lateranenſis cum maxima veneratione & celebritate collocantur, aſtante clero populoq́; Romano. Idem quoque pōtifex ædes pontificias tum in vrbe veteri, tum in Mōteflaſcone cōſtruxit, vt ei ac cæteris pontificibus eò proficiſci liceret, vitādi vrbani æſtus cauſa. Breui autem in Galliā reuerſurus, Ioannē Haucut egregium copiarum ducem è carcere miſſum, copijs illis omnibus præfecit, quæ antè ſub Egidio militauerant, vt tam diu ditionem eccleſiaſticam ab hoſte tueretur, quoad ipſe reuerteretur. Redire nanque ad Italiam ei in animo fuit. Verùm dum in Gallias proficiſcitur, pōtificatus ſui anno octauo, mēſe quarto Maſsiliæ moritur: vel (vt alij volunt) Auinione vitam finiuit, eo maximè tempore, quo Brigida deuotiſſima Chriſti mulier, Suetiæ princeps, Romā voti cauſa venerat, motusq́; nōnulli in Apulia exorti ſunt, mortuo Nicolao Acciolo, eiuſdem prouinciæ gubernatore, viro ſtrenuo ac in rebus agendis ſapientiſſimo.



## GREGORIVS XI.

Gregorius vndecimus, patria Lemouicenſis, Petrus Belfortis anteà vocatus, ſanctæ Mariæ nouæ diaconus cardinalis, Auinione pōtifex omnium conſenſu creatur. 208. Pont. Hunc enim adoleſcentem, vix decimum ſeptimum annum attingentem, Clemens ſextus eius patruus, cardinalem creauit: & ne videretur carni ac ſanguini magis, quàm eccleſiæ cōſuluiſſe, eundem ad exquiſitiſſimos doctores, maximè verò ad Baldū, qui tum Peruſij legebat, diſciplinæ gratia ſtatim miſit, vbi tātum in quouis genere doctrinæ profecit, vt idem Baldus eius auctoritate in confirmandis rebus dubijs plerunque vteretur. Fuit præterea tātæ innocentiæ & placabilitatis, adeoq́; humanus & pius, vt ab omnibus vnicè diligeretur. Eo itaque tempore, quo pontificatum inijt, Romæ ſenator ſingulo ſemeſtri à pontifice datus, ius populo dicebat. Vrbis autem cuſtodiam totamq́; reipublicæ adminiſtrationem & curam Bandereſij tum gerebat. Bādereſij enim appellati ſunt Germanico verbo à vexillis, quibus in bello vtebātur. Singulæ enim decuriæ ſigna internoſcebantur ſuo. Capita regionum nūc vocantur, qui vrbis tribubus præſunt. In Ciſalpina autem principes illi, quos diximus in Vicecomites cōiuraſſe, Regium à Vicecomitibus poſſeſſum, proditione occupant. Supererat arx, per quam Bernabos vrbem ingreſſus, hoſtes primo impetu fundit, Regiūque liberè recipit, Lucio Teutonico duce inde deturbato. Agebātur hæc in Italia, cū Perinus Cypri rex, Petro genitori in regnū ſuffectus, magnarum diſcordiarum inter Genuenſes & Venetos cauſa fuit. Nam dum Famaguſtæ coronationis ſuæ pompam duceret, adeſſetq́; Genuenſis & Venetus Bailus, (ita enim appellāt mercatorum Prætores) velletq́; vterq; ad dextrā regis incedere, tantus repentè tumultus exortus eſt, vt Genuenſes cæſi ac pulſi per ignominiā ſint, rege in Venetos magis, quàm in Genuenſes inclinante. Hanc ob rem Genuenſes Petri Fregoſi auſpicijs, dominici Fregoſi ducis fratris, comparata quadraginta triremium claſſe, Cyprum hoſtili animo inuadunt, quatuordecim millibus hominū in inſulā poſitis,

tis,qui omnia ferro ac flamma vaſtarent,ob violatum ius gentium.Rex verò ab omnibus auxilio deſtitutus,ad miſericordiã cõfugiens, dedita Famaguſta, quadraginta millia nũmûm auri quotanni Genuẽſibus pollicetur, ſi pacẽ reddiderint.At verò cum legatus põtificis in Italiã veniſſet,resq́; eccleſiaſticas recẽſeret, inita cum Vicecomitibus pace, initium perturbãdi omnia à Pratenſibus ortum eſt.Hi enim vindicare ſe in libertatem à populo Florentino quærentes, exercitũ eccleſiæ permittente legato in Etruriam vocãt:quem ita Florentinus populus pecunia corrupit,vt eorum auxilio Pratũ ingreſſus, & cõiurationis capita vltimo ſupplicio affecerit,& multa vexilla libertatis litteras,& nomẽ præ ſe ferẽtia,pluribus cohortibus diſtributa,ad oppida trãſmiſerint:populos vt dominos cohortãtes,vt libertatis memores, eccleſiæ iugum reijcerent.Primi autem Tifernates (quos Caſtellanos vocãt)ab eccleſia deſciuêre, hos deinceps Peruſini, Tudertini,Spoletini,Eugubini,Viterbienſes,Foroliuiẽſes,Aſculani,ſecuti ſunt. Occupauerat tum etiã Aſtrorgius Mãfredus ſub Bauaro, tyrãnidis dulcedine guſtata, Granariolum agri Fauentini caſtellum,ad quem opprimẽdum è Bononia legatus Ioannem Haucut cum aliquot cohortibus mittit.Tutati ſunt Aſtrorgiũ Florentini & Bononienſes,qui excluſo Haucut cum omni præſidio, in libertatẽ ſe vindicauerant.Haucut verò cernens Fauentinos ad rebellionem ſpectare,& ciuitatẽ crudeliter diripuit,cæſis paſſim omnibus,quos obuios miles habuit:& ſolũ vrbis viginti millibus nummũ auri Nicolao & Alberto Eſtenſibus fratribus vẽdidit,occupato Bagnacauallo,vbi impedimẽta exercitus ſui ad tempus repoſuit. Tum verò põtifex cognita tãta rerum permutatione, cardinalem Gebennẽſem legatum cum ſex millibus equitum Britonum in Italiã mittit,qui per Taurinos deſcendẽtes,ſine vllo maleficio vſq; ad Bononiæ portas peruenêre, vrbẽ obſeſſuri.Sed legatus cognito Florentinorũ aduẽtu, qui Rodulpho Varraneo duce Bononiẽſibus ſuppetias ferebant,cum copijs ſuis Ceſennam hyematum conceſſit. in qua vrbe ita tumultuatum eſt ob ſuperbiam *Gallorũ, vt ſexcenti Britones* interfecti ſint,reliqui vrbe eiecti. Qui poſtea per arcem ingreſſi,aucti numero,cædibus & rapinis omnia compleuêre:neque *his* quidẽ parcentes,quorum ętas ſuppliciter veniã petit:ſolæ virgines & iuniores matronæ ad iniuriam reſeruatæ ſunt. Foroliuienſes autem veriti ne à legato inopia conſilij & gubernatoris opprimerentur,Sinebaldum,Pinum,Ioannem,Theobaldũ,Ordelaphos dominos in vrbem recipiũt,quorum virtute ab impetu Britonum defenſi cõſtantiſsimè ſunt. Exiſtimans autem Gregorius pontifex, hæc omnia mala, quæ in Italia cõmittebantur,ſua abſentia fieri,naufragiumq́; tam diuturnũ abſente gubernatore cõmitti,de profectione ſua ad Italiam vir bonus diu multumq́; cogitare cœpit:ſed hominẽ maximè mouere cuiuſdam epiſcopi verba, qui interrogatus à põtifice, dum ſimul ambularent,cur nõ rediret ad eccleſiam ſuam, quàm aut par erat tãdiu ſine paſtore nudam relinqui:Cur, inquit, tu ſumme põtifex cęteris exemplũ daturus,tuum epiſcopatum nõ repetis,eccleſiamq́ue Romanam? *Motus his* verbis pontifex,paratisq́ue in Rhodano vna & viginti triremibus,aliò ſe iturum ſimulans,ne à Gallis retineretur,ſi ſe profecturum ad vrbem intellexiſſent:ipſam namq; curiam emolumenti cauſa in Gallia volebant. Genuam itaq; primò,inde Cornetum cõtendit,vnde terreſtri itinere nauigationẽ pertæſus, hyeme præſertim,Romã peruenit,anno Domini MCCCLXXVI. idibus Ianuarijs,pontificatus ſui ſeptimo,migrationis verò Romanæ curiæ in Gallias anno ſeptuageſimo. Quo autẽ apparatu,quamq́ue incredibili populi Romani lætitia ſuſceptus in vrbem ſit,honorato quoque obuiam prodeunte, nõ attinet dicere, cũ vultu, geſtu,acclamationibus omnem lætitię ſpeciem effuderint,vt filij ſolẽt redeunte peregrè exoptato parente.Indigebant omnia aduentu põtificis. Nam & mœnia & Baſilicæ & publica ac priuata ædificia vbique ruinam minabantur, quæ certè magna ex parte reſtituit,vt turris ſuo iuſſu ædificata ad ſanctam Mariam Maiorem indicat.Labefactati etiã ita ciuitatis mores erant, vt nihil vrbanitatis habere videretur:vtq́ue illi mores aliunde petendi eſſent, quæ totum orbem terrarũ quondam ad vrbanitatem redegerat.Collocata itaq; in vrbe ſede ſua põtifex( vt bonum paſtorẽ decet) omnia circumſpicere cœpit, de medelaq́; vulneribus in-

ferenda



ferenda cogitare:pax igitur,qua ſanari nondum obducta vulnera poterant, ſibi diu multumq́; cogitanti oblata eſt.Legatum itaque primò ad Florẽtinos mittit, qui ad arma ſpectabant,eosq́; adhortatur, vt æquas pacis conditiones non detrectẽt.Hi verò pontificis potentiam ſuſpectam habentes,ne ad pacem cogerentur, cum Bernaboue hoſte paterno auitoq́; fœdus & amicitiam ineũt.Poſtea verò Ioannem Haucut pecunia & pollicitationibus corruptũ, ab eccleſia in partes ſuas trahũt,quo ſucceſſu elati,nullum iniuriæ cõtumeliæq́; genus prætermitũt,quod in põtificem trãsferri poſset:qua ex re anathemate notati, hac inſolẽtia vſi ſunt, vt etiam ſacerdotes ſuos,quibus à ſacris interdictum erat,celebrare cõtra ius, faſq́ue coegerint.Tum verò põtifex à precibus ad arma conuerſus,conciliatis prius Bononienſibus,qui ſuo nomine vrbem gubernarent, Varaneum mercede cõducit,hac in re Florentinorum artibus vſus:eiq́; exercitum eccleſię cõmittit,paulò pòſt in Florentinos moturo.Id ne,vt deſtinauerat,ſtatim faceret,diſcordia inter Genuẽſes & Venetos orta effecit. Veritus enim eſt,ne aliqua externa vis Italiam inuaderet,ſi ipſe quoque cum Florẽtinis decertaret, nam dũ Andronicus Genuenſium auxilio fretus, quibus Tenedon inſulam mercedẽ facinoris permiſerat, patrem Caroli Ioannem Cõſtantinopolitanum imperatorem regno deturbaſſet. Veneti eundem in patriam reduxerunt,ac Tenedon inſulam ab eo accepêre. Qua ex re indignati Genuenſes, in aliud tẽpus vindictam diſtulêre, veriti pontificis anathema,qui vtriq; populo interminabatur,niſi ab armis diſcederent,cùm diceret neutri eorum bellum illud cõpetere. Sed dum vir ſanctus accuratè agit omnia,quæ ad põtificem pertinent,intollerabili veſicæ dolore moritur, ſui põtificatus anno ſeptimo,menſe quinto,quinto calẽdas Aprilis, milleſimo trecẽteſimo ſeptuageſimo octauo:ſepeliturq́; in baſilica beatæ Mariæ in via Noua ſepulchro marmoreo,quod adhuc viſitur,tãto omniũ cum gemitu & lachrymis, quanto nunquam antè quiſquã ſepultus eſt:parente enim & vnico genitore priuati omnes videbantur:lugebantq́; nõ modò præſentẽ, verumetiam futurã calamitatem,in quam ſublato optimo pontifice ob patrum diſcordiam incidêre.

## VRBANVS VI.

209. Pont.

Mortuo itaq; Gregorio cùm de creando nouo pontifice mentio haberetur,clerus populusq́; Romanus ad cardinales concurrunt,eosq́ue rogãt, vt vnum aliquem virum præſtãtem deligant è natione Italica, qui & eccleſiam Romanam & Chriſtianam remp. integrè ac ſanctè gubernet: aliter de Chriſtiano nomine illo maximè tempore actum eſſe, niſi optimus paſtor tum diligeretur.Italum autem requirebant,ne ſi Gallus deligeretur, Romanæ curiæ iterum migrare vltra montes neceſſe eſſet,cum maximo vrbis Romæ totiusq́ue Italię detrimento & damno:quòd dicerẽt,abſente pontifice omnẽ prouinciam, vrbemq́; Romam tyrãnicis ſeditionibus continuò vexari, eccleſiasq́; Romanas neglectas,& incultas,ſitu & ſqualore iam magna ex parte prolabi:tolliq́; ob eam rem populorum pietatẽ Romam continuè proficiſcentiũ,cũ videant & ſedẽ põtificiam,titulos cardinalium,& monaſteria,ac ſacratiſsima martyrum loca ſine tecto, corruentibus iam parietibus, pecoribus & brutis animalibus patêre: æquum eſſe,vt eo loci pontifex reſideat,vbi Petrus ſedem pontificiam, relicta patria ſua,relicta natione, volente Deo collocauerit:auxeritq́ue martyrum,cõfeſſorum,ſanctiſsimorum põtificum cineribus ac ſanguine: vnde paſtores eccleſiæ vndequaque circumſpicientes mãdatorum CHRISTI memores, incitatiq́ue maiorum exemplis, quorum martyria & res geſtas ante oculos haberent, ſaluti hominum conſulerent:patrimonium beati Petri recuperarent, quod pontificũ abſẽtia in Etruria,in Sabinis,in Hernicis,in Vmbris,in Piceno,in Flaminia à tyrannis quibuſdam occupatum fuerat.Reticere ſe in præſentiarum,quàm imminuta ſit hominum pietas & peregrinatio ad vrbem Romã, imò ad ſanctorũ corpora & relinquias viſendas ob pontificum abſentiã,quę adhuc redintegrari poſſet:ſi pontifex Italicus crearetur. Reſpondere tũ cardinales,ſibi curæ fore, vt virum optimũ deligerent,qui eccleſię Dei pręeſſet,nulla perſonarum aut nationũ acceptione habita,ad imitationẽ Saluatoris, qui ad apoſtolatum viros ex omni

natione

nationedelegit, irent ipſi & bono animo eſſent, arbitrarenturque ſe nihil acturos, quod non totum ad honorem Dei, ad vtilitatem eccleſiæ Romanæ, totiusque Chriſtiani populi pertineret. Diſpoſito deinde apud ſanctum Petrum conclaui, collocatiſq; in Vaticano militum ſtationibus, ne tumultu aliquo tanta electio impediretur: vbi de ineundis ſuffragijs mentionem faciunt, magna contentio ſubitò exorta eſt. Tredecim erant cardinales Gallici: hi pontificem è ſuo corpore volebant, quattuor erant Italici: quorum vnus ex gente vrſina ad pontificatum maximè aſpirabat. Inclinabat autem in Gallos, quippe qui plures erant, res ipſa: ſed fortè fortuna inter Lemouicenſes & reliquos Gallos, orta diſcordia, cùm vtraque pars è ſuis aliquem creari vellet, effecit, vt Bartholomæum Barenſem archiepiſcopum, patria Neapolitanum, vel, vt alibi legitur, Piſanum, extra collegium cardinalium pontificem crearent, abſentem quamuis, Vrbanumque ſextum appellarent. Prius tamen quàm in publicum prodirent, ſcitumque eſſet Vrbanum pontificem creatum eſſe, calumniari Galli electionem illam fraudibus & metu extortam, inſtantibus Romanis vi & armis, vt Italus aliquis crearetur. Cardinales autem è conclaui prodeuntes, partim in Hadriani molem, partim verò ad montana loca confugêre, impetum populi furientis vitaturi. Seceſſit & ad Vicouarum cardinalis Vrſinus, in tanta diſcordia magnam ſpem conſequendi pontificatus collocãs. Verùm non ita multò pòſt cardinales pœnitentia ducti, ad vrbem venêre, Vrbanumque ante electum confirmarunt, conſalutaruntque vt verum pontificem decebat. Poſt menſem verò tertium in calores vrbanos Galli culpam reijcientes, à põtifice petunt, vt ſibi proficiſci Anagniam cum bona eius venia liceat, aërem mutaturi peſtilentem, æſtate præſertim, maximè verò Gallis: ſed reuera ſeueritatem Vrbani veriti, abiêre. Nam ſemel atque iterum eos ad ſe vocatos admonuit, vt manus abſtinentes haberent, non dona aliqua, non munera acciperent, dum cauſas agunt, dum patrocinium ſuum beneficia petenti præſtant. Interminatuſq; eſt ſe acerrimè puniturum in Simonia deprehenſos, aut iniuſtas cauſas fouentes. Præterea verò oſtendit ſibi placere, & ita velle, vt pompam dimitterent, tantamq; familiarium turbam & equorum, cùm id quod in tales ſumptus conſumerent, eccleſiæ Romanæ pernicioſos, pauperibus & reſtituendis corruẽtibus baſilicis deberetur: ſe deinceps bonorum delectum habiturum dicebat, affirmans malos ſuorum flagitiorum pœnas laturos, niſi ſententiam mutarent. Et quia ſentiebat cardinales Gallicos de reditu curię Romanę in prouinciam ſuam aliquando mentionem facere, apertè oſtendit ſe Romæ manſurum: neq; cuiquam ſuadenti, vt inde abiret, obtemperaturum, quòd diceret fundamentũ vniuerſalis eccleſiæ fideique Chriſtianæ, Romæ iactũ & auctũ ad culmen eſſe. His itaq; rationibus moti cardinales Gallici, & hi maximè, qui theſauros eccleſiæ in morte pontificum expilauerant, quique pro arbitrio animi ſui prius agebant, Anagniam primò, mox Fundos confugêre: vbi primò in Vrbanum (vt falſum pontificem) inuecti ſunt, quòd dicerent hominem vi creatum, vi etiam coronam pontificatus accepiſſe, cùm electio illa & coronatio in loco minimè tuto ſit habita, in qua liberæ deberent eſſe hominum voluntates, libera ſuffragia, cum contrà ipſi à populo Romano coacti ſint Italicum potius quàm Gallicum eligere. Has autem ob cauſas ſede vacante, vt ipſi dicebant, (decem & octo nanque erant) Ioanna regina fauente, Gebennẽſem cardinalem, qui antè legatus in Italia fuerat, pontificẽ deligũt, eique Clementi ſeptimo indita appellatio eſt. Hinc magna diſcordia in eccleſia Dei orta, & diuturna, quàm ſchiſma vocãt, cũ pars Chriſtianorum principum Vrbano, pars Gebennenſi faueret. Neque hoc modo contenti ſeditioſi cardinales, Britones, qui multa eccleſiæ caſtella, multas vrbis villas diripuerant, arceſque occupauerant, in pontificẽ & Romanos mittunt. Ad pontem Salarium Romanus populus hoſti incompoſito agmine obuiam factus, ſuperatur & cæditur. Verùm cum poſtea apud Martinum pugnam magna animorum concitatione inijſſent, adeò Britones cædunt, vt vix nũtius tantæ cladis ſuperfuerit. Qui in arcibus erant, ſe aliquandiu ac ſuos tutati ſunt, maximè verò arcis Surianæ præfectus, qui poſt multos annos Martino pontifici deditionem fecit.





Interim verò Genuenſes odium, quod in Venetos mente conceperant, oſtendunt, aſcito in ſocietatem belli Ludouico Vngariæ rege, Franciſco Carrarienſi Patauino domino, Auſtriæ duce, patriarcha Aquileienſi. Sentiebant tũ cũ Venetis Perinus Luſignaneus Cypri rex, & Bernabos Vicecomes. In primo autẽ congreſſu nauali prælio ſuperiores Veneti fuêre in littore Antiatũ, Victore Piſano claſsis præfecto. Ex decẽ nanq; Genuenſium triremibus quinq; amiſſæ ſunt. Tum verò Marchiones Carreti adiuuãte Bernaboue, Albingaunium (quod nunc Arbengam vocant) Naulum & caſtrum Francum de Genuenſibus occupant. Verùm non ita diu pòſt in gratiam cum Genuenſibus redeuntes, omnia reddidêre. Genuenſes præterea coniecto in carcerem Dominico Fregoſo duce, eiuſq; fratre Petro, & Nicolaum Gualchum ducatui & Lucianum Aurium claſsi maritimæ præficiũt. Bernabos verò, qui filiam regi Cypro in matrimonium collocauerat, eam cũ duodecim triremibus, ſex Catelanis, & totidem Venetis, honorificè ad maritum in Cyprum miſit: quibus triremibus Perinus deinceps terra mariq; Famaguſtam oppugnat, ſed fruſtra acriter, qui in præſidio erant, vrbem defendẽtibus, diſiectaq; etiam vẽtis & procellis claſſe. Non ceſſabant hinc Veneti, hinc Genuenſes maria ipſa, tum inferum, tum ſuperum vexare. Nã dum Carolus Zenus claſsis Venetæ præfectus, Tyrrenum mare Genuenſibus infeſtum reddit, Lucianus Auria Hadriaticum cum magno Venetorum detrimẽto diſcurrit, ab Iadera vbi ſtationes habebat, in Venetos mouens, Iadera nanque regis Vngariæ erat. Ob hanc autem iniuriam commoti Veneti, cùm allicere ad certamen Lucianũ non poſſent, Catarũ & Sibinicũ ipſius regis oppida incendunt. Interim verò mortuo Galeatio Vicecomite, anno domini milleſimo trecẽteſimo ſeptuageſimo nono tota ferè Inſubria ad Bernabouẽ inclinatura videbatur: qua ex re maximã voluptatem cepêre Veneti, ſed fruſtra: nam & dimidia pars regionis primò, deinde tota Ioanni Galeatio nepoti obtigit. Lucianus autem Genuenſiũ præfectus, Polam mouẽs claſſem Venetorũ in portu ipſo ſuperat & capit. Verùm dum incautè nimium in hoſtem fugientẽ ruit, lancea trãsfixus moritur. Vtraq; claſsis & victrix & victa, Iaderam perducitur: quò ſtatim Genuẽſes Petrum Auriam in demortui fratris locum miſere cum triremibus nouem, alijs nauigijs compluribus. Qui victoriam fratris recẽſes, ad duo millia captiuorum inuenit, deprehenditq; multos in prælio & in vndis perijſſe. Oppugnabantur & terra Veneti à Carrarienſi eiuſq; ſocijs, quos antea commemoraui, quibus Veneti Albericũ Barbianum Cunij comitem, egregium copiarum ducẽ, oppoſuêre. At Petrus Auria Genuẽſium præfectus, ſexaginta triremium totidẽq; nauigiorum comparata claſſe, Venetias contendens, Gradum, Comaclũ, Caprulas vi captas incendit. Inde verò Clugiã mouens, à præſidio Veneto aliquandiu egregiè defenſam, tandem eam vi capit, Patauino tyrãno cõmeatũ ſubminiſtrãte. Cæcidiſſe ea oppugnatione ad ſex millia hominum conſtat, & ad nongentos & quinquaginta ex Venetis captos, Iaderamq; miſſos muliebri tamẽ pudicitiæ in tanta clade ignotum eſt. Fracti autẽ tãta calamitate Veneti, cum nec terra, nec mari auxilia ſperarent, captiuis Genuenſium è carcere liberatis, eiſq; Clugiam ad præfectum Genuẽſium impetrandæ veniæ cauſa miſsis, pacem petiuêre, eas accepturi leges, quas victor impoſuiſſet. Genuenſes verò ſuperbia elati, vt victores facere cõſueuerũt, Venetos reijciunt, niſi ſe ac ſua omnia dedentes, qui ad tuendam patriam conuerſi, deductis ante portus fauces catenis ferreis, diſpoſitiſq; in littore portus trecentis equitibus, totidemq; peditibus, ad vnum aliquem ex ciuibus reſpiciunt, quem bello pręficerent. At verò dum fluctuarent in tanta perturbatione, quem potiſsimũ deligerent, incerto auctore vox audita eſt, vnicum Victorem Piſanum, qui Genuẽſes optimè noſſet, idoneum eſſe qui tantę rei pręficeretur. Non eſt audita temerè ea vox, quaſi auſpicatò emiſſa. Ad carcerẽ concurrũt omnes (eò enim deductus fuerat ob rem malè ad Polam geſtam) eductumq;, bello maritimo ſolum præficiunt. Inſtabant Genuenſes, & captis circunquaq; caſtellis, ingredi vrbem parabãt: quos poſt longam pugnam Ioãnes Barbadicus armatis lembis quibuſdã perfacilè repulit, cùm progredi vlterius in æſtuarijs illis triremes Genuenſium nõ poſſent. Hac etiam arte Barbadicus vſus eſt: inuenta tum primum à quodam Teutonico bombarda fuit,

Bombardæ vſus primus

à ſono & tonitru ſic dicta, nulla erat ſcapha Venetorũ, nullus lẽbus, qui nõ duas bombardas & eo amplius haberet: quibus multi Genuẽſes, vt à re inſolita, nec ad præcauendũ ſcita, opprimebãtur. Singulæ enim bõbardę vno ictu binos ternóſue plerunq; necabãt, cùm præſertim in triremibus declinare ictus, vt in terra, nõ liceat. Adhortabantur autẽ Veneti Bernabouẽ Vicecomitẽ, ſocium & amicum ita Genuenſes bello premere, vt obſidione tam graui liberarentur: iam enim cõmeatibus carebant. De Venetis tum quidẽ actum fuiſſet, ſi (vt Carrarienſis admonebat) Genuenſes cauiſſent, ne cõmeatus mari Venetis importari poſſent. Bernabos autem Venetis aliqua ex parte ſatisfacturus, exercitũ ſuum in Genuẽſes mittit, qui vallem Pulceferæ deprædatus, acceptisq; decem & nouem millibus nummum auri, omiſsis Genuenſibus, auro cum Bernaboue, non ferro decernẽtibus, onuſtus præda in Inſubriam redijt. Non eſt vſus ea felicitate Aſtorgius Fauentinus, eò cum equitatu à Bernaboue miſsus. Vrbi enim appropinquãs, ab erumpẽte populo Genuenſi funditur fugaturq́;, ægrè quidem Aſtorgius euaſit ruſtico cucullo indutus. At Caloioannes imperator Græcorum cum Venetis ſentiens, Peram Genuenſium Cõſtantinopoli vicinam, oppugnare adoritur. Videbat enim Genuenſes pluribus bellis, & quidem grauiſsimis implicitos, ſed Andronicus eius filius, patri ac Veneto æquè hoſtis, Turcorum, Bulgarorumq́; præſidijs & ſocietate fretus, eam acerrimè defendit: eoque terroris patrem deduxit, vt in partes Genuenſium ſtatim tranſiret.

Interim verò Vrbanus non intentus componendæ paci inter Chriſtianos, vt par erat, ſed iniurias à Ioanna regina acceptas vlciſci cupiens, Ludouicum Vngariæ regem impulit, vt Adreaſij fratris mortem ſe adiuuante vlciſceretur: qui Carolum filium in Taruiſinis contra Venetos dimicantem in Ioãnam concitans, res Venetorum propè afflictas, meliuſculas facit.

Superuenit & Carolus Zenus Venetus, vir bello nauali egregius, qui depreſsis duabus onerarijs nauibus ante portum Clugienſem, eò neceſsitatis Genuenſes perduxit, cùm educere naues ſuas non poſsẽt, clauſis reliquis oſtijs, vt ipſi obſidẽtes, quàm obſeſsi maiore rerum omnium penuria laborarent. Sed nihil æquè Genuenſes afflixit, quàm Petri Auriæ mors ictu bombardæ interfecti, dum munimenta Clugię acriter defendit. In cuius locum Matthęus Rufus ſtatim ſuffectus, dum Clugiam peteret cum nouis triremibus, apud Manfredoniam Thadæũ Iuſtinianum cũ ſex triremibus annona onuſtis cæpit. His verò cladibus motus Agapitus cardinalis Columna, & Genuenſes & Venetos ſæpe ac fruſtra ad pacẽ adhortatus eſt. Sed hi de vita & ſanguine, nõ de imperio inter ſe dimicãtes, ſanis bene admonẽtium conſilijs nuſquã obtemperarunt. Poſtremo itaq; Genuẽſes Clugię obſeſsi, cùm erumpere non poſſent, premẽte Veneto, haberéue cõmeatus nequirent à Matthæo Rufo, Patauinoq́; domino, qui id ſe facturos breui pollicebãtur, deditionẽ fecêre calendis Iulij, milleſimo trecẽteſimo octogeſimo. Capti autem ſunt ea deditione ex hoſtibus, ad quattuor millia trecẽti & quadraginta. Plures autẽ fame & ferro in ipſa oppugnatione perijſſe conſtat. Non quieuêre tamen tanta accepta clade Genuenſes, qui cum triremibus octo & triginta Tergeſtinos deficere à Venetis ad patriarcham Aquileienſem cõpulêre. Cepêre & Iuſtinopolim, excepta duntaxat arce. Aucta deinde claſſe, Venetias iterum contendunt: ſed cùm nemo ad certamen prodiret, in Iſtriam redeũtes, Polam vrbẽ vi captam incendunt. Multæ vtrinq; cædes inuicem acceptæ datæq́; ſunt. Veneti tamen bello terreſtri à Carrario opprimebantur, licèt Iacobus Caballus egregius copiarum dux eos acerrimè tutaretur, dum Taruiſium oppugnatur, quod fame in hoſtium poteſtatem ferè venerat. Verùm cũ feſſus & defatigatus iam vterq; populus tam diutino & atroci bello eſſet, dux Sabaudiæ pacem inter eos hac formula componit octauo calendas Septembris, milleſimo trecenteſimo octogeſimo primo: vt regi Vngariæ decimo quoq; anno Veneti ſeptem millia nummum aureorũ perſoluerẽt, ſi nullum piratam in ſuis Dalmatiæ locis tutũ eſſe pateretur, ſiq́; nullibi ſal fieri ſineret, vtq́; patriarchæ Aquileiẽſi in Foroiulio eadẽ maneret cõditio, quæ ante bellum fuerat. Venetis autẽ & Genuenſibus imperatum, vt captiuos alterutrũ incolumes demitterent, de præda vtrinq; capta nulla mentio. Mandatũ





Patauino, vt ab obſidione Taruiſij recederet: vtq́ue arces & turres in ſtagnis & ad fluuiorum oſtia excitatas, ſtatim demoliretur, termini inter Venetum & Patauinum poſiti. Interea verò Carolus, quem diximus à pontifice ex Vngaria cõtrà Ioannam accitum, cum octo millibus equitum in Italiam veniens, Arretium primò in poteſtatem ſuam redegit, Guelphorum & Gibellinorum ſeditionibus diu agitatum. Inde verò in Florentinos mouens, à Ioãne Haucut, qui tum ſtagiæ erat, propellitur. Sed Florentini veriti ne ſuſtinere tanti regis impetum non poſſent, pacem à rege datis quadraginta millibus nummum auri redimũt. Haucutque ſine ſtipendio dimittunt, qui Bagnacauallum Nicolao Albertoque Eſtenſibus vendidit, quò facilius retinere Fauentiam in ſua poteſtate poſſent: quam tamen haud ita multò pòſt amiſere, Aſtorgio Manfredo eam quidem proditione adepto. Carolus verò ſalutato Romæ Vrbano, regnum ingreſſus, ſuperatis etiam Ioannæ ducibus, Neapolim dedentibus ciuibus capit. Obſidebatur in caſtello nouo regina, cum Arretini Guelphi tumultu excitato, Iacobum Carazolum Neapolitanum ciuem, eò à rege miſſum, fugere in arcem compellunt. Confugere eò & Gibellini: quibus certè viri æquus non magis quàm Guelphus conſulebat. Volebat enim omnia pari iure in ciuitate agi. Accito itaque ob acceptam iniuriam Alberico Barbiano à Tudertinorum finibus, vrbem ingreſſus, dũ Guelphos ad officium redigere conatur, Gibellinorum quoque bona diripit. Ferrabac autem alter copiarum dux Albericum ſecutus, quod reliquum ſuperfuerat in Arretio, abraſit. Dum hæc ad Neapolim & Arretium agerentur, noua belli nubes Italiam inumbrauit. Nam Ludouicus Andegauenſis à regibus Francorũ originem ducens, Italiam ingreſſus, cum triginta millibus equitũ, non longè à Bononia conſederat, à Clemente antipapa impulſus: non tam vt reginam Ioannã obſeſſam liberaret, quàm vt Vrbanum armis pontificatu deijceret. Hanc ob rem Carolus omiſſo Arretio, Albericum & Ferrabac ad ſe vocat. Florentini quoque Ioãnem Haucut rogatu Vrbani ad Carolum miſêre. Ludouicus autem per Marſos iter faciens, ad Caſsinenſem ſaltum iam peruenerat. Adhuc enim ad duodecim millia equitum expectabat: qui Italiam ingreſsi duce Andegranio, per Placentinũ, Lucenſem, Florentinum, Senenſem agrum iter facientes, Arretiũ iam peruerant: vrbemq́; à Guelphis introducti, poſt illatam ab Alberico cladem, dipuere. Defendebatur arx Guelphorum pręſidio, quę diebus quadraginta oppugnato, in Gallorum poteſtatem propediem ventura erat, niſi Ludouici Andegauenſis mors interueniſſet. Tũ Andegranius re cognita, hortantibus Arretinis in arce obſeſsis, vrbẽ Florentinis vẽdidit, in Galliasq́; redijt. Andegauẽſes aũt milites morte ducis cõſilio carentes, bini terníue mendicantes etiã in patriã redière.

Tum verò Vrbanus terrore Gallico liberatus, Neapolim ſe conferens, à rege petit, vt ſibi liceat creare nepotem ſuum Campanũ principẽ: quod cùm impetrare nequiuiſſet, homo ſub ſpecie iuſti & honeſti minus vrbanus ac nulli gratus, ad minas conuerſus, eò iracundiæ regem compulit, vt cuſtodijs adhibitis per aliquot dies prodire in publicũ nequiuerit. Verũ diſsimulata ad tempus iniuria, Nuceriam ad vitandos æſtus, vt ipſe dicebat, cũ bona regis venia profectus, cõmunitaq́; firmis præſidijs vrbe, & nouos cardinales creat, & ſeptẽ ex veteribus in carcerem conijcit, quod diceret eos cum rege & antipapa contra ſe cõiuraſſe. Præterea verò & proceſſum, vt iſtorum more loquar, contra regẽ inchoauit, miſſa de more citatione, qui breui ſe vẽturum Nuceriã reſpondit, diluiturumq́; obiecta crimina, non verbis modò, verùm etiam armis. Nuceriam itaque cum ſatis magno exercitu veniens, vrbem obſidet. Motus autem hac indignitate Raimundus Balcianus è gente Vrſina, comitis Nolani filius, qui poſtea Tarentinus princeps eſt habitus, ſuis copijs fretus, quas ſub rege ductauerat, Vrbanum cum tota curia ad proximum littus deductum, Genuenſium triremibus adinſtructis paratisq́; impoſuit. Quibus dum Genuam pontifex defertur, ex ſeptem cardinalibus Nuceriæ captis, quinque ſaccis inuolutos, in mare demerſit.

At verò mortuo Ludouico Vngariæ rege, proceres Vngari Carolũ ſtatim per legatos accerſunt: qui eò profectus dum conuẽtum ad res componẽdas celebrat, curante regina, quæ odiũ diſsimulauerat, obtruncatur, anno milleſimo trecẽte-

ſimo octogeſimoquinto,quo tempore Ioãnes Galeatius Bernabouẽ Vicecomitem,cui erat ex fratre Galeatio nepos,captum in carcerem Modoetiæ conijcit,ac coniectum vſq; ad mortẽ detinet,eiusq; ditione potitur. Prius enim dum patrimonium diuidunt,Papia,Vercellæ,Nouaria,Dertona,Alexandria, & cætera ad Appenninum alpesq; pertinentia Galeatio; Placentia verò, Cremona, Parma, Lauda,Brixia,& Bergomum Bernaboui ſorte obtigerant. Mediolanum autem vtrique commune erat.

At Vrbanus circumacto anno,quo ſe Genuam contulerat,intelligens eccleſiaſticis ciuitates à Florentinis ad libertatem,vt anteà,incitari,Lucam primo,mox Senas & Peruſiũ peruenit. Cõfirmatis deinde aduentu ſuo ciuitatibus, deſiderio vt ipſe dicebat,videndi Neapolim,Ferrentinum vſq; proficiſcitur:ea mẽte reuera,vt Ladiſlaum admodum puerum & Ioannem Caroli filios,hæreditate paterna deturbaret. Multi enim proceres Ludouico Andegauenſi ſtudere ſoliti,potiundi regni ſpem ei præſtabant:ſed magna vſi fide Caietani,pueris in vita retẽtis, regnum quoque cum ſumma laude ſeruauerunt. Pontifex itaque re infecta Romam rediens,cum magno apparatu honoreque pluſquam dici poteſt,à populo Romano in vrbẽ ſuſcipitur:licet haud ita mulò pòſt à Bãdereſijs inſidias perpeſſus ſit, quas certè omnino deuitauit & ſuſtulit, creatis vna die nouem & viginti Cardinalibus: quorum de numero Romani tres ſunt habiti. Reliqui verò ferè omnes Neapolitani fuere.

Interea verò Antonius Scala Veronenſis,& Franciſcus ſenior Patuinus dominus, grauiſsimo inter ſe bello contendere,Ioanne Vbaldino Carrarij, & Ioanne Ordelapho Scaligeri copias ducentibus. Verùm Galeatius Vicecomes inſtigãte Carrario ſuperatis Scaligeris,Verona Vicentiaq; potitur. Neq; hoc quidẽ contentus Galeatius, paucorum menſium obſidione Patauium capit,ac Frãciſcum Carrarium in carcerem Modoetianum conijcit. Eius verò filius Franciſcus iunior,fuga ſalutem ſibi quæſiuit. Florentini quoque augendæ ditionis cupidi, Politianum Lucinianum oppida ex veteri Senenſium dominatu,arte magis quàm viribus in poteſtatem ſuam redegere. Præterea verò Carolum Bernabouis filiũ, & Antonium Scalam cum quinque millibns equitum in agrum Senenſem hoſtili animo immittunt. Hanc ob rem Galeatius motus, legatos ad Florentinos mittit,qui ſuo nomine conquerantur, Carolum Vicecomitem & Antonium Scalam hoſtes ſuos,à populo Florentino, quo cũ ipſe pacem antea inierat & fœdus, mercede conductos eſſe, vexarique ab eis bello Senenſes amicos & ſocios contra ius faſque. Legatis item mandatum eſt, vt niſi ab iniuria Senenſium diſcederent,exauctorarentque ſuos belli duces, Florẽtino populo bellum indicerent. Quò minus verò id ſtatim Galeatius faceret,Petri Gambacurtæ Piſanorũ tyranni precibus factum eſt,qui Galeatio & Florentinis amicis,rem inter vtrunque compoſiturum ſe prædicabat.

Interim verò Vrbanus pontifex põtificatus ſui infeliciter acti,anno vndecimo, menſe octauo,Romæ moritur,ſepeliturq; in beati Petri baſilica,paucis admodũ eius mortem,vtpote hominis ruſtici & inexorabilis, flentibus. Huius autem ſepulchrum adhuc viſitur cum epitaphio ſatis ruſtico & inepto.

*Ex Onuphrio.* BARTHOLOMAEVS Pirignanus,aliâs Tuczillus,Regens Cancellariæ Apoſtolicæ in Vrbe, abſente Petro de Monturuco Cardinale Pampilonenſe S. R. E. Cancellario, ex Archiepiſcopo Materano,& Acheruntino Archiepiſcopus Barenſis à Gregorio XI. factus: Pontifex creatur Romæ in conclaui Vaticano extra Collegiũ Cardinalium ſexagenario maior, à XVI Cardinalibus,V. Idus Aprilis,anno ∞ CCC. LXXVIII. Coronatus ante gradus S. Petri,die Paſchæ,XIIII Kal. Maij: ſedit Cæſare Venceslao Rege Romanorũ annos XI. menſes VI. dies VII. Pernicioſiſsimũ & teterrimũ ſchiſma eiuſdem occaſione,alio Pontifice ab eiſdem Cardinalibus,qui eum elegerant, creato Clemente VII, inchoatum, in quinquaginta annos productum eſt. Pontificatus ſui tempus Romæ,Neapoli,Luceriæ,Panormi in Sicilia,Genuæ,Piſis, Lucæ abſumpſit. Iobilei annum ex quinquageſimo ad trigeſimum tertiũ reducẽs,

eum



cum anno ∞ CCCXC. tertio celebrari curauit. Carolum tertium de Duracio vocatum,Ioanna Regina priuata,Regem Neapolitanum creauit,coronauit:ac in obtinendo Regno pecunijs & commeatu adiuuit: cum quo poſtea ita inimicitias exercuit, vt eum anathemate notatum,eodem Regno exueret. Ordinationibus quatuor factis,Cardinales creauit LIIII. ex his quinque ſuſtulit,VII. purpuræ honore priuauit. Obijt Romæ Idibus Octobris, anno ∞ CCCXXCIX. ætatis LXXII. Vacauit ſedes dies XVII. ſepultus in Baſilica ſancti Petri,marmoreo ſepulchro,quod adhuc cum rudi hoc Elogio extat,& legitur.

HAec animo magnus,ſapiens,iuſtusq; Monarcha
Parthenopëus adeſt Vrbanus ſextus in arca:
Feruebat fidei latebras conferre magiſtris:
O decus,his fretus ſemper poſt prandia ſiſtris
Schiſmatibus magnis animo maiore regebat.
Omne Simoniacum tanto ſub patre tremebat.
Quid iuuat hunc terris mortali tollere laude?
Pro meritis cæli ſplendet ſibi gloria valdè.

## BONIFACIVS IX.

BOnifacius nonus, patria Neapolitanus, Petrus cognomento Tomacellus antea vocatus,Romæ Cardinalium omnium conſenſu pontifex creatur,anno Domini milleſimo trecẽteſimo octogeſimonono. *Pont. 210.* Hic etſi annorum circiter triginta eſſet dum pontificatum inijt, ita tamen deinceps vixit in tam florida ætate,& tanta peccandi licentia,vt nulla ei libido,nulla voluptas impingi vel obijci poſſet. Iuuentutem certè cum ipſa ſenectute commutaſſe videbatur. Fuit præterea tanti animi conſilijque, vt primus populi Romani vim omnem in pontificem transtulerit, creatis ſuo nutu magiſtratibus omnibus, munitaque ſancti Angeli arce in mole Hadriani ſita ad Tiberis pontem, quo ab vrbe in Vaticanum itur; munitiſque item pontibus quibus in Tranſtiberim Romani commeant.

Verùm dum Bonifacius nonus adhuc in pontificatu eſſet,Galeatius Florentinos & Bononiẽſes bello aggreditur,Ioanne Vbaldino & Lantedeſco Petramala copiarũ ſuarũ ducibus,qui vallem Arni ſuperioris ingreſsi,omnia longè ac latè populabantur. Iacobusq; Vermes Bononiẽſem agrum ſuo nomine ingreſſus, ciuitati quoq; multa damna intulit. Tũ verò Florentini ad præcauenda mala ſolliciti,& Ioãnem Haucut,& Carolum Bernabouis filium & Antonium Scalam cum quattuor equitum,peditum duobus millibus, Bononienſibus ſocijs & amicis auxilio miſêre. Sollicitare præterea litteris & nuncijs Stephanum Bauariæ ducem,ad quem Franciſcus iunior confugerat,& Iacobum Armeniaci comitẽ magna mercede conductum,vt in Italiam contra Vicecomitem deſcenderent,eũq; à ceruicibus ſuis ad propria tuenda auerterent. His cohortationibus motus Franciſcus iunior,mutata veſte fauentibus Venetis,ſecreto tamẽ,Patauium ingreditur,vrbeq; potitur. Subſecutus verò Bauariæ dux,vrbem ingreſſus,oppugnare arcem non deſtitit. Veronẽſes autem harũ rerum permutatione moti, pulſo Vicecomitis præſidio, Antoninum Scalam ad ſe vocãt,qui ferè his diebus in Etruria mortuus erat,relicto vnico filio in prima pueritia adhuc ſuperſtite. Qua quidem re cognita,pœnitẽtia ducti,in primis Vgolotum Blãcardum,qui in Cremonenſi agro cum exercitu Galeatij erat,ad ſe vocant,impetrata prius errati venia, perſolutiſq; aliquot millibus nummûm auri,ad redimendam tãti erroris culpã. Ingreſſus vrbem Blancardus,retinere milites à direptione tã opulentæ vrbis nequaquam potuit. Vxor verò Galeatij tantæ ciuitatis calamitatẽ miſerata,triduo pòſt militibus direptionem inhibuit. At dux Bauariæ conqueſtus ſe mercede à Florẽtinis defraudatum,ab oppugnatione Patauinæ arcis in Germaniam diſceſsit. Tũ Florentini præbente aditum Alberto Eſtenſi,qui iam pridẽ ab amicitia Galeatij diſceſſerat, Ioãnem Haucut Carrariẽſi ſocio auxilio miſêre: cuius fortitudine & aſtu arx Patauina in deditionem breui recepta eſt. Vnde Galeatij copię,quę eò re-

 cuperandæ

cuperandæ vrbis cauſa venerant, in Vicentinos ſeceſſere. Deſcenderat iam tũ etiã
comes Armeniaci è Florentinis mercede conductus, per Taurinos in Italiam cũ
viginti millibus equitum, Caſtellatiumq́ue in Alexãdrinis vi captũ diripuerat,
quare Galeatio neceſſe fuit copias ſuas è Vicentinis reuocare, quas hoſti oppone-
ret. In ſuburbio Alexandrino conſederant Mediolanenſes, in quos delati Arme
niaci ſine vllo ordine, excidium ipſis militibus & ciuibus minabantur. Pugnatũ
eſt pro portis aliquandiu, & ab Italis tandiu protracta pugna eſt, donec ſui (quos
circumacto itinere ad carpendum extremum hoſtium agmen miſerant) nil tale
opinantes, aggrederentur. Dum pugnatur, ſuperuenêre illi: atque ita à tergo, à la
teribus, à frõte cæſi, prius penè oppreſsi ſunt ingenti cæde, oppidanis etiã ſuperue
nientibus, quàm diſcrimen in quod delati fuerant, cognouerint. Comes ipſe
Armeniaci tanti exercitus dux captus, ex vulnere in prælio accepto ſtatim mo-
ritur. Capti & Rainaldus Ianfiliatius & Ioannes Ricius Florentini equites,
qui Armeniacum in Italiam duxerant. Tum verò Galeatius tãta victoria fretus,
patrem copiarum in Haucutum mittit, qui ea mente Ateſim & Mintium traiece
rat, vt ſecum Armeniaco cõiungeret. Verùm Haucutus re cognita, quanta maxi
mè celeritate potuit, in Patauinos mouit, non paucis ſuorũ in itinere amiſsis ob
deriuatas paſsim à ruſticis aquas, ne redire hoſti impunè liceret. At Florẽtini bel
lo preſsi à Iacobo Verme, qui eò à Galeatio cum duodecim millibus equitũ, pe-
ditum quatuor, miſſus fuerat, Haucutum reuocant, qui hoſtes Florentinorũ, qui
bus par eſſe aperto Marte non poterat, miris artibus ludificatus eſt. Interim verò
hortante Bonifacio põtifice, & Antonio Adurno Genuenſium duce, pax æquis
cõditionibus inter Galeatium & Florentinos Genuæ compoſita eſt. Sed dum v-
num incẽdium extinguitur, alterum exardeſcit. Nam & Franciſcus cognomẽto
Vicus, vrbis præfectus, Viterbium põtifici proditione abſtulit: & Petrus Gamba-
curta Piſarum dominos, à Iacobo Appiano publico ſcriba, & omniũ cõſiliorum
ſuorum participe cum filijs occiditur, ipſeq́; Appianus dominatu potitur. Mor-
tuo autem Alberto Eſtenſi, Accius & ipſe Eſtenſi familia ortus, iam pridem pa-
tria pulſus, adiuuãtibus Cunij comitibus, redire in patriam inſtituerat. Sed tuto-
res Nicolai pueri Alberti filij, ſumptis armis Accium Ferraria ſummouẽtes, Lu-
cum & Concilicæ oppida Ioanni Cunio promisêre, ſi Accium interficeret. Tum
Ioannes compoſita fallacia virum Accio perſimilem interficit, & acceptis oppi
dis, verùm Accium in publicum producit. Nõ commiſiſſet tantum facinus Al
bertus ex eadẽ familia ortus, cui plus Itali debent quàm omnibus ducibus, qui tũ
fuere, primus enim docuit Italos bella gerere, iam pridẽ arma ferre deſuetos, qui-
bus ſe deinceps ab inteſtino externoq́; hoſte tutati ſunt. Prius enim ſi quid gerere
Itali vel inter ſe, vel in barbaros voluiſſent, accire externũ militẽ opus erat. Sed
tanta militum copia hoc duce breui ſuborta eſt ſub vexillo ſancti Georgij, vt Bri
tones, qui prouinciam noſtram & eccleſiæ caſtella euerterãt, Teutonicos, Angli
cos, poſtremo omnia vaſtãtes Italia expulerit. Hinc Brachiani & Sfortiani mili-
tes originem habuere, quorum armis Italia apud exteros tantum nominis cõſe-
*Clemẽs adulterinus pontifex.*
cuta eſt, vt aut exteri timore perculſi quieuerint, aut aditũ ad nos tẽtãtes, magnis
cladibus ſuperati ſint. Interea verò mortuo Clemẽte ſeptimo adulterino põtifi-
ce, in eius locum à Cardinalibus tãti ſchiſmatis auctoribus, Petrus Luna Benedi-
ctus xiij. appellatus, Auinione ſufficitur.

Succeſſit tum etiam Carolo imperatori Romano Vinceſlaus filius, à quo Ioã-
nes Galeatius Vicecomes Mediolanenſis ducatus titulum accepit, miſſo oratore
Petro Philargi Mediolanenſi archiepiſcopo: qui poſtea Romanum põtificatum
adeptus, quintus Alexander appellatus eſt. Galeatius aũt mortuo Ioãne Haucut
Florentiæ ſepulto, quo vno duce in rebus bellicis tum maximè Florentini vtebã
tur, mittere Albericum ſuis copijs in Etruriam cõſtituit: qui Florentinos Appia-
num Piſanorum tyrannum bello laceſſentes, in officio cõtineret. Erãt in eo ex-
ercitu Paulus Vrſinus, Ceculus, Brolia Brandulinus, Paulus Sabellus, Lucas Ca-
nalis, cohortiũ præfecti inſignes: qui ſimul coniunctis copijs animiſq́; oppugna-
re Florentiam adorti, ad monaſteriũ Carthuſienſe caſtra poſuerant: vnde crebris
incurſionibus tum agros, tum ciuitatem Florentiã continuo vexabãt, cædibus,
rapinis,



rapinis, incendijq́; omnia complentes, anno Domini milleſimo trecenteſimo
nonageſimoſeptimo.

Quo quidem tempore & Bonifacius Peruſium ſe contulit nobilitatem ple-
beijs Raſpantibus conciliaturus. Sed plebs præſente pontifice præter datam fi-
dem arma capiens, interfectis ad octoginta ex optimatibus, Biordum & Miche-
lorum plebeiarum partium principes in vrbem intromiſſos, dominos conſti-
tuunt. Indignatus autem ob eam rem pontifex, Aſsiſium petens, inde ad ducem
Galeatium oratores miſit, qui eum adhortarentur, vt oppugnare Mantuam de-
ſineret: quam tum aqua & terra obſidione premebat, accito in Ciſalpinam Gal-
liam ad id bellum Alberico Barbianò.

Hanc autem ob rem ex fœdere Florentinis licuit, & Venetis belli ſocijs Man-
tuano auxilium mittere, Carolo Malateſta Mantuani ſororio tantarum copia-
rum duce, quingenti clade Galeatij exercitum apud Gouernolum profligauit,
erat tum quoque in animo Florentinis Piſanos bello perſequi, ſed eos à tanta re
auertebant Pupij Balneiq́; comites, & Vbertini rebelles, qui Florentinæ ciuitati
exitium minabantur, ſi in Piſanos mouerent. Verùm mortuo non ita multò
pòſt Iacobo Appiano, filius Gerardus patri ſuccedens, cum retinere Piſas in po-
teſtate ſua non poſſet, ob ſeditiones à Florentinis excitatas, vrbem ipſam Galea-
tio Vicecomiti vendidit, Plumbino oppido tantummodo ſibi ac ſuis retento,
milleſimo trecenteſimo nonageſimonono.

Interfecto aũt Biordo Lantedeſci inſidijs, Peruſini vindicare ſe in libertatem
conati ſunt. Verùm cũ Vgolinus Trincius Fulginas pontificis vicarius, eius no-
mine Peruſium in ditionẽ eccleſiæ trahere conaretur, indignati ciues, Galeatio
ſeſe dedunt: qui poſt mẽſes duos Bononia quoq́; & Luca falſo potitur. Hinc ma-
ior timor Florentinos inceſsit, paſsim de ſe ac libertate ſua actũ dicentes, niſi Ga
leatus morte è medio auferetur. Appropinquante verò Iubilei anno, legati Ro-
manorũ pontificem adeunt, rogantes vt Aſsiſio Romã proficiſceretur: qui etſi
id magnopere cuperet, tamẽ diſsimulato deſiderio, facturũ ſe quod petebãt: ne-
gauit: quod diceret eos noluiſſe recipere ſenatores ex nobilitate externa ſecundũ
conſuetudinẽ & inſtituta pontificũ: quodq́; cameræ conſeruatores ſuopte inge-
nio elegiſſent, homines quidẽ parum idoneos, & quorũ licentia Bãdereſijs om-
nia licerent. Tum verò Romani, vt rem gratã põtifici facerẽt & Bandereſios tol-
lunt, & Malateſtam Pandulphi filiũ Piſaurienſem, virũ doctũ, pontificis nomi-
ne in ſenatorẽ recipiunt, pecuniaſq́; inſuper Bonifacio dant, quò ei proficiſci ad
vrbem liceret. Vrbem itaq́; ingreſſus, munita mole Hadriani (vt antea diximus)
mœnibus & turribus, dominatu vrbis ſenſim potitus eſt. Celebrato deinde Iu-
bilei anno, M CCCC. quo innumera ferè hominũ multitudo ad vrbẽ religio-
nis cauſa venerat, Florentini Galeatiũ à ceruicibus ſuis auertere cupientes, Ro-
bertum Bauarię ducem, quem imperij electores, abrogato ob ignauiã Vinceslao
Boëmo, delegerãt, hac cõditione in Italiam vocãt, vt nõ promiſſam mercedem
accipiat, quàm Vicecomitis ducatum attigiſſet. qui Brixianũ agrum ad Benacũ
ingreſſus, parte pecuniarũ accepta, cũ Galeatij copijs cõgrediens ſuperatur, ac Tri
dentũ fuga petit. Retinere hominem Veneti & Florentini multa polliciti, quò
minus in Germaniam rediret, nequaquã potuere. Tum vero Bonifacius, ſiue Vi
cecomitum potentiã veritus, ſiue augendæ ditionis eccleſiaſticæ cupidus, Anna-
tarũ vſum beneficijs eccleſiaſticis primus impoſuit. hac cõditione, vt qui bene-
ficium cõſequeretur, dimidium annui prouentus fiſco apoſtolico perſolueret.
Sunt tamen qui hoc inuentũ Ioanni vigeſimoſecundo aſſcribãt. Hanc aũt con-
ſuetudinẽ omnes admisêre, præter Anglos, qui id de ſolis epiſcopatibus cõceſſe-
re in cæteris beneficijs non adeo. Cõfirmata hoc modo, pecunijs, arce, magiſtra-
tibus ſuo nutu in vrbe delectis, ditione eccleſiaſtica, põtifex Ladislaum adoleſ-
centẽ Caroli Neapolitani regis filium, in regnũ paternũ reſtituit, à tyrannis &
populis occupatũ, qui Ludouici Andegauenſis partes ſecuti fuerant. Quo aũt fa
cilius & honeſtius id fieret, priuationẽ Caroli ab Vrbano ſexto Nuceriæ factam,
abrogauit: cardinalẽq́; Florentinũ Caietam miſit, quæ ſola in fide remãſerat, vt
& eo loci adoleſcentem coronaret, vbi ſumma cum fide ſeruatus fuerat.

Vicecomes autem redeunte in Germaniam imperatore Roberto, copias ſuas Alberico duce ad opprimendum Ioannem Bentiuolum miſit, qui Bononienſem vrbem in ſuam redegerat poteſtatem, pulſo Vicecomitum præſidio. Militabant tum in exercitu Galeatij, Franciſcus Gonzaga, compoſita inter eos pace: militabat Pandulphus Malateſta, Caroli frater: aderat & Othobonus Rubeus, Parmenſis ciuis: quorum nominibus perterriti Florentini, Bernabouem copiarum ſuarum præfectum, Bononienſibus ſocijs auxilio mittunt: cuius aduẽtu Bononienſes animis aucti, hoſti mœnibus appropinquanti occurrere audẽt: quo prælio ſuperati, omnem equitatum cum Bernaboue in ipſa pugna interempto, amisêre. Captus etiam eo prælio Iacobus Carraria, Franciſci Gonzagæ precibus cõſeruatur. Aufugerat tum cum paucis Bentiuolus in vrbem: quam dum acriter nimium tutatur, in globum incidens, cum viuus capi non poſſet, obtruncatur. Potitus itaque deinceps, nullo reſiſtente, Bononia Galeatius, magnum terrorem Florentinis iniecit. Eò enim ſe breui moturum omnem belli impetum oſtendebat. Verùm morte eius adiuti, vt ipſi optabant, non ita multo pòſt tanto metu liberati ſunt. Mortuo autem ex febre Ioãne Galeatio apud Merengnanum, cum ante cometes tantæ mortis indicium apparuiſſet, anno milleſimo quadringenteſimoſecundo, multi repentè tyranni oborti ſunt, aut ciuitatum ſuarum principes, aut cohortium præfecti, à militibus ducis ob largitionem ad occupandas ciuitates adiuti. Oborta tum quidem infinita mala ſunt, cùm nemo vnus præeſſet, qui vitia hominum imperio & auctoritate compeſceret. Innouata eſt etiam Guelphorum & Gibellinorum pernitioſa ſeditio, quæ ducentis & eo amplius annis per Italiam vagata, omnes ciuitates ita ad arma ciuilia concitauit, vt fermè ad internecionem certatum ſit. Nam Vgotinus Caualcabos, oppreſsis Gibellinis, Cremona imperitabat: Parmam Otho Tertius, interfectis ac pulſis Rubeis, obtinebat: Soardi Bergomũ, Ruſconij Comum, Viginatæ Laudam: Verceltas, Alexandriam, plurimaq́; per eam regionem oppida Facinus Canis dux copiarum egregius vi occupauerat. Omitto reliquos tyrannos à Galeatio pulſos, qui tum quidem redeundi ad tyrannidem & dominatum ſpem aliquam ſumpsêre. Maximè verò Guillelmus Scala, & Carolus Vicecomes Bernabouis filius, qui principes omnes & populos ad defectionem ſollicitabant. Hinc etiam Pynus Ordelaphus patria pulſus, Foroliuio potitur. Albericus quoque Cunnij comes, Fauentiam bello preſſam in ſui poteſtatem redegiſſet, niſi à Ladislao adhortante etiam pontifice in regnum accitus properè fuiſſet: magnusq́; coneſtabilis, vt eorum vocabulo vtar, creatus. Miſerat & eò cum ſatis iuſto exercitu fratrem ſuum pontifex, vt regi auxilio eſſet: qui à Neapolitanis repulſus, Peruſium mouens, ciuitatem ipſam in poteſtatem pontificis breui redegit. At Baldeſar Coſſa Neapolitanus ciuis, ſancti Euſtachij cardinalis, Bononienſes aliquandiu obſeſſos, redire tandem ad eccleſiam compulit, Brachio Montonio copias eccleſiaſticas ducente, quem vt virum in re militari preſtantem Albericus in Flaminia reliquerat. Sub eo enim ab ineunte ætate militauerat, ordinesq́; duxerat. Idem etiam contigerat Sfortiæ, è Cotignola Flaminia oppido originem ducente: quorum virtute militia Italica ita breui creuit, vt qui duce in re bellica deinceps indigerent, altero iſtorum vterentur. Hinc illæ factiones militares exortæ ſunt, vt ſexaginta iam annis nihil propè geſtum in Italia ſit, quod non alteri iſtarum aſſcribi poſsit. Qui enim à Brachianis opprimebatur, viciſsim à Sfortianis alteram factionem precio cõducebat. Albericus autem (vnde tanquam ex equo Troiano innumerabiles belli principes emanarunt) Neapolim diu oppugnatam, tandem in poteſtatem Ladislai recepit. Qua victoria moti omnes regni principes ciuitatesq́;, ſtatim in deditionẽ regis peruenêre. At verò Ladislaus regnandi cupidus, priuſquam fundamẽta regni Neapolitani confirmaſſet, accitus ab Vngaris, ad illud quoque regnum iure hæreditario ſuſcipiendũ, cùm copias traieciſſet, Iaderaq́; obſideret, certior ab amicis fit, Neapolitanos & aliquot regni proceres ad defectionẽ ſpectare. Iadera itaq; potitus, eademq́; Venetis diuendita, Neapolim redijt: reuocatoq́; è Flaminia Alberico (eò nanq; ad ſuos viſendos profectus erat) omnes proceres dominatu priuauit.

*Brachiani & Sfortiani milites obdurati bellis.*

uit.



uit. Recuſantes autem parêre, è patria deiecit. In Seuerinatum verò familiã crudeliter animaduertit, primatibus ipſis vltimo ſupplicio affectis.

Bonifacius autem in tanta rerum perturbatione diu afflictatus, dolore laterum tandem moritur, pontificatus ſui annò quartodecimo, menſe nono, milleſimo quadringenteſimo quarto. Sepeliturque in baſilica Petri ſepulchro marmoreo, vermiculato opere diſtincto, quod adhuc cernitur, cum gentilitijs inſignibus: quæ item indicant, multa ædificia tum in mole Hadriani, tum in Capitolio, tum in palatio Vaticani huius iuſſu & impenſa ædificata tum fuiſſe. Huic autem pontifici ad ſummam gloriam nil certè defuiſſet, niſi affinium & cognatorum affinitatibus obtemperans, aliquam notam contraxiſſet. Multa enim crimina per Simoniacam prauitatem committebantur, petentibus contra ius fásque omnia tum fratribus, tum cognatis: quorum magna multitudo quæſtus gratia Romam venerat. Indulgentiæ verò & quidem plenariæ ita paſsim vendebantur, vt iam vileſceret clauium & litterarum apoſtolicarum auctoritas. Reuocare hæc omnia Bonifacius conatus, cognatorum precibus eò identidem redire cogebatur. Vnde melius actum cum eccleſia Dei cenſerem, ſi pontifices reiectis affinibus & cognatis, vel ſaltem in mediocri fortuna collocatis, pontificiæ dignitati potius, quàm carni & ſanguini conſulerent. Maximè verò hoc tempore, quo mortuo Tamburlano, qui Turcos ſuperauerat, eorumque regem catenis vinctum ſecum trahebat, Armenios, Perſas, Aegyptios, Aſſyrios ſine gubernatoribus reliquerat: qua ex re facilè Chriſtianis tum fuiſſet Hieruſalem, ac ſanctum Domini ſepulchrum recuperare. In noſtros enim conuerſus, Albos ſuo pontificatu nouam ſuperſtitionem introducentes perſecutus eſt. Ex alpibus nanque deſcendiſſe in Italiam ante iubileum presbyterum quẽdam cum magna hominum multitudine, ex patre meo, qui hominem viderat, intellexi. Is quidem albo indutus panno, tantam modeſtiam vultu ac verbis præ ſe ferebat, vt ab omnibus ſanctus haberetur. In Italiam itaque deſcendens, magnam hominum ac mulierũ multitudinem in ſentẽtiam ſuijpſius breui deduxerat. Linteis albis circumuoluti omnes ſine diſcrimine, mares an fœminæ, ruſtici an ciues, ſerui an liberi eſſent, paſsim veluti pecora, vbi nox oppreſſiſset, dormiebãt. Publicè in vicis epulabantur, perlatis vndique certatim quaſi ad ſacrum epulis, Crucifixum ſacerdos ipſe præ ſe ferebat: quem lachrymari ob hominum errata dictabat. Id quoties accidiſſet, ſucclamabant omnes, veniam à Deo petentes. Laudes beatæ Virginis canebant euntes & ſtantes, hymnis ad id aptè compoſitis. Ex Ciſalpinis autem Flaminiam, Etruriam, Picentes, aucta opinione ſanctitatis veniens, non plebem modò rudem & credulum, ſed & principes & epiſcopos ciuitatatum in ſententiam ſuam facilè pertraxit. Subſtitit Viterbij cum magna multitudine labore itineris feſſus, Romam inde, vt ipſe dicebat, ad viſenda loca ſancta ſanctorumque corpora venturus. Sed Bonifacius fraudem ſubeſſe veritus, quòd diceret hominem ſuperſtitioſum pontificatum appetere, adiuuante illa multitudine, milites aliquot præmittit, qui hominem comprehenſum ad ſe perducant. Sunt qui ſcribant, huius fraudem quæſtione detectam fuiſſe hominemque in tanto facinore deprehenſum, meritas pœnas luiſſe, igne ſcilicet, quo exuſtum ferunt. Sunt etiam qui dicant, nil fraudis in homine deprehenſum fuiſſe: ſed id fictum à pontifice abolendo rumori, quo hominem per inuidiam captum & necatum affirmabant. Vtrum verius ſit, Deus nouit. Hoc tamen conſtat, poſt tantam colluuionem, quæ partim hac ſuperſtitione, partim frequentia iubilei obuenerat, magnam hominum multitudinem peſtilẽtia conſumptam fuiſſe. In tantis autem malis quibus prouincia noſtra afflictabatur, vnum tamen bonum in Italiam aduectum eſt. Ad nos enim Chryſoloras Bizantius litteras Græcas attulit, quæ annis iam quingentis in Italia conticuerant. Hinc Græcæ Latinæque linguæ ſcholæ exortæ ſunt, Guarino, Victorino, Philelpho, Ambroſio monacho, Leonardo Aretino, Caroloque, ac pleriſque alijs tanquam ex equo Troiano in lucem prodeuntibus, quorum æmulatione multa ingenia, deinceps ad laudem excitata ſunt.

*Indulgentias vendere luſus erat, quare vileſcebant.*

*Noua ſuperſtitio introducta.*

PETRVS

*Ex Onuphrio.*

PETRVS aliàs Perinus Tomacellus, gente nobili, ex Nidi Curia ortus, ex diacono S. Georgij in Velabro, Presbyter Cardinalis tt. S. Anaſtaſiæ ab Vrbano VI. factus, Pontifex Romæ creatus eſt in conclaui Vaticano, IIII. Nonas Nouembris, anno ∞ CCCXXCIX. Cardinaliũ XIII. ſuffragijs, annũ agẽs (nõ vt ait Platina circiter. XXX.) ſed XLV. Coronatus apud S. Petrũ, III. Idus Nouembris, ſedit Cæſaribus Venceslao Bohemo, & Roberto Bauaro Romanorum Regibus in ſchiſmate contra Clementem VII, & Benedictum XIII. Auenione commorantes, annos XIIII. menſes XI. Iobileum annum tertio, anno ∞ CCCXC. ab Vrbano VI. inſtitutum, & quarto more veteri, anno ∞ CCCC. celebrauit. Primus Romanorum Pontificum poſt reditum Apoſtolicæ ſedis ex Gallia ſummum imperium Vrbis Romæ, ciuibus ſe dedentibus, obtinuit. Mauſoleo Hadriani arcis inſtar, & Capitolio munitis, Pontificum ditionem ſtabiliuit, maieſtatem nutantem confirmauit. Eccleſiæ Romanæ patrimonium Tyrannorum vi amiſſum recuperauit, Latium, Campaniam, Picenũ, Etruriam, Flaminiam, & Aemiliam prouincias: item magnas Vrbes Narniam, Tuder, Spoletium, Vrbem veterem, Viterbium, Peruſiam, Forumliuij, Fauentiam, Bononiam, eccleſiaſtico imperio reſtituit. Ioannis Galeatij Vicecomitis primi inſubrûm Ducis vires, toti Italiæ formidabiles, repreſsit. Robertum Bauariæ ducem, & Rheni Comitem Palatinum, Venceslao ob ignauiam in ordinem redacto, Cæſarem deſignatum confirmauit. Ladiſlao Caroli III. filio adhuc puerulo Regnum Neapolitanum, quo Andegauenſium factione pulſus fuerat, reſtituit, defendit, eumque Angeli Acciaioli Legati Cardinalis opera Regem inunxit: eius patrem fato functum Vrbani VI. diris abſoluit. Ex duobus fratribus, alterum Spoletinum Ducem, alterum Piceni Principem beneficiario iure conſtituit. Palatium Vaticanum, quod nunc ſupereſt, perpetuæ Pontificũ ſedi inchoauit. Ordinationibus duabus factis, Cardinales VI. nouos creauit, V. ſuperſtites ab Vrbano VI. priuatos, reſtituit. Obijt Romæ in Vaticano ſexagenarius Kalen. Octob. anno ∞ CCCCIIII. vacauit ſedes dies XV. ſepultus in Baſilica S. Petri monumento lapideo, quod in eccleſiæ ruina dirutum fuit, cum hoc epigrammate.

FLete ſuper pugilem Claues, Crux, alma Tiara,
Eccleſia viduata viro, ſimul inclyta Roma,
En petra parua patrem ſub cælica ſydera primùm
Claudit, Apoſtolica ſolium qui rexit habena,
Catholicamq́; fidem, ſeruans à turbine ſanctum
Remigium Chriſti, victis virtute tyrannis:
Orthodoxus erat ſuper omnes, arca ſuperni
Conſilij: ſua iura tuens, & grandia tractans
Cæſaris ex animo fidei clypeatus honore:
Corpore conſpicuus, roſeus flos, flamine conſtans,
Auditorq́; placens, miſeris miſerator opimus:
Oſſa iacent, mens alta polum fœlicibus alis
Aſcendens, micat ante Deum nouæ lucis origo
Glorius Antiſtes. Quis nam Bonifacius alter
Nonus vt iſte fuit? quæ Chronica ſcripſerit vnquam?
Quod ve genus parilem dedit æuo nomen? & omnes
De Tomacellis fulget, fulgebit in annos
Parthenopen luſtrans tulit hunc genus omne Latinum
Quicquid alit tellus, & quod tegit omnia cælum.

Obijt MCCCCIIII. Die I. Octobris, pontificatus verò eius anno XV.

## INNOCENTIVS VII.

*Pont. 211.*

INnocentius ſeptimus, patria Sulmonẽſis. Coſmatus antea vocatus ſanctę crucis presbyter cardinalis, Romæ pontifex creatur, tumultuante tota Italia.

Mortuo enim Ioanne Galeatio, duobus filijs ſuperſtitibus, ſed adoleſcentibus,

adhuc



adhuc tota Italia ad arma reſpiciebat. Ioannes Maria maior natu, id enim in nomẽ erat, ducatũ Mediolani ſibi vendicat: Philippus verò Maria minor natu, Papiæ, dominatum, cuius comes iure habebatur, facilè obtinuit. reliquæ ciuitates, vt antea dixi, ad quinque enim & viginti fuiſſe conſtat, ab imperio Vicecomitũ defecere. Nam & Paulus Guinifius ciuis Lucenſis, patriæ dominatum ſibi vſurpauit. & Franciſcus Carrarius ſublato è medio tanto duce, cuius arma mirum in modum timuerat, augendæ ditionis in magnã ſpem veniens, Veronam, Brixiam, Bergomum, Cremonã, legatos ad ſollicitandos in partes ſuas Guelphos miſit. Verùm vbi videt Guillelmũ Scalam & Carolũ Vicecomitẽ, qui imperia ciuitatũ ſuarum deſiderabant, poſſe conatibus ſuis obſtare, Guillelmo Veronæ, Carolo Mediolani, acceptis ab eo mutuo triginta millibus aureis, dominatum pollicitus eſt. Reducto itaq; in patriam Guillelmo, eodẽq́; nõ ita multò pòſt veneno ſublato, Verona ipſe potitur. Eadẽ quoq; fraude Carolum aggreſſus eſt, cũ is inſtaret, vt nõ apparentibus promiſsis, pecuniam ſalutẽ mutuo datam ſolueret. Literis quoq; Franciſcum Gonzagam admonet, vt deſcendere in partes ſuas ſponte velit, amplectiq́; eius amicitiam & ſocietatẽ: ſin ſecus eſſet animatus, habiturũ ſe eũ pro hoſte, facturũq́; vt breui eius pertinaciæ pœniteat: fieri perfacilè id poſſe dicebat, cũ Veronam Mantuanis finitimã adeptus, Brixiam quoq; in poteſtatem ſuam breui ſit redacturus, vnde percõmodè Mantuanos bello premat. Nil reſpondere Franciſcus inſtituit, priuſquã Venetorũ legatos audiret, quos in via ad ſe euntes intellexerat. Veneti enim Carrariorum potentiam ſuſpectã habentes, Vicetiã dedentibus vltro ciuibus in deditionẽ & tutelam recipiũt, quòd Franciſci arma vererẽtur: quodq́; ſub quouis alio, quàm ſub Patauino domino eſſe malebant: quippe cũ inter Patauinos & Vicetinos immortale odiũ intercedat. Admonet tum Franciſcũ Carrariũ Venetus, ne Vicetinos vectigales ſuos bello attingat: vtq́; ab expugnanda Colonia (quã ſuæ ditionis eſſe rebantur) abſtineat: aliter Venetos bello perſecuturos illatas iniurias. Reſpondet Franciſcus mirari ſe Venetorũ impotentiã, qui cum nullũ ius in cõtinenti habeãt, leges tamen meritò imperantibus velint præſcribere: irent, & æſtuarijs ſe ac paludibus cõtinerent: eosq́; præeſſe ciuitatibus ſinerent, qui eam facultatẽ à maioribus ſuis accepiſſent. Indignati mirũ in modũ Veneti, legatos ſuos, qui in via erãt, admonent vt fœdus & ſocietatem cum Franciſco Gonzaga ineant: eumq́; primum copiarum ſuarum ducem deligant, addita pecuniarum ſumma, quæ ei ſtipendij nomine quotannis daretur. Tum verò Franciſcus icto fœdere maturandum ratus, quod iam hoſtes potitos Colonia intellexerat, cõſcripto magno militũ numero, Veronenſes ad eam partẽ adoritur, qua ad Mantuanos vergunt. Idem faciunt Veneti, ex Vicetinis eò mouẽtes. Quo impetu Veronenſes perterriti, cum nulla ſpes auxilij ſubeſſet, deditionem fecere. Oderãt etiam ciues Franciſcũ Carrariẽſem, qui Guillelmũ Scalam veneno necaſſet, eiusq́; filios occupata fraude Verona, in carcerem cõieciſſet. Dum vrbem verò inſtructis aciebus ingrediuntur, ne qua fraus ab hoſte ſubeſſet, Iacobus Carraria, qui ibi cum præſidio erat, repentè cum militibus aliquot Hoſtiliam profugit. Sed dum Padum traijcit, captus Venetias mittitur. Munita aũt firmiſsimo præſidio Verona, inde cum omnibus copijs Veneti Patauium mouẽtes, vrbem præaltis muris ac profunda foſſa munitam, defenſamq́; firmo præſidio obſident: & tandem poſt aliquot mẽſes interclusis vndiq; cõmeatibus, in deditionẽ accipiunt. Cõfugerat in arcem Frãciſcus cum filijs ac nepotibus, quam tamen Veneti non ita multò pòſt cepere, vrgente eos, qui in præſidio erant, ad deditionem fame. Franciſcus aũt captus ac Venetias miſſus, vnà cum fratre necatur. Hunc exitum & finem habuit, qui humanam cupiditatem ſecutus, ſpreta pace, omnia bello occupaturus videbatur.

Neq; in hoc quidẽ malorum omnium finis fuit. nam vel ignauia pontificũ, qui interdictis antea, minis, armis poſtremò tollere diſcordias cõſueuerant, vel ſchiſmate potius (quo tum eccleſia Dei multum laborabat) eò vnum erat, vt viliſsimus quiſq; tyrannus poſt mortem Ioannis Galeatij, vnumquodq; facinus quantumuis magnũ aggrederetur. Innocentius enim dũ adhuc cardinalis eſſet, carpere negligentiã & timiditatem priorum pontificum cõſueuerat, quòd dice-

ret

ret eorum ſecordia factum, ne ſchiſma eccleſiæ Romanæ, totiusq; reip. Chriſtianæ pernicies, hactenus extinctum & ſublatum eſſet. Verùm ipſe pontificatum adeptus, ſecutusque in quibuſdam Vrbani & Bonifacij veſtigia, quos priuatus carpebat, non modò quod tantopere laudabat effecit, verùm etiam iniquo animo ferebat, ſi quis apud ſe ea de re verbum vllum feciſſet. Præterea verò adeo tumultuoſe omnia gubernabat, vt cùm ſemel Romani reſtitui in libertatem, reddiq; ſibi Capitolium, pontem Miluium, & arcem Hadriani peterent, inſtarentque item, vt ſchiſma rem pernicioſi exempli de eccleſia tolleret, bella extingueret & ſeditiones, rege Gallorum ad eam rem conficiendam operam ſuam pollicente: ac Petro Luna antipapa nequaquam tantam concordiam abnuēte, Romanos ipſos pontifex ad Ludouicum nepotem diuertentem apud hoſpitale ſancti Spiritus in Saxia, tanquam ad certum carnificem miſerit. Vndecim enim ciues reip. ſuæ labenti in negligentia pontificis conſulturi, ſtatim necantur: è feneſtriſque deijciuntur, quod diceret eo modo tolli ſeditiones & ſchiſma, non alio quidem poſſe. Hac autem ſæuitia motus populus Romanus, accito Ladiſlao Apuliæ rege, arma capit, ſupplicium de Ludouico ſumpturus. Verùm pontifex declinaturus populi furorem, Viterbium cum Ludouico citato greſſu proficiſcitur. Tum verò populus cum ſæuire in auctorem tanti facinoris non poſſet, in aulicos iram cōuertit, quorum bona magna ex parte direpta ſunt. Seruati tamen quidam dicuntur in ædibus cardinalium Romanorum, qui adiuuantibus clientibus, ægrè tamen, ad ſe confugientes tutati ſunt. Capto deinde Capitolio, occupatoq; ponte Miluio, arcem Hadriani oppugnare fruſtra conati ſunt, adiuuantibus etiam Romanos Ioanne Columna Troiæ comite, Gentile Monterano, comite Carrariæ, egregijs tum copiarum ducibus, & Ladiſlai regis auſpicijs militantibus. Verùm ſuperueniente Paulo Vrſino mandato pontificis cum Moſtarda & Ceccholino turmarum præfectis, in pratis Neronianis Ioannem Columnam & reliquā Ladiſlai militiam fundunt. Hanc ob rem Romani quidem multis incommodis circumuenti, cùm & homines & eorum pecora abigerentur, reſidente etiam ira iam antea concepta, pontificem in gratiam recipiunt, rogantq; vt ad vrbem redeat. Erat enim natura comis & blādus: adeoque pontificij ciuiliſque iuris peritus, vt facilè homines tum rationibus tum ſuauitate dicendi in ſuijpſius ſentētiam alliceret. Rebus itaq; hoc modo compoſitis Romā veniens, plures cardinales delegit: quorū de numero fuit Angelus Carrarius, patria Venetus, tituli ſancti Marci presbyter cardinalis, in pōtificatu Gregorius duodecimus appellatus. Fuit & Petrus Philardi natione Cretenſis, baſilicæ duodecim apoſtolorum presbyter cardinalis, Alexander quintus deinde creatus. Tertius habitus eſt Otho Columna, natus è principibus Romanis ad Vellus aureū, ſancti Georgij diaconus cardinalis, Martinus quintus poſtea vocatus. Confirmata autem hoc modo pontificatu ſuo, Ludouicum nepotem agri Piceni Marchionem creat: eūdemq; Firmanum principem conſtituit. Ipſe verò non diu pòſt Romæ moritur pontificatus ſui anno ſecundo: ſepeliturque in baſilica Petri in ſacello quod olim pontificibus dedicatum erat, quodque vetuſtate & ſitu corruens, Nicolaus quintus poſtea reſtituit, notato etiam hoc epitaphio hominis ſepulchro.

INNOCENTIO SEPTIMO PONTIFICI MAXIMO CVM NEGLECTI EIVS SEPVLCHRI MEMORIA INTERIISSET, NICOLAVS QVINTVS PONTIFEX MAXIMVS RESTITVI CVRAVIT.

Interim autē cùm & vero pontifice & optimo imperatore carerent Itali, vnicuique ſcelerato peccandi licētia data eſt. Nam Gabrinus Fundulus, cuius opera Carolus Caualcabos multum & belli & pacis artibus vtebatur, ſpe occupandæ tyrānidis elatus, quòd ei nō ſecus ac Carolo magiſtratus omnes atq; arcium pręfecti parerent, redeūtem Lauda Pompeiana Carolum, ad Machaſturmā ab vrbe Cremona decem millia paſſuum cum fratribus & cognatis obtrūcat. Inde verò properè antequam res in vrbe ſciretur, cum aliquot militibus Cremonam properās, occupata arce ac portis omnibus, forū armato ingreſſus milite, quos videt conatibus ſuis obſtare poſſe, aut obtruncat aut pellit. Obtinendę autē tyrannidis cauſa, 



nullum genus crudelitatis omittit. Erant tum quoque in armis Mediolanēſes principes, ne dicas eorum opera tyrannos opprimi potuiſſe, inſtante præſertim Gutecaldo Genuæ præfecto regis Gallorum nomine, qui tum redigere Mediolanum in poteſtatem regis conabatur: cōtra verò Facino Cane egregio tum copiarum duce, retinere Ioannem Mariam in dominatu paterno conāte. Otho quoque Tertius Parmenſis dominus, ad colloquium ſpe componēdæ pacis cum Nicolao Eſtenſi pellectus, ad Ruberam, caſtelli nomen eſt, obtruncatur. Cuius quidem cædis, Sfortia Cotignola iubente Nicolao, auctor habitus eſt. Mortuo autem Othone, Rhegio ſtatim & Parma dedentibus ſponte ciuibus, qui oderāt Othonis nomen, Nicolaus potitur. Ladislaus verò occupata Roma, vt antea dixi, acceptaq; in ditionem Peruſia, quam tum armis Brachius vexabat, in Etruriam hoſtili animo mouet: quæ certè induſtria & auſpicijs Malateſta Piſaurienſis egregiè defenſa eſt. Repulſus enim inde Ladislaus, in regnum trepidus ſeſe recipit, maiore propè accepto quàm illato hoſtibus incommodo. Liberati autem tanto hoſte Florentini, in Piſanos conuerſi, poſt longam oppugnationem Piſas tandem capiunt, Tartalia, Sfortia ducibus, anno Domini milleſimo quadringenteſimoſexto.

COSMATVS Melioratus ex diœceſi Valuenſi in Aprutio, vtriuſque Iuris Doctor, ex Archiepiſcopo Rauennate, Epiſcopo Bononienſe, & Procameratio, Presbyter Cardinalis tt. Sanctæ Crucis in Hieruſalem, S. R. E. Camerarius, & totius Italiæ, pro pace inter diſsidentes bello Principes, & Reſpublicas componenda, Legatus à Bonifacio IX. factus eſt: quo mortuo, Pontifex Romæ in Vaticano conclaui, à VII. Cardinalib. creatur, XVI. Kalēd. Nouemb. anno ∞ CCCCIIII. Coronatus apud S. Petrum, IIII. Nonas Nouembris, Cæſare Roberto Rege Romanorum ſedit in ſchiſmate contra Benedictum XIII. annos II. dies XXI. Cunctis maximi & optimi Pontificis dotibus ornatus. Vitæ integritate, egregijs moribus, humanitate, doctrina, pietate, & liberalitate præſtantiſsimus. Eccleſiaſticæ libertatis & ditionis aſſertor vnicus: Ladislaum Regem Neapolitanum Vrbis Romæ Imperio infeſtis ſignis inhiantem, populo ad arma cōcitato, Vrbe ſubmouit: Cuius fraudibus & dolis, quum aliquot ciuium Romanorum inſidijs Pontifex penè circumuentus eſſet, eius fratris filius, Pontifice inſcio, vndecim ex his interfecit. Ea re furentis populi timore Vrbe excedens, Viterbium cōceſsit. Vnde paulò pòſt à S.P.Q.R. mitigato Romam reuocatus, Vrbis Imperio recuperato, ordinationeq; vna habita, qua XI. Cardinales creauit, VIII. Idus Nouembris, in Vaticano Palatio, anno ∞ CCCCVI. in pace quieuit. Vacauit ſedes Apoſtolica dies XXIII. Corpus in Baſilicę Vaticanæ Sacello Sancti Thomæ conditū eiuſmodi inſcriptionē habet. *Ex Onuphrio.*

INNOCENTIO VII. PONTIFICI MAXIMO.

*QVVM NEGLECTI EIVS SEPVLCHRI MEMORIA PENE INTERIISSET, NICOLAVS V. PONT. MAX. INSTAVRANDAM HIC CVRAVIT.*

## GREGORIVS XII.

AT verò dum ſchiſma in eccleſia Dei longius protraheretur cum pernicie Chriſtiani nominis, altero pontifice Romæ creato, altero Auinione, principes Galliæ, duces ſcilicet Bituricenſis, Burgūdus, Aurelianus, qui tum ob valitudinem regis Gallias gubernabant, calamitatem eccleſiæ tandem miſerati, Auinionem ad Petrum Lunam, Benedictum decimum tertium appellatum perueniunt: hominemq; rogant, vt collabenti eccleſiæ tandem cōſulat, etiamſi abdicare ſe pontificatu neceſſe eſſet, quemadmodum in conclaui ſe facturū promiſerat iureiurando interpoſito, dum pontifex creatur. Spondent præterea alterum pontificem, qui tum Romæ crearetur poſt mortem Innocentij, idem facturum. Ita enim inter hos principes, & qui in Italia erant reip. Chriſtianæ amantiſsimi, cōuenerat, vt abrogatis duobus de pontificatu cōtendentibus, *Pont. 212.*

bus, quorum alter Gallicæ, alter Italicæ factionis haberetur, vnus aliquis poſtea deligeretur omnium nationum pater & pontifex. Reſpōdet Benedictus, ſe quidem grauiter Deum offenſurum, ſi eccleſiam Dei deſereret, cui patronus & publicus pater conſenſu bonorum non furtim, ſed publicæ aſſcriptus eſſet, nolle ſe in dubium ponere, quod iuſtis ſuffragijs ſibi demandatum fuerat. Quòd diceret, ſublato ſchiſmate, de concordia agendum eſſe, ſibi admodum placere, modò id in loco fieret libero: ne coactus quiſpiam potiùs, quàm ſpontè facere aliquid videretur. Vnum tamen ſe polliceri, idq; iureiurādo affirmare, ſi aliter tolli ſchiſma nō poſſet, depoſiturum oēm pontificiam dignitatē, modò diem eodē tēpore ab altero antipapa ſtatim fieret. Principes itaq; cognita hominis voluntate, cōſultare inter ſe cœperunt, quonam modo Benedictum in ſententiam ſuā perducerent, quorū colloquia & cōſultationes Benedictus veritus, pontificias ædes armis & cōmeatu optimè muniuit: in quibus aliquot mēſes obſeſſus, tandē paratis ad fugam triremibus, per Rhodanū in Cataloniam, vnde oriundus erat, adnauigauit. Sunt aūt qui ſcribant, principes Gallos id molitos in Benedictū eſſe, inſtantibus cardinalibus Gallicis, qui eum oderāt, quòd alterius nationis eſſet, & non Gallicæ. Nam cum poſt mortem Clementis de creando pontifice Gallico inter eos non cōueniret, hunc poſt longam altercationē crearunt, vt virū bonum, & reipublicæ Chriſtianæ amātiſsimum: qui eos ſæpe admonuit, vt honeſtè ac ſanctè viuerent, vtq; à Simoniaca prauitate cauerent, aliter ſe in eos grauiter animaduerſurū. Huius itaq; mores ferre nequeuntes, principes Gallos in virum optimum & cōſtantis vitæ concitaſſe. At verò cardinales, qui poſt mortem Innocentij Romæ erant, cognita trium priorum pontificum in tollendo ſchiſmate negligentia, cognitoq; etiā diſcrimine, in quo reſpublica Chriſtiana vbiq; terrarum, maximè verò in Gallia verſabatur, in vnum conuenientes, conclaui ad ſanctum Petrum in Vaticano habito, iurarunt ſinguli maximis execrationibus interpoſitis, abdicaturos ſe ſtatim pontificatu, ſi ſibi deligi ad tantum magiſtratum contigiſſet, hac conditione tamen, vt id quoq; ab antipapa fieret. Venerat aūt in hanc ſententiam, vt & Gallicæ nationi ſatisfaceret, quæ ob impotentiam creandi antipapæ conſuetudinē introduxerat, à qua remoueri nō ſine ignominia videbatur, niſi id quoq; ab Italis fieret: vtq; in ſententiā Benedicti venirent, qui hac vna ratione, nō alia, ſanari eccleſiam poſſe dicebat. Quòd ſi ſibi cōtigiſſet vtrunq; abrogari, vnum verum pōtificem omnium, qui tum erant, cardinalium conſenſu creandum eſſe, cui omnes reges & principes obtemperarēt. Creatus itaq; Romæ anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexto pridie calendas Nouembris, Angelus Corrarius Venetus, tituli ſancti Marci presbyter cardinalis, qui (vt dixi) Gregorius duodecimus appellatus eſt, ſtatim quod ante pontificatum promiſerat ſe facturum, ſcripto, adhibitis etiam notarijs & teſtibus confirmauit, ſuaq; manu ſcripta tabellionum notauit. Cum verò de eligēdo loco, quò ſine diſcrimine vterq; venire poſſet, mētio haberetur, neq; ea de re ſatis inter eos conueniret, colluſores & fœdifragi ab vtroq; cardinalium cōuentu ſunt habiti: qui Piſas, hinc Roma, hinc Auinione adnauigantes, vno cōſenſu Gregorium & Benedictū dignitate pontificia priuarunt, cōſentientibus in tam grauem ſententiam omnibus nationibus, præter Hiſpaniam citeriorem, regem Scotiæ, comitem Armeniaci, qui Benedicto fauebant. Inita deinde creandi noui pōtificis ratione, qui benè ac ſanctè ſine vlla ſeditione eccleſiā Dei gubernaret, venere in hanc ſententiā, vt Alexandrum quintum crearent. Dum aūt Gregorius abeſſet, creandiq; Alexandri ratio haberetur, armis omnia Romæ circūſonabāt. Ladislaus enim rex occupata Oſtia pedeſtribus naualibusq; copijs, adeo Romanos incurſionibus vexauit, vt inita pace honorificè poſtea in vrbem receptus tanquam dominus, & magiſtratus mutauerit, & portas ac mœnia pro arbitrio animi ſui operibus & cuſtodijs firmauerit. Verùm ſuperueniente Paulo Vrſino eccleſiaſtico duce, apud ſanctum Iacobum in Septimiano acerrimè pugnatum eſt, multis vtrinq; deſideratis. In Tranſtiberi nanq; rex ſuos tum cōtinebat, arbitratus ſe illo in loco tutiorem eſſe ob nauales copias, quas Oſtia Romā ſubuexerat. Is verò deinceps cedēs potius, quàm fugiens Vrſinæ factioni quæ indies





magis magiſq; augebatur, Neapolim proficiſcitur, debilitata præſertim factione ſua ob ſuperatos ante ingreſſum ſuum Columnenſes, Ioanne Columna, Baptiſta Sabello, Iacobo Vrſino, Nicolao Colūna ducib⁹, qui occupata ſancti Laurentij porta, vrbem iam ingreſsi erāt. Verùm ſuperueniente Paulo Vrſino, ſuperati (vt dixi) & capti magna ex parte fuerant. Ex his capitali ſupplicio duo affecti ſunt: quorum alter Galeottus Normannus eques inſignis, alter verò Richardus Sanguineus eſt habitus, è familia nobili ac vetuſta originē ducens. Reliqui verò incolumes dimiſsi fuerant, hac tamē conditione, ne amplius Ladislai auſpicijs militarēt. His aūt perturbationib⁹ adeo Romæ annonæ charitas inualuit, vt mēſura tritici (quam rubium vocāt) florenis decem & octo venderetur, propter abacta pecora & ruſticos, partim captos, partim necatos, vt in bello fieri conſueuit.

ANGELVS Corrarius, genere Patricio ort⁹, Sacrę Theologię Magiſter, ex Epiſcopo Caſtellano Venetijs, Patriarcha Conſtantinopolitanus titulotenus, & Chalcidenſis in Inſula Euboea Epiſcopus primùm, mox Presbyter Cardinalis tt. S. Marci, & Piceni Legatus ab Innocētio VII. efficitur. Pontifex verò deſignatur in Vaticano palatio XIII. Cardinalium votis, Prid. Kal. Decēbris, Anno ∞ CCCCVI. octogenario maior, coronatus Nonis Decembris, ad S. Petrum: ſedit Cæſaribus Roberto, & Sigiſmundo Regibus Romanorum, annos VIII. menſes VII. dies V. Hic ea conditione, veluti Interrex, Pontifex Romanus renuntiatus eſt, vt tollendi ſchiſmatis cauſa, ſummum ſacerdotium deponeret, ſi idem Bededictus XIII. factitaſſet: Vterq; iureiurando id promisêre: quod cùm imperij dulcedine præſtare nolle viderentur, vtriuſque Pontificis collegia, iiſdem relictis Piſas cōvenêre, ibiq; generale totius Chriſtianæ Reipublicæ Cōcilium congregatū eſt. Quæſtionibus in vtrunq; legitimè habitis, Synodus Piſana vtrumq;, de Pontificatu cōtendentē, privauit Nonis Iunij, anno ∞ CCCCIX. Pontificatus Gregorij anno II. menſe VI. die VI. Quū ipſe iam duabus ordinationibus Cardinales XIII. creaſſet. Qui non niſi in Cōcilio Cōſtantienſi in aliorū patrum numerum ſuſcepti ſunt, quando Gregorius ipſe, pro vnitate Eccleſiæ ſarcienda, ſponte per procuratorē abſens Arimini Pontificatu ſe abdicavit. Quod factū fuit ſeſſione XIIII. Die IIII. Nonas Iunij, Anno ∞ CCCCXV. Nā Piſani Concilij decretis, tanquā minus legitimè cōgregati, parére recuſauerat. Obijt Epiſcopus Cardinalis, & perpetuus Piceni Legatus biennio pòſt Recaneti, anno ∞ CCCCXVII. paulò ante Martini V. creationē, nonagenarius. Ibiq; in cathedrali Eccleſia ſepultus eſt cum hoc Epitaphio. *Ex Onuphrio.*

MAximus Eccleſiæ Princeps, ſummuſq; Monarcha
Ordine Gregorius biſſenus clauditur arca.
Hic pro pace datus cœleſti munere, ſemper
Ferbuit, æthereos ſuperis munire decenter
Archiſchiſma malum, facta hæc dementia Piſis,
Ipſe pius releuat, facta eſt Conſtantia teſtis,
Cardine bis ſacro paſtoris conſcia ſede
Marchia ſuſcepit Racaneti flauius æde.

Obijt Anno Domini ∞ CCCCXVII.

## ALEXANDER V.

ALexander quintus, natione Cretenſis, Petrus antea vocatus, ordinis Minorum frater, archiepiſcopus Mediolanenſis, vir doctrina & ſanctitate vitæ præclarus, omnium cardinalium conſenſu, qui tum in concilio Piſano erant, pontifex creatur. Hanc ob rem Gregorius in Auſtriæ ciuitatē profectus, quaſi profugus de cōcilio generali mentionē fecit. Verùm cùm eo in loco nequaquā ſe tutum arbitraretur, Ariminum profectus à Carolo Malateſta perbenignè & ſplendidè eſt habitus. Benedictus aūt poſt habitū in Perpiniano cōcilium, quò tutior eſſet, ad caſtellū, Paniſcholæ locum munitiſsimū cōfugit, vbi diutius immoratus eſt. Vterq; aūt licet in Piſano *Pont. 213.*

concilio exauctorati eſſent, tanquã veri pontifices, cardinales crearũt, maximè verò Gregorius: qui, dũ Lucæ eſſet de cõſenſu cardinaliũ, qui nõdum ab eo diſceſſerãt, Gabrielẽ Condelmerium cardinalẽ creat: qui poſtea in põtificẽ electus, Eugenius quartus appellatus eſt. Ad Alexandrũ redeo, virũ in omni vita & ætate præſtantẽ. Hic enim ab adoleſcentia ordinẽ Minorũ ingreſſus, adeo Pariſijs liberalibus ſtudijs theologicæq; diſciplinæ vacauit, vt breui & publicam ſcholã habuerit, & in libros ſententiarum doctè & acutè ſcripſerit. Magnus quoq; orator, magnus prædicator eſt habitus. Hãc ob rem à Ioanne Galeatio duce Mediolanẽſi accitus, primũ locum in conſultationibus ſuis habuit. Creatur deinde rogatu Galeatij Vicetinus epiſcopus, poſtea Nouarienſis mutato loco, poſtremo præſul Mediolanenſis factus, ab Innocentio ſeptimo cardinalis baſilicæ duodecim apoſtolorũ creatur: quo quidẽ gradu pontificiã dignitatẽ adeptus, meritò Alexandri nomen conſecutus eſt, cum & liberalitate & magnitudine animi, cum quouis optimo principe cõferri poſſet. Adeo enim munificus erat in pauperes & viros ſua benignitate dignos, vt breui nil ſibi reliquerit. Vnde per iocũ dicere interdũ ſolebat, ſe diuitẽ epiſcopũ fuiſſe, pauperẽ cardinalẽ, mendicum pontificẽ. In eo enim defuit illa habendi cupiditas, quæ vnà cum re ætate & accreſsit ſimul. Sed hoc vitiũ cadere in viros bonos & rerũ humanarũ contemptores nõ poteſt: qui quò magis cõſeneſcunt, eò minus viatici indigere ſe cognoſcunt, & ob hãc rem cupiditates ſedãt, refrenãt auaritiam, ac cæteras animi labes expellunt. Tãti præterea animi Alexander fuit, vt Ladislaum regẽ tum potentiſsimũ, qui ditionẽ eccleſiæ pontificibus abſentibus diu multũq; vexauerat oppidaq; aliquot vi occupauerat, in cõcilio Piſano approbantibus, qui tum aderãt, regno priuauerit, iusq; illud Ludouico Andegauiæ duci cõpetere declarauerit. Soluto autẽ cõcilio Piſano pontifex Bononiã proficiſcitur: cui ciuitati tum præerat Baldeſar Coſſa ſancti Euſtathij cardinalis: quẽ Alexander in legatione cõfirmauit, quòd eius induſtria ac præſidijs Piſanũ cõcilium habitũ fuiſſet quodq; etiã vir erat, qui percõmodè tyrannis ac rem eccleſiaſticã occupare conantibus, obijci quouis tẽpore poſſet. In homine tamen plus ferociæ, plusq; audaciæ & ſecularitatis (vt ita dicã) erat, quàm eius profeſsio requirebat. Militaris propè habebatur eius vita, militares mores, adeo vt multa etiã, quæ loqui fas nõ eſt, ſibi licere arbitraretur. Cùm verò Alexãder grauiter ægrotare cœpiſſet, noſſetq; mortem propè inſtare, cardinales ad ſe venientes, ad concordiã, ad pacẽ, ad tuendã eccleſiæ dignitatem adhortatur. Teſtatus præterea eſt, per eam mortẽ, quam ante oculos ſe continuo cernere dicebat, nec reformidare, cõſcientia bene actæ vitæ motus, ſe exiſtimare & credere quæ in cõcilio Piſano decreta fuiſſent, rectè atq; integrè facta eſſe omnia ſine dolo malo fraudẽue. Cũ hæc dixiſſet, lachrymãtibus omnibus, qui aderant, illud Saluatoris verbũ ægrè proferens, Pacem meam do vobis, pacẽ meam relinquo vobis, ſtatim moritur pontificatus ſui mẽſe octauo, ſepeliturq; Bononiæ in eccleſia fratrum Minorum. Laboratum eſt autẽ hoc anno fame ac peſte.

*Ex Onuphrio.* FRATER Petrus Philargi, Ordinis Minorum, obſcuriſsimo genere ortus, Artiũ, & Philoſophiæ Doctor, ac Sacræ Theologiæ Magiſter, Iohan. Galeatij Inſubrûm primi Ducis à Conſilijs fuit, quẽ ex Epiſcopo Vicetino, Nouarienſem primum, deinde Archiepiſcopum Mediolanenſem, demum Presbyterum Cardinalem Baſilicę Sanctorum XII. Apſtolorum, & Longobardiæ Legatum Innocentius VII. fecit. Pontifex verò Romanus Gregorio XII. & Benedicto XIII. abrogatis, XX. vacantis ſedis die, VI. Kalend. Iulij, anni ∞ CCCCIX. in Concilio Piſano, à XXIII. Cardinalibus vtriuſque obedientię ſeptuagenario maior creatus, & Nonis Iunij die Dominico in Cathedrali Eccleſia Piſana coronatus: ſedit Cæſare Roberto Rege Romanorum menſes X. dies VIII. Hic humanitate, doctrina, liberalitate, animi magnitudine clariſsimus fuit, ita in omnes munificus, vt nihil ſibi reliquerit. Quare per iocum dicere interdum ſolebat: ſe ditem Epiſcopum fuiſſe, pauperem Cardinalem, mendicum Papam, ob profuſas, & immodicas largitiones. Ludovicum Iuniorẽ Andegauẽſem Ducẽ, privato Ladislao Regem Neapolitanum conſtituit, pecunia & commeatu





meatu adiuvit, Baltaſſare Coſſa Cardinale & legato Bononienſi ad eam expeditionem (quæ irrita fuit) miſſo. Pontifex Piſis diſcedens Bononiam acceſsit. Vbi V. Nonas Maij, anno ∞ CCCCX. rebus humanis eximitur. Vacauit ſedes dies XIII. Corpus ad Minores marmoreo tumulo conditum eſt cum his verſiculis.

SVmmus paſtorum Alexander quintus, & omnis
Scripturæ lumen, ſanctiſsimus Ordo Minorum
Quem dedit, & proprio Cretenſis nomine Petrus:
Migrauit, Anno
Domini ∞ CCCCX.

## IOANNES XXIIII.

IOannes vigeſimuſquartus patria Neapolitanus & nobilis, Baldeſar cognomento Coſſa antea vocatus, Bononiæ omniũ cõſenſu pontifex creatur. *Pont. 214.* Sunt aũt qui ſcribant, id factum violenter eſſe, quod & legatus Bononienſis eſſet, & armatos milites tum in vrbe, tum in agris pro ſtatione habuerat: vt ſi precario id obtinere non poſſet, minis & armis tandẽ conſequeretur. Vtcũq; eſt, conſtat eum pontificem creatum fuiſſe, ad eamq; dignitatẽ ſemper aſpiraſſe. Nã cùm adoleſcens eſſet, ac Bononiæ aliquot annis iuri ciuili operã dediſſet, aſſumpto (vt nunc fit) doctrinæ gradu Romam iter inſtituit. Interrogatus aũt ab amicis quò proficiſceretur, ad pontificatum reſpõdit. Romã itaq; veniens, à Bonifacio nono in cubiculum ſecretum recipitur. Creatus deinde ſancti Euſtathij cardinalis, legatus è latere Bononiam mittitur, quam breui cõducto milite vnà cum magna Flaminię parte in poteſtatẽ eccleſię redegit, pulſis quibuſdã tyrãnis, alijsq; extremo ſupplicio affectis. Verùm poſt nouẽ annos cum longa pace ciuitatem Bononiẽſem mirũ in modũ auxiſſet grandẽq; pecuniam ſibi cõparaſſet, mortuo Alexandro, largitione vſus, maximè verò erga cardinales à Gregorio creatos, pauperes adhuc, põtifex creatur. Quo facto, oratores ſtatim ad electores imperij miſit, eos oratũ, vt Sigiſmundũ Lucimburgũ Vngariæ & Boëmiæ regẽ, imperatorẽ crearent, virum ſtrenuũ (vt ipſe dicebat) & ad omnia fortiter agẽdã prõptiſsimum. Hac enim ratione hominis gratiã aucupabatur. Vbi verò hoc ei ex ſententia accidit, cum in cõuentu Piſano cõſtitutum eſſet, vt ad certũ tempus cõcilium haberetur, ne alibi transferretur, celebraturũ ſe id Romæ prædixit: & quò liberius eò proficiſci omnibus liceret, pacare Italiã conatus eſt, maximè verò Ciſalpinã, in qua bellũ indies magisq; creſcebat, Facino Cane diſcordias ſuſcitante, qui mercenarios milites retinere ſine bello apud ſe nequaquã poterat.

Eos enim rapinis, direptionibusq; vrbium paſcere conſueuerat. Fortè tum accidit vt Papienſes, quos Philippus ob tenellam adhuc ætatem retinere in officio non poterat, ſtudio partium concitati, ad arma concurrerent. hinc Gibellini Beccaria familia duce, Facinũ cum exercitu in vrbẽ introduxere, pacti fortunas Guelphorum. Verùm is cum armato milite ingreſſus, neutri in diripiendis fortunis pepercit. Quærentibus aũt Gibellinis, ſua quoq; bona cõtra datum fidem diripi, reſpondit, ac egregie quidem, Gibellinos ſaluos fore: eorum verò bona, quòd Guelpha eſſent, militibus ſe in prædam conceſſurum, deridens vtriuſq; factionis ſtultitiam & cupiditatem. Inde verò abiens, relicto in portis & in arce firmo præſidio, tutelã Philippi donec adoleuiſſet præ ſe ferens, contra Pandulphũ Malateſtam ducẽs, Brixianos & Bergomates incurſionibus ac rapinis vexat, nec à Cremonẽſibus quidẽ abſtinuit, quibus tum Cabrinus Fundulus imperitabat. Dum hæc aũt in Brixiano agerentur, Vngariæ rex iturus (vt ipſe prædicabat) Romam libero itinere ad accipiendam imperij coronam, duodecim millia equitum, peditum octo in Venetos mittens, capto primo impetu Foroliuio, Taruiſium oppugnat. Huic verò tanto exercitui Veneti Carolum Malateſtam obijciunt, qui cunctando magis quàm dimicãdo exultantem victoria hoſtem remoraretur. Parum etiã abfuit quin Veneti eodẽ anno Veronã proditione quorundam ciuium amitterent, ad rapinã magis quàm ad libertatẽ ſpectantium. De nocentibus pœna ſumpta, ac ſtatim ſedata ſunt omnia. Mortuo aũt eodem annõ

Facino Cane coniurati quidam Ioannem Mariam Mediolani ducem interficientes, Bernabouis filios & nepotes in vrbē recipiunt. Tum verò Philippus perſuadentibus amicis Beatricē viduam ob Facini mortē ditiſsimā, & cuius auctoritate, qui ſub marito militauerant, admodū mouebantur, duxit vxorē. Qua ex re & ciuitates oēs, quæ Facino paruerant, ſtatim in deditionē accepit: & Carmignolam, Siccumq́; Montagnanū: qui legionē mortuo Facino per ſeditionē diuiſerant, in ſuam militiam perſuadente Beatrice pertraxit: quibus ducibus Philippus poſtea vſus, Aſtorgiū Bernabouis filiū Mediolano pellēs, in expugnatione Modoëciæ interfecit. Agebantur hæc Inſubria, cùm Ioannes Franciſcus Gonzaga Franciſci iam mortui filius, cum ſatis iuſto equitum peditūq́; numero, Bononiam præſidij cauſa proficiſcitur, mandato Ioannis pontificis, cuius auſpicijs tum militabat. Nam Malateſta Ariminenſis Ladislai regis mercenarius, vrbem ipſam graui bello tum premebat. Is itaq; adiuuātibus Bononiēſibus, grauia aliquot prælia cū hoſtibus fecit: quibus ſuperior factus, vrbē acerrimè tutatus eſt.

Sequenti verò hyeme Ioannes pontifex à Ladislao bello vexatus, Roma Florentiam, atq; inde Bononiam veniens, haud ita multò pòſt Mantuā proficiſcitur, vbi ſplendidè ac magnificè à Ioanne Frāciſco Gonzaga ſuſceptus eſt. Quem inde abiens cum magna parte copiarum Laudam Pompeianam (quò venturum Vngariæ regem ſciebat) ſecum ducit. Mūltum enim huic principi fidebat, cuius fidem & integritatem Bononienſi bello optimè norat, quamuis pollicitationibus & donis in partes regias à Malateſta ſollicitaretur. Cùm itaq; pontifex ac rex haud quaquam ſe tutos Laudæ arbitrarentur, Ioannem Franciſcum Mantuam (quò ſe velle ire dicebant) ad parandos commeatus, diſponendamq́; vrbem, quò recipi commodè tanta multitudo poſſet, properè mittunt: qui breui paratis rebus omnibus, Cremonam (quò iam perueniſſe pontificem ac regem intellexerat) redijt. Hos autem inde Mantuam abducens, populo omni ferè obuiam effuſo, opinionem omnium benignitate & gratia ſuperauit. His verò conuentibus, qui Laudæ, Cremonæ, Mantuæ ſunt habiti, de pellendo ex Latio, Vmbria, Etruria Ladislao, qui Romam & multa eccleſiæ oppida occupauerant, eſt actum. Videbant hi Italiam incendijs bellorum aliter liberari non poſſe, de impenſa bellica non Mantuæ, ſed Bononiæ (cùm eò veniſſent) agendum cenſuêre. Verùm maior eos cura inceſsit. Ad concilium nanq; Ioannes omnium nationum conſenſu citatus, ad tollendum ſchiſma, duos cardinales ſtatim in Germaniā miſit: qui vnà cum principibus Gallicæ & Germanicæ nationis locū concilio idoneū deligerent. Conſtantia Maguntinæ prouinciæ ciuitas, ad id potiſsimùm idonea eſt viſa. Eò itaq; ad certam diem ex inſtituto proficiſcuntur oēs, proficiſcitur & Ioannes pontifex, admonentibus tamen quibuſdam ne id faceret, quòd vererētur, ne cum pontifex accederet, priuatus reuerteretur: quod etiam contigit. Eò namq; proficiſcens cum viris quibuſdam in omni genere doctrinæ præſtātibus, diu multumq́; Germanos diſputationib⁹ incertos & ambiguos tenuit, quid potiſsimum decernerent. Verùm ſuperueniente Sigiſmundo, factaq́; omnibus dicendi quod liberet poteſtate, multa crimina & quidem grauiſsima pontifici obiecta ſunt: quorum cauſa mutato habitu familiaq́;, Conſtantia clanculum Scaphuſam ſe cōtulit, veritus ne quid grauius in ſe cōſuleretur. Erat Scaphuſa, Frederici Auſtriæ ducis ciuitas, quò etiam pleriq; cardinales à ſe creati, fuga peruenêre. Verùm his poſtea concilij auctoritate reuocatis, Ioānes Scaphuſa Friburgū confugit, iturus inde, ſi tutò fieri poſſet, ad Burgundiæ ducem. Sed curante concilio, Ioannes capitur, & inſula ſancti Marci prope Conſtantiam in carcerē conijcitur, pontificatus ſui anno quarto, mēſe decimo. Cauſam fugæ, diſquirere cōcilium tum cœpit, certosq́; iudices viros grauiſsimos & doctiſsimos delegit, qui crimina Ioanni obiecta diſcuterent, eadēq́; cōcilio ex ordine refert. Ad quadraginta capitula & eo amplius contra hominē probata ſunt: quorum aliqua cum in eo minimè immutari poſſent, adeò erant inueterata, cōtra fidē iudicata ſunt, aliqua verò Chriſtianis omnibus, ſi nō dānarentur, ſcandalum paritura. Veniētibus itaq; omnibus in eandē ſententiā, Ioannes meritò è pontificatu deiectus, ſententiā in ſe latam cōprobat. Quo facto, ſtatim ad Ludouicum Bauarum, qui

*Pōtifex capitur & in carcerem prope Conſtantiā cōijcitur.*





cum Gregorio duodecimo ſentiebat, cuſtodiēdus mittitur, donec aliud decernēretur. In Haldeberga caſtello munitiſſimo triennio ſine vllo cubiculario famulóue Italico diligenter aſſeruatus eſt. Teutonici erant cuſtodes omnes: quibus cū Ioannes nutu & ſignis loquebatur, cùm nec ipſe linguam Teutonicā, nec illi viciſsim Italicam ſcirent. Abrogatum Ioāni pontificatum ab his tantūmodo, qui cum eo antè ſenſerant, ferunt. Nondū enim qui cum Gregorio & Benedicto ſentiebant, conuenerant. Hi igitur vt abrogationē à ſe factam, veram & integrā iudicarent, omnes ſynodicum decretum promulgarūt, quo affirmabāt cōcilium generale legitimè congregatum, habere ſtatim à Chriſto poteſtatem. Hoc quidē fundamento conceſſo, ipſum etiam pontificem cōcilio ſubijciebāt. Quare Gregorio neceſſe fuit, ſuadente etiam imperatore Sigiſmūdo, vnum aliquem ad cōcilium mittere, cùm ipſe proficiſci recuſaret, qui ſuo nomine cōcilij ſententiam approbaret. Miſſus itaq; Carolus Malateſta vir certè inſignis, cùm videret omnes in hāc ſententiam venire, vt Gregorius quoq; pontificatu ſe abdicaret, in publicum prodiens, ac in ſede Gregorij non aliter extructa, ſi ipſe adeſſet, collocatus, perlecta renuntiandi facultate, Gregorium pontificatu abdicat: quem ſtatim cōuentus omnis pro tam libera abdicatione, agri Piceni legatum creat. Is itaq; non multò pòſt Recaneti moritur, dolore, animi (vt aiunt) propter ſubitam abrogationē ante conſtitutum tempus à Carolo factam. In longū enim re protrahi volebat, in mora, ſpem aliquā ponens. Mortuus igitur ante Martini pontificatū, in Recanetenſi eccleſia ſepelitur. Sublatis duobus pōtificalibus, tertius, in quò abrogando maior difficultas inerat, reſtabat, Petrus Luna Benedict⁹ tertiuſdecim⁹ (vt anteà dixi) vocatus. Vt autem is etiam nolens abdicare ſe magiſtratu cogeretur, Sigiſmundus imperator vnà cum oratoribus concilij ad Frāciæ & Angliæ reges peruenit: eosq́; adhortatus eſt, vt pro ſalute Chriſtiani nominis iā ob ſchiſma periclitantis, in abrogando Benedicto, ſublatis alijs duobus, eius ſequerētur ſententiam. Grato autem reſpōſo accepto, inde Narbonem properat ad Ferdinandum Aragonum regem, cuius populi magna ex parte Benedicto obtemperabāt. Quo cum inter alia capitula hoc pactus eſt, vt Benedictū rationibus moueret ea facere, quæ Gregorius & Ioannes in concilo Conſtantienſi egiſſent. Id verò ſi facere recuſaret, populos cogeret ab eo ad concilium Conſtātienſe deficere. Benedictus autem in caſtella Pauiſcholæ loco munitiſsimo ſe continēs, moueri perſuaſionibus è ſententia ſua non poterat, quòd diceret & ſe verum Chriſti vicariū eſſe, & Conſtantiam non eſſe locum libertati eccleſiaſticæ cōuenientem, cùm Ioannes vigeſimus tertius ab his etiam abdicare ſe pontificatu coactus fuerat, qui partes ſuas antea ſequebantur. Tum verò principes Hiſpaniæ cernentes pertinaciam Benedicti, cōcilij opinionem ſecuti, in reliquorum ſentētiam venêre. Gerebantur res in cōcilio quinque nationum ſuffragijs, Italica, Gallica, Germanica, Hiſpanica, & Anglica. Quicquid verò harum nationum ſuffragijs decernebatur, id ita ratum erat, atq; per præconem, aut per notarium publicum pro curia enuntiabatur, ſi omniū conſenſu poſtea confirmatū fuiſſet. Qua quidem auctoritate Benedictus, diſcuſſa aliquandiu re, pontificatu tandē priuatur, abſentibus reiectisq́; nationibus, quæ cum eo ſentiebant, maximè verò Scotis & comite Armeniaci. In eodem quoq; concilio condemnata eſt Ioannis Viglef hæreſis: & duo ex ſectatoribus eius combuſti ſunt, Ioannes Hus, & Hieronymus eius diſcipulus, tāquam hæreſiarchæ: quòd inter ceteros errores dicerent eccleſiaſticos ad imitationem Chriſti pauperes eſſe debere: cùm ex tanta rerum copia & luxu populi omnes ſcandalizarentur. Rebus autem hoc modo cōpoſitis, cùm de reſtituenda eccleſia, emendādisq́; moribus clericorum mentio haberetur, fieri id non poſſe exiſtimarunt vacante ſede. Vnde de eligendo nouo pōtifice ſermo eſt habitus, quò decreta cōcilij maiorem deinceps auctoritatē haberent. Cùm igitur hac de re verbum haberetur placuit ex vnaquaq; natione viros ſex deligi, & quidem probatos qui vnà cum Cardinalibus conclaue ingreſsi, pōtificem deligerent. Anno igitur milleſimo quadringētesimo decimoſeptimo, ſexto idus Nouembris cōclaue ingreſsi, cōſentiētibus Cardinalib. duobus & triginta, nationibusq́; omnibus, præter omnium ſpem & opinionem, cùm iam quadriennio verò pontifice caruiſſet

*Hæreſis Viglef.*

ecclesia, multique ſchiſmatici tū intereſſent, tertio idus Nouēbris, in celebritate
beati Martini hora tertia Otho Columna Romanus princeps, ſancti Georgij ad
Vellus aureum diaconus Cardinalis, pontifex creatur, tanta omnium lætitia, vt
præ gaudio loqui vix homines poſsent. Effuſus nimio gaudio imperator, nullo
habito dignitatis ſuæ diſcrimine, cōclaue ingreſſus, & gratias omnibus egit, qui
tantum virum & tam neceſſarium reipublicæ Chriſtianæ propè extinctæ dele-
giſſent: & ante pōtificem proſtratus, cum ſumma veneratione eius pedes exoſcu-
latus eſt, quem contrà pontifex amplexus, non ſecus ac fratrem in precio habuit,
eique gratias egit, quòd ſua opera & induſtria pax tādem eccleſiæ Dei reddita eſ-
ſet. Vocari autem Martinus voluit, quòd ea electio in Martini celebritate habita
fuiſſet. Interim verò dum hæc Conſtantiæ agerentur, mortuo etiam Ladiſlao cō
tra Florentinos proficiſcente, Romæ ad arma & libertatem conclamatum eſt.
Cogitur à populo Petrus Mattheucij etiam nolens gubernacula reipub. ſuſcipe-
re: qui poſtea magiſtratu ſe abdicauit, cùm intellexiſſet legatum à Ioanne ponti-
fice iam antea deſignatum, paulò pōſt affuturum cum ſenatore ciue Bononien-
ſi, qui vrbem ingreſsi, & Paulum Palonium, & Ioannem Cincium ſeditioſos ci-
ues capitali ſupplicio affecêre. Sequenti verò anno Brachius Mōtonius Romam
cum exercitu veniens, vrbe potitus, oppugnare arcem ſancti Angeli adortus eſt:
quæ firmo Ioannæ reginæ pręſidio defendebatur. Nam Ioanna Ladiſlao fratri in
regnum ſucceſſerat. Verùm ſuperueniente Sfortia militum reginæ duce: nō ſo-
lum Brachium ab oppugnanda arce dimouit, ſed etiam hominem pugnantem
continuo ab vrbe expulit: Romanis in neutram partem inclinantibus. In ea pu-
gna occiditur Ioannes Columna à milite, qui olim cum Paulo Vrſino milita-
uerat, quem Ludouicus Columna cum Brachio militans in agro Fulginati in-
terfecerat. Erat autem militi in animo, Ludouicum obtruncare vlciſcendæ Pau
li necis cauſa, ſed Ioannes Ludouicum defenſurus, innocens moritur. Dum au-
tem Roma hoc modo fluctuaret, in varias partes declinans, creato Martino,
ſpem aliquam exoptatæ quietis tandem concepit.

*Ex Onuphrio.*

BALTASSAR Coſſa Nobili genere ortus, vtriuſque Iuris Doctor, à
Bonifacio IX. ex cubiculario ſuo in patriæ gratiam Diaconus Cardina-
lis S. Euſtathij, Flaminiæque Legatus creatus, Bononiam Iohan. Galea-
tio Inſubrum Duci ademit, cuius vſque ad Pontificatum perpetuò Legatus fuit.
Præcipuus Concilij Piſani auctor, Alexandro V. gratiſſimus. Quo mortuo Bo-
noniæ, à XVI. Cardinalibus, XVI. Kal. Iunij, anno ∞ CCCCX. ſummus Ponti-
fex renunciatus, ibique in Cathedrali VIII. Kal. Iunij, inauguratus, Cæſare Si-
giſmundo Rege Romanorum: ſedit annos V. dies XV. Vir fuit bello & armis,
quàm religioni aptior, vtpote qui nullam neque fidem norat, neq; religionem,
rebus profanis magis quàm diuino cultui accommodatus. Cardinales tribus or-
dinationibus XVI. creauit. Quum verò ſchiſma ob eius creationem non ſedatū,
ſed auctum eſſe videretur, tribus iam ſe pro pontificibus gerentibus, quo ſolus in
Pontificatu, cæteris reiectis, confirmaretur, ſuaſu Sigiſmundi Imperatoris, gene
rale Cōcilium Cōſtantię indixit: quo ex vniuerſo Orbe chriſtiano infinita mul-
titudo confluxit. Ad Concilium & ipſe cum Cardinalibus accedens, quum eius
dignitas in periculū reuocari cerneret, noctu clam habitu mutato Cōcilio abijt:
ex fuga retractus, & quæſtione capitali in eū inſtituta, ex Cōcilij decreto damna-
tur, Pōtificatusq; ei abrogatus eſt IIII. Kal. Iunij, ſeſsione XII. anno ∞ CCCCXV.
cui damnationi ipſe Prid. Kal. Iunij in oppido Scaphuſia conſenſit. Vacauit tum
Apoſtolica ſedes annos II. menſes V. dies X. Quadriennio ferè in carcere aſſerua-
tus, ad extremū magna pecuniæ ſumma perſoluta dimittitur, Martino iā creato
& Florentiæ agente. Ad quem Baltaſſar accedens Epiſcopus Cardinalis Tuſcula-
nus creatur. Obijt Florentiæ XI. Kal. Ianuarij anni ∞ CCCCXIX. Sepultus in
Baptiſterio Sancti Iohannis, cum hac notula.

*IOHANNES QVONDAM PAPA*
*XXIII. OBIIT FLORENTIAE*
*ANNO DOMINI MCCCCXVIII.*
*XI. KALENDAS IANVARII.*

MAR.



# MARTINVS V.

MArtinus quintus, patria Romanus, Otho cognomento Columna prius *Pont. 215.*
vocatus, non magis ſuo, quàm eccleſiæ iam labentis tempore pontifex
in concilio creatur, nationum omnium & Cardinalium conſenſu. Is e-
nim à teneris annis cura parentum moribus & litteris imbutus, vbi adoleuiſſet,
iuri pontificio Peruſij operam dedit, vnde ad vrbem rediens, ob integritatem
& doctrinā Vrbani ſexti referendarius factus eſt, quod munus tanta cum huma-
nitate, iuſtitia, & māſuetudine geſſit, vt diaconus Cardinalis ab Innocētio ſep-
timo creatus ſit. Nec ob eā quidā rē à natura ſua diſceſsit. Humanior enim quàm
anteà factus, patrociniū ſuū omnibus præſtabat, ita tamē, vt in rebus publicis nō
multū ſe immiſceret. Nā cū in conuentu Conſtantienſi multæ in vtranq; partē
altercationes haberentur propter diuerſa factionū ſtudia, ipſe mediū quoddā te-
nuit, quo in alterutrā partē inclinare nullo modo videbatur, cōmuni vtilitati
ſemper cōſulens. Hāc ob rem & imperatori, & Cardinalibus ac deniq; omnibus
gratus, pōtifex creatur. Quo in magiſtratu nō ſomno & otio, ſed negotio & ſoli-
citudini deditus, audire, refellere, approbare, ſuadere, diſſuadere, hortari, deterre
re accedentes ad ſedem apoſtolicam conſueuerat, cognita petentium hone-
ſtate, vel ſecus. Mira enim vtebatur facilitate, & honeſta petentes à ſe voti cōpo-
tes dimittebat. In conſultationibus aūt miræ prudētiæ vir eſt habitus. Nā & quid
agendū, & quid vitādū eſſet, ſtatim re propoſita acutiſsimè dijudicabat. Breuis in
dicēdo, cautior in agēdo, adeò vt pri⁹ rē factā cernerēt homines quàm ab eo exco-
gitatā putarent. Eius aūt ſermo plenus ſentētijs erat. Ex ore eius nullū verbū tam
crebro, quàm iuſtitiæ nomē prodibat. Ad ſuos perſæpe cōuerſus, maximè ad eos,
qui prouincias & ciuitates gubernabant, his verbis vtebatur: Diligite iuſtitiam,
qui iudicatis terrā. Indigebat tum profectò tali pōtifice eccleſia Dei, qui nauiculā
Petri ſchiſmatis & ſeditionū omniū fluctibus quaſſam, redigere in portū ſalutis
gubernaculo admotus ſciret & poſſet. Adeptus itaque tātum magiſtratum, cùm
reſtare adhuc caput renaſcentis hydræ cerneret, Benedictum Lunam cū aliquot
Cardinalibus & prælatis Paniſcholę tāquam in arce ſchiſmatis ſe cōtinentē, qui-
buſdam Arogoniæ populis in vtram partē inclinarēt adhuc titubantibus, appro-
bante concilio, Alemānum Ademariū virum doctiſsimum, & cuius ſepulchrū
in ſancta Maria noua adhuc cernimus, patria Florentinū, ſancti Euſebij presbyte
rum cardinalem legatum è latere ſuo in Arogoniam mittit, qui ſub pœnis & cē-
ſura eccleſiaſtica Petrum admoneret, vt ſe pontificatu abdicaret. Cardinales aūt,
qui cum Petro ſentiebant, intelligentes vltimam concilij & pōtificis ſententiā,
Petrū ipſum adeunt rogantq;, vt de eccleſia Dei tādem omne ſchiſma tollat, quo
iam multis annis Chriſtiana reſp. magnis calamitatibus afflicta erat. Id autē ob
ſalutem labentis eccleſię, à Gregorio & Ioanne factum eſſe. Reſpondit Petrus ca-
uillationibus quibuſdam, id ſibi nequaquam integrum eſſe, ſibi autem cū Mar-
tino conuenturū, ſi vera eſſent quæ de hominis integritate & humanitate dicerē
tur, ſinerent ſibi id negotij, nec amplius ea de re ſolliciti eſſent. Ex quatuor verò
cardinalibus duo pertinaciā hominis inſpiciētes, ab eo ad Martinū ſtatim defe-
cêre. Qui autem in fide manſêre, anticardinales ſunt habiti: quorū alter Carthu-
ſienſis fuit, alter verò Iulianus Dobla appellatus eſt. Martini quoq; auctoritatem
Hiſpania omnis ſtatim ſecuta eſt. Idem fecêre non multò pōſt & Scoti & Arme-
niaci. Atq; ita omnis Reſpublica Chriſtiana, vna duntaxat Paniſchola excepta,
Martini auctoritatem ſecuta eſt. Compoſita autem ex ſententia tanta re prin-
cipum omnium eccleſiaſticorum & ſæcularium, maximè verò Sigiſmūdi impe
ratoris labore & induſtria, de componēdis moribus nimia licentia iam labefacta
tis, tam laicorū, ꝙ clericorū, mētio haberi cœpta eſt. Verùm quia quadriēnio Cō-
ſtantienſe concilium iā durauerat, cū magno pręlatorū & eccleſiarū incōmodo,
Martino placuit approbante concilio, rē tantā in aliud tēpus magis idoneū trāſ-
ferre. Dicebat enim rem ipſam maturitate & conſilio indigere: quia ex Hierony-
mi ſentētia, vnaquæq; prouincia ſuos habet mores, ſuos ſenſus, qui tolli ſine per-
turbatione rerum ſubitò nō poſſunt. Verùm quia ſchiſma ex parua re antea ortū
fuerat, duriuſq; cum magna calamitate Chriſtianæ reipublicę durauerat, de cele

brandis

brandis concilijs talem ſententiã promulgauit, maximè verò vbi intellexit Ioãnem vigeſimũ tertium è cuſtodia lapſum, aufugiſſe. Verebatur enim ne rurſum aliud cõcilium inchoaretur. Eius autem ſententia & decretum tale fuit, vt à fine concilij Cõſtantienſis non niſi ad quinquennium vſque concilium denuo celebraretur: atque à quinquennali in ſeptennium aliud transferretur: ab hoc verò in decennium res protracta, legis haberet locum, vt ſingulis quibusque decennijs generale concilium idoneo haberetur loco, vbi de rebus omnibus ad fidem & rempublicam Chriſtianam pertinentibus, mentio fieret. Ad hanc autem inſtitutionem approbandam patentibus literis (quas bullas vocant) comprobari Martinus rem voluit, in eius ſententiã concilio veniẽte. Omnia autem decreta ante pontificatum ſuum in ſchiſmate facta, niſi ad fidem & bonos mores pertinerent, omninò ſuſtulit. Vt verò omnes intelligerẽt ſibi in animo eſſe concilium habere, locum ad id aptum publico concilio diſquirit: ac tandem approbantibus omnibus, Papiam, quam idoneum habendi concilij locum decernit, litterasque apoſtolicas in hanc ferè ſententiam ſuper ea edidit: Martinus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam: Cupientes ac etiam volentes huiuſce generalis concilij decreto ſatisfacere, concilio approbante & cõſentiente, cum de loco ambigeretur, Papiam vrbem auctoritate noſtrarum litterarum deſignamus. Nulli ergo hominum liceat huius noſtri decreti paginã infringere. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, omnipotẽtis Dei iram, beatorumque Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe noſcat incurſurum. Datum & actum Cõſtantiæ in loco publicæ ſeſsionis tanti cõcilij decimotertio calendas Maij, pontificatus noſtri anno primo. Præterea verò diſſoluendi cõcilij cupidus, anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimooctauo, conuentum habiti publica ſeſsione: quo ſublato cõſenſu omnium, maximè verò imperatoris, hęc verba mãdãte põtifice à Rainaldo ſancti Viti in Marcello diacono Cardinali, audentibus omnibus enunciata ſunt: Domini, ite in pace. Abeundi itaque omnibus poteſtas facta eſt. Cùm aũt pontifex hinc ab imperatore & Germanis rogaretur, vt in Germania aliquandiu remaneret, hinc à *principibus* Gallicis, vt in Galliã proficiſceretur, oſtendit ſibi id nequaquã *integrum* eſſe, quòd diceret patrimonium eccleſiæ, abſente põtifice, à *tyrãnis quibuſdam* in Italia occupatum diſtrahi & lacerari: vrbemque Romã *religionis* Chriſtianæ caput cùm rectore ſuo careret, penè ad interitum redactã eſſe, peſte, fame, ferro, igne, ſeditionibus. De baſilicis verò ac ſanctorum *martyrum* ſacellis nolle dicere quę abſente põtifice aut iam corruerent, aut paulò pòſt collapſuræ viderentur. Proinde ſibi abeundum eſſe dicebat. Ferrent æquo animo quod vellent ratio & neceſsitas: paterẽturq; eum ſedere in ſolio Petri, quem pontificem omnium conſenſu decreuerant. Eccleſiã Romanã caput eſſe & matrem omnium eccleſiarum, proinde in ea immorãdum põtifici eſſe, ne verus gubernator à puppi ad proram transferatur, cũ magno nauigãtium (hoc eſt, in Chriſtiana Republica viuentium) periculo & detrimento. Abiẽs itaque Conſtãtia, ac per Sabaudiam iter faciens, dum Italiam petit, Mediolanum peruenit. Vbi à Philippo duce populoq; Mediolanẽſi, nullo nõ genere honoris adhibito, perbenignè ſuſcipitur. Erat tum quidem Philippus in armis, ditionem paternã repetens, defendentibus ſe acriter tyrannis: qui guſtata ſemel imperandi voluptate, nõ ita facilè de poſſeſſione pellebãtur. Vrgebat tum Carmignola primus Philippi copiarum dux, Pãdulphum Malateſtam, qui capto Bergomo prodente arcem præfecto, pecunia & pollicitationibus corrupto, in Brixianos mouens, eũ omni dominatu breui ſpoliaſſet, niſi à Venetis ingenti pecunia ac firmiſſimo equitatu eſſet adiutus: & à Martino pontifice, qui auctoritate & gratia Philippum ad pacem cum Pãdulpho Malateſta ineundã perpulit, quæ poſteà Mantuæ, Martino eò accedente, Ioãne Franciſco ſequeſtro adhibito, his legibus compoſita eſt, vt Pandulphus quotãnis tributo, tamdiu Brixia potiretur, quoad ei viuere liceret, nulla inteſtãdo de ciuitate, quæ meritò ad Philippum deuolueretur, relicta poteſtate. Hanc verò pacem ſequenti anno Pandulphus diſturbauit, annixus pecunijs & milite retinere Gabrinum Fundulum in vrbe Cremona: quem armis Philippus continuò vexabat, ciuitatẽ paternę ditionis, tot annis à tyranno poſſeſ-



poſſeſſam, repetens. Erat tamen fama, Pandulphum vrbem ipſam à Gabrino emiſse, Salodij Riperiam (ita ripam Benaci vocant) in precium pollicitus. Ab hoc autem bello Ioannes Franciſcus deterrere hominẽ ob affinitatem conatus eſt, miſsis legatis, qui eum admonerent contra ius fasq; agere, quòd fœdera ſperneret, quòd tyrãnum tutaretur, quòd contra eum arma ſumeret, à quo dominatu Brixiano donatus fuerat. Non eſſe contemnendam auctoritatem Martini, de ſua nolle dicere, cuius auctoritate pax erat cõpoſita: ſi hominum auctoritatem contemneret, Deum ſaltem inſpiceret, quem teſtem violati ab eo fœderis, dum pax fieret, inuocauerãt. Abiens aũt Mantua pontifex quarto poſt acceſſum mẽſe, Ferraria ac per Flaminiam iter faciens, Florentiam peruenit, vitata de induſtria Bononia: quę, poſteaquam intellexerat Baldeſarẽ Coſſam coactum eſſe abdicare ſe pontificatu, pulſis eccleſiæ magiſtratibus, in libertatem ſe vindicauerat. Inſtat tum acriter Carmignola iubente Philippo, qui ſuo iure ducere exercitum in Pãdulphum poſset, atque breui capta magna Brixiani agri parte, ad Montemclarũ caſtra locat, cum Ludouico Meliorato Innocentij ſeptimi nepote certaturus: qui aduentare cum magno equitatu in auxilium Pandulphi dicebatur, affines namque erant, & id Ludouicus *neceſsitudini tribuebat*. Conſerto itaque prælio, ac Ludouico *turpiter fugato*, Carmignola haud ita multò pòſt, Brixiam in poteſtatem Philippi redegit. Potitur & breui Cremona Philippus, ac Gabrinum tyrannum ad caſtellionem captum, capitali ſupplicio afficit. Hoc tanto Philippi ſucceſſu Nicolaus Eſtenſis motus, ſponte facturus id, ad quod armis cogi potuiſſet, Mediolanum profectus, Parmam (quam mortuo Othone Tertio occupauerat) Philippo reddidit, retento Regio Martini pontificis rogatu feudi nomine. Profectus & eò Ioannes Franciſcus Mantuanus princeps Philippo gratulatum pro re bene geſta, cum minus comi fronte inſpeceretur, cumque intelligeret, Philippo in animo eſſe, quicquid de Cremonenſibus & Brixianis teneret, iure ſuo repetere, properè Mediolano abiens, Venetorum deinceps & Florentinorum amicitiam ac ſocietatem ſecutus eſt. Hi enim duo populi ſibi timentes, vnumquenque in partes ſuas blanditijs & pollicitationibus alliciebant, quòd Philippus regnandi cupidus, ruptis legibus initi fœderis, & vltra Macram Sarzanam oppidum Lunenſis agri, Thomæ Fregoſo dediſſet, quem è principatu vi & armis deiecerat, ne cum Genuenſibus exulibus quicquam aduerſus ſe moliretur: & Bononienſes Florentini populi ſocios ad defectionem concitaſſet, eorumque milites ſtipendio conduxiſſet, & Forumliuij nunc ob *Thebaldi* pueri *tenellam* ętatem, nunc ob Ferrarienſis principis gratiam (vt crebrò dicebat) occupaſſet, cum fœderibus cautum eſſet, ne Philippus Bononiam & Flaminiam armis attingeret. Verebantur item, ne trium ſimul potentiſsimorum principum, Philippi, Martini pontificis, Alouiſij regis: quos ſocietatem inijſſe conſtabat, vi & armis occuparentur omnia, cùm cõtrà Philippus omnium malorum crimina in Venetos & Florentinos reijceret, quòd Veneti retinere Pãdulphum in dominatu Brixiano ſint annixi, quodque Florentini & Genuẽſes quoſdam hoſtes ſuos cõmeatu pecuniaq; iuuiſſent: quòd Liburnum ditionis Genuenſis, quam tũ in poteſtatem ſuam redegerat, centum millibus nummis aureis emiſſent. *Satis* tũ quidẽ ad cõcitandum bellum hæc diſcordiarum ſemina videri poterãt, ſed nihil eſt quod æquè Venetorum animos ad bellũ impulerit, quàm auctoritas Frãciſci Carmignolę, viri bellica laude inſignis, atq; ea ętate clariſsimi: qui (vt ipſe dicere ſolebat) ęgrè ferens Philippi inſolentiam, ad Venetos tum confugerat, eosque ad bellũ animauerat, operã ſuã in ea re pollicitus. Quare hi duo populi, aſcito in ſocietatẽ belli principe Mantuano & Ferrarienſi, partitaq; bellica impenſa, cum exercitu equitum duodecim, peditũ octo millibus, cui Carmignola præficitur, cum fluuiali & maritima claſſe Philippum eodem tẽpore multis à lateribus, oppugnatre adorti, à Guelphis, Brixianis, qui Philippo aduerſabãtur, in vrbem vocantur: qua quidem ex parte occupata, Veneti tandem ſeptem menſium oppugnatione totam denique in poteſtatem ſuam redegêre. Ducẽte deinde Carmignola ad capienda Brixianorum caſtella, Martinus pontifex Philippi ducis calamitate motus, cardinalem ſanctæ crucis ad Venetos mittit, qui pacem inter Philippum &

Venetos

Venetos cõponeret, qua infecta, quòd Veneti & Florentini iniqua poſtulare videretur, rurſum magnis viribus bellum vtrinq; parari cœptum eſt. Pugnatũ eſt ter eo anno collatis ſignis ad Gotolengum Brixianorum caſtellum, ad ſummũ Cremonenſem vicum, quibus in locis æquo Marte vtrinque diſceſſum eſt. Ad Maclodium tertia pugna eſt habita: quo in prælio ſuperantur Philippi copiæ, capiturque Carolus Malateſta totius exercitus dux. Conſtat autem hanc tantam fuiſſe cladem, vt ſi milites captos retinere Carmignola voluiſſet, ſignaq; ocyus perterritis inferre, eijcere principatu Philippum conſternatum, tãto accepto incommodo, haud magno negocio potuiſſet. Captus (vt dixi) eo prælio Carolus à Mantuano principe, ob affinitatem incolumis dimittitur. Interim verò dũ Carmignola ad oppugnanda Brixianorũ oppida, quæ in Philippi fide permãſerant, copias ducit, eidem Philippo reſpirandi ſpacium dat. Nam & pacem cum Amadeo Sabaudiæ duce, à quo bello premebatur, datis ob id Vercellis componit, & Sigiſmundum ac Brunorum Scalam in Venetos concitat. Martinus autem pontifex Philippi rem in maximo diſcrimine vidẽs, cardinalem ſanctæ Crucis ſecũdo ad componẽdam inter Philippum & Venetos pacem mittit: qui Ferrarię ſubſiſtens, eò proficiſcentibus cum mandatis principum ac ciuitatum legatis, ita pacem compoſuit, vt Brixiam Veneti & oppida Brixianorum Cremoneſiúmue, quę antea ceperant, retinerent. Pręterea vti Philippus Bergomum Bergomatémue agrum Venetis ex fœdere dederet, hac conditione, ne ſocios Venetorum Florentinorumque bello laceſſeret, aut ad id defectionem concitaret. Approbauit hãc pacem Martinus, veritus ne Philippus ducatu omnino pelleretur, homini enim amiciſsimo, cum ob religionem auxilio eſſe non poterat, tum vel maximè quòd ſuperioribus annis ærarium pontificiũ exhauſtum omninò fuerat, eo bello quod contra Brachium geſſerat. Nam eo tempore, quo Florentiam profectus eſt, offendit Brachium Mõtonium, virum in re militari præſtantem, Peruſiam, ducatum Spoletinum, & magnam patrimonij partem ita occupaſſe, conductis mercede quibuſdam tyrannis circumquaque poſitis, vt ipſe tutò proficiſci Romam nõ poſſet. Cùm verò admonitus Brachius redire ad ſanitatẽ nollet, armis ſpiritualibus, hoc eſt, cenſuris primo in eum põtifex vſus eſt. Interdictũ enim à ſacris his omnibus eſt, qui Brachio parerẽt: vetitiq; ſacerdotes decreto põtificis eiſdẽ in locis celebrare. Hanc ob rem Florentini moti amici Brachij incõmodo, de pace cũ Martino agunt, hac cõditione, vt Brachius ad pedes Martini prouolutus, veniam peteret: quod etiam fecit, oppidaq; aliquot eccleſiæ redderet: vtq; etiã ſtipendijs pontificis militans, Bononiam rebellem in Martini poteſtatẽ redigeret. Cui quidẽ bello Gabriel Condelmerius, tituli ſancti Clementis presbyter cardinalis & legatus præfuit: cuius induſtria & Brachij virtute Bononia in poteſtatem eccleſiæ breui redacta eſt. Interim verò dum hæc Bononiæ agerẽtur; quatuor illi Cardinales, qui olim cum Petro Luna adulterino pontifice ſenſerat, Florentiã ad Martinum venientes, cũ magno & honorificentiſsimo comitatu publico cõſiſtorio ſuſcepti, dignitatũ ſuarũ titulos retinuêre. Tres enim diaconi Cardinales erãt: quartus verò, qui antea canonicus regularis fuerat, presbyter Cardinalis eſt habitus. Cum autẽ Baldeſar Coſſa adhuc in vinculis apud Heidelberg in Germania à comite Palatino detineretur, quidam Florentini ciues, quorũ de numero Coſmus habitus eſt, rogare pontificem Martinum omnino non deſiſtebãt, vt tandem è carcere Baldeſarem liberaret. Facturum ſe id pontifex pollicitus eſt, verùm dũ eò legatũ ob eam rem mittit, Baldeſar moræ impatiens, triginta millibus nummûm aureorũ Palatino comiti perſolutis, ſe è vinculis redimens, in Italiam veniens, vt rectà Florentiam proficiſceretur, apud Petrũ Rubeum agri Parmenſis baronem veterem amicũ diuertens, parari ſibi inſidias intelligit. Hãc ob rem noctu cum legato pontificis, qui eum in via conuenerat, ad Thomã Fregoſum veterem amicum confugiens, magnam iniecit omnibus ſuſpicionẽ, ne rurſũ ſchiſma innouaretur. Erat enim vir magni animi, ſagaciſsimiq;, & qui priuatam vitam nequaquam pateretur. Non deerant præterea qui hominis audaciam ad res nouas moliendas cõcitarent, adeò tum rebus nouis ſtudebatur: ſed Deus omnipotens eccleſię ſuę cõſulturus, Baldeſarem impulit, nullis pactionibus interpoſitis,



terpoſitis, nulla requiſita cautione, Florentiam ad Martinum proficiſci: quò cũ veniſſet admirantibus omnibus, exoſculato põtificis pede, eundem audientibus omnibus, vt verum põtificem & Chriſti vicarium canonicè electũ ſalutauit. Mira profectò hæc res omnibus viſa eſt, & Dei potius, quàm hominum induſtria eò deducta, quòd homo regnãdi cupidus, in ſummo rerum faſtigio antè collocatus in loco libero, vbi plurimũ ab omnibus diligebatur amabaturq;, tanta vteretur mãſuetudine. Quæ certè omnibus præ gaudio lachrymas excuſſit, maximè verò his Cardinalibus, qui eum prius vt põtificem ſecuti fuerant. Martinus autem viciſsitudine rerum humanarũ motus, poſt aliquot dies hominẽ in numerũ Cardinalium aſciſcẽs, epiſcopũ Tuſculanum creat, atq; deinceps eò habuit in honore, quo reliquos Cardinales tã publicè, quàm priuatim. Verùm Baldeſar dolore animi, vt putatur (ferre enim vitam priuatam nõ poterat) aliquot poſt mẽſes Florentię moritur: ſepeliturq; honorificentiſsimo ſepulchro in tẽplo ſancti Ioãnis, non lõgè ab eccleſia cathedrali, magna adhibita funeris pompa, eã rem Coſmo Medice procurante: quem homines exiſtimãt pecunia Baldeſaris opes ſuas in tãtum auxiſſe, vt & primarius apud Florẽtinos ciues, & ditiſsimus omnium apud Italos, ac fortaſſe apud exteras quoque nationes deinceps ſit habitus. Sepulchro hominis hæc verba ferè inſcripta ſunt. BALDESARIS COSSAE, IOANNIS XXIII. QVONDAM PAPAE CORPVS HOC TVMVLO CONDITVM. Interim verò dũ hæc Florentiæ agerentur, oratores imperatoris Conſtantinopolitani ad põtificem venêre, pollicẽtes Græcos quod ad fidem pertineret, velle in ſententiã Latinorũ venire, ſi æquæ conditiones proponerentur. Hos & perbenignè ac ſplendidè põtifex ſuſcepit, & legatum è latere creauit, Petrum Fõſecam ſancti Angeli Cardinalem hominẽ Hiſpanum in quauis facultate doctum, qui Conſtantinopolim ad res componendas proficiſceretur. Verùm priuſquam virum integerrimũ à ſe dimitteret, eò præmiſit fratrẽ Antonium Maſſanum ordinis Minorum generalem gubernatorẽ, qui imperatoris ac Græcorum explorata ſententia, quid ea in re poſtea ſperandum eſſet, pontificẽ admoneret. Inſtãtibus autem Romanis, vt demum pontifex Romã proficiſceretur, Martinus cum bona Florentinorũ gratia diſceſſurus, ciuitatem honore metropolitico exornauit. Nam cum antea ab ipſa penè vrbis origine epiſcopatũ tãtummodo habuiſſet, in archiepiſcopatum eorum cathedralem eccleſiã tranſtulit: eiq; ſubiecit vt matri Volaterranam, Piſtorienſem, Feſulanam eccleſiã. Dedicauit præterea ipſemet maius altare ſanctæ Mariæ Nouellæ ordinis Prędicatorũ, apud quam baſilicam tãdiu diuertit, quandiu Florentiæ fuit. Eſt enim cõuentus ille ad recipiendos põtifices maximè cõmodus. Abiens itaq; Florentia, Romam tandem peruenit, effuſa obuiã omni vrbana multitudine: effuſis principibus tantę vrbis, qui hominem non ſecus ac quoddã ſalutare ſidus, vel vnicum patriæ parentem expectabant. Diem illum in faſtis annotauêre Romani, decimo calẽdas Octobris, anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimoprimo. Vrbem Romã adeo diruptã & vaſtã inuenit, vt nulla ciuitatis facies in ea videretur. Collabẽtes vidiſſes domos, collapſa templa, deſertos vicos, cænoſam & oblitam vrbem, laborãtem rerum omniũ caritate & inopia. Quid plura? nulla vrbis facies, nullum vrbanitatis indiciũ in ea videbatur. Dixiſſes omnes ciues aut inquilinos eſſe, aut ex extrema omnium hominum fece eò cõmigraſſe. Ciuium itaq; ſuorũ calamitate permotus põtifex optimus, animum ad exornãdam ciuitatem, componendosq; ciuium ita adiecit, vt breui cõualeſcens, meliorem faciem præ ſe tulerit. Hanc ob rem ciuitas ipſa, eum non modò ſummum põtificem, verùm etiã patriæ parentem appellauit. Sed ne tam publica lætitia diuturna eſſet ſine aliqua moleſtia, ſequẽti anno mẽſe Nouembris in vigilia beati Andreæ, adeo in immẽſum Tiberis creuit, vt per portam Flaminiã ingreſſus, totam vrbem in plano ſitã inundauerit: templumq; Pantheon vſq; ad altare maius repleuerit. Decreſcẽs autem biduo pòſt, multa animalia paſsim ſecũ traxit, multaq; ciuibus damna intulit: qui nõ ſecus per vicos nauigabant, ac per alueum Tiberis facere conſueuerũt. Alouiſius autem rex Ludouici regis filius, eodem tempore Romã ad põtificem veniẽs, regni Neapolitani titulum à Martino cõſecutus eſt, Cardinaliũ omniũ

conſenſu. In regnum nanque per adoptionem à regina Ioãna Ladiſlai ſoror e vo
catus, ſine vllo Marte hoc modo cõſecuturum ſe regnũ putabat. Verùm ſtudio
partium ab vrbe Neapoli ſubmotus, in Calabriã ſeceſſit. Cum autem concilij tẽ-
pus inſtaret (vt ex decreto Conſtantienſi inſtitutum erat) Martino placuit ſentiẽ-
tibus etiam ita cardinalibus omnibus, præmittere quoſdam prælatos, qui Papiæ
illud inchoarent. Is enim locus ad eam rem omnibus maximè cõmodus vide-
batur. Miſsi itaque eò ſtatim Petrus Donatus archiepiſcopus Cretenſis, Iacobus
Camplo epiſcopus Spoletinus, Petrus Roſatius Aquileienſis diœceſis abbas: fra-
ter Leonardus Florentinus, fratrum Prædicatorum generalis, cõcilium inchoa-
runt: ad quod nemo quidem adhuc venerat, præter duos abbates Burgũdos. Dif-
ferre itaq; rẽ in aliquot dies placuit, donec ex omni natione vnus aliquis ſuperue
niret. Ex Gallica enim & Germana natione nondum quis venerat. Parui nãque
momenti fore putabant, quod ſine iſtorum auctoritate & ſuffragijs eſſet inchoa-
tum. Sed ecce dum hos expectant, tãta repentè peſtis Papiam inuaſit, vt præſiden-
tes cõcilij mutare locum & tempus ſint coacti. Placuit itaq; omnibus ex ſentẽtia
põtificis Senas migrare: quò maior ex omni natione multitudo quàm Papiã per-
uenit. Alphonſus autem Aragonum rex Martino infenſus, qui titulũ regni Sici-
liæ & Neapolis habere nequiuerat, datũ (vt antea dixi) Alouiſio regis Ludouici
filio, oratorem ad concilium mittit: quid & cõcilium in longum duceret, & cau
ſam Petri Lunæ adhuc in Paniſchola ſuperſtitis reſtitueret, largitione, pollicita
tionibus ambiendo vnumquenq; ex his, quid in cõcilio auctoritatẽ haberet. Hãc
ob rem Martinus nõ ignarus quantam calamitatem ea res eccleſiæ Romanę alla
tura eſſet, quantumq́; periculi in mora haberetur, mãdauit cõcilium ſtatim diſ-
ſolui approbatis decretis concilio habitis, quæ ad fidem pertinebãt. Et ne ſubter-
ſugere conuentum Chriſtianorum videretur, in ſequens ſeptẽnium cõcilio ad-
iudicauit, quod in Baſilea celebraretur. Atq; hoc modo ſchiſmatis & diſcordia-
rũ ſemina à quibuſdã in cõcilio Senenſi iacta & ſparſa, ſublata hominis prudẽtia
& aſtu ſunt. Tũ verò Alphonſus palam de Martino conqueſtus eſt, quòd diceret
eius opera & ſe à regina Ioãna abrogatum regno eſſe, quem prius hæredem inſti-
tuerat, & Alouiſium regis Siciliæ filium, nouum hæredem inſtitutũ. Refellebat
quidẽ hæc crimina perfacilè Martinus, quòd dicere Alouiſiũ hæredem Ioannæ
ab Alexandro quinto, & Ioanne vigeſimotertio in regno prius confirmatũ fuiſ-
ſe, reijceret eam omnem culpam in reginam, non autem in ſe, ad quẽ pertineret
feudatarios eccleſiæ confirmare, non autẽ tollere, niſi aliquod grande facinus in
ſedem Romanam cõmiſiſſent: ſe non videre cur Alouiſius Ioãnæ ſuo iuſſu coro
natæ, legitimus hęres eſſe nõ poſſet. At verò Brachius cùm videret pontificẽ mul
tiplici cura implicitum, ob ſimultatem cum Alphonſo contractã, multis oppi-
dis eccleſię per vim potitus, Aquilam vrbem regni Neapolitani graui obſidione
premit. Hanc ob rem motus pontifex, comparato ſatis iuſto exercitu, liberare A-
quilam annixus, adiuuantibus his, qui cum regina & Alouiſio militabãt, nõ lõ-
gè ab Aquila patenti campo Brachium ſuperat & interficit. Aderãt in eo prælio
Sfortiani. Franciſco duce Sfortię filio, qui ſuperioribus annis dum Piſcariam flu
men traijcit, quod Aternum veteres appellabãt, in vndis perierat. Delatum itaq;
Romam Brachij cadauer, in loco profano extra portã ſancti Laurentij ſepelitur.
Hac autem victoria tanta deinceps tranquillitas exorta eſt, redactis ad ditionem
eccleſiæ Peruſio, Tuderto, Aſsiſio, alijſq́ue oppidis, quę Brachius occupauerat, vt
Auguſti Octauij felicitas & pax redijſſe ſua ætate videretur. Licebat tũ frui otio,
& liberè per ſiluas noctu etiam tutò commeare. Nulli latrones tũ extabant, nul-
li ſicarij & fures, adeo hoc hominum genus perſequebatur, ſublato è medio Tar-
talia, Lauello, alijſq́ue tyrãnis, qui latrocinijs potius, quàm militia vita traduce-
bant. Huic autem felicitati obſtare Boemi hæretici videbãtur, qui hæreſi & armis
Germanos catholicos continuò vexabant. Vt igitur hi quoq; rationi & eccleſiæ
obtemperarent, cùm benè monẽti parere noluiſſent, legatos in Germaniam mi
ſit, qui catholicos ad arma cõcitarent. Ac primò quidem, ſeorſum tamẽ, Henri-
cum ſancti Euſebij Cardinalem, deinde Bartholomæum Placentinũ, poſtremò
verò his reuocatis, Iulianũ Cęſarinũ ſancti Angeli Cardinalẽ eò miſit, qui certè





non ſua culpa ſed ignauia militũ, magnum incommodum ab hoſtibus accepit.
Martinus autem ob eam rem haud animo concidens, maiora in hæreticos para-
bat. Verùm priuſquàm tantam rem aggrederetur, ſedare Italorum diſcordias in-
ſtituerat. Nam pace, vt diximus, à Martino cõpoſita inter Philippũ & Venetos,
Florentini ægrè ferentes, Ladiſlaũ Pauli Guiniſij tyranni Lucẽſis filium ſuperio
re bello ſub Philippo militaſſe, occaſionẽ opprimẽdæ Lucæ nacti, quod ſuperio-
re pace nil ſcriptis de Guiniſio cautum fuerat, in agrũ Lucẽſem copias mouent,
Nicolao Fortebrachio copiarum duce. Captis itaq; non ita multò pòſt quibuſdã
caſtellis circumquaq; poſitis, vrbem obſidione cingunt. Tũ Philippus ſollicita-
tus Pauli precibus, veritusq́; ne ſi Luca in Florentinorũ poteſtatem deueniret, a-
criores eos vtpote propinquiores haberet hoſtes, Franciſcum Sfortiam cum ma-
gno equitatu primo in Parmenſem agrum mittit, vnde pedeſtres copias cõſcribẽ
ret. Qui quidem vere iam appetente Appenninũ tranſgreſſus, tantũ terroris Flo-
rentinis iniecit, vt prius quàm in vallem nebularũ, ita enim accolæ vocãt, deſcẽ-
deret, hoſtes mouere caſtra, ac Lucam obſidione liberare præ metu coẽgerit. Eius
autem aduentus eò gratior Lucenſibus fuit, quòd pulſis hoſtibus ac capto tyran-
no, liberi omnino Frãciſci auxilio futuri videbãtur. Verùm Franciſcus acceptis
quinquaginta millibus nummũ aureorum ex ęrario Florentino depromptis, Lu
cenſes maiore in diſcrimine, quàm vnquam antea fuerãt, reliquit, pactus ob datã
pecuniam ſe eo toto ſemeſtri Philippi imperio non obtemperaturum. Obſideri
deinde Lucenſes acrius ſunt cepti. Quare Philippus inſtante Martino pontifice,
qui Lucenſium quoque vices dolebat, Nicolaum Picẽninum cũ maximo equita
tu eo ſtatim mittit, qui fuſis ac fugatis hoſtibus, non ſolũ Lucam obſidione libe-
rauit, verùm etiam inde mouens, ex Piſanis ac Volaterranis multa caſtella vi cœ
pit, Senẽſibus etiam rem gratam facturus, qui tum Florentinos bello inuaſerãt.
Martinus autem ab externo hoſte quietus, ad exornãdam patriam baſilicasq́; Ro
manas animum adijciens, porticum ſancti Petri iam collabẽtem reſtituit: & pa-
uimentum Lateranenſis baſilicæ opere vermiculato perfecit: & teſtudinẽ ligneã
eidem templo ſuper induxit: picturamq́; Gẽtilis, opus pictoris egregij inchoauit.
Aedes præterea vetuſtate collabentes ad duodecim apoſtolos reſtituit, vbi & an-
nos aliquot habitauit. Huius autẽ ſtudia Cardinales ſecuti, titulos ſuos ita certa-
tim reſtituunt, vt iã aliqua facies redijſſe vrbi Romæ videretur. Creauit & Cardi-
nales, quorũ de numero fuit nepos ſuus Proſper Columna, ſancti Georgij ad Vel
lus aureum diaconus Cardinalis. Interea verò mortuo Petro Luna in Paniſcola,
ne aliqd deeſſet, quod eccleſiã vexaret, duo illi anticardinales, de quibus mẽtio-
nem fecimus, Alphonſo Martini honeſte adhortante, Egidiũ cognomento Mu-
nionis, canonicum Barchinonenſem genere nobilem, põtificem deligunt, Cle-
mẽtemq́; octauum appellant: qui ſtatim & Cardinales creauit, & fecit quæ à pon-
tificibus fieri cõſueuerunt. Verùm cùm Martinus in gratiã cum Alphõſo redijſ-
ſet, eò ſtatim Petrum de Fuxo Cardinalem miſit apoſtolicæ ſedis legatũ: in cuius
manus iubẽt Alphonſo Paniſcolę domino, Egidius omnia pontificatus iura de-
poſuit: erga quem hac benignitate Martinus poſtea vſus eſt, vt eũ Maioricenſem
epiſcopum declarauerit. Cardinales autem ab Egidio creati, ſpontè Cardinalatu
ſe abdicarunt. Illi autẽ duo, quos à Petro Luna creatos diximus, in ſuaq́; pertina-
tia manſiſſe, cum põtifici Romano parere nollent, in carcerem à legato conijci-
untur. Atq; hoc modo Martini põtificis ſapientia & induſtria omne ſchiſma vn
diq; ſublatũ eſt. Pacata hoc modo vndique eccleſia Dei, in dandis beneficijs mira
prudentia vſus eſt. Non enim vnicuique petenti ea conferebat, ſed ſtatim men-
te agitabat quis potiſsimum eſſet idoneus, cui talis cura demandaretur. Quòd ſi
homines prouinciarum non noſſet, in quibus vacare beneficia cõtigiſſet, ſtatim
peritos regionũ cõſulebat, quis aut in curia, aut gymnaſijs publicis eſſet doctri-
na, nobilitate, moribus tanta prouincia dignus. Atq; hac quidẽ ratione & eccle-
ſijs & hominibus honore dignis pariter cõſulebat cum maxima celebritate no-
minis ſui. Tantæ præterea cõſtantiæ fuit, cum duos haberet fratres, quorum alter
Iordanus princeps Salernitanus maior natu peſte moritur: alter verò minor na-
tu, Laurentium appellant, in turri igne caſu iniecto exuſtus eſt, vt nil ex eo ſit au-

ditum nil viſum,quod impatientiæ aut abiecti animi ſignum aliquod præ ſe ferret.Hic autem vir in omni vita integer,demum pontificatus ſui anno quartodecimo, menſe tertio,Romæ apoplexia moritur, ætatis ſuæ anno ſexageſimo tertio,ſepeliturque eius mandato in baſilica Conſtantiniana ante capita apoſtolorum,ſepulchro æneo,comitante populo Romano,comitante clero non aliter flente,quàm ſi eccleſia Dei,ſi vrbs Roma vnico atque optimo parente orbata fuiſſet.Vacat tum ſedes dies xij.

*Ex Onuphrio.* OTHO Columna,Agapiti filius,regulus Romanus,nobiliſsimo genere ortus,& à teneris annis omnium diſciplinarum genere imbutus, vtriuſque Iuris Doctor fuit.Ab Innocentio VII.Diaconus Cardinalis S.Georgij in Velabro creatus,Vmbriæ,& Erruriæ ſumma cum æquitate Legati iure præfuit.Quum in Concilio Conſtantienſi,tribus qui de Pontificatu decertabant,repudiatis,vir optimus quereretur,qui Rempublicam Chriſtianam longo ſchiſmate perturbatam,conſtitueret,ipſe vnus poſt conditam Romanam Eccleſiam, ab vniuerſali Concilio,cui tres et viginti Cardinales interfuerunt,ad ſupremū in terris faſtigium euectus eſt,III.Idus Nouembris,anno ∞ CDXVII.ætatis ſuę quinquageſimo,conſecratus ibidem in Eccleſia cathedrali Conſtantienſi,XI. Kal.Decembris.Sedit verò Cæſare Sigiſmundo Rege Romanorum annos XIII. menſes III.dies X.Hic ſchiſmate quinquaginta annorum ſublato,pacem Eccleſiæ reddidit.Romam veniens Italicas res turbatas,pace inter diſsidentes Principes compoſita,conſtituit.Ditionem Eccleſiaſticam à Tyrannis occupatam recuperauit,Picenos rebelles domuit,Vrbem inteſtinis diſcordijs afflictam recreauit,fabricis exornauit,moribus & optimis inſtitutis excoluit,ſacras Aedes collabētes refecit,agrūm Romanum latrocinijs infeſtatum,ſicarijs,& latronibus necatis,tutiſsimum reddidit.Iohannam Neapolitanorum Reginam Legati opera coronauit,cuius regnum ex Reginæ auctoritate,reiecto Alfonſo Arragonio Rege,Ludouico III.Andegauenſi Duci adiudicauit.Baſileenſe Concilium indixit. Vrbem ad eam omnium bonorum beatam copiam felicitatemque perduxit,vt Auguſti tempora redijſſe viderentur.Poſtremo de patria,Romana Eccleſia,& Republica Chriſtiana optimè meritus,Cardinalibus quoque XVII.ordinationibus tribus creatis,Romæ apoplexi correptus,rebus humanis exceſſit,X.Kalen. Martij,anno ∞ CCCCXXXI.ætatis LXIII.Vacauit ſedes dies X.Corpus æneo ſolio ante Apoſtolorum capita,cum hoc Elogio Laterani ſepelitur.

MARTINVS PAPA,V.SEDIT
ANNOS.XIII.MENSES III.
DIES XII.OBIIT ANNO
M.CCCXXXI.DIE XX.FEBRVARII
TEMPORVM SVORVM
FELICITAS.

## EVGENIVS IIII.

*Pont. 216.* EVgenius quartus,patria Venetus,familia Condelmeria,populari quidē,ſed antiqua,patre Angelo natus,pontificatum hac ratione adeptus eſt: Creato enim pontifice Gregorio duodecimo è gente Coraria,patria Veneto,Antoninus Corarius Gregorij nepos,Cæleſtini habitu canonicus congregationis ſancti Georgij in Alga,Romam iturus,Gabrielem Cōdelmerium,qui eiuſdem profeſsionis erat,quo cum ab ineunte ætate familiariter vixerat,ſecum aliquandiu recuſantem duxit;cuius ingenio & ſolertia delectatus Gregorius,eū primo theſaurariū fecit,deinceps verò epiſcopū Senenſem creauit,præfecto Bononiēſibus in eadem dignitate Antonio nepote.Recuſarunt aliquādiu Senēſes Gabrielem in epiſcopum,quòd dicerent hominem aliūde natum,nequaquā in tanta re ciuibus Senenſibus præficiendum,eam curam debere ciuis alicuius eſſe, qui mores hominum & ritus ciuitatis noſſet.Verùm cùm poſtea Gregori⁹ rebus ſuis diffidens,Roma Lucam profectus fuiſſet,aucturus Cardinalium numerum, Antoninum nepotem & Gabrielem Condelmerium in Cardinales retulit.





Gabrielis autem opera in magnis rebus poſtea Gregorius,& Martinus abrogato Gregorio vſus eſt:maximè verò in Legatione Picentina,qua & Picentes in fidē eccleſiæ confirmauit,ſumpta de quibuſdam ſeditioſis & coniuratis pœna:& tēplum ſanctæ Hagnetis Anconæ dirutum,portumque eiſdem ciuitatis ad imitationem diui Traiani magna impenſa reſtituit,fluctibus quaſſum,& vetuſtate cōſumptum.At verò cū Martinus intellexiſſet Bononienſes rebus nouis ſtudere, eò è Piceno Gabrielem legatum miſit,qui ſuo aduentu ſeditionem omnem ſtatim ſuſtulit.Cum autem inde Romam veniſſet,mortuo haud multò pòſt Martino,ſolus è duobus de viginti Cardinalibus,qui tum in conclaui apud Mineruam aderant,pontifex creatur anno milleſimo quadringenteſimo triceſimo primo,quinto nonas Martij:Eugeniusque mutato nomine,vt fit,appellat⁹,ad ſanctum Petrum comitante populo & clero ſtatim perducitur.Accepta deinde corona pontificia de more,inuiſaque baſilica ſancti Ioānis Lateranenſis,in Vaticanum rediens,cōſiſtorium generale propoſuit indicta die:qua certè tanta multitudo affuit,vt cum trabes deficerent eius loci,vbi nunc conſiſtorium publicū fit,trepidatum adeò tumultuosè ſit,vt in ipſa fuga Senogalliæ epiſcopus ciuis Romanus è gente Mellina,obtritus perierit.Nondum enim ædes ipſæ pontificiæ hanc formam,quam nunc habent,acceperant.Dimiſſo conſiſtorio,Eugenius tumultus deinceps ex induſtria vitauit.Inſtantibus deinde quibuſdam delatoribus,qui dicerent,Martinum congregādi auri cupidum,maximos theſauros reliquiſſe,idq; ſciturum Eugeniū ex Martini familiaribus nepotibusq;,eò veſaniæ hominem perpulere,vt Oddum Poccium Martini vicecamerarium comprehendi iuſſerit,idq; negocium Stephano Columnæ dederit,quem copijs ſuis prefecerat.Ab alijs enim Columnenſibus is ſolus diſſentiebat,Cardinali Vrſino & Cardinali Comitum inſaniam hominis adiuuantibus,quorum artibus hæc omnia contra Columnenſes geſta putantur,ob inueterata factionū odia.Mādauerat Eugenius vt Oddo ad ſe ſine vllo tumultu,ſine ignominia perduceretur, ꝙ cōtrà à Stephano factum eſt,nam & eius bona à militibus direpta ſunt,& ipſe vi tāq̄ latro per ora hominum ad pontificē tractus eſt.Hac indignitate motus Eugenius,Stephano admodū ſuccēſuit,eiq; interminatus eſt,quod & Oddonē,& epiſcopum Tiburtinum olim Martini cubiculariū,ita indecenter ad ſe pertraxiſſet.Veritus itaq; Stephanus Eugenij iram,& Præneſte ad principem Columnā cōfugit:eumq; adhortatus eſt,ſuas opes pollicitus,vt Eugenium ab vrbe pelleret,ꝙ diceret ei in animo eſſe nomen Columnenſiū extinguere:id ſe optimè ſcire,eiuſque cōſiliorum participē fuiſſe,& ob eā rem aufugiſſe,quòd ſciret partem illius calamitatis ad ſe quoq;(niſi tantum mali ſimul declinarent omnes)peruenturā. Motus his verbis princeps,& eorum calamitatibus,qui Martini pontificis familiares fuerant,ſumptis properè armis,pōtificem aggredi inſtituit.Subſtitit tamē aliquandiu,donec Proſper frater diaconus Cardinalis,quē quidem præmonuerat,ab vrbe diſcederet.Viſo autem fratre,è Præneſte Marinū,atq; deinceps Romā tanq̄ ex arce belli in Eugenium mouēs,occupata per Ioannem Baptiſtam porta Appia,vrbē armato milite ſine vllo maleficio primo ingreditur.Iā peruenerat ad ſanctum Marcū,& in vicum Columnam cum ſubito eis obuiam facti ſunt pōtificis milites,magna populi parte adiuuante.Pugnatū eſt in vrbe aliquādiu,atq; acriter:qua in pugna multi vtrinq; cecidere & capti ſunt.Quare Columnēſes cū viderent populum Romanum longè aliter ſentire,quàm arbitrarētur,cedere ex vrbe inſtituentes omnia paſſim rapiunt,pecora abigunt,homines abducunt.Talionem tamen his reddidere pontificis milites,Romano populo mixti.Nam & Proſperi Cardinalis & Columnenſiū omnium,ac eorum,qui cum Martino familiariter vixerant,domos hoſtilem in modū diripiunt & vaſtant.Irritatis hoc modo vtrinq; animis,nō ſolū aperto Marte,verùm etiā proditionibus rès agi cœpta eſt.Capitur nanq; archiepiſcopus Beneuentanus Antonij Columnę filius,ac quidam Maſius frater,qui faſſus eſt quæſtione adhibita,ſibi in animo fuiſſe arcē ſancti Angeli dolo capere,interfecto ipſius arcis profecto,eamq; Columnēſibus prodere:qua occupata,& pontificem & Vrſinos ab vrbe pelleret.De Maſio ſacerdotio abrogato,quod degradare appellant,ſumptum ſupplicium eſt in cāpo Flo-

ræ,eiusq́; corpus quadrifariam ſub furca diuiſum,ad quatuor vrbis celeberrimas
vias ſuſpenſum eſt,de archiepiſcopo Beneuētano nulla mētione habita. At verò
cum Eugenius in ægritudinem quandā incidiſſet,vel dolore animi, quo in tātis
perturbationibus afflictabatur;vel veneno,quo appetitū à Soldano ſuo quidā di
cebant,agere de pace cū Columnenſibus cœpit,curante eā rem Angeloto Fuſco
ciue Romano,quem nō ita multò pòſt vnà cum Frāciſco Condelmerio nepote
ſuo,Cardinalē creauit.Diuulgata itaq; pace quanta maxima celeritate potuit, ꝙ
iam ingreſſum Italiam Sigiſmundū intellexerat,Romā venturum,nepotē Fran
ciſcum camerarium inſtituit:huicq́; viros quoſdam pręſtantes addidit,quorū cō
ſilijs vteretur in gubernanda eccleſiaſtica ditione.Dum hęc autem Romæ agerē
tur,Florētini & Veneti elatiores facti, quod & Philippum Genuæ dominū claſ-
ſe in littore Genuēſi ſuperaſſent, quodq́; Eugenium ciuem pōtificem haberent,
Philippum ipſum bello terreſtri aggrediuntur:qui accito properè ex Etruria Ni-
colao Picēnino,& claſſem Venetam ad Cremonam deſiecit:& Carmignolę im-
petus facilimè retardauit,quē Veneti haud ita multò pòſt quæſtionibus litteris,
teſtibus condictum, vt ipſi dicunt,capite mulctarunt:quod per eum ſtetiſſet,quò
minus Cremona potirentur,capta à Gaualcaboue ipſius vrbis porta: quodq́; etiā
claſſis ſub ipſius oculis deſiecta ab hoſtibus fuiſſet,cum ex propinquo loco à tāto
exercitu id fieri perfacilè potuiſſet. Tum verò Florētini aduentū imperatoris in
Italiā veriti,quò Philippi rebus fauere videretur,Nerio Capponio ciui ſuo nego
tium dant,vt quibus rationibus maximè poteſt, Eugenio oſtēdat & perſuadeat,
aduentum Imperatoris ad vrbē,nō minus apoſtolicæ ſedi,quàm Florentinis exi-
tium ac perniciem minari,deſtineri hoſtem facilimè poſſe, quò minus Arnū ad
Senenſes tranſeat,qui Florentinos iampridē bello laceſsierant,ſi Nicolao Tollē
tinas,qui tū pontificis nomine ſtipendia faciebat, coniunctis copijs & animis cū
Micheleto Cotignola Florētinarum copiarum duce,ad Arnum Sigiſmundū co
erceat,ne flumen cum Germano equitatu traijciat. Venerat in eādem ſententiā
perfacilè Eugenius:& cum de impenſa bellica aliquātulum addubitaretur, rem
Nerius ita ſtatim partitus eſt,vt duobus millibus equitū Eugenij,populus Florē-
tinus tādiu ſtipendia pręberet,quò ad bellū illud protraheretur. Tū verò Nicola
us Tollentinas iuſſu pontificis ex hybernis mouēs,dum Senenſes incurſionibus
& rapinis vexat:Sigiſmundo traijciendi Arnū tempus & facultatem dat,adiuuā-
te Antonio Pontadera egregio tum copiarum duce, & acerrimo Florentinorū
hoſte:qui deinde per Vollaterranum iter faciens,pacato magis ꝗ̃ hoſtili agmine
ab omnibus expectatus proficiſcitur. At imperator cum iam ſex menſibus Senis
ſubſtitiſſet,cum magna populi Senenſis impenſa,tentatam fruſtra cum Florēti-
nis pacem omittens,ad Eugenium conuerſus,inito cum eo fœdere Romā profe
ctus,perbenignè à pontifice populoq́; Romano ſuſceptus,corona imperij dona-
tur. Verum dum è Vaticano vbi coronam acceperat,ad Lateranum vbi diuerte-
bat proficiſcitur,in ponte Hadriani, vt imperatorum mos eſt,multos tū Italos,
tum Germanos in equeſtrem ordinem aſciuit. Sunt qui ſcribant,Eugeniū homi
nem vſq; ad pontem comitatum,ad ſanctum Petrum redijſſe. Abiens deinde cū
bona Eugenij gratia, imperator per Picentes & Flaminiam iter faciens, Ferrariā
atq; Mantuam peruenit. Vbi aliquot dies immoratus,& Ioannem Frāciſcū Man
tuæ dominum marchionali dignitate additis imperij ſignis ornauit,& Barbarā
Ioannis marchionis Brandiburgenſis filiam,Ludouico Ioānis Frāciſci filio ſpo-
pōdit in vxorem,quæ nuptiæ honeſtare familiam Gonziacam ſunt viſæ: & ꝙ Si-
giſmundo imperatori puella affinitate coniūcta erat, & ꝙ pater Ioānes poteſtatē
ineundi ſuffragia ad creandum imperatorem habebat. Abeunte aūt ab Italia Im
peratore,cū iam omnia bello feruerent, Nicolaus Eſtenſis Ferrarienſis marchio
hortante Philippo Venetias profectus,Venetos ad pacem multis rationibus ad-
hortatus eſt,qui & hominis auctoritate permoti,& quod etiam nimia belli impē
ſa exhauſti priuatim ac publicè eſſent,legatos Ferrariā cum Nicolao mittūt, vbi
Calendis Aprilis,anno trigeſimotertio ſupra quadringēteſimum & milleſimū
veniente in eandem ſententiam Eugenio,pax his conditionibus conpoſita eſt,vt
Philippus Glarea Abduę, id ei loco nomē eſt,decederet,vtq́; marchioni Mōtisfer
rati



rati & Olando Pallauicino dominatum redderet: vtrunq; enim ditione pater-
na ſpoliauerat. Florentinorum,Lucenſium,Senenſiúmue, quæ bello capta fu-
iſſent, ad priſtinos dominos reciderent, communi omnium hoſte habito,qui
infra trigeſimum diem capta non reddidiſſet. Pace autem hoc modo vbiq; par-
ta,quietura aliquandiu omnia videbantur,cum ſubito omnis belli vis in Euge
nium conuerſa eſt. Nam Philippus nouarum rerum cupidus, & Franciſcū Sfor-
tiam cum magnis copijs in Flaminiam miſit,hominem iturum in Apuliam ſi-
mulans,quam Alphonſus bello vexabat,defenſurum ea oppida,quæ pater Sfor-
tia eo loci adeptus erat. Qui quidem paratiſsimis copijs per Picentes & Vmbros
iter faciens,oppida illa ex improuiſo adortus,breui in poteſtatem ſuam redegit.
Non hoc contentus Philippus,Nicolaum Fortebrachium,virū ingenio, & ma-
nu promptū,cum delecto equitatu adeo celeriter in Eugeniū miſit,vt prius pro-
pè & pontem Miluium & portā Flaminiam occupauerit,quàm aduentare hoſtē
ſit cognitum. Militauerat prius ſub Eugenio Nicolaus,& eius nomine præfectū
Vici Vetralla & ciuitate veteri ſpoliauerat,adiuuantibus Venetorū triremibus,
quæ mari arcem continuò oppugnabant. Verùm cum poſtea Nicolaus ſtipendia
ſua peteret,reſpondit Eugenius,tantum prædæ ex caſtellis præfecti eum auexiſſe;
maximè verò ex direpto Vico,vt ei pro ſtipendio ſat eſſe poſſent. Quam ob rem
indignatus Nicolaus,agrum Romanum ingreſſus,tantum tumultus cōcitauit,
ingenti præda tum hominū,tum pecorū abacta, vt Eugenius aliquandiu incer-
tus remanſerit,quorſum iret. Concurrebant Romani ciues ad Eugenium,quæ-
ſtum de illatis iniurijs,quos pontifex eo potiſsimum tēpore cōcilij expers & bo-
næ valetudinis,ad Franciſcum camerariū remittebat, qui ocio & voluptatibus
deditus,nil aliud reſpondebat, cum crebræ de ablatis pecoribus quærelæ fierent,
eos nimiam ſpem in pecoribus collocaſſe: Venetos quidem ſine gregibus & iu-
mentis longè vrbaniorē vitam ducere. Indignati huiuſcemodi reſponſi Roma-
ni,cū iam Nicolaus & Tibur,pulſo inde comite Taliacocij, & Sublacenſe oppi-
dū cepiſſet,traxiſſetq́; in partes ſuas Columnenſes oēs,interfecto à principe Ste-
phano Columna,qui ſemper diuerſa ſentiebat,ad libertatem reſpicientes, ſub-
lato clamore ad arma & libertatē conclamatū, pulſis omnibus Eugenij magi-
ſtratibus,ac capto Franciſco camerario,nouos ipſi magiſtratus creant. Septē fue-
re è ciuibus Romanis,quos ipſi gubernatores appellabant,penes quos vitę ac ne-
cis hominum ſumma poteſtas erat. At verò Eugenius in tanta rerū perturbatio-
ne incertus,quid potiſsimum faceret,de fuga cogitare cœpit. Mutato itaq; habi-
tu,ſumptoq́; monaſtico cucullo, vnà cū Arſenio monacho nauiculam ingreſ-
ſus,Tiberi Oſtia vehebatur,cùm ſubito Romani quidā cognita hominis fuga,
eū lapidibus,ſagittisq́; inceſſunt. Diſtinere enim hominē tandiu cupiebāt, quo-
ad arce ſancti Angeli potirentur. Abeunte autem Eugenio Iulij, eodemq́; Piſas,
ac deinde Florentiam triremibus ad id paratis delato,Romani ad oppugnādam
arcem ſeſe accingunt,vallo & aggeribus omnia loca munientes,quæ dare acceſ-
ſum hoſtibus poſſent. Contrà aūt qui in arce erant,prodire in certamen nōnun-
quam conſueuerant. At verò præfectus artibus agendū cum Romanis ratus, ad-
iuuante Baldeſare Aufida viro ſagaciſsimo, qui inferiorē arcis partē tuebatur,
vni ex militibus ſuis in certamē prodeuntibꝰ negociū dat vt captus de induſtria
ab hoſte, Caſtellani ſæuitiam & auaritia criminetur, polliceaturq́; eis, ſi velint
pactā mercedē præſtare,& mortē præfecti,& arcis proditionē. Fecit ille mandata
diligenter. Captus, nullo nō genere maleficij in Antoniū Ridium cōiecto (ita
enim arcis præfectus vocabatur) fidem dat ſe cum ſocijs omnia tranſacturū. Di-
miſſus itaq;, arcē ingreditur, veſtes Antonij ac caligas, addita etiam capitis for-
ma, ſuſpendit: à longè idem videbatur. Clamabat Baldeſar de ſcelerato ſumptū
eſſe ſupplicium, ingrederentur aliquot ex optimatibus, & enumerata pecunia
iam pacta,arcē reciperent. Credidere miſeri nullam ſubeſſe fraudē,ingreſsi ali-
quot,ſtatim capiuntur. Fit clamor exultantium in arce,conijciuntur in populū
Romanum miſsibilia,bombardæq́;. Deriſi autem hoc modo Romani, de redi-
mendis captiuis cogitantes,& camerarium Eugenij nepotem,quem in vinculis
habebāt,dimittūt,ſuos,qui in arce erāt,recepturi:& demū in Eugenij poteſtatem
veni-

veniunt,quinto poſt libertatem adeptam menſe. Creati itaque magiſtratus ec-
cleſiæ nomine, ſtatim Capitolium firmo præſidio & commeatibus muniunt.
Superueniente deinde Ioanne Viteleſco,quem patriarcham vocabant, abeunte
ad Eugenium Franciſco nepote, tantus repentè terror Romanis incuſſus eſt, vt
hiſcere præ metu non auderent. Erat enim Viteleſcus homo imperioſus & ſæ-
uus,& tyrannicam magis quàm religioſam vitam præ ſe ferens.

Agebantur hæc Romæ, cum Alphonſus interim Neapolim & Caietam op-
pugnat,à mercatoribus Genuenſibus acriter defenſam.Succurrendum itaq; ſuis
Genuenſes rati,claſſem quanta maximè celeritate poſſunt, inſtruunt, Philippo
Vicecomite eorum duce annuente,ac pedites aliquot præbente. Facti non lon-
gè à Caieta hoſti Alphonſo obuiam, cum eo confligunt. Poſt longam & acrem
pugnam ſuperatur Alphonſus rex, & capitur vnà cum ſuis omnibus,quorũ de
numero aliquot principes fuere. Perducitur Mediolanum ad Philippum Al-
phonſus, ſuſcipiturq́; non vt captiuus & Genuenſium hoſtis, ſed vt rex & ami-
cus.Habitus autem honorificentiſsimè per aliquot dies,multisq́; & magnis mu-
neribus à Philippo donatus,in regnum abiens,Caieta ſtatim potitur.Tum verò
Genuenſes indignabundi quòd Alphonſum hoſtem, quem tanto cum pericu-
lo captum,tam leuiter dimiſiſſet, Thoma Fregoſo auctore, à Philippo deſciuê-
re,eundemq́; Thomam ducem crearunt. Tum verò Picenninus in Genuenſes
miſſus,cùm ciuium pertinaciam cognouiſſet,capta Sarzana,in Piſanos mouẽs,
ſimulata in regnum profectione iuuandi Alphonſi gratia,multa ex Piſanis ca-
ſtella diripuit.Hominis tamen impetus retardarunt Florentini,accerſito Euge-
nij nutu Franciſco Sfortia,qui iam Picenum occupauerat,quærebatq́; adiuuan-
tibus Florentinis & Venetis,vt marchiæ dominus decerneretur. Facturum ſe id
recuſabat Eugenius, quòd diceret põtificis eſſe redimere etiã bello, ſi oporteret,
eccleſiaſticas res,non alienare.Dilata tum res in aliud tempus eſt: atq; hac ſpe du
ctus Franciſcus,& Picenninũ ab obſidione Bargæ repulit,capto Ludouico Gon-
zaga,qui cum Picennino militabat: & Lucam Florẽtinorum nomine, acri ob-
ſidione cinxit.Sed Picenninus Lucẽſibus auxilio futurus,trãſitu Apennini pro-
hibitus,liberaturum ſe alia ratione Lucenſes prædicans,per Bononienſem agrũ
ſine vllo maleficio iter faciens,vbi Oriolum Florentinorũ oppidum expugnaſ-
ſet,Lucenſium memor, cũ exercitu victore eò profectus ſuperatis Florẽtinis ab-
ſente Franciſco Sfortia,Lucam obſidione liberat. Tum verò pontifex ancipiti
cura diſtractus, & quòd bellis vndiq; premeretur,& quòd Baſileenſe concilium,
iam antè inchoatum Martini decreto,augeri indies cerneret, cõcurrentibus eò
Hiſpaniæ,Galliæ,Germaniæ,Pannoniæq́; principibus,qui cõmunem reip.Chri
ſtianæ cauſam in arbitrio concilij reponebant: ad tollendum cõcilium verſus,
illud primo quidem ex Baſilea Bononiam tranſtulit,cardinalium omniũ, qui
ſecum aderant,conſenſu.Sed imperator alijq́; principes & prælati,qui tum Baſi-
leæ erant,non modo pontifici non obtemperarunt, verùm etiam eum bis terq́;
monuerunt, vt Baſileam idoneam à Martino celebrandi concilij locum dele-
ctũ,vnà cum cardinalibus proficiſceretur,aliter ſe in eum acturos vt in præuari-
catorem & contumacem.Motus iſtorũ verbis Eugenius, Baſileenſe concilium
literis etiam apoſtolicis confirmauit, facta vnicuiq; eundi ad cõcilium poteſta-
te.Adeo enim bellis vndequaq; vexabatur,vt vix ei reſpirandi facultas daretur.
Verùm recuperata vrbe Roma,vt diximus,eò ſtatim Ioannes Viteleſcus ab Eu-
genio mittitur,homo quidem ad res agẽdas aptiſſimus,ſed natura ſæuiſsimus &
immitis: qui in Columnẽſes & Sabellos totamq́; Gibellinam factionẽ ducẽs, &
caſtellum Gandulphum ad lacum Albanum poſitũ, & Sabellum & Borgetum
in Latio de Sabellis diripuit & euertit. Albam, ciuitatẽ Lanuuianam, Præneſte,
& Zagarolũ cepit,incolis omnibus,qui ſuperſtites fuere, Romã migrare iuſsis.
In Hernicos deinde conuerſus, quam nũc Campaniam vocant,oẽs in ditionem
eccleſiæ redegit.Captum Antonium Pontaderam hoſtẽ eccleſiæ, apud Fruſino-
nem ad oliuam turpi laqueo ſuſpendit. Reuerſus deinde Romam trepidãtibus
omnibus,& domos quorundam coniuratorum, qui portã Næuiam,quã maio-
rẽ vocant,cõcitato in vrbe tumultu ceperant,diruit: eosq́; hoſtes eccleſię dijudi-
cat.



cat.Ex his autem captum Pulcellum,& forcipibus ignitis in curru excruciatum,
in Campo Floræ ſuſpendit.Verùm conquerente populo Romano,quod diuitũ
quorundam auaritia,charitate annonæ laboraretur,tantum repentè tritici ſuo
iuſſu in forum delatum eſt,vt à magna charitate ad ſummam copiam breui ſit
ventum: adeo omnes eius imperia obſeruant. Pacatis hoc modo rebus, in re-
gnum Neapolitanũ conuerſus,quod paulò antè Alphonſus occupauerat,quod-
que ipſe dicebat ad eccleſiam & pontificem pertinere, principem Tarentinum
cum duobus millibus equitum cepit,comitis Nolani ditionem occupauit. Pau
lùm etiã abfuit quin Alphonſum caperet fraude potius,vt aiunt, quàm vi, cum
induciæ inter eos eſſent, & pax propè certa. Acceptis, quæ ad eccleſiam pertine-
bant,oppidis,principem dimiſit.Rediens,ad vrbem,Præneſte ad rebellionẽ ſpe-
ctans, Laurentio Columna inſtante, funditus euertit, Præneſtinis populariter
migrare iuſsis,anno Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo quinto.
Quo quidem anno Eugenius Florẽtia abiens,conſecrata prius vel dedicata Flo-
rentinorum cathedrali eccleſia,Bononiam profectus, & arcem ædificat ad eam
portam,qua Ferrariam itur,& ædes in foro poſitas,vbi legatus nunc reſidet,mu-
ro præalto & lato à tergo potiſsimum & turribus firmat.Anno verò ſequẽti pu-
blico conſiſtorio Baſileenſe conciliũ,quod antè approbauerat,Ferrariam tranſ-
fert,quòd diceret Græcos cum eccleſia Romana in fide cõuenturos,eundẽ locũ
ſibi delegiſſe.Inſtabãt tum cõcilij Baſileenſis præſides,& precibus ac pollicitatio-
nibus Græcos adhortabãtur,vt omiſſo Eugenio ad ſe proficiſcerentur.Neq; hoc
contenti abrogaturos ſe Eugenium prædicabant,niſi ipſe quoque eò proficiſce-
retur.Subſtitit aliquandiu Eugenius animi dubius, quid potiſsimum decerne-
ret,miſſo tamen eò legato Ioanne Franciſco Capiteliſta iureconſulto, Patàui-
noq́; equite,qui eius cauſam tueretur.Verùm mortuo Sigiſmundo imperatore,
à quo Baſileenſe concilium incrementũ habuerat, creatoq́; ab electoribus im-
perij Alberto Auſtriæ duce, concilium Ferrarienſe Eugenij nomine cardinalis
ſanctæ crucis inchoauit.Eò proficiſcitur & Eugenius, quòd aduentare impera-
torem Conſtantinopolitanum Ioannem Palæologum intellexerat cum pleriſ-
que triremibus,tum ſuis, tum Venetorũ Eugenij gràtià obuiam miſsis, ne qua
vis imperatori fieret: quòd intellexerat cõcilij nomine triremes Gallicas in Io-
nium miſſas,quæ aut imperatorem ad ſe adducerent, aut ſi id fieri nõ poſſet, ſal-
tem hominem remorarentur,quò minus Ferrariam proficiſceretur.Harum ve
rò triremium præfectum ita largitionibus corrupit Eugenius,vt relicto cõcilio
partes ſuas deinceps ſecutus ſit.Imperator autem Ferrariam ingrediens,non ali-
ter ſuſceptus ab Eugenio eſt,ac Romani imperatores ſuſcipi conſueuêre. Vite-
leſcus verò ſedata eccleſiæ ditione, ſumptoq́; ſupplicio, de presbyteris quibuſ-
dam,qui lapides precioſos è capitibus Petri & Pauli apoſtolorũ furtim ſubtraxe-
rant in baſilica Lateranẽſi,in qua quidem ſacerdotes erant,interfectoq́; cum ſo-
cijs Iacobo Galeſio,qui res nouas moliebãtur,Ferrariam proficiſcitur, ac publi-
co conſiſtorio cum magna laude in numerum cardinalium recipitur.Cardina-
lis nanque ſex menſes antea Bononiæ creatus fuerat,qui poſtea maiore cum au-
ctoritate rediens, & præfectum Vici Vetrallæ, & dominum Fulginatem tyran-
nide pulſum,in arce Suriana capitali ſupplicio affecit.Eugenius autem duas ec-
cleſias iam pridem diſsidentes,in vnum corpus redigere cupiẽs, M C C C C. tri-
geſimo octauo habita ingenti ſupplicatione,celebrataq́; ſpiritus ſancti Miſſa,cõ-
cilium vnà cum imperatore Græcorum & patriarcha Conſtantinopolitano in-
greſſus,ſedente imperatore condigna ſede,alijsq́; Græcis è regione põtificis, pri-
mo quæſitum eſt,vellént ne tam Latini,quàm Græci ex duabus eccleſijs iam pri-
dem diſsidentibus vnam fieri: Ad quam vocem omnes ſucclamarunt,placere &
velle,modo rationibus illa prius confutarentur,quæ tantæ diſcordiæ cauſa fue-
rãt.Diſputabatur quotidie ea de re ab his,qui tum à Græcis tum à Latinis delecti
ad tantam rem fuerant.Verùm cum peſtis Ferrariæ inoleuiſſet,eodemq́; in loco
non ſine magna incommoditate ſtaretur, Florentiam transferere conciliũ pla-
cuit.Eò itaq; vbi ventum eſt,ſtatim Picenninus Forum liuium, Imolam, Rauẽ-
nam,Bononiam occupat mãdato Philippi,cogitata Eugenij,qui Venetis & Flo-
rentinis

rentinis hoſtibus fauebat, diſturbare conatus. Præterea verò in Parmenſem agrũ reuerſus, comparato ingenti equitatu, Padum ratibus traijciens, & Caſale maius, & Platinam meum natale ſolum, & quicquid Veneti in Cremonenſi agro tenebant, breui recepit. Pulſo deinde ad Caluatonum Gattamelata Veneti exercitus duce, aſcitoq́; in ſocietatem belli principe Mantuano, Brixiam aliquot menſibus oppugnat, eam & ciuibus & Franciſco Barbaro viro doctiſsimè atque vrbis prætore, acriter defendentibus. Qua quidem omiſſa cum magno ſuorum incommodo, iniquo hyemis tempore ad occupanda caſtella circunquaque poſita conuerſus, ne commeatus ſubmitti in vrbem poſſent, Veronam vſq; & Vicetiam lõgè ac latè omnia populatus, Venetis nil reliqui fecit. Occupato & magna ex parte Mincio, Atheſi, Benaco, Sebunioq́; lacu, ne ſubuehi quicquam nauibus poſſet penuria laborantibus. Ex Atheſi tamen remulco naues quædam attractæ vſq; ad lacum, quem ſancti Andreæ accolæ vocant, ſenſim in Benacum à Peneda ad Torbolim demiſſæ & refectę, quia attractu & illiſione quaſſatæ erant, rem Venetam meliorem aliquantulum fecere. Verùm cum nihilominus Nicolaus Picenninus Veronenſes & Vicetinos vrgeret, Veneti de ſe actum putantes, niſi vnum aliquem egregium bello ducem mercede cõducerent, Iacobum Donatum ad Florentinos ſocios mittũt oratum, vt ſi reipublicæ Venetæ, ſi ſaluti & libertati Italiæ cõſultum velint, Franciſcũ Sfortiam properè cum omnibus copijs in Venetiam mittant, Philippi ac Mantuani armis penè oppreſſam. Tũ verò Florentini ſuo ac ſociorum periculo moti, Frãciſcum adhortãtur, vt arma pro Venetis ſumat, publica fide polliciti, ſe ei quę de Romana eccleſia tenebat oppida, id enim maximè petebat, conſtanter defenſuros. Extorſere præterea ab Eugenio literas apoſtolicas, quibus declarabat Franciſcum agri Piceni marchionẽ & dominum. His tamẽ verbis, accipiat, quod Petrus & Paulus ei malè vertant. Frãciſcus aũt cum ſuo equitatu ſecus Hadriæ littus in agrum Ferrarienſem deſcendens, traiecto ratibus Pado, auctoq́; in Patauinis exercitu (Nã & duodecim equitum peditum quinq; millia habuiſſe ſub ſignis dicitur) hoſti primo ad Suaue in agro Veronenſi fit obuiã: vbi aliquãdiu & acriter pugnatũ eſt, neutri inclinante victoria. Cedente deinde Picennino ob ægritudinem & paucitatem copiarũ, cum Franciſcus omnia de Vicetinis & Veronenſibus caſtella recepiſſet, Brixiam obſidione liberaturus, intercluſos alios aditus cernens, Atheſim traijcit ac in Tridentinum agrum mouens, ad Arcum oppidum oppugnaturus peruenit: nã comes Arci, Philippi partes ſequebatur. Venit & eò Picenninus, comitem loci defenſurus: verùm dum cupidius, vt eius mos erat, quàm cautius pugnat, à reliquo exercitu ſecluſus, magno accepto incõmodo, fuga ſalutẽ in ſubiectas valles petens, ab hoſte captus fuiſſet, niſi Carolus Gonzaga Ioannis Franciſci filius, ſeſe hoſtibus obijciens, hominẽ è tanto periculo liberaſſet: qui quidem abundãte poſtea multitudine, captus ilico eſt, & Veronam in carcerem ductus. Sunt qui ſcribant, Picenninum debilitatum altero latere propter accepta in prælijs vulnera, cum equo ad ſuos redire non poſſet, à Todeſchino ingentis magnitudinis ac roboris famulo humeris tãquam cadauer ſacco inuolutũ, ad ſuos etiam per caſtra hoſtium delatum. Dum hæc in Venetia agerentur, Philippus ægrè ferens Florentinos, adiuuante Eugenio atque adhortante, Franciſcum Sfortiam Venetis auxilio miſiſſe, cum his agit, qui in Baſileenſi concilio erant, vt Eugenium citarent. fecêre illi id quidem bis térue. Verùm cum id ex ſententia ei non cederet, eo dementiæ eos perpulit, vt abrogato Eugenio Amedeum Sabaudiæ ducem ſocerum ſuum, qui eremitanam vitam ad Ripaliam cum quibuſdã nobilibus ducebat, pontificem crearent, Felicemq́; appellarent. Hinc magnæ ſeditiones in eccleſia Dei exortæ ſunt, cũ Chriſtiana reſpublica trifariam diuiſa, aut Felicem, aut Eugenium ſequeretur, eſſentq́; qui neutrales vocarentur, quòd neutri obtẽperarent. Eugenius tamen haud animo concidit. nam habito ſæpius conuentu, diſcuſſaq́; Græcorum & Latinorum contentione, tandem eò ventũ eſt, vt Græci rationibus victi, faterẽtur & ſpiritum ſanctũ à patre filioq́; procedere, homuſionq́; eſſe, nõ à patre tãtum, vt ipſi credebãt, prouenire, vtq́; in azymo ſine fermento triticeo pane corpus Chriſti conſecraretur, ac purgatorij locũ eſſe crederent.



rent. Poſtremò verò, vt faterentur Romanum pontificem verum Chriſti vicarium, Petriq́; legitimum ſucceſſorem, primum in orbe locum tenere, cui & orientalis & occidentalis eccleſia meritò pareret. Abeuntibus autem Græcis re hoc modo compoſita, Armenij etiam cum fide noſtra cõuenere, ſublatis crebris diſputationibus eorum erroribus, promulgatiſq́; Eugenij literis ſuper ea re, quæ rationem concordiæ oſtenderent, cum inſcriptione, Datum in ſacroſancti œcumenici concilij Florentini, quòd in cathedrali eccleſia habitum eſt ſeſsione anno Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo nono, vigeſima ſecunda Nouembris die. Præterea verò vt partes ſuas augendo, Baſileenſe concilium infirmaret, eodem tempore conſiſtorio publico decem & octo cardinales creauit: quorum de numero fuere duo Græci, Rutenus & Nicenus, vt eorum auctoritate Græcorum natio in fide contineretur: quæ haud ita multò pòſt in antiquos mores recidit. Habere tamen ſe alios dixit, quorum nomina deinceps nunciaturus eſſet. Hi aũt fuere Petrus Barbo ex ſorore nepos, & Alouiſius Patauinus, quẽ deinceps patriarcham Aquileienſem & camerariũ fecit, trãslato ad Vicecancellariatum Franciſco Condelmerio. Interea verò dum illa, quæ ſcripſimus, ad ripam Tridenti agerentur, exiſtimarentq́; homines Picennium & Mantuanum principem accepto tãto incommodo ceſſuros, inde celeriter abeuntes, Veronã vrbem capiũt, per Citadellam ingreſsi, admotis ad muros ſcalis, nemine vigiliũ ſentiente, ſtridente maximè ea nocte aquilone vento, ad quem vitãdum ob immenſum frigus, relictis magna ex parte ſtationibus, cuſtodes ſeſe intra tabernacula receperant. Franciſcus autem Sfortia captam ab hoſtibus Veronam intelligens, eò properè omnes copias mouens, recuperandæ vrbis ſpem mente cõcepit, vbi vidit & caſtrum vetus & arcem ſancti Felicis in monte ſitam, adhuc in poteſtate Venetorum eſſe; qua quidem ſtructis aciebus, vrbem ingreſſus, hoſtes magno clamore inuadit. Fuerunt obuiam Philippi duces cũ paucis equitibus: nondum enim omnes eius copiæ ſuperuenerant. Pugnatur acriter in ea parte vrbis, quam inſulam vocant. Tãdem verò cum pauci à pluribus pellerentur, in pontem (quẽ accolæ nouum appellant) Picennini ac Mantuani principis milites ſeſe recipientes, vim hoſtium aliquandiu ſuſtinent. Ibi dũ ab equitibus (vt fit) manus conſeruntur, dumq́; plures paruo in loco conglobati reſiſtunt, pons ligneus, quo lapideus coniungi ac diſiungi pro arbitrio ſolet, nimio pondere preſſus concidit. Submerſi fermè oẽs qui è ponte in flumen ceciderant, feſsi diutina pugna & pondere armorum preſsi. Accurrens deinde ad pontem nauium Franciſcus, traductis copijs, Picenninum & Mantuanum fidem ciuium ſuſpectã habentes, penitus vrbe quatriduo poſt captam eandem, expulit. Tum verò Philippus animo concipiens diſtrahi Franciſcum à Venetis poſſe, ſi Florentinos bello vexaret, qui paribus auſpicijs atq; impenſa Franciſcũ mercede conduxerant, Picenninum media hyeme in Etruriam cum ſex millibus equitum mittit. Tum Florentini accerſito Petro iam Paulo egregio copiarum duce, rogatoq́; Eugenio, vt milites ex fœdere ad defendendam Etruriam acciret, ire obuiam Picennino inſtituerant. Verùm cognita Ioannis Vitelleſci cum Philippo coniuratione, qui tum exercitui eccleſiaſtico legatus præerat, cum nõ amicus vt præ ſe ferebat, ſed hoſtis in Etruriã ſex millibus equitum venturus eſſet, iunctiſq́; cum Picennino copijs Florẽtinos inimico & hoſtili animo perſecuturus, dant operam qui tum Florentiæ in magiſtratu erant, ſiue veris, ſiue fictis Eugenij literis, vt dum copias per pontẽ Hadriani traijcit, ab Antonio Rido arcis pręfecto interficeretur, quod etiam factũ eſt, neq; enim iuuari à ſuis potuit, qui iam pontem traiecerant: ipſe nanq; extremum agmen ſubſequebatur. Comes Auerſus, qui ſub patriarchá militabat, amiſſo duce, eius impedimẽta Roncilionem ſecum detulit. Liberati autem tanto timore Florentini, cum Eugenio callidè agũt, vt Ludouicus Patauinus in demortui Vitelleſci locũ ſuffectus, copijs eccleſiæ in vnum coactis, reipublicæ Florentinæ iret auxilio. Alouiſij enim vafri & aſtuti opera ſublatum è medio Vitelleſcũ crediderim. Picenninus aũt in Mugellanam vallẽ deſcendẽs, longè ac latè Feſulas vſq; cædibus & rapinis omnia cõplebat. in Caſſentinum deinde conuerſus, comite Popij adiuuante, multa oppida ad defectionem compulit:

Inde

Inde verò Peruſium proficiſcens, vrbem pacato agmine ingreſſus, legatum, qui tum ibi cum imperio erat, ad pontificem Eugenium cum mandatis quibuſdam mittit. Interim vero capto ærarij magiſtro, quē vulgo theſaurarium vocant, totum ciuitatis ſtatum repente mutauit. Delegit enim ciues decem, qui vitæ ac necis in reliquos omnes poteſtatem haberent. Veriti autē Peruſini ne tyrannidem occuparet, cū homine pepigere, vt acceptis quinquaginta millibus nummûm aureorum, ab vrbe diſcederet: qui accepta pecunia Cortonam mouens, vrbem, vt ipſe arbitrabatur, proditione occupaturus, patefacta coniuratione, ac proditoribus partim interfectis, partim ab vrbe pulſis Tifernum, quod ciuitatē caſtelli vocant, adijt. Mouent & Florentini Anglare ſuæ ditionis oppidum, ſuis auxilio futuri, ſi quid per vim moliri Picenninus conaretur.

Agebantur hæc in Etruria, cum Franciſcus Sfortia, ſuperata ad Benacum Philippi claſſe, cui Italianus Furlanus præerat, non ſolum Brixiam ac Bergomum obſidione liberat, verùm ea æſtate ſuperatis ad Soncinum Philippi ducibus, captisq; eiuſdem mille & quingentis equitibus, & Brixiana caſtella, & partem Cremonenſis Mantuaniq; agri ac totam Gerram Abduæ in Venetorum poteſtatem breui redigit. Amiſit tum Mantuanus princeps Aſolam, Lonatum, Piſcheriam, tria oppida ſatis magna ac munita, nemine defendēte: nam abſente Picennino, congredi cum hoſte aperto Marte nuſquam auſus eſt. Tum verò Picenninus commutatam in Venetia fortunā intelligens, ob eamq; rem frequentibus nuncijs & literis accitus, tum à Philippo, tum à Mantuano principe; fatigatusq; militum precibus, qui magna ex parte Ciſalpini erant, motis à Tiferno caſtris ad Burgum ſuæ ditionis oppidum, quòd è regione Anglarij poſitum eſt, peruenit; ea mente, vt vel vi vel aſtu cum Florentinorum pōtificisq; exercitu decerneret, qui (vt diximus) ad Anglare conſederant. Ad tertium itaq; calendas Iulias, dies is Petri & Pauli celebris erat, Picenninus ſtructis aciebus emenſus planitiem quatuor millium paſſuum, prælium iniquo loco commiſit, ratus occaſionē bene gerendæ rei ſibi oblatam eſſe, quòd gregarios hoſtium pabulatum profectos intellexerat. Subeundum erat ei in aduerſum cliuum, quē facilè è ſuperiore loco hoſtes propellebant. Dimicatum eſt tamen ad quinq; horas conſtāter: tandē verò Picenninus à multitudine hoſtium & ſtultitia Franciſci filij, qui à ſtatione diſceſſerat, ſuperatus, Burgum repetit, magno accepto incommodo, amiſsisq; ſignis militaribus. Sequēti autem die, relicto Burgo in poteſtate oppidanorum, cum his tantum, qui ex prælio ſupererant, iter per Flaminiam faciens, ad Philippum redijt. Oppidani Burgēſes veriti ne in eos aſperius animaduerteretur, quòd à pontifice deſciuiſſent, impetrata per oratores venia, & corporū ac rerū omniū incolumitate, ſeſe legato dedidere. Gratiſsima ea victoria tū Eugenio, tū Florētinis fuit. Ferunt Alouiſiū Patauinū ob eam victoriam in numerum cardinaliū tum relatum fuiſſe. Eadem quoque æſtate Florentini, comitem Popij, qui cum Picennino ſenſerat, Etruria pellunt. Philippus autem tot cladibus circumuentus, ad externa auxilia reſpiciens, Alphonſum Neapolitano regno tum potitū rogat vt quæ Sfortiani in regno oppida tenerent, bello vexaret, quò Franciſcus Sfortia à Venetis diſtraheretur. Hac itaq; in re Philippo morem gerens Alphonſus, Franciſcum tamen à bello inito reuocare nunquam potuit. Is enim vbi primum pabuli copia eſſe cœpit, cum equitum quindecim millibus, peditum ſex, Piſcheria Brixiam mouens, apud Cignanum vicum Picennino fit obuiam hoc animo, vt hoſti pugnandi copiā faceret. Non detrectauit certamen Picenninus, etſi numero copiarum inferior erat, ſuorū virtute fretus. Pugnatum eſt aliquādiu, atq; acriter, incerta tamen victoria vtrinq; diſceſſum eſt. Tum verò Franciſcus ſatis ſibi factum ad belli famam exiſtimans, quòd vltro hoſtem ad certamen prouocaſſet, exercitum circunferēs, quædam oppida per hyemem à Picennino capta, in poteſtatē Venetorum redigit. Martinengum deinde profectus, quod Picenninus firmo præſidio munierat, oppidum obſidione cingit & oppugnat. Verum Picenninus aucto exercitu aduentu Franciſci filij & principis Mantuani, eò proficiſcens, mille paſsibus longè ab hoſte caſtra locans, eum frequentibus prælijs ad vniuerſæ rei dimicationem prouocat: qui remiſſo priore manū cum hoſte





ſte conferendi ardore, ad expugnandum oppidum totus ferebatur. At verò cum Picenninus caſtra ſua hoſtiū caſtris magis in dies conferens, eo diſcriminis Franciſcum redegiſſet, vt neq; eius gregarius miles ire pabulatum ſine periculo, neq; commeatus ſubmitti tutò, neq; inde exercitus abduci ſine magno diſcrimine poſſet: præter omnium ſpem pax ſubito enunciata eſt, iam antea occultè agitata inter Philippum & Franciſcum, Euſebiolo quodam cognomēto Chaim, vltro citroq; commeante, ignaro Picennino: qui tanta re percepta, Deos hominesq; accuſabat, præcipuè verò Philippi incōſtantiam, qui victor, pro victo pacem peteret. Digredientibus autem inde exercitibus, ad Caprianam pax hoc modo cōpoſita eſt, milleſimo quadringenteſimo quadrageſimoſecundo, vt Franciſcus Blancha Philippi ducis filia in vxorem ducta, Pontremolum & Cremonem dotem cum agro Cremonenſi acciperet, præter Picigitonū, & ea caſtella, quæ Mantuanus & Pallauicinus de Cremonenſibus poſsideret: vtq; illa præterea, quæ Philippus & qui cum Philippo ſentiebāt, bello cepiſſent, quæq; item Veneti, eorūq; ſocij, præter Aſolam, Lonatum, Piſcheriam, quæ Mātuani principis ante id bellum fuerant, redderentur: vtq; qui huic ſententiæ ſtare noluiſſet, cōmunis omnium hoſtis haberetur. Hanc verò pacis conditionem ægrè admodum Eugenius ferens, quòd Franciſcus cæteris ſocijs ſe poſthabito, de amiſsis reſtituendis cauiſſet, exiſtimationemq; ſuam nō reddita Bononia, quam Picenninus occupauerat, contemſiſſet, abire Florentia Romam inſtituit, eoq; in loco, vtpote liberiore de recuperanda eccleſiæ ditione cogitare. Verùm vt omnia pacata inueniret, Alouiſium Patauinum ſancti Laurentij in Damaſo presbyterum cardinalem præmiſit, qui & canonicos regulares pulſis ſecularibus in eccleſiam Lateranenſem remiſit. Pulſi enim à presbyteris ſecularibus fuerant, dum contenditur vtri Chriſti corpus ferrent in celebritate eiuſdem, dum letaniæ fiūt ac ſupplicationes. Et de Gino Albaneſio viro in re militari præſtanti ſumptum ſuppliciū, quia per eum nō ſtetiſſet, quo minus pax inter Alphonſum & Eugeniū inita turbaretur. Afficitur & capitali pœna Paulus de Lamolara, vir præſtantis animi inuictiq; roboris, cuius virtus homini magis aſtuto quàm forti ſuſpecta erat. Rebus aūt hoc modo compoſitis, Eugenius Florentinis quouis modo fruſtra eum retinere annixis, Romā veniens anno MCCCCXLIII. xxviij. Septembris, effuſa obuiā vrbana multitudine, nullo nō genere honoris adhibito, ad portam Flaminiam noctu diuertit. Sequenti verò die ad ſanctum Petrum iturus, paratis de more ſupplicationibus, pontificio habitu per vrbē incedens, tumultuantem populum intelligit ob duplicatum tributū vectigalq; nouum vino impoſitū. Hanc ob rem facto ſilentio, audientibus omnibus exactionē illam vt minus liberalem ſuſtulit. quo facto, ſtatim ſucclamatum ab omnibus eſt: Viuat Eugenius, cū antea clamaſſent, Moriantur noua vectigalia eorūq; inuentores. Poſt dies verò decem & nouem ad Lateranum proficiſcens, cōcilium generale eo loci ſe habiturum omnibus denunciat, miſsis ad principes literis & nuncijs, quibus eā de re certiores fierent. Hac enim ratione infirmari ac tolli omnino conciliū Baſileenſe ſe volebat. Rebus aūt hoc modo Romæ cōpoſitis, iniuriarum memor Picenninum belli ducem in Picentes, quos Franciſcus bello ſubegerat, acciuit, qui Bononia abiens, dum Peruſium proficiſcitur, Tifernates Florentini populi ſocios ad defectionē compulit, Eugenio rem gratam facturus Florētinis infenſo, quòd Franciſcum pecunia ad oppugnandū retinendumq; Picenū ſemper iuuiſſent. Alphonſus item, qui ſuperiore anno Neapolim iam diu obſeſſam, per cloacā ingreſſus, pulſo inde Renato ceperat, Picennini virtute ac fama permotus, hominē non ducē ſolum, quē exercitui ſuo præficeret, deligit, verùm etiam honoris gratia eū in adoptionē familiæ Aragonenſis recipit, qui ſtatim acceptis ab Eugenio & Alphonſo in ſumptus belli pecunijs, Picentes ingreſſus, multa oppida fruſtra retinente Franciſco Sfortia, qui relicta Cremona cū firmo præſidio eò profectus fuerat, in deditionē eccleſiæ redigit. Eodē fere tēpore mortuo Ioanne Franciſco Gonzaga, Veneti & Florentini de futuro ſoliciti, Ludouicū Gonzagam Ioannis Franciſci hæredē & filium, quē Philippo ſi oporteret, obijciant, mercede cōducunt. Quieſcentibus aūt in Ciſalpina rebus, Hannibal Bentiuolus

lius in arce Peregrini oppidi, iubente Picennino ob ſuſpicionem coniurationis aliquandiu aſſeruatus,deceptis cuſtodibus Bononiam rediens,conuocato ad libertatem populo, Franciſcum Picenninum vrbis præfectum cum præſidio cōprehendit,quo facto,exules omnes,tum ſuæ,tum aduerſæ factionis,maximè verò Baptiſtam Cannedolum in patriam euocat.Miſsi deinde ſunt à Bononienſibus ad Venetos & Florētinos legati,ſocietatem & amicitiam petentes. Qua quidem impetrata,domum redeuntes,arcem,quæ adhuc in poteſtate hoſtium erat, cum ſociorum copijs ad id miſsis capiunt, ac captam ſtatim diripiunt, Alouiſiumq́; Vermem ex agro Bononienſi fugant.Tum verò Philippus ægrè ferens,Bononienſes cum Venetis ac Florentinis ſentire,amicos quoſdam Baptiſtæ ſubornat,auxilum eis pollicitus,vt Hannibalem è medio tollant, quò principes ipſi cum ſua factione in ciuitate remaneāt.Tum Betotius Cannedolus fraudi ac ſceleri intentus, Bononienſem quendā ſubornat: cui cùm caſu filius natus erat, vt Hannibalem in baptiſmate pueri cōpatrem ſibi deligat,quo exorato dat operā, vt ſequenti die infans ad ſacerdotē deferatur. Baptizato puero, Hannibalem pater ad ædem ſancti Ioannis Baptiſtæ,cuius tum ſolenne erat,inuitat. Obtemperat etiam ea in re proditori Hannibal, nullam fraudem ſubeſſe ratus,qui dum in via eſſet,à coniuratis circumuentus occiditur, reſiſtentibus aliquandiu duobus famulis charitate Domini vim propulſare conantibus.At Bononienſis populus indignitate rei motus,ſumptis properè armis Cannedolæ factionis principes obtruncat: maximè vero Baptiſtam, cuius cadauer & per vrbem tractū,& cum magna ignominia ſepultum eſt.Accidit & tum Romæ ſcelus ingens, à ſuo enim cubiculario Angelotus ſancti Marci presbyter cardinalis, & vita & fortunis,quas tanta cum auiditate aggregauerat,priuatur.Captus ſceleratus ille,ac varijs cruciatibus necatus,quadrifariam diuiditur ad quatuorq́; vrbis portas ſuſpēditur.Veneti aūt & Florentini veriti ne Bononia vtriq; ciuitati in rebus bellicis peroportuna, in manus Philippi veniret, eò ſtatim cohortes aliquot mittunt, quæ ſocios Bononienſes iuuarent.Non fefellerat hæc opinio Venetos:eò enim Philippus rogantibus exulibus mittere Picenninū cum exercitu inſtituerat, ni hominem mors præripuiſſet.Mortuum ferunt dolore animi, cum intellexiſſet Franciſcum filium, quē in Piceno cum exercitu reliquerat, cardinali Firmano legato,à Franciſco Sfortia ſuperatum.Sequenti tamē anno Philippus haud animo concidens,Eugeniū ad repetendam bello Bononiam adhortatur, militē ac impenſæ partem pollicitus.Quare permotus pontifex, inito etiam cū Alphonſo fœdere,Sigiſmundū Malateſtā cum magno equitatu in Picentes cōtra Franciſcum mittit: quò facilius diſtractis Florentinorum copijs, Bononia premi ad deditionē poſſet.Præmiſerat iam Philippus & Guillelmum Mōtisferratum, & Carolum Gonzagam cum magnis copijs, qui agrum Bononienſem hoſtiliter ingreſsi,incurſionibus lōgè ac latè omnia vexabāt. Moti verò ſociorū periculo Florentini,Aſtorgium Fauentinum cum equitibus mille & quingentis, cumq́; peditibus ducentis mittunt,qui Bononienſibus auxilio ſit,donec aliud à Venetis & Florentinis decerneretur. Augebātur hæc in Flaminia,cum Philippus præter opinionem omnium Franciſcum Picenninum ex Picenis accitum,cum magno exercitu calendis Maij in Cremonenſes nil tale metuentes mittit:qui captis paſsim ruſticis,tantum terroris vrbem die noctuq́; oppugnādo ciuibus iniecit, vt paulum à capienda vrbe abfuerit.Moti tum Veneti ac Florentini Franciſci ac cōmuni periculo, Cremonam & Bononiam eodem tempore tueri inſtituunt. Mittunt itaq; Tibertum Brādolinum ducem impigerrimum,qui cum populo Bononienſi,cumq́; his quos Florentini auxilio miſerant, in hoſtes tendens, ſimultate & odio inter ſe certantes (ad ſanctum Ioannem oppidum hi conſederānt)pertracto in partes Bononiēſium pollicitationibus & præmijs Guillelmo Mōtisferrato, ac Carolo haud magno negocio fuſo & fugato,oppida omnia ex hoſtibus breui recepit.Pacata aūt hoc modo Bononia,auxiliares copiæ Venetorum ac Florentinorū mandato bifariam diuiſæ, pars Franciſco Sfortiæ, qui vſq; ad Vrbini mœnia ab Eugenio & Alphonſo vi pulſus fuerat, pars Cremonenſibus grauiter à Franciſco Picēnino præſsis auxilio miſſa. Veneti decernere aperto Mar-



to Marte cum Philippo inſtituentes, legatos, qui ei bellum indicant, mittunt, ni oppugnare Cremonam deſtiterit. Oratoribus per internuncios reſponſum (neq; enim alloqui hominem fas erat) eos alibi quàm Mediolani tutiores fore. Quo reſponſo commoti Veneti,Micheleto Cotignolæ copiarum ſuarum duci imperant,qui tum Brixiæ erat, vt in agrum Cremonēſem, quem Philippus magna ex parte occupauerat,confeſtim moueat,& cum hoſte vbicunq; eum nactus fuerit, decertat. Is autem mandata diligenter facturus, traiecto Olio, ad Caſale maius celeriter proficiſcitur,hoſtemq́; haud longè inſula Padi munitiſsimo loco confidentem, vado traijciens caſtris exuit,ac magnā vim equitum cepit. Recuperatis deinde oppidis omnibus,liberataq́; obſidione Cremona, aucto etiam Ludouici Gonzagæ copijs exercitu (qui Platinam & caſtella quædam agri Cremonenſis in deditionem Venetorū redegerat)in Gerram Abduæ mouentes,nil præter Cremam citra Abduam Philippo reliquere.Flumen deinde traijcientes, Mediolanum vſq; perueniunt,incendijs & rapinis omnia paſsim complentes; direpto aūt Briantiæ monte,Breuioq́; capto,qua ponte Abdua iungitur. Lecum Larij caput oppugnare adorti,acriter qui in præſidio erant, locum defendentibus,cum integri feſsis ac ſaucijs nauibus ſubmitti poſſent, multis in ea oppugnatione deſideratis,equisq́; ad extremam maciem inopia pabuli redactis,tādem re infecta abire,de Franciſco Sfortia ſoliciti, quem in partes Philippi deſcendere clam intellexerant.Interim verò Alouiſius Patauinus pōtificis legatus, qui his præerat copijs,quæ in Picentibus contra Franciſcum Sfortiam dimicabant, cognita Italiani ac Iacobi Gatuani,qui partim Philippi,partim Eugenij ſtipendijs militabant,ad Franciſcū tranſitione,eos antequam id fieret, ad Rocham cōtrariam cōprehendi iubet,& captos ſupplicio capitali affici. Vterq; enim mille & quingentis equitibus præerat.Hac aūt re permotus Franciſcus Sfortia cū amplius ſuſtinere hoſtes nō poſſet,quippe à multis ſimul oppugnatus,& à nemine adiutus,adhortante ad eam rem Eugenio & Alphonſo, qui rem Venetam augeri indignabātur,omiſſo Piceno, Philippi militiam ſecutus,eius copijs præficitur.

Interea verò Eugenius,ne rem bellicam ſolum curare videretur, Nicolaum Tollentinatem ordinis S.Auguſtini,miraculis clarum,in ſanctos referēs,à ſancto Petro cum omni clero ſupplicando,ad ſanctum Auguſtinum profectus, ſolennia ipſe celebrat,aſtante populo Romano,cardinaliūq́; omnium cœtu.Præterea verò pulſis omnino è ſancto Ioanne Laterano canonicis ſecularibus, admiſsisq́; tātummodo regularibus,& porticum illam extruxit,qua ab eccleſia ad Sancta ſanctorum:& clauſtrum,vbi ſacerdotes habitarent,reſtituit.Auxit & picturam templi à Martino antea inchoatā.prætereà verò ſancti Silueſtri mitram, Romam Auinione delatam ipſemet è Vaticano ad Lateranum detulit, magna cum veneratione & letania ſacerdotum omniū,populiq́; Romani.Verùm cum Alphonſus rex Tiburtum veniſſet, de ratione belli gerendi cum Eugenio collocuturus eius ægritudinem intelligens,aliquātulum ſubſtitit.Eugenio autem in animum venerat,Florentinos,qui hoſtem iuuerāt, bello perſequi. Exiſtimabat nanque, ſi ſuis, ſi regis, ſi Philippi copijs eos adoriretur, eam vrbem in quas vellet partes facilè adductum iri: verùm interuentu mortis diſturbata ſunt omnia.Moritur autem pontificatus ſui anno decimoſexto, VII. Calendas Martij, anno milleſimo quadringēteſimo quadrageſimoſexto, vir certè in vita varius. Principio enim pontificatus ſui malis conſilijs ductus, diuina humanaq́; omnia perturbauit. Nam & populum Romanum ad arma exciuit: & concilio Baſileenſi,vnde infinita mala orta ſunt,auctoritatem dedit,approbatis eorum per literas apoſtolicas decretis.Verùm poſtea ad ſeipſum rediens, omnia prudenter ac conſtantiſsimè egit, vir aſpectu inſignis & veneratione dignus, grauis in dicendo potius quàm eloquens, modicæ literaturæ, multæ cognitionis, hiſtoriæ præſertim.Liberalis in omnes,tum vel maximè in literatos,quorum familiaritate delectatus eſt.Nam Leonardum Aretinum,Carolum Poggium auriſpam, Trapezuntium,Blondum,viros doctiſsimos,ſecretis ſuis admiſit. Ad iram nō facilè mouebatur ob iniurias illatas,& maledicentiam hominum aūt minas & dicteria ſcribentium,Gymnaſia autem omnia quàm diligentiſsimè fouit,maxi-

mè verò Romanum ad quod omne genus literaturæ adhibuit. Religioſos mirum in modum dilexit, eosq́; opibus & immunitatibus auxit: bella autem ita amauit, quod mirum in pontifice videri debet, vt ad ea, quæ ſcripſimus ab eo in Italia geſta, & Delphinum Caroli regis Franciæ filium, compoſita prius inter regem & ducem Burgundiæ pace, cum magno equitatu in Baſileenſes concitauerit, cuius impetu diſsipatus ille cōuentus eſt, & Vladislaum Polonum regem cum Iuliano Cæſarino diacono cardinali in Turcos miſerit: quorum de numero ad xxx. millia vno prælio cæſa inter Hadrianopolim & Danubium ſunt, licet in tanta victoria rex ipſe cum cardinali ab hoſtibus interfectus ſit. Conſtans, præterea in pactis ſeruandis eſt habitus, niſi quid pollicitus fuiſſet, quod reuocare quàm perficere ſatius eſſet. Splēdidus in victu familiæ, parcus in ſuo: & à vino ita alienus, vt abſtemius meritò vocaretur. Familiares habuit admodum paucos, ſed viros doctos, & quorum opera in grauibus rebus vti poſſet: quosq́; tanquam ſuæ modeſtiæ teſtes in cubiculum cenaturus admittebat, ac ſciſcitabatur quid in vrbe fieret, quid de pontificatu ſuo ſentirent homines, vt errata ſua vel ſuorum, ſi quid perperam factum eſſet, emendaret. Exornare autem eccleſiam Dei ædificijs & ſacellis eſt annixus, vt ex capella pontificia & æneis ſancti Petri valuis apparet. Moritur autem (vt dixi) vir ingenio & rebus geſtis inſignis, ætatis ſuæ anno ſexageſimoquarto; ſepeliturque in baſilica ſancti Petri ſepulchro marmoreo, his verſibus notato.

*Eugenius iacet hic quartus, cor nobile cuius*
*Teſtantur vitæ ſplendida facta ſuæ.*
*Iſtius ante ſacros ſe præbuit alter ab ortu,*
*Alter ab occaſu Cæſar vterq; pedes:*
*Alter vt accipiat fidei documenta Latinæ.*
*Alter vt aurato cingat honore caput.*
*Quo duce & Armenij Graiorum exempla ſecuti,*
*Romanam agnorunt Aethiopesq́; fidem:*
*Inde Syri ac Arabes, mundiq́; è finibus Indi.*
*Magna, ſed hac animo cuncta minora ſuo.*
*Nam valida rurſum Teucros iam claſſe petebat:*
*Dum petit, aſt illum ſuſtulit atra dies.*
*Qui ſemper vanos tumuli contempſit honores:*
*Atq; hac impreſſa condite, dixit, humo.*
*Sed non quem rubro decorauerat ille galero,*
*Non hoc Franciſcus ſtirps ſua clara tulit:*
*Suſceptiq; memor meriti, tam nobile, quod nunc*
*Cernis tam præſtans ſurgere iuſsit opus.*

*Vacat tum ſedes diebus duodecim.*

*Ex Onuphrio.* D. GABRIEL Condelmerius, Angeli filius, Venetijs populari, antiqua tamen familia ortus, ex Canonico ſæculari Cæleſtini coloris Congregationis Sancti Georgij in Alga Venetiarum, Epiſcopus Senenſis, & Presbyter Cardinalis tt. S. Clemētis, à Gregorio XII. factus, Legationem Picenam ſub Martino V. integrè adminiſtravit. Quo mortuo, Romæ in Sacrario Ordinis Prædicatorum ad Minerve duodequinquageſimum annum agens, XIII. Cardinalium ſuffragijs, V. Nonas Martij, anno ∞ CDXXXI. Pontifex Maximus creatus, & V. Idus Martij ad S. Petrum coronatus, ſedit Imperatoribus Cæſaribus Sigiſmundo Lucenburgio, Alberto, & Friderico III. Auſtrijs, Auguſtis, annos XV. menſes XI. dies XXI. Fuit Eugenius IIII. varia fortuna, modò proſpera, modò adverſa conflictatus, bellis implicitus, ſeditionibus Eccleſiaſticis, & acerrimo ſchiſmate vexatus. Quæ omnia excelſo animo tulit, & ſuperavit. Pontificatus initio civilem ſeditionem à Columnēſibus paſſus, eorum conatus repreſſit. Sigiſmuudum Auguſtum in Baſilica Vaticana Imperatorio Diademate coronavit, Philippi Inſubrum Ducis vi, & inſidijs vexatus, & Roma tumultu populari exactus, Florentiam aufugit, brevi Iohannis Viteleſchi Cardinalis opera cuncta amiſſa recuperavit, rebelles domuit, Concilium ab ſe Baſileæ indictum revocavit, novam Synodum, ad quam Græci, Imperator, Patriarcha, & Epiſcopi convenerunt, Ferrariæ inſtituit, Florentiæ abſolvit, Armenorum & aliorum Orientalium Legatos audivit, ijs leges dedit. A Baſileenſibus Pontificatu privatus, diro ſchiſmate excitato, contra ſe Felicem IIII. nuncupatum V. creatum, paſſus eſt. Romæ poſt decennalem peregrinationem rediēs, Vrbem deformem, & ſua abſentia laceratam conſtituit, Tyrannis ditionem Eccleſiaſticam armis vexantibus fortiſsimè reſtitit. In Turcas mari claſſem, terra exercitum Legato Iuliano Cæſarino Cardinale miſit. Moritur tandem multis in diſcriminibus verſatus, anno ætatis LXIIII. Chriſti verò ∞ CCCCXLVII. VII. Kalend. Martij.



Martij. Quum Ordinationibus VI. habitis Cardinales viros egregios XXVII. creaſſet. Vacavit ſedes dies X. corpus in Baſilica S. Petri ante oſtium Sacrarij marmoreo tumulo conditum fuit.

## NICOLAVS V.

NIcolaus quintus, Thomas Sarzanus antea vocatus, à Sarzana oppido Lunenſis agri, pontifex omnium conſenſu creatur pridie nonas Martias, M. CCCCXVII. vir quidem modicis parētibus, vtpote matre Andreola, patre Barptolemæo phyſico natus: ſed virtute, doctrina, comitate, gratia, libertate, magnificentia tanto pōtificatu dignus, licet ipſe adeo modeſtus erat, vt tāto magiſtratu ſe indignum arbitraretur: rogaueritq́; cardinales omnes ſupplex etiam, vt eccleſiæ Dei maturius conſulerent. Verùm Tarentino cardinali eum adhortante, ne curſum ſancti ſpiritus impediret, collum tanto oneri ſubiecit. Interrogatus (vt fit) cardinalis Portugalenſis è conclaui prodiens, quem pōtificem creaſſent, reſpondit, non nos Nicolaum, ſed Deus pontificem deſignauit. Sunt autem qui ſcribant, Thomam Piſis natum, Lucæ educatum, Bononiæ literas & bonas artes didiciſſe; maximè verò philoſophiam & theologiam, adiutū beneficentia ſanctiſsimi viri Nicolai Albergati cardinalis ſanctę crucis, adoleſcentis ingenio delectati. Hanc ob rem in pontificatu hominis de ſe bene meriti nomen ſumpſit. Cùm verò magiſtri nomen in gymnaſio conſecutus eſſet, acerrimis diſputationibus probatus, Cardinalem ſanctæ Crucis ſequutus, familiæ tanti viri œconomus factus, in numero ſcriptorum pœnitentiariæ primo refertur; deinceps ſubdiaconatum pontificium adeptus, beneagendo vitamq́; ſine inuidia & æmulatione ducendo, maiora mente concepit. Iam enim Eugenius cognita hominis doctrina & integritate, in illis potiſsimum diſputationibus quæ cum Græcis Florentiæ & Ferrariæ ſunt habitæ, eum cardinalem deſtinauerat. Verùm vt id honeſtius fieri poſſet, hominem cum Ioanne Garuagialla, qui poſtea ſancti Angeli cardinalis eſt habitus, in Germaniam mittit ad tollendum Baſileenſe concilium neutralitatemq́;. Neutrales enim ideo Germani ſunt dicti, quòd neque Felicis, neque Eugenij dictis obtemperarent. Quas ob res eccleſia Dei multas & maximas calamitates incurrebat, cum imminutione maieſtatis pontificiæ. Hac autem de re pluribus in conuentibus apud Fredericum Romanorum regem eſſe diſceptatum, Aenea Picolhomineo, qui deinceps pontifex fuit, quique tum regis ſecretarius erat, ad tantam rem tamq́; neceſſariam longis orationibus oēs adhortāte. Difficile quidē erat remouere Germanos ab opinione ſua, falſa præſertim. Difficilè item videbatur perſuadere Eugenij oratoribus, vt poſtulatis Germanorū obtēperarent. Tandē verò delinita orationibus nimia oratorū ſeueritate, & caſtigatis Germanorū poſtulatis, ſchiſma & neutralitatē, rem quidem Romanæ ſedi pernicioſiſsimam ſuſtulerant, ſi ſtare promiſsis Germani voluiſſent. Redeuntes itaque ad Eugenium cum hac opinione legati, ſucclamantibus omnibus, cardinales decernuntur, eisq́; Eugenius ad portam Flaminiam galeros obuiam mittit, vt vrbem inſigniores ingrederentur. Vno itaq; eódemq́; anno Thomas Sarzanus & epiſcopatum Bononienſem, & cardinalis dignitatem, & pontificatum adeptus eſt, cum maxima totius cleri populiq́; Romani lætitia: licet, dum adhuc in conclaui cardinales eſſent, tumultuatum aliquantulum ſit, Stephano Porcario equite Romano, viro in dicendo acerrimo & eleganti, ciues ſuos in eccleſia Aræ cœli congregatos, ad capeſſendam libertatem cohortante, quòd diceret paruum quodque oppidum mortuo loci domino, de libertate vel ſaltem de moderanda regentium cupiditate verba facere.

*Pont. 217.*

Verùm reclamante archiepiſcopo Beneuentano tum quidem vicecamerario, de re ipſa nil deliberatum eſt. Veriti etiam Romani ſunt Alphonſum regem, qui Tibure ſubſtiterat, mortuo Eugenio dubius animi, retró ne cederet an Florentinos bello perſequeretur, quemadmodum antè cum Eugenio & Philippo inſtituerat. Hominem autem ita nutantem, duo Senenſes, qui ciuilibus diſcordijs alebantur, ad Etruriæ imperium adijcere animum perpulere: quod perfacilè eſſet conſecutus, ſi Senas profectus, eam ciuitatem ſpontè ſeſe dedituram, in

poteſtatem ſuam redigiſſet. Collaudauit Senenſes rex, eiſq; ad ſolicitandos ani-
mos ciuium dimiſsis, affuturum ſe in tempore pollicetur. At Nicolaus ponti-
fex pacis & quietis amator, celebrata de more coronatione ſua, factiſq; ingenti
apparatu litanijs. quibus ipſe pedes ſupplicabat, cardinalem Morinenſem Fer-
rariam mittit, componendæ pacis commune domicilium: quò legati interuē-
tu & auctoritate, ad pacem magis impellerentur partium animi. Miſsi & eò pro-
perè Alphonſi, Philippi, Venetorum, Florentinorumq; legati, qui poſt longam
diſceptationem hanc Philippo optionem dedere, vt vel inducias in quinquen-
nium à Venetis Florentiniſq; acciperet, vtraque parte poſsidente quæ tenebat:
vel pacem permutata Crema, cū his oppidis, quæ vltra Abduam vel in ripa Ab-
duæ bello Veneti cepiſſent, Caſſana tantùm in arbitrio pontificis relicto, quod
illi ex fœdere debebatur, cui primo illatæ eſſent iniuriæ. Hoc autem additum
eſt, quò pax diuturnior haberetur. Miſſus autem ex legatis Philippi vnus, qui ei
optionem faceret, vt vtrum mallet, eligeret: hominem pridie eius diei, quo Me-
diolanum peruenerat, apoplexia mortuum intelligit, vj. idus Auguſti, M C C-
C C X L V I I. Tum Morinēſis cognita Philippi morte, legatos omnes ad ſe pro-
perè vocat, & nihilo ſegnius quàm antea de pace agit. Interrogati Veneti, irént-
ne in eam ſententiam, quàm prius approbauerant, reſpondent Philippi morte
eius rei nil ſibi integrum relinqui, ad ſenatum ea de re velle perſcribere, tum de-
mum facturos quod à ciuitate mandaretur. Hac itaque mora interpoſita, qui
aderant legati, cognita Venetorum cupiditate, quòd totius Italiæ dominatum
appeterent, ſoluto conuentu domos quiſq; ſuas rediere, legato pontificis fruſtra
eos ad concordiam reuocante. Veneti autem, qui ad Soreſinam in agro Cremo-
nenſi ſtatiua habebant, quòd Cremonam tumultuantem adiuuantibus Guel-
phis in deditionem poſſe recipi ſperabāt: cognita Philippi morte, Laudam pro-
perè mouent, qua recepta, Placentinos quoq; eadem, qua Laudenſes, conditione
in fidem ſuſcipiunt, miſsis eò ac properè quidem mille & quingentis equitibus,
qui Placentinis auxilio eſſent, ſi qua vis ingrueret. At verò Franciſcus Sfortia,
qui tum ex Piceno pulſus, in Bononienſi agro conſederat, refecturus exercitum
diutino bello, armis, equis, viris exhauſtum, occupari omnia à Venetis ſoceri
morte intelligens, magnis itineribus Cremonam proficiſcens, à Mediolanen-
ſibus ſtatim ſummo omnium conſenſu exercitus ac copiarum dux contra Ve-
netos deligitur: qui Pado amne ponte coniuncto caſtelliſq; ac machinis firma-
to, quò minus Veneti Placentiam claſſe contenderent, Abduam amnē ad Pici-
gitonum traijciens, non longè ab hoſtibus ad Camuragum cōſidentibus caſtra
ponit. Vbi parua quædam certamina ad tentandam credo hoſtiū patientiā, ſunt
cōmiſſa. Tum verò Papienſes ſumptis ob aduentum Franciſci paululū animis,
cum ab imperio Mediolanenſium propter vetus inter eos odium abhorrerent,
cūq; item extrema quæq; pati mallent, quàm Venetis obtemperare, qui eorū ſo-
cietatem aſpernati eſſent, vrbem Franciſco dedunt, præfecto arcis nō abnuente:
quo additamento Sfortia Inſubriæ dominatum ſtatim mente concepit. Agebā-
tur hæc in Ciſalpina Gallia, cū Alphonſus eodem tēpore Nicolao pontifice fru-
ſtra reclamante, cū exercitu in Senenſiū maritima deſcendens, eorū libertatem
ſubuertiſſet, ni Florētinus populus cognita regis calliditate, legatū Senas miſiſ-
ſet, qui ciuitatē admoneret Alphonſum regnādi cupidū, Senenſes bello nō mi-
nus quàm Florentinos petere. Tum verò Senēſes cognito periculo, & ſi regi cō-
meatus non negabant, non tamen quempiā ex regijs militibus ingredi ſua mœ-
nia deinceps ſunt paſsi. Rex itaq; cognita Senenſium diligentia, in Volaterranū
& Piſanū agrū deſcendens, multa caſtella partim deditione, partim vi cepit: ma-
ximè verò Caſtilionū Piſcariæ, quæ oppida Florentini haud ita multò pòſt rece-
pere, præter Caſtilionū, Sigiſmundo Malateſta duce: quem antea Alphonſi ſti-
pendio conductū, ab eo ad ſe deficere pecunijs compulerāt. Non deſiſtebat inte-
rim Nicolaus pontifex nunc regem, nunc Venetos adhortari, vt pacē quàm bel-
lum mallent: ſed hi ferocia exultātes, benè monenti nequaquā obtemperabant.
Hāc ob rem Frāciſcus comparato ingēti exercitu, in quo robur Italicorum mi-
litū inerat, Brachianis & Sfortianis militibus ſimul iunctis, ad Placentiā firmo
Veneto-



Venetōrum præſidio munitam, medio autumno caſtra locat, partemq; murorū
bombardis demolitus, creſcēte Pado adeò, vt Galeones, ita enim naues fluuiales
ad bellum aptas vocant, mœnibus appellerētur, terreſtri ac nauali opugnatione
vrbem capit ac diripit. Magna hæc Franciſci laus eſt habita, quòd hyeme tāta im-
brium inundatione, vt ægrè in tabernaculis miles retentus ſit, tantam vrbē vi ce-
perit. Non deſtitit tamen Nicolaus pontifex de pace tum quidem mentionem
facere, inſtantibus etiam apud Venetos ſocios Florentinis, quòd regis potenti-
am vererentur, qui tum cum exercitu in Etruria erat. Verùm ea de re nil actum
eſt, quòd Laudam Veneti Mediolanenſibus id maximè petentibus, reddere gra-
uarentur. Nicolaus autem pontifex omiſſa re toties fruſtra tentata, ad rem diui-
nam animum applicans ingentes ſupplicationes decernit ad placandam iram
Dei; præcandumque vt pacem Chriſtiano populo præſtaret, his litanijs pontifex
ipſe cum omni clero à ſancto Petro vſque ad S. Marcum profectus eſt, multam re
ligionem & ſingularem pietatem præ ſe ferens. Verùm neque ita quidem, exigen
tibus id fortaſſe hominum meritis, Dei ira placata eſt. Nam ſequenti biennio a-
deò vbique ferè peſte laboratum eſt, vt pauci de multis ſuperfuerint. Quod qui-
dem malum & frequens terræmotus, & eclipſis ſolis indicare videbantur. Mina-
bantur hi, quos Prædicatores vulgo appellant, futuram calamitatem: maximè
verò Robertus ordinis ſancti Franciſci profeſſus prædicator inſignis, qui concio
nibus ſuis adeo populum Romanum mouit, vt pueri paſſim feminæque per vr-
bem incederent miſericordiam à Deo expoſcentes. Et ne quid mali in Italia de-
eſſet, bella, quę antè inchoata diximus, adeo inualeſcebant, vt ſedari nullo mo-
do poſſe viderentur. Nam Franciſcus Sfortia ſequenti æſtate expugnatis quibuſ-
dam Venetorum caſtellis, in eorum claſſem qua Cremonenſes vexabant, cum
terreſtri naualique exercitu profectus, eam cedere retro ad Caſale maius coegit:
quò & hoſtem inſecutus, cum eius claſſem in naualia ſubductam bombardis di-
ſiecerit, ad tantam deſperationem præfectum Venetum redegit, vt incenſa claſ-
ſe, quam tueri non poterat, effuſa fuga in oppidum ſeſe receperit. Inde verò Fran
ciſcus abiens, non amplius de Cremona ſolicitus, ſublata hoſtium claſſe, in Gla-
ream Abduę mouens, ad Carrauagium firmo hoſtium pręſidio munitū caſtra lo
cat. Mouent & eò Veneti, de exiſtimatione ſua actum putantes, ſi oppidū à Medio
lanenſibus occuparetur, qui poſitis ex regione hoſtium circiter mille paſſus ca-
ſtris ſuis, tempori ſe affuturos, ſi oppugnatione vexarētur, oſtēdunt. Crebra quo-
tidie committebantur prœlia, vtpotè ex tam propinquis caſtris. Verùm cum ad
ſummam dimicationem vētum eſt in via paludibus vndiq; coarctata, ad quam
primę Venetorum acies retruſę, neq; cedere, vt in pugna facere plerunq; neceſſe
eſt, propter ſubſequentes: neque pugnare in tam anguſto loco, propter inſtantes
hoſtes poterant, oppreſſæ penitus & obtritæ cecidiſſent, niſi à nouiſsimo agmine
fugiendi initium ortum fuiſſet. Tum verò Franciſcus cedētem hoſtē inſecutus,
& caſtris opulētiſsimis eum exuit, & equitum ac peditum circiter quinq; millia
capit. Poſtea verò Franciſcus, Brachianis eo inuito ad expugnādam Laudam mā-
dato Mediolanenſium proficiſcentibus, cum reliquo exercitu Brixiā mouēs, vr-
bem obſidione cinxit. Hac verò calamitate promoti Veneti, de ſe actū exiſtima-
bant, niſi pacem cum Franciſco componerent, orta iam inter Franciſcū & Me-
diolanēſes ſimultate, quæ his legibus compoſita eſt, vt ſumptis in Mediolanēſes
armis quicquid vltra Abduam Padumúe Franciſci, quicquid verò citra Abduā
caperetur, Venetorum eſſet, collatis eidem à Florentinis ac Venetis ſingulis mē-
ſibus ſedecim millibus nummū aureorum; immiſsiſq; aliquo turmis auxilio,
donec Mediolano potiretur. Inito itaq; hoc modo fœdere, allectiſq; ad ſe quos
potuit copiarū ducibus pollicitationibus & premijs, in Mediolanenſes cōuerſus
omnes ferè eorum ciuitates in deditionem recepit. Quo quidē ſucceſſu promoti
Veneti, longè aliter euenire Frāciſco cernentes quàm arbitrati fuerāt, accepta ex
fœdere Crema, reuocatiſq; militibus ſuis, fœdus cum Mediolanenſibus ineunt,
Frāciſci potentiam reformidantes ſi Mediolano potiretur. Franciſcus autem ſi-
mulata cū Venetis beneuolentia, priuataq; magis Coſmi Medices, quàm publi-
ca Florentini populi pecunia adiutus, poſt multas acceptas illataſq; clades, poſt


lon-

longã & grauem oppugnationem, vtpotè media hyeme, poſt defectionẽ & trãſitionem militũ ad hoſtes, aduerſante etiã Alphonſo, qui Mediolanũ ſibi iure hæreditario deberi dicebat, ob eamq́; rem Ludouicum Gonzagam mercede cõduxerat, & in Bononienſes miſerat, quò ſuis tutius in Ciſalpinã tranſire liceret, Mediolano tandem potitur, anno M. CCCCXLIX. Iuuabãt quidẽ Mediolanenſes Veneti, immiſſo cũ exercitu ſuo Sigiſmũdo Malateſta, qui ſe Picẽnino auſpicijs Mediolanenſium militanti coniungeret, ſed pernegligenter: vt enecti fame, ciuitatem Venetis potius quàm Franciſco committerent. Quare longè aliter euenire cernentes quàm putarant, cum Alphonſo agunt, qui Franciſcum inimico & hoſtili animo perſequebatur, inito prius fœdere, vt homo dominandi cupidus priuſquam inualeſceret, ducatu Mediolanenſi pelleretur. Inuitant & Florẽtinos ad eam rem. Verùm cum hi nunquam ſe aduerſaturos Franciſco dicerent, eorum mercatores ab vrbibus ſuis Veneti pellunt: idemq́ue vt Alphonſus faceret, tandem etiam impetrarunt.

Nicolaus autem pontifex totam Italiam ad arma concitari cernens, auctoritatem ſuam ſępius interpoſuit, quò pax componeretur, vt ſequẽti anno liberè omnibus ex tota Europa ad iubileum venire liceret. Inſtabat enim quinquageſimus annus, quo iubileus de more indicebatur. Cardinales præterea ſex creauit: quorũ de numero fuere Latinus vrſinus, & frater ipſius pontificis vterinus tantum Philippus tituli ſancti Laurentij in Lucina presbyter Cardinalis, vir certè bonus, ingenijq́; liberalis. Interim verò Fredericus imperator, inſtãte põtifice, Felicem cõpulit, vt ſe pontificatu abdicaret, quòd cerneret tantam ſeditionẽ & tam diuturnam, eccleſiæ Romanæ pernicioſam eſſe. Vſus tamen hac benignitate erga Amadeum Nicolaus eſt. Ad hominem nanq; galerum Cardinalatus miſit: eundẽq́; legatum Germaniæ fecit, ne omnino ſine dignitate viueret. Venere & in arbitriũ põtificis Cardinales illi, quos Amadeus creauerat. Hac verò concordia adeo lætatus eſt nõ modò clerus omnis, verùm etiam populus Romanus, vt in ſequẽti nocte eius diei, quo hæc audita ſunt, MCCCCXLIX. xxiiij. *Aprilis*, cum faculis per vrbem in equis incederent, clamantes, Viuat Nicolaus. Pontifex autem, ne ingratus erga Deum tanti *beneficij videretur*, *ſupplicationes* admodum celebres cum populo & clero in Vaticano habuit. Idem fecere & reliqui Italiæ populi, tam pernicioſa *ſeditione liberatam* eccleſiam Dei cernentes. Tanta pręterea fuit pontificis auctoritas & gratia, vt animos principum ad bellum iam concitatos, aliquandiu repreſſerit. Inſtigabant namque Venetos ad id bellum & Iacobus Picenninus, & Sigiſmundus Malateſta, & Carolus Gonzaga, acerrimi ipſius Franciſci Sfortiæ hoſtes & inimici. Pellexerant etiam in ſocietatẽ ſuam Veneti Sabaudiæ ducem, marchionem Montisferrati, ac Corregij dominos, Bononienſesq́; & Peruſinos, reclamante pontifice & minante ne id facerent, concitare, ſed fruſtra conati ſunt, pacti cum Alphonſo, vt dum ipſi Franciſcũ adorirẽtur, Florentinos bello deſtineret. At Franciſcus Florẽtinorum amicitia ac potentia fretus, aſſumptoq́; in ſocietatem belli Ludouico Gonzaga principe Mantuano, ad bellum ſe conſtanti animo parabat. Hinc ortæ ſunt inter Carolũ & Ludouicum graues inimicitiæ, quòd eius amicitiam ſequeretur, quem ipſe hoſtem haberet: quodq́; oppida ſua occupaſſet, quæ ei pater ex teſtamento reliquerat. Nam Ludouicus fratris in carcerẽ coniecti vas factus, cùm ſpopondiſſet octoginta millia nummũ auri, quo frater liberaretur, vetuiſſetq́; ſolũ Carolus. cùm Franciſcus aut nummos, aut oppida peteret, maluit nũmos perſoluere, & oppida retinere, quàm tam vicina & propinqua loca dimittere. Hanc itaq; ob rem Carolus fratrem calumniabatur, vt raptorem & alieni appetentiſſimum, non modò apud Venetos, quorum partes ſequebatur, verumetiam ab imperatore ius ſuum repetere.

Iam attigerat annus Iubilæus, cùm ſubito tanta multitudo Romã venit, quanta nunquàm anteà. Vnde cùm ſemel è Vaticano viſa Saluatoris imagine ad vrbẽ redirẽt, facta obuiam mala quædam Petri Barbi Cardinalis ſancti Marci, cùm neque venientes, neq; redeuntes ob inſequẽtem multitudinem credere poſſent, cadente vno atq; altero ſuper malam illam iã à multitudine oppreſſam, ad ducenta hominum corpora, & equos tres, obtrita & ſuffocata in põte Hadriani cõſtat.

Multi



Multi etiam à lateribus põtis in flumen cadentes, in vndis periere. Sepulta in ſancto Celſo ad centum & triginta ſex cõſtat: reliqua verò ad campum ſanctum delata ſunt. Hanc ob rem Nicolaus pontifex vices eorum, qui mortui fuerant, dolens, caſulas quaſdam anguſtiorem viam ad pontem facientes omnino ſuſtulit: totumq́; ferè annũ illũ in celebritatibus conſumpſit, ſtationes ipſemet quotidie inuiſens cum Cardinalium cœtu. Cauit etiã quàm diligentiſsimè, ne abundãte tanta multitudine, cõmeatus & omnia ad victũ neceſſaria in vrbe deeſſent. Curauit item execrationibus & ſatellitibus, ne graſſatores in peregrinos ad vrbẽ accedentes ſæuirent. Sequenti verò anno quòd venturum ad vrbem Fredericũ imperatorem intellexerat, tum vt coronã imperij acciperet, tum vt Leonorã regis Luſitanię filiam, Alphonſi neptem in vxorem duceret, portas vrbis ac turres, Capitolium, arcẽ ſancti Angeli, muris firmiſſimis munire cœpit, veritus credo, ne aduentãte imperatore noui aliquid, & ab eo, & à populo Romano oriretur: erat enim natura formidoloſus. Hanc ob rem milites omnes ſuos cum collecticijs copijs Romã acciuit. Ad deliniẽdos verò multitudinis animos, tredecim mareſcalcos, qui tredecim regionibus vrbis pręeſſent, delegit, eiſdẽq́; tredecim veſtes coccineas dono dedit. Imperator itaq́; prodeuntibus obuiã tredecim Cardinalibus, omniq́; vrbis magiſtratu, ac honorato quoq;, per portam caſtelli ingreſſus, & ad ſcalam ſancti Petri perueniens, obuium habuit pontificẽ, à quo vnà cũ Leonora vxore, quam Senis offenderat iam ex Hiſpania auectam, in templũ Petri introducitur, milleſimo quadringẽteſimo quinquageſimoſecundo, die ix. Martij. Vnde facta oratione digreſſi, in ædibus illis diuertêre, quæ ad ipſos ſancti Petri gradus adhuc viſuntur, meliorem formam quàm antea habentes, Romani Cardinalis Conſtantienſis impenſa. Pontifex aũt ſequẽtibus diebus in ſancto Petro Miſſam celebrauit, benedixitq́; imperatori & imperatrici, vt in nuptijs fieri cõſueuit, antequã ſponſus cum noua nupta coëat, eosq́; deinceps eodem in loco xviij. eiuſdẽ mẽſis imperatoria corona donauit. Dum verò imperator (vt fit) ad ſanctum Ioãnem coronatus proficiſcitur, pluresq́; auratos equites in põte Hadriani creauit. Abiẽs deinde Neapolim cum vxore viſendi Alphõſi regis cauſa, à quo ſumptuoſa ac magnifica impenſa cum tanto comitatu eſt habitus, rurſum ad vrbem mare rediens, iter in patriã ſtatim arripuit, quòd intellexerat quoſdam principes res nouas in Germania & Vngaria moliri, ob regem Ladiſlaum adoleſcentem egregium, quem imperator ſecum ducebat. Hominem autem abeuntem duo Cardinales ad quinquaginta millia paſſum comitati ſunt, Bononienſis ipſius pontificis frater, & Caruaial ſancti Angeli Cardinalis

Abeunte autem Imperatore, Veneti comparato ingẽti exercitu, Cremonẽſem agrum ingreſſi, omnia prius longè ac latè populati, Socium atque oppida vicina oppugnare ſunt adorti, quæ in poteſtatem eorum haud ita multò poſt venere: captis ibi aliquot equitum turmis, quòd ſerius quàm decebat Frãciſcus exercitum comparauerat. Verùm poſtea ſuperueniente Ludouico Gonzaga amico & belli ſocio, in agrum Brixianum mouens, eò Venetos redegit, vt paludes egredi nunquam ſint auſi, & aperto Marte collatis ſignis ſecum decernere. Protrahi rẽ volebant, in mora ſpem omnem victoriæ reponentes, quòd exiſtimabant Franciſcũ propter inopiam ęrarij, impenſę bellicę haud diu ſuffecturũ, ſimul etiã ſperabãt, Mediolanenſes extortæ quondam libertatis memores, Franciſco tanto bello implicito, aliquid noui ad excutiẽdum ſeruitutis iugum molituros. At Ferdinãdus patris Alphonſi iuſſu, cum equitum circiter octo, peditum quatuor millibus, in Etruriam contra Florentinos mouens, cum Cortonam ad defectionẽ tentaſſet, Foianum Arretini agri oppidũ quadraginta dierũ oppugnatione, multis vtrinque deſideratis capit. Inde verò abiens, ac per Senenſem agrum iter faciens, cum Caſtellinã fruſtra oppugnare tentaſſet, in maritima Senenſium hyematũ deſcẽdit captis in itinere quibuſdam Volaterranorum caſtellis. Obſeruabat hominẽ continuo Sigiſmundus Malateſta Florentini exercitus dux, occaſionem bene gerendæ rei capturus. Florentini autem cum pollentes Alphonſi ac Venetorum opes terra marique reformidarent, ad externa auxilia confugere inſtituunt, Frãciſco id approbante. Miſſus itaq; in Galliam Angelus Acciaiolus equeſtris ordinis

dinis Florentinus orator ad regem Franciæ commemorata Florētinorum in rēgiam domum beneuolentia, hominem eò perpulit, vt & duci Sabaudiæ & Allobrogis imperaret, qui iamiam in Franciſcum arma ſumpſerant, ne Franciſcum Florentini populi ſocium & amicum dicto aut facto læderent, affirmans ſe illi hoſtem futurum, qui ſecus feciſſet. Et Renatum impulit pecunias ei ac militem pollicitus, regnum Neapolitanum, vnde fuerat ab Alphonſo pulſus, repetere: maximè verò quòd rex Florentinorū bello tum deſtineretur. Hac autē legatione Florētinorū ac Franciſci res adeo ſecundæ ſunt factæ, vt Veneti pacē deinde haud quaquam ſint aſpernati, fuſis præſertim non longè à Godio eorum copijs, quas in Mantuanum principem Carolo Gonzaga duce miſerant, ne ipſe vnà cum Tiberto Brandolino ad Franciſcum Sfortiam, cuius auſpicijs militabant, proficiſcerentur; coniunctiſque copijs maiorum exercitum, quem Gentilis ductabat, adorirētur & funderent. Venerat nanque ſuperiore anno ad exercitus Caruaial ſancti Angeli Cardinalis, Nicolai nomine pacem inter concertantes compoſiturus: qui re infecta abiens, Deum hominesque teſtatus eſt per Nicolaum pontificem non ſtare, quò minus pace inter Italos compoſita, bellum communi omnium Chriſtianorum conſenſu in Turcos decerneretur: quos iam parare arma contra Conſtantinopolitanos ſenſerat, & ob eam rem Cardinalem Rutenum patria Conſtantinopolitanum eò miſerat, qui imperatori & ciuibus auxilium polliceretur, ſi ad catholicam fidem, vt in Florentino concilio promiſerant, redire voluiſſent. Interim verò Renatus recuperandi regni Neapolitani cupidus, ad quam rem Franciſcus ac Florentini copias & opes pollicebantur, ſi Alpes trāsmittens, contra Venetos exercitum mouiſſet, fruſtra tento cum duobus millibus equitum per Allobroges itinere, quos nunc Sabaudienſes vocant, æſtateq́; in ea repenè conſumpta, Sauonā alio itinere atq; inde ad Franciſcum peruenit: qui acceſſu tanti regis & nō paruis copijs, atq; animo auctus, hoſtem pauidum, & certamen detrectantem mouere caſtra ad mōtana Brixiæ coëgit. Inde verò exercitū circumferēs ex Brixianis & Bergomatibus ad quadraginta oppida, partim vi, partim deditione cepit. Superueniente deinde hyeme, cum in hyberna vndique itū eſſet, Renatus relicto in Italia apud Florentinos filio malè in eos & Franciſcum animatus, in Galliam redijt. Verùm frigeſcentibus vnà cum hyeme iam omniū animis, exhauſtiſq́; item aſsidua bellorum impenſa populorum ac principum ærarijs, de pace iam antea à Nicolao pontifice tentata, mentio fieri cœpta eſt; ad quam Veneti & Florentini militarem licētiam peroſi, ſummo ferebātur ſtudio. Sed Nicolaus pontifex coniuratione Stephani Porcarij equitis Romani tum deprehenſa, rem inchoatam omittens, ad ſedādum inteſtinum bellum animū adiecit. Stephanus enim maioris animi quàm potentiæ, vir quidem in dicendo materna lingua eloquentiſsimus, multa liberandæ patriæ indicia prę ſe ferens (vt in principio diximus) Bononiam à pōtifice relegatur, hac cōditione, vt ſingulis quibuſque diebus Niceno gubernatori vrbis ſeſe offerret, quem ſimulata ęgritudine decipiens, Romā admonentibus coniuratis properè redijt, hac mente, vt cū vrbē attigiſſet, ſumptis armis populum ad libertatem cōuocando, pontificem & Cardinales caperet. Verùm dum feſſus lōgitudine itineris & diutina vigilia aliquātulū quieſceret, aliquot enim noctes inſomnes duxerat, detegendæ rei tempus & occaſionem dat. Cognita hominis audacia, pontifex ſenatorem Iacobum Lauagnolum Veronenſem ciuem, & vicecamerarium cum armato milite domū eius ſtatim mittit, vt captū in carcerem perducerent. Is autem aduentare armatos intelligens, ad ſororem cōfugit, relicto domi Baptiſta Sciarra, cum aliquot ſeruis, homine quidem impigerrimo & audaciſsimo: qui domo cū ſocijs erumpens, incolumis aufugit. Cognita deinde Stephani per indices fuga, hominē apud ſororem in capſa deliteſcentem capiunt, & captum ac ſeriem cōiurationis faſſum, ad muros arcis ſancti Angeli ſuſpendūt. Eodem quoq; ſupplicio afficitur in Capitolio Angelus Maſſa cum filio ac ſocio Sauo, lecta prius audientibus omnibus cōiurationis ſerie, milleſimo quadringētesimo quinquageſimo tertio, quinto idus Ianuarij. Perſecutus deinde reliquos coniuratos omnes oppreſſit, maximè verò Franciſcum cognomento Gabadeum, & Petrum Monterotundum, & Baptiſtā

Sciarram



Sciarram à Venetis ad ſupplicium deditum. Eò enim cōfugerat poſt patefactam coniurationem. Nicolaus autem, qui hactens Romanos omni genere officij & liberalitatis iuuerat, quiq́; liberior quàm vllus antea pontifex incedere per vrbē cōſueuerat, ſibi ipſi deinceps cauēs, moroſior cùm in omnes, tum vel maximè in Romanos factus eſt. Accedētes enim alloquendi cauſa nō ita facilè admittebat. Acceſſit & podagra, qua tū maximè laborabat. Sed nihil fuit, quod æque hominem cruciauerit, quā vbi audiuit Conſtantinopolim & Perā eodē impetu à Turcis captam, obtruncatumq́; cum multis hominū millibus Cōſtantinopolitanū imperatorem. Captum quoq; arbitrabatur & necatū Cardinalē Rutenū, quē eò (vt dixi) miſerat, ſed is mutata veſte incolumis abijt. Ipſi tamen pōtifici in animo fuit, claſſe & milite Cōſtantinopolitanos iuuare, quemadmodū eius literę ad imperatorem ſcriptæ indicant, quibus & eorum à catholica fide defectionē, & ſimulatum ingratiā cū Latinis reditum, in calamitatibus increpat. Verùm adeò repēte vrbs illa capta eſt, vt vix de mittēdo auxilio cogitare licuerit. Præterea verò ne quid deeſſet, quod hominem cruciaret, Comes Auerſus iniuſſo ſuo Nurſinos bello aggreditur, à Spoletinis mercede cōductus, hi enim populi de finibus inter ſe certabāt. Hāc ob rem Angelū cognomēto Ronconem cum militibus eccleſiaſticis mittit, q comiti iter intercluderet, quò minꝰ ad oppida ſua reuerteretur. At verò cùm intellexiſſet per Angelum ſtetiſſe, quò minus redeuntem milites caperent, hominem ad ſe vocatū, in arce Hadriani capitali ſupplicio afficit, tertia noctis hora. Sunt autem qui ſcribāt, Nicolaū eius rei mirificè pœnituiſſe, quodq́; ira percitus mandauerat, adeo accuratè præfectus arcis egiſſet. At Veneti fruſtra de pace mentionem fieri cernentes, cùm eam rem ſępius tentaſſent, veriti ne tāta res perſuaſu Ludouici Gōzagæ à Franciſco intermitteretur, Iacobum Picenninum copiarum ſuarum ducem, cùm magna equitatus parte ad Voltā celerrimè mittunt: qua capta, retruſoque in Godiū Angelo comitis non ſine aliquo Ludouici incōmodo, qui tum ibi ęgrotabat, hominem in hyberna reuocant, exiſtimantes iam ſatis motum ad petēdam pacem Ludouicū eſſe. Interim verò Simonetus ordinis Eremiarum vltro citroque commeans, cum nunc Venetos, nūc Franciſcū ad concordiam pluribus verbis adhortatus eſſet, eos tandem perpulit, vt pacem initis firmarent, quę omnium cōſenſu quinto idus Aprilis publicè per præcones enunciata eſt. MCCCCLIIII. his federibus, vt quę cuiuſq; ante id bellum fuiſſent redderentur pręter Gerram Abduę, quam Franciſcus de Venetis, & Caſtilionum Piſcariæ, quod Alphōſus de Florētinis ceperat. Hoc verò quò firmius haberetur, vtúe Alphonſus dignitatis regiæ habitam fuiſſe rationem dignoſceret, ad hominem mittendos legatos principes ac ciuitates cenſuere: quo cum vndiq; cōueniſſent, cumq́; Dominicus Capranicus Cardinalis ſanctę crucis, ac maior pœnitētiarius, vir magnæ prudentiæ & auctoritatis, legatus à pōtifice miſſus, hortādo, monendo, pacis & concordię ſequeſtrum ſe fore oſtenderet, ita id fœdus poſt longas diſceptationes tandem ventum eſt: vt quam Venēti ac Frāciſcus pacem cōpoſuiſſent, eadē firma & ſtabilis ab omnibus haberetur: vtq́; ſi quæ deinceps diſſenſio diſcordiáue inter eos orta eſſent eius tollēdę ius poteſtatemq́; pontifex haberet: vtq́; qui arma alteri intuliſſet, cognita à pontifice cauſa, is ſtatim communis omnium hoſtis haberetur. Data itaq; publica per omnes fide, iureiurādoq́; adhibito, fœbus deniq; Neapoli firmatur, anno ferè poſt ſuperiorem pacem, qua nulla memoria patrum noſtrorū maior aut firmior eſt habita. Omnes enim præter Genuenſes in eandem ſentētiam venere; quibus cum Alphonſo ex gente Catalonica nequaquā cōueniebat ob tributum promiſſum, nec redditum, vt Alphonſus dicebat. Relicta eſt etiam legatorum negligētia vel induſtria (vt quidam volūt) anſa quędam ab bellum, qua Alphonſus poſteà Sigiſmundum Malateſtā bello perſecutus eſt, quòd receptis anteà à ſe mercedis nomine pecunijs, trāſitione facta cū Florentinis hoſtibus ſuis contra ſe militaſſet. Nicolaus autem pōtifex, ſiue tædio animi, quod maximè cruciabatur poſt captū Cōſtantinopolim, ſiue febri & podagra, qua potiſsimū vexabatur, pōtificatus ſui anno octauo moritur, milleſimo quadringenteſimo quinquageſimoquinto; ſepeliturq́; in baſilica Petri honorificentiſsima pompa, cuius in ſepulchro hoc epitaphium meritò inſcriptum eſt:

Hic

*Hic ſita ſunt quinti Nicolai antiſtitis oſſa,*
*Aurea qui dederat ſecula Roma tibi.*
*Conſilio illuſtris, virtute illuſtrior omni,*
*Excoluit doctos doctior ipſe viros.*
*Abſtulit errorem, quo ſchiſma infecerat vrbem:*
*Reſtituit mores, mœnia, templa, domos.*
*Tum Bernardino ſtatuit ſua ſacra Senenſi,*
*Sancta iubilei tempora dum celebrat.*
*Cinxit honore caput Frederici coniugis aureo,*
*Res Italas icto fœdere compoſuit:*
*Attica Romanæ complura volumina linguæ,*
*Prodidit, en tumulo fundite thura ſacro.*

Laudatur quidem eius liberalitas, qua in omnes vſus eſt: maximè erga litteratos, quos & pecunia, & officijs curialibus, & beneficijs mirificè iuuit. Eos enim præmijs nunc ad lectiones publicas, nunc ad componendum de integro aliquid, nunc ad vertendos Græcos auctores in Latinum ita perpulit, vt litteræ Græcæ & Latinæ, quæ ſexcentis iam antea annis in ſitu & tenebris iacuerant, tum demum ſplendorem aliquem adeptæ ſint. Miſit & literatos viros per omnem Europam, quorum induſtria libri conquirerentur, qui maiorum negligētia & barbarorum rapinis iam perierant. Nam & Poggius Quinctilianum tum inuenit, & Enoch Aſculanus Marcum Cælium, Appicium, & Pomponium Porphyrionem in Horatij opera ſcriptorem egregium. Aedificauit præterea magnificè & ſplendidè, tum in vrbe, tum in Vaticano; in vrbe ædes pontificias apud ſanctam Mariam ad Præſepe. Reſtituit & templum ſancti Stephani in Cælio monte: à fundamentis verò erexit ſancti Theodori templum inter Palatinum & Capitolinum montem in plano ſitum. Pantheon quoque in medio vrbis poſitum templum vetuſtiſſimum M. Agrippæ opus plumbeo tecto reſtituit: in Vaticano autem & pontificias ædes ſumptuoſis operis in hanc formam, quam nunc cernimus, redegit: & muros Vaticani præaltos & latos inchoauit, iactis inſanis fundamentis ad turres & maiorem molem ſuperædificandam, quibus coërceri hoſtes poſſent, ne ædes pontificis & beati Petri templum, vt antea ſæpe factum eſt, diriperentur. Inchoauit præterea ad caput templi beati Petri amplam teſtudinem, quam vulgo tribunam vocant, quò templum ipſum auguſtius, & hominum magis capax eſſet. Pontem quoque Miluium reſtituit, & ædes egregias ad balnea Viterbiana ædificauit. Iuuit & multos pecunia, qui in vrbe ædificabant. Eius etiam mandato vici vrbis ferè omnes ſtrati ſunt. Eleemoſynas quoque multas in pauperes erogauit, maximè verò in nobiles ad inopiam ob varios rerum humanarum caſus redactos. Virgines inopes ſua pecunia & munificentia maritis collocauit. Legatos aliunde venientes munificè ſemper ſuſcepit, nullo non genere honoris & liberalitatis adhibito. Facilis ad iram fuit, ne mentiar, quippe qui biliosſus erat, facilis etiam reditu ad beneuolentiam: hoc eſt, quod anſam maleuolis dedit ad carpendum hominem de Deo omnibus optimè meritum. Auaritiæ autem adeò expers fuit, vt neque officium vllum vendiderit vnquam, neque beneficium Simoniaca prauitate ductus vlli collocauerit. Gratus erga de ſe & eccleſia Dei meritos, amator iuſtitiæ, pacis auctor & conſeruator, clemens in delinquentes, ceremoniarum diligentiſſimus obſeruator, nihil, quod ad diuinum cultum pertineret, omittens. Extant adhuc vaſa aurea & argentea, extant cruces gemmis ornatę, extant & ſacerdotales veſtes auro & margaritis inſignitæ, extant peripetaſmata & aulæa auro & argento intertexta, extat & mitra pontificia, quæ hominis munificentiam nobis oſtendunt. Omitto tot libros ſacros ſuo iuſſu deſcriptos, auro & argento redimitos. Licet inſpicere bibliothecam pontificiam ſua induſtria & munificentia mirificè auctam. Religioſos, vt vernaculo vocabulo vtar, ita amauit, vt eos & mira beneficentia & eccleſiaſticis beneficijs iuuerit. Beatum quoque Bernardinum Senenſem ordinis Minorum, in ſanctos retulit, quod prædicando, dicendo, monendo, caſtigando etiam factiones Italiæ, Guelpham ſcilicet & Gibellinam, magna ex parte extinxerit, & Chriſtianis hominibus benè beateque viuendi viam oſtenderit. Cuius corpus nunc etiam Aquilæ magna cum veneratione inuiſitur.

*Ex Onuphrio.* THOMAS, incerto cognomine, Sergiana oppido Lunenſis agri in Liguribus obſcuro genere ortus, patrem Bartholomæum medicum habuit. Lucæ adultus Lucani cognomen ſuſcepit. Adoleſcens Bononiæ ſtudijs vacans, Artium & Theologiæ Doctor factus fuit. Eugenio IIII. ob virtutem, & in



in tollenda Germanorum neutralitate induſtriam, gratus, ab eo Epiſcopus Bononienſis, & Presbyter Cardinalis tt. S. Suſannæ creatus eſt. Quo mortuo, conclaui in Sacrario Prædicatorum ad Mineruæ facto, XVII. Cardinalium ſuffragijs Prid. Nonas Martij Prid. Nonas Martij, anno ∞ CDXLVII. Summus Pontifex denunciatus, & ad S. Petrum coronatus, Imperatore Cæſare Friderico III. Auſtrio Auguſto. Sedit annos VII. dies XIX. Pontifex fuit doctrina, pietate, liberalitate, & alijs præclaris animi corporiſque ornamentis clariſſimus. Annum Iobileum ∞ CDL. ſextò celebrauit, Fridericum Auguſtum, & eius vxorem Eleonoram Luſitaniæ Regis filiā imperiali Diademate in Baſilica Vaticano coronauit. Vrbē veteribus ædificijs deformē nouis fabricis excitatis exornauit, ſchiſmate abdicante Felice, ſublato, pacem Eccleſię reſtituit. Coniurationem Vrbanam, aliquot ciuibus Romanis caſtigatis repreſſit. Eo Pontifice Conſtantinopolis Orientis Imperij caput Chriſtianis à nefandiſſimis Turcis, Imperatore Græco Conſtantino Palæologo cæſo, occupata eſt. Cuius rei labem Pontificatui ſuo impactam, dum abolere, coactis in Turcas copijs ſtudet, arteticis, doloribus totum corpus peruadentibus extinguitur, quum ordinationibus tribus XI. Cardinales creaſſet. Obijt autē Romæ in palatio Vaticano IX. Kalen. Aprilis, anni ∞ CDLV. Vacauit ſedes dies XIIII. ſepultus in Baſilica Sancti Petri, marmoreo ſepulchro.

## CALIXTVS III.

CAlixtus tertius, Alphonſus cognomento Borgia antea vocatus, natione Hiſpanus, patria Sauinenſis, Valentinæ diœceſis, patre Ioāne, matre Franciſca generoſis parentibus natus, ac liberè educatus, Cardinalium ſuffragijs pontifex creatur ſexto idus Aprilis. MCCCCLV. Is enim quartum decimum natus annum, poſt prima litterarum erudimenta ad Ilerdenſe gymnaſium miſſus, tantum ſtudio & diligentia profecit, vt breui doctor in vtroque iure factus, acutè ipſe alijs ac perdoctè deinceps legerit. Hanc ob rem Petrus Luna (quem Benedictum tertiumdecimum appellarunt) proprio motu nemine rogante, canonicatum Ilerdenſis eccleſiæ ei contulit. Verùm cum iam eius doctrina omnibus nota eſſet, ad Alphonſum Arragonum regem profectus, eius conſilio & ſecretis ſtatim adhibetur. Cum autem Martino pontifice eccleſiæ Maioricenſis gubernator factus eſſet, perſuaderētque amici, vt eccleſiam ipſam in titulum acciperet, facturum ſe id renuit, quòd diceret ſe expectare epiſcopatū Valentinum, quem haud ita multò pòſt ſuo merito conſecutus eſt. Cùm enim mortuo Benedicto tertiodecimo, duo illi anticardinales de quibus in Martino mentionem fecimus, Egidium quendam Barchionenſem canonicum in locum demortui Paniſcholæ pontificem creaſſent, quem Clementem octauum appellabant, eò ſtatim miſſus ab Alphonſo rege, qui iam cum Martino pontifice in gatiam redierat, Alphonſus Borgia eſt, non ſine magno ſui ac comitum diſcrimine: adeò locus ille Paniſcholæ tyrannicè cuſtodiebatur, & ab his potiſſimum, quorum maximè intererat diſcordias alere. Qui Alphonſus adeo rationibus & auctoritate Egidium ipſum ad ſanitatem deduxit, vt poſteà ſuperueniente Petro Fuxo Martini legato pontificio nomine ſe abdicauerit, in poteſtatemque pontificis deuenerit. Hanc ob rem Martinus & Egidium Maioricenſem, & Alphonſum Borgiam Valentinum epiſcopum creauit. Orto deinde bello inter Alphonſum Arragoniæ, & Ioannem Caſtellæ reges, ſolus Alphōſus Borgia delectus eſt, qui ad pacem & cōcordiam reges adhortaretur, quam ſeptēnio pòſt inchoatum bellum tanta cum diligentia compoſuit, contracta etiam inter eos affinitate, vt hodie quoque aliquot illius fœderis pacta ſeruentur. Verùm cum poſtea inualeſcente Baſileenſi concilio, rex Alphonſus, qui tū in regno Neapolitano bellū gerebat, rogaretur vt aliquem ex ſuis eò mitteret, Alphonſo Borgiæ id negotium demandauit, qui ęgrè ferens rem tam pernicioſi exempli ſibi cōmitti cum regina egit Alphonſi vxore, vt in Italiam ad regem proficiſceretur cū Ferdināndo regis filio, eumq; adhortaretur, vt tandē poſt multos labores, & tot pericula adita, in quibus tum etiam frequenter verſabatur, in patriam rediret. Rex autē ſe id facturū abnuens, hominem ad Eugeniū miſit, qui tum Florentiæ erat, quò *Pont. 218.*

cum de pace ageret. Vitelescus enim Eugenij nomine regnum Neapolitanũ armato milite ingreſſus, longè ac latè omnia populabatur, prohibiturus quò minus rex Neapolim, quam tum oppugnabat, potiretur. Cum autem in lõgum reς protraheretur, Eugenioq́; in mentem veniſſet viginti Cardinales creare, Valentinum epiſcopum horum in numerum retulerat. Quam quidem dignitatem conſtantiſſimè renuit, quod diceret id ſibi nequaquam integrum eſſe, re præſertim, ob quam venerat, infecta. Redeunte deinde Romam Eugenio, cum patriarcha Aquileienſis Tarracinam ad regem miſſus, pacem inter põtificem & regem compoſuiſſet, fœderaq́; inijſſet, quibus Valentinus epiſcopus ſemper interfuit, auctoritatemq́ue ſuam interpoſuit & diligentiam adeo à pontifice diligi cœptus eſt, vt eum breui Cardinalem creauerit, tituli ſanctorum Quatuor coronatorum, Romamq́ue ad ſe accerſierit, non minore modeſtia in Cardinalatu vtẽs, quàm anteà in epiſcopatu fecerat ab omni pompa & inani gloria alienus ſemper fuit. In dicendis autem in ſenatu ſententijs ita grauis habebatur, vt nihil vnquã per adulationem & gratiam locutus ſit. Mortuo deinde Eugenio, eiusq́ue ſucceſſore Nicolao pontifice, Alphonſus Borgia, vt dixi, in ædibus ſancti Petri pontifex creatus, Calliſti nomen de more ſuſcipiens, bellum Turcis ſtatim indixit. Id ſe ante pontificatum vouiſſe oſtendens ſuo chirographo, his verbis ſcripto quod in libro quodam ſuo extabat: Ego Calliſtus pontifex Deo omnipotenti voueo, & ſanctæ indiuiduæ trinitati, me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, & demum quibuſcunque rebus potero Turcos Chriſtiani nominis hoſtes ſæuiſſimos perſecuturum. Admirati ſunt omnes, qui aderant, quòd pontificatus nomen ſibi deſumpſiſſet ante adeptam dignitatem, quodq́; homo ſenex ac ferè decrepitus, tantum animi haberet. Vt autem quod promiſerat, re ipſa præſtare poſſet, prædicatores per totam Europam ſtatim miſit, qui omnes Chriſtianos in Turcos animarent, quiq́; facultatum aliquid & opum ſuarum ad tantam expeditionem conferrent. Ex his autem facultatibus ad ſedecim triremes Romæ ædificatas in hoſtẽ miſit, patriarcha Aquileienſi præfecto, qui triennio maritima hoſtiũ Aſianorum vexauit, inſulas quaſdam cepit, ac magnas calamitates hoſtibus intulit. Alphonſus autem rex & Burgundiæ dux crucis ſignũ ſuſcipientes, ituros ſe quoq; in hoſtẽ profitebãtur, vel armatos milites eò miſſuros. Verùm vt res vno impetu mota eſt, ita etiam facilè reſedit, principibus ipſis ob voluptatem rem tãtam & magnam gloriam pariturã omittentibus. At verò dum põtifex ipſe in baſilica Lateranẽſi coronaretur, duo milites, quorũ alter ſub comite Auerſo, alter ſub Neapolione Vrſino diuerſarum partium ducibus militabat, de adoleſcẽte armigero cõtendentes, ita ſe mutuis vulneribus cõfecêre, vt vterq; ſtatim perierit. Hanc obrem Neapolio factionẽ Vrſinã ad arma cõuocans, ædes, vbi comes Auerſus diuertere cõſueuerat, diripuit, aberat tũ comes. Ad Lateranũ itaq; iturus Neapolio, vt comitẽ adoriretur, ægre à Latino fratre, & à camerario põtificis retẽtus eſt. Nõ poterat certè ſine magna vrbis calamitate eò proficiſci Neapolio, cũ tota Columnẽſium factio, quæ comiti fauebat, iam in armis eſſet. Miſerat & ad vtrũque pontifex Ioannem Baruncellum, & Lælium de Valle aduocatos conſiſtoriales, qui pacem inter eos componerent: atq; hoc modo auctoritate põtificis ſedata ſunt omnia, nõ tamẽ vetus ſimultas inter eos ſublata eſt. Bello enim ſæpius inter ſe cõcertarunt cum magno ſuorum incommodo. Pontifex autẽ ad tranſigenda negocia pontificia animum adijciens, B. Vincentij Hiſpani ordinis prędicatorũ. & B. Emũdi Anglici memor, eos in ſanctos retulit: ob eamq́; rem ſupplicationibus Deo gratias egit, ab eccleſia Mineruæ vſq; ad ſanctum Petrum cõtinuato magno cleri ac populi Romani apparatu. Verùm ne quid ad diſturbandam eccleſiæ quietem deeſſet ruſtici quidã Palumbaræ oppidi, quod in Sabinis eſt, extorres antea à Iacobo Sabello loci domino facti, domum redeũtes, duobus Iacobi filijs obtrũcatis, eccleſiæ oppidum ipſum ſe dedituros polliciti ſunt: quod nõ modo Calliſtus renuit, verùm etiam eò Cardinalem Columnẽſem miſit, qui in gratiã Iacobi eos redigeret. Tum verò Neapolio veritus, ne Cardinalis Palũbaram ſuo nomine occuparet, eò cum militibus ſuis profectus, locum ipſum aliquot dies obſedit. Verùm ſuperueniẽte Matthæo Poiano & Frãciſco Sabello ac pleriſq; alijs militum





litum ductoribus pontificis ac Cardinalis Columnenſis mandato, ſoluta obſidione Palumbaram ingreſſi, ad viginti ruſticos ex his potiſſimum, qui tumultũ concitauerant, laqueo interemptos membratim diuiſere, cæteris exemplum daturi, ne in dominos ſuos tam grande facinus molirentur. Apparente deinde per aliquot dies cometa crinito & rubeo, cum mathematici ingentem peſtem, caritatem annonæ, magnam aliquam cladem futuram dicerent, ad auertendam iram Dei Calliſtus aliquot dierum ſupplicationes decreuit, vt ſi quid hominibus immineret, totum id in Turcos Chriſtiani nominis hoſtes conuerteret. Mãdauit præterea, vt aſſiduo rogatu Deus flecteretur, in meridie campanis ſignum dari fidelibus omnibus, vt orationibus eos iuuarent, qui contra Turcos continuo dimicabant. Crediderim tum ego precibus omnium Chriſtianos ad Bellogradum contra Turcos dimicantes duce Ioanne Vaiuoda viro clariſſimo, aſtante etiam Ioanne Capiſtrano ordinis Minorum, crucemq́ue pro vexillo hoſtibus inferente, eos Bellogradum oppugnantes ingenti clade ſuperaſſe.

*Cur in meridie cãpanæ ſono Deum ſalutemus.*

Ad ſex enim hominum millia ex hoſtibus interfecta ſunt, cum parua noſtrorum manu, vt Caruaial ſancti Angeli Cardinalis, ad põtificem & ad Dominicum Capranicum ſanctæ crucis cardinalem ſcripſit: hoſtium quoq; commeatus omnes, ad cẽtum & ſexaginta bombardæ captę ſunt, qua clade perterritus Turcus, Conſtantinopolim properè ſe recepit. Actum de crudeliſſimo genere tunc certè fuiſſet, ſi Chriſtiani principes omiſſis inteſtinis bellis & odijs, terra ac mari tantam victoriam proſecuti fuiſſent, quemadmodum Calliſtus prædicabat & monebat. Verũ his reſumptis viribus & Trapezon prius imperatore interempto, & Boſinã deinceps rege capto atq; interfecto, poſtea cepit, admonentibus Chriſtianos omnes his, qui rerum experientia & locorum cognitione tantam cladem à longè tanquam è ſpecula quadam præuidebant. Non ceſſabat Calliſtus litteris & nuncijs principes Chriſtianos adhortari, vt in tanto malo oculos aliquando aperirent, fruſtra remedia deinceps quęſituros, vbi iam hoſtis inualuiſſet. Ecce autem, dum vir bonus hæc meditatur & prædicat, Iacobus Picenninus à Venetis diſcedens, cum magno equitatu ac peditatu in agrũ Senenſem hoſtili animo deſcendit, repetens à Senenſibus aliquot millia nummũm aureorũ, quæ, vt dicebat, patri Nicolao, qui eorum auſpicijs quondam militauerat, ipſi meritò debeant. Senenſes aũt ſuæ reip. cõſulturi, omnes Italiæ principes ex fœdere in auxilium vocant: maximè verò põtificem, qui eos primò admonuit, vt ne quadrãtem quidem Iacobo darent, deinceps verò & milites ſuos contra Picenninũ ipſum miſit, ac principes Italiæ adhortatus eſt, vt idem ipſi facerent, ne aliquod graue incẽdiũ in Italia excitaretur, quod nõ ita facilè extingui poſſet. Veriti omnes, ne id certè eueniret, ꝙ põtifex prædicabat, auxilia properè Senenſibus miſêre. Solus aũt Alphonſus, qui Iacobo fauebat hominemq́; ad ſe vocauerat, eius beneuolentiæ memor, quã antea cum patre Nicolao Picẽnino cõtraxerat, Senẽſibus ex fœdere auxilio nõ fuit immo verò & comitem Petilianum in Senenſes ita cõcitauerat, vt tãti mali prima cauſa inde exorta videatur. Verùm ſuperuenientibus auxiliaribus copijs, tũ à Frãciſco Sfortia, tum à Venetis, eò redactus eſt Picenninus aliquot prœlijs, ſi nõ fuſus, ac mutilatus & debilitatus, maximè verò ad Orbetellũ, vt cõſcẽſis Alphõſi triremibus, quæ ad hominem miſſę ſunt, rerum omnium inopia laborantẽ, in regnũ tãta re fruſtra tẽtata, profectus ſit. Quare & Calliſti & ſociorum opera atq; auxilio Senẽſes magno periculo liberati ſunt, qui nõ minus inteſtino, q̃ externo bello laborabãt cum nõ deeſſent ciues quidam, qui ſpreta libertate, factionẽ Alphõſi ſequerentur, quorum etiam opera tantum bellum cõcitatum crediderim. Sed ciues benè ſentientes, aut pulſis, aut cæſis malè de patria merẽtibus, libertatẽ, quam tum magno labore & ſumptu peperere, nunc etiam & quidem diligenter tuentur: animaduertere & tum acerrimè in militarem licentiã trãsfugas, interfecto Giberto Corrigia, eiusq́; milite in prædam dato: paululũ quoq; abfuit, quin idem etiam Sigiſmundo Malateſtæ acciderit, qui tum eorũ ſtipendio militabat, quiq́; & bellum in longum ducebat & predam ex agris eorum nõ aliter abigebat ac ſi hoſtis eſſet. Eodem quoq; anno tãtus in regno Neapolitano terræmotus exortus eſt nonis Decembribus, vt, & multa templa, & plures ædes cum magno hominum

minum, ac pecorum interitu corruerint, maximè verò Neapoli, Capuæ, Caietæ, Auerſæ, cæterisque veteris Campaniæ vrbibus, quarum ruinas ego cum maxima admiratione deinceps inſpexi, dum cernendæ vetuſtatis ſtudioſus eò me contuli. Repetebat tum votum Alphonſus tertio quoque verbo, quod in Turcos fecerat, & ſe quòd vouerat, breui facturum dicebat: verùm nec ſic quoque impelli ad ſanctam militiam potuit, adeo erat illecebris Neapolitani regni irretitus. Calliſtus autem ſedatis Italiæ rebus, nouem Cardinales creat: quorum duo ex ſororibus fuere eius nepotes, Rodoricus Borgia, & Lucius Ioannes, cognomento Millanus ex ſorore nepos. Aeneam quoque Senenſem epiſcopum Cardinalem creauit, cuius opera in componenda Italiæ pace, dum Senenſes bello vexarentur, vſus fuerat. Verùm mortuo comite Taliacocij, quem ſuperiore anno pontifex vrbis præfectum creauerat, ſtatim inter Auerſæ comitem & Neapolionem Vrſinum orta diſſenſio eſt, cum Auerſæ comes Monticellum non longè à Tibure poſitum occupaſſet, quòd diceret eam hæreditatem ad nurum ſuam pertinere comitis filiam, contra inſtaret Neapolio, id ſuum eſſe debere iure hæreditario, quippe cùm comes ipſe ex gente Vrſina haberetur. Ex altercatione autem duorũ de hæreditate inter ſe, armis etiam concertantium, maxima damna populus Romanus tum certè perpeſſus eſt. Verùm compoſita hac etiam controuerſia, iuſſo vtroq; armis diſcedere, Calliſtus Borgiam nepotem ſuum & vrbis præfectum creauit in locum demortui comitis, & eundem militibus eccleſiaſticis præfecit, quo facilius barones vrbis Romæ in officio contineret. Mortuo verò non ita multò pòſt Alphonſo, hærede legitimo carente, tanti animi Calliſtus fuit, vt regnum illud repetere ſit auſus, dictitans id ad ſedem apoſtolicam Alphonſi morte iure feudatario deuolutũ eſſe. Parabantur iam vtrinque arma: nec Ferdinãdus Alphonſi hæres animos hominis cõtemnebat. Norat enim hominis ingeniũ & animi eius amplitudinem. Verùm eius morte diſturbata ſunt omnia, & tãto metu Ferdinãdus liberatus eſt. Moritur autem Calliſtus põtificatus ſui anno tertio, menſe tertio, die decimoſexto; ſepeliturq; in Vaticano ad ſiniſtrã baſilicę ſancti Petri in templo Rotundo, quod ſanctæ Mariæ in febribus dedicatum eſt, Nicolai impẽſa antea reſtitutum. Moritur etiam nõ multò pòſt Borgias, nepos, qui in ciuitatem veterem cõfugerat, Vrſinæ familiæ odia declinans, quæ ipſe cõtraxerat, dum alteri factioni magis fauet. Calliſtus autẽ in omni vita vir integerrimus eſt habitus, ſed hæc eius præcipua laus eſt, quòd dum epiſcopus eſſet aut Cardinalis, beneficium aliquod in commendatione nunquam voluit, dicẽs ſe vna ſpõſa, & quidem virgine contentum eſſe, hoc eſt, eccleſia Valentina, vt ius põtificiũ mãdat. Eleemoſynas prætere a pauperibus Chriſti, & ſeruis Dei frequentes dabat, tũ publicè, tum priuatim. Virgines pauperes collata dote maritis collocabat. Nobiles ad inopiam redactos, ſua impẽſa in vita retinebat. Vtebatur & munificẽtia erga principes quando opus erat: maximè verò erga eos, qui nomen Chriſtianũ auctoritate & opibus ſuis iuuare poterant. Ad Vſumcaſſanum, Perſarum & Armeniæ principem, ad regem Tartarorum Ludouicum Bononiẽſem ordinis ſancti Franciſci fratrem, miſit cum multis & magnis muneribus, eos in Turcũ excitãs, qui perſuaſu hominis & magnas Turcis calamitates intulere, & oratores ſuos, quos ad Calliſtum deſtinauerant, ad Pium pontificem demum miſit: quos certè cum admiratione, tum ob interualla locorum, vnde venerãt, tum vel propter habitum noſtris oculis inſuetum inſpeximus. Ferunt Vſumcaſſanũ, ſuperatis perſæpe hoſtibus ad põtificem ſcripſiſſe, ſe quidem victoriam ex hoſte reportaſſe ob preces ab eo ad Deum habitas, eiuſq; beneficij diuini potius quàm humani ſe aliquando memorem futurum. Inchoata hæc amicitia à Calliſto eſt, quam nũc cõſtanter Chriſtiani cum ipſo principe retinent, qui Turcũ cõtinuis prælijs vexat. In ędificijs autem paruos ſumptus fecit, quòd ei parum viuere licuit: quodq; pecunias in vſum tanti & tã periculoſi belli colligebat. Reſtituit ſolum ſanctæ Priſcæ in Auentino templum, & mœnia vrbis dirupta ac ferè ſolo æquata. Aulæa tamẽ quędam auro intertexta ab eo empta cernũtur. In victu ſuo parcus eſt habitus, in ſermone modeſtiſſimus. Facilis aditu quantum ei per ętatem licebat: iam enim octogeſimum attigerat annum, nec tamen de ſtudijs ſuis quicquã remiſerat. Legebat



gebat ipſe, aut legentes audiebat, ſi quid in tanto rerũ faſtidio ei temporis ſupererat. Officiũ trãsfigurationis domini noſtri Ieſu Chriſti ipſe compoſuit, iuſſitq; eo modo atq; cum his indulgentijs celebrari, quibus celebritas corporis Chriſti in precio haberetur. Oratores ad ſe venientes mira beneuolẽtia complectebatur: quorum precibus aut poſtulatis ab honeſto diſcedere nunquam voluit. Hanc ob rem cum Alphonſo ſimultates exercuit, quòd is peteret epiſcopatus interdum his dari, quibus vel propter ætatem, vel ignorationem tum litterarum, tum rerum humanarum, committi nequaquam debebant. Moriens autem Calliſtus, centum & quindecim millia nummûm aureorum reliquit, quos in vſus bellicos contra Turcos comparauerat. Dum autem Calliſti funus celebraretur, moritur & Dominicus ſanctæ crucis Cardinalis, & ſummus pœnitentiarus, vir quidẽ grauis ac ſapientiſſimus: ſepeliturque in templo Mineruæ bonis omnibus præ dolore lachrymantibus.

ALFONSVS Borgia ex Caſtello Valentinæ Diœceſis Sciatiua patre Iohanne, genere nobili ortus, & omnibus liberalibus artibus inſtructus, *Ex Onuphrio.* Epiſcopatum Valentinum iuuenis adeptus eſt. Alfonſi Regis Legatus ad Eugenium Papam IIII. miſſus, ab eo Presbyter Cardinalis tt. SS. Quatuor Coronatorum denũciatur. Mortuo Nicolao V. Romæ, in palatio Vaticano à XIII. Cardinalibus ſummus Pontifex, V. Idus Aprilis, anni ∞ CDLV. creatus, & apud S. Petrum coronatus, ſedit Imperatore Cæſare Frederico III. Auguſto, annos III. menſes IIII. Pontificatu inito bellum Turcis indixit, ad XVI. triremium claſſe, Duce Ludouico Cardinale Aquileienſi Legato, maritima hoſtium loca inuaſit, & toto quo vixit triennio multis eos cladibus afflixit. Sed & terreſtri bello magna Turcis à Chriſtianis clades illata eſt. Quippe qui ad Taurunum in Pannonia, inſigni bello Iohanne Vaiuoda Duce, adhortatore Iohanne Capiſtrano Minorita ſuperati, circiter LX. millia hominum amiſerunt. Mahometes Tyrannus ſaucius fuga ſalutem quæſiuit. Ea victoria Pontifex feſtum S. Trãsfigurationis D.N. IESV CHRISTI, VIII. Idus Auguſti inſtituit, Solennes ſupplicationes habuit. Mortuo Alfonſo Rege ſine legitimo hærede, Neapolitanum regnum repetijt, repugnante Ferdinando. Dum arma Pontifex pararet, octuogenario maior, VIII. Idus Auguſti, anno ∞ CDLVIII. rebus humanis eximitur: Cardinalibus IX. duabus Ordinationibus creatis. Vacauit ſedes dies XII. Ipſe in Sacrario Sancti Petri marmoreo tumulo ſepultus eſt, ſine vllo Epitaphio.

## PIVS II.

PIus ſecundus, Aeneas cognomento Picolhomineus antea vocatus, natione Italus, Senis oriundus. *Pont. 219.* Corſiniani ortus, patre Siluio, matre Victoria, patrum omnium conſenſu pontifex creatur tertiodecimo calendas Septembris milleſimo quadringenteſimo quinquageſimooctauo. Nam pater eius à plebe Senenſi cum reliqua nobilitate è republica deiectus, & ad fundum gentilicium Corſinianum vallis Vrciæ oppidum ſe conferens infantem eo loci ex vxore ſuſcepit. Nato puero, Aeneas Siluius nomen pater indidit. Puerpera aũt per quietem viſa eſt ſibi infantem cum mitra parere, quę (vt pronæ ſemper in peius mẽtes hominum ſunt) verita eſt, ne ſomnium illud puero & familiæ ignominiam portenderet: neque antea huiuſcemodi ſuſpicione leuari potuit, quàm poſtea intellexerit filium Tergeſtinum epiſcopum deſignatum fuiſſe: quo nuncio omni prorſus metu libertata, immortali Deo gratias egit, quòd defunctum meliore fato, quàm ipſa coniectauerat, filium ſibi videre contigiſſet. Prius tamẽ cum iam per ætatem diſcere aliquid potuiſſet, Corſiniani ſingulari memoria & ſumma docilitate grammaticam didicit: parcè adeo ac duriter vitam ducens, vt omnia ruris officia ob inopiam adire ſit coactus. Annũ verò decimum & octauum agẽs, Senas proficiſcitur: vbi à neceſſarijs & cognatis adiutus, poëtas primo, mox oratores audiuit: quibus facultatibus tantũ ingenio & diligentia valuit, vt breui præclara poëmata Latina & Etruſca lingua ediderit, ludens credo in amorem, quo ætas illa maximè conflictatur. Inde verò ad ius ciuile ſe contulit: quod

profectò non ita multò pòſt deſerere coactus eſt. Orto nanque inter Senenſes &
Florentinos bello, caritatem annonæ veritus, & nobilitatem plebi Senenſi ſuſpe
ctam cernens, voluntarium ſibi velut exilium adſciuit, ſecutus ampliſsimũ vi-
rum Dominicum Capranicum, qui tum Senis iter faciens, ad Baſileẽſe conciliũ
proficiſcebatur, queſtum iniurias ab Eugenio pontifice ſibi illatas propter dene-
gatum galerum Cardinalatus inſigne, quo etiã abſentem Martinus ob eius vir-
tutem, & integritatem meritò donauerat. Huius igitur cõtubernio vſus, poſt lõ-
gos itineris labores ſuperatis alpibus cælo vicinis, & congelatis niuibus opertis,
per inferni pontem, Lucernæ lacum, Heluetiorum campos, Baſileam tandẽ per-
uenit. Quo in conuẽtu, etſi multa negocia Aeneæ Dominici ſecretario obuene-
rint, ſemper tamen eſt aliquid ocij ſuffuratus, quod litteris traderet. Dominicũ
deinceps paupertate & inopia circumuentum, quippe cui beneficiorum & pater-
næ hæreditatis prouẽtum omnem Eugenius denegabat, relinquere nõ ſine lacry
mis cogitur, Barptolomæum Nouarienſem epiſcopum ſecutus, quo cum Flo-
rentiam, vbi Eugenius pontifex erat, peruenit. Sed hunc quoque in iudicium ob
crimẽ læſæ maieſtatis ab Eugenio accerſitum, Aeneas relinquere impellitur, Ni-
colaum ſanctæ crucis Cardinalem ſecutus, patrem certè optimũ, ac omnium o-
pinione ſanctiſsimũ, qui Attrebatũ profectus Eugenij iuſſu, vbi cõuentus Gal-
lorum principum habebatur, pacem inter ducem Burgũdiæ, qui cũ Angelis ſen-
tiebat, & regem Franciæ compoſuit. Redeunte autem in Italiam Nicolao, quem
Veneti ac Philippus Mediolani dux auctorem componendæ pacis requirebant,
Aeneas nõ admodũ Eugenio gratus Baſileam proficiſcens, magno ſemper in ho
nore apud omnes eſt habitus. Fuit enim ſcriba in ſynodo illa celeberrima, & lit-
terarũ apoſtolicarũ abbreuiator, Duodecimuir, qui magiſtratus in tãto cõuentu
cenſorius habebatur. Nihil enim publicè per quempiam agi poterat, niſi horum
grauiſsima auctoritas interueniſſet: & ſi qui admiſſi ad cõſultandum de rebus cõ
ciliaribus minimè idonei habiti ſunt, horũ iuſſu ſenatu mouebãtur. Erant in eo
cõcilio quattuor cõuentus, qui deputationes more aulico vocabãtur, apud quos
de fide, de pace, de reformatione, de cõmunibus, agebatur. His magiſtratibus ſin-
guli præſidentes ſingulis menſibus præficiebantur. In deputatione fidei, cui Ae-
neas erat aſſcriptus, ſæpe præſedit. Inter collatores beneficiorum bis quoque ele-
ctus in eo autem cõuentu perſæpe orauit, ſed illa eius oratio egregia & elegãs eſt
habita, qua in eligenda concilij ſede idonea, Auinioni, Vtini, Florentiæ, Papiam
anteferendam oſtendit, rerum opportunitate, ſitu loci, ædium priuatarũ magni
ficentia, cæli benignitate & clementia, cõmoditate rerum omniũ, quæ vrbi poſ-
ſunt importari liberalitate Philippi ducis. Cum verò aliquid per nationes agen-
dum erat, vnus ſemper ex Italica deligebatur, qui rebus agendis præeſſet, tãta erat
in homine morum facilitas, & ingenij dexteritas. Legationes verò plures cõcilij
cauſa obiuit, Argentinam tertio, Tridentum ſemel, Cõſtantiam ſecundo, Fran-
cofordiã ſemel, in Sabaudiam iterum mittitur. Deſignato autem poſt lõgas con-
ſultationes concilij in põtificem Felice, Eugenioq; excluſo, cũ octo viri ex vna-
quaq; natione deligerentur, quibus ſumma poteſtas in rebus cõciliaribus permit
teretur, Aeneas põtificis ſecretarius, magiſtratum illum vltro oblatum renuit.
Orator deinde ad Fredericum imperatorem à Felice miſſus, tantũ dexteritate in-
genij apud hominem valuit, vt eum corona poëtica donatũ, in amicos & proto-
notarium receperit, ita eos Germani appellant, quos principes ſecretis adhibent.
Relatus deinde in ſenatoriũ ordinem, quem princeps in rebus grauibus cõſulit,
tantum valuit doctrina & auctoritate, vt facilis in quauis re ad ingeniũ pertinẽ-
te prim⁹ haberetur, licet ęmulos & obtrectatores multos habuerit. Interim verò
cum de abolendo ſchiſmate inter Eugenium & imperatorem agi cœptum eſſet,
eiusq; rei cauſa ad põtificem Aeneas proficiſceretur, Senis aliquandiu moratus, à
ſuis vehemẽter rogatur, ne ad Eugenium proficiſceretur: veriti enim ſunt, ne in
eum pontifex grauiter animaduerteret, quod eius auctoritas in Baſileẽſi cõcilio
ab Aenea epiſtolis & orationibus perſæpe impugnata diceretur. At homo con-
ſtans ſua innocentia fretus, ſpretis cognatorum precibus, Romam proficiſcẽs, ſe
primum apud Eugenium eleganti oratione purgat, quod eorum auctoritatẽ ſe-
cutus



cutus eſſet, quorum ſententia Baſileenſe concilium fuerat approbatum. Dein-
de verò his de rebus cum eo agere cœpit, quarum gratia ab imperatore venerat.
Miſsis deinde in Germaniã duobus ab Eugenio oratoribus, quorum alter Tho-
mas Sarzanus fuit, alter vero Ioannes Caruaial; tandem horũ virtute & Aeneæ
induſtria, vt in Nicolao diximus, neutralitas ſublata eſt. Vt verò etiam id rebus,
non verbis tantum appareret, imperator Aeneam ipſum Romam mittit, qui
Eugenio publicè diceret, ſe ac Germanos omnes in humanis diuinisq; ei dein-
ceps obtemperaturos. Mortuo autem eo tempore Eugenio, dum alter pontifex
in locum demortui ſuffragijs patrum deligitur, Aeneas conclaui pręfuit: nullus
enim orator tum in vrbe erat tanto munere dignior. Creato autẽ Nicolao pon-
tifice, accepta abeũdi venia, dũ ab Eugenio ſubdiaconus creatus, iter in Germa-
niam facit, epiſcopus Tergeſtinus moritur, in cuius locum Aeneas, ſe quidem
inſcio à pontifice & imperatore ſuffectus eſt. Philippo præterea Vicecomite ſine
hærede mortuo, à Cæſare ad Mediolanenſes orator mittitur. Apud quos oratio-
nem habuit de imperio vrbis hæreditario, deq; fide ſeruanda: cui quidem ſi po-
pulus ille obtemperaſſet, adhuc fortaſſe libertate vteretur. Secundo verò ad eos
rediens, extrema quæq; ob libertatem patientes, obſidente Mediolanum Fran-
ciſco Sfortia, vrbem ipſam cum maximo diſcrimine ingreditur, relictis ad No-
uocomum collegis, quos timor ab officio deterruerat. Inde autẽ re infecta abi-
ens, imperatoris mandato ad Alphonſum Aragoniæ regem proficiſcens, epiſco
pus Senenſis, vnde originem ducebat, à Nicolao creatur. Compoſita deinde in-
ter Alphonſum & imperatorem affinitate, ad hominem in Germaniam rediẽs,
eum ſemper adhortatus eſt, vt primo quoq; tempore in Italiam ad accipiendam
imperij coronã proficiſceretur. Vnde Fredericus iter in Italiam ingreſſus, Aene-
am præmiſit, vt Leonoræ vxori è Luſitania vel Portugallia, vt nunc dicitur, ad
Hetruſcũ littus peruenturæ honoris gratia obuiam fieret. Qui vbi Senas perue-
nit, nõ diu in vrbe moratus, populo ſuſpectus eſſe cœpit, ne aduentante impera-
tore pulſis popularib⁹ optimates reipub. gubernãdæ præficeret. Aeneas igitur vt
populum ſuſpicione leuaret; Thalamonẽ, quò Leonorã peruenturam putabat,
proficiſcitur: non tamẽ ob eius diſceſſum quieuere popularium animi. Relega-
ta nanq; per agros ad tẽpus omnis nobilitas eſt, cui paulò pòſt vt mutabiles ſunt
popularium mentes, redeundi in vrbem poteſtas facta eſt, cognita imperatoris
integritate, & Aeneæ modeſtia. Is verò Piſas cõtendens, quò Luſitanos applicu-
iſſe intellexerat, puellam vni ſibi creditã ad imperatorẽ, qui tum Senis erat, per-
duxit. Romã deinde tum proficiſcens, & priuatim & publicè (dũ Cæſar corona
imperij donaretur) egit omnia. Imperator præterea ad Alphonſum ſalutãdi ho
minis cauſa iturus, Ladislaum regiũ adoleſcentẽ, quem Pannonij & Boëmi fur-
tim ab eo ducere ſæpe tentauerant, Romæ ſub tutela & cuſtodia Aeneæ, qui plu-
rimam fidẽ præſtabat, reliquit. Imperator aũt Romam iterum rediens, cum gra-
tias pontifici egiſſet, Ferrariam proficiſcitur, Borſioq; Eſtenſi Mutinę duce crea-
to: vbi Germaniam attigiſſet, Aeneam ſtatim ex mandato pontificis cũ ſumma
poteſtate oratorem in Boëmiam & oẽs Auſtriæ ciuitates mittit. orta nanq; erat
inter eas & imperatorem controuerſia pro Ladislao rege, quẽ illæ ad ſe mitti po
ſtulabant. Sublata aũt tanta controuerſia, ac pace inter vtroſq; cõpoſita, Aeneas
haud ita multò pòſt ad conuentum Ratiſponenſem mittitur, vbi imperatoris
vices gerens, præſente Philippo Burgundiæ duce, & Ludouico Baioariæ, de im-
manitate Turcorum, & de calamitate reip. Chriſtianæ tanta contentione dixit,
vt omnibus gemitum & lachrymas excuſſerit, præcipuè aũt Philippum Burgũ-
dum ad eam expeditionẽ adeo animare viſus eſt, vt bellum ſtatim omnium cõ-
ſenſu decerneretur: quod poſtea omiſſum eſt eorum ambitione & ſtultitia, qui
cuncta ſibi deberi putabant. Aeneas verò ingraueſcente iam ætate, tædio laborũ
ac diutina inter exteras gentes peregrinatione feſſus, redire Senas ad lares patri-
os inſtituerat: quem tamẽ facilè imperator, è ſententia mouit, cùm diceret, ſibi
in animo eſſe, Turcis ipſis bellum inferre. Miſſus itaq; ob eam rem ad Frãcofor-
dienſem conuentũ Germanos principes, qui ex tota prouincia eò conuenerant,
grauiſsima & longa oratione ad bellũ periculoſum & neceſſariũ, multis ratio-

 nibus

nibus adhortatur. Viſus eſt quidem omnes vehementer commouere. Verùm
hoc natura compertum eſt, eorum animos cito reſidere, quorum affectus perfa-
cilè mouentur. Tertius item eadem de re in Noua ciuitate conuentus habetur,
in quo Aeneas mirificè annixus pedibus & manibus eſt, vt aiunt, rem ex ſenten-
tia perficere: priuatim & publicè vnumquenq; ad id bellum cohortando, quo ſa
lus Europæ, principem ac populorum libertas, dignitas Chriſtiani nominis cō-
tinebatur. Nec aberat à ſpe perficiendæ rei, cum ſubitò nūciatum eſt Nicolaum
pontificem è vita migraſſe, cuius in morte diſturbata ſunt omnia: nam & con-
uentus ſoluitur, & Germani rerum nouarum cupidi, perſuadere imperatori an-
nixi ſunt, ne pontificibus amplius obtemperaret, niſi quædam ad pragmaticam
tendentia ab ipſis prius impetranſſent, quòd dicerent Germanis longè peiorem
conditionem eſſe, quàm vel Gallis vel Italis: quorum ſerui, Italorum in primis,
ni res immutarentur, merito eſſe dicebātur. Nec certè procul abfuit, quin impe-
rator tumultuantibus obſequeretur. Quo minus aūt id fieret, grauiſsima Aeneę
auctoritas interceſsit: cuius hæc fuit apud Cæſarem ſententia, Inter principes
etiam de magnis rebus inter ſe diſsidentes, pacem aliquando & amicitiam com-
poni poſſe. At inter principem & populum immortale odium ſemper interue-
niſſe: quare dicebat, ſatius ſibi videri cum pontifice ſentire, quàm eorū cupidita-
tibus obtemperare, quorum mentes non ratione, ſed appetitu & cupiditate du-
cūtur. Motus hac ratione imperator, ſpreta populorum poſtulatione, Aeneam
oratorem deligit, qui ad Calliſtum mitteretur. Is aūt Romam profectus, cū Fre-
derici iuramentū pōtifici de more exhibet, collaudato quantū ſatis erat vtroq;,
tota eius oratio fuit de bello Turcis inferendo: adeo erat ad eam rem animatus.
Videbat enim vir ſapientiſsimus id, quod poſtea vſu accidit, barbaros victoria
elatos, occupata Græcia non quieturos. Inde verò ad pacem Italiæ cōuerſus, qua
perfecta, bellum Turco inferri poſſe exiſtimabat, pontificem ad eam rem vehe-
menter adhortatur. Premebantur tum Senenſes comitis Petiliani & Iacobi Pi-
cennini armis, qui Alphonſi potius quàm proprijs auſpicijs bellum illud gere-
bant. Vt igitur omnis belli vis extingueretur, Aeneas iuſſu pontificis & ciuium
ſuorum rogatu, Neapolim ad Alphōſum proficiſcitur: quò etiam totius fermè
Italiæ legati de pace acturi cōuenerant: quibus cum certè vſq; ad eam diem ea de
re nil adhuc actum erat. Verùm ſuperueniente Aenea, tum demum ſibi de pace
conuenturum dixit: quando is quidem quem vnicè diligebat, ad ſe ob eam rem
acceſsiſſet. Impetrata itaq; pace, ac liberata ab hoſte patria, apud Alphonſum, cu-
ius familiaritate plurimum delectabatur, aliquot menſes fuit, quo tempore ſer-
uata oportunitate hominē elegāti & copioſiſsima oratione, ad bellū maritimū
orientalibus inferendum perpulit. Inde verò Roma abiens, iter in patriā factu-
rus, à Calliſto pontifice retentus eſt, à quò etiam non multò pòſt patrum omniū
conſenſu in numerū cardinalium refertur. Apud Calliſtum verò tātæ auctori-
tatis & gratiæ fuit, vt hominē impulerit oratores ad Senenſes mittere, qui tū ci-
uili diſcordia laborabāt, vt populum tumultuantē ad pacem & cōcordiam ad-
hortarentur. At verò dum in balneis Viterbianis valetudinis cauſa eſſet, hiſto-
riāq; Boëmicam inchoaſſet, mortuo Calliſto Romā ſtatim redijt: cuius expecta-
tio tanta fuit, vt magna pars populi Romani officij cauſa obuiam progreſſa, ho
minē, quaſi diuinarent, vt pontificem ſalutāt. Ad hunc enim cōſenſu omnium
pontificatus deferebatur. Ingreſſus itaq; cōclaue, patrum omniū ſuffragijs pon-
tifex maximus, vt dixi, creatur. Accepta deinde pontificia corona, qua tertio no
nas Septemb. pontificali apparatu baſilicam Petri ingreſſus eſt, cū Deo immor-
tali gratias egiſſet, ſe totū cōfirmata prius eccleſiæ ditione, ad curā reipub. Chri-
ſtianæ cōuertit. Nā & bellum ante eius pontificatū in Vmbria exortum, Iacobo
Picennino duce rerum nouarum cupido, ſtatim eo pōtifice ſublatum eſt, Aſsi-
ſium & Nuceria ab hoſte recepta. Inter Ferdinandum regem & Sigiſmundū Ma
lateſtam, quod difficillimū factu videbatur, compoſitæ induciæ, quò Mantuam
omnibus, vbi cōmunem Chriſtianorum conuentum indixerat, tuto proficiſci
liceret. Creato autem principe Columnenſi vrbis præfecto in locum demortui
Borgæ, relictoq; Romæ legato Nicolao Cuſa ſancti Petri ad vincula cardinali,
media



media hyeme ab vrbe diſcedit, per eas ciuitates iter facit, quæ ciuili diſcordia ad
bellum potius quàm ad pacem ſpectare videbantur, populos ad concordiam &
quietem adhortatur. Mantuam poſtremo vndequaq; ventum eſt. Magnus ade-
rat principum numerus, magna legatorum vis. Ex tota enim Europa nulla na-
tio, gens nulla fuit, quæ non aut principes, aut legatos eò miſerit. Actum deni-
que eſt in illo celeberrimo cōuentu, Pio ipſo dicente, vt bellum communi om-
nium decreto Turcis indiceretur. Dictæ ſentētiæ, qua id ratione geri poſſet. Pro-
poſitum periculum, quod ceruicibus Chriſtinorū immineret. Motæ ſunt om-
nibus lachrymæ, cum eorum calamitates exponerentur, qui à barbaris in gra-
uiſsimam ſeruitutem quotidie abducebatur. Incenſi animi, cum oſtēderet Tur-
cos occupata Græcia & Illyrico, interiorem Europam penetraturos. Nil eſt certè
ab eo prætermiſſum, quod ad mouēdos Chriſtianorum animos pertineret. Ma-
gna quidem in dicendo Pij laus fuit, quòd, cum ſæpius iiſdem de rebus loquere-
tur, diuerſa ſemper viſus eſt dicere: tanta erat in homine elegantia & copia. Gal-
lorum querimonias & calumnias Renati regis, quòd eundem corona regia do-
naſſet, tribus actionibus acerrimè confutauit. Agebantur hæc in Mantuano cō-
uentu, cum tota ferè Europa relicto externo bello, ad inteſtinum animos atque
arma conuertit. Surgunt Germani, partim in ſeipſos, partim in Pānonios: quo-
rum opera tantum tamq; neceſſarium bellum magna ex parte confici potuiſſet.
Excitatur Britannia duplici factione: quarum altera veterem in inſula regem,
altera nouum, fugato vetere, retinere conatur. Surgunt præterea Hiſpani Bar-
chionenſibus auxilio futuri: quos Aragoniæ rex Gallorum armis adiutus, bello
premebat. Et ne quid ad diſturbanda omnia deeſſet, Italia Europæ caput, relicto
externo bello, ad inteſtinum animos atq; arma conuertit. Gerebatur tum bel-
lum in Apulia, quo Ioannes Renati regis filius, Ferdinandum regno pellere co-
nabatur. Hinc duplex factio in tota prouincia exorta eſt: cum ij Ferdinando, illi
Renato fauerent. Pius itaq; omiſſo Mantuano conuentu, ad ſedandos motus in
Etruriam rediēs, Viterbium ab aduerſa factione per fraudem occupatum, haud
magno negocio recipit. Picentes ob fines domeſticos acerrimis bellis exagitati
partim ratione, partim metu ad pacem redigūtur. Vmbros ſimili contentione
diſtractos, ac magnis cædibus oblitos & fœdatos, auctoritate ſua tandem ſeda-
uit. Senenſium rempublicam ſublatis ſeditionibus omnibus, quibus triennio
ante laborauerant, conſtituit. Exules quoſdam, viros certè præclaros, in patriam
reſtituit. Nobilibus reipublicæ adminiſtrationem reddidit: in Sabinorum verò
perfidiam animaduerſum eſt, quòd hoſtem publicum commeatu & trāſitu iu-
uiſſent. Romæ grauiſsimos tumultus ſicariorū repreſsit, capto cum aliquot ſo-
cijs Tiburtio Angeli Maſsiani filio: quem diximus à Nicolao ob cōiurationem
interemptum, & laqueo ad feneſtras Capitolij ſuſpenſum: quòd auſi fuiſſent tē-
plum Pantheon occupare, atq; inde tanquā ex arce in optimum quenq; graſſari.
Tyrannos quoſdam ad res nouas ſpectantes, è finibus eccleſiæ bello ſubmouit:
neminem vnquam bello attigit, ad quem legatos nō prius miſerit, ſi quo modo
ad ſanitatem rationibus adduci poſſet. Fredericum Vrbinatem copiarum ſuarū
ducem, Alexandro Sfortia in Marſos miſit, qui Iacobum Picenninum remora-
retur à Renato mercede conductum, ne in Apulia ad Gallos Ferdinandum bel-
lo vexantes tranſiret. Ferdinando autem ad* Sardinum fugato, auxilio fuit, quò Sarnum.
minus regno ſpoliaretur: veritus, ne ſi Galli regnum occupaſſent, victoria elati,
libertatem Italiæ ſubuerterent. Legatorum à Gallis venientium minas & polli-
citationes, quibus ſe à Ferdinando ad Renatum traducere conabantur, facilè cō-
tempſit: Sigiſmundi Malateſtæ eccleſiæ Romanæ vectigalis furores ac rabiem,
cenſuris & armis compreſsit. Is enim ſpreto fœdere, quod inter ſe & Ferdinandū
fuerat à pontifice ictum caſtella omnia ob ſeruandam fidē data, contra ius fasq;
vi cepit. Legatum eccleſiæ Romanæ ad * Nidaſturem fugauit, Picentibus bella Midaſturē.
intulit. Huius verò rabies ſequenti anno ad Senogalliam Frederico Vrbinate &
Neapolione Vrſino ducibus, graui prælio compreſſa & caſtigata eſt, recuperata
Senogallia. Expugnatum fortunæ fanum Nicolao Piſtorienſi cardinali ſan-
ctæ Cæciliæ legato, ac magna pars Ariminenſis agri ei adempta eſt, ne poſſet ali-
quando

quando ad rebellionem ſpectare. Pugnatum eſt præterea non ita multò pòſt à
Ferdinando pari felicitate ad Troiam Apuliæ oppidum, quo prælio princeps Ta
rentinus ac pleriq; alij, qui nouarum rerum cupidi Gallica ſequebantur arma,
adeo ſunt perterriti, vt ſupplices à rege pacem petentes, in eius amicitiam redie-
rint ferè omnes præter paucos, quos poſtea rex bello inſecutus, aut regno expu-
lit, aut ad ſanitatem redegit. Pius aũt duobus maximis ac grauiſsimis bellis libe-
ratus, expeditionem Aſiaticam, quæ in Mantuano conuentu regum ac principũ
ambitione & auaritia fuerat omiſſa, repetit: ſocios belli Vngariæ regẽ, Philip-
pum Burgundiæ ducem ac Venetos, quòd hi promptiores ad eam rem eſſe vide-
rẽtur, ſibi adiungit. Oratores & nuncios cum literis apoſtolicis ad gentes & na-
tiones Chriſtianas mittit, qui principes omnes, qui populos ad tantum bellum
tamq; neceſſarium adhortarentur. Ipſe interim Senas proficiſcitur, iturus vbi ei
per anni tempus liceret, ad balnea Petriolana, quæ potiſsimum eius ægritudinẽ
lenire videbantur. Ibi aũt cognoſcit Philippum Burgundum, qui ſemet ventu-
rum cum milite & claſſe vouerat, à tanta pollicitatione deſtitiſſe. Intelligit præ-
terea multos eſſe principes ac populos, non exteros modo, ſed Italos quoq;, qui
ambitione & liuore rem tantã diſturbare conarentur, quia eos viderent nobiliſ-
ſima præmia reportaturos, qui tantã belli molem ſubirent. Hos aũt (vt pontificẽ
decuit) ad ſanitatem reducere conatus eſt. Relictis verò balneis, ad vrbem profi-
ciſcitur: vbi vehementi dolore pedum & febre dies aliquot laborauit: quã ex re
factum eſt, vt nonis Iunij, quemadmodũ publico decreto enunciauerat, Anco-
nę eſſe nequiuerit. Delinita aũt aliqua ex parte ægritudine, oratores à rege Gallo
rum & Burgundiæ duce venientes, eiuſq; morã excuſantes, audit. Vocatis dein-
de ad ſe patribus cardinalibus, regi Boẽmiæ de fide catholica malè ſentiẽti diem
dicit: inde ab vrbe diſcedens, per Sabinos, Vmbros, Picentes, Ancona lectica ia-
cens defertur. In itinere autem magnã vim hominum ex Germania, Gallia, Hi-
ſpania venientium ad bellum Turcis indictũ offendit: quorũ magnã partem ab-
ſolutã peccatis, Germanorũ potiſsimum in patriã remiſit, quòd minus idonei
bello gerendo eſſent: quòdq; etiã belli impenſam, vt in literis apoſtolicis conti-
nebatur, ſecum nõ detuliſſent. Dum claſſem, quæ paſsim in portubus ſuperi in-
feriq; maris ad tãtum bellum fuerat ædificata; dumq; Venetorum ducẽ belli ſo-
cium Anconæ expectat, diutina & lenta febri afflictatꝰ, moritur anno ſexageſi-
moquarto ſupra quadringentos & mille, ſeptimodecimo calendas Septẽbris, ho
rã circiter tertiã noctis: anno verò pontificatus ſexto, diebus ſex minus. Tãtæ aũt
conſtãtiæ & fortitudinis fuit, vt tota ægritudine, graui quidem & longa, occupa-
tiones intelligẽdi, cauſas diuerſarum gentium audiendi, inhibendi, diſcernẽdi,
iudicandi, ſignandi, admonendi, caſtigãdi, intermiſerit nunquã. Eo aũt die, quo
è vita migrauit, duas horas ante extremũ vitæ ſpatiũ patres cardinales ad ſe voca
tos, conſtãti animo & voce non inconcinna ad concordiã in eligendo nouo põ-
tifice adhortatus eſt: quibus item honorẽ ſummi Dei, dignitatẽ eccleſiæ Roma-
næ, bellum à ſe in Turcos ſuſceptum, ſalutẽ animæ ſuæ, familiam oẽm, nepotes
verò maximè ſi cõmendatione dignos ſe præſtiterint, conſtanti ac graui oratio-
ne cõmendauit. Petijt ſponte ſacramẽta omnia, & ſigna integerrimi Chriſtiani
omnibus in rebus præ ſe tulit. Præterea verò acerrimè tum quidem diſputauit cũ
Laurentio Rouerella epiſcopo Ferrarienſi theologo doctiſsimo, liceretne ex-
tremã vnctionem iterare, qua ſemel inunctus fuerat, dum Baſileæ peſtilẽtia gra-
uiſsimè ęgrotaret. Orationes canonicas, vt intermitteret in tãta animi anxietate,
neq; domeſticorũ quidẽ precibus exorari potuit. Symbolum Athanaſij conſtã-
ter pronunciauit: & pronunciatum, veriſsimum ac ſanctiſsimũ eſſe dixit. Non
mortẽ exhorruit, nõ perturbationis, aut inconſtãtiæ, dum ſupremum ſpiritũ ef-
flaret, ſignũ aliquod edidit. Extinctus profectò magis quàm mortuus dici poteſt,
adeo longis ægritudinibus maceratus erat, vt corpus ſuũ Romã deferretur, ſuis
mãdauit. Affirmãt polinctores viuaciſsimũ cor in homine inuentũ. Funus An-
cona Romã defertur, comitãte familia lugubri veſte induta, ac lachrymis ſqua-
lida. Peractis aũt de more exequijs, in baſilica ſancti Petri conditur ad altare ſan-
cti Andreę, ſepulchro Frãciſci cardinalis Senẽſis impẽſa cõdito cũ hoc epitaphio:
PIVS



PIVS SECVNDVS PONTIFEX MAXIMVS NATIONE TV-
SCVS, PATRIA SENENSIS, GENTE PICOLHOMINEA: ſe-
dit annos ſex. Breuis pontificatus, ingens fuit gloria. Conuentum Chriſtiano-
rum Mantuæ pro fide habuit. Oppugnatoribus Romanæ ſedis intra atque extra
Italiam reſtitit: Catharinam Senenſem inter Sanctas Chriſti retulit: pragmati-
cam in Gallia abrogauit. Ferdinandum Aragonenſem in regnum Siciliæ cis fre
tum reſtituit: rem eccleſiæ auxit. Fodinas inuenti tum primum aluminis apud
Tolfam inſtituit: cultor iuſtitiæ & religionis. Admirabilis eloquio. Vadens in
bellum, quod Turcis indixerat, Anconæ deceſsit: ibi & claſſem paratam, & du-
cem Venetorum cum ſuo ſenatu commilitones Chriſti habuit. Relatus in vr-
bem eſt patrum decreto, & hic conditus, vbi caput Andreæ apoſtoli ad ſe ex Pelo-
ponneſo aduectum collocari iuſſerat. Vixit annos quinquaginta octo, menſes
nouem, dies ſeptem & viginti. Collegio autem cardinalium quinq; & quadra-
ginta millia nummûm aureorum, à vectigalibus eccleſię penſum, ob indictum
Turcis bellum reliquit. Has autem pecunias cardinales & triremes, quæ tum in
portu Anconitano erant, Chriſtophoro Mauro Venetorũ duci, qui biduo ante
Pij mortem cum triremibus vndecim applicuerat, cõmittunt his cõditionibus,
vt nauigijs pro eorum arbitrio bello nauali vterentur: pecunias verò ſtipendij
nomine ad Matthiam Vngarorum regem mitterent, bellum aſsiduo cum Tur-
cis gerentẽ. Mortuus eſt vir fortitudinis certę, ac prudentiæ ſingularis, & qui non
ad ocium, ad ſegnitiem, ſed ad res agendas, & maximas quidẽ natus videbatur.
Augerę maieſtatem pontificis conatus eſt ſemper. Non reges, non duces, nõ po-
pulos, non tyrannos in ſe aut eccleſiaſticũ quempiam delinquentes, bello, cen-
ſuris, interdictis, execrationibus perſequi prius deſtitit, quàm eos ad ſanitatẽ re-
dijſſe cognouerit. Ludouico autem regi Gallorum aduerſatus eſt, quòd liberta-
tem eccleſiæ minuere conaretur, cum ab eo antea pragmaticã eccleſiæ Romanæ
pernicioſiſsimã peſtem extorſiſſet. Borſio duci Mutinenſi minatus eſt, quòd ip-
ſe Romanæ eccleſiæ cenſuarius, & Sigiſmundo Malateſtæ hoſti eccleſiæ, & rebus
Gallicis faueret. Sigiſmundũ verò Auſtriæ ducẽ grauiſsimis cẽſuris perſecutus,
quòd Nicolaum Cuſanum cardinalem ad vincula Petri cœpiſſet, ac comprehẽ-
ſum aliquandiu in carcere detinuiſſet. Dieterum Iſembergẽſem Maguntinum
antiſtitem, malè de eccleſia Romana ſentientem, ſede depulit, inq; eius locum
alterum ſuffecit. Beneuentanum archiepiſcopum contra eius voluntatẽ res no-
uas molientem, Beneuentumq; Gallis prodere conantẽ, archiepiſcopatu mo-
uit. Franciſcum Copinum plus auctoritatis cum magna pernicie & clade homi-
num in legatione Britannica ſibi vendicantem, quàm ei à ſede apoſtolica con-
ceſſum fuerat, epiſcopatu Interamnenſi priuauit. Tarracinum, Beneuẽtum, So-
ram, Arpinum, ac magnam partem Hernicorum, quæ nũc Campania vocatur,
in deditionem eccleſiæ redegit. Nil regibus, nil populis timore & auaritia cõceſ-
ſit vnquam. Quoſdã verò ſeueriſsimè arguit, quòd ea peterent, quæ ſine eccleſiæ
detrimento & eius ignominia fieri nullo modo poſſent. Tãtum terroris domi-
nis quibuſdam Italicis præſertim iniecit, vt officio & fide nil antiquius ducerẽt.
Vt hoſtes publicos conſtanter perſecutus eſt, ſic amicos humaniſsimè ac officio-
ſiſsimè fouit. Fredericum Romanorum imperatorẽ, Matthiam Vngarorũm re-
gem, Ferdinãdum Alphonſi filium, Philippum Burgundum, Franciſcũ Sfortiã,
Ludouicum Gonzagã vehementer dilexit, duodecim cardinales ſuo põtificatu
veteribus addidit, Reatinũ, Spoletinum, Thernenſem Alexandrum Saxoferra-
tenſem, Barptolomæũ Rouerellam, Iacobũ Lucenſem, Frãciſcum Laodamię ſo
roris ſuę filium, Frãciſcum Gonzagam, Ludouici principis filium. Hi oẽs Italici
ſunt habiti. Ex tranſalpinis Saltzpurgenſem, Ludouicum Alibretũ Attrebatẽ-
ſem Vergelenſem. Viuendi aũt rationẽ ita patiebatur, vt ocij & diſidiæ accuſari
nullo modo poſſet. Surgebat mane aurora illuſcẽte, & habita ratione valetudi-
nis ac re diuina caſtè & piè facta, ad negotia publica ſtatim egrediebatur. Functus
officio, ac per hortos recreandi animi gratia delatus, prandebat. Mediocri cibo
vtebatur, nõ exquiſito & lauto. Cibos raro ſibi apparari iuſsit: qđ apponebatur,
hoc edebat. Vini parciſsimꝰ, dilutiq; ac lenis magis quàm auſteri amator. Sum-
pto

pto cibo, dimidium horæ cum domeſticis aut fabulabatur, aut diſputabat. Cu-
biculum deinde ingreſſus cum paululum quieuiſſet, horis canonicis de more
repetitis, tamdiu legebat aut ſcribebat, donec ei per munera publica licuiſſet. Idē
faciebat noctu, quod die poſt cenam: nam & legebat & dictabat vſq; ad multam
noctem in lecto iacens: nec amplius quàm horis quinq; aut ſex quieſcebat. Ho-
mo fuit ſtaturæ breuis, caput habuit ante annos canum, faciem ante dies ſenectā
præ ſe ferentem. Aſpectu ſeueritatem facilitate conditam oſtendebat. Circa cul-
tum corporis neq; moroſus, neque negligens, laboris patiens habebatur. Sitim
æquo animo & famem tolerauit. Robuſtum ei corpus natura dederat, quod ta-
men longæ peregrinationes & crebri labores, & frequentes vigiliæ attriuerant.
Accedebāt morbi eius familiariſsimi, tuſsis, calculus & podagra: quibus ita per-
ſæpe cruciabatur, vt præter vnicā vocem nil ei, quare viuus dici poſſet relictum
videretur. Aditu etiam dum ægrotaret facilis erat, verborum parcus, inuitus pe-
tita negauit. Pecuniarum quantum collegit, tantum erogauit: quarum neq; ſtu-
dioſus, neq; aſpernator fuit. Dum numerarentur, dum reponerentur, intereſſe
nunquam voluit. Fouere ingenia ſuorum temporum non viſus, quod tria gra-
uiſsima bella ab eo ſuſcepta: ærarium pontificum ita continuo exhauſerant, vt
ære alieno, ac magno quidem ſæpe premeretur. Multos tamen muneribus auli-
cis & beneficijs eccleſiaſticis iuuit, literatos dico. Oratores aut poëmata recitātes
libenter audiuit: eorumq́; iudicio, qui aliquid ſapere viderentur, ſua ſcripta cō-
miſit. Mendaces & delatores odio habuit, iram facilè collegit, collectam facilli-
mè repreſsit. Laceſſentibus eum cōuitijs & dictis petulātioribus cōſtanter igno-
uit, ni ſedi apoſtolicę facta eſſet iniuria: cuius dignitatem adeo acriter tutatus eſt
ſemper, vt eius cauſa magnorum regū ac principum graues inimicitias frequen-
ter ſuſceperit. Erga domeſticos mira comitate & facilitate vtebatur. Nam quos
vel inſcitia, vel ignauia deliquiſſe deprehēdiſſet, paterna charitate admonebat.
Mala de ſe opinantes vel loquentes coërcuit nunquā: liberè enim in libera ciui-
tate loqui oēs volebat. Querenti neſcio cui apud eum, quod malè audiret, reſpō-
dit, de me quoq; qui malè ſentiāt, ſi in campū Floræ proficiſceris, multos audies.
Si quando cœlum Romanum tanquam naturæ ſuæ contrariū & inſalubre mu-
tare conſtituiſſet, æſtate præcipuè, aut Tibur, aut Senas in patriam proficiſce-
catur. Seceſſu aūt abbatiæ mirè delectabatur, quæ in agro Senenſi, tū amœnitate
loci, tum opacitate ſiluarum mira refrigeratio æſtate habetur. Frequentauit Ma
cerarana & Petriolana balnea valetudinis cauſa. Rara veſte vtebatur, & argento
frugali magis quàm regio. Eius enim voluptas omnis quādo à munere publico
vacabat, in lectione & ſcriptione frequenti repoſita erat. Libros pluſquam ſaphi
ros & ſmaragdos charos habuit, quib⁹ chryſolitorū magnā copiā ineſſe dicebat.
Menſam aūt artificioſam ita contempſit, vt ad fontes, ad nemora, ad loca agre-
ſtia delatus, quæ ſæpe frequentabat animi cauſa, nō apparatu pontificio, ſed hu-
mili ac propè ruſticano ſit vſus. Hāc eius crebrā locorum mutationē nō defuere,
qui carperent, ex aulicis maximè, quòd id nunquā ab alijs pontificibus factū eſ-
ſet, niſi aut bello, aut peſte vrgente. Horum aūt querelas contēpſit ſemper, quòd
diceret, nil ob eā rem à ſe prætermitti, quod ad dignitatē pōtificatus, ad vtilitatē
aulicorum pertineret. Signabat omnibus in locis, audiebat, cenſebat, reſponde-
bat, affirmabat, refellebat: quibus ex rebus, quouis etiā in loco abundè omnibus
ſatis fieri poterat. Non libenter ſolus comedebat. Hanc ob rem, vel Spoletinū
cardinalē, vel Theanenſem, vel Papienſem in conuiuium adhibebat: inter ce-
nandū de ſtudijs bonarum artium loquebatur, memoriā veterum repetebat: &
quid quiſq; laudis vel didicēdo vel ſcribendo conſecutus eſſet exquiſito iudicio
oſtendebat. Ad virtutē ſuos frequēter adhortabatur, à vitijs deterrebat, cum eorū
res geſtas cōmemoraret, qui in via rectè aut perperā egiſſent. Auguſtino Patritio
lectore vſus eſt: à quo etiā (dum ipſe dictabat) deſcribebantur omnia: ſales inter-
dū libenter audiebat, negocijs præſertim vacuus. Florentinum quēdā interdum
adhibebat, cui Græco nomen eſt, hominē certè cuiuſuis mores, natura, linguam
cum maximo omnium, qui audiebāt, riſu facilè exprimentē. Homo fuit verus,
integer, apertus, nil habuit ficti, nil ſimulati. Chriſtianā autem religionē ita co-





luit & obſeruauit, vt omnem prorſus hypocryſis ſuſpicionem à ſe remoueret.
frequenter confitebatur & cōmunicabat. Rem diuinā aut ipſe faciebat, aut dum
fieret, obſeruatis de more cæremonijs omnibus, aſtabat. Somnia, portenta, pro-
digia contempſit ſemper. Fulgura procurauit nunquā. Geomantibus & cæteris
id genus nullam fidem adhibuit. Timiditatis & inconſtantiæ ſignum nullum
in homine cognitum. Extolli ſecundis rebus, & perturbari aduerſis nunquā vi-
ſus eſt. Suos plerūq; vt timidos & formidulo ſos reprehēdit, quòd acceptas clades
(vt in bello contigit) apertè ei denunciare vererētur. Incommodis enim cōſilio
& manu mederi poſſe dicebat, ſi id ad tempus, quod accidiſſet, ſcitum foret. So-
cios belli, vel magnitudine impenſæ, vel hoſtium potentia perterritus deſeruit
nunquam. Bella ſuſcepit inuitus: tamen & multis ac maximis iniurijs laceſsitus
pro tutela eccleſiæ, pro defenſione religionis. Aedificandi ſtudio vehementer
delectatus eſt. Impenſa enim ſua ſcalæ templi ad Vaticanum vetuſtate collapſæ
inſtauratę. Veſtibulum ædium ad dignitatem & tutelam loci munitum. Aream
pro templi foribus ruderibus purgatam ſternere parabat. Porticum vnde ponti-
fex populo benediceret, inchoauerat. Tibure arcem perfeciſſe priuſquā inchoaſ-
ſe viſus eſt. Senis quadrato ſaxo gentilibus ſuis porticum faſtigatam & ornatiſ-
ſimam extruxit: Corſinianum, quod Pientiam à Pio nomine in pontificatu ac-
cepto appellauit, ciuitatem fecit: templumq́; teſtitudineum celebre id quidē, &
ornatiſsimas ædes extruxit. Sepulchrum marmoreum paternis maternisq́; oſ-
ſibus Senis in templo beati Franciſci ſuo iuſſu conditum, hoc diſticho notauit.

Siluius hic iaceo coniunx Victoria mecum eſt:
Filius hoc clauſit marmore papa Pius.

Quatuor habuit ex ſorore nepotes: ex his duo minores natu eius gratia & aucto-
ritate à rege Hiſpano equeſtri ordini ſunt additi. Primus, cui Ferdinandus rex fi-
liam in matrimonium locauerat, dux Amalphitanus creatur. Secundus, quē (vt
antea dixi) Pius in numerum cardinaliū retulit, tanta cum integritate & virtu-
te adhuc viuit, vt in eo nil ſit requirendum quod ad ampliſsimum virum perti-
neat: ingenio, moribus, ſolertia, religione, modeſtia, grauitate. Ad Pium redeo,
qui in tanto rerū faſtigio collocatus, literarū ſtudium intermiſit nunquā. Ado-
leſcens, & nondū ſacris initiatus poëmata edidit laſciuiæ magis & feſtiuitati ac-
cōmodata, quàm preſſa & grauia. Surgit tamē nonnunquā: & dum iocatur, mor
dacitate nō caret. Extāt eius epigrammata referta ſalibus. Ad tria millia variorū
verſuū ſcripſiſſe dicitur, quorū pars magna Baſileæ perijt. Orationi ſolutæ reli-
qua vita ſe totum dedit, magnitudine rerum inuitatus, delectatus eſt etiā mi-
xto ſcribendi genere, & ad philoſophādum aptiore. Libros in dialogo edidit de
poteſtate cōcilij Baſileenſis, de ortu Nili, de ſtudio venādi, de fato, de præſcientia
Dei, de hęreſi Boëmorū. Reliquit dialogū imperfectū cōtra Turcos inchoatū pro
defenſione fidei catholicæ. Epiſtolas digeſsit in tēpora: & quas prophanus, quas
ſacris initiatus, quas antiſtites, quas pontifex maximus ſcripſerit, voluminibus
ſeparat. His reges, nationes, ciuitates, principes atq; omne genus hominū ad reli-
gionis arma incendit. Extat eius epiſtola ad Turcū, qua hominē adhortatur, vt
poſthabita Mahometana perfidia, verā Chriſti Ieſu religionē ſequatur. Libellū
edidit de miſeria aulicorū. Scripſit etiā de inſtitutione artis grāmaticæ ad Ladiſ-
laum adoleſcentē Vngarorū regē. Orationes circiter duas & xxx. habuit ad pacē
regum, ad concordiam principum, ad tranquillitatem nationū, ad defenſionē
religionis, ad quietem totius orbis terrarum ſpectantes. Boëmicam hiſtoriā per-
fecit: auſtralem imperfectā reliquit. Aggreſſus eſt hiſtoriam rerum vbiq; locorū
ſua ætate geſtarum: quā negociorum multitudine oppreſſus imperfectam reli-
quit. Commentariorum de rebus à ſe geſtis libros duodecim ſcripſit, tertiū de-
cimum inchoauit. Scribendi genus lene eſt, ac tēperatum. Cōciones habet ſplē-
didas & rei accōmodatas. Mouet affectus, ac eos deniq; ſedat. Candorem & orna-
tum orationis nunquā intermittit. Deſcribit appoſitè ſitus & flumina. Varios
pro tempore ſumit eloquentiæ vultus. Cognitionem rerum antiquarum non
omittit. Nullius oppidi occurrit mentio, cuius originē non repetat, ſitum non
notet. Qui duces, qua ætate claruerit, diligentiſsimè perſcribit. Mimos etiam ad

voluptatem notauit. Sententias in prouerbij modum reliquit multas: quarum partem aliquã, quod ad inſtitutionem humanæ vitæ pertinere viſæ ſunt, ſubiũgere inſtitui. Diuinam naturã credendo melius quàm diſputãdo intelligi ac cõprehendi poſſe dicebat. Omnem ſectã auctoritate firmatam humana, ratione carere. Chriſtianã fidem, ſi miraculis non eſſet approbata, honeſtate ſua recipi debuiſſe. Vnius diuinitatis tres eſſe perſonas, non qua ratione probetur, ſed à quo dicatur animaduertendum. Mortales menſores cœli & terræ, audaces magis videri quàm veros. Siderum inueſtigare curſus, pulchrius eſſe quàm vtile. Amicos Dei & hac & futura perfrui vita. Sine virtute nulli ſolidum eſſe gaudium. Neq; auarum pecunia, neq; doctum cognitione rerum vnquã repleri. Cui plura noſſe datum eſt, eum maiora ſequi dubia. Plebeijs argenti, nobilibus auri, principibus gemmarum loco, literas eſſe debere. Bonos medicos nõ pecuniã, ſed bonã valetudinem ægroti quærere. Artificioſam orationẽ ſtultos, non ſapientes ſtectere. Sanctas eſſe leges, quæ vaganti frena licentiæ imponunt. In plebem vim habere leges, in potentes mutas. Res grauiores armis, non legibus diffiniri. Vrbanus ſuam domum ciuitati, ciuitatem regioni, regionem mũdo, mundũ Deo ſubijcit. Lubricum eſſe primum apud reges locum. Vt in mare flumina omnia, ſic vitia in magnas aulas fluere. Aſſentatores maximè quò volũt, reges ducere. Nulli magis principes aures, quàm delatori præſtare. Peſsimã regibus peſtẽ adulatoris linguã. Regem, qui nulli fidit, inutilem eſſe: nec meliorẽ, qui omnibus credit. Qui multos regit, à multis regatur oportet. Nõ eſſe regio nomine dignũ, qui ſuis cõmodis publica metitur: neq; qui ſacra negligit, eccleſiæ prouentũ: neq; regẽ qui iuridicundo nõ aſsidet, vectigalia digna petere. Litigatores, aues: forum, aream: iudicẽ, rete: patronos, aucupes dicebat. Dignitatibus viros dandos, nõ dignitates hominibus. Magiſtratus alios mereri, & nõ habere: alios habere, nõ mereri. Graue põtificis onus, ſed beatũ ei, qui benè fert. Indoctũ epiſcopũ aſino cõparãdum. Corpora malos medicos, animas imperitos ſacerdotes occidere. Vagum monachũ diaboli mancipiũ eſſe. Virtutes clerũ ditaſſe, vitia pauperẽ facere. Sacerdotibus magna ratiõe ſublatas nuptias, maiori reſtituẽdas videri. Fideli amico nullũ theſaurũ anteferendũ. Vitã amico, inuidiã morti comparandã. Hoſtem in ſe nutrire, qui nimis filio ignoſcit. Nulla in re auarũ placere hominibus, niſi in morte. Vitia hominũ liberalitate obtegi, nudari auaritia. Mentiri ſeruile vitiũ eſſe. Vini vſum & labores & morbos auixiſſe mortalibus. Vinũ, quod mentẽ excitet, nõ quod obruat, ſumendũ. Libidinẽ ætatem oẽm fœdare, ſenectutẽ extinguere. Quietem vitã non aurum ipſum, nõ gemmas præbere. Dulce bonis, durum iniquis mori. Generoſam mortẽ turpi vitæ omnium philoſophorũ ſententia anteferendã. Hæc ſunt ferè, quæ de vita Pij pontificis ſcribi poſſunt: ad cuius laudes hoc etiã addo, quòd & beatã Catharinã Senenſem in ſanctas retulit, caput ſancti Andreę è Peloponneſo à principe loci Romã auectum, in ſancto Petro cum maxima veneratione, cumq; ſupplicationibus cleri populiq; Romani in ſacello ad id fabricato collocauit, repurgato tẽplo, eo loci potiſsimum, dimotiſq; quorũdam põtificum & cardinaliũ ſepulchris, quæ baſilicã ipſam temere occupabant.

*Ex Onuphrio.* AENEAS Siluius Picolhomineus, gente Patricia, tenuioris tamen fortunæ, patre Siluio in Villa Corſiniana agri Senenſis ortus, per omnium Romanæ Curiæ dignitatum gradus, ad munus Apoſtolicum aſcendit. Litteris humanioribus inſtructus, eloquẽtia, dexteritate, & prudentia multum valuit. Primùm Cardinalium Capranici & Albergati Scriba, deinde in Concilio Baſileenſi cæremoniarum præfectus, & pro eo multis Legationibus egregiè functus, poſtea Friderici III. Felicis V. Eugenij IIII. & Nicolai V. epiſtolarum magiſter, & à Secretis fuit. Ad Eugenium IIII. pro natione Germanica Legatus, obedientiam, ſublata neutralitate, eidẽ præſtauit. A Nicolao V. Epiſcopus Tergeſtinus, & Senenſis, à Caliſto III. Diaconus primo S. Euſtathij, mox Presbyter Cardinalis tt. S. Sabinæ creatus eſt. Quo mortuo Romæ in palatio Vaticano, XVII. Cardinalium ſuffragijs, Romanus Pontifex, XIIII. Kalend. Septembris, Anno ∞ CDLVIII. denunciatus, & III. Nonas Septembris coronatus, Im-





peratore Cæſare Friderico III. Auguſto: ſedit annos V. menſes XI. dies XXVII. Ordinationibus tribus habitis, XIII. Cardinales creauit. Obijt Anconæ in Piceno dum bellum in Turcas adornaret: Vacauit ſedes dies XVI. Corpus Romã relatum in Baſilica Sancti Petri marmoreo tumulo cum hoc elogio, in Sacello Sancti Andreæ ſepultum eſt:

PIVS II. Pontifex Maximus, natione Tuſcus, patria Senenſis, gente Picolhominea, ſedit annos ſex. Breuis Pontificatus, ingens fuit gloria. Conuentũ Chriſtianorum Mantuæ pro fide habuit. Oppugnatoribus Romanæ ſedis intra atq; extra Italiã reſtitit. Catharinã Senenſem inter Sanctas Chriſti retulit. Pragmaticam in Gallia abrogauit. Ferdinandũ Arragonenſem in Regnũ Siciliæ cis Fretũ reſtituit: rem Eccleſiæ auxit. Fodinas inuenti tum primùm aluminis apud Tolfam inſtituit. Cultor iuſtitiæ, & religiõis. Admirabilis eloquio. Vadẽs in bellum, quod Turcis indixerat, Anconæ deceſsit: ibi & claſſem paratã, & ducẽ Venetorũ cum ſuo Senatu cõmilitones Chriſti habuit. Relatus in Vrbẽ eſt Patrum decreto, & hic cõditus: vbi caput Andreæ apoſtoli ad ſe ex Peloponneſo aduectũ collocari iuſſerat. Vixit annos LVIIII. mẽſes IX. dies XXVII. Frãciſcus Cardinalis Senenſis auunculo ſanctiſsimo fecit, Anno ∞ CCCCLXIIII.

Humi vero in Tabula marmorea,

PIVS II. PONT. MAX.

## PAVLVS II.

PAulus ſecundus, Petrus Barbo antea vocatus, patria Venetus, patre Nicolao, matre Polixena, ſancti Marci presbyter cardinalis, pridie calend. Septembris pontifex creatur; MCCCCLXIIII. *Pont. 220.* Is enim Eugenij pontificis ex ſorore nepos adoleſcens adhuc iturus in mercaturã erat, quę apud Venetos in precio eſt, & à Solone non improbatur: & iam ſcrinium & arma in triremes detulerat, cum ei nunciatum eſt, Grabrielem Cõdelmerium auunculum ſuum pontificem creatum eſſe. Subſtitit itaq; adhortãtibus amicis & fratre Paulo Barbo maiore natu, ac literis, licet iam adultus eſſet, operam dedit: præceptore vſus Iacobo Ricionio, qui diligentiã hominis ea in re laudare conſueuerat. Habuit & alios præceptores, nec tamen ob ætatem admodum profecit: quos oẽs præter Ricionẽ, dum pontifex eſſet, dignitate & facultatibus honeſtiores reddidit, oſtẽdens per eos non ſtetiſſe, quò minus doctior euaderet. Paulus aũt Barbo magni animi ac prudentiæ vir, cognita fratris natura, quæ potius quietem quàm negocia appetebat, Eugenium rogat (nam Florentiam videndi hominis cauſa venerat) vt Petrum ad ſe vocet, initiatumq; ſacris in aliquo dignitatis gradu collocet. Vocatus itaq; Petrus, archidiaconatum Bononienſem, ac nõ ita multò pòſt epiſcopatum Ceruiæ cõmendatione adeptus, protonotarius ab auunculo creatur, ex his potiſsimum, qui emolumentorum participes ſunt. His aũt facultatibus aliquot annis vitam ducens, tandem vnà cum Alouiſio Patauino medico quem poſtea patriarcham & camerariũ appellarunt, cardinalis ab Eugenio creatur, inſtantibus quibuſdã Eugenij familiaribus, vt haberent, quẽ Alouiſij potentiæ interdum obijcerent: inter quos poſtea tanta ſimultas fuit, vt nuſquã maiore odio certatum ſit: his etiã diſcordias alentibus, qui ſeditionibus ali & augeri cõſueuerant. Dolebat enim Petrus primum locum apud Eugenium ſibi ſurripi, cum nepos eſſet, cumq; etiã patricius Venetus. Hanc ob rem inimicitias nõ vulgares exercuit cum Franciſco Condelmerio vicecancellario ex amita Eugenij nato: quo deinceps mortuo, totum ſe in patriarcham vertit, licet ſæpius intercedentibus amicis in gratiam redijſſent ſimulato animo. Hanc ob rem ſub diuerſis pontificibus ita inter ſe mutuis odijs certarunt, vt alter alteri non pepercerit, ſiue facultates, ſiue dignitatem inſpicias. Iactata & inter eos varia probra ſunt, quæ cõſulto prætereo, ne maledicis fidem præſtitiſſe videar. Mortuo autem Eugenio, cum in eius locum Nicolaus V. ſuffectus eſſet, tãtum apud hominem gratia & blanditijs valuit, vt & primum ipſe locum è natione ſua apud eum te-

nuerit, fratre Nicolai hominem adiuuante: & ita Nicolaum animauerit, vt camerarij dignitatem Alouiſio diminueret. Erat enim Petrus Barbo natura blandus, atte humanus, vbi opus erat. Præterea verò eò indignitatis plerunq; deueniebat, cum precando, rogando, obteſtando, quod vellet, cõſequi non poſſet vt ad faciendam fidem precibus lachrymas adderet. Hãc ob rem Pius pontifex hominem Mariam pientiſsimã appellare interdum per iocum ſolebat. His quoq; artibus apud Calliſtũ vſus, eò perpulit hominẽ, vt Alouiſium cum triremibus in Turcos mitteret, oſtendens hominis amplitudinem, huic tantæ rei maxime conuenire, cum aliàs & exercitus ductaſſet, & ditionẽ eccleſiæ ab hoſtibus conſtanter tutatus fuiſſet. Hac demum moleſtia liberatus Petrus, Calliſtum deinceps ita in ſententiã ſuã ſemper traxit, vt donec vixerit, nullius magis quàm huius conſilio ſit vſus. Facilè præterea quicquid volebat à põtifice impetrabat, ſua vel amicorum cauſa. Erat enim propenſior in amicos: & quos in clientelam ſuſceperat, quibuſcunq; rebus poterat iuuabat, ac conſtãtiſsimè tuebatur, cũ apud vnumquenq; magiſtratum, vel tum maximè apud pontificem. Tantæ præterea humanitatis fuit, vt in ægritudinibus curiales ipſos, qui aliquo in precio erant, inuiſeret: & quibuſdam remedijs adhibitis, eos ad valetudinem adhortaretur. Semper enim domi habebat vnguẽta Venetijs aucta, oleum, tyriacam, & cætera id genus, quę ad curandã valetudinẽ faciunt. Ex his aliquid ad ægrotos mittebat. Curabat item, vt vni ſibi magis quàm alteri ægrotantium teſtamenta committerentur, quæ poſtea ex arbitrio ſuo partiebatur: & ſi quid inerat quod ad rem ſuã pertineret, facto tamẽ ſub haſta precio, id ſibi pecunia vindicabat. Romanorum verò quorundã amicitia delectatus eſt, quos ſæpe in conuiuiũ adhibebat, tum ad iocum, tum ad riſum: quẽ & Priabiſius ſuus & Franciſcus Malacaro ſalibus, mimis, dicterijs, ſcommatibus frequenter nõ ſine vrbanitate excitabant. His quidẽ artibꝰ effecerat, vt tum ciuibus Romanis, tum aulicis ipſis charus eſſe putaretur. Præterea aũt ne domi tantum poſſe videretur, foris etiã auctoritatẽ ſibi cõparare annixus eſt. Nã & in Hernicos (quã nunc campaniam Romanã vocant) profectus eſt ad populos quoſdã ſedandos, qui de finibus contendebãt: & litem cõponere inter comitem Auerſæ & Neapolionẽ Vrſinum conatus, paulum abfuit, quin turpiter captus, in vincula conijceretur, adeo in eũ comes Auerſus ob quãdam verborũ licentiã, malè animatus erat. Re itaq; infecta abiens, homini ſemper aduerſatus eſt. Mortuo deinde Calliſto, in eiusq; locũ Pio ſuffecto, cũ permutare epiſcopatũ Vicetinum in Patauiũ inſtando acerbè nimium, rogandoq; anniteretur, & Pij põtificis & Venetorũ iram adeo incurrit, vt Paulum fratrẽ ſenatorio munere amouerint, & ei interdixerint, quò minus aliorũ beneficiorũ prouentibus potiretur, niſi ſententiã mutaret. Hãc ob rem indignatus homo, vlciſcendi tẽpus obſeruans, interim acerbè nimium in eos inuehebatur, per quos ſtetiſſet, quò minus voto potiretur. Mortuo aũt Pio, in eius locũ ipſe ſuffectus, ſtatim vbi magiſtratũ inijt; ſiue quòd ita pollicitꝰ erat, ſiue quòd Pij decreta & acta oderat, abbreuiatores oẽs, quos Pius in ordinẽ redegerat, tãquàm inutiles & indoctos (vt ipſe dicebat) exauctorauit. Eos enim bonis & dignitate indicta cauſa ſpoliauit. quos etiã propter eruditionẽ & doctrinã ex toto orbe terrarũ cõquiſitos, magnis pollicitationibꝰ & præmijs vocare ad ſe debuerat. Erat quidẽ illud collegiũ refertũ bonis ac doctis viris. Inerãt diuini atq; humani iuris viri peritiſsimi. Inerãt poëtæ & oratores pleriq;, qui certè non minus ornamẽti ipſi curiæ afferebãt, quàm ab eadẽ acciperent, quos oẽs Paulus tanquã inquilinos & aduenas poſſeſsione pepulit, licet emptoribꝰ cautũ eſſet literis apoſtolicis, cautũ etiã fiſci põtificij auctoritate, ne qui bona fide emiſſent, è poſſeſsione honeſta ac legitima deijcerentur. Tentarunt tamẽ hi, ad quos res ipſa pertinebat, hominẽ è ſententia dimouere. Atq; ego certè, qui horum de numero erã, rogando etiã vt cauſa ipſa iudicibus publicis (quos Rotæ auditores vocãt) committeretur: tum ille toruis oculis me aſpiciens, Ita nos, inquit, ad iudices reuocas, ac ſi neſcires omnia iura in ſcrinio pectoris noſtri collocata eſſe? Sic ſtat ſentẽtia, inquit, loco cedant oẽs, eant quò volunt, nihil eos moror, pontifex ſum, mihiq; licet pro arbitro animi aliorum acta & reſcindere & approbare. Hac verò tam immiti ſententia accepta,





vt lapidem immobilem volueremus, obſeruabamur, & fruſtra quidẽ die ac noctu in foribus aulæ, viliſsimum etiam quenq; ſeruum rogãtes, vt nobis alloqui pontificem liceret. Reijciebamur non ſine contumelia, tanquam aqua & igni interdicti ac prophani. Hac autem diligentia xx. continuis noctibus vſi ſumus: nil enim ferè niſi noctu agebat. Ego verò tanta ignominia excitus, quod mihi ac ſocijs meis coram non licebat, id agere per literas inſtitui.

*Epiſtola Platinæ ad Paulum II.*

Scripſi itaq; epiſtolam his fermè verbis: Si tibi licuit indicta cauſa ſpoliare nos emptiõe noſtra iuſta ac legitima, debet & nobis licere cõqueri illatam iniuriam iniuſtamq; ignominiã. Reiecti à te, ac tam inſigni cõtumelia affecti, dilabemur paſsim ad reges, ad principes, eoſq; adhortabimur, vt tibi concilium indicant, in quo potiſsimũ rationẽ reddere cogaris, cur nos legitima poſſeſsione ſpoliaueris. Lectis literis, Platinam reum maieſtatis accerſit, in carcerem trahit, cõpedibus reuincit, mittit Theodorũ Taruiſinum epiſcopum, qui quæſtionem habeat. Is ſtatim me reũ facit, quòd & libellos famoſos in Paulum ſparſiſſem, & concilij mentionem feciſſem. Primum crimen ita confutaui, eos quidem dici libellos famoſos, in quibus ſcribentis nomen reticetur: at meum nomen in calce literarum extare, non igitur libelli famoſi ſunt. Quod verò de concilio mentionem fecerim, me non adeo graue crimẽ id putaſſe, cum in ſynodis à ſanctis patribus ſtabilita ſint fundamenta orthodoxæ fidei, prius ſparſim iacta à Saluatore noſtro eiuſq; diſcipulis, vt maiores cum minoribus æquo iure viuerent, ne cuiquã fieret iniuria. Vnde etiam apud Romanos inſtituta eſt cenſura, qua & qui priuati & qui in magiſtratu fuerunt, rationem habiti magiſtratus, & vitæ anteactæ reddere cogebãtur. Cùm verò his rationibus nihil profeciſſem, reuinctus compedibus, & quidẽ grauiſsimis, media hyeme ſine foco celſa in turri ac ventis omnibus expoſita coërceor menſibus quatuor: tandem verò Paulus Frãciſci Gonzagæ cardinalis Mãtuani precibus fatigatus, ægrè pedibus ſtantem moleſtia carceris me liberat: admonet ne ab vrbe diſcedã, in Indiã, inquit, ſi proficiſcere, inde te trahet Paulus. Feci mandata. Triennio in vrbe commoratus ſum, arbitratus hominem aliquã medelam meis incommodis interim allaturã. Coronatus Paulus de more, memor à Calliſto quondam pulſos eſſe è ſancto Ioanne Laterano canonicos regulares, quos eodem in loco Eugenius põtifex ante collocauerat, eoſdem reuocauit, vt ſeorſum à canonicis ſecularibus diuina officia celebrarent. Præterea verò canonicorum ſecularium eo in loco nomen aboliturus, ſi quis moriebatur in demortui locum neminem ſufficiebat: aut ſi quod beneficium vacabat, coactos ſe canonicatibus illis abdicare, ad alias eccleſias transferebat, vt tandẽ beneficia illa in vnum corpus redacta, canonicis regularibus ſatisfacerẽt ſine vllo ſuo diſpendio, cum eos tum paſcere ob inopiam oporteret. Hanc autem ob rem Paulus multum à ſe alienauit ciuium animos, quod dicerent illa beneficia à maioribus ſuis inſtituta, pulſis ciuibus, inquilinis dari. Neq; hoc cõtentus Paulus, ſeorſum canonicos quoſdam allocutus, eos minis etiam adhibitis abdicare ſe illis canonicatibus impellebat. Nonnulli tamen eius minas contemnentes, tempus vindicandæ libertatis expectabant, quod poſtea eo mortuo eluxit. At verò cum nunciatum eſſet, Turcos capta iam ferè tota Epiro, in Illiricum iter parare, oratores ſtatim ad reges & principes miſit, eos oratum, vt compoſitis rebus ſuis, de bello Turcis inferendo, ad propulſandam iniuriã cogitarent. Qua de re nil certè actum eſt, cum inter ſeſe grauiſsimis bellis decertarẽt: hinc Germani, hinc Anglici, nũc veterem regem, interdum verò nouũ expetentes. Hinc Hiſpani, hinc Galli principes veriti regis potentiam, qui regio nomini omnes obtemperare volebat, iactabatq; ſe breui facturum, vt eos pœniteret, qui ſecus feciſſent. Præterea verò Paulum vrgebat regis Boëmiæ perfidia, qui ſe paulatim à toto corpore Chriſtiani nominis ſubtrahebat. in hunc itaq; mittere Vngariæ regem cum exercitu inſtituerat, ſi ei per bellum in Turcos ſuſceptum licuiſſet: ſiq; rem inter regem & imperatorem componere potuiſſet. Nã mortuo Ladislao rege Vngariæ eius nepote, qui hærede carebat, imperator ipſe regnum illud, quod Matthias Vaiuodæ filius occupauerat, ſibi deberi prædicabat. Differendã itaq; rem Paulus in aliud tempus cenſens, ad cõponendas quaſdam ſimultates ciuium Roma-

norum inter ſe diſsidentium,animum adiecit. Orta nanq; rixa erat inter Iaco-
bum Ioannis Alberini filium, & Felicem nepotem Antonij Capharelli: hanc
ob rem accitis ad ſe patribusfamilias,eos aliquandiu renitentes,ad concordiam
datis vadibus compulit. Verùm nō ita multò pòſt Iacobus Alberini filius,nuſ-
quam laturus iniuriam patri illatam,Antonium Capharellum interficere co-
natus,confoſſum aliquot grauibus vulneribus, tanquam mortuū reliquit. Hāc
ob rem indignatus Paulus,quod contra atq; Alberinus iurauerat, filius egiſſet
euerſis eorum ædibus redactisq; in fiſcum omnibus bonis,eos ab vrbe demum
exules facit. Hos tamen poſtea ſuo iuſſu ad vrbem redeuntes in gratiam recepit,
reſtitutis rebus omnibus,paceq; inter diſsidentes compoſita, cum tamen ambo
aliquandiu in carcere ſtetiſſent. Anno verò MCCCCLXV. Alouiſius Patauì-
nus pontificis camerarius,& tituli ſancti Laurentij in Damaſo presbyter cardi-
nalis,vir quidem ditiſsimus,& in rebus agendis ſagax,ſed vltimo ſuæ vitæ tem-
pore parum prudens: quippe qui ex teſtamēto maxima ex parte hæredes relique-
rat duos fratres cognomēta Scarampos,alioquin bonos & liberales ingenij, ſed
nequaquam tantis fortunis & prouētibus eccleſiæ partis dignos. Quid homines
ſuſpicarentur ſcimus. Has aūt facultates Paulus, ei licet teſtādi facultatem vltro
permiſiſſet,ſibi vindicauit. Scarampos cœpit,& tandiu,honeſto tamen loco re-
tinuit,quoad quæ Florentiam delata fuerant, ad ſe deferrentur. Fugientes Sca-
rampi,dum hac de re ageretur, capti in carcerē conijciuntur. Verùm cum bona
patriarchæ Florentia Romam delata fuiſſent,Scarampos cum bona parte inco-
lumes dimittens,in reliquos patriarchæ familiares maiore benignitate vſus eſt,
quàm ipſe teſtator inſtituiſſet. Atq; hoc modo bona hominis tanta diligentia
parta,maiore retenta,cum magna opum iactatione, ac ſi annos Matuſalem vi-
cturus eſſet,ab eo ſunt partim poſſeſſa, partim diſtributa,quo cū diutius ſimul-
tatibus,odijs,maledicentia certauerat,cum maluiſſet ad Turcos ipſos quàm ad
Paulum bona ſua recidere. Sed neque hoc contenta diuina prouidentia,voluit
eius quoq; corpus iam ſepultum in prædam dari. Ab ipſis enim, quibus ipſe be-
neficia ſancti Laurentij in Damaſo dederat, noctu aperto ſepulchro,annulo &
veſtibus ſpoliatus eſt. In hos aūt Paulus re cognita,grauiter animaduertit. Eodē
ferè tempore Fredericus adoleſcens egregius Ferdinandi filius, Mediolanū itu-
rus ad ducendum Franciſci Sfortiæ filiam fratris vxorem in regnum,Romam
veniens,prodeunte obuiam honorato quoque, & Rhoderico vicecancellario,
perbenignè à Paulo ſuſcipitur,ac roſa donatur,quam pontifices quotannis do-
nare alicui ex principibus Chriſtianis conſueuere. Interim verò cum Ferdinan-
do in animo eſſet,eos bello perſequi,& potiſsimū in regno ſuo exiſtētes, qui dū
à Gallis premeretur,à ſe defecerant,miſiſſetq; copias quaſdam ea mente,vt ducē
Soranum adoriretur. Pontifex diuertere id bellum cupiens, archiepiſcopū Me-
diolanenſem eò properè miſit oratū,vt copias illas quemadmodū ratione feudi
tenebatur,ad ſe mitteret,quòd diceret ſibi in animo eſſe comitis Auerſi filios,
eccleſiæ nequaquam obtemperantes,è medio tollere. Nam eo ferè tēpore Auer-
ſus comes moritur,quo Paulus pontifex creatur: corpusq; eius Romam delatū,
in baſilica ſanctæ Mariæ Maioris,ſepelitur. Rex itaq; acerrimus Deiphobi hoſtis,
quippe qui ab eo ſuperiore bello inſidijs,veneno & armis petitus fuerat,copiarū
ſuarum præfectis mandat,vt primo quoque tempore proficiſcantur,quò ponti-
fex ire iuſſerit. Antea enim Deiphobum & Franciſcum ad ſe vocatos monuerat,
vt & iter tutum à latronibus ſeruarent, ne Romam aliunde venientes,in ipſis
propè vrbis Romæ portis ſpoliarentur: vtq; Securanciæ præfecti,Vici quondam
filio,Caprarolam (quod oppidum eſt) redderent,cum omnia ferè ipſius præfecti
bona poſsiderent. Vtrunq; verò non modo facere recuſarunt,verùm etiam mi-
nas addidere,iactantes ſæpius ſe comitis Auerſi filios eſſe, nec laceſſentibus par-
cituros. Tum verò Paulus clanculum paratis rebus omnibus ad bellū neceſſarijs
ſuperuenientibus etiam regijs copijs, quintodecimo die poſteaquā inchoatum
eſt,bello eos incautos & nil tale opinantes oppreſsit, redactis in poteſtatem ec-
cleſiæ nouem caſtellis: quorū de numero aliqua ita munita natura & arte erant,
vt vix opera hominum expugnari poſſe crederentur. Deiphobus autem veri-
tus



tus ne captus ad regem mitteretur,ſalutem ſibi fuga quæſiuit. Capitur autem Frā
ciſcus frater cum filio,& quinquennio in arce Hadriani retentus demum creato
Xyſto liberatur. Hinc poſtea inter Paulum & regē ipſum ortæ graues inimicitiæ
ſunt,cum Ferdinandus hoc tanto merito peteret ſuperiorum annorū tributum,
quod eccleſiæ pēdebat,ſibi relaxari:& quod deinceps ſoluturus eſſet,diminui,cū
regnum Siciliæ patruus ſuus poſſideret,cuius ipſe vnà cū regno Neapolitano ve-
ctigal penderet: Inſpicienda dicens & ſua merita,& cōſiderandum,quid poſſet in
contrarium accidere,cum diceret ſe cōtinuo acies quaſdam in armis habere, nō
magis ſua quàm pontificis Romani gratia,vt in bello cōtra Auerſanos paulò an
tè nouerat. Commemorabat viciſſim Paulus merita eccleſiæ erga Ferdinandum:
atq; hoc modo altercationibus in longum res ipſa ſemper protracta eſt, cū vter-
que repetendi ius ſuum,tempus quæreret. Moliri res nouas rex interim cauebat,
Iacobi Picēnini,qui Sulmonem in Marſis & alia oppida tenebat, potentiā veri-
tus:quem poſtea Frāciſcus Sfortia ſocer ad regem miſit, data fide ſe quoties libu-
iſſet,incolumen rediturum. Verùm aliter Iacobo quàm putarat,accidit. Captus
enim Neapoli à Ferdinādo cum filio,& in carcerem coniectus,nō ita multò pòſt
vita priuatus,figmento adhibito quòd in carcere ipſo decidēs crus fregiſſet,dum
redeuntes ab Iſchia(quam Aenariam antiqui vocabant)triremes regis de Gallis
victrices,ſtudioſius quam cautius per feneſtram inſpicit. Sunt qui arbitrātur ho-
minem adhuc viuere. Quod ego nullo modo credo,cum nullus eſſet in Italia a-
ptior,ſi auctoritatem hominis in militiam reſpicis,ad euertēdum Ferdinādi re-
gis imperium. Subſtiterat in via hac re cognita(Senis nanque erat) ducis Medio-
lani filia Neapolim ad maritum itura,vt fidē faceret, nulla patris ſui culpa Ferdi
nādum in Iacobi Picennini necem cōſpiraſſe. Quid autem ea de re ſuſpicati ſint
homines,optimè nouimus. Fuere etiam qui dicerent id prius à Paulo pōtifice ſci-
tum fore,cum illis diebus archiepiſcopus Mediolanenſis à pōtificè ſcitum fore,
cum illis diebus archiepiſcopus Mediolanenſis à pontifice ad regem,& à rege ad
pōtificem frequenter commeauerit,cùm Paulus ipſe dixerit,audita hominis ca-
ptiuitate,appellationū iudicē à medio ſublatū eſſe. Sed verū eſt illud Virgilianū:

*Neſcia mens hominum fati ſortiſq; futuræ.*

Nullius enim magis quàm Iacobi Picennini opera reprimere Ferdinandi cōtu-
maciā Paulus potuiſſet,ſi tum in vita fuiſſet, quando inter eos de ſoluēdo tribu-
to cōtentio eſt orta,ac bellum propè certum. Nā celebratis nurus ac filij nuptijs
hac vna re & Iacobi morte ſtabilito regno,Ferdinandus cum pōtifice inſtat,& vt
tributum ei diminuatur,& quędā oppida quę de regno poſſidebat eccleſia, ei red
derentur. Miſit eò Paulus Barptolomęum Rouerellam legatū, tituli ſancti Cle-
mentis presbyterum Cardinalem,qui regis mētem aliqua ex parte leniuit. Vere-
batur tum(credo)vterq;,ne ſolis ac lunæ eclipſes,quæ tum fuere cū maxima ho-
minum admiratione,regnorum mutationem portenderent. Moritur tamē( ne
corpora cæleſtia fruſtra pati exiſtimes)ſequenti anno Franciſcus Sfortia Inſubrię
& Liguriæ dux. Nam Genuæ dominatum biennio ante adeptus fuerat, dedenti-
bus ſeſe ciuibus diutino bello,partim inteſtino & graui,partim externo agitatis
Gallorum enim dominatū,quem ſpontè petierant reijcientes,ad ſex millia Gal
lici nominis ante oculos Renati regis interfecêre, qui cū triremibus aliquot be-
nè armatis aderant,recuperandæ vrbis cauſa,quæ iam à Gallis defecerat. Mortuo
itaque Frāciſco Sfortia Mediolanēſium duce,Cardinales ſtatim Paulus ad ſe vo-
cat,quid eſſet agendū,conſulit. Cenſuere omnes mittendas eſſe litteras & nūcios
ad principes Italiæ,ad populos,qui eos adhortarētur nil noui moliri, ſed pacem
ante initā ſeruare: maximè verò tam iniquo tempore,quo à Turco cōmuni Chri
ſtianorum hoſte vexaremur. Præterea verò epiſcopum Cōchenſem Mediolanū
mittit oratum populū illum,vt nil antiquius fide putaret, quam Galeatio Fran-
ciſci filio præſtiterat. Aberat tum Galeatius iuſſu patris in Galliam cum exercitu
miſſus,dum rex Alouiſius cum principibus regni dicto ſuo haudquaquā obtem
perātibus bellum gerit. Ex fœdere enim dum Genuā in feudum accipit, præſidia
regi Franciſcus ſubminiſtrabat. Requirebat & hoc affinitas inter eos contracta,
cum Galleam reginæ ac ducis Sabaudiæ ſororem,in vxorem accepiſſet. Qui co-

 gnita

gnita patris morte, relicto bello, quod regio nomine contra Burgundię ducē inchoauerat, Lugduno abiens, ac cum paucis permutata veſte in patriam rediēs, ditione paterna auxilio matris, quæ populos in fide cōtinuerat, ſine vlla cōtentione potitur. Paulus verò compoſitis hoc modo Italiæ rebus, cū intelligeret militiam Rhodiorum militum ob inopiam ad nihilum redigi, eorū magiſtrū ac primates religionis ad ſe vocat corrigendi erroris cauſa, qui poſt frequentes cōuentus apud ſanctum Petrum habitos, tædio animi & ſenio cōfectus moritur, ſepeliturq; in baſilica ſancti Petri non longè à ſacello ſancti Andreæ: in cuius locū Carolus Vrſinus ſuffectus, Rhodum ad tuēdam inſulam properè mittitur. Interim verò cum Paulo nunciatū eſſet, in Poli oppido in Aequicolis poſito multos hæreticos ineſſe, dominum loci cum viris octo & fœminis ſex comprehenſos, & ad ſe perductos, cognito hominū errore, ignominia notauit, & quidē grauiſsima, eos potiſſimum, qui pertinaciores fuere. Nā mitius cum his eſt actum, qui errorē confeſſi, veniam petiere. Erant enim eius ſectæ, quam à peruerſa mētis opinione eſſe dicimus, quod dicerent nullum verum Chriſti vicarium eſſe eorū, qui poſt Petrum fuere, niſi qui paupertatē Chriſti imitati ſunt. Aucto deinde Cardinaliū numero, ad x. enim eodem tempore creauit, quorum de numero hi fuere: Frāciſcus Sauonenſis ordinis *Minorum* generalis, M. Barbo præſul Vicetinus, cuius opera & conſilio magnis in rebus ſemper eſt vſus: Oliuerius archiepiſcopus Neapolitanus, A. Epiſcopus Aquilanus, Theodorus Monferratus: reliqui partim Galli, partim Vngari, & Angli ſunt habiti. Senatu itaque in hunc modum aucto, ad componendam Italiæ pacem totus conuertitur. Nam cum Florentini quidam, à factione Petri Medices ciuili diſcordia pulſi, vt Deteſaluus Neronius, & Angelus Accioiolus, ac Nicolaus Soderinus Barptolomęum Bergomatem concitaſſent, qui magnam vim equitum ac peditum habebat, vt in Etruriam cū exercitu mouens ſe ac extorres omnes in patriam reduceret, adiuuātibus etiā Venetis, occultè tamē, primo quidem impetu poſſe & velle ſubuertere totam Italiam viſus eſt. Verùm cum in Flaminia Galeatium ducem Mediolanēſem obuiū habuiſſet cum regis ac Florentini populi copijs, habenas inhibuit, & cunctādo potius quā pugnādo vincere annixus eſt. Pugnatum eſt tamen ſemel atq; acriter comitis Vrbinatis auſpicijs in agro Bononienſi ad Ricardinam (id ei loco nomen eſt) dū caſtra metatur. Quo quidem tempore de Bergomate actum certè erat, ſi tum Galeatius affuiſſet, qui Florentiam componēdæ rei bellicæ cauſa profectus paulò ante fuerat. Ferunt qui tanto pręlio interfuere, nuſquam ętate noſtra maiore contentione certatum eſſe: nec prælium antea fuiſſe, in quo plures deſiderati fuerāt, tū autem Veneti ſibi potius quàm homini cauētes cohortibus aliquot & turmis ei in auxilium miſſis, pacem enixius quærere, eius cōficiendæ arbitriū omne in pōtificem deferentes. Qui rei ſuæ quoq; admodum timens, ſi victoria ad regē & ducē recideret, vt pax conficeretur inſtabat, erat enim opinio quorundā hominum non vulgarium, Barptolomęum conniuente pontifice Padū traieciſſe, quo mutato Florentinorum ſtatu, inferre bellum Ferdinando regi cōmodius poſſet, cui ita infenſus erat, vt accire cōtra eum nouos quoq; in Italiam hoſtes cogitauerit. Vocatis itaq; ad ſe omnium principum legatis pacem his rationibus compoſuit, vt vtraq; pars, quę bello ceperat, redderet: vtq; Barptolomęus copias ſuas in Ciſalpinam Galliam reduceret: ſeruareturq; pax illa, quæ antea inter Frāciſcum Sfortiam & Venetos apud Laudam Pompeianam cōpoſita fuerat. In vna re re tātum addubitatū eſt, excluderetur ne à pace Italiæ Sabaudiæ dux, vel Philippus frater, qui eo anno Venetorum ſtipēdijs militauerat, prouinciam Galeatij bello vexauerat. Petebāt Veneti, vt inter fœderatos is quoq; cenſeretur. Negabat id fieri poſſe Galeatius, cum diceret eum ſe nunquam pro amico & ſocio habiturum, quē rex Franciæ hoſtem haberet. Verùm tantum valuit Paulus blanditijs & pollicitionibus, vt legatum Galeatij contra principis ſui decretum in ſententiā ſui ipſius traxerit. Hanc ob rem iratus Galeatius, & Laurentium Piſauriēſem legatum ſuum exilio mulctauit, & Sabaudiēſes ita bello vexauit, vt eos pacem expoſcere coëgerit: quæ quidem ex arbitrio regis Franciæ poſtea compoſita eſt, interuenientibus & reginæ & vxoris Galeatij precibus, quæ ducis Sabaudiæ ſorores ſunt. Compoſi-

tis



tis autem hoc modo rebus, Paulus ad ocium cōuerſus, populo Romano ad imitationem veterum ludos quàm magnificentiſſimos & epulum lautiſſimū inſtituit, procurāte eam rem Vianēſio Bononienſi pōtificis vicecamerario. Ludi autem erant pallia octo, quæ curſu certantibus in carniſpriuio proponebātur ſingulis diebus. Currebant ſenes, adoleſcentes, iuuenes, Iudæi, ac ſeorſum paſtillis primo quidē pleni, quò tardiores incurſu eſſent. Currebāt & equi, equæ, aſini, bubali tāta cum omnium voluptate, vt omnes præ riſu pedibus ſtare vix poſſent. Curſus autem & ſtadium erat ab arcu Domitiani vſq; ad ædes ſancti Marci, vnde pōtifex ipſe ſolidam voluptatē percipiebat. Ac etiam in pueros cœno oblitos poſt curſum munificentia vſus, vt ſingulis carlenum (nummi argētei id genus eſt) cōdonaret. Sed ecce in tam publica omnium lætitia ſubitus terror Paulū occupat. Nunciatur ei, quoſdam adoleſcentes duce Calimacho in eū conſpiraſſe, cui præ timore vix reſpirāti, neſcio quo fato nouus etiam terror additur. Aduolat enim quidam cognomento Philoſophus, homo facinoroſus & exul, qui vitā primo & reditum in patriam deprecatus, nunciat, ac falſo quidem, Lucam Totium Romanum ciuem Neapoli exulātem, cum multis exulibus in nemoribus Veliternis à ſe viſum, ac paulò pòſt affuturum. Timere Paulus ac magis trepidare tū cœpit, veritus ne domi & foris opprimeretur. Capiuntur permulti in vrbe, tū ex aulicis, tū ex Romanis. Augebat hominis timorem Vianēſius. Augebāt & alij eius familiares, qui ex tāta perturbatione aditum ad maiorem dignitatē & huberiorem fortunam ſibi quęrebant. Irrumpebant cuiuſuis domū ſine diſcrimine. Trahebant in carcerem quos ſuſpectos coniurationis habuiſſent. Et, ne ego tantę calamitatis expers eſſem, domum vbi habitabam multis ſatellitibus noctu circūdant: fractis foribus ac feneſtris, vi irrumpunt: Demetrium Lucenſem familiarē meum comprehēdunt: à quo vbi ſciuere me apud Cardinalem Mātuanū cœnare, ſtatim accurrunt, & me in cubiculo hominis captum, ad Paulum cōfeſtim trahunt. Qui vbi me vidit, ita inquit, duce Calimacho in nos coniurabas? Tum ego fretus innocentia mea, ita cōſtanti animo reſpondi, vt nullum cōſcientiæ ſignū in me deprehēdi poſſet. Inſtabat ille diſcinctus & pallidus: & niſi verum faterer, nunc tormēta mihi, nunc mortem proponebat. Tum ego cū viderem omnia armis & tumultu circūſonare, veritus ne quid grauius ob formidinem & iram in nos cōſuleretur, rationes attuli, quam ob rem crederem Calimachū nil aliud tale vnquam moliturum, nedū meditatum fuiſſe, quòd cōſilio, lingua, manu, ſolicitudine, opibus, copijs, clientelis, armis, pecunijs, oculis poſtremo careret. Cæculus enim erat, & P. Lētulo ſomniculoſior, ac L. Craſſo ob adipē tardior. Omitto quòd nec ciuis quidem Romanus erat, qui patriā liberaret: nec præſul, qui pōtificatū ſibi Paulo interempto deſumeret. Quid poterat Calimachus? Quid auderet? Erátne lingua & manu promptus? Habebátne ad tātam rem conficiendam certos homines delectos & deſcriptos, quorum opera vteretur? niſi forte vellent Glaucum & Petreium fugæ ſuæ comites alteros Gabinios ac Statilios eſſe. Tum Paulus ad Vianenſium conuerſus, hic, inquit (me toruis oculis aſpiciens) tormēto cogendus eſt verum fateri: nam cōiurandi artem optimè nouit. Vtinam cōſideratius mecum egiſſet Paulus: nō enim me ſtatim tormento ſubieciſſet. Nā cū verum coniectura quæritur, nec de facto conſtat, in coniuratione potiſſimū, & quæ ante ſuſceptum negocium, & pòſt ſint geſta, quæritur. Cōſideratur vita cōiurationis, cōſiderantur mores, ambitio, cupiditas tum facultatum, tum honorū: & ſi quid antea dictum, ſcriptum, aut factū ſit, quod eò tendat. Horum nihil conſiderauit Paulus, in carcerem nos conijcit. Verùm cum admoneretur ab his, qui bene ſentiebāt, quibuſq; exploratum erat, Lucam Tortium nuſquam pedē Neapoli mouiſſe, ne tātum tumultū cum ſuo diſcrimine concitaret, reuocat edictū tertio die, quo pręmia illis proponebat, qui Lucam reum maieſtatis, vel viuū vel mortuum in poteſtatem ſuam redegiſſent: nō tamen Quadratios fratres, quos ob eā ſuſpicionē ceperat & torſerat, dimiſit. Subeſſe aliquam latentē cauſam videri volebat, ne leuitatis argueretur. Liberatꝰ hoc metu Paulus, ad nos ſtatim animum adijcit. Mittit in arcem Hadriani Vianenſium cum Ioanne Frāciſco Clugienſi Sanga, & ſatellite, qui nos quouis genere tormētorum adigat, ea etiā fateri,

ri,

ri,quæ nuſquam ſciebamus.Torquentur prima & ſequenti die multi: quorum
pars magna præ dolore in ipſis cruciatibus concidit. Bouē Phalaridis ſepulchrū
Hadriani tum putaſſes:adeò reſonabat fornix ille cōcauus vocibus miſerorū ado
leſcentum.Torquebatur Lucidus,homo omniū innocentiſſimus.Torquebatur
Marſus Demetrius,Auguſtinus Campanus optimus adoleſcens, & vnicū ſeculi
noſtri decus,ſi ingenium & litteraturā inſpicis:quibus cruciatibus & dolore ani
mi mortuum poſtea crediderim.Feſſi tortores,non tamen ſatiati. Nā ad viginti
ferè eo biduo quæſtioni ſubiecerunt:me quoq; ad pœnam vocant. Accingunt ſe
operi carnifices,parantur tormenta,ſpolior,laceror,trudor tāquam graſſator &
latro.Sedet Vianenſius tāquam alter Minos ſtratis tapetibus,ac ſi in nuptijs eſſet,
vel potius in cœna Atrei & Tantali,Homo,inquā,ſacris initiatus, & quem ſacri
canones vetant de laicis quęſtionem habere:ne ſi mors ſubſequatur,quod in tor-
mentis interdum accidere ſolet,irregularis(vt eorū verbo vtar)& impius habea-
tur.Neq; hoc quidem contentus,dum pēderem miſer in ipſis cruciatibus,moni-
lia Sangæ Clugienſis attrectans,hominem rogabat,à qua puella donum amoris
habuiſſet.De amoribus locutus,ad me cōuerſus inſtabat,vt ſeriem cōiurationis,
vel fabulę potius à Calimacho confictę explicarē,diceremq́; quid cauſæ eſſet,cur
Pomponius,qui tum Venetijs erat,ad me ſcribens,patrem ſanctiſsimū in ſuis lit
teris appellaret,te inquit,pōtificem creauerant coniurati omnes? Flagitat item,
dederim ne litteras Pomponio ad imperatorem,aut ad aliquem Chriſtianū prin
cipē ſuſcitādi ſchiſmatis,aut cōcilij cauſa.Reſpōdeo me nunq̃ cōſiliorū Calima
chi participē fuiſſe,quippe cū inter nos ſimultas eſſet haud parua. Neſcire itē cur
Pōponius me patrem ſanctiſſimū appellaret, ſciturū ab eo: nā paulò pòſt vinctū
affuturum dicebat.De pontificatu verò non eſſe cur ſoliciti eſſent,quòd vita pri
uata ſemper contentus fuiſſem.Ad imperatorem verò me nunquā litteras miſiſ-
ſe,nec Pomponij opera ea in re vſum eſſe,id etiam ab eo ſciturum.Tandem verò
delinitus aliquātulum tot meis cruciatibus nō tamen ſatiatus, deponi me iubet
veſperi maiores ſubiturū.Deferor in cubiculū ſemimortuus, nec ita multò pòſt
reuocor à quæſtoribus bene potis & pranſis,aderat & Laurentius archiepiſcopus
Spalatenſis. Petunt quid mihi colloquij fuerit cum Sigiſmūdo Malateſta,qui tū
in vrbe erat.De litteris,inquam,de armis,de pręſtantibus ingenijs tum veterum,
tum noſtrorum hominū loquebamur,deq; his rebus,quæ in hominū colloquia
cadere poſſunt.Minari tum Vianeſius,ac maiores cruciatus proponere,niſi verū
faterer.Rediturum ſe die ſequēti,meditarer interim vbi eſſem & quibus cū mihi
eſſet agendum.Reducor iterū ad cubile,vbi tantus me repentè dolor inuaſit, vt
vitam cū morte cuperem commutare, recrudeſcētibus doloribus ob refrigerata
membra,quaſſa vehementer ac læſa. Recreabat me tamen nō parū Angeli Bufali
Romani equitis humanitas,quem anno ante Paulus in carcerē cōiecerat, ob in-
terfectū à Marcello filio Frāciſcum Cappocium.Id enim factū Angeli ſuaſu Pau-
lus dicebat.Angelus itaq; ac Franciſcus nepos,quibus cum in eodem cubiculo di
uertebāt,quò minus doloribus & inedia morerer, ſuis manibus & medelas & ci-
bum mihi afferebant.Poſt biduum verò Chriſtophorus Veronenſis Pauli medi-
cus ad me veniens,bono,inquit,animo te eſſe iubet Paulus,ac de ſe bene ſperare,
breuiq́; liberum futurum.Sciſcitor quādo id fore ſperaret: Reſpondet homo li-
ber audientibus omnibus, qui tum aderant,nō ita cito fieri poſſe,ne leuitatis &
ſæuitiæ argueretur pontifex, quòd illos quos tanto tumultu cōcitato cepiſſet ac
torſiſſet,ſtatim veluti innoxios dimitteret.Neq; hoc quidem contentus Paulus,
quos paulò antè coniurationis & maieſtatis accerſierat,eoſdem mutata ſentētia
ob diuulgatam fabulam hæreſeos accuſat.Trahitur ad vrbē Pomponius Veneti-
js captus,per totam Italiam tanquam alter Iugurtha ducitur in iudicium Pom-
ponius,vir ſimplicis ingenij,neque coniurationis,neq; alicuius ſceleris cōſcius.
Rogatus cur nomina adoleſcētib⁹ immutaret,vt homo liber erat. Quid ad vos,
inquit,& Paulū ſi mihi Fœniculi nomen indo,modo id ſine dolo & fraude fiat?
Amore nanq; vetuſtatis antiquorū præclara nomina repetebat, quaſi quędā cal-
caria,quæ noſtram iuuētutem æmulatione ad virtutē incitarent. Trahitur & Lu
cillus ad vrbem tāquam reus maieſtatis,qui in Sabinis tetricam illam vitam du-
cebat,



cebat,quod ad Campanum ſcribēs,quæ litteræ poſteà deprehenſæ ſunt,Helioga-
bali cuiuſdam amores reprehendebat,ita occultè tamē, niſi à cōſcio dignoſci res
ipſa non poſſet. Vianeſius autem diligens paſtor ad nos cum tormentis ſæpius re
diens,torto etiam Petreio Calimachi comite in fuga comprehenſo,ac nihil cō-
feſſo,quod diceret ebrioſam illā Calimachi collocutionē nullius momēti exiſti
mandam fuiſſe,omnia oculis colluſtrans,ne refractis parietibus tanquā Dædali
alta arce volaremus,carcerem ſubterraneū meditatur,ac fabris ſtatim locat:eoq́;
conijcit Franciſcum Anguillaram,Gattaluſium,Franciſcū Aluianū,Iacobū Pto
lemęū,quadriēnio antè moleſtia carceris maceratos.De libertate noſtra interim
nullum verbū fiebat.Erat tū imperator in vrbe:voti enim gratia venerat cū mag
no comitatu,quē Paulus magna cū impenſa honorificentiſſimè ſuſcepit,expēſis
decem & octo millibus nūmûm aureorum. Ambos ex mole Hadriani ſub codē
pallio à Laterano redeuntes,comitāte honorato quoq;,inſpexi.Subſtitit Paulus
in ponte,donec imperator equites aliquot crearet.Abeūte deinde imperatore,cū
iam metu omni liberatus eſſet: nā & equitum & peditū ſuorū magnā partē in vr-
bem vocauerat:veritus ne quid tumultus à populo Romano excitaretur, pręſen
te imperatore,decimo menſe poſt captiuitatē noſtrā in arcem veniens,ne tātum
tumultus fruſtra cōcitaſſe videretur,multa nobis obijcit, ſed illud potiſſimum,
quod de immortalitate animorū diſputarem⁹,teneremusq́; opinionē Platonis,
quā diuus Auguſtin⁹ Chriſtianę religioni ſimilimā eſſe cēſet:Merito,inquit Au-
relius,Cicero Deum inter philoſophos Platonē vocat,qui certè cunctos ingenio
& ſapientia ſuperauit:hūc mihi delegi,quo cū diſputarē,qui & de vltimo homi-
nis fine,& de diuina natura melius quā cæteri philoſophatur.In dubium,inquit
Paulus,diſputando Deū vocabatis.Quod quidē omnibus philoſophis & theolo
gis noſtrorū temporū obijci poteſt,qui & animos & Deū & omnes intelligentias
ſeparatas,diſputādi ac veri inueniendi cauſa in dubiū plerunque vocāt. Præterea
verò hæretici ſunt,vt ait Auguſtinus,qui quod prauè ſapiunt, pertinaciter defen
dūt.Sanā diſciplinā nunquā aſpernati ſumus,quod facerē cōſueuerūt(vt ait Leo)
erroris magiſtri,qui ſeorſum ab eccleſia ſentiētes,hæretici meritò,Hieronymo
teſte, ſunt appellati.Rationem vitæ meę,poſteaquā ſapere per ætatē cœpi,vſq; ad
hęc tēpora reddere vobis poſſum.Nullum mihi facinus impingi poteſt,non fur-
tum,non latrocinium,non ſacrilegium,non depeculatus,non parricidium,nō
rapina,non Simonia. Vixi,vt Chriſtianum decebat, confeſsionem & commu-
nionē in anno,ſemel pręſertim, intermiſi nunquā.Nil ex ore meo excidit,quod
contra ſymbolum eſſet,aut hæreſim ſaperet.Nō ſum imitatus Simoniacos,Car-
pocratianos,Ophytas,Seuerianos,Alogios, Paulinos. Manichæos,Macedonia-
nos,aliámue hęreticorū ſectam.Præterea verò Paulus crimini nobis dabat,quod
nimium gētilitatis amatores eſſemus,cū nemo eo huius rei ſtudioſior eſſet,quip
pe qui & ſtatuas veterum vndique ex tota vrbe conquiſitas,in ſuas illas ędes,quas
ſub Capitolio extruebat,congereret,auecto etiam ex ſancta Hagnete beatæ Con-
ſtantię ſepulchro,fruſtra reclamātibus monachis loci,qui poſtea mortuo Paulo,
ſepulchrū illud porphyreticum à Xyſto pontifice repetiere. Præterea verò nu-
miſmata propè infinita,ex auro,argento,ęréue,ſua imagine ſignata,ſine vllo ſe-
natuſcōſulto in fundamentis ædificiorum ſuorum more veterum collocabat:
veteres potius hac in re,quàm Petrum,Anacletum & Linum imitatus.Cum ve-
rò noſtra de re inter Palatinos epiſcopos & duos fratres eſſet aliquando diſcepta-
tum,quorum alter erat ordinis Franciſci,alter Dominici,venerunt ferè omnes
in hanc ſententiam,nihil eſſe in nobis,quod hæreſim ſaperet. Verùm cū Paulus
in arcem veniſſet, excluderetúrque de induſtria Frāciſcus patronus noſter veri-
tatis aſſertor,quò liberius Leonardo loqui liceret, eadem dicit quæ pridie.Ro-
gati ſententiam qui tum aderant,etſi ad nutum pontificis aliqua ex parte loque-
bantur, noſtram tamen cauſam leuiorem faciebant, ac pontificem mitiorem
reddere conabantur.Solus autem inter omnes Lælius de Valle Romanus ciuis
& aduocatus conſiſtorialis,noſtram cauſam liberè tutatus eſt. Confutat omnia,
quæ à Leonardo dicta erant, quæque partim affirmauerat alter aduocatus An-
dreas ſanctæ crucis.Fit autem inter dicendum de Academia mentio. Inclamat
tum

tum M. Barbus ſancti Marci Cardinalis, nos non Academicos eſſe, ſed fœdatores Academię. Quid turpitudinis aũt à nobis in Academia prodierit, certè nõ video, cũ nec fures, nec latrones, nec incẽdiarij, nec decoctores eſſemus. Veteres Academicos ſequebamur, nouos cõtemnentes, qui in rebus ipſis nil certi ponebãt. Paulus tamẽ hæreticos eos pronũciauit, qui nomen Academiæ vel ſerio, vel ioco deinceps commemorarẽt. Iuſta eſt hæc ignominia Platoni, ipſe ſe tueatur. Volebat Paulus rebus in omnibus videri acutus & doctus: volebat item videri facetus, deridebat ferè omnes contemnebatq́;. Interrogat tum Pomponiũ hominẽ irridẽs, quod eiã teneris annis nomen impoſuerãt parẽtes. Reſpondet Pomponius, ſe binonium fuiſſe. Confuſus nouitate rei Paulus, ſubſtitit amplius de nomine quęrere. Ad me autem cõuerſus, in omnem contumeliã prorupit, omitto quod mihi coniurationẽ, hęreſim, maieſtatis crimẽ obijceret, quæ omnia iam purgata erãt: obijciebat etiam, ingratitudinem, quòd in me licet ingratum officioſus fuiſſet. Si ſpoliare homines emptione ſua incognita cauſa, ſi carcere, ſi tormẽtis, ſi ignominia, ſi calũnia afficere beneficium eſt, certè erga me beneficus & liberalis dici poteſt Paulus, & ego ingratus: qui tantorum maleficiorũ immemor, ab vrbe nõ diſceſſerim, ſuis mãdatis obtẽperãs, ſuis pollicitationibus toties fruſtratus. Abijt inde minabũdus, & ob iram quam tum conceperat, nos vſque ad integrum annũ retinuit, ita eum credo iuraſſe: quãdo nos cœpit, & in carcerẽ cõiecit, noluit periurus videri. Dimiſſos tãdẽ in ædibus ſuis viginti diebus ita nos retinet, vt efferre pedem domo nõ liceret. Vagari deinde per Vaticanuũ ſinit. Fatigatus poſtremo Cardinalium precibus, liberos tãdem nos facit. Vocor nõ ita multò pòſt litteris à Ludouico Gonzaga principe Mantuano, ad balea Petriolana valetudinis cauſa, quã in carcere dextro humero debilitatus contraxerã. Eò vt proficiſcerer, primo vetuit Paulus, ꝙ diceret ſe breui rei meæ bene cõſulturũ. Eo tamen ac redeo, ſpõdente reditũ meũ Beſſarione Cardinali Niceno, viro pręſtantis ingenij, & ſingularis litteraturæ. Fidem meam cõmendat Paulus, ac crebro iactat optimã eius erga me voluntatem. Poſt diſceſſum Borſij Eſtẽſis, quem ad vrbem cum magno equitatu venientẽ magnificentiſſimè & lautè ſuſceperat, ducemq́; Ferrariæ creauerat, me breui viſurum quo in me animo eſſet. Idq́; etiam oratoribus tum Venetorum, tum Ducis Mediolanenſis, qui me ei cõmendauerant, ſæpe pollicitus fuerat. Biennio hac ſpe ductus vel fruſtratus potius, ire Bononiam inſtitueram cum Cardinali Mãtuano eiuſdem ciuitatis legato. Quo minus id facerem, vetat Paulus: dixitq́; (ita erat vrbanus & facetus) me ſatis ſapere, & facultatibus potius ꝙ̃ litteratura indigere. Sed ecce, dum expecto, vt mei tandem tot calamitatibus, tot malis circumuenti miſereatur, pontifex ipſe apoplexia moritur ſecũda hora noctis, ſolus in cubiculo nemine vidente, cum eo die lætus etiã conſiſtoriũ habuiſſet, põtificatus ſui anno ſexto, mẽſe decimo, quinto Kalẽdas Auguſti, M CCCC. LXXI. Fuit autem in homine quãtum ad corpus pertinet, maieſtas pontifice digna. Erat enim magni ac vaſti corporis, adeò vt dum ad rem diuinã proficiſceretur, ſolus emineret. Circa cultum corporis etſi moroſus non erat, nequaquã tamen negligens habebatur. Fuere etiam qui dicerẽt, eum, dum in publicũ prodiret, faciẽ ſibi fucis concinnare. De apparatu pontificio non eſt cur ambigas, maiores ab hoc vno ſuperatos, regno præſertim, ſiue mitram velis appellare, in quã multas opes contulit, coëmptis vndiq́; ac magnis precijs adamãtibus, ſapphiris, ſmaragdis, chryſolithis, iaſpidibus, vnionibus, & quicquid gẽmarum in precio eſt, quibus ornatus tãquam alter Aaron, in publicum forma humana auguſtiore prodibat. Inſpici tum ab omnibus volebat, & admirari. Hanc ob rem nonnunquam peregrinos in vrbe retinuit, intermiſſa oſtendendi ſudarij conſuetudine, quo à pluribus eodem tempore cerneretur. Præterea verò, ne ſolus differre à cæteris videretur, publico decreto mãdauit propoſita pœna, ne quiſpiam bireta coccinea (ita appellant capitis tegmen) præter Cardinales ferret: quibus etiam primo pontificatus ſui anno pannũ eiuſdem coloris dono dedit, quo equos vel mulas ſternerent dum equitant. Voluit præterea in decretũ referre, vt galeri Cardinaliũ ex ſerico coccineo fierẽt: ſed id quò minus decerneretur, vetuere illi, qui bene ſentientes, diminuendam eſſe eccleſiæ pompam, nõ augẽdam cum de-





trimento Chriſtianæ religionis prædicabãt. Ante pontificatũ verò prędicare ſolebat, ſi ſors vnquam ei cõtigiſſet, ſingulis Cardinalibus ſingula caſtella ſe donaturum, quo vitãdi æſtus vrbani cauſa ſecedere percommodè poſſent. Sed põtificatum adeptus, nil minus cogitauit; põtificatus tamen maieſtatem tũ auctoritate, tum armis augere conatus eſt. Nã Tricaricenſem epiſcopum in Gallias miſit, qui cognita Leodienſium & ducis Burgundiæ contentione, eos ad concordiã reuocaret, ſublato interdicto, quo Leodiẽſes notati erãt, ob pulſum iniuria epiſcopũ ſuum. Verùm dũ Tricaricenſis hæc quam accuratè agit, vt id ad ſolum põtificem pertinere oſtenderet, à Leodienſibus cum eorũ epiſcopo capitur. Hãc ob rem dux Burgundiæ inita pace cum Ludouico Franciæ rege (tum enim bellũ inter ſe gerebant) adiuuante ipſo rege, Leodienſes grauiſſimis cædibus perſecutus, eorũ vrbẽ tandem euertit, & captos epiſcopos liberauit. Præterea verò Paulus cognita regis Boëmiæ perfidia, in hominem Laurentio Rouerella epiſcopo Ferrarienſi legato ita Vngaros & Germanos concitauit, vt breui & ſtirpẽ Georgij funditus ſuſtulerit: & nomen hæreticorũ fuerit deleturus, ni Poloni id regnum ad ſe pertinere dicentes, Matthiam Vngariæ regem tenuiſſent bello laceſſitũ, quo minus regno Boëmiæ potiretur. Duo tamẽ bella, & quidem parua in Italia ſuſcepit, quæ nulla re prius repetita bello, ſed inſidijs primò inchoata, poſtea deſeruit. Cũ igitur Tolphæ veteris dominos inſidijs primò, mox armis, cùm id nõ ceſſiſſet, duce Vianẽſio aggreſſus eſſet, obſideretq́; locũ, & oppugnaret, superuenientibus regijs copijs, quę à bello, quod in Flaminia cõtra Barptolomęũ Bergomatẽ geſtũ eſſe diximus, quo in exercitu Vrſini militabant, repẽte effuſa fuga obſidionem deſerit, cũ amplius ſexaginta millibus paſſuum hoſtes abeſſent. Atq́; ita Tolpham poſt lõgam contentionem, qua etiam Vrſinos ſibi inimicos ac propè hoſtes fecerat decem & ſeptem millibus nummûm auri emit, familiæ Vrſinæ potentiã veritus, quæ dominis loci affinitate coniuncta erat. Iiſdem quoq́; artibus Robertum Malateſtã Sigiſmundi mortui filium aggreſſus, cum etiã dolo ſuburbium Ariminenſe cępiſſet, vrbemq́; aliquandiu oppugnaſſet, Laurentio Spalatrẽſi archiepiſcopo tãtum negocium procurante, ſuperueniente poſtea Frederico comite Vrbinati cũ regio ac Florentini populi exercitu, & obſidionem relinquere coactus eſt, & fuſo turpiter ac fugato exercitu, pacẽ turpi etiam cõditione initam non renuit. Affirmat Laurentius, potiundi Arimini oportunitatẽ amiſſam eſſe, dũ auarè nimiũ ſtipendia militibus perſoluit: dumq́; ignoratione rerum æternitate ingenij, rem ipſam quæ momento temporis colligitur, in bello potiſſimũ, in longum ducit. Natura enim in rebus agẽdis ita præpoſterus Paulus erat, vt niſi fatigatus, rẽ quãtumuis claram, apertã & inchoaret, aut inchoatã perficeret. Quanquã ipſe iactare ſolebat, id ſibi in multis vſui fuiſſe, cùm in pluribus (ſi verũ fateri volumus) ſibi ac Romanæ eccleſiæ id admodum nocuiſſet: in colligẽdis autem pecunijs ita diligens fuit, vt ferè ſemper beneficia & epiſcopatus his committeret, qui officiũ aliquod venale haberẽt, vnde elici munus poſſet. Omnia enim officia ſuo tẽpore venalia erãt, quam ob rem factum eſt, vt qui epiſcopatum aut beneficiũ vellet, officium aliquod emeret, quo lenocinio quod vellet, cõſequeretur, ſuperatis cõpetitoribus omnibus, doctrina & probitate vitę, quouis magiſtratu & honore dignis. Præterea verò, cum epiſcopatus vacaret, quo plures annatæ eodem tempore ſoluerẽtur, digniores (vt ipſe prædicabat) ad vberiores epiſcopatus mouens, magnam pecuniarum vim vndiq́; colligebat. Redimẽdarum quoq́; penſionẽ vſum nõ improbauit. His autem pecunijs interdum etiam ad liberalitatem vtebatur. Nam & Cardinales pauperes maximè, & epiſcopos & principes ac nobiles domo extorres, virgines, viduas, ęgrotos frequẽter iuuabat. Curauit idem vt Romę, annona ceteraq́; ad victum pertinentia, vilius quàm antea venderẽtur. Aedificauit etiam ſplendidè ac magnificè tum apud ſanctum Marcũ, tum verò in Vaticano. Quod ad munificentiam pertinet, venationẽ quoque miro apparatu edidit duci Ferrariẽſi in campo Merulæ. Huic autem præfuit eius ex ſorore nepos ſanctę Luciæ Cardinalis, quem vna cũ Baptiſta Zeno altero nepote Cardinales ante creauerat. Adire hominem die dormiẽtem, ac noctu vigilãtem attrectantemq́; gẽmas, & margaritas, difficile erat, nec niſi poſt multas vigilias, quod ſi tibi patuiſſẽt fo-

res, audire hominē, nō audiri ab homine neceſſe erat, adeo copioſus in dicendo habebatur. Moroſus erat & difficilis, tū domeſticis, tū externis, & ſæpe quod promiſerat, mutata ſententia inuertebat. Volebat uideri aſtutus rebus in omnibus, hanc ob rem perplexè nimiū interdum loquebatur, quare amicitias principū ac populorū nō diu ſeruauit, quòd variarū partiū haberetur. Varia ciborū genera ſibi apponi volebat, & peiora queq; ſemper deguſtabat. Clamabat interdū, niſi quę expetebat, ex ſentētia ei appoſita fuiſſent. Bibaciſſimus quidē erat, ſed vina admodū parua & diluta bibebat. Peponū eſu, cancrorū, paſtillorū, piſciū, ſuccidiæ, admodū delectabatur. Quibus ex rebus ortā crediderim apoplexiā illam, qua è vita ſublatus eſt: nam duos pepones & quidē prægrādes comederat eo die, quo ſequēti nocte mortuus eſt. Iuſtus tamē eſt habitus & clemēs. Pleroſq; aūt latrones pœna carceris ad ſanitatē redigere conatus eſt, fures, parricidas, perfidos, periuros. Humanitatis autem ſtudia ita oderat & cōtemnebat, vt eius ſtudioſos, vno nomine hæreticos appellaret. Hanc ob rem Romanos adhortabatur, ne filios diutius in ſtudijs litterarū paterentur, ſatis eſſe ſi legere & ſcribere didiciſſent. Durus interdū & inexorabilis, ſi quid ab eo peteres, habebatur: neque hoc cōtentus: conuicia & probra in te conijciebat: plura tamen præſtabat, quàm vultu facturū præ ſe ferret. Vno tamē poſtremo laudari poteſt, quòd domi mōſtra nō aluerit, quodq; domeſticos ſuos & familiares in officio continuerit, ne ob faſtum & inſolentiam populo Romano & aulicis ſtomachum facerent.

*Ex Onuphrio.*

PETRVS Barbus, Patricius Venetus, Nicolai & Polyxenæ, ſororis Eugenij IIII. Papæ filius, ab auunculo Romam accitus, Protonotarius Apoſtolicus, Epiſcopus Ceruiēſis, pòſt Vicetinus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ Nouæ, demum Presbyter tt. S. Marci renunciatus eſt. Homo natura blandus, mitis, & humanus. Pontificibus Nicolao V. & Calliſto III. gratiſſimus fuit. Pio II. nō admodum probatus. Quo mortuo, ipſe conclaui in Palatio Vaticano inſtituto, XIX. Cardinalium ſuffragijs III. Kal. Septembris, anni ∞ CCCCLXIIII. Summus Pontifex denunciatus, coronatuſque ibidem XVI. Kal. Octobris, ſedit Imperatore Cæſare Friderico III. Auguſto, annos VI. menſes X. dies XXVI. Ordinationibus tribus Cardinales XI. creauit. Fœdus inter Chriſtianos Principes, & bellum Turcicum per Legatos ſuaſit. Georgiū Bohemiæ Regem Huſſitarum hæreſi infectum, excōmunicatum Regno priuauit, quod Hungarorū Regi Matthiæ dono dedit. Fridericum Imperatorē Romæ voti cauſſa venientem honorificentiſſime ſuſcepit, Borſium Marchionem Eſtēſem Ferrariæ Ducem cōſtituit: lautiſſimas ad S. Marcū ædes cōſtruxit. Apoplexi correptus obijt morte repētina Romę in Palatio Vaticano VIII. Kal. Auguſti, anno ∞ CCCCLXXI. Vacauit ſedes dies XIIII. Corpus in S. Petro marmoreo ſepulchro cū hoc epitaphio cōditū.

Paulus II. Venetus Pontifex Maximus è vetuſta Barborū Familia, præclaris naturæ dotibus auunculo Eugenio IIII. nō inferior. Iuſtitiæ, pietatis, diuinarumq; ceremoniarum cultor religioſiſſimus, Eccleſiaſticę libertatis maieſtatiſq; defenſor cōſtantiſſimus, præcipuo pacis ſeruandæ ſtudio, & ſingularis omnis generis munerū abſtinētia, formidanda etiam lege magiſtratibus indicta clariſſimus, in Principes munificētia, in pauperes miſericordia inſignis, patrio amore annonæ copiā Vrbi dedit. Patrimoniū Beati Petri erratis populorū, indulgētiſſimi parētis affectu, emendatis, & cōſeruauit & auxit. Furentes armis hęreticos repreſſit: & quod per difficilem rerum temporumue conditionem effici cum dignitate non poterat, matura cunctatione ſaluberrimè diſpoſuit. Vixit annos LIII. menſes V. dies III. ſedit annos VI. menſes X. dies XXVI.

Marcus Barbus Cardinalis S. Marci Patriarcha Aquileienſis conſanguineo benemerenti fecit, anno ſalutis. ∞ CDLXXII.

*Hucvſque Platina.*

*SVBSEQVENTES PORRO XIIII. PONTIFICVM vitæ, Onuphrij Panuinij opera acceſſere.*





# ONVPHRII PANVINII VERONENSIS FRATRIS EREMITAE AVGVSTINIANI, PONTIFICVM ROMANORVM VITAE, A XYSTO IIII. PAPA, VSQVE ad Pium V. Pontificem Maximum,

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM D. PERAFANNVM, DE RIBERA, DVCEM ALEALAE, PROREGEM NEAPOLITANVM: AD QVEM EPIſtolam dedicatoriam in fronte huius operis collocatam offendes.

## ONVPHRIVS PANVINIVS, CANDIDO LECTORI S. D.

*ANTE ANNOS CIRCITER XIIII. HORTATV MARCELLI Cardinalis ſanctæ Crucis, quem poſtea ſummum pontificem vidimus, cui ego me tunc temporis in clientelam totum dederam, beati, & ſanctiſsimi illius viri virtutes admiratus, ab hiſtorijs profanis conſcribendis ad eccleſiaſticas res, vſque ad ea tempora à paucis, aut leuiter tentatas, aut omnino neglectas, tractandas, & explicandas animū conuerti. Libellum igitur ante omnia de Romanis pontificibus cum Cardinalium breui chronico adornaui, quem adhuc imperfectum, neq; vllam libri faciem habentem, quum & inuito, & neſciente me vulgatum cognouiſſem, incredibili dolore affectus, quo ei errori remedium aliquod adferrem, breuiorem alium librum ſtatim, etiamſi contra animi mei ſententiā, publicaui, in quo eædem res aliquanto diligentius tractarentur, ſed & is, quum immaturus, & celeriter, confectus eſſet, non omni ex parte incorruptus, & integer exire potuit: res enim magni laboris, & multarum vigiliarum longius omnino tempus deſiderabat. Vnde quibuſdam rebus non ita accuratè exploratis, vt librum quamprimum publicarem, coactus ſum: ne quæ in priore opere iam edita erant falſa, incertaq; legentium mentibis obreperent. Atq; hac ratione factum eſt, vt etiam in poſteriore editione ad eundem modum, ſed tamen multo leuius peccatum ſit, & incorrupta, ac quæ in rerum ſcriptore maximè deſideratur, certiſsima veritas, ad amuſſim non reſpondeat. Cæterum ab his, quorum intereſt admonitus, probatiſsimiſq; annalibus, & vetuſtiſsimis publicis monumentis ſubleuatus, certiſsimam rerum ſeriem & veritatem inueni. Ob has igitur cauſſas librū ipſum longè locupletiſsimum, accuratiſsima diligentia iam magna ex parte concinnaui, quò Romanorum Pontificum, & Cardinalium, quorum memoria extat, vitas effuſe ſcripſi: Atqui quum res magni & difficilis negotij ſit, nō ita facile, quanquā iam diu multumq; in eo elaborauerim, confici potuit. Interim amicorū quorundā grauiſsimorum hominum hortatu: dum liber meus publicetur, Platinam, qui iam in officinis eſſe deſierat, multis mendis purgatum reſtitui, annotationibus illuſtraui, & quanto breuius, & diligentius à me fieri potuit, XIIII. ſequentium pontificum à Xyſti IIII. (vbi ille ſcribendi finem facit) Pontificatu, ad noſtra vſq; tempora adiunxi. In quibus deſcribendis, præter priuatos, publicoſq; annales, diaria, & acta conſiſtorialia, Raphaëlem quoque Volaterranum, & Paulum Iouium præcipue auctores ſum ſecutus, quin & aliquot ex ijs ab ipſo Iouio breuiſsimè mutuatus ſum, publicam ſtudioſorum vtilitatem vbique, atq; eam ſolam reſpiciens. Æquiſsimum nanq; mihi videbatur, vt qui ad haſce vitas legendas animum adieciſſet, ne quum iam ad finem ferè perueniſſet, præproperè, ac parum opportunè deſtitueretur. Qui ſi cupiditati ſuæ (neque enim auiditatem ipſius explere volui) ſed tamen, ſi cupiditati ſuæ aliqua ex parte crediderit à me factum eſſe ſatis, tum ego quem ex hoc labore meo vnicum cupio, eundem mihi videbor fructum abundè conſecutus.*

# XYSTVS PAPA IV.

Pont. 221. GEns Roborea, quę & de Ruuere dicta eſt, Auguſta prętoria Tau
rinorũ orta, inter Subalpinas nobilis, à Longobardis originẽ
ducere, multorũ conſenſu traditur. Cuius familiæ auctorẽ fu-
iſſe Hermundum, qui Ragumberti ducis Taurinẽſium, Pauli
Diaconi in hiſtoria Lõgobardica teſtimonio clari, tẽpore cir-
ca annum Domini DCC. vixit, antiquis annalibus relatũ eſt.
Caſtellũ vicus nouus eius familiæ vetus ditio, nã Cincianũ, &
Riualba poſterioribus temporibus acquiſita fuere. Simo Ruuereus ob pinguedi
nem cognomine Craſſus, ante multos annos ex Taurinis in Ligures concedens,
ad vada Sabatia, quam nunc Sauonam vocamus, ſubſtitit, à quo gens de Ruuere
manauit, inter eius ciuitatis familias nõ poſtrema. De Ruuere autem gentis no-
men eſt vernacula lingua, quod nos Latinè robur appellaremus, vel potius quer
cum, ab inſigni gentilitio clypeo, quod eſt quercu aurea expreſſum. Ex ea quæ e-
rat Sauonæ familia de Ruuere, Xyſtus papa IIII. originem duxit, cuius parentes
fuere Leonardus, vir inter vrbis ſuæ ciues honoratus, & omnibus in patria ma-
giſtratibus functus, & Luchina Munliona honeſto loco Sauonæ nata. Extant
adhuc Leonardi, & patris auique ſui cum elogijs in eccleſia cathedrali Sauonen-
ſi ſepulchra, ante omnem Xyſti fortunam condita, iſthæc referentia. Natus eſt
Xyſtus XII. Kalendas Auguſti, anno Domini MCCCCXIIII. Ioanne XXIII.
Romano pontifice. Cellis qui eſt pagus maritimus, ab Vrbe Sauona quinque
millibus paſſuum diſtans: eo nanque parentes confugerant vitandæ peſtis cau-
ſa, quæ tum maximè Ligures vexabat. Videre per ſomnium viſa eſt mater, ante
partum editum infantem à beatis Franciſco & Antonio cucullam & cingulum
piè ac ſanctè indui, quo habitu ipſorum diuorum fratres vtuntur, Minores vo-
cati. At verò dum obſtetrix puerum, cui propterea Franciſci nomẽ inditum fuit,
vt fit, accuratè in balneo lauaret ipſumque in vndis aliquando deficientem, ac
penè mortuum ad matrem detuliſſet, illa ſomnij memor, vouit ſe induturum
filium S. Franciſci habitu, facturamque vt eundem ſex menſibus ferret: quo ſe-
meſtri tranſacto, amoto habitu, puer iterum in grauem infirmitatem incidit,
annum iam natus, & eo amplius, cæterum voto repetito, mater ſtatim filium
incolumem recepit, & quum parumper creuiſſet, nonum agens annum, cœno-
bio adiectus eſt ſancti Franciſci. Cuius pueri curam ſuſcepit Ioannes Pinarolius
vir optimus, à quo ordinis mores, vitamque fratrum Minorum inſtructus, gram
maticã tanto ſtudio perdidicit, vt breui Ciceronis volumina, partim ab alijs au-
dierit, partim verò ingenij acumine, nulla alterius opera intellexerit. Cherium
deinde vbi adoleuiſſet profectus, Dialecticæ & Logicæ doctores eius loci audiuit
ita diligenter et accuratè, vt poſtea facultatẽ eandẽ ipſe alijs legerit. Papiæ dein-
de & Bononiæ celeberrimis gymnaſijs philoſophiam, & theologiam didicit,
præceptoribus vſus Iacobo Textore, & Andrea Nolano doctiſſimis viris. Vigeſi-
mo ætatis anno nondum, doctorum capitulo generali ſui ordinis Genuæ con-
gregato, ita copioſe, ita diſertè, & eleganter diſputauit, vt vnus omnium docti-
ſſimus exiſtimatus ſit, & à generali miniſtro ordinis Guillelmo Caſali maximis
laudibus ornatus. Patauij demum magiſterij gradu ſuſcepto, philoſophiam, &
theologiã multis in gymnaſijs, vt Patauino, Bononiẽſi, Papienſi, Senẽſi, Florẽti-
no, & Peruſino publicè profeſſus eſt. Hominem tota Europa clariſſimum, quum
multi alij præclari viri, tum præcipue Beſſario Cardinalis Nicęnus, vir Latina, &
Græca doctrina inſignis, frequẽter audiuit, cuius familiaritate ita delectatus eſt,
vt eodem perſæpe vſi ſint contubernio. Sacras conciones annuis quadrageſimæ
diebus, in omnibus fere Italię vrbibus, magna hominum gratia habuit. Miniſtri
generalis Iacobi Sarguellæ poſtea ſocius factus, non longè pòſt Liguriæ prouin-
cialis, quem miniſtrum vocant primum, deinde ſui ordinis in Romana curia
procu-



procurator, & totius Italiæ generalis vicarius, poſtremo in capitulo generali Pe-
ruſij celebrato, omniũ votis Iacobo Sarguella ob ſeniũ abdicãte miniſter genera
lis eſt renũtiatus. Quibus in magiſtratibus tãta gratia & auctoritate apud omnes
valuit, vt nihil quamuis difficile & arduũ, tentarit, quod nõ facile fuerit cõſecu-
tus. Pius ſecundus eũ maximo in pretio ſemper habuit. Qui verò ei ſucceſſit Pau-
lus ſecundus, eius doctrinæ fama permotus, annitẽtibus maximè Beſſarione Ni-
cæno, & Franciſco Mantuano cardinalibus, illũ abſentẽ, & inſcium (Papiæ enim
morabatur Venetias iturus) Cardinalem presbyterum tituli S. Petri ad Vincula,
cũ alijs ſeptem anno Domini ∞ CDLXVII. xiiij. Kal. Octobris, creauit. Qui Ro-
mã veniẽs comiter ab omnibus ſuſceptus, & quorũdam Cardinaliũ benignitate
adiutus (pauper enim erat) ædes S. Petri ad Vincula rimoſas, & ruinæ proximas,
ita reſtituit, vt ab ſe et familia percõmode incoli poſſent. Cuiꝰ in Cardinalatu po
tiſſimum inſtitutũ fuit, vt familiam ſuam in officio cõtineret. Nec tamen eum
aut parta dignitas, aut grauiſſimarum rerum cura à ſtudijs litterarum auocauit.
Nam in Cardinalatu librum de ſanguine CHRISTI, & de futuris contingenti-
bus edidit. Scripſit etiam Commentarios de potentia Dei, de Conceptione Vir-
ginis, & contra errores cuiuſdam Carmelitæ Bononienſis, qui affirmabat, Deum
ſua omnipotentia, damnatum hominẽ ſaluare non poſſe. Aggreſſus eſt & aliud
opus, in quo validis rationibus oſtendere nitebatur, D. Thomam Aquinatem, &
Scotum in ſententijs conuenire, quanquam verbis differrẽt ad tollendas diſcor-
dias & altercationes, inter Prædicatores, & Minores. Tantæ enim doctrinæ habe-
batur, vt huic vni ex cœtu Cardinalium ad fidem pertinentia potiſſimum com-
mitterentur, quibus rebus dum ſtudioſius operam daret, Paulus papa II. viij. Kal.
Auguſti noctis hora tertia, morte repentina diem clauſit extremum. In cuius lo-
cum omniũ Cardinalium ſuffragijs, qui xvij. tunc erant, in Conclaui recluſi in
palatio apoſtolico apud S. Petrum, v. idus Auguſti, xiij. vacantis ſedis die, anno
Domini ∞ CCCCLXXI. Romanus pontifex renuntiatus eſt, Latino Vrſino,
Roderico Borgia cancellario, & Franciſco Gonzaga magnopere ſuffragãtibus,
cuius beneficij pontifex memor, Latino quidem camerariatum, Roderico abba
tiam Sublacenſem, Gõzagæ verò monaſterium S. Georgij cõceſſit. At verò viij.
Kal. Septẽbris in coronationis ſuæ ſolennibus, dum in magna populi frequẽtia
lectica portaretur apud Baſilicam Lateranenſem tantus re, ente tumultus exor-
tus eſt, dum Romani quidam ciues in via ab equitibus pontificijs premerẽtur, vt
maximũ vitę periculum adierit, ſaxis enim ſeu caſu, ſeu ex cõpoſito appetitus,
à lecticarijs certè deſtitutus fuiſſet, niſi Latini cardinalis auctoritas, à quo ſeditio
ſedata eſt, interceſſiſſet, coronatione celebrata ad rem eccleſiaſticã Chriſtianam-
que componendam animum adiecit, atque ante omnia conciliũ Laterani ſe in-
dicturum oſtendit, in quo & res Eccleſiaſticæ corrigerẽtur, & de bello Turcis in-
dicendo tractaretur, quemadmodum Pius papa II. inſtituerat. Cæterum dũ im-
perator Fridericus iij. cõcilium Vtini in Carneis loco magis oportuno à põtifice
indici cõtendit, pontifex verò iure id facere recuſaret, re in longũ protracta, alia
remedia quæri placuit. Patrum igitur conſenſu, Xyſtus quatuor legatos ſum-
ma cum poteſtate creauit, Beſſarionem Nicænum in Galliam, Rodericũ Borgiã
cancellariam in Hiſpaniam, & Marcum Barbum in Germaniã, & Pannoniam,
qui inter ſe diſſidentes Chriſtianos principes ad concordiam reuocarẽt. Ludoui-
cus enim xj. rex Gallorũ ducibus Karolo Burgundiæ, & N. Britanniæ arma intu-
lerat, reges Ferdinãdus Arragonum, & N. Iuſtinianæ ob regnum Caſtellæ legiti-
mo rege deſtitutum ad fœdũ certamen venerant. Pannoniæ & Poloniæ reges de
regno Boemiæ vacante inter ſe bello decertabant. Prioribus legatis quartũ adie-
cit Oliuerium Carafam, quem claſſi maritimæ in Turcos paratæ pręfecit, magna
cum impenſa, ſingulis enim legatis in ſingulos mẽſes quingenti aurei aſſignati.
Legati, qui ad reges profecti fuerant, rebus parum feliciter geſtis, rediere. Eugenij
porro, Nicolai, Calliſti, Pij, & Pauli creditoribus vnà concurrentibus, quum ini
tio pontificatus pecuniæ deeſſent, gemmis quas Paulus II. in theſauris reliquerat
diuenditis, ſatisfieri voluit. Aerario enim inani, non niſi quinq; millia aureorũ
præter hominũ opinionẽ inuẽit. Auditis deinde publicè & perbenignè oratori-


bus

bus Chriſtianorum principũ,qui ſedi apoſtolicæ, & ipſi obtẽperaturos ſe quemadmodum mos eſt,pollicebantur,duos Cardinales proximis quatuor temporibus natalis Domini deſignatos,eo die in publicum miſit,quo legati domos quiſque ſuas magno cum honore reducti ſunt. Horum alter fuit Petrus Riaria mediocri familia Sauonæ ortus,& ab eo,à teneris annis,in ordine S. Franciſci educatus,quem epiſcopum Taruiſinum ante ab ſe dictum, presbyterum Cardinalem tituli S.Xyſti creauit. Alter verò Iulianus Raphaëlis fratris filius epiſcopus Carpenctoratenſis presbyter Cardinalis S.Petri ad vincula tituli Eudoxiæ fuit. Is poſtea pontifex maximus renuntiatus, Iulius II. vocatus eſt. Xyſtus enim ſuorũ amantiſſimus ac indulgentiſſimus,omnium iudicio eſt exiſtimatus. Quorum cauſa multa præter fas iuſque egiſſe & conceſſiſſe vitio illi datum eſt. Petrus ipſe ampliſſimis ſacerdotiorum redditibus auctus,ita ſplẽdidus erat, vt pecuniæ perdendę natus eſſe videretur,nam eo biennio, quo tantum poſt eo ſuperuixit,ducenta aureorum millia in victu abſumpſiſſe,lx. verò millia æris alieni, argenti autem cælati ccc.pondo reliquiſſe traditur. Obijt voluptatibus confectus, annorum xxiix. ſepultus ad S. Apoſtolos. Paulò ante obitum creatus à Xyſto fuerat totius Italiæ legatus. Qua decurſa & vbiq; ac Mediolani pręſertim, Venetijs,& Patauij honorificentiſſimè ſuſceptus, Romam, vbi non longè poſt exceſſit, reuerſus eſt. Cuius frater Hieronymus ex tenui alioqui & humili fortuna, in eius potentiæ locum ſuccedens,& Forocornelij ac Foroliuij princeps factus, poſt eum rem omnem eccleſiaſticam adminiſtrauit, ingenio magis ſeuero ac voluptatibus minimùm præter vnam venationem, deditus. Vxorem is duxit Catherinã Galeatij Inſubrum ducis ex concubina filiam, cuius rei cauſa filium eius Aſcanium Cardinalem Xyſtus poſtea creauit. Poſt hos verò pontifex fratrum ſororumque filios,quos multos habuit,ad magnos honores diuitiaſque prouexit. Nam Leonardum fratris filium,data ei in matrimonium regis Ferdinandi filia notha vrbis præfectum dixit,& in eius defuncti locum alterius fratris filium Ioannem Iuliani Cardinalis fratrem ſuffecit,Soræ ac Senogalliæ principatu adiuncto. Is ex vxore Ioanna Friderici Feltrij Vrbinatium ducis filia Franciſcum Mariam genuit,qui poſt auunculi Guidonis Vbaldi ſine maſcula prole obitum iure hæreditario,adoptionis,& dotis nomine ducatum Vrbini obtinuit. Chriſtophorum deinde & Dominicum Ruuereos fratres patria Taurinenſes, ex regulis Vicinoui ſucceſſiue, item ſororis filium Hieronymum Baſſum, & Petri Riarij ſorore natum,Raphaëlem Sanſonium,qui Riarium nomen tulit,annorum xvij. & Ioannem Iacobum Sclafenatum Mediolanenſem Parmæ epiſcopum cubiculariũ ſuũ,quem ſeruitio ſolo ſibi acceptum & gratum ex humili loco in altum euexit; Cardinales diuerſis temporibus dixit. His inter quatuor & triginta,quos varijs lectionibus in ſenatum cooptauit,Stephanum Nardinum,Ioãnem Baptiſtam Cybo,Georgium Luſitanũ,Ioannem Arragonium Ferdinãdi regis filium,Ioãnem Columnam,Ioannem Baptiſtam Sabellũ,Ioannem comitem,& Baptiſtam Vrſinũ è proceribus Romanis adiunxit. Initio pontificatus in Lateranũ canonicos ſęculares reduxit,eiectis inde à Romanis ſtatim poſt Pauli mortem regularibus, quos olim Eugenius IIII. vt in antiquam poſſeſſionẽ,qua à Bonifacio VIII. iniquè ſpoliati fuerant,introductos,Calliſtus III. expulerat,Pauluſq; II. reſtituerat: hiſq; templum S.Mariæ de pace ab ſe media vrbe conſtructum conceſſit. Quum verò admodum liberalis eſſet,nec vlli prorſus negare quicquam ſciret,plurimis eaſdẽ gratias importune rogantibus ſæpe conceſſit. Qua de cauſa,vt litium & diſcordiarũ initia & occaſiones tolleret,ſubſignandis libellis Ioãnem Monte mirabilem virum in aula exercitatum,& induſtriũ,ſeuerioriſq; ingenij præfecit, ꝙ nõ ritè conceſſa inducere poſſet. Ad arma cõuerſus,quibus maxime deditus fuit, initiũ à bello Turcico fecit. Prima expeditione dum claſſem in Turcas miſit, legato & duce Oliuerio Carafa Cardinale Neapolitano, cẽtum millia aureorum expẽdit; ſecunda verò lxv. millia Laurẽtio patriarcha Antiocheno fratris filio, qui Oliuerio ſucceſſerat,vnà cum Ferdinando & Venetis tantum bellũ adminiſtrante. Nam cum Oliuerio pontificis nomine cum xxiiij. triremibus bellũ gerente,quinquaginta Venetorum, Ferdinando verò xxiiij. triremes cõmunibus





auſpicijs militarunt. Nihil tamen præclare geſtum eſt, nuſquam prodeuntibus ex Boſphoro in Aegeum hoſtibus. Smyrna tantum in Aſia capta incolæq; omnes abacti. Oppugnare quidẽ Sataliam ante adorti erant,occupato per vim portu,refractaq; cathena ferrea, cuius partem foribus Baſilicæ Vaticanæ præfixam nunc etiam cernimus, ſed defendentibus acriter, qui in præſidio erant Turcis prælium omittunt atq; ita re infecta abeuntes plus terroris quàm calamitatis hoſtibus intulere,quum fere omnium cõſtans fama eſſet,Chriſtianos eo anno magnam Aſiæ partem occupaturos fuiſſe,ſi ipſi mari,quemadmodum Vſumcaſſanus Perſarum rex terra,Turcas vexare voluiſſent. Per quos vero ſteterit,quo minus res ex ſententia gereretur, haud ſatis liquet. Quũ Volaterrani in Etruria,occiſo propter imperij acerbitatem & Salinarum controuerſiam prætore Florentino à Florentinis defeciſſent,Xyſtus veritus ne eius rei occaſione Italiæ pax turbaretur,motus etiam Florentinorũ precibus, eò ſtatim copiarum ſuarum partem miſit, quibus factum eſt, vt Volaterrani expugnati perdomitique temeritatis atq; ſæuitiæ ſuæ pœnas dederint. Interim Põtifex imperij diuturnitate, viribus inſtauratis,vt erat magni animi vir, pontificiam dignitatẽ augere, imperium armis proferre,& Hieronymum Riarium ampliſsimis fortunis honeſtare cupiens,fœdere cũ Arragonio Ferdinando Neapolitanorũ rege inito aliquot in vmbriæ tyrannos tumultuantes,& aduerſus eccleſiã minus quàm beneficiarios deceret,contumaces tollere conſtituit. Ingenti igitur exercitu ab ſe congregato,imperatorẽ Fridericum Feltrium, quem ex comite Vrbini ducẽ nullo nõ honoris genere adhibito,creauerat,tum abſentem,legatũ verò fratris filiũ Iulianum cardinalem S.Petri ad vincula præfecit. Legatus ducis aduentu non expectato,in Tudertinos primum,deinde in Spoletinos tumultuantes,põtificiq; rebelles impreſsionẽ facit: quos Iulio Varano Camertium duce opem ferente, ſedatis inteſtinis diſcordijs factionumq; capitibus relegatis, in eccleſiæ fide nõ ſine maxima Spoletinorum clade cõtinuit. In Nicolaum deinde Vitelliũ Tifernatem Regulum,ferocis ingenij hominem arma mouit,quẽ cum antea Xyſtus amicum habuiſſet,Laurentij Tifernatis acerrimi Nicolai hoſtis impulſu, pontifex bello perſequebatur. Vitellius impar pontificijs viribus,poſt trimeſtrẽ oppugnationẽ,Vrbinatium Ducis Friderici aduentu audito vrbem legato hac cõditione dedit,vt ei tuto viuere priuati hominis more in patria liceret. Cauerat aũt iam ſibi Nicolaus amicitia Ducis fretus, vt accepto à Pontifice quanti bona eius vendi poſſent pretio, exulatum quò vellet abiret. Cæterùm aliquot annis pòſt ciuibus fauentibus in vrbem reuerſus, arcem quã Xyſtus quo ciuitatẽ in ſuã poteſtatẽ facilius cõtinere poſſet,extruebat,diſiecit,ſeq; intra oppidũ firmo pręſidio muniuit. Porro aũt longam illam trium menſium obſidionem nõ abſq; Laurentij Medicis,qui tum in rep. Florentina principem locum obtinebat, pecunia,auxilijſq; tulit. Qui tranquillitatis,atq; otij ſtudio potentiam principũ in Italia exæquatam volebat,nec põtificis ſibi ex mutata quadã æmulatione, & fratris Iuliani in cardinalatus petitione repulſa parũ amici, vires nimio plus creſcere patiebatur,vnde aduerſariũ ſe libidini eius, moderatæq; cupiditati ſemper oſtendit. Pontifici ita irritato,inſignẽ aliam cõtumeliam adiunxit. Totis enim viribus operam dedit,ne pontifex Imolam Flaminiæ vrbẽ,quam Forũ Cornelij vocant,emeret,quam princeps egeſtate coactus venalem propoſuerat, eiuſdem Regulo per amicos menſarios magna pecunia ſubleuato. Ita vt iam Laurentio cum põtifice apertæ ſimultates intercedere viderẽtur. Quæ res Mediceis,vt pòſt dicam pene exitio fuit. Dum hæc in Italia geruntur,Scodra quod nũc Scutarum vocant,ditionis Venetæ oppidum à Turcæ oppugnabatur, quod Xyſtus cõmeatu & pecunia iuuit,ne Turcæ munitiſsima recepta arce ea ad occupandũ Epirũ, & deinceps Illyricũ vteretur. Simultas interea inter Xyſtũ & Mediceos adeo creuerat,vt pontifex ab aduerſa Mediceorum factione,cuius princeps Frãciſcus Patius nobilis Trapezita erat ſollicitatus,clam egerit, vt cõſpiratione facta fratribuſq; Mediceis Laurẽtio & Iuliano interfectis, reſp. ſui ipſius arbitrio cõſtitueretur. Xyſtus tamen ne tam atrox ſceleſtumq; conſilium ſanctis auribus admiſiſſe videretur,rem totam occultè tractandã, perficiendamq; Hieronymo Riario

rio demandauit,egitq; cum Ferdinando Arragonio,vt Alfonſus eius filius cum exercitu in Etruriam mitteretur,ea ſpe vt ſublatis aut eiectis Mediceis Florentinos ſibi eo beneficio obſtringeret,quorum poſtea opera ſubnixus maiore cum auctoritate pontificatus dignitatem tueretur. Totum igitur negotium Hieronymi nomine datum eſt Ioanni Baptiſtæ Monteſicco,qui erat & Hieronymo,fidus manu ac ingenio promptus. Florentiæ verò conſpiratorum capita fuere Barptolomæus Saluiatus archiepiſcopus Piſanus,Laurentio ob priuatam veterem ſimultatem offenſus,Frãciſcus Pactius,& Iacobus Poggius Poggij oratoris clariſsimi filius. Atq; vt rem tutius aggrederentur,Florentiã mittitur Raphaël Riarius cardinalis S. Georgij Hieronymi ſororis filius adoleſcens,qui tum in gymnaſio Piſano commorabatur,vt ſi qui dubij ac timidiores forent,eius præſentia & auctoritate,maiore fiducia ad maturandã cædem inducẽtur. Coniuratione igitur inita in quam plures nomina dederant,ad vj. Kal. Maij die Solis in auguſtiſsimo diuæ Reparatæ templo cõſpirati,Mediceos fratres ſacris myſterijs aſsiſtentes adoriuntur. Ibi Iuliano interfecto dum Laurentius leui vulnere ſaucius in ſacrarium ab æditui incolumis,coniuratis ianua prohibitis,receptus eſſet,archiepiſcopus Piſanus,& Iacobus Poggius curiam occupare tentarũt. Tam immanis ſceleris rumore per vrbem delato,quum Laurentium ſeruatũ eſſe cognitum eſſet,impetu in cõiuratos à ciuibus & magiſtratibus Mediceæ factionis ſtudioſis facto,Piſanus archiepiſcopus,& Iacobus Poggius capti ſtatim cũ omnibus comitibus,è feneſtris ſuſpenſi laqueis præcipitantur,Antonius Volaterranus & Stephanus ſacerdos qui Laurentium agreſsi fuerant,Franciſcus Pactius coniurationis princeps,qui Iulianum occiderat omneſq; eorum affines,ſatellites,& qui aliquam eis operam tanto in ſcelere nauaſſent laqueis ſtrãgulati eundem vitæ exitum habuerunt. Nil eo ſpectaculo atrocius fuiſſe memoratur,Mõteſicco demum à quo quæſtionibus habitis totius coniurationis ſeries extorta eſt,interfecto,cardinalis qui ad aram maximam primo rumore cõfugerat,Laurentij precibus vix ſeruatus,& in cuſtodia aliquandiu detentus,non longè pòſt eius innocentia cognita in pontificis gratiam eſt dimiſſus. Hac re inritatus Xyſtus,quod ſacrato viro & *archiepiſcopo* ita fœdè interfecto cardinalem quoque captiuum feciſſent,Hieronymo inſtigãte grauiſsimũ Florentinis,ſacris omnibus interdictis,bellum intulit. Eccleſiaſtici exercitus imperator dux Vrbini Fridericus lectus,qui in Flaminiæ finibus arma parabat,pro rege verò Ferdinando pontifici fœdere coniuncto aderat iam cum exercitu Alfonſus filius Calabriæ dux,Florentini eo bello Gallorũ regem,Venetos,Mediolanenſiũ,Mantuanorum,& Ferrarienſiũ principes fautores habuere. Quod aliquot cladibus vtrinq; acceptis,oppidiſq; nonnullis à duce expugnatis,Laurentij poſtremo Medicis diligẽntia & ſtudio,nulla re inſigni in eo geſta finitum eſt. Is ad regem Neapolim profectus,eius animum prudentia,auctoritate,& diſertiſsimis rationibus adeo expugnauit,vt pacem ab eo & fœdus haud iniquis conditionibus Florentiã reportarit,in quo aperte illud adiectum erat,vt Arragonij & Florentini ſi bellum alicunde ingrueret,certa collata pecunia,mutuis auxilijs iuuarentur. Initi eius fœderis fama Xyſti papæ animũ grauiſsime perculit:& haud dubie primo quoq; tempore res nouas moliturus eſſe videbatur,niſi eius cõſilia repentinus Turcarũ aduẽtus diſcuſsiſſet. Qui Hydrunte in Salentinis vi capta,Italiam oẽm incredibili terrore compleuerant. Tum Xyſtus Turcico tumultu exterritus,pacem cum Florentinis fecit,& mulctæ nomine quindecim triremes ijs ad bellũ Turcicũ imperauit. Illud memoratu dignũ,quod Florentino bello ardente,quũ ab aduerſariorũ legatis Xyſtus papa huius controuerſiæ,quæ iniuſta videbatur,occaſione ad concilium citatus fuiſſet,ipſe ingenti animo,ſummaq; cõſtantia reſpondiſſe fertur:Se cõcilium quidẽ libenter admiſſurũ,vbi ſperaret ſe omnium illorum principum,criminib⁹ patefactis,res plurimas eccleſiæ ablatas,ab ijs repetiturũ. Vnde qui illum metu expugnare ſperabant,ab eodẽ perterriti alia perfugia quæſiêre. Per hæc tẽpora Cypri regibus patre & filiolo mortuis,Veneti inſulam,quod regis nouiſsimè defuncti mater Veneta è gente patricia Cornelia hæres eſſet,ne in Turcarũ poteſtatẽ veniret,occuparunt. Oppugnabat eodẽ tempore



pore Rhodum maximis viribus Mahometes ille,qui Conſtantinopolim ceperat. Verùm eam acriter Petro Daubuſon magno magiſtro tuente,re infecta diſcedere coactus eſt,& furorem ſuum in Italiam conuertit,vbi Hydrunte (vt dixi) capta quum Italiæ omni minitaretur repentino morbo oppreſſus,& ſuos in Italia fortiſsimè repugnantes deſtituit,& Chriſtianorum principũ animos longe maximo metu liberauit. Cuius mortis & receptæ Hydruntis nuntio confirmatis pontifex,qui iam de relinquenda Italia cogitauerat,Venetis fauere cæpit,qui Herculi Eſtenſi Ferrarienſium duci bellum atrox maximè repentinum intulerãt. Xyſtus porro cum Venetis fœdus inierat,vt ex Herculis calamitate,ſi victores Veneti euaſiſſent,Hieronymi Riarij potentiam amplificaret. Herculi adfuere Ferdinandus rex ſocer,Florentini,& Ludouicus Sfortia,qui tutor pueri principis Inſubrum imperio potiebatur. Hi communicatis conſilijs Fridericum Vrbinatium ducem,exercitus imperatorem creatum,in agro Ferrarienſi Venetis ſe opponunt. Alfonſum regis filium in agrum Romanum cum valido exercitu maturare iubent. Pontifex exercitus ſui ducem Robertum Malateſtã Sigiſmundi filium crearat,quem venienti Alfonſo obiecit. Is ad Latinam vſq; portam infeſto cum exercitu veniens,magno Vrbi terrori fuerat,nihil ſeſe propterea animo demittente pontifice,fortiterq; armis rem gerente. Signis ad Campũ mortuum in agro Veliterno collatis Alfonſi numeroſior exercitus,Roberti virtute à pauciori milite ſuperatus,capti proceres oẽs,& Romã adducti ſunt. Dux ipſe Antium vſq; fugiens,Neapolim trepidus ſe recepit. Verùm Robertus,cuius virtute tanta victoria parta erat,triduo pòſt celeriter extinctus ſuſpicionẽ ſuſcepti veneni reliquit. Iiſdem diebus ipſe etiam Fridericus Vrbinas,qui Venetis oppoſitus bellũ pro duce Ferrariȩ gerebat,in caſtris ad Stellatam,Guidone Vbaldo filio ſuperſtite moritur. Pace paulò pòſt inter pontificem & regẽ facta,captiui oẽs in pugna ad Campum mortuũ remiſsi,& cardinales Columna Sabelluſq;,quos belli initio ſibi tanquam regis fautores ſuſpectos in Hadriani molem pontifex coniecerat,dimiſsi. Columnenſes quoq; qui regi fœdere coniuncti,illum intra oppida ſua ſuſceptum commeatu adiuuerant,ſibiq; multis inlatis incõmodis vbiq; aduerſati fuerant,primum quidem venia donauit,deinde grauiter bello perſecutus eſt,quum Laurentius protonotarius ex ea familia rurſus contumax nimium videretur,quem tumultuantem Romæ in domo ſua armis cohorteq; pontificia tum Vrſinorum auxilio expugnatũ captumq; *breui tempore pòſt in* arce ſecuri percuti iuſsit. Eorum inſuper iam omnia ferè oppida ceperat,quum medio ardore belli fato functus eſt. Dum bellum cum Columnẽſibus Xyſtus gereret,fœderatorũ principũ precibus ſollicitatus,qui Venetum imperiũ Hercule ferè oppreſſo creſcere ægrè ferebant,à Venetorum ſocietate auulſus,fœdus cum cæteris Italiæ principibus aduerſus Venetos percuſsit,eoſq; monuit,vt à Ferrarienſi agro penitus abſtinerent,illos aũt non ſolum nõ obtemperantes,ſed quãto maxime ſtudio atq; apparatu fieri poſſet,bellum inſtaurantes,ſacris interdixit. Cõuenere tũ totius Italiæ principes apud Cremonã,vt de bello conſultarẽt. Cõmuniq; omnium ſententia Venetorũ furori,vt obuiam iretur decretũ. Igitur magna vi ac ingentibus copijs bellum ſubinde redintegratũ eſt,quo nullum grauius ac periculoſius antea Veneti geſſerant. Iamq; Alfonſi ducis Calabriæ ductu fractæ eorũ vires videbantur,niſi Ludouicus Sfortia à ſocijs diſcedens,victis iam planeq; perdomitis præter omniũ ſententiam,æquiſsimã pacẽ inuicto etiã Xyſto,attuliſſet. Tot itaq; præliorum & bellorum ſumptibus põtifex exhauſtus,quum magna pecuniæ vi indigeret,noua collegia primus omnium Romanorũ pontificum,quæ venirent,excogitauit. Dato itaq; negocio Sinolfo de Caſtro octerio protonotario viro ſolerti,& induſtrio Breuiatores minoris præſidentiȩ reſtituit,à Pio creatos,& ab eius ſucceſſore Paulo II. ſublatos,quorũ loca quingentis: pòſtea ſollicitatores,quorum trecentis veniere. Deinde certos adſtipulatores ſine quibus nullæ poſſent confici tabulæ,Ianicerorum quoque Stradiotarum,& Mamaluchorum officia induxit. Ex quibus Mamaluchos & adſtipulatores,qui ei ſucceſsit Innocentius VIII. abrogauit. Poſtremo apoſtolici fiſci nouem notarios conſtituit,quibus redditus vnius aſsignauit,qui antea cunctis præerat.

præerat. Atq; hac ratione Romanæ aulæ libertas in cõpedes quaſi coniecta omni induſtrij ac laborioſi ingenij diligentia ſublata, quum non niſi pecunia hæc munera parentur, quæ antea gratuitò doctis & probis viris tribui ſolebant. Primus etiam vendidit officia procuratoris Cameræ notariatus apoſtolici, protonotariatus Capitolij, notariatus Gymnaſij, metiẽdi ſalis, & camerariatus vrbis. Vectigalia noua inuenit, vetera auxit. Plures à ſacratis hominibus decimas non ſine maxima auaritiæ nota exegit. Sed hæc ſeu temporum neceſsitati, ſeu verius proximis ac miniſtris eius tribuenda exiſtimo, præſertim quum nemo ad eam diem pontificum, nec animo ad munificentiam liberalitatemq́; propẽſior, nec in dando hilarior, nec in promerendis hominibus promptior fuiſſe memoratur. Miſeros enim atq; à Turcis, vel alias ob calamitates auitis ſedibus, & imperijs eiectos Andream Palæologum Peloponnenſi, & Leonardum Toccum Epiri deſpotas, honeſtis ſumptibus aluit. Sophiæ Thomæ Palæologi filiæ Ruthenorũ duci in matrimonium collocatæ, præter alia munera, dotis nomine ſex millia aureorum donauit. Carolettam Cypri, & N. Boſsinæ reginas regnis fortuniſq́; omnibus ſpoliatas, & ad ſe ſupplices cõfugientes, benigne ſuſcepit, ſuaq́; munificentia ſubleuauit. Chriſtiernum virum religioſiſsimũ Daniæ, Suetiæ, Noruegiæ, & Gothorum, ac N. Boſsinæ & Valachiæ annis grauem & ſenio confectũ reges, item N. Saxonum, & Alfonſum Calabriæ duces, voti cauſa ad limina Apoſtolorum, & ad ſe ſalutandum mira cum deuotione venientes, magnificentiſſimis ſumptibus in Palatinis ædibus excepit. Idem Ferdinãdo Arragonio Neapolitanorũ regi, ad Iobileum cum magno comitatu venienti, regio apparatu officia omnia præſtitit, & annuum cenſum, quẽ eccleſię Romanæ debitũ pendebat, equo tantum falerato tributi nomine retento eidẽ remiſit: eius filiam Leonorã per Vrbem ad maritum Ferrariæ ducem tranſeuntẽ pompa & donis regijs proſecutus eſt. Et vt à profanis ad ſacra trãſeam, B. Bonauenturã ordinis ſui olim Cardinalem virũ doctiſsimũ, & miraculis clarũ, inter diuos retulit. Multas veteribus ſolẽnitates adiunxit, vt Cõceptionis, & Oblationis beatiſsimæ Viginis Deiparæ, ſanctorum Annæ, Ioſephi & Franciſci, quas in eccleſia celebrari iuſsit. Priuilegia à pontificibus, qui ante eum fuerunt, iure quattuor mẽdicantium ordinibus conceſſa, quieti eccleſiæ & cõmuni ſaluti cõſulens, ampliſsimis diplomatibus cõfirmauit, & auxit. Pro quibus rebus quãtopere dilectus ſit, facilè ſuſpicari poſſumus, præſertim quum in operibus publicis conſtruendis, vel reparandis æque maximus fuerit. Nã Vrbem ante omnia à ſitu & cœno vindicauit, vijs Vrbis primum munitis, & lateribus ſtratis, porticibuſq́; & mœnianis diſiectis, quæ vias deformes, & inconcinnas redditas obſcurabãt. Cui rei vicorũ magiſtros, ac curatores ab ſe inſtitutos præfecit. Quum verò annus Iobileus inſtaret, quem ex quinquageſimo ad xxv. contraxit, primuſq́; anno ſalutis MCDLXXV. celebrauit, animum ad religioſa loca, & peregrinæ multitudini ad Vrbẽ venturæ opportuna inſtaurãda adijciens, in primis pontem veterẽ Ianiculenſem iam diu antè diſiectum, quẽ ruptum meritò ciues appellabãt, publicæ cõmoditati, & decori, à fundamentis magna cura & impenſa ex Tiburtino lapide reſtituit, ſuoq́; de nomine Xyſtũ vocari iuſsit, opus ſane omni antiquo principe dignũ. Xenodochiũ S. Spiritus obſoletum ac ſordidum, & vetuſtate pene collapſum, totũ vſq; ad ſolum diſiecit, & pulcherrimis ædificijs in meliorem ſplendidioreq́; formam ampliauit. Quũq; puellos expoſitos, puellaſq́; ad pedes ſuos cũ nutricibus proſtratos vidiſſet, locũ habitandi ijs aſsignauit, mandauitq́;, puellas nubiles maritis cũ honeſta dote locari, nonnullas verò religioſiores infirmorum ſeruitio perpetuo dicauit. Nobilium quoque calamitate, & ægritudine motus, ſeorſum à promiſcua plebe loca idonea decenterq́; ornata, his attribuit. Religione deinde & ſingulari pietate inflammatus, qua ſemper beatam Virginem proſecutus eſt, nobilem ædem cum ampliſsimo cœnobio S. Mariæ de populo ordinis Auguſtinianorum à fundamentis erexit. Templũ S. Mariæ de pace cum monaſterij parte canonicis regularibus S. Auguſtini ex cõgregatione Friſonaria Laterano pulſis media vrbe de nouo ædificauit. Nam Oliuerius Carafa cardinalis Neapolitanus monaſterium ipſum poſtea totum à fundamẽtis extruxit. Diui Petri in Va-

ticano



ticano Baſilicam ante repurgatam marmoreis & vitreis feneſtris templo accõmodatis, dilucidiorem reddidit, & ruinam ſiniſtro latere minantem, additis lateritijs repagulis confirmauit. Baſilicæ quoq; Conſtantinianæ repurgatæ & in auguſtiorem formam redactæ latera ſtrauit. Palatium vetus Lateranenſe ruinoſum reſarciuit. Multas per vrbem ſacras ædes vetuſtate labefactas, in his SS. Apoſtolorum abſidam, S. Petri ad Vincula, S. Suſannæ, S. Vitalis, SS. Nerei & Archilei, S. Balbinæ, SS. Quirici & Iulitæ, S. Viti in macello, S. Saluatoris trans Tiberim, & alias multas ſua impenſa, vt ex eius inſignibus, & elogijs liquet, refecit. Muros vrbis multis locis temporum iniuria collapſos inſtaurauit. Vtilitati vrbanæ conſulens ductus aquæ Virginis pene confractos, elimatos perpetuo fornice à monte Pincio ad Triuij fontem cum aqua perduxit. Cloacas vrbis, qua ſordes in Tiberim vehuntur, repurgatas firmauit. M. Aurelij ſtatuam æneam equeſtrem humili & ſordido loco iacentem, in area Lateranenſi auguſtiore loco expoſuit. Aedes pontificias in Vaticano ampliſsimis porticibus deductis, renouauit; Prætorianis excubitoribus, qui pontificis corporis & palatij cuſtodiæ, ab eo primum lecti ſunt, magiſtratibus inſuper & munera obeuntibus, loca quibus commode habitarent condidit, qui antea præter dignitatem in cellis penè penuarijs, ſitu ſqualentibus agitarent. Bibliothecam Palatinam in Vaticano toto terrarum orbe celebrem Palatina præfecto, aduectiſq́; ex omni Europa libris conſtruxit, certoſq́; prouẽtus, vnde cuſtodes, & librarij Græci, Latini, & Hebraici menſtrua ſalaria quibus alij poſſent, haberent, libriq́; emerentur aſsignauit. opus omnium præclariſsimum, & põtifice maximo dignum. Nec his contẽtus, reliquos patres ſæpe hortatus eſt, vt exemplo ſuo pro facultate quiſq; monumẽtis vel nouis, vel reſtitutis vrbem exornarẽt. Vnde multa à multis extructa ſunt vel adornata, quẽadmodũ à Guillelmo Euſtouteuilla epiſcopo cardinale Oſtienſe, & camerario nobiliſsimum templum cum Monaſterio S. Auguſtini, cuius ordinis protector erat, & propinquũ iuxta S. Apollonarẽ palatium, Baſilica verò S. Mariæ maioris in exquilijs ductis leua dextraq́; fornicibus, item oſtia cũ arce ab eodẽ reſtituta ſunt. Sed & cardinalis Agrienſis eccleſiã SS. Sergij & Bacchi cui præerat ruinæ proximã refecit. Raphaël Riarius luculentiſsimas apud S. Laurentiũ in Damaſo ædes tum inchoauit, ab alijs verò cõplura & egregia palatia fabricata, ita vt vere vrbem ex Lutea Lateritiã, ſe reliquiſſe dicere iure poſſet, quẽadmodum Auguſtum olim dixiſſe accepimus ſe ex Lateritia marmoream. Meritò igitur verſus hi ſimulachro eius in Palatina Bibliotheca adſcripti ſunt.

Templa, Domum expoſitis, vicos, fora, mœnia, pontes,
Virginiam Triuij quod repararis aquam
Priſca licet nautis ſtatuas dare commoda portus,
Et Vaticanum cingere Xyſte iugum.
Plus tamen vrbs debet, nam quæ ſqualore latebat
Cernitur in celebri Bibliotheca loco.

Eius porro pontificatus fuit aliquot publicis calamitatibus inſignis, in his maximæ & frequentes tẽpeſtates, fulgura, terræmotus, Solis lunæq́; defectus, bis Tiberis alueum egreſſus vrbẽ totam inundauit, bella tota Italia exarſere, cometes pluries viſus, magna in Vrbe annonæ & perpetua charitas, inteſtinæ tota ditiõe eccleſiaſtica, & præſertim Tuderti Gabriele Catelano Guelphæ factionis principe in vrbe interfecto, item inter Vrſinos & Columnẽſes diſcordiæ, & cædes. Illud quoq; nõ negligendũ quod eo põtifice mercatus qui ante ſub Capitolio fieri cõſueuerat, auctore cardinale Rothomagenſe Camerario, tum primum in circo Agonali iiij. nonas Septemb. die Mercurij, anno ∞ CDLXXVII. factus. Nihil enim vnquã Xyſtus qđ publico vrbis decori, & cõmoditati eſſe cẽſeret, quin perficeret deſtitit. Rem Romanam ſediſq́; Apoſtolicæ dignitatẽ, ita intrepidè & egregiè tuebatur, & non facilè cuiquã quamuis maximo principi eſſet, ei aliquid moleſtiæ impune inferre. Quod quum in his quæ ſupra dixi, tum in nouiſsimo oſtendit bello quod cum Venetis & Genuenſibus ſocijs contra Herculem Eſtẽſem Ferdinãdi Arragonij, Ludouici Sfortiæ, & Florẽtinorum præſidijs fultum, deinde cõtra Venetos pro eodẽ duce geſsit. In quo Venetis iam cõtuſis, & aliquot

prælijs

prælijs fractis, quum pacem à ſocijs auctore Ludouico Sfortia præter eius voluntatem, immo ſe neglecto, & inſcio, datam conſpexiſſet, animi dolore, podagra inſuper aggrauante, qua in vltimis annis maximè laborabat in quintum diem in Vaticano palatio expirauit, noctis hora inter quartam & quintam, cui Idus Auguſti illuxerunt, anno ſalutis ∞ CDLXXXIIII. ætatis lxx. die xxij. pontificatus verò ſupra diem quartum anno xiij. Cadauer in Baſilica S. Petri æreo monumento conditum, quod in Sacello ab ſe extructo, Iulianus cardinalis S. Petri ad Vincula fratris filius, ſtructuræ elegantia inter cætera vrbis ornamenta in primis conſpicuum ante aram maximam faciundum curauit. Vacauit tum ſedes Romana dies xvj.

## INNOCENTIVS PAPA VIII.

Pont. 222. INnocentij Papæ VIII. maiores ex nobili Græcia ortos, ante quadringētos annos Genuenſium rebus maximè florentibus, Neapoli, & Genuæ vrbibus Italiæ Clariſsimis conſediſſe conſtat. Cuius migrationis cauſas in re adeo obſcura, & vetuſta, haud ſatis exploratas habeo. Neapoli Tomacellorū nomen incertum quo caſu adepti, inter primarias eius ciuitatis familias locum tenuere. Quanquam ſint qui prodant Tomacellorum nomen à gentis in ea vrbe principe Tomacello viro egregio manaſſe: cuius poſteri, vetuſto familiæ nomine relicto, eius qui primus Neapolim acceſsit prænomen pro familiæ gentilicio nomine vſurparunt, qui frequentiſsimus per ea tempora mos fuit, id quod multis facilè confirmari poſſet exemplis. Ex hac gente Bonifacius IX. Romanus Pontifex ingentis animi, & ſpiritus vir, cuius maximè memorabilis extitit pontificatus originem duxit, qui annos xiiij. in ſummo ſacerdotio, ante cētum lxx. annos vixit, cuius res geſtas in meo de Pontificibus libro accuratè deſcripſi. Eadem verò gens, quæ Genuam migrauit auito nomine retento, Cybo Græca voce, ex gentilicij clypei inſignibus appellati ſunt. Eſt enim in eo rutilo colore decorato tranſuerſa faſcia pluribus quadratis cæruleo atq; albo colore alternis æquisq; ſpacijs confecta, quæ Cybi Latinè, Græcè verò χύβοι vocantur. Hæc inſignia vtriq; genti communia ſunt. Cæterum crux rubra, in ſuperficie argentea, quæ Genuenſium publicū inſigne eſt, familiæ Cybo clypeis adiuncta, ſuperneq; collocata, cuius ſtirpis proprium decus eſt, rebus egregiè pro patria geſtis, vt infra dicam, publicè partū. Huius familiæ homines ab eo vſq; tempore, quum florente Latinorum primum, deinde Palæologorum Conſtantinopoli imperio oppidum Pera, quod prope Byzantium ſitum eſt, Genuenſes obtinebant, omnibus honoribus, qui in libera ciuitate maximi, atq; ampliſsimi exiſtimantur geſtis in nobilium ordine, cuius partes tuendas ſuſceperunt, clari inſignesq; fuere: plures verò ex hac genere ſtirpes Genuæ manaſſe, quæ nunc in ea ciuitate inter nobiles relatæ ſunt, oratores ipſius Reip. ad Innocentiū Papam VIII. more maiorum initio eius pontificatus miſsi, publicè teſtati ſunt. Quorum adhuc extat oratio. Vniuerſi generis honores exequi, quia longum eſſet, familiæ huius tantum breuiter percurram. Ante annos trecentos ſupra quadraginta Honorio III. Pontifice maximo Fridericus Cybo ſummo Sauonenſium ſacerdotio præfectus inſigne religionis, & ſanctitatis ſpecimen dedit. Vigeſimo anno pòſt Lanfrancus Cybo inter eos, qui nobilitatis ſuffragijs adlecti Remp. obtinebāt ſummum in ciuitate magiſtratum, qui cōſulatus dicebatur, geſsit, vir belli pacisq; artibus inſtructiſsimus. Guillelmus Cybo, qui paulò pòſt hæc tempora equeſtri dignitate, quæ tum eximia erat, à Friderico II. Imperatore ornatus enituit, nobilem in primis Legationem pro difficillimis Reip. negotijs ad Clementem IIII. Pōtificem maximum obijſſe fertur: cui in ea Legatione egregie de ſuis ciuibus merito, crux rubra, de qua ſupra dixi, publice donata eſt, quæ gentilicijs Clypeis addita, præclarū ſummæ laudis teſtimonium præbet. Sextodecimo poſt hunc anno, quo tempore Piſani cum Genuenſibus difficili, & periculoſo bello decertabant, Mutius Cybo trireme priuatis ſumptibus comparata, prope Calarim Sardiniæ vrbem ex prouocatione cum roſtrata Piſana congreſſus, egregiam de hoſtibus victoriam eſt conſecutus. Poſt hos circa annum Chriſti ∞ CCXC. Prin-

ciual-



ciualles Cybo vt ex priuatorum hominum annalibus, qui ſeorſum diligentiſſimè conſeruantur, intelligitur, cum principibus nobilitatis aduerſus plebem coniurauit, quum nobiles omnem Reip. adminiſtrationem in ſe transferre, paucorum aliquot nobilitatis ſtudioſorum conſpiratione, mitteretur. Hos omnes virtute, prudentia, conſilio, & animi magnitudine ſuperauit, qui quinquageſimo ferè anno pòſt vixit Daniel Cybo, qui aduerſus Afros, tam ſuis quàm communibus Patriæ auſpicijs magnas res geſsit, gratiaq; & auctoritate plurimum inter ſuos ciues excelluit; cuius filia in matrimonium collocata eſt Luciano Grimaldo, in nobilitatis ordine primario, ac tum Domino portus Herculis Mœneci. Horū ferè omnium meminit Auguſtinus Iuſtinianus, qui Italica lingua Genuenſium annales conſcripſit. Innocentij poſtremo pater Aaron Cybo, equeſtris ordinis vir, rerumq; geſtarum gloria clariſsimus, in ciuitate ſua diu vixit: eius enim forti, fideliq; opera, vt libro vij. de rebus geſtis Alfonſi tradit Barptolomæus Facius, primum Renatus, deinde bello Neapolitano perfecto Alfonſus rex victor multis maximisq; in rebus poſtea eſt vſus. Nā quum per belli tēpora, quo de iure regni Neapolitani Alfonſus, & Renatus reges decertabāt, Genuenſes duce ipſo Aaron viro forti ad DCCC. ſagittarios Renato miſiſſent, & Adegauenſis factionis dux Renato regi egregiè operā nauaſſet, præeſſe Neapolitanis iuſſus, ita illos pro rege abſtinenter, & ſumma cum integritate iure dicundo ſibi deuinxit, vt parta victoria Alfonſus illū Neapolitanorū precibus adductus, & in gratiam receperit, & proregē eundē ijs eſſe iuſſerit, ita ille. Romæ quoq; Caliſto III. Pontifice maximo præfectus iuri dicendo, quē ſenatorē vocant, creatus, id munus ſumma cum laude geſsit, eius adhuc in palatio capitolino cū elogio inſignia extāt. Aaronis filius Ioannes Baptiſta anno ſalutis ∞ CDXXXII. natus forma egregia animoq; liberali, diu inter Alfōſi regis miniſtros fuit, quo mortuo in Ferdinandi quoq; filij familia aliquandiu vixit; inde Romā veniens longo tēpore in contubernio Philippi Calandrini cardinalis Bononienſis, qui Nicolai papæ V. frater fuit, cōmoratus eſt: cuius etiam magnificas ædes proximè S. Laurētium in Lucina poſt eius obitū iam Cardinalis creatus obtinuit. Epiſcopus deinde Sauonēſis à Paulo II. poſtea Melfitenſis à Xyſto IIII. & datarius, demum nonis Maij anno ∞ CDLXXIII. cum alijs VII. presbyter cardinalis tituli S. Balbinæ primum, mox S. Cæciliæ ſecunda patrum lectione dictus eſt, tam patriæ ſtudio, quàm fauore Iuliani cardinalis S. Petri ad Vincula pontificis fratris filij, æmulatione Petri Riarij cardinalis S. Xyſti, cuius precibus dicebatur Stephanum Nardinum Medionalenſem, illo tempore eandem dignitatē conſecutum fuiſſe, ne plus hic, quā ille auctoritate apud pōtificem valere diceretur. Sed profecto magis ei profuit anteactæ vitæ cōſtans & cōmendata opinio, quā vel patriæ charitas, vel alicuius ſtudiū. Pontifici enim Xyſto ob morū incredibilē ſuauitatē, & ſummam probitatē vehementer gratus fuit, vulgo quidē chariſsimus ob humanitatē, qua omnibus ita præſtitit, vt infimæ ſortis quoq; homines amplecti, & ijs benigne omnia polliceri conſueuerit. In cardinalatu Vrbi primum abſente Xyſto difficillimis tēporibus, & peſtilentia in vrbe graſſante præfuit, deinde in Germaniam legatus deſignatus eſt, vt Cæſarem Fridericū iij. & Matthiam Coruinū Hungariæ regem multis iam annis exitiabili bello decertantes cōciliaret, atq; conuentui Nurembergenſi proxima quadrageſima indicto, pontificis nomine intereſſet: ei enim muneri ob integritatem maxime idoneus viſus eſt, ab omnibusq; eius opera duos principes facile in concordiā reduci poſſe exiſtimatū, verùm legitimis cauſis impeditus eò profectus nō eſt. Nouiſsimè anno ſalutis ∞ CDLXXXIIII. mortuo Xyſto quattuor, & viginti patrum votis Iuliano Ruuereo epiſcopo Oſtienſi, & Roderico Borgia cancellario maxime annitentibus, ex presbytero cardinale tituli S. Laurentij in Lucina iiij. calend. Septembris hora xiiij. die ſolis Pontifex maximus renuntiatus in Innocentij IIII. Genuenſis, cuius memoriam ſanctè colebat, recordationem Innocentius VIII. appellari voluit. Coronatione verò ad prid. Idus Septembris perfecta Pontificatum ingreſſus eadē qua priuatus antea ſemper humanitate, & manſuetudine vixit. Cæterum quum omnibus comis, & benignus eſſet, parcus tamen, & minime

 libera-

liberalis pro ſuægentis gloria, innatam auaritiam ſcommatibus,& dicterijs ve-
labat. Pacis atq; otij ſtudioſiſsimus, omnes Chriſtianos principes frequentibus
nuntijs hortabatur, vt mutuis diſſenſionibus,& bellis cōpoſitis, fœderibus iun-
cti, Turcarum vires toto iam terrarum orbe formidabiles retunderent: pontifi-
catus initio Venetos ob bellum cum duce Ferrariæ geſtum ſacris à Xyſto inter-
dictos abſoluit. Cum ſingulis principum Chriſtianorum & rerum publicarum
oratoribus, qui ad eum plurimi honoris cauſa veniebant, de pace, communiq́;
concordia diligenter agebat, quum enumeraret bellorum incommoda, viola-
ri templa, ſummi Dei cultum intermitti, vrbes diripi, virgines incæſtari: hæc,&
eiuſmodi ſæpe repetebat. Ad cōponendas res eccleſiaſticas conuerſus, quum Ro-
manis ſua priuilegia renouaſſet, vrbem caſtigandis nefarijs hominibus, boniſq́;
publicis muneribus euehendis, purgauit. Mamaluchorum officium à Xyſto fa-
ctum antiquauit, publicè ſe adeuntes patientiſsimè audiēs: ius ſeueriſsimè à ſuis
magiſtratibus dici mandauit. Proximo Epiphanię feſto Leupoldum Auſtriæ du
cem miraculis clarum, Friderici imperatoris precibus inter ſanctos retulit. Ma-
giſtrum ordinis Auguſtiniani Ambroſium Coranum ob veteres ſimultates in
arcem coniecit. Tum calices duo aurei magni ponderis, quos Ludouicus xj. Gal-
liarum,& Ferdinandus Neapolitanorū rex Baſilicę Conſtantinianę donauerāt,
item mitra, quam regnū appellant, quæ S. Silueſtri fuiſſe ferebatur, ſurrepta, nec
tanti ſceleris auctores vnquam inueniri potuerunt. Quū graui morbo decubu-
iſſet, proceres Vrſini, Virgilio & Paulo auctoribus veteribus factionibus ſuſcita-
tis, arma Columnenſibus quorum principes erant, Proſper, & Fabritius intule-
runt, Pontificiſq́;, qui conualuerat hortationibus neglectis, inteſtinis bellis, &
ſeditionibus ſe inuicem lacerabant, non ſine maximo vrbis Latij,& finitimarū
vrbi regionum damno,& clade. Hi adeo in mutuā pernitiem exarſerant, vt om-
nia non niſi cædibus, rapinis, incendijs tranſigerēt; bonis Romanorum ciuium
vbiq; direptis, Pontifice fruſtra reclamante, cui Virginius Vrſinus tunc infenſiſ-
ſim⁹ erat, quod ſe palatij apoſtolici prętectura Iuliani Cardinalis S. Petri ad Vin-
cula hortatu, priuaſſet; eo bello inſula, Campagnanum, Galeria, Bracianū, Cæ-
reuetus & aliquot alia Vrſinorum oppida à Columnēſibus direpta. Inteſtinum
Romanorum procerum bellum maius externum ſuſcitatum ſedauit. Ferdinā-
dus Neapolitanorum rex comite Montorij, ob quaſdam ſuſpiciones ſecuri per-
cuſſo, Aquilanos Comiti fœdere iunctos,& oēs regni ſui proceres contra ſe con
citauit, qui ad cauſam dicendam Neapolim à rege euocati, quum recuſarent ip-
ſius iram veriti, Aquilanis, qui regio prætore interfecto defecerāt, adiuncti, Pon
tificem maximum,& Venetos in ipſorum auxilium euocarunt. Hos Pontifex
imperitorum hominum conſilijs impulſus, vt opulentam vrbē eccleſiæ impe-
rio adijceret, fouēdos tuendoſq́; ſuſcepit, occaſionē eò cupidius amplexus, quòd
in regē antea non optimè animatus erat, ob annua tributa, quibus ex fœdere ad-
ſtrictus erat, eccleſiæ non perſoluta. Copijs igitur non contemnendis cōparatis,
Proſperoq́; & Fabritio Columnenſibus,& Ioanne Sabello ſibi fœdere cōiunctis,
Vrſinos quoq; in ſuā amicitiam ſollicitauit. Qui regi obſtricti arma in eū ſuſci-
pere recuſarūt. Venetis inſuper in belli ſocietatē accitis totius eccleſiaſti exerci-
tus Robertus Sanſeuerinas lectus eſt imperator, vir militari diſciplina clarus.
Legatus verò Ioannes Michaëlius cardinalis Veronenſis creatus. Interim Ferdi-
nandus grauiſsimis periculis implicitus à Florētinis,& Inſubrum duce auxilia
poſtulauit, quæ non modo facile impetrata, ſed celeriter trāſmiſſa Pontificis re-
rum bellicarum imperiti conſilia perturbarunt. Oderant eum valde Florenti-
ni, quòd Lucenſi bello Liguribus cōtra ipſos fauiſſet. Vrſini, qui aperta vi à Pō-
tifice defecerant, à rege ſtipendio conducti, in eius caſtris aduerſus Pontificē mi-
litabant. Nā regiarum copiarum præfectus eo bello fuit Virginius Vrſinus, qui
Columnenſium Pontifici militantium acerrimus,& perpetuus hoſtis erat. Bel-
li initio Aquilani regijs præſidijs omnino pulſis, ſe Pontifici dedunt. Vrſini re-
gijs copijs aucti Columnenſium,& viciſsim Columnenſes à Pōtifice adiuti Vr-
ſinorum agros,& oppida igni ferroq́; vaſtarunt. Pugnabatur ad Anienis pontes,
omniaq́; ſuburbana oppida, quæ in Etruria Vrſinæ ditionis erant Arragonijs fa-
uebant,



uebant. Belli dux Robertus ad vrbis præſidium accitus, eorum impetum ſuſti-
nens, non ſatis pro vetere cum fidei, tum virtutis opinione rem gerebat. In vrbe
enim moram ac diem trahens aliam atq; aliam rem cauſatus, tertio poſtquam
venerat menſe, Nomentanum tantum pontem, qui ab Vrſinis militibus tene-
batur, expugnauit. Ibi eius filij Fracaſsi pila tormento emiſſa faciem defœdauit.
Nomento deinde in deditionem accepto, Romā inglorius reuertitur, pecunia,
argento, multoq́; commeatu fruſtra cōſumptis. Hoc bello in Etruria omni ec-
cleſiaſticæ ditionis,& præſertim Viterbij tumultuatum eſt. Pontifex à ſuis ſe de-
ceptum animaduertens, præſertim quum Alfonſus Calabriæ dux copioſo cum
exercitu Latium,& Etruriam, multis oppidis captis & direptis vexaret, belli te-
mere ſuſcepti, eas poſtremo pœnas dedit, vt neceſſariam potius, quàm decoram
pacem Aſcanij Sfortiæ, Michaëlis legati, Senenſis,& Cācellarij cardinalium in-
teruentu perferre coactus ſit, Ioanne Balues Gallo cardinale Andegauēſe maxi-
mè cōtradicente, qui Francorū regē pontifici auxilio propediē affuturū affirma-
bat. Pacis conditiones fuere, vt rex Romanæ ſedi annuum vectigal penderet, re-
gni proceres rebelles ſeruaret incolumes, vt Pontifex pro arbitrio omnia regni
ſacerdotia diſtribueret, vt Aquilanis ſua libertas ſeruaretur, ne Pontifex impe-
dimento eſſet, ſi Galli in regnum impetum aliquando facturi eſſent, vt Vrſini,
& in his Virginius, Pontificis arbitrio ſe totos dederent,& ſupplices veniam pe-
terent. Rex Hiſpaniæ, Ludouicus Sfortia,& Laurentius Medices pro rege Ferdi-
nando pacis vades fuere. Eo bello ærario exhauſto pontifex Xyſti exemplum ſe-
quutus, quo pecuniam colligeret, lij. viros inſtituit, quos plumbatores Bullarū
apoſtolicarum vocauit, eiſq́; certos eccleſiæ prouentus in perpetuum conceſsit,
ex qua inſtitutione ad xxvj. millia aureorum cepit. Veniere ſinguli quingentis
aureis: eodem exemplo quæſtus gratia, xxvj. ſecretariorum collegiū, quorū offi-
cia venderentur erexit, priore numero aucto; à quibus ad lx. millia aureorū ex-
egit: veniere ſingula duobus millibus,& quingentis aureis. Ripæ quoq; præſidē-
tium officiū venale induxit xxx. viris creatis, qui ſingula officia cc. aureis eme-
rent. Cæterum quū Ferdinandus quæ in pacis fœderibus ſpoponderat minime
pręſtaret, Petrus Vicetinus epiſcopus Cęſenas apoſtolicæ cameræ auditor vir au-
daciſsimus,& Iacobus Volaterranus ſecretarius, ac cubicularius apoſtolicus, vir
prudens ad repetendas res à pontifice miſsi, rebus infectis Romam reuerſi ſunt,
non ſine magna pontificis indignatione, qui haud ita multò pòſt regem ob nō
ſolutum vectigal anathemate notatum, Francorum regis in primis litteris con
citatus, Neapolitano regno priuauit, Gallus enim id ad ſe ex legitima ſucceſsio-
ne,& hæreditate pertinere affirmabat. Bello Neapolitano confecto, ad pacis ſtu-
dia conuerſus, ciues aliquot Romanos, quorum capita erant Marganij,& San-
ctacrucij armis feralibus diſsidentes, item Vrſinos,& Columnenſes adhuc diſ-
cordes ſumma diligentia cōciliauit, quum nihil antiquius duceret quàm vrbis
quieti, copiæq́; ſtudere. Vnde toto eius pontificatu,& annonæ maxima vbertas,
& vrbs à graſſatoribus, latrocinijſq́;, quibus bello manēte maxime obnoxia fue-
rat, tuta fuit, quum eſſet in vindicādis criminibus inexorabilis. Nam & Pij, Pau-
li,& Xyſti edicta cōtra homicidas & ſicarios renouauit,& omnes vrbe ditioneq́;
eccleſiaſtica eiecit. Duos fratres Franciſci Bubali filios, Petrum,& Hieronymū,
qui ſeditioſis omnibus receptaculum erant, ob potentiam diu impunitos, vna
die ſimul capi,& ſecuri percuti mandauit; quanquam cum parente ipſorum lō-
go antea tempore amicitiam contraxiſſet. Dominicum etiam Viterbienſem,&
Franciſcum Maldentem nobiles viros,& ſcriptores apoſtolicos falſarios, om-
nibus ſuis reclamantibus, ſuſpendio enectos, medio foro combuſsit. In Bucali-
num Auximi tyrannum in ciues ſuos ſæuientem, qui vrbe ex priuato, occupata
ab eccleſia defecerat, copias mouit,& non ſine magna ſtrage expugnatum, ca-
ptiuum ad Ludouicum Sfortiam Inſubrum ducem tranſmiſit: cuius præcipue
ope id bellum duce Ioanne Iacobo Triuulcio confecerat. Cum Venetis fœdus
renouauit. Quum ante pontificatum aliquot filios ſuſcepiſſet, duos ex his pon-
tificatui ſuo ſuperſtites magnis honoribus,& opibus euexit. Nam Franciſco op-
pida nonnulla vrbi vicina dedit, Laurentijq́; Medicis filiam Magdalenam for-

 moſiſsi-

moſiſsimam puellam matrimonio iunxit: alteram Theodorinã Gerardo Vſumari Genuenſi nuptã magnis diuitijs cumulauit. Vna creatione octo cardinales prioribus adiunxit. Laurentiũ Cybo fratris ſui nothum Archiepiſcopũ Beneuentanum, & arcis præfectũ, & Ioannem Medicem Laurentij filium nurus ſuæ fratrem vix xiij. annum agentẽ, Ardicinum de la porta, & Antoniotũ Palauicinum veteres familiares ſuos viros honeſtiſsimos, Ludouicũ Spinay rege Frãcorum, Franciſcum Sanſeuerinatẽ Roberto patre, & Maffeum Gerardum Venetis petentibus, item magnũ hoſpitalis Rhodi magiſtrum fratrem Petrum Daubuſſon, qui ideo cardinalis creatus fuit, quod eius opera Zizimus Sultanus Mahometis filius, prælio à fratre Baiaſete apud Pruſiã Bithiniæ victus, in ſuã poteſtatẽ veniſſet. Is Rhodum quũ fugiſſet ab Inſulæ magiſtro ad Francorum regem mox ab eo ad pontificem miſſus eſt, qui Chriſtianis ad concordiam reductis bellum eius opera Turcis inferre meditabatur. Vixit Zizimus toto deinceps Innocentij pontificatu Romæ in Vaticano honeſta cuſtodia; ad cuius ſuſtentationẽ frater Baiaſetes Conſtantinopolitanus imperator xl. aureorum millia annuatim dũ vixit miſit. Pontifex interim ducem Ferrariæ Herculem voti reum Romã venientem ſplendidè in ædibus Palatinis ſuſcepit. Factum eſt aũt eiuſdẽ Pontificis humanitate, ne dicã ſegnitia, vt aliquot vrbium eccleſiaſticarũ proceres ſuperbè ſe efferentes vrbibus, quibus præerant occupatis, tyrannidẽ in ſua quiſq; patria conſtituerit In his præcipuus fuit Ioannes Bentiuolus Bononienſis regulus. Idem factum eſt Peruſij, Tuderti, Fulginei, Hortiſq;: quos poſtea tamen vel ipſe, vel qui ſequuti ſunt põtifices penitus extinxere. Innocentius aũt ædificandi ſtudioſus, inſignes in palatio Vaticano porticus, item villam pontificum vſui, quam Beluedere vocant, extruxit. Fontes media ſancti Petri platea fecit, baſilicæ Lateranenſis abſidam ante aram maximam duabus ingentibus columnis ſuppoſitam ædificauit: diaconiam S. Mariæ in via Lata fundamentis conſtrui iuſsit. Cuius exemplo inflammati patres multas per vrbẽ ſubſtructiones & ipſi aggreſsi ſunt. In his Petrus Gundiſaluius de Mendocia dum tectum, & abſidã tituli S. Crucis in Hieruſalem repararet, in medio templi pariete pars tituli Crucis CHRISTI triplici lingua exarati inuenta eſt, ibidem à Placidio Valentiniano Imperatore ante mille annos recluſi. Quo die Ferdinãdus, & Heliſabeth catholici Hiſpaniarũ reges Granata vrbe expugnata Maurorũ in Hiſpania vetuſtiſsimũ imperium funditus exciderunt. Contigit etiam, vt eodẽ quo titulus CHRISTI inuentus eſt anno, Baiaſetes Turcarũ imperator, quo Pontificem fratris captiui cauſa ſibi gratiorem redderet, pro magno munere ferrum haſtæ; quod latus Domini perfoderat, ad eum mitteret. Quod olim apud ædem S. Andreæ Antiochiæ repertũ, capta iam ciuitate Boẽmundus in prælio corripiens, & quum arcem expugnare non poſſet, prælatum; eam illico cepit, & hoſtium multa millia prodigioſe deleuit. Id Conſtantinopolim dono imperatori aduectũ, poſtremo Turca hoc anno pontifici miſit, quod aræ ab ſe conditæ marmoreo tabernaculo cõcluſum in baſilica Vaticana religioſiſsimè paulò ante obitũ ſuũ collocauit. Fuit Innocẽtius corpore procero, cãdido & decoro; ingenio culto & à litteris nõ alieno. Inter officia publica quandoq; dormitare videbatur, valetudine nõ ſatis proſpera. Nã biennio antequã decederet in extaſim quandã ſoporiferam ex morbo incidens horis ferè viginti ſine arteriarũ motu immobilis fuit. Famaq; iam mortis eius quoquo verſus perlata, cardinales de ordinãdis circa ſucceſſorẽ omnibus cõuenerant, quũ ſubito magna omnium admiratione viuus apparuit. Exceſsit biennio pòſt ex eodẽ ferè morbo Romæ in Vaticano viij. calend. Auguſti hora noctis quinta. Anno ſalutis ∞ CDXCII. ætatis lx. Pontificatus verò vij. mẽſe x. die xxvij. Cadauer in baſilica S. Petri ſepultum æreo monumẽto, iuxta aram ab eo deſignatam, in qua ferrum haſtæ, de qua paulò antè dixi, condi iuſſerat. Vacauit tum ſedes dies xvj.

## ALEXANDER PAPA VI.

Pont. 223. ALexander Papa VI. Rodericus antea vocatus, ex nobili familia Lẽzolia Valentiæ in Hiſpania originem duxit. Patrẽ habuit Iofredum equitem prædiuitem, matrem verò Calliſti Papæ III. ſororem. Qui quanquam





gente Lenzolia ortus eſſet, Boriæ tamen, vel Borgiæ nomen, quo cum gentilicijs inſignibus ab auunculo donatus fuerat, auito relicto, vſque ad obitum retinuit. Ipſe adhuc adoleſcens ab eodem pontifice Archiepiſcopus Valentinus primum deſignatus eſt, deinde xj. Kalend. Octobris anno ∞ CDLVI. diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in carcere Tulliano, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cancellarius creatus. A Xyſto verò IIII. Epiſcopus Cardinalis Albanus, & paulò pòſt Portuenſis factus; multas tam ſub eo, quàm ſub alijs pontificibus, & maximas legationes obiuit; & præcipue Hiſpanam Xyſti pontificatus initio. Is eò legatus eſt, vt reges Luſitaniæ & Arragonum ad bellum pro regni Caſtellæ poſſeſſione pronos impelleret. Qui rebus parum ex animo confectis, quũ in Italiam triremibus Venetorum rediret, valida oborta tempeſtate, omni pene ſupellectile amiſſa, parum abfuit quin in littore Piſano mari obrueretur. Altera enim triremis, qua multi ex ſuis vehebantur, perpetua nocte, & magna parte diei fluctibus quaſſata, tandem vndis ſubmerſa eſt, in qua ad centum & octuaginta homines periêre, in his Epiſcopi tres, & aliquot Cæſarei põtificijq; iuris periti. Mortuo Innocentio VIII. in eius locum Romæ, in Vaticano duorum & viginti Cardinalium ſuffragijs, anno ſalutis ∞ CDXCII. iij. Idus Auguſti, pontifex maximus conſalutatus, vij. calendas Septembris ſolemni pompa coronatus eſt. Nonnullorum autem Cardinalium cæca ambitione & auaritia corruptorum opera, tantam dignitatem dicitur eſſe aſſecutus, qui poſtea in ingrato pontifice perfidiam maximam experti, debitas ſcelerati ſtudij, venaliſq; ſuffragij pœnas dedere. Horum princeps fuit Aſcanius Sfortia, emptus proculdubio profuſiſsima largitione, vt hic omniũ eius ordinis deterrimus, pro optimo pontifex renuntiaretur, qui Cancellariȩ munus ex ea ſuffragatione conſecutus, aliquot annis poſt exitiabilis amentiæ dignas pœnas luit. Fuere tum aliqui in comitio patres, qui Hiſpanum occultæ iniquitatis, ſummæq; ſimulationis hominem, ſtultiſsimè pontificem creatum, exitio tandem cunctis futurum non falſi vates denuntiarunt. Ex reliquis porro, qui eius põtificatus auctores fuere, aliqui nõ longè pòſt varijs calamitatibus ſunt affecti, partim exilio, partim teterrimo carcere, partim violenta morte damnati. In his duo præcipui fuerunt Iulianus Oſtienſis Epiſcopus, & Raphaël Cardinalis ſancti Georgij, camerarius ſanctȩ Romanæ Eccleſiæ perpetuæ decennali exilio, ſpontaneo tamen, mulctati; quod ſibi ſuſpecti eſſent, alter ob veterem priuatam ſimultatem, alter ob Riarios pueros ſanguinis neceſsitudine ſibi coniunctos Catherina matre capta, Foroliuij & Forocornelij vrbibus vi pulſos. Proceres quoq; Romani, quorum Cardinales eum extulerant, alij alia de cauſa ſublati; Baptiſta Vrſinus qui magnificas eius ædes, & Ioannes Michaël, qui epiſcopatum Portuenſem cum omni eius ſupellectile, quæ prætioſiſsima erat, conſecuti fuerant, infelicem ab eo vitæ exitũ tulerunt, quum alter in arce aperta vi, alter veneno clam extincti fuerint. Sed hæc pòſt acciderũt. Porro aũt eius pontificatus initio, rebus Vrbanis intentus, carcerum viſitatores inſtituit, & quatuor iudices creauit, qui de quacunq; cauſa capitali cognoſcerẽt; & die Martis omnibus ſe adire, & alloqui volentibus, ſeipſum exhibuit. Vnde ius in Vrbe ſeueriſsimè dici cœptum. Quo tempore Fridericus Romanorũ imperator, imperij anno quarto & quinquageſimo, diem clauſit extremum, Maximiliano filio Romanorum rege ſucceſſore relicto. In primo cõſiſtorio põtifex Ioannem Borgiam Valentinum ſororis filium Archiepiſcopum Montiſregalis presbyterũ Cardinalem tituli Sanctæ Suſannæ creauit, quẽ mortuo Ferdinãdo rege Neapolim apoſtolicæ ſedis legatum miſit, vt filiũ eius Alfonſum nouũ regem, quo cum affinitatem contraxerat, confirmaret, & ſacramento ſuſcepto, coronaret. Quo anno Carolus viij. Francorũ rex bellicæ laudis auidiſsimus adoleſcens, exitiabili diſsidio, ſingulariq; demẽtia Italicorum principũ in Italiam euocatus, præter terribiles copias, inuſitato etiam bombardarũ apparatu cuncta proſternebat. Petebat ipſe Neapolitanũ regnũ, quod iure hæreditario ad ſe pertinere affirmabat, impellente Inſubrum duce Ludouico Moro, vt Alfonſi regis audacia magna ſemper appetentis, tanto immiſſo hoſte, frangeretur. Cuius vires veritus pontifex, qui tum cum Arragonijs affinitate fœdereq; coniunctus

erat, ne quid Italiæ detrimenti terribilis eius aduentus afferret, multas militum cohortes Vrbis præſidio conſcripſit, quibus Vrbem, ſeq; à Gallorum armis tueretur. Cum Arragonio, & pontifice fœdus Florentini percuſſerãt. Quorum viribus diffiſus papa, Venetos etiam & Regem Hiſpaniæ Ferdinandū incaſſum in ſuam ſocietatem euocarat, qui medij, & ſpectatores tanti belli eſſe maluerunt. Carolus per Inſubres & Etruſcos cuncta proſternens itinere habito. Florentinorum copijs ad Maceram amnem fuſis, eos imperata facere coëgit. Romam deinde Calendis Ianuarijs, initio anni ∞ CDXCIIII. validiſsimis cum copijs xx. millium peditum & v. millium equitum ingreſſus, magnam cõmeatus copiam, qua exercitus lõgi itineris incõmodis defatigatus, ſubleuaretur, inuenit. Edixerat enim Romanos nihil detrimenti paſſuros, ſi facilis ei Romam tendẽti pateret aditus, tranſituſq;, & commeatus abunde ſuppeditaretur, quæ ſi negarentur ſe armis omnia paraturū. Eo igitur Romæ perhumaniter ſuſcepto, milites à tumultu & rapina abſtinere iuſsit, his qui non obtemperauerant ſupplicio affectis. Pontifex omni conſilio ſpeq; deſtitutus, in arcem fugit. Qui nullo tumultu militari audito, cuncta pacata videns, ſecuriorq; iam factus, fœdus cum Carolo quanquam inuitus percuſsit. Rex ab Vrbe diſcedens, quum Pontificis fidem ſuſpectam haberet, Cæſarem Borgiam Cardinalem Valentinum papæ filium ſecum opſidẽ, legationis ſpecie, & Turcarū imperatoris fratrẽ Zizimū eduxit, vt potitus regno, Zizimi opera contra Turcas vteretur, qui haud longè pòſt Capuæ magna Chriſtianorū iactura Dyſenteria deceſsit. Neapolis rex Alfonſus deſperatis rebus, quum ſe omnibus inuiſum eſſe cognoſceret, regno filio Ferdinãdo iuniori tradito, qui in omnium amore erat, trepidus in Siciliam cum regia ſuppellectile nauigio ſe recepit. Ferdinandus tanto Francorū apparatui impar, continente relicto nauibus apud Aenariam paruã inſulam ſalutẽ tuebatur. Carolus perpetuo victorię curſu, incredibiliq; celeritate, regno omni, arcibuſq; potitus, oẽs Europæ principes tanta victoria attonitos, ſibiq; ab ipſo metuentes, contrà ſe concitauit. Hi fuere: Pontifex, Cæſar, Rex Hiſpanię Catholicus Ferdinandus, Dux Ludouicus Sfortia, & Veneti, qui fœdere iuncti pro Italiæ ſalute, contra Gallos conſpirarunt, & xl. millium virorū exercitum cõmunibus impenſis inſtruxerunt, vt Regi in Galliam tendenti tranſitū impedirẽt. Quorum copiæ apud Forum nouum, iuxta Farrum torrentẽ non longe à Parma, quū Gallos magnis à Neapoli itineribus expedito delectoq; exercitu fortes, contendentes expectaſſent, ancipiti dubiaq; victoria, & cruento maxime prælio dimicarũt. Poſt pugnam Carolus nobiliſsimo quoq; amiſſo, tandẽ Aſtam ſe recepit. Pugna ad Farrum audita, qua vires Gallicæ fractæ erant, Ferdinandus quæ facile amiſerat, fortunæ arridentis fauore, facilius recepit, & Gallorum præſidia omnia propinqui ſui Ferdinãdi regis Catholici auxilio, ſub duce magno Cõſaluo in deditionẽ accepit, hoſtili parte omni extra regni terminos eiecta. Cui paulò pòſt ſine liberis vita functo ſucceſsit patruus Fridericus, nã & Alfõſus pater paulo ante exceſſerat. Quo tempore Carolo viij. Francorū Regi mortuo, regnum excepit Ludouicus xij. Aurelianenſium dux. Hic cum Regno Neapolitano, Inſubrum quoq; imperium hæreditatis iure ad ſe pertinere contendẽs (quippe cuius auia Valentina fuerat primi Inſubrum ducis Ioannis Galeatij filia) cõtra Ludouicū Sfortiam, & Regem Fridericū cum pontifice, quẽ varijs officijs ſibi deuinxerat. Florentinis, Venetis, & Ferdinãdo Hiſpaniæ rege execrabile, ac Italiæ funeſtum fœdus, his cõditionibus percuſsit. Vt principatu Mediolani acquiſito, Cremona Venetis dederetur; & Cæſar Borgia papæ filius, qui ſacrã purpurã, ducta vxore Carlotta de Alibreto regis Nauarræ filia, & Francorum regis propinqua, depoſuerat, ſociorum auxilio, Aemiliam, Flaminiam, Picenum, & Vmbriam, veteribus dominis eiectis, obtineret; Reges verò Hiſpaniæ & Francorum regnū Neapolitanum ſibi diuiderent. Ingentibus igitur & potẽtiſsimis copijs comparatis, Morus paruo labore à Ludouico rege Mediolani imperio exutus, & non longè pòſt, cum fratre Aſcanio Cardinale captus, in carcere Gallico obijt, Cremona Venetis ex fœdere ceſsit. Bello deinde in regnum traducto, Fridericus rex conſternatus, tantis viribus impar, hoſtis potius manifeſti Ludouici xij. quàm

regis



regis affinitatis gradu ſibi coniuncti Ferdinandi miſericordiam experiri voluit. Ad quem ſupplex profectus, parum ex dignitate, & contumelioſius quàm ſperabat, ab eo tractatus eſt. In regni autem diuiſione, inter Hiſpanos Galloſque diſcordia exorta, Gallis omnibus cæſis, Regnum ad ſolos Hiſpanos duce magno Conſaluo peruenit. Dum hæc in Italia bella geruntur, Cæſar Borgia papæ filius adhuc Cardinalis, quo ſibi totius eccleſiaſticæ ditionis imperium compararet, regulos omnes aggredi cœpit, quum pater omnes ſuas rationes, & conſilia ad id vnum conuertiſſet, vt nothos ſuos magnis opibus, & potentia extolleret. Vrſini proceres ante omnes bellum ſuſtinuerunt æſtate vna, in quo duces fuere, Guido Vbaldus Vrbinatium regulus, ac pontificis filius Ioannes vnà cum Bernardino Iunate legato. Captis aliquot oppidis, res ad Brachiani obſidionem redacta eſt, quod mulieris viduæ virtute eatenus defenſum fuit, donec Carolus Virginij ex illicito concubitu filius, cum parua ac collectitia manu ſuperueniens, totum pene exercitum duce capto, legatoque pontificis filio vix fuga elapſis, profligauit. Sed pace Vrſinis data, Guido xxx. millibus aureorum ſe redemit. Hac re proſperè non cedente, animum ad firmiora præſidia matrimonijs ſibi comparanda pontifex adiecit. Itaque Lucretiam filiam, quam ante pontificatum Hiſpano cuidam in matrimonium dederat, eidem ablatam Ioanni Sfortiæ Piſaurenſi principi primum, deinde abdicatam Alouiſio Arragonio Alfonſi regis filio notho, quo demum interfecto Alfonſo Eſtenſi Ferrariæ duci, apud quem obijt, locauit. Ex filijs verò natu minimum Gofredum principẽ Squilatinum fecit, medium Cęſarem Cardinalem, maximum natu Ioãnem ducem Gandiæ in Hiſpania creari procurauit. Cui etiam vxorem dedit filiam notham regis Alfonſi. Qui breui tempore quum nocte quadam vagaretur, inſidijs Cæſaris Cardinalis fratris interfectus, & in Tiberim proiectus eſt, quū ſimul apud matrem Zannociam paulò antea cænaſſent; conniuente prorſus ad immane parricidij ſcelus patre pontifice, qui & ipſe vim ſibi afferri ab efferato filio proculdubio metuebat. Itaque ſublato principatus æmulo, armorum ſtudio tenere & contemnere galeri decus cępit: non enim ob aliam cauſam fratrem interfecerat, quàm vt eo qui ductaret exercitum extincto, ipſe in eius locum pontificiarum copiarū dux efficeretur. Poſt fratris igitur nefariam cædẽ, ſe totum à Senatorio ordine, abiecta purpura, ſumptoq; militari ſago auertens, ad arma tranſtulit. Pontificioque exercitui prę́fectus Gallis ſe coniunxit, quorum regis propinquam Carlottam de Alibreto, vt dixi, in Vxorem ducens, oppidum Valentiam dotis nomine, à quo dux Valentinus dict⁹ eſt, accepit. Ludouici deinde xij. regis auxilio, perpetuoq; fœdere, patre adiuuante, maximum ſibi in Italia imperium comparauit. Pontifex enim totus in eã incubuerat curã, vt ingentes filio opes, maximiq; imperij facultates, vel ſumma cum omniū iniuria pararet. Sfortianis igitur dominatu Inſubrum pulſis, & in carcerem coniectis, dum aduerſus Arragonios bellū paratur, Cæſar Borgia adiuuãte Gallo, immani ſę́uitia Aemiliam omnẽ, præter Bononiam, eiectis partimque necatis antiquis dominis in poteſtatem redegit. Riarijs enim pueris pulſis, & eorum matre Catherina capta, parumq; virili ſuperbia Romã in Triumphū ducta, Forumliuij & Forumcornelij occupauit. Fauẽtiam deinde Aſtore Mãfredo regulo necato, Ariminum, & Piſaurum N. Malateſta, & Ioãne Sfortia deiectis, & paratam cædem effugere coactis, cum Senogallia vi cæpit. Eodem victoriæ curſu Guidonem Vbaldum Feltrium Vrbini principatu dolo exutum Mãtuam aufugere coëgit. Nam quum vt hoſpes & amicus à Guidone duce cum exercitu apud Gallium exciperetur, exemplo dato ſigno, Vrbẽ corripuit, inde propere Vrbinū inuadi mandat. Guido tam repentino caſu cõſternatus, quum non ſatis virium ad reſiſtendū haberet, ne in truculentiſſimi tyrãni hoſtis manus perueniret, nocte ſequenti relictis omnibus, paucis comitatus, fuga ſibi ſalutem quæſiuit. In Varanios deinde Camertiū regulos vetuſtiſſimæ nobilitatis homines conuerſus, Iulium Cæſarem, & Venãtium, alioſq; duos captos, Vrbe occupata, ſtrangulauit; & reliquos paſsim opibus illuſtres, eodẽ ambitionis ardore furens, in exorabili crudelitate perſequebatur. Vertit poſtremo eãdem ſæuitiæ rabiẽ in finitimos Vrbi regulos; cępitq; à Caietanis vetuſta, & nobili familia, qui aliquot in Volſcis oppi

da poſſidebant. Iacobo igitur Caietano Honorati filio apoſtolico protonotario
necato, adoleſcentem vnicum Nicolai filium familiæ ſuperſtitem abſentem
iugulari iuſſit. Columnenſium deinde Gallorum auxilio expulſorum imperiũ
omne inuaſit, eosq́ue exules per Apuliam & Siciliam vagari cogebat. Quod reli
quum erat, quum ad Vrſinos anhelaret, nec ſatis cauſæ haberet, occaſionem na-
ctus eſt, quam optanti, quum nemo hominum aptiorem promittere potuiſſet,
ipſa dies vltro attulit. Vrſini enim tantos Cæſaris ſucceſſus inexhauſtamq́ue im-
perandi cupiditatem conſpicati, ſibi quanquam amicitia cõiunctis, timere cæpe
runt, ne omnibus iam ſublatis, in ſeipſos etiam crudeliſſima laniena verteretur.
Itaque cum his, qui pari timore tenebantur Peruſij concilio facto, aduerſus Cæ-
ſarem conſpirant. Fuere autem Ioannes Bentiuolus Bononiæ, Ioannes Paulus
Balio Peruſij, Vitellocius Vitellius Tiferni, Liberoctus Firmi, Pandulfus Petruc
cius Senæ Tuſcæ tyranni, Baptiſta Cardinalis, & Paulus Vrſini. Hi collectis copi-
js, inruptione è veſtigio facta, Vrſino & Camerino receptis, Cæſarisq́ue cohorti-
bus, quæ ſubſidio mittebantur, profligatis, ad alia Aemiliæ oppida repetenda,
iter conuertũt. Pontifex tantæ cladis nuntio accepto, mirum in modum com-
motus, omni ſtudio placare Vrſinos ſibi in primis conabatur, quod facile cun-
ctos ipſorum ſperabat auctoritatem ſecuturos. Eos igitur ingentibus pollicita-
tionibus, conditionibusq́ue, & magna humanitate delinitos, ſeu potius decep-
tos, in ſuam ſententiam adduxit. Illi conciliati iam capta reſtituunt, & Senogal-
liam Cæſari recuperant, quo Paulus & Franciſcus Grauinæ dux Vrſini, Vitello-
cius, & Liberoctus vnà conuenerant. Cæſar qui Forocornelij erat, oportunum
vindictæ tempus veniſſe ratus, eò cum Vaſconũ cohortibus de improuiſo pro-
ficiſcitur. Illi inermes obuiam procedentes, veniam præteritorum petunt, hu-
maniter exceptis, cuſtodiæ clam ne effugere poſſent adhibitæ. Cæſare autem vſq;
ad Pretorium deducto, cum diſcedere vellẽt, ſimulatione colloquij militaris in
domum perducti, extemplo ianuis clauſis à deſtinatis militibus capti ſunt. Vitel
locius & Liberoctus eodem die, alij paulò pòſt ſtrangulati, meritas certo iure pœ
nas pependerunt, quod ſe à ſanguinario nefarioq́ue tyranno ſincere in fidẽ rece-
ptos imprudentiſſimè putarint. Quanquam ea reditus leuitas exitio cunctis futu
ra, ab ingenio Pauli Vrſini largitione promiſſiſq́ue corrupti, Vitellocio fruſtra
reclamãte, emanaſſe credatur. Tum Peruſia, & Tifernũ eiectis Balionibus & Vi-
tellijs, pontifici ſe dediderũt. Qui Romæ vbi celeri nuntio noctu captos hos eſſe
accepit, Cardinalem Vrſinum, quem multis blanditijs ſeq; ſecurum reddiderat,
ſummo mane hortatur, vt ad palatium veniat, fingens Columnenſes captis põti
bus, prope vrbem adeſſe. Ille credulus cum obtemperaſſet captus eſt, & in Hadria-
ni mole miſer cum Abbate Vrſinarũ partium Alouiſi Liuiani fratre conijcitur.
Antiſtes porro Florentinus, Rainaldus è gente Vrſina, & Iacobus Sanctacrucius,
eadem hora capti, & in palatio cuſtoditi. Sanctacrucius poſtridie vadibus datis,
conſentiente Cardinale ad oppida Vrſinorum põtifici tradẽda dimiſſus; ipſe ve-
rò Cardinalis paucis diebus pòſt veneno iuſſu pontificis epoto, interijt. At Cęſar
quum perſequi reliquias coniuratorum ſtatuiſſet, è Senogallia cum xv. millium
armatorũ exercitu contra Pandulfum Petruccium in agrũ Senenſem profectus
caſtella nõnulla capit. Senẽſes, qui ab initio reſiſtere, Pandulfoq; omnia promit
tere, ſtatuiſſent tantis viribus impares, vrbe ad tempus cedere illum maluerunt, q̃
vnius hominis cauſa Rempublicam periclitari. Quapropter quum is Lucã cum
omni familia profectus eſſet, bellum in Senenſes deſijt. Ioannes Bentiuolus tãtis
Cęſaris viribus parumper cõmotus, ſuſpectis tamẽ ciuibus, aut pulſis, aut inter-
fectis, ita ſeſe vti ſagax tyrannus munierat, vt eius periculi vexationẽ pecunia fa-
cilè redemeret. Inde Cæſar ad Vrſinorum oppida reliqua occupanda ſe cõuertit,
ac Cære vetuſtam gentis arcem loci ſitu & arte munitiſſimã oppugnare aggreſ-
ſus, quũ ea iam iã potiturus eſſe videretur, cum Iulio Vrſino Cardinalis fratre, q
illam defendebat, pactus eſt, vt tradito caſtello, incolumi ſubſtãtia diſcederet. Vi
ctor igitur, ne cætera gentis oppida adoriretur, Gallorũ regis litteris reuocatus
eſt, qui id Ioãni Iordano Vrſino Virginij filio ſibi militãti præſtiterat. His tantis
belli ſumptibus, & Cæſare magnos alẽte exercitus, regioq; luxu liberalitatẽ paſ-
ſim



ſim oſtentante, quum pontificij ærarij pecunia minime ſufficeret, Alexander a-
liorum pontificum exemplo nouum lxxx. ſcriptorum breuium collegiũ inſti-
tuit, quorum loca ſingula D C C L. aureis veniere. Reliquorum collegiorum
emolumenta, quod omnia venditarentur, nihilq́ue pecuniæ negaretur, ab ini-
tio vberrima quidem, verùm poſtea tenuiora fuere, diuiſa cum Cardinale Ro-
thomagenſe Galliæ Legato rerum omnium facultate. Magnum quoque vecti-
gal ex his, quos vulgus Maranos vocabat, à rege catholico ex Hiſpania pulſos, &
ab ſe Romæ magna cum eius regis indignatione ſuſceptos, colligebat. Cardina-
les multos pretio creauit. Hæc quoque quum ingentibus ſumptibus non ſuffice-
rent, inopiæ metu rapax, atque immani ingenio ſæuus, opulentiſſimum quem-
que in aula ſacerdotem, & in his aliquot Cardinales cæteris ditiores veneno tol-
lendos conſtituit, vt eorum opibus in fiſcum redactis potitus, profuſiſſimè lar-
giretur, inexplebilemq́ue filij cupiditatem expleret, haud dubie in reliquos au-
læ ſacerdotijs atque diuitijs inſignes hæreditatis ſpe ſæuiturus, niſi mirabili Dei
prouidentia, homo ad Italiæ exitium natus, quum animo adhuc maiora de filio
conciperet, diuturnamq́ue ſibi vitã polliceretur, fatali pincernæ errore, ſibi mor
tem, ſupremã verò Cæſari filio calamitatem peperiſſet hilariorẽ ſcilicet in cœ-
na, dum ad vmbroſum Vaticani ruris fontem venenum bibunt, medicata Fa-
lerni vini Lagena, pocillatoris errore commutata, quam dira fraude ad opulen-
tiorum aliquot ſenatorum, qui conuiuio aderant, exitium, honoris ſpecie para
uiſſet. Cæſar qui dilutius biberat, exquiſitis antidotis, vel ipſo viuente robore,
veneni vim ſuſtinente, atrociſſimo quidẽ, ſed non letali morbo correptus eſt,
ſic vt magnis ſtipatus copijs dux acer, ſibi vſui eſſe nequierit, & dilabentes copias,
duosq; veteres hoſtes pauciſſimis diebus pontifices creatos viderit. At pater pon-
tifex iam ſenio grauis quum non diu veneni vim ferre poſſet, Romæ in Vatica-
no ad xv. calendas Septembris, anno ſalutis ∞ CDIII. ætatis circiter altero & ſe-
ptuageſimo pontificatus vero xj. die viij. eſt extinctus. Cuius cadauer in ſacra-
rio baſilicæ Vaticanæ, lateritio & vili monumento ſepultum eſt. Vacauitq́; tum
ſedes ſupra dies tres, menſem vnum. Cæterum in Alexandro (vt ſuorum tempo-
rum ſcriptor tradit) æquabant vitia virtutes. Inerat namq; ingeniũ, ratio, cogita-
tio, memoria, diligentia, eloquentia verò quædam naturalis, & ad perſuadendũ
apta, quæ multis exitio fuit, vt nemo rem cautius proponeret, aut acrius defende
ret, ſeu quò deſiderabat, impelleret; ſeſe vnum omnium animis accommodan-
do, cum iucundis de remiſſione, cũ ſeueris de diſciplina, cũ patribus de republica
loquebatur. Aduerſarios lenitate ac patientia deuinciebat, nam ijs, qui de nume-
ro patrum exulabãt, quóſue ſuſpectos habuerat, nihil de priſtina dignitate detra-
xit. Gallorum animos contumaciſſimos ita ſedauit, vt amiciſſimi diſcederent.
In tanta procerũ Romanorum clade, quod ſane incredibile eſt, nullum in vrbe
tumultum, nulla arma audita, omnia ipſe obire, parum in rebus arduis cuiquã
fidere. Idem in otio ſolutiſſimus, in metu conſtantiſſimus, nunquam negotia
voluptate omiſit, res in multam noctem protrahebat breuiſſimi ſomni cibiq;.
Artes liberales ſi non colebat, admirabatur, & iuris præſertim ſcientiam; ſalaria
doctoribus, ſtipendia militibus, mercedem operarijs nunquã eſt differre, nec dũ
auferre viſus; cuius rei gratia exercitum, quem magnũ ductore filio nutriebat,
obſequentiſſimum habuit, breuiq; tempore ac paruo negotio tãtum ei imperiũ
comparauit. In annonæ difficultate, quæ bis contigit, aduecta è Sicilia magna vi
frumenti ita diligẽter vrbi prouiderat, vt plebs nullum fere ſentiret incommo-
dum. Hęc igitur animi ornamẽta magnis obiuerat vitijs, perfidia pluſquam Pu-
nica, ſæuitia immani, auaritia immẽſa ac rapacitate, inexhauſta parãdi filio im-
perij per fas & nefas libidine. Si quãdo negocijs nõ premeretur, omni ſe iucũdita
tis generi ſine diſcrimine dedit. Mulieribus maximè addictus ex quibus quatuor
filios, & duas filias tulit. Omnium præcipua fuit Vannocia Romana, quam à for
mæ venuſtate, & morũ illecebris miraq; demũ fœcũditate, in minori fortuna le-
gitimę propè vxoris loco habuit. Comœdias Plautinas cæteraq; ludicra libẽter
ſpectauit, frequenterq; in Hadriani molẽ, quã propugnaculis, muro, foſſaq; mu-
niuit, ventitabat, vt palã perſonatos hilaribus feſtis, ac per omnes dies celebres, ſi
quid

quid elegantius in hominũ genere per viam pręteriret, propius aſpiceret in filię nuptijs, quæ ad virum Ferrariam profectura erat, equeſtres ludos, & venationem in Vaticano extra ordinem dedit. In vrbe gladiatorum & ſicariorum nunquam licentia maior, nunquam populo Romano libertas minor, delatorum ingẽs numerus, breuiſſimo maledicto pœna mortis erat. Graſſatorũ inſuper omnia plena, nec noctu tutũ per vrbem iter, nec interdiu extra vrbem. Roma gentiũ profugium & aſylum; omnibusq; ſæculis populorũ omniũ tutiſſima arx, iã carnificina facta erat, quæ quidem omnia ſuorũ cauſa, quibus omnia indulſerat, permittebat. Quos etiam vt magnis clientelis ſubleuaret, dominationis præſidia in eo quoq; ijs parauit, vt ad xliij. cardinales varijs lectionibus in his xviij. Hiſpanos creauerit. Inter hos præcipui fuere Bernardinus Caruaial Hiſpaniæ regis orator tituli ſanctæ crucis, Ioannes Lopes Datarius, Iacobus Serra Arborenſis, Franciſcus Cuſentinus, & Ioannes Salernitanus. Italicorũ verò Ioannes Antonius Alexandrinus, Alexander Farneſius, pòſt Paulus III. Ioannes Antonius Triuulcius, Ioannes Baptiſta Ferrarius, Frãciſcus Soderinus, Hadrianus Cornetanus, Ioãnes Stephanus Ferrerius viri magnæ in aula Palatina auctoritatis & exiſtimationis. Anno ∞ D. Iubileum ex veteri inſtituto celebrauit, delictorũ venia his, qui venire neglexerant, vel minimè poterant per diplomata conceſſa.

## PIVS PAPA III.

Pont. 224 MOrtuo Alexandro VI. Cæſar Borgia ſtatim pecunias, & pretioſa quæque corripuit; Vaticanum, quod XII. armatorum millibus tenebat, & Hadriani molem operibus munijt eo conſilio, vt patres in eodem loco veteri inſtituto cogendos ad nouum creandum ſucceſſorem in ſua vota compelleret. At illi ad euitandum periculum, in ædem prædicatorum ad Mineruam congregati ſubito à Cæſarianis, quos Michalettus Corellia Cæſaris ægrotantis dux adducebat, circumdantur. Fama peruagante captos eſſe Cardinales, direptiones ac cædes tota vrbe fieri, omnes illico pauor inuaſit. Tabernis clauſis, arma arripiuntur, & tranſtris, trabibus, cathenisque ferreis viarum exitus obſtructi, haud aliter quàm ſi rurſus Annibal ſub vrbis mœnib⁹ eſſet. Michalettus quod duram forte prouinciam aſſumpſiſſe videretur, paulo poſt quam venerat diſcedens, Vrſinorum tantum ædium partem apud Montem Iordanum incendit. Patres interim ad vrbis cuſtodiam peditũ quatuor millibus ſcriptis, proceres Romanos accerſunt, Cardinales tranſalpinos, & vndequaque euocatos, præter conſuetudinem expectant. Proſper Columna, qui ad vrbem cum Fabio Vrſino, Pauli à Cæſare ſtrangulati filio venerat, ad Cæſarem à patribus mittitur, rogatum vt ab ea mente deſiſtat. Idem fecerunt Galli Hiſpanique regum oratores. Quibus obtemperans cum omnibus copijs vrbe ſe deferri lectica iuſſit. Arx verò adhuc ab eius militib⁹ tenebatur, quanquã pręfectus Bernardini Caruaialis Cardinalis S. Crucis opera, ſe patribus obtemperaturũ polliceretur. Vaticanũ igitur recipitur. Vbi more maiorum nouemdialibus celebratis, tantiſper comitia diſtulerunt, donec Gallorum exercitus, qui tum illac contra Hiſpanos in Campaniam iter habebat, iubente Georgio Ambroſio Cardinale Rothomagenſe, qui ſumma apud Gallos auctoritate erat, mœnibus egrederetur, ne qua vis, aut tumultus patribus in comitio occupatis exoriretur. Cardinalibus igitur qui tum ſeptẽ & triginta erãt, cõclaue ingreſſis, ſenatus melior pars, quanquã pauciſſimis innixa ſuffragijs, longe maiorem patrum numerum, tum factionibus, tum Cæſaris imperio ſeruientem, ex lõga diuturnaq; cõtentione peruicit, effecitq; vt x. Kal. Octobris omnium eius ordinis optimus Franciſcus Picolhomineus Senenſis S. Euſtachij diaconus Cardinalis, ac tum eius ordinis princeps, pontifex maximus omnium ſuffragijs renuntiatus ſit, & Pij III. nomine aſſumpto viij. idus Octobris coronatus. Huic patria Sena Etruriæ nobiliſſima ciuitas fuit. Ipſe natus erat vij. idus Maij, annos ſalutis ∞ CDXXXIX. Qui quum Pij papæ II. ſororis Laodomiæ filius fuiſſet, ab auunculo cuius cura à teneris annis omnibus diſciplinis & iuri in primis operam dederat, gentilitijs inſignibus, & Picolhomineorum familiæ nomine donatus, archiepiſcopus Senẽſis deſignatus, haud lõgè pòſt



pòſt abſens iij. nonas Maij anno ∞ CLDX. in ampliſſimorum patrum collegium vix decimum ſeptimum annum ingreſſus cooptatus eſt. Varijs porrò legationibus & Germanica præſertim, ſub ſuperioribus põtificibus ſumma cũ laude functus, non tam Pij auunculi ſanctiſsimi pontificis memoria, quã ſumma de eo ſpe ab omnibus concepta, tanquam labentem Chriſtianæ pietatis ſtatim vnus cõfirmare ſua virtute poſſet, ampliſſimum ſacerdotiũ obtinuit. Ad cuius creationis nuntium, Cæſar, qui ad eam diem Nepet cum copijs ſubſederat cũ parte ſuorum Romam venit, patribusq; gratias egit, quod virum optimũ Chriſtianæ reipub. præfeciſſent, ipſumq; pontificem in primis adorat. Interim Vrſini vindictæ cupidi, Cæſarem in Vaticano agentem cum armatis inuadunt, cędũturque multi Valẽtino ſe egregiè tutante. Qui haud longè pòſt pontificis iuſſu in Hadriani molẽ ducitur, vnde nõ niſi ex pontificis voluntate ei abire liceret. Pius interim ſenectæ vitijs, & mortifero cruris vlcere vehementer affectus, intra ſextũ & vigeſimum pontificatus diem, xv. Kal. Nouembris, non ſine veneni ſuſpicione Pandulfi Petrucij Senenſis tyranni cõſilio vulneri illiti in palatio Vaticano magno bonorum omnium dolore interijt, anno ſalutis ∞ DIII. ætatis lxiiij. menſe quinto, die decimo, cadauer in baſilica Sancti Petri, ſacello Sancti Andreæ prope auunculum Pium II. marmoreo & eleganti ſepulchro cõditum eſt. Vacauit tum ſedes dies xiiij.

## IVLIVS PAPA II.

IVlij Papæ ſecundi genus, quum Xyſti quarti vitam breui commentario conſcriberem, expoſui. Ipſe qui ante pontificatum, Iulianus vocabatur, patrem habuit Raphaëlem Xyſti papæ quarti fratrem, matrem verò Theodorem Manerolam. Natus eſt Iulius Sauonæ littoris Liguſtici oppido, Anno ſalutis LIII. ſupra ∞ CCCC. fratres ei fuere Barptolomæus ordinis Minorum ſacerdos, Epiſcopus Ferrarienſis, & Patriarcha Antiochenus, Ioannes vrbis præfectus Soræ ac Senogalliæ princeps, Guidonis Vbaldi Vrbinatium ducis, & Iulij Ruuerei Cardinalis Sancti Petri ad Vincula auus. Luchina quoque Galeotti & Xyſti Cardinalium mater eius ſoror fuit. Ante pontificatum filiam tulit Felicem, quam Io. Iordano Vrſino pontifex factus, in matrimonium dedit; quum & Columnenſes affinitate ſibi coniunxiſſet, Lucretia eiuſdem Luchinæ filia M. Antonio Columnæ deſponſata. Eum Xyſtus quartus patruus pontificatus initio xvij. Kalendas Ianuarij, anno ∞ CDLXXI. ex epiſcopo Carpentoratenſe presbyterum Cardinalem tituli S. Petri ad Vincula cum Petro Riario creauit. Hac dignitate accepta quum alias virtutes, tum moderationẽ in omnibus, & dictis, & factis præcipuè coluit amabilis & charus ſummis & infimis, grauitate, comitate & morum elegantia. Nec ſatis habuit ſe talem præſtare, ſed familiares quoque ſibi quoad fieri potuit, modeſtos delegit. In eam præcipue curam incumbens, vt bene vndique audiret. Acri porrò & callido ingenio, animoque excellẽti quum eſſe exiſtimaretur, variam admodum in vita ſua fortunam expertus eſt, vt ei modo mater, modo nouerca fuiſſe videatur. Priuatus in ædificijs extruendis, ita delectabatur, vt præter profanas ędes baſilicam S. Petri ad Vincula cui pręerat, quemadmodum nunc cernimus breui & magnificè reſtituerit. Inchoauit & porticum mire faſtigatum ante veſtibulum baſilicæ ſanctorum apoſtolorũ: ædes quoque proximas, quas Petrus Cardinalis Riarius inchoauerat, & morte præuentus non abſoluerat, perficere aggreſſus eſt. Caſtellum apud Cryptam Ferratam bello olim diſiectum ad monaſterij tutelam, ad vrbemq; venientiũ commoditatem, inſtaurauit. Xyſto porrò ex presbytero tituli S. Petri ad Vincula epiſcopus Cardinalis Albanus primũ, deinde Sabinus & maior pœnitentiarius, demum Oſtienſis & Veliternus Auinionisq; legatus renuntiatus eſt. Apud Innocẽtium VIII. plurimum & gratia, & auctoritate valuit. Alexandro pontifice quocum veteres & priuatas ſimultates habebat, perpetuis decem annis vrbe abfuit, in Gallis & Auinione commoratus. Nouiſsimè Pio III. breui vita functo inſtauratis comitijs, tanto ſtudio in eum patrum omnia ſuffragia ſunt conuerſa, vt penè priuſquam conclaue ingrederentur, Pontifex ſit dictus, incredibili cum Cæſaris Valentini Pont. 225

Valentini dolore,qui ad exemplum incertæ nutantisq́ue fortunæ,quum Hiſpa-
nos Cardinalis vti clientes ſuos iurare ſolemni ſacramento coëgiſſet;ſe neminẽ
niſi Borgiæ familiæ ſtudioſum ſuffragio adiuturos; ijsq́ue Cardinalem Rhoto-
magẽſem Georgium Amboſium propoſuiſſet,eum ſtatim primo comitiali die
vij.& xxx.Cardinalium in comitio ad Vaticanum exiſtentium votis, Kalẽ. No-
uembris,anni ∞ DIII.ſub ſacra thiara pontificem viderit, quem ipſe paterq́ue
Alexander vti grauiſſimum hoſtem perpetuo decem annorum exilio mulctaſ-
ſent.Nec multo poſt cum vj.Kal.Decembris ſupra gradus baſilicæ Vaticanæ co-
ronatus eſſet,Cæſarem Borgiam fugam adornantem,vel mille neces meritum,
copijs vrbibusq́ue ac omni dignitate exutũ, ea conditione dimiſit,vt Cæſſenæ &
Foriliuij arces eius præſidio munitas,reciperet.Impetrata itaque libertate Cęſar,
quum Oſtia nauigio Neapolim perueniſſet, iuſſu regis Catholici à magno Con-
ſaluo captus,in Hiſpaniam tranſmittitur.Inde cum ex cuſtodia ad Ioannem Na
uarræ regem profugiſſet:ignobili quodam in prælio à Cantabris interfectus eſt.
Iulius pontificatu firmato, cum proximis bellis & inaudita immaniq́ue ducis
Valentini tyrannide,totam eccleſiaſticam ditionem labefactatam, atque occu-
patam inueniſſet,non ad recuperanda ſolum quæ amiſſa erant,ſed etiam ampli-
anda animum adiecit.Nemo enim ſuperiorum pontificum Petri patrimonium
maiore animi præſtantia tutatus eſt,aut latius proferre contendit.Primum itaq;
in Ioannem Bentiuolum Bononienſem tyrannum veterem hoſtem arma mo-
uet,quem cum vxore,& filijs,vrbe expulſum, exulatum Buſſetum Parmenſis a-
gri,oppidum abire coëgit; eiusq́ue eximiæ ſtructuræ domum furenti populo ex-
cindẽdam obiecit. Ad Veneti nominis excidium,qui Ariminum,Fauentiam,&
Rauennam de eccleſiæ Romanæ ditione occupauerant cum Cæſare Maximilia-
no,Francorum,& Hiſpaniæ regibus,Ferrarię,& Mãtuę ducibus,Cameraci in Bel
gis fœdus percuſsit, eosq; repugnantes aquæ & igni interdictos grauiſſimo ana-
themate notauit. Cuius atrociſſimi turbinis procellum quum Veneti ferre ne-
quiuiſſent,amiſſo ad Glaream Abduæ exercitu omni,& ingẽti prælio à Ludoui-
co Francorum rege ſuperati, atque ex ducibus Liuiano capto, Pitiliano fugato,
cunctas breui momẽto copias, & vrbes quas in continente poſſidebant amisêre.
Cæſar enim *Maxmilianus*,qui nihil ferè præter legatos,& Auguſtũ nomen ad id
bellum artulerat, Veronam, Vicetiam,Patauium cum Carnis;Gallus Bergamũ,
Brixiam,Cremonam,& Cremam;Hiſpanus Tranum, Monopolim, & Barlettã
in Apulia;Pontifex Rauennam,Ariminum,& Aemiliam omnem;Ferrarię dux
Rodigium, *Mantuæ* verò Aſulam receperunt. Atque ita gens, cuius toto orbe
terrarum maxima & inueterata auctoritas erat, tot vrbibus amiſſis, intra palu-
des ipſasq́ue Venetias circumflui maris beneficio permunitas, redacta eſt. Fuit
tantæ cladis, & Veneto nomini funeſtiſſimus dies xiiij. Kalendas Maij, anni
∞ DIX. Iulius ſua quũ recepiſſet,vti pius, æquiſſimus ac vere Italus pontifex,
Venetorum nomen tantis fluctibus obrutum,& pænè demerſum miſeratus,eos
ſuppliciter deprecantes,ſubleuandos cenſuit.Legatis porrò eorum in Vaticana
baſilica ſolenni precatione adiecta pro templi foribus expiatis, vrbi Venetæ ſa-
cra reſtituit,ictoq́ue ſubinde fœdere:quo illi maris imperium eiurabant, & ſa-
cerdotia pontificis arbitrio conferenda relinquebant,in amicitiam fidemq́ue re
cepit,totisq́ue viribus vt eos Cæſari conciliaret operam dedit,quo tempore Pa-
tauio per dolum recepto,imperatorem ab ineundis ſecum pacis conditionibus
auerterunt.Conatus quoque eſt pontifex Alfonſum Eſtenſem Ferrariæ ducem à
Gallorum amicitia auertere,quo eorum vires toti iam Italiæ formidabiles fran-
geret;ſed ille Veneti nominis antiquus hoſtis,& qui ſeſe Ludouico regi perſolu-
ta pecunia,& ictis fœderibus applicauerat, pontificis adhortationem contemp-
ſit.Vnde iratus pontifex bellum ei indixit,& à fœdere Ludouici xij. Galliarum
regis diſceſſit,ſpecie quod eundem Alfonſum,qui à Romano pontifice Ferrariã
beneficiario iure obtinebat, aduerſus ſe tuendum defendendumq́ue ſuſcepiſſet.
Quum ille terra à Gallis,& Pado amne ab ſe profligatis Venetis, apud Comaclũ,
ſalinas maximi prouentus ſibi vindicaſſet, neque in his rebus voluntati ponti-
ficis obtemperaret.Has ob cauſas pontifex Alfonſum vti contumacem ſacris in-





terdictum armis perſequi cæpit, & hoſtiliter in eius fines copias eduxit; rebus
Romæ compoſitis,& multa pecunia coacta, ab vrbe profectus Bononiam con-
tendit,quo facilius imminenti bello operam ſubminiſtraret. Rex papæ iratus
Maximilianum Cæſarem pontificis hoſtem ob reconciliationem cum Venetis
in ſuas partes traduxit,cuius præſidio & auctoritate rex fultus,ſimulq́ue aliquot
Cardinalium,qui ad eum confugerant conſilio adductus,generalem Chriſtia-
norum conuentum indicendum curauit,in quo Iulius II.ad cauſam dicendam
citaretur.Pontifex porro fœdere cum rege Hiſpaniæ Ferdinando icto, Heluetijs
gente ferociſſima mercede conductis, & communis ſui, Venetorumq́ue exer-
citus imperatore creato Franciſco Mantuæ Marchione, impetum in Ferrarien-
ſem ducem fecit,& Mutina ei adempta cum duodecim millium peditum copi-
js Mirandulam,quæ Gallicis præſidijs tenebatur, expugnat; haud ſatis ſpecioſo
præmio pro tantis laboribus. Mirandula capta Iulius vti victor Bononiam re-
uerſus eſt,ex qua paulò pòſt copiarum ſuarum clade apud foſſam Giliolam audi
ta recedens,Rauennam ſe contulit.Bononiam præſidio vacuam Bentiuoli adiu
uantibus Gallis,Franciſci Cardinalis Alidoſij legati vel dolo, vel negligentia,
occupant.Legatus cum Rauennam ad Iulium, vt ſeſe expurgaret profectus eſ-
ſet,à pontificis fratris filio Vrbini duce interficitur. Galli ſucceſſu rerum elati,
Cæſare,& Cardinalibus, qui à pontifice deſciuerant, auctoribus, pontificem ad
concilium,quod ad Kalendas Septembris Piſis futurum eſſet,citant.Papa quum
omnem operam dediſſet,vt recepta Bononia, Piſanoq́ue concilio dimiſſo,pacẽ
cum Francorum rege faceret,illumq́ue victoria inſolentem, & obſtinatiſſimè
recuſantem animaduertiſſet,quo Piſanum conciliabulum tolleret, Antonij de
Mõte conſilio,Romæ Laterani concilium generale indixit.Regem Francorum
denuo,Florentinos qui concilio locum Piſas conceſſerant,& omnes conuentui
illi præſentes grauiſſimo anathemate perſecutus eſt.Cardinales quinq; qui eius
conuentus auctores fuerat, omnibus dignitatibus, & Galero priuatos ordine
ſenatorio amouit: hi fuere omnium & concilij princeps Bernardinus Caruaial
Hiſpanus Sabinenſis, & Guillelmus Briſſoneta Gallus Præneſtinus Epiſcopi;
Franciſcus Borgia Hiſpanus tituli S. Cæciliæ,& Renatus de Bria Gallus tituli
S.Sabinæ,presbyteri:demum Fredericus Sanſeuerinus Italus S.Angeli diaconus
Cardinalis.Qui poſtea omnes præter vnum Borgiam iam fato functum mor-
tuo Iulio II.à Leone X. ſchiſmate eiurato, ad priſtinas dignitates ſunt reſtituti;
Lateranenſi verò concilio omnia Piſani conuentus acta antiquata ſunt. Spera-
uerant Cardinales Iulio rebelles fore, vt pontifice abrogato, alius vti optimus
atque ſanctiſſimus Chriſtianis ſacris præficeretur,& quiſq; eorum ad pontificatũ
hac ratione adſpirabat,atq; in primis Caruaial ipſe ambitione & inani gloria per
ditus.Iulius vbi videt ſe à Gallis tam aperta vi,& tantis inſidijs oppugnari,ab An
glorum,& Hiſpaniæ regibus Henrico,& Ferdinando auxilium implorauit. Qui
Pontificis iniurias tuendas quum ſuſcepiſſent,arma in Gallos mouent: Anglus
quidem contra Aquitanos, Hiſpanus verò contra Ioannem Nauarræ regẽ fœde-
re Gallis coniunctum,& à pontifice ſacris interdictum. Neq; Iulius quieſcebat,
quia indies Francorum regem æquis cõditionibus ad pacẽ ſollicitaret. Illo verò
incredibili pertinacia in ſuſcepto conſilio perſeuerante,Pontifex cum principi-
bus fœderatis, Heluetijs quoq; in belli ſocietatem euocatis, vt Gallos Italia eijce-
ret,ingentes copias adornabat,in Florentinorum odium, qui concilio Piſas ſe-
dem dederant,Ioannem Medicem Cardinalem Florentiæ cum tota Medicea do
mo exulem,Bononiæ,& Aemiliæ totiusq́; fœderati exercitus legatum creat.Ho
rum conatibus rex animo nõnihil cõſternatus,Brixia præſertim à Venetis occu-
pata,maiora præſidia parabat.Cardinales concilij Piſani veriti,ne in Iulij Põtifi-
cis poteſtatem venirent,Piſis ſynodum Mediolanum tranſtulerunt.Cęterũ Bri-
xia à Gallis recepta,& direpta,rex Franciſcus obſtinantiſſimè bellũ gerere perge-
bat.Quũ verò ab Hiſpanis & Anglis regni ſui fines vexari cognouiſſet,belli ale-
am in Italia iacere,nouiſſimoq́; prælio cum hoſtibus decertare cõſtituit. Copia-
rum Gallicarum dux Gaſto Foieſſeius erat rei militaris peritiſſimus, & impera-
torũ ſui temporis longe præſtantiſſimus,qui Bononia obſidione qua à pontifice

premebatur liberata, Heluetijsque repreſſis, Brixiam de Venetis incredibili celeritate receperat. Is copijs omnibus, quas tum Brixiæ tum Bononiæ habebat in vnum collectis, & prope Rauennam vt cum fœderato Ferrariæ duce ſe coniungeret, traductis (fuere tum Gallorum copiæ mille & quingenti equites cataphracti, & xiiij. millia peditum) prælium committere, & fortunam experiri cupiebat, nec fœderatorum caſtra quæ Rauennæ præſidio aduenerant procul erant, xiij. millium peditum, & mille octingentorum equitum cataphractorum. Cum autem pontificij fœderatiq́; certamen aliquandiu recuſaſſet, cognito Rauennam muris vbique tormentorum vi diſiectis, penè expugnatam eſſe, quo vrbi cõſulerent, prælium inire coacti ſunt, die ſancto Paſchatis. Haud procul à Rauenna atrox certamen habitum eſt, quod horas ſex perdurauit, in quo tanta animorum pertinacia pugnatum eſt, vt cui nam parti victoria ceſſura eſſet, diu incertum fuerit. Poſtremo cum ducis Ferrariæ Alphonſi (qui belli præcipuè cauſa erat) conſilijs tormenta bellica magno in obliquum circuitu, in latus, & terga hoſtiũ conuerſa eſſent, Franci adeo cruenta victoria omnibus penè præcipuis Gallorum ducibus cæſis, Hiſpanisq́ue & pontificijs in fugam verſis potiti ſunt, vt victores longe maiori periculo expoſiti fuerint, quàm victi. Ad xx. hominum millia eo prælio, vtrinq; ferè æquata clade, cæſa traduntur, in his CL. nobiles ex aula regis Gallorum, & quinque militum tribuni, cum totius exercitus imperatore, Foiſſeio. Ex pontificijs legatus, & aliquot duces capti. Ad primum cladis nuntium pontifex, & Ferdinandus ita animo conſternati ſunt, vt alter regnum ſe tueri poſſe diffideret, alter fugã nauigio Oſtiæ præparato adornaret. Atqui reparatis viribus, belliq́; imperatore Ferdinando Conſaluo in Italiam trãſmittere iuſſo, maximè recreati ſunt nouiſſima Francorum clade audita. Nam & ſi ad Rauennam proſperè pugnarant, ita tamen vires eorum attritæ fuerant, vt Venetorum, & Heluetiorum ſub Cardinale Sedunenſe opera, Italia omnino ſeptuageſimo à pugna die maximo fortunæ ludibrio exacti ſint: nam Palicia, qui Foiſſeio ſucceſſerat, quum exercitus reliquijs, certamen cum Venetorum & Heluetiorum, qui paulo antè à pontifice euocati, in Italiam deſcenderant, copijs detrectans, in Galliam ocyſſimè reuerti iuſſus eſt, vt regno ab Anglis, Hiſpanis, & Heluetijs vndiq; vexato opem ferret, Mediolano, & Inſubrum arcibus modico præſidio munitis. Sed & conſilij Piſis inchoati, & Mediolani parum proſperè renouati, patres Heluetiorum timore perterriti, illud repente diſſoluunt, & Lugdunum in vlteriorem Galliam trãsferunt. Gallorum porrò reliquijs ab Heluetijs cæſis, Inſubres aduerſam eorum fortunam conſpicati, receptis armis, Francorum, quorum arrogantiam immoderatamq́; libidinem ferre vix poterant, præſidia omnia eiecerũt. Eo modo paucis diebus Mediolanenſe imperium Gallis eſt ereptum, & Maximiliano Sforțiæ Ludouici Mori filio vti legitimo principi ex Cæſaris auctoritate, cuius beneficiariũ eſt; Iulij II. pontificis, Venetiq́; ſenatus auſpicijs, & vna maximè Heluetiorum virtute reſtitutum, idq́; Laterani in concilio pro Cęſare Matthęus Langus Cardinalis Gurgenſis imperatoris in Italia procurator approbauit. Nec mora, Bononia pulſis Bentiuolis, Rauennaq́; recepta, Parma & Placentia ex fœderis legibus põtifici traditæ: Genua quæ Gallis parebat à Fregoſijs occupata; Veneti Cremam & Brixiam receperunt. Medicei factionis põtificiæ Florẽtiæ reſtituti, perpetuo vexillifero Petro Soderino vrbe exacto. Et quum hęc Heluetiorũ ope præcipuè facta fuiſſent, papa eos multis munerib9 donatos, ſpecioſo Italicæ libertatis aſſertorum titulo decorauit: quibus ſumma cum felicitate geſtis, põtifex cũ imperatore contra Venetos nouum fœdus percuſſit, quod Veronæ Vicetiæq́; imperium Cæſari obſtinatiſſimè cedere recuſaſſent. Quo tẽpore Veneti pontificem infracti animi veriti, ſimulq́; ab Hiſpanis cõtra fœderis leges Brixia turpiſſimè excluſi, cũ Ludouico Francorum rege perpetuo pontificis Hiſpanorumq́; hoſte ſocietatem ineunt, qui nouos cõtra Iuliũ Cardinalium rebelliũ opera tumultus indies in Gallijs excitabat, abbatemq́; Cluniacenſem, quem ſummũ ſacerdotem dicerent, Iulio opponebant. Pontifex Venetorum cõſilijs cognitis, ipſos quos fœdere cum Cæſare facto irritauerat, Francorumq́; amicitiam petere coẽgerat, vt à Gallis auerteret, ſæpius fruſtra tentauit, quo nõ impetrato animi dolore ſenioq́;





ex leui, ſed tenaci febricula, fluente ſenſim aluo confectus, ſchiſmatiſq́; timore, decubuerit, & Romę in Vaticano ix. Kal. Martij hora xj. rebus humanis exceſſit, ſeptuagenario maior, ſalutis anno M D X I I I. pontificatus vero ix. menſe iij. ſupra diem xxj. Lateranenſe adhuc concilio perdurante; bellica gloria pluſquam pontificem deceret clarus. Cadauer in baſilica Vaticana Xyſti patrui ſacello pone aram maximam conditum eſt. Vacauit tum ſedes dies xviij. Fuit Iulius pontifex animo magnus, conſtans, rerum eccleſiaſticarum defenſor acerrimus, contumeliarum inſolens, & contumacibus implacabilis, in calamitatibus ſemper ſe ipſo maior, & excelſior, inuicto animo, rebus proſperis continens, ingenti liberalitate; neque ob alias cauſas tot bella geſſit, quàm vt imperium eccleſiaſticũ à diuerſis occupatum recuperaret. Eccleſiæ Romanæ, Bononiæ, cum Aemilia, & Flaminia pulſis tirannis & Venetis, firmiſſimum imperium, & maximè ſtabile reſtituit, potiundæ Mutinæ eccleſiæ initia dedit, Parmam, Placentiam ditioni eccleſiaſticæ adiecit, ſuorum parum indulgens, eis nihil de vetere eccleſiæ ditione donauit, fratris enim filium Franciſcum Mariam in Ducatu Vrbini à propinquo ſuo Guidone Vbaldo Feltrio ſine prole maſcula decedente adoptari & hæredem conſtitui procurauerat. Piſaurum Ioanne Sfortia ſine hærede mortuo eidẽ ſtipendij debiti nomine aſſignauit. Inter xxvij. Cardinales quos creauit, quatuor tantum è gente ſua Galeottum & Xyſtum ſororis Luchinæ filios S.R.E. cancellarios, item duos conſobrina ſua natos Clementem Mendẽſem, & Leonardum Agenenſem maiorem pœnitẽtiarium ſucceſſiuè, ſeptem antiqua familiaritate & ſeruitio acceptos, reliquos in gratiam principum, vel doctrinæ laude cõmendatos fecit; in his fuere Antonius de Monte, Petrus Accoltus, & Achilles Craſſus Rotæ præſtãtiſſimi auditores, templum S. Petri Vaticanum nouum, veteris parte diſiecta Bramantis eximij architecti opera, portentoſæ vaſtitatis inchoauit. Vir nunquam ſatis laudatus ob eccleſiæ ditionem fortiter conſeruatam, & auctam, quãquam à nõnullis parum probatus, quod armis magis, quàm ſacroſanctum pontificem deceret, deditus eſſe videretur.

## LEO PAPA X.

GEns Medicea, quæ nunc rerum in Etruria potitur, lectiſſimorum virorum prole fœcundiſſima, Florentiæ inter veteres, & honoratas popularis ordinis familias enumeratur. Eam primus magnus ille Coſmus Medices Ioannnis filius, Auerardi nepos, vir in libera ciuitate omnium præſtantiſſimus illuſtrauit, decreto publico pater patrię vocatus. Qui ex vxore Conteſina Barda Ioannem & Petrum filios ſuſcepit. Ioanne iuuene fato erepto, Petrus paternæ potentiæ hæres extitit. Petri filij fuere Laurẽtius & Iulianus, qui poſtea admirabili ſorte geminos Pontifices maximos Leonem x. & Clementẽ vij. genuerunt. Iuliano Pactiana cõiuratione interfecto, ſolus paternarum opum, & potentiæ Laurentius Medices hæres ſuperfuit. Is Clarice Vrſina nobiliſſimi ſanguinis matrona in matrimonium accepta, tres mares, & totidem fœminas tulit. Marium natu minimus Iulianus, medius Leo x. Ioannes ante pontificatũ vocatus, maximus Petrus fuit, qui paterna potẽtia exutus, & patria Gallicis armis Italiã vexantibus ciuili ſeditione profugus, decimo exilij anno in Lyri amnis oſtio ſubmerſus eſt. Huius vxor Alfonſina Vrſina fuit, ex qua Laurentium filium auſpicatioris fortunæ hęredem reliquit. Quem à patruo Leone pontifice eiectis Ruuereis Vrbini ducem conſtitutum, ſed non diu eodem principatu lætatũ ſuperſunt, qui viderunt, ex quo Catherina Henrici ij. Frãcorum Regis vxor legitimã matrimonio, ex maternæ verò ancillæ furtiuo congreſſum Alexander Medices primus Florentinorum dux geniti ſunt. Iuliani verò ex nobili vrbinati vidua Hyppolytus Medices Cardinalis filius fuit. Fœminæ Magdalena, Conteſina, & Lucretia clariſſimis nobiliſſimarum familiarum Cybo, Rodulfæ, & Saluiatæ viris in matrimonium locatæ quatuor Cardinalium parentes extitere Innocentij Cybo, Nicolai Rodulfi Ioannis, & Bernardi Saluiatorum. Natus eſt Leo x. Florentiæ iij. Idus Decembris, anno ſalutis M C D L X X V. patris doctiſſimi, & grauiſſimi ciuis cura à teneris annis bonis moribus ornatus, & optimis diſci- Pont. 229.

plinis,latina græcaq́ue doctrina,muſica item inſtructus,præceptores habuit An-
gelum Politianum,& Bernardum Michelotium,viros græcis,& latinis litteris,
verſu & ſoluta oratione eruditiſſimos.Eum in Laurentij patris gratiam Ludo-
uicus xj.Galliarum rex etiamnum puerum inſigni,& amplo Archiepiſcópatu
honeſtauit.Qui poſtea ab Innocentio viij.adhuc adoleſcens vix tum xiij.annum
excedens,Laurentio patri gratificaturo,qui filiam Magdalenam Franciſco Pon
tificis nato deſponderat,Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariȩ in Dominica pridie
Idus Martij,anno ſalutis ∞ C D X X C I X. cooptatus,ætatis defectu diu Vrbe
abfuit. A puero ſtatim frugi apparuit,mores eius pudici,inceſſus grauis,& ho-
neſtiſſimè eius actiones fuere.Paulo antequàm pater excederet in vrbem Inno-
centio VIII.adhuc pontifice veniens,ſupra bonarum artium notitiam,ex pa-
tris diſciplina ab humanitate,ſuauitateq́; ingenij omnibus charus eſſe cæpit.Vbi
verò de patris morte nuntium accepit:continuò Florentiam eſt reuerſus.Albe-
untem Pŏtifex totius Etruriæ legatum creauit.Rebus compoſitis,& Petro fratre
ad Reipublicæ gubernacula conſtituto,non multò pòſt Romam redijt,vbi pau-
cis inde diebus Innocentius moritur.Comitijs Alexandri præſtantiſſimis ſe Car
dinalibus Senenſi,& Neapolitano adiunxit.Nec multò pòſt in Italiam ingruit
Carolus viij.Francorum rex,cuius vi,ciuiliq́ue diſſenſione,Petro fratre à Rei-
publicæ gubernaculis ſubmoto,& Florentia pulſo,atque cum omni Medicea
familia relegato,Ioannes grauiſſimum fortunæ tælum ſenſit.Medicei patria &
auita dominatione exacti,totos decem & octo annos exules fuere.Quo tempo-
ris interuallo,quum ter tam per veteres amicos pacificè,quàm aperta vi,& inſi-
dijs in patriam regredi in proſpera fortuna tentaſſet,Ioannes excedere Italia tan
tiſper & per externos populos,vt tempori ſeruiret,peregrinari conſtituit,cum
dignitate enim Romæ eſſe non poterat quod Alexander Pontifex Florentinis
tum fœdere iunctus eſſet.Italia igitur omni Germania,& Gallia peragratis Ge-
nuam in Ligures profectus,apud Magdalenam ſororem aliquandiu ſubſtitit;
denuoq́; ſed parum proſpere in patriam reditus fortunam tentauit.Nam Floren
tini perpetuum dictatorem Reipublicæ Petrum Soderinum conſtituerant.Per
id tempus Petrus frater in oſtio lyris fluctibus maris obrutus interijt,ſuperſtite
Laurentio filiò.Romam deinde mortuo Alexandro cum redijſſet bello,quod
Iulius II.& Hiſpanus rex adiunctis Venetis cũ Gallorũ rege Ludouico xij.gere-
bat,legatus eſt creatus,adiuncta inſuper totius Aemiliæ adminiſtratione.Cla-
de Rauennati à Gallis captus,quum eius abeuntibus è via aufugiſſet,Raimundũ
Cardonium Hiſpanicas copias infelici pugnæ ſuperſtites reparantem adijt,eum-
q́ue adiuuante pontifice Florentinorum,qui Piſis conciliabulo locum dederãt,
hoſte ſibi cõiunxit.Cuius ope expugnato Prato,quum Florentiam tenderet pri-
uſquàm ab aduerſarijs præſidia parari poſſent,à beneuolis propinquis ſuis in pa-
triam cum familia omni eſt receptus.Ibi Petro Soderino perpetuã dictaturã ab-
dicante rempublicam ad arbitriũ conſtituit,Iuliano fratre in patria principe re-
licto.Quarto mẽſe pòſt Iulio II.mortuo,quum ad vrbem veniſſet,comitium in
Vaticano ingreſſus,Cardinalium iuniorum Arragonij,Gonzagæ,Cornelij,Pe-
trucij,Saulij,& Sedunẽſis in primis opera,v.idus Martij anno Domini MDXIII.
trium,& xx.Cardinalium ſuffragijs,Pontifex maximus renũtiatus,xiiij.Kal.A-
prilis inauguratus eſt,& iij.idus,anniuerſario cladis Rauẽnatis die,magnificen-
tiſſimo apparatu,tota vrbe aulëis,& feſtiuis frondibus,arcubusq́; ornata,baſilicã
Lateranenſem veteri pontificum inſtituto viſitauit.Initio pontificatus Europã
omnem bellicis turbinibus agitatam,remq́; eccleſiaſticam ſchiſmate penè dila-
pſam ſedare,& reparare ſtudens,pacem ſeu inducias inter Chriſtianos principes
per legatos tractauit,vt feralibꝰ odijs pacatis,& diſcordibus animis lenitis,teter-
rimis ſeditionibus,ciuilibus diſcordijs,& inteſtinis malis ſublatis,Italiȩ pacẽ,cu
ius in primis amantiſſimus fuit,afferret,homo quieti,& voluptatibus deditus.
Illudq́; agebat,vt his omnibus compoſitis,bellum cõmuni hoſti Turcæ inferre-
tur.Maximiliano Sfortia in Mediolanenſi principatu cõfirmato,Heluetios,qui
ei præſto fuerant,magnis ſtipendijs proſequutus eſt.Cardinales à Iulio II.ordine
ſenatorio amotos,& priuato habitu Romã ad ſe ſupplices veniẽtes,eiurato ſchiſ
mate,



mate,conciliorumq́; Piſani,Mediolanenſis,& Lugdunenſis actis inductis in pri
ſtinas dignitates reſtituit.Concilium à Iulio Laterani cœptum multis de cauſis
celebrandum,perficiendumq́; curauit.Mutinam à Maximiliano Cæſare xxx.au
reorum millibus coëmit.Bello inter Cæſarem,& Venetos ob Veronæ,Vicetiæ-
q́ue imperium adhuc vigente,totus in eam curam incubuit,vt pax inter eos æ-
quis conditionibus fieret.Heluetijs magnis ſtipendijs in Sfortiæ auxilium con-
tra Gallos euocatis,Octauianum Fregoſium Genuenſium imperio præfici cura-
uit Francorum rege Ludouico xij.edaci febre vita functo,quum qui ei ſucceſſe-
rat.Franciſcus Valeſius gener bellum Inſubrum Duci Maximiliauo Sfortiæ in-
tuliſſet,noua rurſus arma Italiam turbare cœperunt.Gallus enim & Anglus re-
ges cũ Venetis fœdere iuncti,Maximilianum Sfortiam Cæſaris,Heluetiorum,
& Hiſpanorum regis armis munitum aggreſſi fuerant.Pontifex quod Galli Par-
mam,& Placentiã ſe repetituros pulſo duce minitabantur,Sfortiæ ſtudebat,Hel
uetiasq́; cohortes magnis præmijs auctore Cardinale Sedunenſe legato in ſua fi-
de continebat.Interim Francorum rex Franciſcus validiſſimis copijs inſtructus,
quum Heluetij bellum adornarent,in Italiam deſcenderat,pontificij exercitus
imperator Iulianus Medices pontificis frater creatus.Pugna ad Melenianum
commiſſa,Heluetijs ad internicionem penè cæſis,rex Mediolanum nullo nego-
cio obtinuit.Sfortia qui ſe ei dederat in Galliam miſſus,xxxv.millium aureorũ
redditu pro principatu à rege impetrato.Placentia,& Parma,quæ Iulius papa II.
eccleſiæ adiecerat à Francis pontifici repugnare non auſo occupatæ.Leo ponti-
fex quum Gallica arma plurimum formidaret,parere præſenti fortunæ,& cũ vi-
ctore amicitiam inire conſtituit.Ludouici igitur Canoſſȩ Veronenſis pontificij
legati opera,papa à rege pacem petijt,cui ineundi rex,& pontifex Bononiam cũ
ingenti apparatu ſe contulerunt;ibi pacis conditionibus tranſactis,rex Mediola
num,& mox relicto in Inſubribus Borbonio,in Galliam eſt reuerſus.Redijt &
Leo Florẽtiam,deinde vere nouo Romam.Nec multo poſt Florentiæ Iulianus
frater nulla edita è Filiberta coniuge prole moritur,qui ducis Allobrogũ ſoror,
Francorum regi conſanguinitate coniuncta erat.Ferunt Leonem X.aliquando
cogitaſſe,Iulianum fratrem ex Maximiliani Cȩſaris,cũ quo fœdus percuſſerat,&
eo mortuo Laurentium fratris filium ex Caroli v.auctoritate,Lucẽſium,& Se-
nenſium imperio beneficiario iure præficere,cui ipſe Vrbinũ,& Ferrariam vete-
ribus Regulis pulſis adiungeret,ſed hæc conſilia Iuliani,& Laurentij immaturæ
mortes diſturbarunt.Iuliano igitur extincto,Laurẽtius Petri fratris filius rebus
Etruſcis prȩficitur,ita conſtituta republica,vt amiciſſimorum ciuium induſtria
regeretur,ſumma conſiliorum ad eum vnum reſpiceret.Quem quum pontifex
matris Alfonſinȩ precibus maiori indies cum imperio,& dignitate eſſe percupe
ret,vt ſunt mortaliũ deſideria,quæ in immẽſum aucta,nullis demũ terminis cõ-
tineri poſſunt,leuibus quibuſdam occaſionibus quæſitis,Franciſcũ Mariam Fel-
trium Ruuereum Vrbini ducem ſibi ſuſpectum,& inuiſum,armis aggreſſus eſt.
Quem miſſis copijs Rentio Cærite duce,Vrbino,cæteriſq́; eius ditionis oppidis,
atque vrbibus ſpoliauit,Laurentio fratris filio duce conſtituto.Ipſe Feltrius cũ
vxore,& liberis recedẽs Mãtuam ſe recepit.Felterio pulſo,nõ ſine ingrati animi
nota Borgeſium & eius fratrem Alfonſum Cardinalem Petruccios,Pãdulfi Se-
nenſium tyrãni filios patria expulit,imperio ciuitatis,ad Raphaëlem Petrucciũ
veterem amicum,& qui quondã exilij comes extitiſſet,tranſlato.Hinc odij inter
pŏtificem,& Alfonſum origo,quod eo vſq; proceſſit,vt ipſe ira immodica effer-
uens,de necãdo pontifice nefaria cõſilia agitarit,quæ cognita exitio ei fuere.Nõ
diſſimili animo,quanquam diſpari euẽtu,Leo ducem Ferrariæ Alfonſum diu-
tinis inſidijs afflixit,verum vir militari gloria præſtans,& munitiſſima ciuitate
tutus,vim Leonis aduerſosq́; conatus fregit.Obierat per hæc tẽpora catholicus
Hiſpaniarum,rex Ferdinãdus Hiſpaniæ,Neapolis,atq; Siciliæ regnis Carolo ne-
poti iure hæreditario relictis.Tum Heluetij,qui nihil de priſtina armorũ ferocia
etiam inſigni paulo ante clade ad Melenianum accepta remiſerant,cũ Maximi-
liano Cæſare fœdus percuſſerunt,vt conſociatis viribus Gallos Italia depellerẽt,
fruſtra reclamante pŏtifice,qui pacem quaqua ratione,quàm arma in Italia ma-

lebat,& propterea ad Cæſarem, Egidium Viterbienſem Cardinalem ſingulari eloquentia præditum,legatum miſerat. Galli Heluetiorum,& Cæſaris armis nō ſine gloria contuſis, Venetis adiuncti Brixiam de Hiſpanis vi, Veronam verò de Cæſare ſolutis cc. aureorum millibus receperunt. Quo anno qui fuit ∞ DXVII. res Italicæ maximis bellorum turbinibus agitatæ aliquantiſper compoſitæ ſunt. Fuit annus, tum pace Italica,& alijs quibuſdam rebus admodū memorabilis, tū Romanæ eccleſiæ grauiſſimus, ac peſtilentiſſimus. Tunc enim Martini Lutheri hæreſiarchæ infandū nomē ex vltimæ Germaniæ finibus audiri primo cœptum eſt. Selymus Turcarum imperator duobus Sultanis victis & interfectis, Syriæ, & Aegypti ampliſſima regna obtinuit, maximo cum Chriſtianorum omnium, quorum ceruicibus imminebat, terrore. Vnde Leo ſolennes illas habuit ſupplicationes, qua pedibus diſcalciatus cum omni Romana aula à ſancti Petri baſilica ad ſanctæ Mariæ de Minerua templum profectus eſt, ſacratis omnibus ferculis, ſanctorum reliquijs & imaginibus in pompa delatis, Dei opem aduerſus efferati tyranni vim implorans, quas exaudiſſe Deus viſus eſt, immani parricida paulò pòſt ex cancri morbo extincto,& mitiore filio Solymanno tanti imperij ſucceſſore relicto. Eodem anno Petruciana coniuratione detecta, Pontifex Cardinales aliquot, qui aduerſum ſe coniurauerant, vel eius conſilij conſcij fuerant cepit, & dignitatibus omnibus priuatos ſenatorio ordine mouit: ex his Alfonſus Petrucius conſpirationis princeps in Hadriani mole Orlandi Ethiopis manu eliſis faucibus ſtrangulatus, Hadrianus Cornetanus qui aufugerat, rubri pilei honore priuatus, Raphaël, Riarius,& Bendinelus Saulius ordine amoti non longè pòſt reſtituti. Soderino in Fundanum agrum liberum exilium conceſſum. Quapropter quū tot afflictorū Cardinaliū pœnis ſenatū nōnihil cōtumacem haberet, nouis patrib⁹ ſibi opus eſſe dictitās, vna lectione, incredibili liberalitate, vnū & XXX. Cardinales ex toto terrarum orbe conquiſitos partim pretio, partim virtutis cauſa, in his ſucceſſorem ſuum Hadrianum VI. creauit. Nam pręter quatuor veteres reſtitutos, ad duos,& xl. patres in ſenatum varijs lectionibus cooptauit. Prima creatione Iulium Medicem patruelem ſuum, quē & cancellarium fecit, Cardinalem dixit, qui pòſt Clem. VIII. fuit. Exindead totius Europæ reges è Cardinalibus virtute ac eloquētia inſignes legatos miſit, Thomam Vium Caietanum ad Cæſarem, Bernardum Bibienam ad Gallum, & Egidium Viterbienſem ad Carolum Hiſpaniarum regem, vt ſublatis offenſionibus, communi conſilio viribus conſociatis impotenti tyranno, bellum terra mariq; ad publicam tuendam ſalutem inferretur. Sed fatali Chriſtianorum principum ſocordia, Leonis ſaluberrima conſilia perierunt. Nec multò pòſt Maximiliano Cæſare defuncto, Carolus nepos Hiſpaniarum rex Franciſco Francorum regi competitori prælatus, imperator deſignatus eſt, legis venia à Leone VII. millibus aureorū annuorum impetrata, qua cautum erat, ne Neapolitanus rex, Cęſar deligi poſſet. Quo tempore Laurentius Medices ab iuuenili intemperātia concepto lethali morbo, Florētiæ interijt; vxorem is duxerat è Galliæ regis cognatione: nā Feltrio pulſo, Vrbinoq; occupato, Laurentius totum ad Franciſci Frācorū regis fidē amicitiamq; ſe cōtulerat. Laurentio mortuo pontifex Iulium Cardinalem Florentiam miſit, vt reipublicæ præeſſet. Paulum Baleonem è Peruſia Romam euocatum, eiusq; lenitati impenſe cōfidentem in arce ſecuri percuſſit. Amadeū Ricinatiū tyrannum ſuſpendi iuſſit. Cæſari deinde fœderi cōiunctus, arma Gallis intulit, vt ijs Italia pulſis, Franciſcus Sfortia Mori filius iure paternæ hæreditatis Mediolanenſe imperium obtineret, Placentia verò & Parma à Gallis impotenter ereptæ Leoni reſtituerentur. Summa belli Proſpero Columnæ demandata eſt, pontificijs copijs præfuit Fridericus Gonzaga Mantuæ princeps. His adiūcta ſunt Germanorum,& Heluetiorū auxilia: legatus totius exercitus Iulius Medices deſignatur. Hi coactis copijs, Mediolanum,& Inſubres omnes, pulſis breui tempore Gallis, qui ſuperbia,& ſæuitia iam ferri non poterant, occuparūt. Ducatus Franciſco Sfortiæ Cæſaris auſpicijs ex fœderum lege datus, Parma, & Placentia eccleſiæ reſtitutæ. Tantæ victoriæ nuntio, quum in Manliana villa eſſet, accepto, pontifex incredibili gaudio eſt affectus, nec multò pòſt priuſquam cœnaret,

obriguit,



obriguit, ſenſimq; exorta eſt febris, lenis quidem, ſed quæ ei ſuprema fuit. Ob id ſequenti die in vrbem reuectus, aliquot diebus pòſt creſcente morbo, Romæ in Palatio ad iiij. nonas Decembris hora noctis præcedentis vij. non ſine veneni ſuſpicione rebus humanis exceſsit, anno ſalutis ∞ DXXI. ætatis xlv. menſe xj. die xxj. pontificatus verò viij. menſe viij. die xx. Ferunt eum paucis horis antequam è vita migraret, ſupplicem Deo gratias egiſſe, conſtantiſsimeq; profeſſum eſſe, ſe æquo animo mortem ferre, poſtquam Parmam, Placentiamq; ſine vulnere recuperatas vidiſſet. Porro autem paulò ante obitū, ſanctum Franciſcum Paulenſem Calabrum, Franciſco rege petente, ſanctorum confeſſorum albo adſcripſerat. Fuit enim rerum diuinarum diligens obſeruator, ſacris cæremonijs deditus, corpore procero, decora facie, naſo grandiore, oculis cæcutiētibus,& cæſijs, aſpectu grato, & venerabili, in dicendo elegans, ſententijs grauis, ingenio peracuto, in audiendo patiens, in loquendo prudēs, elogio facilis, aditu omnibus permiſſo. Iuſtitiæ acerrimus cultor, nam & graſſatores cohibuit,& ex ijs multos capitali pœna affecit. Id vnum ei datum, quod voluptatibus, venationibus, aucupijs effuſe deditus, luxui, & ſplendidiſsimis conuiuijs, muſicæq; magis quàm tantum pontificem deceret, totus impenderet. Pecuniæ quærendæ cauſa (quum multa tum ædificijs, tum effuſis largitionibus & bellorum vſibus abſumpſiſſet) pretio cardinales aliquot legit, & officia quædam venalia excogitauit, vt cubicularios, Scutiferos milites, S. Petri, & Ripæ Portionarios. Fuit omnium, qui ad eam diem fuerant Romanorum pontificum liberaliſsimus, muſicos magnopere amauit, quum eſſet eius artis peritiſsimus. Doctos,& eruditos viros coluit, & magnis muneribus perſequutus eſt. Nihil enim antiquius duxit, quàm bonarum artium ſtudia maiorum ſuorum, maximeq; Laurentij patris exemplo prouehere,& liberaliſsimè exornare. Ante omnia ab epiſtolis Petrum Bembum,& Iacobum Sadoletum, omnium literatorum eloquētiſsimos habere voluit. Vaticanæ bibliothecæ Beroaldum iuniorem præfecit, Gymnaſium Romanum accitis vndequaq; grauiſsimarum artium præſtantiſſimis profeſſoribus inſtaurauit, Auguſtinus Niphus Sueſſanus philoſophiam, Chriſtophorus Arretinus medicinam, Hieronymus Butigella iuris ſcientiam profitebantur, humaniora vero ſtudia Ianus Parrhaſius Conſentinus, græcas literas Baſilius Calchondiles Demetrij filius docebat. Singulos verò, vel mediocri nominis litteratos magna liberalitate ſubleuabat, Romanis porro vectigal ſalis imminuit, conſeruatorum poteſtate amplificata, eosq; præmijs, ac immunitatibus multis, publice priuatimq; eſt proſecutus. quā ob rem ſolenni decreto, fratrem eius Iulianum ciuitate donatum inſigni maximoq; apparatu, cōuiuioq; in Capitolio,& varijs ludicris ſcænicisq; artificijs ſuſceperūt, & ei ad teſtificandum gratiſsimi animi ſtudium, marmoream ſtatuam in palatio Capitolino dedicarunt, cum hac inſcriptione,

OPTIMO PRINCIPI LEONI X. MED. IOAN. PONT.
MAX. OB RESTITVTAM INSTAVRATAMQ. VRBEM
AVCTA SACRA BONASQ. ARTES ADSCITOS PATRES
SVBLATVM VECTIGAL DATVM CONGIARIVM S.P.Q.R.

Eius pontificatu, quem omnium lætiſsimū, ac beatiſsimum Roma vidit, Emanuël Luſitaniæ rex elephantem ad vrbē miſit, ante mille annos Romæ non viſum, pōtificiq; nobiliſsimas ſacratas veſtes margaritis refertiſsimas dono dedit. Aedificandi ſtudio incenſus baſilicā Vaticanā miro artificio à Iulio II. inchoatam perficiendā, quantum in eo fuit, magno animo ſuſcepit, palatiū Vaticanū triplicibus longis & præamplis portubus eximia ſtructura, auratis laquearibus, egregijs, nobiliſsimiq; operis picturis ſplendidiſsimum fecit, Deiparæ virginis ædē cui cardinalis præfuerat in mōte Cælio à fundamētis penè refecit,& laqueari aureo exornauit, lauacrū Conſtantini Lateranenſe ruinā minitans reſtituit, laminis plumbeis tectū reparauit, pyrgorum portu cœnu,& ſaxis repletū publicæ commoditati purgato, oppidum muro cingere cœpit. Arcē mōtis Flaſconis,



Corneti,

Corneti, cardinalis Vitelleſci, & in multis patrimonij oppidis peramplas ædes, vel reſtituit, vel à fundamentis ædificauit, Manlianam villam aqua corriuata, elegantiori ædificio exornauit, Romæ ſancti Alexij caput argentea theca cluſit, aulæa è Belgis ſerica, auroq; intertexta quinquaginta aureorum millibus, ſacelli pontificij ornamento coëmit. Poſtremo nihil ardentius, quàm liberalitatis ſummam gloriam, à qua cæteri ſacerdotes abeſſe longè conſueuerunt, in omni vita expetiuit, eos principe loco indignos exiſtimans, qui nequaquam benefica, & larga manu fortunæ muneribus, & ijs præſertim, quæ nullo, aut paruo labore parta ſunt, vteretur: ſacerdotium nullum vnquam venale propoſuit. Hoc modo vrbem Romam moderantem cunctis læta pace fruentibus mors præpropera adhuc ætate florentem eripuit. Cadauer in baſilica Vaticana latericio tumulo tum ſepultũ, poſtea Paulo III. ad Mineruæ ædem cum Clementis corpore tranſlatum, & nobiliſsimo marmareo monumento conditum eſt. Vacauit eo mortuo, ſedes Romana menſem vnum, dies vij.

## HADRIANVS PAPA VI.

HAdriani VI. patria Traiectum fuit, inferioris Germaniæ ad Belgicum oceanum vrbs, quæ prouinciç nomen dat, ac inter Batauos & Cananefates principem locum tenet. Ipſe natus eſt vj. nonas Martij anno ∞ CD LIX. Patrem habuit Florentium, qui familiæ nomen tulerat, virum ex ingenua plebe (quemadmodum ipſe de ſe ſcribebat) & vt alij addunt, aulæorum textor (quanquam pleriſque placeat coctoris ceruiſiæ miniſtrum eum fuiſſe) probus tamen & frugi. Is adeo anguſta domi, re familiari vtebatur, vt filio, ad bonas artes propenſo, vnde ſubueniret, non haberet. Itaque Louanium miſſus Hadrianus, impetrauit, vt in pædagogio Portiorum gratuito nutriretur. In quo vetere inſtituto, honeſtis atque ingenuis adoleſcentibus egeſtate preſsis, in aliquot annos ad bonas artes perdiſcendas, alimenta ex publico præbentur. Per hũc modum Hadrianus patre Florentio annuæ impenſæ metu liberato, cum incredibili vitæ integritate & continentia ſeſe totum liberalibus diſciplinis ita dedit, vt breui tempore inter dialecticos, philoſophos, mathematicos, & theologos principem locum obtinuerit. Sed nec pontificij iuris expers fuit. Cuius virtutem & caſtiſsimæ vitæ famam, quũ Margarita Cæſaris Maximiliani filia, quæ tum Belgis imperabat, audiſſet, eum nihil tale expectãtem ſacerdotio parœciali in Hollandia liberaliter honeſtauit. Nec multò pòſt, ob hanc morum doctrinæ præſtãtiam, ſacerdotum omnium ſuffragijs, Decanus Louanij in templo maximo eſt effectus, qui ſummæ dignitatis gradus eſt. Id ſacerdotium alium quoque honorem ſecum traxit, in gymnaſio ſummum. Vicecancellarius enim, vt vocãt, creatus eſt, qui in ſcholis collegiorum omnium cuncta moderari ſolet. Ab hoc ſacerdotio magiſtratuq; ditior factus, nil mox antiquius duxit, quàm Louanij Collegium, ſub Hadriani nomine ædificare, adiunctis redditibus, quibus ſtudioſi adoleſcentes inopes cum doctoribus ſuſtentarentur. Quod aliquot annorũ interuallo abundè præſtitit, non ſine maxima omnium admiratione. Per id tempus Philippus Hiſpaniarum princeps, Maximiliani Cæſaris filius, apud vrbem Burgos morbo correptus interijt, Carolo ſeptenni filio, qui poſteà Imperator fuit, relicto, huic ipſe auus Cæſar quum præceptorem eſſet daturus, vnum Hadrianum præcipua quæſitum cura delegit, his qui ſe ambitioſe obtulerant, vel amicorum ſtudio perducti ingenium varijs artibus oſtentabant, reiectis. Apud Carolum ipſo in munere aliquandiu vixit. Cui ſumma in eo puero excolendo felicitas defuit. Nam Carolus quum mores in principe literis potiores exiſtimaret, nec his perdiſcendis tantum operæ vel temporis, quantũ equorum & armorum ſtudijs impartiendum arbitraretur, deprecante præceptore citius quàm debebat, ſcholã deſeruit. Vnde haud longè pòſt Hadrianus ad Ferdinãdum regem in Hiſpaniam mittitur ampliſsimo cum legationis munere. Apud quẽ tantum gratia & auctoritate valuit, vt breui Derthuſenſis epiſcopus ab eo renũtiatus ſit, & in eodẽ legatiõis munere obeundo, vſq; ad eius vitæ exitũ perſeuerauit. Mortuo Ferdinando, quũ Carolus nepos ſummo populorũ ſtudio tot regnorũ hære-

ditatem



ditatem conſecutus eſſet, remanſit etiam tum in Hiſpania, ex legato conſiliorũ rerumq; omnium particeps & moderator effectus. Summa enim regendæ Hiſpaniç penes Cardinalem Toletanum erat. Quo in munere abſens, ob egregiam nominis famam tum cognitus, commendationeq; Cæſaris Maximiliani expetitus, à Leone X. anno ∞ DXVII. Kal. Iulij magna illa vnius & xxx. Cardinalium lectione, in patrum collegium eſt cooptatus, & titulo Pammachij SS. Ioannis & Pauli præfectus, ſequenti anno Carolus confirmata cum Franciſco Frãcorum rege ad Nouiodunum amicitia in Hiſpaniam venit, circumactiſq; vlterioribus prouincijs paſsim ciuitates ac Regulos in verba ſua iurantes ſacramento adegit. Nec multò pòſt Cæſar Maximilianus in Germania moritur. Inde pro nouo Cæſare diligendo procerum comitia habita. Quibus etiam ipſe Francorũ rex magnis innixus largitiõibus eum pro ſe honorem petebat. Sed eo repulſam ferente, Carolus omnium ſuffragijs prælatus Cæſar appellatus eſt. Qua imperij maieſtate auctus, vti neceſſe erat, quàm primùm in Germaniam redire cõſtituit, vt de more patentibus campis & Cæſar, & imperator militaribus comitijs acclamaretur. Itaq; eo in Germaniam contendente Hadrianus cum imperio toti Hiſpaniæ præficitur, tanta cum dignitate, vt Cæſar recuſantem & peroptantem ſequi, humaniſsimè vt manere vellet exorare cogeretur, quando rege abſente in Hiſpania præſide opus foret præclaræ dignitatis & famç, qui populos nouo principatu nequaquam adhuc parendi obſequio confirmatos, omnibus moderationis & iuſtitiæ exemplis in officio contineret. In cuius imperio coniurantes contra Cæſarem cum aliquot regulis vlterioris Hiſpaniæ populi auctoribus Padillia & Brauo; Indaci Vellaſci, & Friderici Henrici, quos pari cum imperio ei negocio & expeditioni Cæſar præfecerat, tantæ cõſpirationis ducibus vltimo ſupplicio affectis, domiti, & imperata facere ſunt coacti. Seditionem Hiſpanicam, bellum Gallicum eſt conſecutum, quod eorundem ducum fortitudine recuperata Nauarra à Gallis occupata, egregiè & feliciter trãſactum eſt. Quo tempore Leo papa leui ab initio & ferè contemnenda, ſed mox vehementi atq; mortifera febre inopinantibus medicis extinguitur. Tum cardinales nouemdialibus defuncto perſolutis, ad comitia in Vaticano coëũt. Aduenerat Mediolano mutatis ad celeritatem equis Iulius Medices pontificis mortui patruelis, qui pulſis Gallis apud exercitum legatus erat. Is multos ſibi deuinxerat cardinales & xvj. præſertim iuniores à Leone paulò ante creatos. Cuius præcipuè opera, quum ipſe repugnante aduerſa ſeniorum cardinalium factione pontifex fieri nõ poſſet, vt & hi qui eum oppugnabant, ſummo ſacerdotio, ad quem totis viribus anhelabant excluderentur, præter omnium expectationem Hadrianus ipſe v. idus Ianuarij anno ∞ DXXII. abſens iix. & xxx. patrum ſuffragijs pontifex maximus eſt renuntiatus. Qui comitiorum actis ad victoriam Vellicam Cantabriæ vrbem ſuſceptis, altero die pòſt pontificalia inſignia ſuſcepit. Petebant per literas patres, vt poſteaquàm legitimis omnium ſuffragijs pontifex eſſet creatus, quàmprimum paratis ad nauigandũ rebus omnibus in Italiam maturaret, bello & ciuilibus diſcordijs acerrimè oppreſſam. Venit ad ipſum Cæſare Auguſtæ tunc agentem, Alexander Cardinalis Cæſarinus ab vrbe, qui Põtificem ſacri ſenatus, & Romani populi nomine vehementer impellebat ad nauigandum, vt Italiam atrocibus bellis, & in primis Romani pontificis prouincias, ab ipſa factionum inſania, cædibus ac incendijs expoſitas, maturo aduẽtu liberaret. Profectione igitur in Italiam edicta, ipſe Tarraconæ prid. non. Auguſti profectus, leniſsimis tempeſtatibus Genuam peruenit, vbi à totius Galliæ proceribus viſiſitatus eſt. Inde ſecundiſsima nauigatione ad Liburnũ Piſanum portũ deuectus, obuios habuit Iulium Medicem cum quinq; cardinalibus, & totius Italiæ principũ legatos, Frãciſcumq; Gonzagam Mantuanum regulum, põtificij exercitus imperatorem. A quo portu ſecunda vigilia ſoluens breui Pyrgos eſt deuectus. Ibi fuere à ſenatu miſsi Pompeius Columna, & Franciſcus Vrſinus Romani Cardinales, qui exceptum ſub vmbella pontificem ad templũ deduxerunt, vbi oratio à Pompeio Columna habita eſt, ei lætitiæ accommodata. A Pyrgis poſtridie oſtiam, inde Tiberi ad S. Pauli monaſteriũ ſubuectus, ea nocte cõquieuit. Altera

die

die ad iij. Kal. Septembris populus Romanus, ſinguliq́; ſacerdotum ordines, ſo-
lenni pompa per vrbem inuectum, ad Vaticanum palatium deduxerunt. Ibi an-
te fores baſilicæ S. Petri vetere inſtituto poſtridie prid. Kal. coronatus eſt. Tum
totum ſe præbuit vrbanis magiſtratibus, vt cuncta ſigillatim cognoſceret, opeḿq;
afferret labanti Reip. nam Romæ peſtilentia vulgus inuaſerat, & ærarium non
modò exhauſtum, ſed & gemmæ, publicæ, & ſacrorum ſolennium ornamenta,
fœneratoribus à Leone, & interregni tempore oppignorata erãt, vt præſidia af-
flictis rebus pararentur. Ariminum occupauerat Sigiſmundus Malateſta, Tur-
cæ incredibili apparatu mari Rhodon, terra Pannoniam vexare nuntiabantur.
Quibus de cauſis pontificem rerum Italicarum penitus ignarum vehementer
conturbari neceſſe erat. Põtificijs igitur negocijs intentus, Guillelmum Encha-
uordium, quem Datarium & Derthuſenſem epiſcopum fecerat, Theodoricum
Heziũm à ſecretis Belgas, & Ioannem Rufum epiſcopum Conſentinum veteri
amicitia ſibi coniunctos, intimos conſiliarios adſciuit. Quorum arbitrio om-
nibus in rebus regebatur. Horum igitur conſilio pontifex Sigiſmundum Mala-
teſtam bello aggreſſus Arimino expulit, adiuuantibus Ferrarienſe & Vrbina-
tium ducibus. Nec multò pòſt ad pacandam Italiam conuerſus, Alfonſum Eſtẽ-
ſem Ferrariæ, & Franciſcum Mariam Ruuerum Vrbini duces in gratiam rece-
pit, decretis ijs antiquatis, quæ contra eos Iulius II. & Leo X. ediderant. Miſit &
legatum ad Venetos, vt eos Cæſari coniungeret, nouisq́; initis fœderibus Gallus
ab Italia procul arceretur. Frãciſcum Soderinum veterem Cardinalem arcana-
rum rerum, & intimorum conſiliorum participem in Hadriani molem cõclu-
ſit, quum eius litteras Iulij Medicis Cardinalis opera intercepiſſet, quibus Fran-
ciſcum Gallorum regem ad transferendum bellum in Siciliam exulum multi-
tudine, & Hiſpanorum odio nouandis rebus oportunã, hortabatur, & Cæſaria-
ni ab Inſubribus ad tuendum id regnum traherentur, monebatq́; vt nihil põti-
fici temerè crederet, qui quũ de pace agere videri vellet, Cæſari tamen perpetuo
ſtudio obſequeretur, nec quicquam magis exoptaret, quàm eum nouis victorijs
auctum conſpicere, neq; eum in componenda pace æquum iudicem exiſtimare
debere, qui in attollẽdo Cæſare parentis & præceptoris officia ſemper impleſſet.
Quare incitatus pontifex, aliquãto ſuſpicatior, & ſenatui minus familiarior eſ-
ſe cœpit, quum ab ijs prodi ſe quereretur, quibus ſummopere confidebat. Rarius
igitur cunctis conſilia ſua communicare, & eis nõ ſine magno omnium ſtoma-
cho neglectis, hominibus tantum Belgis, quos præclara fide eſſe aiebat, fidere.
Mox quoque ſuccurſum voluit vrbi Rhodo, quæ tertium tum menſem à Soly-
manno Turcarum Imperatore grauiſsima obſidione premebatur, cuius ſalutẽ
maximum eſſe momentum ad reliquarum prouinciarum Chriſtianæ ditionis
ſalutẽ minimè ignorabat, niſi quòd ratio, qua id commodè fieret, iniri non po-
terat, deficiente ſcilicet belli neruo pecunia, neq; pro expedienda ea morã re pa-
tiente. Verſabat quidem ſe in omnes cogitationes, accerſitis patribus, ſi quid illi
præſentis fidiq; conſilij afferrent, implorata fide omnium, quorumcunq; pote-
rat, miſsis literis ad Siculos, Neapolitanos, Hiſpanos, ad quoſcunq; deniq;, vnde
aliquid ſubſidij affore poſſet ſperare. Contractasq́; aliquot naues apud Genuen-
ſes, milite, commeatu, armisq́; quantum potuit inſtruxit, inſtructasq́; Rhodum
verſus miſit. At verò dum ventus nauibus deeſt, & ij quorum auxilium implo-
rarat, prolatando tempus omne idoneum ſi quod erat nauigãdi conſumunt, ac
Turca indies acriùs obſidionem vrget, ſpe omni præſidij poſita Rhodij pacti in-
columitatem vitæ rerumq́;, deditionem fecere, ipſo die nato Chriſto ſacro, an-
no humanæ ſalutis MDXXII. cum ingenti eius mœrore, quòd tãta clades rei-
publicæ Chriſtianæ illata, eaq́; labes nomini ſuo apud poſteros, licet immeren-
ter, aſſcribenda eſſet. At quid potuit ſolus? inani ærario? in ſumma monarcharũ
diſcordia? Germania tot ſuperſtitionibus corrupta? & adeò deniq; omnibus à re-
uerentia ſacroſanctæ ſedis alienatis? Si idem religionis ardor, idem pietatis ſtu-
dium, principũ animos, proximis aliquot ſæculis habuiſſet, qui Gotthofredum
Bulonium, Hugonem Magnum, Tancredum, Robertos, & reliquos proceres
ſacri belli, quum Hieroſolyma recipiebatur, haud dubiè etiamnum Rhodus
noſtra



noſtra eſſet, neq; Rhodus modò, ſed etiam clariſsima illa duo imperia Conſtã-
tinopolitanum, & Trapezuntinum, & reliqua Græciæ regna longè florentiſsi-
ma. Verùm ô mores, ô tempora, locum habet adagium, Olim fortes Mileſij. Po-
teſtq́; Eccleſia Catholica iure optimo illud Hieremiæ deplangere: Non eſſe qui
ſe conſoletur ex omnibus charis ſuis. Omnes amicos ſe ſpreuiſſe, & factos ſibi
inimicos. Sed quærelæ alibi locus ſit. Eodem die atque adeò eadem penè hora,
qua Rhodus dedebatur, ſaxum ingens è ſuperiore limine portæ ſacelli Pontifi-
cij in Vaticano prodigiosè decidit, cùm Pontifex vno aut altero non amplius
paſſu à limine abeſſet, iam ingreſſurus pro religione diei, ad faciendum ſolenne
ſacrum, oppreſsitq́; vnum ex Heluetijs, qui ex more cuſtodiæ corporis eius ad-
hibiti erant. Inter hæc non minore ſollicitudine Lutheraniſmum profligare
nititur. Cõuentus erat principum, liberarumq́; ciuitatum Germaniæ apud Nu-
renbergam. Huc Franciſcum Cheregatum mittit, ſibi anteà in Hiſpania cogni-
tum, dum is illic nuncius Apoſtolicus ageret, tum recens à ſe, propter opinionẽ
virtutis, præſulem Fabrianenſem declaratum, qui verbis ſuis acerrimè Germa-
nos hortaretur, ſi ditiones quoque ſuas ſaluas vellent, nollentq́; omnia ſua eti-
am fœde euaſtari, mitterent auxilia primo quoq; tempore, abrupta omni tergi-
uerſatione, proximè ſito Ludouico Vngariæ Regi adoleſcenti, tum de impetu
Turcarum grauius laboranti, quàm vt ſolus poſſet reſiſtere, neq; ſinerent nobi-
liſsimum regnũ, quod vniuerſæ Germaniæ velut firmiſsimus obex præiaceret,
immaniſsimo hoſti prædæ fieri, qui alioqui ad ipſos quoq; pronum acceſſum ha
biturus eſſet: Simul exploderẽt impia dogmata à literis ſacris, traditisq́; Eccleſiæ
& priſcorũ patrum aliena, quę apud eos paſsim ſuboleſcerẽt, memores quãto ar-
dore maiores eorũ religionem ſanã, remq́; Catholicã olim aſſeruiſſent, à quibus
degenerare, cùm ad famã turpe, tum verò impiũ foret. Dedit ad hæc literas ferè
ad ſingulos quoſq; principes, & Eccleſiaſticos & laicos eiuſdẽ exempli, ſed præſer-
tim ad Ducẽ Saxoniæ Fredericũ, in cuius dominatu, totius incẽdij fax Lutherus
agebat, monens eum, vt haberet ob oculos, quàm ineluibilis, tetraq́; gloriæ ſuæ
ad poſteros macula foret, fouiſſe hominem phreneticũ, qui nõ minùs impijs ac
Satanicis, quàm ſtolidis nænijs orbem penè vniuerſum in exitium inuolueret:
Præterea adiutorẽ fuiſſe labefactandæ pietati, quã tot martyrum fuſus ſanguis,
tot eruditiſsimorum hominũ vigiliæ, tot fortiſsimorum principũ inuicta ar-
ma ſummo nixu ſtabiliuiſſent: alioqui non eũ de ea temeritate cauſam feliciter
dicturũ, cùm ſtandũ eſſet ad tribunal iudicis Chriſti. Et alia multa in eandẽ ſen-
tentiã. Reſipiſceret igitur, & ingreſſus per veſtigia fidei maiorum ſuorum, non
ſineret prudentiã ſuam præſtigijs vnius rabioſi homũculi illudi, qui ſcilicet ni-
hil ſcriptis ſuis nefandis produceret, quod temporũ ſuperiorũ Concilijs ex pro-
feſſo damnatũ non eſſet. Spõdebat adhæc, vbi primùm ſedatis bellorum turbis
poſſet, indicere Concilium vniuerſale, vt quicquid Romæ, quicquid alibi, apud
Epiſcopos, Abbates, & vniuerſum deniq; ordinẽ Eccleſiaſticum collapſum eſ-
ſet, in priſtinum gradum reſtitueretur, ne quid hac parte poſſent obtendere, quò
minùs monitis ſuis morẽ gererent. In ſumma, tãtum effecit ſedulitate, authori-
tateq́;, quàm ſanctitas vitæ, præſtãtiaq́; doctrinæ pepererant, tum gratia, qua ma-
xima apud Germanos, Põtifex Germanus valebat, vt malum illud iam tum vt-
cunq; miteſceret, & ſpes magna eſſet, niſi mors eius impediſſet, fortaſsis breui,
aut in totũ, aut ex maxima certè parte explodendũ. Iam verò legatũ in Vngariã
Thomam Caietanum Cardinalem diui Sixti mittit, cuius ſuprà meminimus,
cum quinquaginta ducatorũ millibus, ita demùm erogãdis, ſi expeditio aliqua
memorãda ab ijs in Turcã pararetur: quam pecuniã vir ille inſignis, nullo mo-
do aliter atq; ex præſcripto erogare ſuſtinuit, tametſi ab Vngaris magnis & cõui-
tijs & minis, vt pro eorũ potiùs arbitratu, qui neceſsitates ſuas magis quàm qui-
uis exterus noſſent erogaretur, acerrimè vrgeretur. Eadẽ pietate permagnã vim
frumẽti pulverisq́; tormẽtarij, per extremas vrbes arcesq́; Dalmatiæ & Croaciæ
miſit, quę ob captã Rhodũ in ſummo diſcrimine verſabãtur. Quid quæris? in his
rebus nõ ſolùm quãtum potuit, verùm etiã ſuprà quàm potuit præſtitit. Porrò
animum ad Eccleſiã Chriſti fœdis abuſibus corruptam, reſtituendam adiecerat,
eiusq́;

eiuſq; rei cauſa in vrbem Vaticanaſq; ædes acciuerat Ioannem Petrum Caraſam Archiepiſcopum Theatinum, & Marcellum Caietanũ, veteris diſciplinæ Chriſtianæ moribus venerabiles, & in omni grauiore doctrina lectiſsimos, vt eorum conſilia in morum cenſura, & Eccleſiæ reſtitutione vteretur. Atque vt promiſſum de corrigendis Eccleſiaſticis etiam re, nõ verbis præſtaturus videretur, multa protinus Romæ in ſtatum alium vertit, noua officia ſuper ordinarijs ſacroſanctæ ſedis prouentibus à Leone inſtituta, ex quibus pretio datis, plurimum quæſtus fiſco eius acceſſerat, paulatim abolebat, & quotquot eius generis deinde vacaſſent, nulli pretio dabat, etiamſi ipſe id temporis grauiter re nummaria laboraret: Sciebat quippe quantum illa ſedi Apoſtolicæ oneroſa eſſent, & ſic data ampliſsimam paſsim materiam offendiculis & obtrectationibus præberent. Abrogabat quoque ea nonnullis, qui gratis nacti fuerant, ratus ſatis eis eſſe debere, quòd inde annis plurimis ſine vllo ſumptu onereq; commoda non exigua accepiſſent: Quanquam ea in re plurimum difficultatis paſſus eſt, multorum quoque offenſam ſubijt, qui quæſtui ſuo per hoc plurimum decedere videbant, quod tamen ipſe minimi fecit, quia mores temporum, ſtatuſq; rerum præſens, ſic facere commoneret. Quanquàm ſi Paulo Iouio fides eſt, damna illa ademptorum officiorum, aliunde nimirum cenſu ſacerdotiorum penſaturum ſe polliceretur, atque nonnullis etiam penſauerit. Accedit quòd indulgẽtias, quas vocamus, parcius longè quàm anteceſſores concedebat, propterea quòd profuſiore largitione ad vilitatem contemptumq; apud plebem recidiſſent, & Lutherus ex earum abuſu prima veſaniæ ſuæ auſpicia ſumpſiſſet, vt ſpes eſſet, ſi diutius ſuperfuiſſet, ad priſtinam reuerentiam redituras eſſe, prout iam tum opera ipſius vtcumque cœperant. Adde quod reſeruas, acceſſus, regreſſus, coadiutorias, præſertim conceſſas ſine aſſenſu eorum, quorum erant ſacerdotia, & id genus alia, Romani aucupij neſcio quo nomine appellata retia, quæ facilitate Leonis ſupra modum propagata erant, magna ex parte ſuſtulit, præſertim quòd ea via plurimi probroſi ineptiq; ad opima ſacerdotia obreperent: qui pecuniam haberent, qua nihil non parare eſt, maximè Romæ, probi literatiq;: qui hanc non haberent, ab eis excluderẽtur. Multaq; alia, quæ longum eſſet commemorare, quæ anteceſſores eius paſsim ſolent concedere, cum graui offendiculo plebeiorũ, & ſacroſanctæ poteſtatis contemptu, concedere noluit. Conſtituerat nanq; inter cætera diſſolutæ ciuitatis mores corrigere, Maranos delere, blaſphemos, ſymoniacos, fœneratores, & aduerſæ Veneri deditos imprimis ex legum ſcitis acerbiſſimè caſtigare, ſed mors eius maturior cœptis pijſsimis conſilijs ſucceſſum eripuit. Quid quòd non paucos, quos idoneos ſciret nec ambientes, nec expectãtes, ſacerdotijs auxerit, diplomatibus, quæ in huiuſmodi pretio nanciſci neceſſe eſt, gratis plumbatis, ad eoſq; tranſmiſsis? qua via aliquot præclaros iam viros Louanij ad honeſtam fortunam perueniſſe commemini. Hinc item fuit, quòd difficulter cognatos ad beneficia proueheret, non quia eis candidè non faueret, ſi alioqui idonei fuiſſent, ſed quia, vt dicere ſolet, ædificare Sion in ſanguinibus nollet, hoc eſt, quia in ſacris reſpicere neceſsitudines naturę nollet, vt quę ibi locum non haberent. Quinimò in ijs etiam in paribus dotibus alienorum potius, quàm ſuorum, rationem habiturus videbatur. Ex quo fuit, quòd literis magnatum quorundã inferioris Germaniæ ſollicitatus, vt quendã propinquum ſuum adoleſcentem & forma & ingenio præſtantem, qui tum recens Magiſter philoſophiæ creatus, ſtudia altiora Louanij ſequebatur, galero Cardinalitio ornaret, ex more ſolenni aliorum Pontificum, nequaquam voluit. Patruelis ſui filium, Senæ Etruſcæ in Gymnaſio literis operam nauantem, quòd Romã nequaquam vocatus intermiſsis ſtudijs repentè venerat, cõfeſtim meritorio equo impoſitũ remiſit, animi leuitatem identidem obiectans, & ſeuerè admonens, vt ab ſe modeſtiæ & tẽperantiæ exemplum oportunè ſumeret. Alios quoq; nec remoto affinitatis gradu neceſſarios, qui ſpe celſioris fortunæ è Germania pedibꝰ Romã venerant, mirum in modũ increpauit, donatiſq; ſingulis, ſagis laneis, & frugi viatico, pedibus ſimiliter in patriam redire iuſsit. Quarum rerũ teſtimonio ſuperiorum pontificũ profuſam erga propinquos liberalitatẽ, vti grauẽ, & Reipub. perni-

perni-



pernicioſam, deteſtari erat ſolitus. Simile quiddam fertur etiam de Clemente Pontifice eius nominis quarto, qui & ipſe interpellatus ab amicis, vt cõſanguineo cuidam ſuo, tria habenti beneficia, plura adhuc tribueret, reſpondens, non, inquit, carni & ſanguini obtemperabo, ſed potius Deo: nec dignus Petri ſucceſſor eſt, qui plus cognationi, quàm Chriſto tribuit. Author eſt Platina. Cõſtituerat quoq;, vt aſſerunt, qui id coràm à narrante audiuere, antiquare exemptiones ſecundariarum (vt vocant) Eccleſiarum collegiorumq; diœceſis Leodienſis, etiamſi opera ſua aliquando impetratas, quòd videret eas, contra quàm ratus eſſet ad nihil aliud vſurpari quàm ad impunitatem ſcelerum, & materiam maioris laſciuiæ & nequitiæ: neq; viſitationem annuam ad vitia exemptorum corrigenda à Decanis, ad id deſignatis, fieri iuxta formam diplomatis à ſe impetrati. Qua ipſa de cauſa fortaſsis etiam alias plæraſq; antiquaturus erat. Deſtinauerat deniq; ijs ipſis vacationibus, quæ obitum eius anteceſſerunt, adhibitis Theologis & Iuriſperitis Romanæ curiæ diſcutere leges Compoſitionum, vt vocant, ad quas Datarius ab his, quibus quid Põtifex indulget, aliquid ſubſidij nummarij in neceſsitates Põtificias de more exigit, vt ſi quæ moderatæ & tolerabiles forent, retinerent vſum: ſi quæ graues & immodicæ, tollerentur. Sed morte occupatus, propoſito luſus eſt. Cæterùm ne quid item in moribus ſuis priuatis deſideraretur, ilicò à Põtificatu Romæ de numero ſatellitum, equitum, peditumq; quos etiam Pontifices vetuſto more aſciſcũt, multum præcidit. In illa atrociſſima peſtilentiæ vaſtitate, quæ omnia id temporis Romæ depaſcebatur, paſtor oues non deſeruit, ſed alijs plæriſq; magnatibus ſibi fuga cõſulentibus, ipſe nec pauidus multum, nec anxiè pharmacis armatus, in vrbe permanſit, eo officio incolis mirificè gratificatus. Si quando anteà, tum maximè ſpeciem omnem impudicitiæ amouit. Eoq; cùm adoleſcentes aliquot honeſtæ tum indolis tum ſtirpis in gratiam parentum in familiam aſcitos, ex Hiſpanijs ſecum in vrbem duxiſſet, intellexiſſetq;, Italos ex conuictu illorum, neſcio quę abominanda, noſtratibus inuſitata ſuſpicari, ſtatim in Hiſpanias remiſit, in Academia Salmanticenſi plenius literis imbuendos, quibus anteà domi ipſius à pio ſimul & erudito viro Theodorico Hezio ſecretario ipſius vtcunque imbuti fuerant eo iubente. Inter prandendum & cœnandum ſemper lectorem aſsiſtẽtem habebat, quomodo anteà. Aequè parcè, vt ſolet, aut etiam parciùs cibum capiebat. Aedes ſacras per vrbem cum religione ſubinde viſebat. Suo quoque tempore in catalogum beatorum, Antonium Archiepiſcopum Florentinum retulit, virum ſuo æuo & pietate & doctrina ſingulari, vt luculenter ſcripta eius demonſtrant. Ad hæc Bennonem, *Miſnenſis olim, ni fallor,* Eccleſiæ præſulem, virum ſua tempeſtate ſanctiſsimum, & apud Germanos miraculis etiam hodie nobilem. Et tamen cùm iſta integritate eſſet, ſtuderetq; pro viribus, in omnibus abſoluti Pontificis partes implere, vt argentum ſine ſcoria non eſt, in quibuſdam nonnihil officio defuiſſe viſus eſt. In abſoluendis negotijs vndique Romam confluentibus, aliquanto lentior timidiorq; erat, quàm pro nonnullorum animo: Vnde illa in eum Hieronymi Balbi Vngari libertas, qui cùm legatus Romam miſſus à Ferdinando Cæſaris fratre, coërcendis Lutheranis & Turcis, auxilium imploraret, & ille cunctantius perplexiuſq; in re petita ageret, frequenti cœtu patrum, Sanctiſsime, inquit, pater, Fabius Maximus cũctando rem Romanam reſtituit, tu cunctando rem Romanam, atque adeò vniuerſam Europam perditurus videris: quo ſcommate & Pontifex mirificè pudefactus, & plæriſque patribus riſus excuſſus fuit: Sed cauſam ceſſationis in eo putant, quòd cùm de omnibus ritè firmeque ſtatuere cuperet, non haberet quibus cum ex animo conſultaret, quique adiutarent, vbi opus eſſet: neque ſciret, vtpote nouus illic hoſpes, quibus quid tuto committeret, quos proceſſu temporis cogniturus erat: Alioqui in abſoluendis negotijs nihil minùs quàm ceſſator erat, vt ad liquidum patet ex rebus eius geſtis in Hiſpanijs: Diſplicuit quoque hoc nomine, quòd menſæ ſuæ ſæpenumerò ſcurram quendam Hiſpanum, Tocinum nomine, aſsiſtentem haberet: cùm is ad eum in vrbem, toleratus potius, quàm accerſitus, veniſſet: Rurſus quòd in nonnullos ſacerdotia contulerit, qui ad ea non ſatis idonei videren-

GG tur:

tur: Adhæc, quòd quibuſdam deformitatibus Romæ curiæ, vix aut nullo pacto
excuſandis, diutius iuſto indulſerit: Sicut etiam multò ante Pontificatum ma-
lè quoſdam habuit, quòd Guillermo Croio, etiam tum adoleſcenti, de quo ſu-
prà meminimus, poſteà Archiepiſcopo Toletano, & Cardinali, nepoti Mar-
chionis Cheruiani, ad Abbatiam illam opimam Affliginianam apud Braban-
tos adiumento fuit: Interpretabantur quippe eum hoc facere, ad promerendam
voluntatem, vitandamq; offenſam Marchionis, qui id temporis magno in au-
la Caroli loco eſſet, cùm hoc maximè ſpectaret, vt monaſteriũ illud fœdè pro-
lapſum, authoritate opeq; potentum ad frugem recoleretur, quæ adoleſcenti
illi generoſæ indolis, ampliſsimæq; ſpei per Marchionem patruum minimè de-
futura videbantur, ſicut vtique nec defuerunt, cùm omnibus palàm ſit, opera
eius & conſiliariorum omnia ferè eo loco in melius correcta eſſe: Sunt & alia
plæraq;, in quibus nõnullis minùs probabatur, in quibus eũ non omninò tueri
velim, quaſi ipſe ſolus omnibus horis ſapere potuerit, id quod rectè nemini cõ-
ceſſum perhibetur. Porrò illud confidenter dixerim, ſicubi ab orbita aberrauit,
ac ſi qua in re aliter ſe geſsit, quàm fortaſsis plæriſq; ſapientum probatum fue-
rit, id tamen nec à ſciente factum eſſe, nec de induſtria: Si quid indulſit, quòd
fortaſsis ſatius eſſet non indulſiſſe, ingenuè aſſero, & ij item aſſerunt, qui propi-
us eum cognouerunt, nõ ſic indulſit quin ratio aliqua probabilis, cur indulge-
ret, ei conſtiterit, aut certè conſtare viſa fuerit: Non dubium quin multa conceſ-
ſit ad grauiora incõmoda, quæ alioqui ſatis idoneis indicijs oritura videbantur,
excludenda: Multa quoque malè doctus conceſsit, quòd aliter exponerentur
quàm veritas haberet: Multa per ignorantiam, quòd eo fuco coloreq; poliren-
tur, vt quòd improba eſſent, à tantis curis diſtracto ægrè poſſent depræhendi.
Iam verò nonnulla primùm intuentibus, viſus eſt inconſultius agere, quæ ta-
men ab acutiùs attendentibus, & ex ipſo euentu rerum, non ſolùm non incon-
ſultè, ſed ſalubriter admodum & prudenter ab eo acta compertum eſt: Adde
quòd plurima non approbauit quidem, ſed tantum ad tempus tolerauit, quia
protinus corrigere non potuit, correcturus tamen ſuo tempore, cum commo-
dius poſſet. Illud conſtat, ſi quando per affectus, aut per fucatas aliquorum ſtro-
phas ſibi impoſitum ſentiret, ilicò ſua ſponte nulloq; monente, erratum cor-
rexiſſe ſi modò integrum foret, vel vehementer doluiſſe, ſi non foret. Vt vt eſt,
certum habeat, quiſquis in eo nonnulla deſiderauit, diuinum potiùs quàm hu-
manum eſſe, ita ad omnia perpetuò vigilare, vt non alicubi tibi excidas, præſer-
tim in tantis occupationibus, & apud homines tam aſtutos, qui mille præſtigi-
as, mille colores quærunt, ſub quibus res ſuas meliores faciant, nihil interim
penſi habẽtes, æquum ſit an iniquum, pium an impium quod ſequuntur, dum-
modò via aliqua aſſequantur. Credat denique functionem ſedis Apoſtolicæ
operoſiorem eſſe, quàm imperitis rerum, & in otio, quieteq; agentibus prima
ſpecie videatur: vbi non intempeſtiuè quis illud Comici produxerit, Tu ſi hic
ſis, aliter ſentias. Ferunt eo Pontifice Theophilum Patriarcham Alexãdrinum,
permotum fortaſſe claritate nominis eius, literas Græcè ſcriptas, ad eum tranſ-
miſiſſe, quibus ſedi Apoſtolicæ obedientiam obſequiumq; detulerit, & caput
Eccleſiæ Catholicæ reuerenter agnouerit, quas vir multarum linguarum ſimul
& diſciplinarum exacta cognitione clarus Hieronymus Alexãder, tunc Ponti-
ficiæ bibliothecæ curator, nunc Brunduſinæ ſedis Archiepiſcopus, Latinè inter-
pretatus eſt, & vnà cum ipſa interpretatione, ni fallor, in ſcrinijs Pontificijs ad
memoriam poſteritatis repoſuit: Atque hæc fermè in Pontificatu ſaluus ac va-
lidus geſsit. Cæterùm quonam modo ampliſsimam ſpem, quam omnibus de ſe
concitarat, & honeſtiſsimos eius maximarum rerũ conatus, præſertim in ſarci-
endis quæ paſsim diruta iacebant, obrepens mors eluſerit, reſtat vt paucis item
exponamus. Ecce dum totus & mente & viribus reformationem Eccleſiæ medi-
tatur, putatq; principes eam ad rem piam ſcilicet & neceſſariam haud dubiè eni-
xè adiuturos eſſe, euentus non omninò votis & conatibus eius reſpondit: Fœde-
re tamen iunxit non quidem omnes, ſed præcipuos Chriſtianæ pietatis monar-
chas, liberaſq; Italiæ ciuitates, inprimis ſedem Apoſtolicam, Carolum lectum
Cæſarem,



Cæſarem, Henricum Angliæ, Ludouicum Vngariæ reges, & minores aliquot
Italiæ principes. Quorum omnium legatis apparatiſsimũ epulum Romæ Pom-
peius Columna Cardinalis dedit. Tametſi cauſa fœderis præcipua erat, tueri
Italiam ab incurſu Turcarum, qui à capta Rhodo feroces, à bello minimè ceſ-
ſaturi videbantur: quam ob cauſam Cæſar etiam cum Venetis pacem firmauit.
Vnus Gallus extra ius fœderis erat, ſed ſic, vt inſeri poſſet, ſi conditionibus ob-
latis ſtare vellet. Ac conſtitit fœdus illud, vſq; ad obitum Pontificis, à quo mox
diremptum fuit: Fœderi autem publicando locus conſtitutus, ædes virginis ma
tris erat, vulgò ſanctæ Mariæ Maioris, olim ſanctæ Mariæ ad præſepe appellata.
Hic cùm Pontifex per ſe intereſſe cuperet, quò res maioris authoritatis eſſet, me-
dici vetuerunt: Quippe iam tum laborare è renibus cœpit, quo malo ante qua-
drageſimum poſtea diem, abſumptus fuit. Conatiq; ſunt perſuadere, publicati-
onem eam in æde diui Petri celebrari iuberet, palatio videlicet Pontificio pro-
xima, quo accedere ſine magno valetudinis incommodo poſſet, cùm ſi ad ædẽ
illam virginis concederet, quæ longo ſatis interuallo inde diſtabat, id non poſ-
ſet ſine magna corporis concuſsione, quæ ſic affecto, non poſſet non eſſe vehe-
menter noxia, & propemodum exitialis. Verùm ille, ſiue fiſus auxilio numi-
nis, cuius negotium bona fide ageret, ſiue non ratus tantum ſubeſſe diſcriminis
quantum denunciaretur, vt ſententia cederet, adduci non potuit. Quarto itaq;
Auguſti, qui dies longè feruidiſsimus erat, aliquãto poſt meridiem in palatium
conceſsit, ædi illi virginis, de qua diximus, vicinum, comitantibus aulicis om-
nibus. In quo quidem itinere plurimum pulueris hauſit, qui multitudine equo-
rum, in ingenti ſcilicet terræ ſiccitate, qualis per æſtatem Romæ eſſe ſolet, exci-
tabatur: Ac diuturniore equitatione adeò defatigatus eſt, vt veſperi cubitũ diſ-
ceſſerit incœnatus, appetentia ſcilicet cibi prorſus deiecta. Poſtridie, qui dies itẽ
plurimum feruebat, languidus admodum in templum venit, & amictu Ponti-
ficali non parum ponderoſo oneratus, ſacro ſolenni prolixoq;, quod Pompei-
us Columna Cardinalis celebrabat, publicationiq; fœderis, quæ à Vincentio
Pompei à ſecretis fiebat, ad finem vſque interfuit. Vnde multò magis deiectus,
totoq; corpore ſudore deſtillans, vt etiam veſtes ipſe maderent, in palatium, vbi
pernoctarat, redit. Ac mox veſtibus poſitis, in lectum cubitum concedit, cuban-
tem ſudor ingens repetit, vt lectum ſtragulamq; penitus madefaceret. Neque vl-
lum cibi deſiderium adeſt, vt tot ſudoribus exhauſtas vires poſſet refouere. Et ta
men ſic proſtratus, eodem die ſub veſperam pari difficultate Vaticanum repe-
tijt, poſtridie ſcilicet quàm inde abiſſet. Ex eo verò tempore, renum dolor indi-
es magis ingraueſcebat, vt ſuprema illi adeſſe facilè poſſet intelligi. Qui animad
uerſo, conuocatis fratribus Cardinalibus, vltimum vale dicit, ſummo eis ſtu-
dio re Chriſtiana mandata, quę tum ſi vnquam aliàs grauiter laboraret, quamq;
ipſe ad ſtatũ meliorem, pacẽ, quietemq; reducere cupiuiſſet quidem, ſi modò re-
rum arbiter Deus, vitam longiorẽ indulſiſſet, ſuppeditatis ſimul viribus & au-
xilio. Porro pileum Cardinalitium, quo titulo ipſe habuerat, circunſtãtibus pa-
tribus, præſertim Iulio Medice & Ludouico Sueſſano, in Guillermum Encha-
uordium contulit, in quẽ quoq; antea Epiſcopatũ ſuum Dertuſenſem trãſtule-
rat, nõnullis agentibus, vt eo ipſo pileo Theodoricum Hezium decoraret, quod
& fortaſsis factũ fuiſſet, ſi modò viro illi optimo, ad dignitatẽ eam tuendã, aliũ-
de ſatis proſpectũ fuiſſet. Atq; eum admodũ rebus omnibus publicè priuatimq;
ritè quantum potuit ordinatis, ſacramentiſq; Eccleſiaſticis Chriſtiano ritu reli-
gioſè acceptis, octauo Calend. Octobris, qui dies exaltatæ cruci tum feſtus erat,
ad extremum fermè halitum mentis compos, Romæ in Vaticano naturæ con-
ceſsit: quo tempore Galli Bonuiueto duce, repulſis Cæſarianis, amnẽ Ticinum
tranſierant, anno humanæ ſalutis M D X X I I I. Pontificatus ſui anno ſecundo,
cùm annos ſexaginta quatuor, menſes ſex, dies ſedecim ætatis impleuiſſet, vir di
gnus, qui Pontificatui annis multis præſediſſet, quem vtinã ita Romani, Italiq;,
vt Germani, ijq; apud quos ab ætate viridi, vegetaque verſatus erat, penitùs co-
gnouiſſent: Crediderim faſſuros fuiſſe, haud alium vllum ſæculis multis fuiſſe,
qui Spartam eam (vt aiunt) felicius ornare potuiſſet. Neq; acceſſuros cuidã ipſo-

 rum,

rum, qui in libro, quem de piſcibus inſcripſit, de eo prodit, hominem ſicuti in adminiſtranda republica hebetis ingenij, vel deprauati iudicij, ita in eſculentis inſulſiſsimi guſtus fuiſſe. Sic ſcilicet de viris bonis cenſent, qui affectus in conſilium, non rem ipſam adhibent. At verò ſæculum illud turbulentum, & nunc multò turbulentius fortaſſe tali Pontifice dignum non fuit, vt non rarò Deus iratus, ſalutare reipublicæ rectores de medio tollit: quia ſubditi per mores improbos diu habere non merentur. Fateor, iuſta erat ſenectute, & ad metas humanæ ætatis accedere incipiebat. Atqui immatura mors eorũ virorũ, meo quidem animo, omnibus videri debet, qui per ingenium etiamnum florentiſsimũ, per memoriam adhuc præſentiſsimam, per multiplicẽ rerum vſum, quantò maiorem cum ſenes iam, quàm olim iuuenes habent, quæ omnia in Hadriano erant, in publicum prodeſſe, & poſsint & velint quidem, ſed per communẽ omnibus mortalitatis ſortem non permittuntur. Quanquam egregia eius virtus, eximia pietas, excellens eruditio, de omnibus bene merendi incredibile ſtudium, eum facilè ni fallor, ab interitu aſſerent: Viuet quippe per hæc, viuet in ſecula, atq; eò quidem diutius, quò æquiores poſteri de omnibus, quàm præſentes erunt iudices. Defuncti corpus in templo diui Petri, in veſperam vſq; in ſequentis diei, in publico conſtitit, affluentibus eò certatim omnis generis mortalibus, alijs religione quadam manus pedeſq;, quos hominis verè ſancti eſſe credebant, oſculaturis, alijs propius libereq; viſuris mortuum, quẽ reuerentia quadam cõtingere auſi non fuerant viuum. Quare multorum afflatu, vtiq; in tanto æſtu, quantus tum Romæ erat, reſoluto corpore, adeò facies deformata fuit, vt Hadriani eſſe vix agnoſceretur, vt inde pleriq; ſuſpicionẽ caperent, ſublatum veneno. Quod vt familiares eius conſtanter aſſerere nõ velint, ita nec inficiari auſint. Sanè diſſecto corpore, quo rei fides exploraretur, veneficij notas certas nullas compertas ferunt. In ore ſtomachi initia quædã fuere apoſtematis atri, quòd vel ſolum breui extinguendo ei, medicus qui aderat, ſuffecturum aiebat. Id aũt natum coniectabant ex mœrore, triſtioreq; melancholia, quòd tot paſsim malis, ex vniuerſo orbe, velut de cõpoſito irrumpentibus ex animi ſententia nõ poſſet occurrere: cùm alioqui nihil minùs quàm melancholicus eſſet. Præterea nihil ſingularis vitij in corpore repertũ aiunt. Conditus eſt temporario monumento in æde diui Petri inter duos Pios, ſecundũ & tertium, Picolhomineæ familiæ Pontifices, cum hoc elogio: HADRIANVS SEXTVS HIC SITVS EST, QVI NIHIL SIBI INFELICIVS IN VITA, QVAM QVOD IMPERARET DVXIT. Qua vtiq; parte elogium verum dixit. Quippe nunquàm ei in Pontificatu ita benè fuiſſe annotari poterat, quin intra priuatam vitã conſiſtere, multò malle videretur. Cæterùm Cardinalis Enchauordius, vt in defunctum quoq; amicitiæ fidem præſtaret, quam luculentam in viuum præſtiterat, alterum ei monumẽtum ampliſsimum & magnifici operis ex alabaſtro, poſuit in templo ſanctæ Mariæ Germanorum, ad arcum Flaminium, cũ plurimis eiuſdem materiæ ſtatuis, virtutum eius, quarum ductu ad id faſtigij emerſerat clariſſimis indicibus. Vacauit eius obitu ſedes, menſes duos ſupra dies quatuor.

## CLEMENS PAPA VII.

CLementis Septimi pater Iulianus Medices fuit, ſenioris Laurẽtij frater, qui coniuratione Pactiana, anno ſalutis ∞ CDLXXVIII. quinto calend. Maij nefariè interfectus eſt; in quo iuuene ſingularis humanitas, cum inſigni liberalitate coniuncta, omnium ætatum, ac ordinum hominum incredibilem ei beneuolentiam comparauit. Natus eſt illi ex parum certa, neque propalam legitima vxore, altero circiter atque triceſimo ab obitu die ad ſeptimum calend. Iunij filius poſtumus nomine Iulius, non modò lineamentis oris, ſed toto corporis habitu patri ſimillimus: cuius nunc vitam paucis enarrare conſtitui. Is ſub patrui Laurentij tutela puer educatus, à teneris annis ſingularis viuidiq; ingenij ſpecimen præ ſe ferebat, vnde optimis, qui tunc Florentiæ erant, præceptoribus vſus, animum ita compoſuit, vt literarum cognitioni maximam morum elegantiam adiunxerit. Mediceis autem Gallorum regis Caroli





VIII. vi Florẽtia pulſis, quum Petrus, Leonis X. natu maximus frater Venetias, ipſe cum patruelibus Ioãne Cardinale, & Iuliano Pitilianum, atque inde Tifernum ad Vitellios veteres amicos confugit. Fuit autem abſens à patria totos xiix. annos. Quo tempore miles Hoſpitalis ſancti Ioannis Hieroſolymitani, & prior Capuanus creatus eſt. Patruelem verò Ioannem Cardinalem in aduerſa, proſperaq; fortuna ſemper ſecutus, pugnæ interfuit Rauennati, ex qua Ioanne Cardinale, qui tum legationis munere fungebatur capto, Cæſenam cum Antonio Leua aufugit, inde Romam per diſpoſitos equos profectus, põtificem Iulium II. funeſta, & penè exitiabili clade conſternatum, fugamque meditantem confirmauit, & legati, qui in hoſtium poteſtate erat, ſalutem ac dignitatem eidem commendauit. Cæterùm quum Ioannes in Galliam duceretur, ex via clam aufugiens, ſeſe Hiſpanici exercitus reliquijs, qui cladi ſuperfuerant adiunxit; quorum ope quum Cardonio duce Pratũ expugnaſſet, Petro Soderino perpetuo vexillifero pulſo, patriam etiam ſuam recepit, Iuliano fratre reipub. clauo admoto. Intra quartum menſem Iulio II. mortuo, quũ ei incredibili felicitate Ioannes ipſe, Leo X. vocatus, ſuffectus eſſet, pontificatus initio, Iulium Medicem Patruelem archiepiſcopum Florentinum deſignatum ix. Kal. Octobris anno ∞ DXIII. diaconum cardinalem ſanctæ Mariæ in Dominica, mox presbyterum tituli ſancti Clemẽtis, deinde mortuo Xyſto Ruuero S. R. E. cancellarium, qui ſummus Romæ magiſtratus eſt, creauit. Eo pontifice, qui otio, & voluptatibus deditus, à curis imperij, quantum poterat ſe expedierat, Iulius vnus magnas negociorum moles ſuſtinuit: vnde auctoritas, & opes maximæ ei acceſſere. Fœdere quod Leo cum Venetis & Cæſare ad Gallos Italia exturbandos fecerat, exercitus eccleſiaſtici legatus Parmam & Placentiam à Gallis occupatas Romanæ eccleſiæ reſtituit. Eius præcipue commendatione Leo X. pontificatus illi ſubſidia ſtruens, magna illa patrum lectione, multos cardinales in ſenatum cooptauit. Quo mortuo vnius præcipue Iulij opera pontificatus Hadriano abſenti delatus eſt: apud quem ſumma auctoritas fuit. Is leui, ſed tabifica febre quum decubuiſſet, adulatione medicorum eo perductus eſt, vt pene prius quàm venæ tangerentur, improuiſa morte perierit. Duo poſt eius obitum ad pontificatum maxime aſpirabant: Iulius Medices, & Pompeius Columna, opibus, dignitate, & genere maxime illuſtres. Ille inſuper magnis patrum clientelis, & recentis Leonis X. grauiſsimi pontificatus memoria præſtans, hic nobilitate, & Cæſaris gratia, atq; amicitia pollebat. Quorum diſsidijs non ſine ſumma contentione, interregnum ad menſes duos, & dies quatuor productum: ſeniorum prerogatiuam, ad quos ſe cõuerterat, Pompeius vehementiſsimè tuebatur. Iuniores oẽs conſtantiſsimè Iulio fauebant. Poſtremo quum Iulius ſumma ope à Pompeio oppugnatus, ſpe penè decidiſſet, obiecto quẽ põtificem diceret Frãcioto Vrſino, Cæſaris familiæq; Columnæ ex profeſſo hoſte, Pompeium eò impulit, vt ſe pontificatu ornandum conuerterit, qui ſi ei obſtinatius obniteretur, proculdubio Vrſino ſe ſuffragaturum Iulius minabatur, veteri amico, & arctiſsima cognatione familiæ Mediceæ coniuncto. Nec mora, auctore atque hortatore Pompeio Cardinales oẽs, qui tũc xxxiix. comitijs aderant. xiij. calend. Decembris anni ∞ DXXIII. Iulium, qui tum presbyter cardinalis tituli ſancti Laurentij in Damaſo erat, Pontificem maximum ſalutant, & proximo vj. calend. Decembris die thiara ſacra redimitum, inaugurant. Cuius nauatæ operæ Pompeius præmium tulit, magnificentiſsimas ædes à Raphaële Riario extructas, quas Iulius paulò antè Riario mortuo à Leone obtinuerat; item cancellariatus officiũ. Nouo Clementis pontificatu, anno ſæculari, quẽ ∞ DXXV. celebrauit, horendi à ruſticis tumultus in Germania paſsim excitati, cuncta vexabant. Hi veſano furore perciti, religionis ſpecie, omnia libera eſſe debere contendebant, occaſione à Chriſtiana libertate accepta, quæ tum vbiq; à multis temerè ex peſtilenti Lutheri doctrina prædicabatur. Cœpit exitiabilis ſuperſtitio in Pannonia inferiori, mox latius ſerpens ſuperiorem etiam, & demum totam Germaniam peruaſit. Verùm quum hi non ſolum eccleſiarũ bona inuaderent, & diriperẽt, ſed etiam nobilitatem omnem extinguere molirentur, aut ſaltem

In ordinem redigere; vix tandem centum penè, & quinquaginta millibus ex ijs paſsim cęſis repreſsi ſunt. Quibus motibus, niſi celeri remedio obuiam itum fuiſſet (quod partim aperta vi, partim dolis factum eſt) præſens erat periculum, ne Italiam quoq; veterum barbarorum more fuiſſent perturbaturi: nã regionibus etiam longinquis, & Italiæ in primis minitabantur. Ad quod malum declinandum Clemens, vt erat in rebus agendis ſagax & induſtrius, multum aduigilauit in Italia. Quo tempore Cæſarianorum, Venetorumq; armis, & Piſcarij eximij ducis virtute, Guillelmus Cofferius appellatus, Ammiras, Frãcorum regis præfectus, qui in Italiam cum quadraginta peditum, & decem equitum Gallorum millibus deſcendens, Mediolanum aliquãdiu obſederat, duobus prælijs ad amnem Seſithem victus, Italiæ finibus pulſus eſt. Ea victoria adeò Cæſaris duces elati ſunt, vt Carolo Borbonio, qui per eos dies à Galliæ rege ad Cęſarem defecerat, concitante, Gallias aggredi non dubitarint. Borbonius is, coniuratione detecta, qua Galliarum regnũ affectaſſe exiſtimatus eſt, exul factus, ad Cæſarianos ſe contulerat. Quibus de cauſis Franciſcus rex, quum pro ſalute imperij, & totius Galliæ dignitate ingentes copias comparaſſet, hoſteſq;, qui iam Maſsiliam oppugnare aggreſsi erant, prouincia expuliſſet, in Italiam ſuperatis alpibus tranſcendit, primoq; impetu Mediolano potitus, Ticinum obſidebat. Formidoloſa iam Cæſaris potentia pontifici & Venetis eſſe cœperat; qui exæquata in Italia imperia, viresq; non admodum impares eſſe volebant. Cæſar enim immodica, & inſatiabili cupiditate, non Italiæ ſolum, ſed totius Europæ imperium affectare videbatur, quando Gallias demum ipſas Italia non contentus, ex qua Gallos paulò ante eiecerat, armis inuaſiſſet. Ob id occulto metu conſternati, & de libertate Italiæ ſolliciti, ſtudia ſua erga Cæſarem non modò remiſerant, verùm nequaquam tranſmiſsis oportunis auxilijs, eum remorabantur, & qui ſocij, & fœderati erant ſpectatores euaſerant, in eo potiſsimè ſtudia ſua collocantes, vt inter Gallos, & Cæſarianos multorum menſium induciæ producerentur. Pontifex enim vim Cæſarianorum retardare, Gallorum regem confirmare, & pacem inter vtrunq; honeſtis conditionibus adſtruere, totis viribus contendebat. Verùm dum intempeſtiuè neutri partium fauere videretur, Cæſariani duces Germanicarum aliquot cohortium præſidio confirmati, Franciſcum regem Ticinum obſidentem cruenta edita pugna, ſuo atq; equi vulnere retardatum, cum maxima totius Galliæ iactura viuum ceperũt. Interiere hoc prælio nobiliſsimi quiq; Francorum duces, capti rex Nauarræ, Hanno Momorantius, poſtea magnus ſtabuli comes, & alij multi maximi nominis & dignitatis viri. Tum Clemens tantæ victoriæ nuntio conſternatus, Albanũ reuocauit, qui eiuſdem cõſilio è regijs caſtris cum valida copiarum parte, ad Aquilam vſq; peruenerat, in Neapolitanum regnum præſidijs ſpoliatum impreſsionẽ facturus, Andegauẽſis præſertim factionis præſidio ſubleuatus. Gallica igitur auxilia ex Italis Corſiſq; conflata ad vrbem redeuntia Latini Columniæ factionis & ditionis populi, aliquotq; Cæſariani equites, auctoribus præcipuè Columnenſium proceribus diripuere; in vrbe quoq; Vrſinæ domus ad Montem Iordanũ ab eiſdem Columnijs Clementis maieſtate contempta vexatæ. Animos enim Cæſariani oẽs, & in primis Columnenſes celebri Cæſaris ad Ticinum de tanto rege victoria audita, erexerant; quod pontificem maximè perturbauit. Huic rei inſignis alia acceſsit contumelia: nam põtifex multo auro exoluto, cum Cæſarianis ducibus antiquum fœdus renouauerat, ea cõditione, vt Regium Lepidi, quod Hadriano mortuo Alfonſus dux Ferrariæ occupauerat, à Carolo Lanoio fœderis ſponſore pontifici redderetur. Cæterùm Cæſar id fœdus ratũ eſſe noluit, ne eius vrbis acceſsione pontificiæ vires augerẽtur. Itaq; Pontifex pecunia circũuentus, vrbe etiam ea excluſus eſt. Direptis inſuper per eos dies à Cæſarianis Parmẽſium & Placentinorũ agris, lachrymalẽ miſerorum ciuium legationẽ põtifex ſuſceperat; quibus rebus irritatus, occulta cum Venetis, & Gallis ducibus conſilia inire cœpit, vt Cęſarem Mediolano, Franciſco Sfortia in auitam poſſeſsionem reſtituto, exueret, quem perfidiæ à Cæſarianis ducibus apud Imperatorẽ inſimulatum, Cæſar Mediolano eiectum in arce obſidebat: qui pace per eos dies cum rege





Francorũ Franciſcò, quẽ captũ detinebat, duris conditionibus facta, & ſorore ſua illi in matrimoniũ tradita, abire duob⁹ eius filijs obſidibus acceptis permiſerat. Rex liber factus, negauit, ſe his conditionibus teneri, quas Cæſar vltima carceris neceſſitate expreſſiſſet, atq; ita fœdus cũ Clemẽte, Venetiſq; pro Italica libertate tuenda, & Sfortia paterno imperio reſtituendo, amicitiamq; percuſſit. Cõtractis in vnũ fœderatorũ copijs, Laus Pompeia primo impetu capta, & vt Frãciſco Sfortiæ obſidione in arce Mediolani cincto famæq; laborãti ſubueniretur, edictum. Venetorũ igitur, põtificis, Galli regis, & Heluetiorũ copijs cõiunctis, acre in Inſubribus bellũ contra Cæſarem gerebatur. Cæſarianorũ ducum egregia tũ facinora enituere, arce Mediolani nõ ſolum per deditionẽ recepta, ſed & hoſtibus procul ab vrbe ſubmotis: qui Cremona aliquot diebus pòſt occupata, eam Frãciſco Sfortiæ tradiderũt. Interim põtifex Ariminũ à Sigiſmũdo Malateſta occupatũ miſſis copijs, pulſo regulo, recepit. Ludouicus quoq; Pãnonię rex prælio à Turcis victus, & interfectus, Regni, & vitæ finem, Buda etiam amiſſa, habuit. Tum Columnẽſes proceres Clemẽtis cõſilijs cognitis, & præuiſo magno Cæſarianorũ periculo, auctore Pompeio Cardinale, qui belli initio ex vrbe ſe in Tuſculanam villã ſubduxerat; quò ſtudia eorũ erga Cæſarem aliquo edito facinore præclariora viderẽtur, copias inſtruere cœperunt, ſpecie tuẽdi regni Neapolitani; re autẽ ipſa in Põtificem aliquid moliturι. Clemens his cognitis longè maiore exercitu cõſcripto Columnenſibus iuſſit, vt armatos ab ſe lectos extra imperij eccleſiaſtici fines abducerent, & quo quò vellẽt ad tuendos regni fines proficiſcerẽtur. Cardinale itaque Vallenſi auctore res compoſitæ ſunt, hac conditione, vt in ditione põtificia Columnenſes armis abſtinerent: ſi Cæſari operam ſuam nauare vellent, id extra eccleſiæ limites facerẽt. Clemẽs nouo fœdere fretus, armis depoſitis, copias, quas legerat, amicis omnibus, & familiaribus reclamãtibus, nõ ſine inſigni auaritiæ nota exauctorauit. Tũ Columnẽſes põtifice omnibus præſidijs nudato, Hugone Moncata ſibi adiuncto, copijs reparatis, & breui auctis, vrbem Cœlimõtana porta irrumpunt, & Xyſti ponte, ac Septimana porta cum armatis inſtructiſq; agminibus, ad Vaticanum contendunt. Clemens rebus deſperatis trepidus in arcem fugit, fruſtra auxilium, opemque quærẽs: qui inuſitata auaritia, vſque adeo omnium hominum odia in ſe cõcitarat, vt nemo eſſet, qui vicem eius tam fœdè & præter ſacramẽti fidem oppreſſi doleret. Nam ſacratos viros nouis decimis onerarat, officiorum collegijs redditus auerterat; gymnaſij ſalaria doctoribus cõſtituta ſubtraxerat: irata etiã tum maximè plebs erat, quòd certis horreorum monopolijs, magno Fiſci quęſtus, annonæ tũ in vrbe ſumma charitas eſſet. Inſuper, vt vias vrbis ad normam redigeret, plurimorum domus funditus exciderat non ſine magno multorum damno, & incommodo, vt alterum è duumuiris viarũ, iniquo illo quæſtu expleret. Nemine igitur in tanto pontificis periculo, qui omnium odio flagrabat repugnante, Columnẽſes, ducibus Marcello Pompei Cardinalis fratre, Hieronymo Sarnenſi comite eius genero, Hugone Moncata, Veſpaſiano, & Aſcanio Columnijs in vrbem Leonianam irruperunt, & Palatio Vaticano omni ſupellectile ſacra & profana direpto, in omnium quoq; auguſtiſſimam baſilicam ſancti Petri nefarias manus iniecere. Pompeius tum domi ſuæ conſtiterat. Clemens ita circumuentus, quum commeatu in arce deficiente, nullam in aliquo ſpem haberet, Hugonem ad colloquium magnis precibus, Cardinale Pompeio reluctante aduocauit. Ibi pòſt multos ſermones, pax ita compoſita eſt, vt Papa exercitum ex Gallia Ciſalpina reuocaret, Pompeio & Columnenſibus parceret, obſes mitteretur Neapolim vir pecunioſiſſimus Philippus Strocius, cui Petri Medicis eius patruelis filia in matrimonium data fuerat. Hugo vrbe relicta in regnum cum omnibus copijs reuerteretur, daretq; operam, vt quæ ex ſacrarijs ablata eſſent, ad myſteriorum cultum pertinentia redderentur: atque ita Hugo Moncata vrbe exceſſit, grauiter indignãte Pompeio, idque factum deteſtãte, qui ſperabat capto, vel quoquo modo ſublato pontifice, ſe ſummum ſacerdotium Cæſare auctore adepturum. Clemens metu ſolutus, quum eius fama fœdè apud populum proſcinderetur, nec tantæ iniurię contumeliã æquo animo ſuſtinere poſſet, quod malignis hoſtibus credens, & doloſis inducijs fidens, tan-

tam & exſtimationis & Vaticanæ ſupellectilis iacturam feciſſet, abrupto indecoro fœdere & ſpretis obſidibus bellum Cæſarianis inferendum cenſuit. Accitus igitur Mediolano copijs Heluetiorum duo millia, & Italicas cohortes ſeptem virtutis eximiæ, quibus Ioannes Medices præerat, & magnam equitatus partem ad vrbem reuocauit; nouas alias copias conſcripſit, duces his, & tribunos præfecit eximiæ virtutis iuuenes aliquot è Romana nobilitate præſtantes. Cæſar hoc rerum motu Pontificis conſilijs occurrendum ratus, Carolum Lanoium proregem Neapolitanum cum ſex millibus Hiſpanorum, & xxx. onerariarũ nauium claſſe in Italiam miſit, ſcripſitque fratri Ferdinando, vt Georgius Fronſpergius magnæ auctoritatis dux apud Vindelicos cum tribus Germanorum legionibus in Italiam mitteretur: quibus Ioannes Medices, & Franciſcus Maria Feltrius eccleſiaſtici exercitus duces coniunctis copijs, quum occurriſſent, vt eos Padi tranſitu prohiberent, Ioannes Medices tormento ictus occubuit, non ſine maximo Italiæ, & præſertim vrbis mox ruituræ damno. Interea pontifex Pompeium, & reliquos Columnenſes inter hoſtes eccleſiæ refert, illum ſenatoria dignitate, adempto pilei rubri vſu mouet, addit diras, aquę & igni omnes interdicit, & armis perſecutus, omnia eorum oppida in Latio ad xiiij. inſigni acerbitate diripuit, inceditque, & in his Sublaqueum, proprias Cardinalis delitias. Fœderibus itaque ſolutis, bellum magnis contentionibus vtrinque inſtauratur. In ditionis eccleſiæ finibus Cæſariani Fruſinonem adoriuntur. Pontifex Valdemontium regia ſtirpe ortum, in ſpem potiundi regni Neapolitani è Gallijs euocat: qui claſſe aduectus Salerno primo impetu expugnata, infeſta ad ipſam Neapolim arma vertit, effuſumque cum vrbana multitudine Moncatam intra portam compellit. Ingens etiam bellum in ipſis regni finibus miſſis à pontifice copiarum ſupplementis agebatur. Totius exercitus eccleſiæ legatus erat Auguſtinus Triuultius Gallicæ factionis ſtudioſiſſimus. Pontificiorum virtute Cæſarianus exercitus ſoluta Fruſinonis obſidione, prælio victus, trepidus intra regni terminos ſe receperat. Inter hæc pontifex ærario exhauſto omnium rerum penuria, & belli moleſtia pertæſus, ad pacem inclinare cœpit, ei Cæſaris nomine tum à Franciſco Quignonio, quem poſtea Cardinalem creauit, ob eam cauſam miſſo, oblatam. Borbonius quoque qui in Inſubribus pro Cæſare erat, maximè formidabilis apparebat, is ingentibus, lectiſſimiſque inſtructus copijs, totius eccleſiaſtici imperij, & vrbis in primis opes in prædam militibus ſe concedere publicè prædicabat: itaque idibus Martijs denuo pax facta eſt, conſcriptæque pacis leges, in his vt Lanoius, qui pro rege erat, daret operam, ne Borbonius ad vrbem appropinquaret. Lanoius ſe id facturum pollicitus, exercitui obuiam proficiſcitur. Clemens, qui iam ſemel deceptus fuerat, fatali auaritia, præter omnium ſententiam, copias omnes dimiſit, Heluetiorum duo millia, & valentiſſimas illas cohortes, quæ ſub Ioanne Medice meruerant, nigræque ab atris ſignis vocabantur, quod vbi Borbonij exercitu cognitum eſt, Borbonius pacis legibus ſtandum non eſſe contendens, cum ingenti copiarum manu, contempto Lanoij edicto ad vrbem mira celeritate properabat, ita vt longe citius quàm opinione hominum expectare poſſet, ad mœnia Vaticani, & Ianiculi peruenerit: in ipſo pugnæ ardore dum Borbonius ad muros Vaticani ſuos cohortatur, & ſcalam conſcendit, pila tormenti traiectus cecidit, Deo Optimo Maximo haud dubie hominem vlciſcente, ne vrbis ab ſe captæ, & direptæ ſpectaculo gloriaretur. Vaticano, & Ianiculo paucis, qui repugnare auſi erant, interfectis, pridie nonas Maij, anno ſalutis ∞ DXXVII. expugnatis, exercitus omnis, qui ex Germanis, Hiſpanis, & Italis ad xl. millia hominum coactus erat, per pontem Xyſti in vrbem impetum fecit, & tanta cæde debacchatus eſt, vt nunquam poſt hominum memoriam maiore truculentia, vel in Turcas, vel in perpetuos, & infenſiſſimos hoſtes vindictæ libidine ſæuitum ſit. Omnes qui primo impetu obuij fuerant tam inermes, quàm armati ad vnum cæſi. Pontifex repentino tot hoſtiũ impetu conſternatus, ſummę rerum, & ſaluti ſuæ diffidens, conſilij expers, trepidus ſeſe in arcem recepit. Ea nocte nihil vnquam lugubrius, aut funeſtius Roma vidit: omnibus in locis ad ſatietatem vſque æditæ hominum ſtrages, nobiliſſimi

quique



quique tormentis excruciati, virgines, matronæ, & ſacræ virgines violatæ, Cardinalium domus, & principum item legatorum expugnatæ: nemo denique ſeruatus, niſi qui vitam & libertatem vniuerſa re domeſtica redemiſſet. Templa ferè omnia multis necatis, aut excruciatis ſacerdotibus direpta. Tum arx, in quam pontifex cum aliquot Cardinalibus ſe receperat, obſideri cæpta eſt, tam diligenti cuſtodia, ne quid obſonij intra inferretur adhibita, vt conſumpto commeatu omni, pontifex deditionem facere fuerit coactus, ea conditione, vt cuncta, quæ Cæſar imperaſſet, ſe facturum polliceretur. Conflauitque omnia ſacrorum templorum ornamenta, vt inde pecunia cuderetur militibus diuidenda, quæ quum ſatis non eſſet, pilei tres Cardinalitij venales conceſſi, vt illis licitantibus, qui ad ſenatoriam dignitatem aſpirabant, aurum proferrent; eò modo ad haſtam propoſitis emptores non defuere. Dum pontificis liberatio vltro citroque legatis miſſis cum Cæſare, qui tum in Hiſpania erat, tractaretur; audito Odetum Lotrechium copioſo cum exercitu Chriſtianiſſimi Franciſci regis iuſſu alpes tranſiſſe, vt pontificem proditum in libertatem, aſſereret, furentes milites, efferique, ſtipendia depoſcebant, vt vrbe poſtea exirent. His nummariæ rei difficultatibus coactus eſt Clemens obſides dare, quos ipſi milites delegiſſent homines maximè pecunioſos, & honoratos, quos quum malè & iniquè tractarent fuga elapſi, militum ſpes omnes eluſerunt. Pompei porrò Cardinalis Columnenſis, quo cum in arce in gratiam redierat opera, pecuniã quum inueniſſet Clemens ducum animos mitigauit. Franciſco Quignonio adipiſcendæ libertatis auctori præcipuo Galerum dedit, & vt milites maiore pecunia leniret, Marinum Grimanum, & Franciſcum Cornelium Venetos, Antonium Sanſeuerinatem, Ioannem Vicentium Carafam, & Andream Matthæium Palmerium Neapolitanos, Henricumque Cardonium Hiſpanum, pretio legerat in ſenatum; vtque ſanctiùs Cęſari fidem obligaret, quinque Cardinales obſides dedit: quibus amici, pacatiq; animi ſignum rebus geſtis, quum comitante exercitus parte vrbem veterem Tuſciæ oppidum petiturus eſſet, ipſe mutato habitu intempeſta nocte ex arce exiuit, & Ludouico Gonzaga comitante, quò conſtituerat, ſeptimo menſe poſt captiuitatem acceſſit; eò paulò pòſt curia omnis, & omnium principum legationes peruenerunt. Lucem porrò in arce expectare noluerat, veritus Hugonis Moncatæ ſententiam, qui Lanoio peſtilentia mortuo, pro rege erat. Is vt pontifex libertati redderetur nunquam conſenſerat. Cæterùm eò clandeſtinè elapſo, Cæſariani duces vrbe excedentes Neapolim ſe contulerunt: iam enim Lotrechius in regnũ peruenerat. Ad famam porrò capti Pontificis Florentini ad arma exciti Hippolyto, atque Alexandro Mediceis adoleſcentibus eiectis, ſeſe in libertatem vindicauerant. Eodem tempore quũ aliquandiu in Brutijs, & deinde in Apulia cum Venetis, atque reliquijs Gallorum eſſet dimicatum, qui mortuo Lotrechio, & maiore exercitus parte peſtilentia conſumpto pauci ſupererant, pax inter Gallum & Cæſarem eſt inita: ex cuius legibus exceſſere Galli, & Veneti omnibus Apuliæ oppidis, & rex Gallus liberos obſides vicies centenis millibus aureorum perſolutis, cum incredibili totius Galliæ lætitia incolumes recepit. Ea quoque æſtate inter Clementem, & Cęſarem amicitia renouata eſt, ijs conditionibus, vt Cæſar Margaritam filiam ſe cælibe ſuſceptam Alexandro Medici Laurentij iunioris filio deſponderet: bellum aduerſus Florentinos ſuſciperet, vt Mediceis vetus in patria dominatus redderetur: Florentini enim natura Gallorum ſtudioſiſſimi, eiectis Mediceis, Lotrechio adhæſerant: miſerant ad eum Neapolim auxilia, profeſſique Gallicam amicitiam Cæſarem oppugnabant, nunquam futurum exiſtimantes, vt Põtifex in gratiam cum Cęſare rediret, tantis ab eo cõtumelijs affectus. Venit paulò pòſt in Italiã Cæſar triremibus ab Andrea Auria Genuã aduectus, deinde Bononiam acceſſit, vbi à Clemente ſeptimo ſuſceptus, Romani imperij diadema de Pontificis manibus more maiorum accepit, & incredibili apparatu, magnificẽtiſſimaque pompa Auguſtus ipſo natalis ſui die, ſexto cal. Martij ∞ DXXX. appellatus eſt, quum Clementis, & Venetorum precibus Franciſcum Sfortiam in gratiam recepiſſet, reddito ei Inſubrum imperio (Mediolani tamen arce ad

ce ad

ce ad tempus retenta) de quo tantis cladibus omni deuaſtâta Italia dimicauerant. Demum in Germaniam pace cum Venetis facta contra Turcas profectus eſt, exercitu Italico, cui Filibertum Aurantium cum Vaſtio præfecerat, aduerſus Florentinos miſſo. Quo anno Tiberis alueum egreſſus magis quàm ad eam diem hominum memoria, vel vetuſtis monumentis relatum eſſet, vrbem inundauit, incredibili cum Romanorum damno, & ædium detrimento. Per hæc tempora Ferdinandus imperatoris frater Boëmiæ, & Pannoniæ rex, Cæſar Septemuirorum procerum comitijs Coloniæ Agrippinæ coactis, ex fratris Auguſti auctoritate, ne ſucceſſor in incerto eſſet, appellatus, & ſolenni diademate Aquiſgrani coronatus eſt. Intereà imperatore cum valido exercitu in Turcas Viennam obſidentes profecto, Florentini integrum annum ſub imperatoribus Malateſta, Balionio callido & forti duce, & Stephano Columna viro impigro libertatem ſuã conſtantiſſimè defenderunt: binis caſtris vrbs obſeſſa, è citeriore parte ab Aurantio, ab vlteriore à Vaſtio interfluente Arno. Erant in his caſtris Columnenſes fratres, Aſcanius Sarra, Camilli duo, & Martius cohortum alarumque præfecti. Demum anno vertente Florentini fame domiti, deditionem fecerunt, quum ipſorum auxilia, quæ ad opem ferendam Piſis adueniebant, Aurantius in agro Piſtorienſi profligaſſet, in qua tamen victoria ipſe dux cecidit. Florentinis in deditionem acceptis, nouo more dux impoſitus eſt Alexander Medices libertatis ſpe penitus ſublata. Ancona verò quæ rebellauerat defectionis auctoribus caſtigatis, recepta, Pontifex ad Cæſarem viſendum, qui Mantuam vſque venerat, acceſſit, aliquot tam Cæſare, quàm Francorum rege petente, creauit Cardinales viros grauiſſimos: parcus enim, & paulò retractior in nouo legendo ſenatu habitus eſt. Iuliani Medicis patruelis ſui filiũ Hippolytũ, quẽ opulentiſſimo Montis regalis ſacerdotio honeſtauerat, in patrum collegium adſcitum, Pompeio Columna Cardinale mortuo cancellarium S. R. E. creauit. Henricum viij. Angliæ regem Catherinam vxorem, quæ Imperatoris amita erat, repudiare totis viribus vigeſimo matrimonij celebrati anno conantem, quo Annæ Boloniæ amaſiæ nuptijs potiretur, quum id diuortium improbaſſet, terribileſque minas & anathema intentaſſet, eo impulit, vt patria religione deſerta, noua & nefaria Lutheri dogmata, quæ anteà ſcripto improbauerat, ſequeretur. Porrò autem dum Bononiæ Clemens eſſet, fœdus in ſex menſes productum eſt inter Pontificem, imperatorem, duces Mediolani, Ferrariæ, Florentinos, Genuenſes, Senenſes, & Lucenſes, contra eos, qui pacem Italiæ perturbare conarentur, vt ſi opus eſſet conſociatis viribus bellũ gereretur, cuius dux Antonius Leua creatus eſt. Interea orta inter Ferrariæ ducem, & Clementem de Mutinæ, Regijque principatu controuerſia, res ad Cæſaris arbitrium remiſſa eſt: qua in re iuris periti Cæſarei quum Clementi nonnihil fauere viderentur, tandem à Cæſare pro duce Ferrariæ contra pontificem eſt pronuntiatum; duæque vrbes Cæſaris iudicio Romanæ eccleſiæ ereptę, Ferrarienſium duci traditæ ſunt. Imperatore in Hiſpaniam profecto Clemens nouam cum Francorum rege amicitiam iniuit; in qua Laurentij iunioris filia Catherina Medices Henrico, Franciſci regis ſecundo genito in matrimonium collocata eſt. Res Maſſiliæ, quo Pontifex & rex Gallus conuenerant, incredibili pompa tranſacta, ibique ſolennes nuptiæ factæ. Aderant cum Pontifice, & rege, totius aulæ Romanæ, & Gallicæ præſtantiores quique, Cardinales ob eam rem quatuor, petente rege, creati: & Pontifex claſſe Gallica Romam reuerſus, haud diu ſuperuixit; longo enim & vario, difficilique morbo vexatus, poſtremò cùm Cardinales xxxiij. creaſſet, reſque domeſticas optimè diſpoſuiſſet, in aduerſa, proſperaque fortuna ſemper conſtans Romæ in Vaticano vij. calendas Octobris, hora inter xiix. & xix. rebus humanis exceſſit, anno ſalutis ∞ D X X X I I I I. ætatis lvj. menſe quarto pontificatus verò x. menſe decimo ſupra diem ſeptimum, cadauer primum ad ſanctum Petrum, poſtea Pauli tertij, pontificatu cum Leonis X. reliquijs ad Mineruæ delatum eſt, & marmoreo ſepulchro locatum. Vacauit tum ſedes dies xvij.

PAV-



# PAVLVS PAPA III.

GEns Farneſia, quum à maioribus, quorum ſummi honores, & res præclarè geſtæ memorantur, magnum decus, atque ornamentum accepit; tum ætate noſtra, quibus rebus mortaliũ vita honeſtatur, ijs ita omnibus excellit, vt Italicarum gentium pauciſſimas cum ea, vel opibus, vel dignitate conferri, virtute quidem, & ſtudio maximarum rerum, vnde vera nobilitas petitur, præferri nullam poſſe exiſtimem. Quo ego libentius breuem vitam Pauli papæ III. Farneſij, qui vetera familiæ decora vehementer auxit, mandare litteris aggredior: nam me quoq; ipſum licet aliena narrantem res tamen ipſa, & laudatiſſimi principis acta afficiunt, rerumque ab eo præclarè geſtarum maieſtate cogor, eas poſteris tradere, vt ad eorum exemplum, qui laudabiliter vixerũt, omnes, qui hęc legẽt vitæ ſuæ quaſi curſum inſtituant. Paulus igitur pontifex ex nobili & antiqua Farneſiorum familia, quæ principẽ hodie locum inter Romanos obtinet, ortus eſt. Cuius honorificam mentionem, ante annos penè quingentos in Vrbis veteris vetuſti Etruriæ oppidi annalibus, & antiquis monumentis extare didici. Hanc gẽtem priſcis temporibus cùm alijs multis, quæ paſsim per varia terræ Italiæ loca conſedere, ex Germania in Cæſarum comitatu, qui Italicum iter magna nobilium Germanorum copia ſtipati, frequentare ſolebant, veniſſe traditũ eſt. Cuius generis proceres, quum multa animi, corporiſq; egregia documẽta dediſſent, aliquot oppidorum in Vulſinienſibus, & Salpinatibus ditionẽ ſibi vindicarunt. In vrbem deinde virtutis ergò adſciti, ad noſtrum vſq; ætatẽ potẽtia, & opibus ſummum claritatis locum obtinuere, quãquam ipſum familiæ nomẽ à Farneto Etrurię pago, quo familia ipſa potitur, traxiſſe quibuſdã placuiſſe viderim, qui à frequentibus farnis, quod quercus genus eſt, appellationem obtinuit. Hinc in antiquis monumentis eos de Farneto vocari animaduerti. Clariſſimus inter multos ex hac gẽte fuit Petrus Farneſius, Ranutij filius, Peponis nepos, qui anno à partu Virginis ∞ CCCXIII. Vrbis veteris multis regulis, & nobiliſſimis familijs tũc refertæ, princeps factus, patriam à ciuili Guelforũ, & Gibellinorũ ſeditione liberauit. Ante annos quoq; CCCCLXX. Paſchale II. Romano pontifice, Petrus ſenior Farneſius, equitum eccleſiaſticorum magiſter, inſigni victoria de põtificis hoſtibus in Vulcientium littore parta, vetuſtiſſimã Coloniam Coſſam, Vrbitelli nomine reſtituit. Prudentius Petri ſenioris filius Lucio II. & Prudẽtio geniti, Popo, & Ranutius Innocẽtio III. egregriè pro eccleſiaſtica libertate operã nauarunt. Quorum poſteri in ciuilibus inter Romanos pontifices, & Imperatores diſſenſionibus, Romanæ eccleſiæ partes ſæpè afflictas, & diſiectas, magna fortitudine, & felicitate ſuſtinuere. Florentini Petro Farneſio duce Piſanos grauiſſimo prælio attritos, eò redegerunt, vt clariſſimæ ciuitatis vires, præcipuis ciuibus amiſſis, paulatim conciderint. Petrus Ancaranus, ciuilis, pontificijque iuris præſtantiſſimus interpres, cuius plura ingenij plena extant inſignia monumenta, ex gente Farneſia originem habuit. Pontificis Pauli tertij auus Ranutius Farneſius Petri filius Ranutij nepos eccleſiaſtici exercitus ſtrenuum Imperatorem Eugenio IIII. põtifice maximo, contra Romanæ eccleſiæ perduelles, qui frequentes, & potentiſſimi per ea tempora fuêre, egit, ab eodem pontifice ob rem militarem bene geſtam, aurea roſa donatus. Huius filius Petrus Luiſius, ex Ioannella Caietana de Sermoneta, Bonifacij VIII. gentile, illuſtri ſanguine nata, lectiſſima & antiqui exempli matrona, Paulum III. papam genuit, Alexandrum ante ſummum ſacerdotium vocatum. Ipſe natus eſt Carini, quod eſt oppidum in Etruria paternæ ditionis, pridie calendas Martij, anno à partu Virginis ſexageſimo octauo, ſupra milleſimum, & quadringenteſimum, Paulo ſecundo Veneto pontificatum maximum obtinente, in cuius rei memoriam pontifex poſtea factus, eius nomen adſciuiſſe exiſtimatur. Puer ſingulari parentum diligentia educatus, Romæ Pomponium Lætum primùm audiuit, poſtea Florentiam, vbi tunc temporis Græcarum, ac Latinarum literarum clariſſimi erant profeſſores, ad diſcendum miſſus, celeberrima in Laurentij Medicis ſchola omnibus diſciplinis, quibus illa ætas impertiri debet, imbutus, ante omnia Latinas, & Græcas litteras magna felicitate didicit: eni-

tuit

fuit enim ſtatim in eo ingenium viuidũ, ſublime, & quod ad rem maximè pertinet, in perdiſcendo gloriæ auidum. Ijs artibus, quum quantum temporis ſatis videbatur impendiſſet, & magnę ſpei adoleſcens euaſiſſet, Romã ſub Xyſti quarti ſucceſſore Innocentio VIII. ſe contulit, vt quum litteris rerum quoque maiorem vſum, qui vnus ad maximas dignitates induſtrios homines euehit, pari felicitate coniungeret. Ac ſtatim ad Rodericum Borgiam Cardinalem Epiſcopum Portuẽſem apoſtolicæ ſedis Cancellarium, atq; tum ampliſſimi ordinis principem obſequijs, officijsq; colendum, omne animi ſui ſtudium contulit, à quo ob morum elegantiam, vehementer amatus eſt. Quum aliquando ob rem familiarem à matre diſſentiſſet, eius rogatu ab Innocentio VIII. in Hadriani molẽ coniectus eſt, quo iuuenis paulò audacioris ſpiritus reprimerentur. Haud ita multò pòſt Pauli Marganij propinqui opera, dum omnes ſupplicationibus corporis CHRISTI religioſiùs vacant, funibus ex præalta arce demiſſus, feliciter ſeſe carceris tædio eripuit. In pontificis gratiam rediens, quum animum ſacro viuendi inſtituto addixiſſet, ſcriptor apoſtolicus, & protonotarius creatur. Innocentio VIII. mortuo ab Alexandro VI. quem antea ſemper obſeruarat, ærarij præfectura, & epiſcopatu Montis Flaſconis, Cornetique ornatus, mox purpuræ honore collato, in ſenatum magna duodecim patrum lectione XII. Kal. Octobris anno ſalutis ∞ CDXCIII. cooptatur, annum ætatis nondum egreſſus XXVI. eiq; Diacono SS. Coſmę, & Damiani diaconia more maiorum commiſſa. Inde accumulata dignitate Viterbij primùm legatus, in quo honore Carolum VIII. regnum Neapolitanum armis repetentem, honorificè ſuſcepit: deinde agri Piceni factus eſt. In his legationibus ita ſe geſſit, vt ſummis, infimis æquè gratus, magnum ſui deſiderium munere defunctus, prouincialibus reliquerit. Hiſce de cauſis ſibi gratum Iulius II. ad ſe accitum, & pro Picena legatione Parmenſi epiſcopatu donatum, in Lateranenſi concilio eius opera vſus, eundem quoad vixit apud ſe Romæ detinuit, atq; opulentiori ſancti Euſtachij diaconiæ præfecit. In ampliſſimo ordine, in quo quod paucis antea contigerat, annos ſupra quadraginta vixit, talẽ ſemper ſe geſſit, vt in Gallorũ ne, an Hiſpanorũ, quorũ tunc factionibꝰ Italia omnis ſeruiebat, res magis pronus eſſet, neutri partiũ ſatis planè vnquã conſtiterit. Itaq; eũ omnibus gratũ, nemini priuatim addictum, & magna cum integritatis, prudentiæ, dexteritatiſq; laude muneri ſuo aſſidue vacantẽ, cępit omnibus ſęculis laudatum ædificandi ſtudium, atque eius domus Antonio Sangallo architecto fundamenta iecit, quæ nunc non procul à Flore campo ſtructuræ elegantia, & laxitate cunctas noſtri temporis, vel ſumptuoſiſſimas regias longè ſuperat, artificio autem, neque veterum quidem Romanorum ſuperbiſſimis olim palatijs cedit. A Leone X. ex diacono Cardinale ſancti Euſtachij, epiſcopus Cardinalis Tuſculanus factus, ex vitæ ſuæ inſtituto id adeptus eſt gratiæ, vt quum Leo leni ab initio, ac ferè contemnenda, ſed mox vehementi ac mortifera febre inopinantibus medicis extinctus eſſet, & tanto ſacerdotio dignus ſucceſſor quæreretur, Cardinales aliquot cum ſuffragijs ſuis prætulerint. Bernardinus etenim Caruaial Hiſpanus ſenatus tum princeps, & is ipſe Alexander Farneſius Cardinales inter plures candidatos, ante omnes prodierant, ſed ille, quum vel demiſſe prẽſando, apud ſurdas Cardinalium aures nihil proficeret, quũ per ſe quiſq; patrũ, ab illa valde dira, & propè execrabili Alexandri memoria Hiſpanici nominis ingenia perhorreret, facilè repulſam tulit. Id accedebat, quod ipſe quanquam probè eruditus, & grauis recentis adhuc ignominiæ notã præferebat, quod Iulio II. excitato ſchiſmate, negotium faceſſiſſet. Alexander vnà cum ætatis honore, magna Romanæ nobilitatis, ac variarum virtutum, & litterarum præſidia ferens, & prudentis, ciuiliſq; modeſtiæ nomine omnibus cõmendatus, inuiſus nemini, haud dubiè ad ſummum quod petebat honoris faſtigium perueniſſet, ſi ad ſuffragiorum numerum, quem ſperauerat, tenorem in acceſſibus eſſet conſecutus. Sed Iulius Medices, qui iuniorum patrum ſuffragia, ſine quibus res confici nõ poterat, moderabatur, quamuis hominẽ probaret, & coleret, eum tamẽ ſibi minimè præferendum ratus, à ſuffragando ſuis deterritis, illius ſpes facilè pręcidit. Gallos etiã patres ſuboffenderat, quod quum aliquandiu diligenter ambiendo, & prenſando

ſando



plures ſibi amicos adſciuiſſet, & patribus ad ſuffragia vocatis fortunæ ſuæ periculum facere decreuiſſet, vt Cæſarianorũ certiore ſtudio vteretur, Manueli Imperatoris legato fidem obſtrinxerat, ſe Cæſari nunquã defuturũ, ſi eius auſpicijs pontificatum obtinuiſſet: quæ res aperta Gallicæ factionis Cardinales ab eo auertit. Biennio pòſt, quum Hadrianus VI. fato conceſſit, inſtauratis comitijs eadem iuniorum cõſpiratione Iulio Medice ſubrogato, ipſe rurſus obtinẽdi põtificatus ſpe decidit; Nimirum nondum tempus illud aduenerat, quo eum Deus tanto excelſæ dignitatis honore ornare deſtinarat: quem eo abnuente, nulla demũ, quantumuis diligenti humana induſtria adipiſci quiſquam poteſt, neq; vlla rurſus ſolertia vllus pręuertere. In quo tamen, vti poſtea conſtitit, bene haud dubiè cum illo actum tum fuit, quum procul à publico odio, in quo Clemẽs tẽporum calamitate ſtatim incidit, ipſe meliori ſorte diuina certè prouidentia ad feliciora ſeruaretur. Id, quod inde maximè videri licuit, quũ mortuo Clemẽte annus longè omnium eius ætatis ſecura domi pace, mira cœli clemẽtia, lęta paſſim agrorum copia, & vbertate, Punicaq; victoria inſignis Pauli III. põtificatus initia nobilitauit, ita omnes, qui luctuoſa Hadriani, & Clemẽtis tempora euaſerãt, ſe tunc primum natos crederẽt, ſalutem, & fortunas ſuas in tuto poſitas arbitrarentur, exiſtimarentq; expiatis tot cladibus inuectam eſſe aurei ſæculi felicitatẽ, quam haud dubiè Pauli III. pontificatum ciuili ſapientia, prudẽtiaq; plenũ attuliſſe ſibi perſuadebant, cuius rei Clemente adhuc viuo haud modicum ſpecimẽ datum fuerat. Sub cuius põtificatus initijs Paulus ipſe Pręneſtinam primum eccleſiam, deinde Sabinam, pòſt Portuẽſem, nouiſſimè Oſtienſem obtinuit. Mortuo verò Nicolao Fliſco Senatus principe, id munus vetere inſtituto ſuſcepit, quod tãta cum dexteritate, prudẽtia, auctoritate, ac integritatis opinione annos decem ſuſtinuit, vt nemini dubium eſſet, ijs artibus gradum ſibi ad ſummũ pontificatum, quo vnus omnium digniſſimus exiſtimatus eſt, præparaſſe. Romæ munus legationis iterum obiuit, in Hiſpaniam legatus eo tempore deſignatur, quo Clemẽs vrbe direpta in arce obſidebatur, in itinere Parmę ſubſtitit & Lotrechium, vt in pontificis obſeſſi auxiliũ expeditis itineribus veniret, maximè ſolicitauit. Cæſarem vero tunc primum in Italia venientem Genuę cum Frãciſco Quignonio Cardinale S. Crucis, & Hippolyto Medice legatus excepit. Quũ Carolus Imperator Bononiã iterum veniſſet, eo animo vt inter alia circiter xv. Cardinales à Põtifice è factione ſua creare procuraret, Farneſius eum auctoritate & rationibus ne id faceret, perſuaſit. Ob eas res apud Clementem adeò gratia, & auctoritate valuit, vt quum põtifex diuturno ſtomachi vitio tabefactus, ſæpe repreſſo, & rurſus erumpẽte morbo, omnem vitæ ſpem cõſtanter abieciſſet, eum ſibi ſucceſſorem teſtamẽto ſcriptorem affirmaret, ſi põtificatus hæreditate pararetur: quin morti proximus ei vni iudicio ſuo omnibus patribus prælato, eccleſiã propediẽ vacaturam commendauit, & propterea Hippolytum Medicem etiã atque etiam fuerat adhortatus, vt vnũ omnino Farneſium collatis amicorum ſtudijs attollẽdum, ornandũq; ſuſciperet, quãdo nemo in adminiſtrãda repub. & tuenda dignitate ſacroſanctę maieſtatis, eo potior eſſe videretur. Eo deinde rebus humanis exempto, quum nequaquam quęrẽdus eſſet, qui in eius locum legeretur, ſed legendus, qui ætate, prudentia, rerũ diuturno vſu, inueterata virtute, & præcellentibus litteris præ omnibus ſine controuerſia emineret, patres haud diu cũctati, cogitarunt eum nouo, & inuſitato exemplo ante celebrata nouẽdialia, ſine vllo cõclauis cœtu, demortuo pontifici ſubrogare. Quod ipſe tanquam præter maiorũ morem conſtantiſſimè recuſauit. Iuſtis igitur Clementi VII. celebratis, Cardinales XXXV. qui aderant, in comitium in Vaticano ad quintum Idus Octobris anno à partu Virginis ∞ DXXXIIII. ſunt ingreſſi, nam multi in Vrbem è prouincijs ad comitia conuolarant. Poſtridie ad quartum Idus, Hippolytus Medices, Cardinalis Clementis pręceptorum memor, & ſua ſponte, & ſuorum omniũ hortatu, & amicorum Cardinalium propenſione adductus, cum Ioãne Cardinale Lotharingio, viro inter patres nobiliſſimo egit, vt vtriuſq; opera, qui ſupra viginti ſenatorũ ſuffragia moderabantur, pontificatus Farneſio traderetur. Paucis igitur conſilio communicato, ad Farneſium circa horam noctis ſecundam pergũt, eũ-

 que

queprimos comitiorum æſtus trãquillo animo in cella expectãtem pedibus ad-
uoluti pontificem maximum ſalutãt. Qua in re memoratu dignũ id accidit. Lo-
tharingius Cardinalis Gallicã legationem ad ſe transferri rogauit, ſibi certo pol-
licitus, illum in tanta animi alienatione eam rem ſibi nõ negaturum. At Farne-
ſius nondum plane pontifex, id decori ſuo cõuenire negans, preces eius obaudi-
uit. Cæterùm Medices & Lotharingi exẽplum Cardinales amici primũ, deinde
dubij, nouiſſimè pauci competitores, & aduerſarij ſecuti, eum ſubita veluti reli-
gione tacti adorant. Nulla vnquã à multis ſæculis comitia ſincerius, ſimplicius,
cõcordiusq́; inita peractaq́; ſunt, quũ nullo liuore protracta, nullo ambitu cor-
rupta, nulloque demũ metu præcipitata fuerint. Eum populus Romanus incre-
dibili lætitia, & gratulatione accepit, quod in vrbis ſuæ ciuitatem pontificatum
maximum, quo quidem illa iam annos plus cẽtum à Martino V. deinceps carue-
rat, nobiliſſimus ciuis ſui fama nominis & eximia virtutũ claritate reuocaſſet,
qui latronum, & ſicariorum audaciam, quæ in prouincijs & Romæ ægro põtifi-
ce, & per interregnum eruperat, quàm primum contundere poſſet. Poſtridie quũ
in ſuffragia itum eſſet, ſyngraphis ſuffragiorũ præter morem apertis, in ſacratũ
calicem, quod ſcrutinium vocant, coniectis, pontifex denuo omniũ votis renũ-
tiatus, ad tertium Nonas Nouembris Pauli III. nomine aſſumpto, coronatus eſt;
qua die ab eo felici auſpicio publica hilaritate percelebri in eius honorem nobi-
liſſimi Romanæ iuuentutis adoleſcẽtes per Vaticanã areã ſimulachro equeſtris
pugnæ edito iucundiſſime decurrerunt. Nec defuit ſpes: nam põtificatum adep-
tus tribunalis populi Romani Capitolini, officiorum, curialiũ, priuilegia cõfir-
mauit & auxit: eccleſiarum prædia temere locata, vindicauit: & ita ſe in admini-
ſtranda rep. geſſit illuſtri quodam in ſpeciem diuerſarum virtutũ, temperamen-
to, vt pontificis ſimul, & principis nomen tueretur. In omni nãque cõſilio & ſin-
gularis pietas, & ſumma prouidẽtia eminere videbãtur, & nõ obſcura idem am-
plificandæ ſuorum potentiæ voluntas. Nam ante omnia, quod in re magnopere
expediebat, ſe neq; harum, neq; illarum partium, quod Cardinalis etiam facere
coſueuerat, ſed cõmunem omnium parentem profitebatur, propterea nequaquã
adduci vnquã potuit, vt id fœdus renouaret, quod Bononiæ Clemẽte, Cæſareq́;
auctoribus, pro tuenda Italiæ libertate haud obſcurè ad arcendos Gallos percuſ-
ſum fuerat, quum ab vtroq; aliquod fortuna ſua dignũ munus expectaret. Quin
& cõcilium toties à Germanis veræ pietatis deſertoribus ad terrendos Romanos
pontifices efflagitatum, à quo grauiſſimis de cauſis Clemẽs diffugiſſe videbatur,
vltro ſe appetere, & ad id locum, tempusq́; ſe decernere paratum eſſe prædicabat:
apud principes verò Chriſtianos inſtitit, vt ſibi concilium indicturo cõſentirẽt.
Miſſis quoq; pro tuenda ſacroſancti nominis dignitate, qua priuatæ ſpes tegerẽ-
tur, in Galliam & Hiſpaniam legatis, aſſiduè dabat operam, vt Franciſcus Gallo-
rum rex vno conſenſu ad oppugnandum Turcam opulentiſſimo Africæ potitũ
regno cum Carolo Cæſare, firma pace, vel renouatis fœderibus iungeretur, vt ea
ſaltem ratione Turcarum, & Gallorum amicitiam labefactaret. Sed quanquam
eſſet apud Gallos eximia pontificis auctoritas, nil tamen, quod ad fœderum, vel
conferendorum auxiliorum rationem pertineret, impetrare potuit. Franciſcus
enim Gallorum rex Italia omni pulſus, Cæſaris felicitatem, qui magnam Italiæ
partem tenebat, ferre nõ poterat. Ad amplificãdos deinde ſuos conuerſus, proxi-
mo Decembri duos ex filio & filia nepotes diaconos Cardinales creauit, Alexan
drum Farneſium Petri Luiſij filium, & Guidonem Aſcanium Sfortiam, Con-
ſtantia & Boſio natum. Ex his priorem, mortuo paulò pòſt Hippolyto Medice,
S.R.E. cancellarium, poſteriorem vero camerarium, haud ita multò pòſt Spinu
la defuncto, fecit. Poſtea ſtatui eccleſiaſtico inſtaurando confirmandoq́; animũ
adijciẽs, nihil antiquius duxit, quàm vt viros egregios toto terrarũ orbe cõquiſi-
tos in patrum ampliſſimorum ordinem legeret, eccleſię ſalutem ijs verè initi af-
firmans. Proximis igitur ſenatorum lectionibus aliquot, inter multos ad XX.
amplius ſelectos Cardinales creauit, omnes ſummo ſacerdotio digniſſimos,
quos, vt in ſuam rempublicam adlegeret, è totius orbis Chriſtiani ſenatibus de-
cerpit. Nemo Romanorum pontificum ad hanc diem plures patres, qui vnus
è ſep-



è ſeptuaginta fuere, ſacræ purpuræ honore donauit. Quatuor ſummi pontifices,
qui nuſquam interrupta ſerie poſt eũ ad ſummũ ſacroſanctę põtificię dignitatis
apicem peruenere, ex eius lectionibus prodierunt, Iulius III. Marcellus II. Pau-
lus IIII. Pius IIII. præter quos F. Nicolaus Archiepiſcopus Capuanus Germa-
nus, ordinis prædicatorum theologus, Ioannes Ballaius Gallus orator regius:
Hieronymus Ginutius Cameræ, Iacobus Simoneta, Rotæ auditores: Ioannes Fi-
ſcherius Anglus epiſcopus Roffenſis Theologus, paulò pòſt ab impio Henrico
VIII. rege pro CHRISTO capite cæſus, Gaſpar Contarenus ampliſſimus ſena-
tor Venetus, Philoſophus eximius, Marinus Caractiolus pro duce Mediolani,
Chriſtophorus Iacobatius ſupplicibus libellis ſubſignãdis præfectus, Iacobus Sa-
doletus theolog⁹, Rodulphus Pius, vitæ integritate, rerũ gerẽdarũ prudentia ex-
perientiaq́; præſtans, Hieronymus Alexander archiepiſcopus Brũduſinus, trium
linguarũ peritia illuſtris, Reginaldus Polus Anglus vir eximia ſanctitate, & va-
rio doctrinarum genere clariſſimus, F. Ioãnes Toletanus ex ordine prædicatorũ,
Petrus Bembus, Fridericus Fregoſius, Petrus Paulus Pariſius, Bartholomęus Gui-
ditionius, F. Dionyſius Laurerius ordinis ſeruorũ magiſter, Ioãnes Moronus, D.
Gregorius Corteſius monachus Caſinas, F. Thomas Badia ex ordine prædicato-
rum, Ranutius Farneſius alius nepos, quem maiorẽ pœnitentiariũ fecit, Latinis
Græcisq́; literis eruditus, & alij multi numerantur, vel nobilitate clariſſimi, vel
omni virtutũ doctrinarumq́; genere cumulatiſſimi, ita vt nõ immerito reſpub.
Chriſtiana plurimũ ei debeat, cuius vnius graui, prudentiq́; delectu ampliſſimo
ſenatui orbis Chriſtiani ornamento ſuus eſt honor reſtitutus. Initio põtificatus
Pauli, furioſa & inſana Anabaptiſtarum hæreſis paulo ante exorta, Monaſteriũ
ciuitatem Veſtfaliæ munitiſſimã occupauerat. In qua à loci Epiſcopo acriter ob-
ſeſſi, aſperrimasq́; oppugnationes paſſi, tãdem cõmeatu abſumpto extrema in-
edia confecti, mures, feles, canes, animaliũ coria, & alia id genus, comedere ſunt
coacti, ita vt vrbs illa verè noua Hieruſalem dicta ſit. Id enim nomen ei indide-
rat hæreticorum Rex nouus, Ioannes Leidenſis Batauus, homo profanus, ſordi-
da conditione, ſed animo plane excelſo, qui ad id munus à Deo ſe vocatum
eſſe miſeris perſuadens, ad hanc nouam Hieruſalem & montem Sion miſſis
ſuis quaqua verſum prophetis, mira audacia omnes inuitabat. Cæterùm ca-
pta Vrbe omnes cum rege obſidione deleti ſunt, & funeſtæ hæreſis deliriorum,
& ineptiarum refertiſſimæ domicilium diſſipatum. In Anglia per hæc tempo-
ra maior rerum moles fuit. Henricus VIII. Britanniæ rex, qui edito præ-
claro volumine, inſanam Lutheri hæreſim oppugnauerat, & ob eam rem fidei
catholicæ defenſoris, ſpecioſo titulo à Leone X. ornatus fuerat, patriæ religionis
deſertor ob hanc cauſam eſt factus. Vxorem is duxerat Catherinam Arragoniã,
Ferdinandi catholici Hiſpaniarum regis filiam, ac Caroli V. Cæſaris materte-
ram, Arturo fratri diu ante mortuo deſpõſatã, cui quum inſani amoris libidine
correptus vigeſimo matrimonij anno repudij libellũ miſiſſet, Annam Boleni-
am adulteram, cuius furioſo amore flagrabat, in cõiugalem thorũ recepit. Hanc
cauſſam aliquãdiu in celeberrimis totius orbis Chriſtiani gymnaſijs tractarant
inter ſe diuinarũ, humanarumq́; legum periti: poſtremo quum Clemẽs põtifex
& in Cæſaris gratiam, & vt æqua iura poſtulabant, repudium id auctoritate ſua
ſancire noluiſſet, ſed eas nuptias vti nefarias dãnaſſet, rex male ſano amore de-
prauatus, omnem veterẽ ſuam virtutis, ac pietatis laudem, & gloriã abdicauit,
& noua damnataque Lutheranorũ dogmata ſequutus, ab auctoritate Romani
pontificis impiè deſciuit. Hinc factum, vt quum efferatum animum ad ſęuitiam
impuliſſet, multis ſupplicijs damnatorum procerũ aulã funeſtauit, ſublato an-
te alios, quod etiã promeruiſſe videri poterat, ipſo Thoma Vulcer Cardinale E-
buracẽſe, qui nefarijs cõſilijs peruertiſſe regẽ atq; infatuaſſe inuidentis populi iu-
dicio accuſabatur. Nec mora, ſeueriore diſtricto gladio cõplures exploratę probi
tatis viros, & litterarũ doctrina illuſtres, quod eius nefariæ ſentẽtiæ aſſentiri nol-
lent, interfecit. In queis fuere Thomas Morus, regij ſcrinij magiſter, & Ioannes
Fiſcherius Cardinalis Roffenſis, paulò ante à Paulo III. creatus. Boleniæ autẽ re-
galibus ornamentis traditis, & tanquam ex legitimis nuptijs communicato ge-

niali thoro, Catherinam legitimam vxorē miſerabiliter thoro domoque expu-
lit, quæ quum dolorem ferre nequiret, breui, filia Maria relicta, fato conceſſit.
Ab hiſce diris principijs ad peiora progreſſus, ſeipſum quoque publico edicto ec-
cleſiæ Anglicanæ primarium ſub CHRISTO caput contempto pontifice
ſuperbè, & arrogāter pronunciauit, catholicamque omnem religionem hæreſi
Lutherana ſuſcepta abrogare totis viribus contendit: monaſteria, & ædes ſacras
profanauit: clericos, monachos, & fratres religionum omnes multis ex ijs imma
ni ſæuitia occiſis omnino deleuit, bonis eorum vel in fiſcum redactis, vel quo
plures erroris ſui participes haberet, miniſtris inſaniæ ſuæ ſceleratè conceſſis,
omnia poſtremo rapinis, cædibus, cruciatibus, & impietate repleuit. Hiſce de
cauſſis commotus Paulus pontifex, frequenti ſenatu Henricum Anglū, ob inau-
ditæ hæreſis crimen Chriſtianorum numero haberi indignū cenſuit anathema-
teque notatum, & abrogata eidem omni poteſtate, in ordinem redactum regijs
titulis pro auctoritate ſua aliquandiu cunctatus priuauit. Nec mora, prædura
ſcelerum vltrix adfuit Dei dextera: nam idem rex nouo inuſitatæ ſeueritatis faci
nore edito, eandem quam tantopere amauerat Boleniam adulterij damnatā, pa-
làm capitali ſupplicio affecit. Suſceperat hoc tēpore Cæſar Carolus expeditionē
Tunetanam, vt immanem prædonem, & piratarum ſæuiſſimū ducem Hadria-
nū Barbaruſſam vlciſceretur, qui immenſis Solymani Turcarū imperatoris co-
pijs, ac ingenti eius claſſe ſubnixus, poſt vaſtata cuncta Italiæ, Siliciæ atque Hiſpa-
niæ littora, Tunetē in Africa eiecto Muleaſſe rege occuparat, & barbarè arrogan
terque felicitatis ſuæ metas progreſſus, de regno Neapolitano occupando, ma-
gna ſpe concepta, haud dubia conſilia agitabat. Ad hoc bellum conficiendum
Paulus pontifex liberaliter contulit: nam & de ſuo decem triremes Genuæ exor-
nari iuſſit, quibus tres quoque veteres adiunxit, quæ in cuſtodia Romani littoris
eſſe conſueuiſſent, & in bellicos ſumptus ſacerdotiorū totius Hiſpaniæ decimas
Cæſari conceſſit. Claſſi ſuę tum Pontifex Virginium Vrſinū Anguillarię comi-
tem præfecit, nauandæ operæ cupidum, vt ea generis claritas præfecturæ, maio-
rē auctoritatem adſtrueret. Eaſdem etiam decimas ex æquata liberalitate, Fran-
ciſco regi conceſſit, quò ille ſi vſus poſceret ad tuenda Etruſci maris, pōtificiæq;
ditionis littora, è Maſſilia vigintitriremes mitteret. Quum autem Alfonſus Va
ſtius ſuo antiquo pedeſtris militiæ imperio fungēs, Germanicas ac Italicas legio-
nes in Africam eſſet tranſportaturus, pontifex, qui eum appulſurum Cētumcel-
las intellexerat, ad declarandum ſuū in tam pio bello ardens ſtudiū, cōfeſtim eò
ſe cōtulit, vt ſacris precationibus Deum Optimū maximū, diuosque Chriſtiani
imperij tutelares, ad victoriam de hoſte parandam nauigantibus propitiaret; ita
ipſo præeunte, verba & hymnos ſacerdotum choro decantāte, triremes, nauesq;
onerariæ ab excelſa ſpecula expiatæ, luſtratæque ſunt. Datum eſt item vexillum,
& ſceptrū Chriſtianæ religionis in templo de manu pōtificis Virginio Vrſino,
poſtridieq; Vaſtius, cum eò nactus idoneam tempeſtatem, Neapolim primùm,
in Siciliam deinde curſum direxit, vt proſpera demum nauigatione Africę litto
ra cōtingeret. Paulò ante quoq; ad Andream Auriam toti maritimo negocio à
Cæſare præfectum, & cuncta ad bellum nauale ingenti cura, famaq; adminiſtran
tem pontifex gladium de more ſolennibus cæremonijs conſecratū dono miſit;
is erat gemmato capulo, cælataq; vagina cum baltheo aureis bullis, & fibulis val
de conſpicuo, & præter eum etiā villoſo è ſerico pileum margaritis phrygio ope-
re depictum. Ea ſunt eximij, pijq; ducis aduerſus Chriſtianæ religionis hoſtes de-
pugnātes inſignia, magnis regibus donari ſolita, ſic vt nō immerito ſtrenuus ſe-
nex, quanquam multa iam nauali gloria plenus, ad petendā noui decoris laudē
accēderetur. Interea Hippolytus Medices dominandi auidus, animo vehemēter
perturbato, inuidere apertius fortunæ Alexandri Florētiæ ducis atq; eius vitę in-
ſidiari cœpit, ita vt ex ſubitario tormentariæ pulueris incendio Ioanne Baptiſtā
Cybo Epiſcopo Maſſilien. impulſore execrabile exitium eidem machinaretur,
quod ſcilicet ipſo ſublato, dominatū Florentiæ adipiſci ſe poſſe per exules vaniſ
ſima cogitatione confidebat. Harum autem inſidiarū indicia Deo detegente ab
Alexandro depræhenſa ſunt, atq; illico Romā ad Paulum pōtificem delata. Pō-
tifex



tifex quāquam ruituræ Mediceæ domus excidio, quod aliena cū inuidia paraba-
tur, gauderet, in ſpē ſcilicet ingentis lucri ex ampliſſimis ſacerdotijs, quæ in Far-
neſios nepotes transferrentur, Alexādri tamen iniuriā negligere videri noluit.
Quum Octauianum Tēgam hominem facinoroſum ex Hippolyti ſatellitibus
nefarij conſilij conſcium compræhēdi iuſſiſſet, ſunt qui ob impotētiam & præ-
poſteros mores eum in vinculis habitum affirmāt, quum pontifex nullā in eius
captione cōiurationis rationē habuiſſet. quo capto Hippolytus vano timore ex-
territus, ære alieno oppreſſus, & Gallica ope, cui multùm fidebat deſtitutus, ex vr
be in Tiburtini agri ſancti Angeli caſtellum aufugit: poſtea, cōmutata volūtate
ad ſanitatem redire, Alexādroque recōciliari cùm voluiſſet, Romā redijt, hono
rificè à pontifice ſuſceptus, & mitioribus verbis admonitus. Inde Neapolim pro-
fecturus in itinere ad oppidum Iter Fundani agri, quod eſt viæ Appiæ impoſitū,
oborta peſtilēti febre, (vel vt alij tradūt) veneno petitꝰ, ſexto die ad IIII. Idus Au-
guſti rebus humanis eximitur, & in vrbē relatus tota vrbe lachrymāte in Lauren
tianis ædibus tumulatur, magna hercle exulum lætitia, & pontificis commodo,
quum hic eius ſpolijs & ſacerdotijs ſuos ditaret: in his Alexandrum Farneſium,
cui ampliſſimo cancellariæ munere honeſtato, monaſterium trium fontiū, quæ
Hippolyti fuerant, commendauit; illi verò vno erepto alterum tanquā propin-
qui ope deſtitutum, vti mox euenit, facilè tolli poſſe diuinarent. Cæſar autem
ingenti claſſe comparata ex Sicilia, Italiaque ſoluens, ad Vticæ littus felici-
ter appulit, vbi exercitu expoſito, fugato Barbaruſſa Tunete paucorum die-
rum labore expugnato, reſtitutoque duris conditionibus Muleaſſe beneficiario
rege, & Guleta arce firmiſſima impoſitis Hiſpanis præſidijs inſigniter munita, ad
viginti millia captiuorū Chriſtiani nominis, qui ex diuerſis regionibus à ſæuiſ-
ſimo prædone capti, illic miſerrimæ ſeruitutis iugum ferebant, liberauit, & inde
ſoluens in Siciliam primùm, deinde Neapolim, vbi triūphali pompa ſuſceptus
eſt, peruenit. Hæc tam inſignis victoria tanta gratulatione eſt excepta, vt pōtifex
ſolennibus indictis ſupplicationibus, gratias Deo publicè egerit, & ad Cæſarem
legatos duos Cardinales Ioānem Picolhomineum epiſcopum Oſtiēſem, & Ale-
xandrum Cæſarinum diaconum ei ſuo nomine de tanta victoria gratulatū mi-
ſerit. Quum Cęſar in itinere eſſet, quo ex Sicilia Neapolim properabat, Franci-
ſci Sfortiæ nouiſſimi Inſubrū ducis mors ei nunciata eſt, cuius obitu grauiſſima
bella ſunt exorta. Nā Cæſar Antonio Leua pro duce Inſubribus impoſito, duca-
tum Mediolanēſem imperiali fiſco applicatum in prouinciæ formam redegit,
Franciſco Francorum rege magnopere repugnante, qui Ciſalpinæ Galliæ impe-
rium à Cæſare ſibi concedi poſtulabat, cum ſuo iure antiquæ hæreditatis ab aba-
uia Valentina Vicecomite repetito, tum præclara Maximiliani Cæſaris conceſ-
ſione, qui id tabulis rite confectis, acceptaque honorarij muneris pecunia Ludo-
uico XII. regi poſt exactum captumque Ludouicum Sfortiam adiudicaſſet. Cu-
ius quum Cæſar rationem habere nollet, non ignarus quantum cōmodi ſibi ex
Mediolanēſi imperio accederet, occaſionem irato regi, vt pacis fœderibus ſolu-
tis, arma moueret dediſſe viſus eſt. Rex enim Gallꝰ in Carolum Sabaudium Al-
lobrogum ducem, qui in Cęſaris clientela erat, arma vertit, vt per eius ditionis
fines expeditum ſibi in Italia pararet iter. Nec mora Galli duce Philippo Sciabo-
to, qui Brion Amiralius dicebatur, coactis copijs Sabaudium Tranſalpinis oppi-
dis exuerunt, trangreſſique alpes aliquot munita oppida Subalpinæ regionis, in
primisque Taurinum, magna cum Imperatoris indignatione occuparunt: qui
Gallorum impetu audito, vt eorum arma ab Allobrogum ducis fœdere ſibi iun
cti ditione auerteret, Gallicam expeditionem edixit. Igitur adulto iam vere ini-
tio anni ∞ DXXXVI. Cæſar Neapoli profectus, nonis Aprilibus per Appi-
am à Capena porta Romam intrauit, triumphali pompa à Cardinalibus, Epiſ-
copis, & reliquis omnium ſacerdotum & Romanorum ciuium ordinibus exce-
ptus, & ad Baſilicam Vaticanam, vbi à pontifice Paulo tertio ſuper Baſilicæ gra-
dus ſedente, more maiorum expectabatur, deductus, læto populo ob antiquo-
rum imperatorum memoriam. Adorato pontifice Cæſar ea parte Vaticani
palatij exceptus eſt, quæ exornata laquearibus aureis, & marmoreo inſigni

mœniano vrbem ſpectat ab Innocentio V I I I. condita, qua etiam Alexander V I. Carolum V I I I. Galliæ regem ſuſceperat. Cæſar Romæ ſanctum Paſchæ diem coluit, in quo Pontifex Cæſare imperialibus inſignibus ornato adſtante, rem ſacram ſolenni apparatu in Baſilica Vaticana fecit. Treſdecim autem dies moratus Romæ, de ſumma rerum, & maximis reipublicæ Chriſtianę negocijs, cum pontifice locutus, pridie, quàm proficiſceretur, præſente pontifice, cunctoque ſenatu, & principum ferè omnium legatis, non obſcura in Gallos ira ſuccenſus grauiſſimam habuit concionem, qua animi ſui intimos receſſus ardentiſſima facundia patefecit, quod Gallorum legati penè conuitioſe expoſtularent, vt Henrico regis filio Inſubrum principatum beneficiario iure adiudicaret: id enim Cæſarem promiſiſſe Claudius Velleius orator regius affirmabat. Inter perorandum autem repetitis, quæ contra maiores ſuos Galli reges multis iam antea annis male patrauerant, & nouiſſimè de ijs quæ paulò ante Rex Franciſcus ſibi intulerat iniurijs quæſtus, ita excanduit, vt Regem Gallum ad ſingulare certamen prouocarit, vt enſe, & pugione ambo dimicantes ad eum modum tandem controuerſiam finirent. Tum pontifex clemētiora ominatus, Cæſaremq́; complexus obſecrauit, ne vel nō iniquæ iracundiæ impenſius, quàm pietati indulgere mallet. Galli oratores Matiſconenſis, & Velleius breui reſponſo Cæſaris verba excepere. Pontifex ex quibuſdam Cæſaris verbis veritus, ne Cæſar Romæ diu commoratus eius occupādæ illecebris caperetur, clam Bellaium, & Stephanum Columnam, vt in Italiam Gallos accirent emiſit. Quorum vi Cæſar coactus, ea cōſilia, vt parum opportuna dimitteret. Quarto decimo igitur die Roma Cæſar profectus, per Etruriam, & Ligures iter faciens, rectà in Gallum mouit, & Antonio Leua auctore Galliæ Narbonenſis fines intrans, tandē id bellum propter rei frumentariæ difficultates, & cœli inclementiam tractu durius, atque exitu aſperius expertus eſt, quam Leua putarat. Hinc inter duos ſummos orbis Ghriſtiani principes, maximo cum reipublicæ incommodo atrox bellum exarſit. Dum Carolus Auguſtus adhuc Romæ maneret, pontifex eius rogatu, & ſui alioqui officij memor, vt ſalutaribus ſanctionibus vetus ea controuerſia, quę paulatim exorta, & in immenſum aucta, placita Chriſtianæ pietatis, & Romanorum pontificum auctoritatem lacerabat, tandem finiretur generale Chriſtianorum omnium concilium, diu multumque deſideratum, vigeſimo demū anno, poſteaquam Lutherana hæreſis irrepiſſet, in proximum annum M DXXXVII. indixit, Mantuam omnibus conuocatis; ſed mox Ducis, qui Imperatoris vires timebat, rogatu locum mutauit, aſſignata Vicetia Venetorū ditionis vrbe, & Laurētio Campegio primum, deinde Iacobo Symoneta, & Hieronymo Alexandro Cardinalibus tanto negocio pręfectis. Qui verò concilium Germanis indiceret, delectus eſt Petrus Vorſtius epiſcopus Aquenſis. Ipſe per litteras reliquis principibus rem inſinuauit. Verùm & ea res difficiliorē ſucceſſum habuit, alia ex alijs quotidie ſuborientibus impedimentis. Nam Vicetia etiam dimiſſa eſt, quod hęc à ſchiſmaticorum ſedibus paulo longius abeſſet. Et Veneti rem non probabant, ne Turcarum Tyrannum incitarent, qui Chriſtianorum conuentū timebat. Interea Pontifex deprauatis clericorum moribus corrigendis, nouē grauiſſimos & doctiſſimos viros delegit, Gaſparem Contarenum, Io. Petrum Carrafam Teatinum, Iacobum Sadoletum, Reginaldum Polum, Cardinales: Fridericū Fregoſium Salernitanum, Hieronymum Aleandrum Brunduſinū, archiepiſcopos: Io. Matthæum Gibertum Veronenſem epiſcopum, Gregorium Corteſiū abbatem S. Georgij maioris Venetiarum, F. Thomam Badiam magiſtrū Sacri palatij, qui libello edito, quo reformationis præcipua capita comprehenderunt, illū pontifici obtulerunt. Pontifex interea pacis & quietis Chriſtianorum ſtudioſus, binas legationes emiſit: Altera Auguſtino Triuultio Cardinali demādata, quæ Frāciſcum regem reſpiceret: altera Marino Caracciolo, qua Cęſar adiretur, qui ab vtroque armato principe pijs precibus impetrarēt, ne ſummo reip. Chriſtianæ detrimento armis concurrerent, ſed pace facta, aut fœderibus ictis poſt concilium celebratum, pia arma in Turcas verterent. Quanquam autē hiſce legationibus nihil ad leuandas ſimultates, aut minuendam eius ſuſcepti belli controuerſiā ani-

mis



mis vtrinque in mutuam pernitiem irritatis, perfectum ſit: eximium tamē ſacroſanctæ æquitatis ſpecimen in pontiſice, qui pacificatoris nomen quærebat, præbuerunt. Sequenti anno, qui fuit à partu Virginis ∞ DXXXVII. octauo Idus Ianuarij, Alexander Medices Florentiæ dux, qui Hippolyti Cardinalis inſidias diligentiſsimè vitarat, in alterius propinqui familiariſsimique ſodalis inuſitatam perfidiam incidit, quum à Laurentio Medice magnis ſibi obſtricto beneficijs, intempeſta nocte alte ſtertens, gladio per coſtas adacto ſæuiſsimè ſit interfectus. In cuius occiſi locum, quum Coſmus eſſet ex S. C. ſubrogatus, Florentini exules, item Saluiatus, Rodulfus, Gaddus, Montius, Cardinales ad recuperandam patriæ libertatem infeſtis armis Florentiam properarunt. Incēſos, proclinatosq́; ad bellum Paulus pontifex dicitur incitaſſe, quod ſuis rebus, atq; conſilijs tum priuatis, tum publicis conducere iudicaret, ſi Etruriæ imperium æquabili, liberoq́; reſtitutæ reipublicæ conſilio, potius quàm vnius principis nutu, atq; auſpicio regeretur, in ea præſertim vrbe, quam ipſe liberam incoluerat, in qua bonas literas adoleſcens didicerat; tum etiam, quod ſuſceptis nuper cum Alexandro ſimultatibus, Coſmo in eundem dignitatis locum ſuccedente, & eadem ſimultatis cauſſa vigente, nomen tantum non animum principis immutatum eſſe exiſtimaret; ſed fortuna Coſmo conſtantiſsimè fauens, oēs hominum conatus eluſit. Cliſſa per eadē tempora Dalmatiæ oppidū paulo ſupra Salonam nobiliſsimam Vrbem, quod pontifex pietatis memor cohortibus, & opportuno tormentorū inſtrumēto, atq; ita cōmeatu cōtra Turcarū vim flamma & ferro tum per totā Dalmatiā debacchantiū inſtruxerat, Petro Croſiccio regulo occiſo, magno Chriſtianorum incōmodo in barbarorū poteſtatem deuenerat. Quapropter pontifex magno cōcepto dolore grauiora metuens, indictis ſolemnibus ſupplicationibus à diui Marci ad Mineruæ pedibus ſupplex profectus eſt, miſsis ſtatim in oēs partes legatis, qui Chriſtianos principes depoſitis tandem mutuis odijs ad ſacrum bellum hortarentur. Ipſe paulò antè filio Petro Luiſio duce eccleſiaſtici exercitus creato, vrbis mœnia inſtaurare aggreſſus eſt, initio ſub Auentino facto. Quo etiam anno quū Turcæ, qui graue cum Venetis bellum gerebant, totam ipſorum ditionē grauiſsime vexarent, pōtifex totis viribus eo incubuit, vt Cæſarianorum, ſuis, Venetorumq́; armis cōſociatis, & cōmunibus ſumptibus inſigni claſſe comparata, bellū impotentibus barbaris inferretur. Fœdus igitur cum Cæſare, & Venetis pontifex his cōditionibus percuſsit, vt Cæſar octoginta duas triremes inſtrueret, totidem Venetus, ipſe verò pontifex triginta ſex pararet, vt ducentarū triremium numerus efficeretur. Renuntiati ſunt claſsiū duces, Cæſarianæ Andreas Auria, Venetæ Vincentius Capellus, pontificiæ aūt Marcus Grimanus patriarcha Aquileienſis. Hanc claſſem belli duces aduerſus Barbarum tyrannum in Græciam educerent. Illud poſtremo cautum eſt, vt ſi in hoſtile littus deſcendendum eſſet, terreſtribus copijs Ferdinādus Gonzaga Siciliæ pręfectus cum imperio præeſſet. Hoc fœdere iuncto veritus pōtifex, ne Cæſare ſacro bello occupato Francorum rex à tergo in Cæſaris prouincias irrueret, conatus eſt, vt pacem, vel ſaltem inducias, inter vtrūq; componeret, & ob eam rem legatos creauit duos Cardinales, Chriſtophorū Iacobatium quidē ad Cæſarē, Rodulfum verò Pium Carpenſem ad Gallū. Cæſar quoq; veritus, ne ſe abſente, & bello Turcarū occupato pontifex in Gallorū partes deſcenderet, Margaritam filiam Octauio Farneſio pontificis nepoti matrimonio, vt iungeretur propoſuit. Id pontifex regi Gallo inſinuauit, ſperans ea ratione, vtriuſq; regis animū ad affinitatem ſecum cōtrahendam allicere poſſe. Quo tēpore exeunte anno, quū Cæſariani, Galliq́; pari ſtudio ſuarū partiū oppidis, nouo præſidio, nouoq́; cōmeatu confirmandis in ſubalpinis occupati eſſent, & Vaſtius intente proſpiceret, quò regis, qui tum ſuis præſidio in Italiam venerat, ſigna verterentur, è Belgio allatum eſt Mariæ, & Eleonoræ ſororum clariſsimarū reginarū auſpicijs, inter ipſos certantes armis principes propinquos ſuos, inducias in decem menſes percuſſas. Iiſdem ferè conditionibus, quibus ante aliquot annos ea immania diuturni belli incendia reſtrinxerant, quas eaſdem principes in ſpem mutui colloquij certiſsimæq́; pacis eſſent probaturi. Itaq; per eā, quæ

 ſubſe-

ſubſequuta eſt hyemem, Paulus pontifex enixe legati Carpenſis præcipua opera procurauit, vt Carolus ipſe Cæſar, & Franciſcus rex reipub. cauſa ſecum in colloquium venire minimè grauarentur, cui poſtulationi neuter refragari conueniens eſſe exiſtimauit. Opportuniſsimam autem omnibus futuram conuentui ſedem pontifex decernebat, apud Nicæam Prouinciæ vrbem, quæ erat ditionis Caroli Sabaudij Allobrogum principis, ſupra mare in Galliæ Italiæq; finibus ſitum. Ad magnam itaq; ſpem futuræ concordiæ commoti, non ita multo pòſt omnes eodem conuenerunt. Relictus eſt Romæ legatus Cardinalis Neapolitanus, cuius poteſtatem pontifex amplicauit. Qui longum, & laborioſum iter exactæ iam ætatis ſenex reipub. cauſa ſuſcipiens nullis precibus obtinere potuit, vt ambo reges in complexum mutuaq; colloquia ſe petente adſtanteq; deuenirēt: vterq; enim ſeorſum, Cæſar quidem in ſacra diuo Franciſco, vbi pontifex commorabatur, extra vrbem æde: Rex vero Gallus manifica domo lignea ab ſe in Suburbano extructa, pontificem more Chriſtiano venerati ſunt; cui Nicææ arx hoſpitio attributa fuerat, quod dux rebus ſuis timens non ſine Cæſaris indignatione recuſauit. Fuere, qui tum exiſtimarent neq; Cæſarem, neq; Franciſcum regem, poſteaquam è tam diuerſis diſiunctiſq; regionibus pontificē conueniſſent, à colloquio (vti par eſt) abhorruiſſe, ſed quodam ſecretiore cōſilio pontifici tātæ voluptatis aſpectum, & laudis famæq; ſucceſſum inuidiſſe, quod ſecum reputarint pontificem minime religionis, belliq; ſacri ſtudio, ſed priuatorū ſpe commodorū, ipſorū colloquia ita affectaſſe, qui Margaritę Auſtriæ Alexandri Medicis viduæ nuptias iam ſibi oblatas, pro nepote Octauio firmare, & Clementis exemplo Victoriam neptem, quæ Guidobaldum Vrbinatiū principem poſtea maritum habuit, cognationi regiæ coniectis, in Vandomiū oculis inſerere, percupere videretur. Secretiora vero introſpicientibus vera cauſſa patuit. Nam magiſtri & proceres vtriuſq; principis, & præſertim Hanno Metmorantius magnus Regij Gallorum ſtabuli Comes, ob inuidiam & priuatis de cauſsis impedimēto fuere, ne ſimul cum pontifice conuenirent. Cæſar tamen per internuncios Frāciſco pollicitus eſt, ſe in eius complexus, colloquiaq; priuſquam in Hiſpaniā renauigaret deuenturū. Quū de pace inter reges nulla ratione cōueniret, hoc tantum obtinuit pontifex, vt inducias annuas à reginis, quas diximus in Belgio cōceptas & promulgatas, ipſi reges in nouem præterea annos ſolenni tabularū adſtipulatione firmarent. Nec multò poſt Franciſcus diſcedens à pontifice in regnum ſuum eſt reuerſus. Pontifex triremes Gallicas cōſcendens ab Imperatore comitatus Genuam ambo acceſſerūt, exceptuſq; eſt hoſpitio in Fliſcorū ædibus, & nullo nō honoris genere adhibito à Genuenſibus honeſtatus. Exinde Cæſari valefacto claſſem conſcendit, partim mari vſus, partim terreſtri itinere per Ligures, & Tuſcos Nepet peruenit, vbi ob calores, & itineris labores febre correptus aliquandiu iacuit. Valetudine recuperata Romam ad IX. calend. Auguſti ingreditur maxima totius vrbis lætitia, & gratulatione ſuſceptus. Cæſar interea qui Pontificem Genuam vſq; comitatus fuerat, ad Maſsilienſem oram delatus, circa Foſſas Marianas (Aquas mortuas vocant) ex cōdicto auctore Eleonora Cęſaris ſorore Regis vxore Franciſcum regem eò diſcedentē cum liberis ſua quadrireme prętoria humaniter exceptum arcte complexus eſt, vbi biduum ferè cōmorati, plures horas arcanis ſermonibus impenderunt, tāta omnium, vel eorū qui aderant, vel illorum, qui id poſtea ab alijs didiciſſent exultatione, & lætitia, vt ferè nemo reperiretur, qui nō planè exiſtimaret, reges ipſos deterſis odijs, cōciliatos, fraternæ amicitiæ fœdera concepiſſe, in ſpem maturæ pacis, atq; cōcordiæ. Vnus tamen Paulus ipſe pōtifex, pro veteri ſua prudentia, vt id crederet, adduci non poterat, poſtquā parum pio, aſperoq; vtriuſq; principis cōſilio, præſentibus colloquijs excluſus, eius clādeſtinæ appetitæ amicitiæ ratio, quæ nullā ſynceræ voluntatis, & religiōis ſpeciem præ ſe ferret, nequaquā cōpoſiti animi diuturnam ſimulationem habitura putaretur. Quum Nicææ adhuc eſſet pontifex, actum eſt inter illum & Cæſarem, vti antea cōpoſitum fuerat de ſuſcipiēdo bello nauali in Turcas: nam noua legatio à Venetis ſupra veterem ad pontificē Cęſaremq; peruenerat, qua Veneti pacē inter regem, & Cæſarem procurabāt, ſignifica-



ficabantq; æſtate iam adulta feſtinandū eſſe, & vt appararentur claſſes, poſtquam Venetijs cuncta iam parata eſſent ad nauigandum, magnoq; incommodo futurum eſſe prædicabant, ſi reliquos etiam æſtatis menſes inanibus conſultationibus effluere ſinerent, quibus res magis opportunè geri poterat. Nam (vt memoraui) paucis antea menſibus Romæ fœdere inter ſe icto, hi tres principes Paulo III. auctore validiſsimam, atq; ornatiſsimam claſſem communibus impenſis in Græciam aduerſus barbarum tyrannum ſtatuerant educere. Itaq; cohortantibus demum Venetis ingenti claſſe, & Turcis maximè formidabili comparata, in Turcam eſt itum. Sed huius maligni ſæculi fortuna aliena prorſus & infenſa Chriſtianis, labante vetere diſciplina, priſcaque virtute obſoleſcente, ita barbaris tum fauit, vt noſtri apud Actiacum promontorium (quod Præuiſam vocāt, Octauij Cæſaris victoria inſigne) collatis cum Barbaruſſa improſperè viribus, Andrea Auria Cæſarianæ claſsis præfecto pugnam detrectante, Turcis relictis, in tres iterum partes diuiſi, & veluti in fugam acti, tota nauali exiſtimatione exuerentur, totq; & tanti pontificis optimi, Venetorumq; conatus irriti fuerint, caſtro nouo præſertim paulò pòſt in Delmatia à Turcis occupato. At pōtifex poſt Nouariam vrbem Petro Luiſio à Cęſare Romę agente biennio ante impetratā, celebratis quoq; nuptijs Octauij nepotis & Margaritæ Auſtriæ Cæſaris filiæ, Alexandri Florentiæ ducis viduæ, magno apparatu cum dote redditus xv. millium, aureorum in Sabinis, quum forte per eoſdem dies è vita exceſsiſſet Frāciſcus Maria Ruuereus Vrbinatium dux, ad Camerinum recuperādum animum adiecit. Erat enim vt ferebatur ad eccleſiam ipſo iure deuolutum, iam inde à morte Ioannis Mariæ Varani, quem eius oppidi ducem crearat Leo Pontifex, quod nullam videlicet maſculam Varanorum liberorū prolem ſuperſtitem reliquiſſet; ſed occuparat Ruuereus, quod filius Guido Vbaldus Iuliam Ioānis filiam, Clemente pontifice repugnante, præter eius ſententiā matrimonio ſibi haberet cōiunctam. Itaq; pontifex occaſione hæredis bellicæ rei imperiti arrepta, cōſcripto milite bellum in eum continuo mouit: huiuſmodi nanq; tempus prudēter expectandum cenſuerat, qui antea vix inito pontificatu eandem expeditionē, patre acriter reſiſtente fruſtra ſuſcepiſſet. Neq; fefellit eum opinio, quum ad primā ſtatim ſuſcepti belli famā, oppidū à Ruuereo iuuene redderetur. Reſtitutum illud pontifex, grandi pecunia cunctis qui aliquod ius in eo prætenderēt perſoluta, Octauio Farneſio nepoti, vnà cum ducatus inſignibus beneficiario iure conceſsit, quum ipſum paulò ante in eiuſdem Ruuerei defuncti locum Vrbis præfectū dixiſſet. De ornamentis deinde & præſidijs eccleſiæ cogitans, nouos aliquot Cardinales legatos Verulanū Galliæ Ciſpadanæ, Iacobatium Peruſij, Eporediēſem Bononiæ, & Carpenſem Piceni creauit; frequētes præterea ampliſsimos doctiſsimoſq; viros legatos pro tollendis religionis controuerſijs, & ad eos, qui ab eccleſia ſeiuncti erant reducendos, in Germaniam deſtinauit. In his primū Cardinalem Brunduſinum, deinde Contarenū, qui Ratiſponenſi conuentui pōtificis nomine interfuit. Sub id tēpus, quum exhauſto ærario tributa, vectigalia, & portoria multa, vel de nouo acerbè exegiſſet vel auxiſſet vetera, Peruſini, qui ob ſalinarum auctū vectigal impoſitum rebellarant, armis domiti, & imperata facere coacti ſunt. Ad hæc exempli cæteris ſtatuendi cauſſa abolita prorſus decurionū poteſtate, eos immunitatib9 pleriſq; exuit, & ipſorū legatos Romā ſupplices, atq; atratos venire, & admiſsi ſceleris veniā petere coēgit. Per id tēpus Aſcanio Columnæ contumacius renitenti, totam in Latio paternam ditionē armis abſtulit, Palliani mœnia, & arcis papæ demolitus. Ieſuitarum ſocietatem, quam Paulus III. approbauit inſtituere, per id tēpus viri aliquot pietate celebres Ignatio Ioiala nobili Hiſpano primo eiuſdem magiſtro auctore. Hi diuinis meditationibus vacantes praxim adiunxere; pueros per Vrbes gratis erudiendo, diuini verbi prædicationibus inſiſtentes, ignotas antea Indorum Breſilli & Peruſcanas terras penetrarunt. Maximè in his Floruere, præter Ignatium, Laines Frāciſcus Borgia olim dux Gandiæ, Boadiha, Ledeſina, Toletus, Caniſius, & alij multi viri doctrina & pietate illuſtres. Cæterum quæ annis ∞ DXXXIX. & ∞ DXLI. acta ſunt, quia ea fuſius in Farneſij, & Contareni Cardinalium vitis ſum perſecutus,

cutus,breui in preſens tranſcurram.Nam per id tempus Cæſar in Hiſpaniam reuerſus,vxorē Iſabellam Auguſtā amiſit, auditaq; Gandauenſiū, Belgarum graui rebellione, & in mora periculum eſſe ſentiens, per Galliam breuiori itinere iter facere cōſtituit.Lutetiam itaq; Pariſiorum veniens amicè ac magnificentiſſimè à Gallorum Rege Franciſco excipitur. Eò pontifex nepotem Alexandrum Farneſium Cardinalem legatus miſit, vtriſq; pontificis nomine gratulatū.Cæſar vt in Belgiam cum Alexandro legato peruenit,quæ de pace cum Franciſo rege Pariſijs agitauerat,in vita fecit, omnibusq; animi viribus ijs rebus firmandis incubuit,quæ imperiū eius continerent, parū de turbatæ religionis remedijs,inteſtinis diſsidijs vexatus, tunc cogitans,quæ res ſimultatem & inimicitias inter ipſum & pontificē peperit. Multa hyeme anni ∞ DXXXIX. cum Cæſare à legato acta de religionis in Germania ſtatu, quæis conuentus Ratiſponenſis manauit.Pontificis in Cæſarē ita auxere quæ in eodem cōuentu acta ſunt,quo circa trāſubſtantiationis in euchariſtia myſteriū cardinalis Cōtarenus legatus circūuentus fuiſſe dicitur.Quo tēpore pōtifex ab externis rebus ad emendādos mores conuerſus,quò illi rei præcipuū adferre momentū cogitaret, ſi epiſcopi cōmiſſos ſibi populos,pro ſe quiſq; in officio coràm contineret, vt ad eccleſias ſeſe ſuas conferrent,diligenter eos eſt adhortatus.Cæterū diuturna eorū conſuetudine victus,hoc illis facilè remiſit. Reip. conſtituendæ vacans Egidianas cōſtitutiones firmauit,ita tamen vt auditoris cameræ iura nō infringeret. Referendariorum iura,immunitates,auctoritatē auxit,Decedentiū ſacerdotū ſpolia cameræ apoſtolicæ applicauit,qui ius teſtamenti condendi non obtinuiſſent. Iudæis ad Chriſti fidē venientibus, bona ante cōuerſionē acquiſita retinere permiſit,quò facilius cōuerterentur.Contractuū vectigal, contrahentiū fraudibus læſum reformauit.Eos,qui fiſcū tabulis deprauatis fraudarēt,repreſsit. Præfectorū carceris,iudicū cauſarum ciuiliū,& capitalium iniurias,quibus inopes vinctos vexabant,repreſsit. Mortuo Cardinale Auxitano Farneſium nepotē Auenionis legatum creauit.Diſſoluto aūt eo cōuentu, qui anno ∞ DXLI. Ratiſponæ habitus eſt;Cæſar qui ſe curaturū cum pōtifice promiſerat,vt intra biennium generale conciliū haberetur, diſceſſurus è Germania poſtulauit à pontifice,vt ſibi in Italiam venienti,& in Africam ad Algerianam expeditionē traiecturo ad Lucā occurrere vellet,vt mutuis colloquijs deliberādo,quid de tota ratione concilij ſtatuendū eſſe videretur,decernerent.Improbarunt tum vehementer profectionis conſilium medici,letale ei futurum diſtantes medijs caloribus ab vrbe diſcedere: nonnulli quoq; ſenatores retinere eum conabantur,in primiſq; Franciſci regis legati ſubueriti,ne Cæſar honeſtiſsima petitione in belli Punici ſumptū, quod tum aduerſus Aſanagam,qui Algerij cum imperio à Barbaruſſa fuerat relictus ſuſceperat, pecuniā impetraret, quæ demum occulto conſilij exitu ad excidium Narbonenſis Galliæ verteretur. Sed pontifex, & omnia ætatis pericula, quæ publicam ſalutem includerent facile contemnebat, & recrudeſcentia pereuntis Chriſtianæ reipub. vulnera omnino Cæſari detegenda, indicandaq; vitia ſerpentis peſtis exiſtimabat, vt vno cōcordiæ remedio ſanarētur. Accendebatur enim vt ire pergeret, ea de cauſſa magis ac magis quod ſuborta erat inter Frāciſcū & Cæſarē noua ſimultas, veluti inducijs decennalibus, eius præſertim opera initis, Antonij Rinconis, & Cæſaris Fregoſij (quos Gallus ad Turcas cū mādatis miſerat) cæde violatis. qua re maxime premebatur, veteriſq; odij flāma cōpreſſa aliquandiu induciarū fide, in multo atrocius quàm antea belli incendiū exarſura eſſe videretur. Itaq; Cardinale Carpēſe Romæ legato relicto, & æſtuoſo itinere Caſsiam viam emenſus, Lucā perueniens, ibidem Cæſarem expectauit. Cæſar Lucam cum veniſſet, ter pontificē, pontifex verò ſemel Cæſarē ad mutua colloquia adijt, cui ſingulas enumerando plagas, quas nobis ſæpe Barbarus hoſtis, ac nuper rurſum ad Budam in Pannonia inflixiſſet, eò oēs cogitationes, & conatus ſuos vertit, vt eum ad pacē cum Frāciſco rege ineundam hortaretur, ne in Gallos per Narbonenſem prouinciā arma verteret, veritus. Quū nihil impetraſſet, ſuadere conatus eſt, vt quas Algerium in Africā copias eſſet traiecturus, relicta nauali expeditione aduerſus Turcas educeret, fratris Ferdinādi, Auſtriaciq; imperij

perij



perij præſidio, ſi ea recenti ad Budam victoria Solymanus vteretur. Verùm Cæſar fatali innixus conſilio in ſententia permanſit, nihilq; magis eo tum colloquio ſtatutum eſt, quàm vt Concilium, quod maxime exoptare Cæſar videbatur, in annum ſequentem indiceretur. Actum etiam, vt ea emendarentur, quæ in comitijs Ratiſponenſibus male Cęſaris permiſſu, præter antiquos patrum regulas, acta erant. Abeunte Cæſare, pontifex Deum de more, vt nauiganti Cæſari feliciter aſpiraret, ſuppliciter precatus, nepotem Octauium Farneſium, ad ponendum militiæ rudimentum in ſoceri Cæſaris contubernio, ſtudij ſui, atque vt beneuolentiæ obſidem collocauit, & paulò pòſt per Piſtorienſes montes Bononiam, atque inde per Aemiliam & Flaminiam modicis itineribus in vrbem redijt. Cæſarem porrò infauſtæ in Algerium expeditionis difficillimo anni tēpore ſuſceptæ mox pœnituit: nam ventorum vi, & ſæuis Autumni tempeſtatibus claſſe diſiecta, & magna florentiſsimi exercitus parte, vel à Pœnis extincta, vel mari ſubmerſa, inglorius in Hiſpaniā eſt reuerſus. Clade Algeriana accepta, Pontifex Granuellani rogatu Nicolaum Ardingellum à ſecretis in Gallias miſit, vt Regem ad bellum Cæſari afflicto inferendum pronum auocaret. Initio anni ∞ DXLII. pontifex Cardinales legatos creauit Contarenum Bononiæ, Ciſpadanæ Galliæ Gambaram, Peruſiæq; Ariminenſem. Cōuentus quoque imperij procerum Vormatiæ celebratus eſt, cui etiam Lutherus interfuit, in quo inanibus diſputationibus habitis, nihil, quod ad fidei concordiam ſpectaret, fieri potuit. Quum bellum inter Cæſarem & Gallum inſtauratum magnis vtrinque ſtudijs gereretur, pōtifex pro pace, vel inducijs componendis legatos ad eos miſit viros grauiſsimos, Contarenum quidem ad Cæſarem, & Sadoletum ad Franciſcum regem. Contareno verò vita functo, in eius locum legationem Bononienſem ſuſcepit Michaël Siluius Cardinalis Viſenſis. In conuentu Norinbergenſi cui interfuere omnium penè principum, & liberarum Germaniæ ciuitatum legati, quum de dogmatum diſsidijs, & religionis cōtrouerſijs tractatum eſſet, quærentibus locum Concilio idoneum rerum nouatoribus, à pontifice nouo loco medio propemodum inter Italiam & Germaniam delecto, Tridenti generale concilium, circiter calend. Nouembris, ex S. C. tertio interdictū eſt, & tres Senatorij ordinis patres eò legati, qui benè auſpicato inchoandæ ſynodi, futuræq; tot gentium frequentiæ ſedem pararent. Hi fuere Petrus Paulus Pariſius diuini, ac humani iuris profeſsione inſignis, Ioānes Moro ſecunda morum, atque doctrinæ fama per multos Germaniæ conuentus legationis munere functus, & Reginaldus Polus Britannus, qui ſupra regiæ ſtirpis decus, & eximiæ latinæ facūdiæ laudem, eximium Chriſtianæ virtutis ſpecimen præferebat. Recrudeſcentibus inter Gallos, & Hiſpanos bellis, pontifex has literas ad Cæſarem, & Francorum regem Franciſcum pro pace ineunda ſcripſit.

### PAVLVS III. PAPA DILECTO FILIO CAROLO V.
*Romanorum Imperatori Auguſto.*

*CHariſsime in Chriſto fili noſter, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Mirum fortaſſe Maieſtati tuæ videri poterit, nos hunc laborem procurandæ inter te & Chriſtianiſsimum Francorum Regem pacis, toties à nobis aliàs, ac nouiſsimè per Legatum ad te miſſum fruſtra tentatum, nunc repetere: Sed ſi eadem Maieſtas tua officium noſtrum, quale in hoc eſſe debeat, recordata fuerit, ſi ſtatum afflictum Chriſtianitatis reſpexerit, profectò eadem Maieſtas tua, quæ æquitate & ſapientia pollet, & nos quod agimus valde neceſſario agere fatebimur, & æquiori animo has noſtras literas leges: quas nobis Dei honor, ſalus populi Chriſtiani, proximiq;, ac grauiſsimi periculi omnibus imminentis, metus ac dolor expreſsit. Quamuis enim iam inde ab initio pontificatus noſtri, ſicut tuæ Maieſtati notum eſt, nihil antiquius nobis fuerit, quàm lenire veſtras iras, per quas viam infenſiſsimo hoſti aperiri ad Chriſtianitatis exitium videbamus, atque ob eam cauſſam literas, nuntios, legatoſq; noſtros ſæpius ad vos miſerimus. Noſq; etiam ipſi Nicæam nauigauerimus, licet hactenus à Deo (noſtris forſan peccatis obicem, inter nos & illius gratiam ponentibus) non meruerimus obtinere, vt noſtræ praces & hortationes ad pacem à vobis exaudirentur. Tamen quoad nobis ſuppetet vita, nunquam à noſtro officio, captataq; via ceſſandum nobis putabimus. Sancta enim inſtantia (fili Chariſsime) & pia importunitas, & tuæ Maieſtati videri debet, nos non cedere labori aut repulſæ, ad ſalutem omnium communem, quæ ſi vnquam antea, hoc maximè tempore & communi hoſte Turca in maximum eſt adducta diſcrimen. Siquidem ille per ſe potentiſsimus, occaſione etiam noſtrarum diſcordiarum fretus, & mari inualuit, qua parte antea*

*inferior*

inferior putabatur, & Hungariam propè occupauit. Magna etiam nunc elatus fiducia, ex ijs quæ ibi nouiſſimè geſta ſunt, ita vt viribus noſtris attritis, ſuis adauctis, valde timendum ſit, nec omninò dubitandum, quin ſequēti anno graue vulnus Chriſtianitati inſligat, niſi Dei miſericordia nos iuuerit: ad quæ mala impendentia, cum remedium die noctuq́; conquireremus, nullum ſane aliud poſt opem diuinam nobis occurrit, niſi veſtra concordia, & vniuerſale conciliū. Quod cum iam dudum indictum, nuperrimè Tridenti conuocauerimus, tanquā loco omnibus idoneo: & præcipuè ad tranquillandam Germaniam apto, cuius quidem inclytæ nationis præcipuam curam hæc ſancta ſedes ſemper habuit, vt debuit: miſerimusq́; eò iam tres S. R. E. Cardinales, alterum nobis reſtat, vt veſtræ conciliationis curam, quamuis hactenus infeliciter tentatam, nunc acrius repetamus. Quā cum æqua hinc inde charitate, animiq́; noſtri ſynceritate, & erga vtrunq́; veſtrum beneuolentia ſemper tractauimus, nullumq́; noſtri laboris fructum retulimus, quemadmodum ex literis legati ad te miſſi moleſtiſſimè intelleximus: parte autem altera, certiſſimis nuntijs & literis cognouimus, ipſum Turcam maximos apparatus terra mariq́; facere, ad nos proximo Vere inuadendos. Nos conſiderantes, quod ſtante hoc inter te & regem Chriſtianiſſimum bello, nulla eidem Turcæ poterit ratione obſiſti: poſtea autem omnis prouidentia ſera futura eſt: Statuimus enim Dei adiutorio vt nihil intentatum relinquamus, experiri iterum per nos ipſos, id quod hactenus per literas, nuntios, & legatos noſtros aſſequi non potuimus, nullaq́; ætatis noſtræ vel temporis, aut alterius ratione habita, prodire ipſi ex noſtra Sede, verſusq́; vos iter facere, colloquij vobiſcum habendi cauſſa, ſperantes ſi non noſtra, ſaltem eius cuius vicem gerimus reuerentia, vos noſtrum congreſſum pro ſalute præſertim publica non eſſe recuſaturos, ſed aliquem ad locum nobis propriorem venturos, in quo cum vtriuſque veſtrum commodo, & ſecuritate congredi nobiſcum, vt ea in hoc, vtinam nō extremo Chriſtianitatis periculo, explicare vobis poſſemus, quæ Deus omnipotens inſpirauerit, ad publicam omnium fidelium, veſtramq́; etiam priuatam vtilitatem. Quamobrem ita nos vrgente noſtri officij debito, Maieſtatem tuam per Dei miſericordiam rogamus, vt nobis facultatem huius colloquij præbere, interimq́; ab armis ceſſare, & viam tabellarijs, & alijs per nos ad hoc mittendis, aperiri, facere Dei & Chriſtianitatis cauſſa velis. Decreuimus enim poſteaquam qualicunque Dei iudicio, nos tali tempore, talibus periculis, in hoc loco reperimus, nullas prætermittere partes vel parentis, vel iudicis, quæ ad nos noſtrūmque officiū pertineant: ſperare tamen volumus, quod vos pro bonitate, & ſingulari veſtra prudētia, huiuſmodi periculis animaduerſis, quodq́; nos nullo alio reſpectu mouemur niſi ſalutis publicæ, quæ ad veſtram propriam redundat. Cum tanquam potentiſſimi principes plus quàm cæteri in communi ruina amittere poſſitis, & plus Deo debeatis, quàm cæteri: propterea memores veſtræ dignitatis atque officij. & conuenire alicubi nobiſcum, & noſtris fideliſſimis monitis aures præbere non recuſabitis: Cum iam dudum proſpicere potueritis, quod ad æqualitatem noſtri in vos amoris pertinet, nos omni affectu vacuos eſſe, atque hunc laborem noſtræ certè ætati non leuem, nulla alia niſi noſtri officij ac diuini obſequij, communisq́; ſalutis cauſſa ſuſcipere. Hortamur inſuper Serenitatem tuam, vt velit pro ſua pietate curare atque perficere, vt omnes prælati tuorum regnorūm tam Hiſpaniæ quàm Neapolis & Siciliæ, aliorumq́; tuorum dominiorum, ad Concilium quantò citius proficiſcantur, ſicut ex officij ſui debito, ac noſtra etiā iuſſione facere tenentur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris. Die XII. Nouembris, anno ∞ DXLII. pontificatus noſtri anno nono.

PAVLVS III. PAPA DILECTO FILIO FRANCISCO
Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CHariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Etſi vereri poſſumus, ne hoc noſtrum officium ſuadendæ inter te, & ſereniſſimum Cæſarem pacis, toties iam à nobis fruſtra tentatum, quodq́; his literis nunc repetere inſtituimus, nimis crebrum aut immodicum tuæ Maieſtati videatur, propterea quod iam inde, & ab initio pontificatus noſtri continuata, & nunquam intermiſſa cura, literis, nuntijs, & legatis, & noſtris antea & nuperrimè ob eam rem miſſis, demumq́; nos ipſi Nicæam profecti, nihil aliud egimus: tametſi eadem tua Maieſtas pro tua ſapientia animum ad noſtrum officium, neceſſitatemq́; Chriſtianitatis, & pericula illi impendentia retulerit, ſperamus eam, & boni conſulturam eſſe hanc noſtram toties repetitam inſtantiam, & æquo animo has noſtras literas perlecturam, quod vt facere velis, ſtudiosè abs te petimus. Si enim vnquam antea (fili Chariſſime) pax inter vos expetenda, & omnibus modis procuranda fuit, hoc certè tempore magis eſt. Cùm hoſtes Turcæ, illi quidem antea potentiſſimi, nunc etiam opinione maritimarum virium aucti, & ijs, quæ proximè apud Peſtum in Hungaria ſunt geſta, elati, maximos terra, mariq́; exercitus indies apparere dicuntur, ſicut nobis certiſſimè ſignificatum eſt: nec verò poſſumus dubitare, quin his copijs afflictam diſſenſionibus & attritam viribus Chriſtianitatem, & ipſam præcipuè Italiam Vere proximo inuadant: nec ſperare ſi inuaſerint, eis poſſe alia ratione obſiſti, quàm ſi Dei clementia, per huius quem ſuademus pacis beneficium, nos à potentiſſimo hoſte tueri voluerit. Quamobrem nos hanc curam die noctuq́; voluentes, vt ſi qua poſſumus ratione his malis occurramus, nullum aliud remedium poſt diuinam opem, niſi in Concilio vniuerſali, veſtraq́; concordia, reperimus. Cùm ipſum Concilium iam pridem, vt tua Maieſtas nouit indictum, nuperrimè Tridenti conuocauerimus, loco tam omnibus idoneo, tum ad trāquillandam Germaniam, cuius rei ſummo deſiderio tenemur (vt debemus) maximè apto, illuc etiam tribus legatis noſtris S. R. E. Cardinalibus iam deſtinatis. Reſtat nobis alterum, vt pacis inter vos curam repetamus, eò nunc acrius, quo magis & propius vrget periculum, vt ſicut facere debemus, nunquam ab officio noſtro deſiſtamus. Conſiderantes igitur omnem poſtea operam ſeram nobis & incaſſam futuram, ſi ad veſtram diſcordiam externum bellum & potentiſſimi

tiſſimi



tiſſimi hoſtis impetus acceſſerit: ſtatuimus (Deo adiuuante) priuſquàm omnia corruant, experiri iterum per nos ipſos id, quod per noſtros legatos obtinere non potuimus, nulla neq́; temporis, neq́; noſtræ ætatis, aut alterius reſpectus ratione habita, prodire ipſi ex noſtra Sede, iterq́; verſus vos arripere, colloquij vobiſcum habendi cauſſa, ſperantes vos, ſi non noſtra, at illius cuius vices gerimus reuerentia, noſtrum congreſſum præſertim pro ſalute publica non eſſe recuſaturos, ſed aliquem ad locum nobis propiorem venturos, & cætera, vt in præcedenti.

Ijs literis regum animis in mutuam pernitiem accenſis, parum profeciſſe pōtifex viſus eſt. Quinimò bello inter vtroſq́; redintegrato, Concilium aliquāto pòſt ſuſpenſum fuit, & legati reuocati. Sub id tempus Cæſar, qui diu poſt infauſtam Algerianā expeditionē in Hiſpania fuerat, quum magnis in Belgio detrimentis à Gallis ſe affectū cognouiſſet, qui toties ab ſe victi, etiam ſe præſente Hiſpaniæ fines intrare auſi fuiſſent, cū Britanno rege Gallorū perpetuo hoſte ictis fœderibus, & ad gerendū bellum tēpore conſtituto, Hiſpania excedere, ac in Italiam vt in Belgas properaret, adnauigare conſtituit. Ferebatur aūt totus ira turgidus in Regulum Cliuenſem, qui ante aliquot menſes Brabātos finitimos populos in contumeliam Cæſaris Gallorū præſidio ſubnixus, magnis cladibus affecerat. Pontifex aūt cognito Cæſaris decreto, ſupplicationibus habitis Vrbe ad quartū calend. Martij initio anni ∞ DXLIII. profectus, & imperio fere omni eccleſiaſtico circuito (fuit enim Mutinæ, Regij, Parmæ, Ferrariæ, & poſtea Anconæ, Peruſiæ, Viterbij, & per patrimoniū) Bononiam vſq; profectus eſt, vel niuoſo veris initio, atq; eò ſenibus maximè maligno. Maturata ſiquidē profectione Cæſaris aduentū præoccupare, atq; item Tridētinis actionibus, ſi frequentes epiſcopi vndiq; cōueniſſent, ex propinquo venturi famā præbere, & antè omnino Cæſarē à bello auertere cupiebat, ſed arcani conſilij alias grauiores ſubeſſe cauſſas homines putabant, qui eum Mediolanenſis imperij dominatū affectare dicebant, quū non obſcurè nepotum ſuorū alterum inſinuans, id præſenti pecunia cōparare poſſe ſibi perſuadebat ab egente Cæſare, & ad Belgicū bellum properāte. Cæſar quoq; ſummo aſtu hanc pōtificis ſpem nutriebat. Decedente Pontifice Rodulfus Pius Carpenſis Romæ legatus eximiæ virtutis, atq; prudentiæ Cardinalis, vrbanarū rerum curā ſecunda iam vice ſuſcepit. Alexandro aūt Vitellio, qui præſidijs, bellicisq́; operibus præerat, Leonianæ vrbis muro cingēdæ munus impoſitum, vt poſtquā Roma ad Orientem ſolem vaſta intus & antiquis vtiq; mœnibus, à frequentia ædium remotis rectè communiri non poterat, vel paruis copijs defendi, certum ſaltem & temporarium ad ſalutem perfugium in repentino periculo per Aelium pontem ad Vaticanas ædes populo pararetur. Cæſar demum tardiſsima nauigatione vſus, circa ſolſtitiū Genuam peruenit. Exceptus eſt ornatiſsimo Aurianæ domus apparatu, & præſto ei adfuere Coſmus Medices Florentiæ dux, Alfonſus Vaſtius, Ferdinandus Gonzaga, ac è Bononia miſſus à pontifice Petrus Luiſius Farneſius, Octauij Cæſaris generi pater, qui quum ea de cauſſa veniſſet, vt ad explicanda maximarum arcanarumq́; rerum conſilia colloquio dies & locus ſtatueretur, ad id prædurum, atq; difficilem Cæſarem reperiebat; properanti nanq; ſibi in Germaniam, & animo à pontificis congreſſu alienato, quippe à pace abhorrens, non ignorabat nihil aliud pontificem, quàm pacem ab ſe requiſiturum, nihil colloquio opus ſibi eſſe reſpōdebat, ne reliquum æſtatis tēpus Sicambrico deſtinatum bello, inutili mora cōſumeret, quando recentibus iniurijs affecto, nullus cōciliandæ cum rege Gallo pacis locus amplius relictus eſſet. Nec decorum videri Cæſari poſſe, de concordia cogitare, niſi prius vindicatis iniurijs, actum demum matura, certaq́; pax ab ipſo victore peteretur. In hanc quoque declinandi colloquij ſententiam abruptè filiam à Bononia literis acciuerat, vt eam ex itinere ad Papiam inuiſeret, poſtquàm pontificem minimè viſurus eſſe videretur. His cognitis, pontifex demulcendum Cæſarem ratus, Alexandrum Farneſiū Cardinalem magnis itineribus Genuam miſit, breuiq́; eius iuuenis opera ingenioq́;, quum ſumma quoque ad perſuadendum ineſſet auctoritas, Cæſar adductus eſt, vt ad Buxetum cum pontifice iungeretur. Id oppidum eſt Palauicinæ familiæ inter Cremonam, atq; Placentiam. Fuere qui exiſtimarent, Cæſarem ad id colloquium ſe inuitum trahi videri voluiſſe, ne Britanniæ regem pōtificiæ dignitatis hoſtem, contra Gallos

II ſibi

ſibi fœdere coniunctum offenderet. Cæſari autem ſibi arma in Germaniam paranti, quum pecunia deeſſet, pontifici Mediolanenſe principatum cupienti per ambages obtulit, vt grādi pecunia perſoluta, Octauius nepos Inſubrum Auguſta auctoritate dux conſtitueretur, cum res non conueniret. Hiſpanorum enim verſutijs haud fidebat pontifex. Imperator cum Coſmo Medice de redimendis imperij ſui arcibus, quæ Cæſareo præſidio tenebantur opportune tranſegit, ita vt ſupra ducenta millia aureorum nummûm in bellicos ſumptus ſoluerentur. At pontifex, cùm perſonæ, tùm reipublicæ dignitatem domeſticis commodis anteferret, priuati conſilij cogitationes penitus abiecit, in eamq; vnam omnino curam incubuit, vt Cæſar repræſentato Ferdinandi fratris periculo, & propoſitis æquiſsimis de pace conditionibus, ab inſtituto bello, contra Solymanum verteretur. Pontifex prior Buxetum venerat ad vndecimum calendas Iulij, poſtridie totius aulæ occurſu Cæſar oppidum ingreſſus fuerat, ſed vel tridui accurato colloquio, tum prædurum, inueteratoque odio à Gallorum amicitia abhorrentem expugnare eum Pontifex non potuit. Igitur illo pacem abnuente, Paulus poſtulauit, vt poſtquam ipſe hortando nihil profeciſſet, ſenatores Cardinales de concordia reipub. Chriſtianæ commodoq; diſertè verba facturos, audire minimè grauaretur. Id verò Cæſar honori ſenatus facile tribuit, & Grimanum Cardinalem orantem ocioſè audiuit. Sed vt à veteri conſilio diſcederet, perſuaderi non potuit. Pontifex quanquam conciliandæ pacis conſilio deiectus, rationem & ſtudium æquitatis, veræq; gloriæ decus alioqui ſemper eximium in Cæſare cæca obſtinatione ſuperari mirabatur. Ferdinandi tamen regis pericula, quæ ei à Solymano imminebant, reipub. pariter ac amicitiæ cauſſa, ſe minimè neglecturum Cæſari confirmauit. Nec multò pòſt Baptiſtam Sabellum prætorij præfectum, & Iulium Vrſinum cum XXX. cohortibus tuendo Norico ad Pannoniæ fines tranſmiſit. Quinque diebus eo colloquio fruſtra conſumptis, & Cæſare in Germaniam contendente, pontifex pari digreſſu Bononiam eſt reuerſus, vt feſtum diem diuo Petro apoſtolorum principi dicatum, ſolenni cæremonia celebraret. Quo eodem die Barbaruſſa à Turca, Gallorū regis rogatu miſſus, vt Cæſari inſigne aliquot damnum inferret, à Pontijs inſulis ad Tarracinenſium littora delatus, ad Oſtia Tiberis appulerat, tanto terrore hominum ab ora in montes refugientiū, vt populus Romanus ſubito metu concitatus in fugam, vrbem omnino deſerturus eſſe videretur, niſi à Polino Galli regis legato, qui cum Barbaruſſa erat, literæ ad Rodulſum legatum conſcriptæ, allatæq; Romam per Tarracinenſium prætorem, tumultum magna ex parte compreſsiſſent. Cæſar in Germaniam profectus, Sicambris domitis, legatum nepotem pontificis Alexandrum Farneſium Cardinalem audiuit, pro pace inter ſe & regem Gallum miſſum. Is Cæſari æquiſiſsimas pacis conditiones obtulit, Regē ſcilicet regni Neapolitani & Mediolanenſis principatus iura Cæſari conſeruaturum, Sabaudiam Duci redditurū ea lege, vt Subalpinam regionē bello acquiſitam retineret. Hæc Cæſar cum recuſaſſet, legatus paululum commotus, ſe exiſtimare, haud longe pòſt Cæſarem eam occaſionē deſideraturum, dixit, rebusq; infectis diſceſsit. Sequutus eſt annus quadrageſimus quartus ſupra milleſimum ac quingenteſimum à partu Virginis, poſt grauiſsimum inter Cæſarem & Gallum bellum, & maximè cruētam ad Ceraſulam pugnam, inexpectata pace valde inſignis, quæ certis conditionibus icta eſt apud Crepinium in Sueſsionibus caſtellum ad XIIII. calendas Octobris. Hoc confectæ pacis nomen quum alijs Europæ principibus incredibilem lætitiā attulit, tum verò Paulum pontificem in primis exhilarauit, qui paulò antè maximè ſolennibus ſupplicationibus Romæ celebratis, inteſtinis Chriſtiani belli diſcordijs finem adferri, accuratis, continuisq; præcibus exoptabat, quum certo ſciret, non aliter indictum Cōcilium facilem ſucceſſum habiturum, niſi prius inter reges compoſitis odijs, rerum humanarum controuerſiæ finirenrur. Cognoſcens verò quæ in pace Crepinij contra Romanam curiam reges agitauerant, Concilium bello hactenus impeditum denuò conuocauit in ſequentis anni menſem Martium. Ioannes Maria de Monte, & Marcellus Ceruinus, qui pontifices maximi alter ab altero poſteà fuere,



fuere, cum eodem Polo Tridentum ablegati ſunt. Legatos porrò ſequuti ſunt aliquot præclari nominis epiſcopi, quos ad repræſentandam eius ordinis dignitatem, excellenti ingenio doctrinaq; ſupra centum pontifex adſcripſerat, qui de rerum diuinarum veritate ſaluteq; labantis reipub. in conſenſu gentiū omnium diſputarent. Frequentes præterea ex Gallia, & Hiſpania patres Tridentum conuenere, vt ſæpius indictum conciliū, & ſæpius emergentibus cauſis ſuſpenſum, tandem inchoarēt: ſed quum id quoq; Lutheranis minus probaretur, modò locum, modò præſides, modò aliud atque aliud calumniantibus, illud ſatis manifeſtè conſtitit, nihil minus ipſis, quàm generale concilium curæ eſſe, quod vſque ad id tempus, quaſi per prouocationem à Romana Sede poſtulauerant; atque ita ea quoq; res optato euentu etiam tum caruit, præſertim, quum ſimultate inter Cæſarem, & pontificem orta, peſteq; Tridenti (vt diuulgatum fuit) inualeſcente, poſt habitas aliquot ſeſsiones, & ſalutaria quædam decreta examinata promulgataq;, ex pontificis auctoritate concilium Bononiam translatum fuerit. Cuius eiuſdem anni principio, per Prouinciam & ditionē Venauſinam Auenionenſemq; à Lutheranis aliquot populis magnus eſt tumultus excitatus, qui multis in partes ſuas ſeductis, & in his oppidis Gabriere, Mirandula, & Bronios occupatis, longius graſſaturi videbantur, ni propere Antonius Triultius, epiſcopus Tolonenſis Auenionis pro legato exercitu, adiuuantibus regis Francorum miniſtris, collecto principijs obuiā feliciter iuiſſet. Is igitur deuictis deletisq; omnibus, & oppidis pontificis iuſſu igne exuſtis, ſoloq; æquatis, cuncta in poſterum reddidit pacatiora. Obiere per hæc tempora maximè inſignes bonis malisq; artibus viri Henricus Anglorum & Franciſcus Gallorum reges, Odoardo VI. & Henrico II. Britanniæ & Galliarū regibus ſucceſſoribus relictis: item Alfonſus Vaſtius, rei militaris peritia inſignis dux, & Martinus Lutherus, omnium ſchiſmatum hæreſeonq; auctor & princeps, quum annos iam XXIX. de reliquo Chriſtiano nomine ſibi ſuisq; triumphare iuſſus eſſet. Pontifex in conſiſtorio Cæſare petente cunctas cathedrales eccleſias Inſularum maris magni Oceani orbis terrarū, quem vocant, Noui, & Indiarū Occidētalium, diſiunxit à prouincia metropolitanæ eccleſiæ Hiſpalenſis, cui metropolitico iure ſuberāt, archiepiſcopo Hiſpalenſe conſentiente: Illarumq; epiſcopos, clerum, populum à correctione, & iuriſdictione eiuſdem archiepiſcopi omninò exemit. Vrbesq; magnas illarū regionū, Mexicanā, S. Dominici, & Regum ſedes, metropolitanas cōſtituit, earūq; epiſcopis archiepiſcopi dignitatē, iura, pallium & crucē cōceſsit. Mexicanæ vero ſedi, ſeptem eccleſias, Antequerēſem, Mechoacanenſem, Taxcalenſem, Guatinalienſem ciuitatis regalis, Nauenſem, Chrapēſem, & quæ in poſterum in noua Galitia erigendæ ſunt cathedrales ſubiecit: Metropolitanæ S. Dominici eccleſias octo, Conceptionis, Vegenſem, Inſulæ S. Ioannis de portorico, Inſulæ Cuchæ, ciuitatis Decoro prouinciæ de Venceuela, S. Marthæ, Carthaginis nouæ Trugilli prouinciæ de Hondras: Regum archiepiſcopali eccleſię, ſedes epiſcopales quinq;, Cuſcanam, Quitenſem, Caſtelli de auro prouinciæ terræ Firmæ, Legionenſem in prouincia de Ricaragna, Papaianenſem, & ſi quæ in futurum in eis regionibus erigendæ ſunt, parere ſanxit, & ſuffraganeos ipſarum more S. Romanæ eccleſię eſſe voluit. Bellum poſt hæc acre, & periculoſum Cæſar ſuſcepit perdomandæ Germaniæ cauſſa, quæ non modo multo maxima ex parte ab inſtitutis maiorum ſuorū, placitisq; religionis impie deſciuerat, ſed etiam à maieſtate imperioq; Cæſaris arrogantiſsimè rebellarat. Deficientis aūt Germaniæ duo præcipui duces extiterunt Philippus Lantgrauius Heſſorum princeps, & Ioannes Fridericus Saxonum regulus, qui contumaci animo contemptis diu cùm Cæſaris edictis, tum eo præſertim iuſſu, quo cum alijs principibus ad Ratiſponenſem conuentū, in quo de communi Germaniæ ſtatu publica pace, & fidei concordia tractaretur, euocabantur, pro defendenda libertate Germanici nominis, excitis in id bellū liberis ciuitatibus eadē infectis ſecta, arma ſumpſerāt. Fœdus hi ad cōmunem tuendā cauſam in Saxoniæ oppido Smalcaldo diu antè percuſſerant, inde fœderis Smalcaldici nomine eorū conſpiratio vocata. Hi euangelicorū, & proteſtantium ſpecioſis nominibus aſſumptis, Cæ-

ſaris conniuentia, ſocordiam & ignauiam interpretati, abutebantur. Cæterùm
Cæſar pro dignitate ſua neque id ſæuum bellum reformidans, re cum Cardina-
le Farneſio legato anno antè communicata, ita illud inchoauit, vt qui initio pa
rum paratus arma accepiſſet in Vindelicia, ægre promptiſsimorum, atque vr-
gentium hoſtium impetum ſuſtineret, & ſeſe in Baioariam amicitia Guilelmi
principis fretus, recipere cogeretur. Hoſtium numerus tota Germania delectus
erat ingens, ad LXXX. millia peditum, & XVIII. millia equitum æſtimatus.
Ad Cæſarem autem cum aliæ multæè Belgis, Inſubribus, & regno Neapolita-
no collectæ, tum præcipue Italicorum tres nobiliſsimæ legiones, & mille Ga-
leati equites à Paulo pōtifice religionis atque amicitiæ nomine transalpes miſ-
ſæ, opportuniſsimo tempore Farneſio Cardinale legato, & Octauio fratre Cæſa-
ris genero duce ſuperuenerunt. Fuit Cæſaris exercitus ab initio hoſtium longe
inferior, ad triginta quinque milia peditum ſcilicet, & tria millia equitum. Bu-
rani comitis aduentu ad duodecim millia equites aucti. Quibus auxilijs confir-
matus imperator, bellum quod inferebatur conuerſa fortuna, ita hoſtibus in-
tulit, vt protracto per octo menſes bello, fractoq́; Germanorum impetu, quum
nuſquam ferè iuſto prælio eſſet dimicatum, Germania omnis inter Danubium,
Albim, & Rhenum incredibili felicitate vtroque duce capto, alteroque electo-
ris dignitate exuto, poſtremo ſubacta ſit, & magna pecunia impoſita imperata
facere coacta. Hac victoria vehementer lætatus eſt pontifex, præſertim quum re-
ligionis cauſſa ipſomet auxiliares copias ſubminiſtrāte bellum illud Cæſar ſuſ-
cepiſſet. Itaque Franciſcum Sfondratum Cardinalem magnis itineribus ad eum
ſtatim gratulatum miſit, ſcriptis in eandem quoque ſententiam literis, cum In-
uictiſsimi & Maximi imperatoris præſcriptione, & hæc quidem publicè. Clàm
verò pontifex non obſcurè Cæſari infenſus erat, veritus ne ille ad totius Italiæ
imperium aſpiraret, præſertim quòd ne ipſe vſquā, vti publicæ libertatis defen-
ſor, commouere ſe poſſet, graues Tridentini Cōcilij compedes iniecisſet, quum
Cæſarianæ partis præſides pontificiæ dignitati grauiter, maligneq́; aduerſos ex-
titiſſe didiciſſet, famaq́; vulgaſſet: Cæſarem, quò Germanos in officio contine-
ret, priuatiq́; commodi gratia, non publicæ vtilitatis Concilium in longū pro-
trahere conſtituiſſe. Quo factum, vt & Petrus Luiſius filius, qui nunquam impe-
trare potuerat (hæc alia ſimultatum occaſio fuit) vt Parmæ, & Placentiæ princi-
patum ſibi vel potius Octauio filio Cæſaris genero à pontifice donatum proba-
ret, relicto Cæſare, non ignaro, aut diſsimulante patre, ad Gallias partes ſeſe cō-
uerteret, & ipſe pontifex alienati animi non obſcura ſigna daret, quum aliquā-
do iniquiùs, quàm Chriſtiana pietas flagitaret, & pontificia maieſtas requirere
videretur, Cæſarem Anglo hæreſeos damnato adhæſiſſe in ſuam contumeliam
aſsiduè prædicaret. Hunc in modum Cæſari non diſsimulanter iratus, de con-
cilij, quod Tridenti in gratiam Cæſaris celebrari iuſſerat, ſuſpenſione translati-
oneq́; apud Bononiam cogitare cœpit, & eo quidem propenſius, quòd quibuſ-
dam ſanctionibus odioſa diſputatione ad decretum relatis, quorundam ſubor-
natorum præſulum malignitate dignitatem ſuam perſtringi, & offendi cogno-
uiſſet. Itaque eiuſdem anni, quo Cæſar de Germanis victoriam retulit, initio, le
gati pontificij aëris intemperiem excuſantes, monente pontifice, relicto Tridē-
to Bononiam ſe contulerunt. Atque ita viuente Paulo tertio biennij ſpatio an-
nis ∞ DXLVI. & XLVII. quibus Concilium Tridenti, & Bononiæ cele-
bratum fuit, decem ſeſsiones habitæ, octo priores Tridenti, duæ reliquæ Bono-
niæ. Prima ſeſsione idibus Decembris anni ∞ DXLV. celebrata, initium Con-
cilio factum. Secunda, ratio viuendi, & quæ in Concilio ſeruari deberent præ-
ſcripta. Tertia, Symbolum fidei promulgatum. Quarta, canonicarum ſcri-
pturarum index editus. Quinta, peccati originalis. Sexta, iuſtificationis. Se-
ptima, ſacramentorū in vniuerſum, priuatim vero Baptiſmatis, & Confirma-
tionis doctrina & canones promulgati, atque ad ſalutem clericorum vitam co-
ërcendam leges, quas reformationes vocant editæ. Octaua V. Idus Martij anni
∞ DLXVII. Concilium Tridento Bononiā ex pontificis auctoritate transla-
tum: duæ nouiſsimæ nullis rebus memoratu dignis Bononiæ abſumptę. Quum
vero



verò nullis Cæſaris, aut obteſtationibus, aut conteſtationibus pontifex Paulus
III. adduci potuiſſet, vt ſuos Epiſcopos Tridentū reuocaret, Cæſar anno, qui ſe-
cutus eſt Auguſtæ cōuentu habito, præfatus ſeriùs quàm ſperauerat conciliū ſpe-
ratum finem habiturum, de eorundem principū imperij conſilio, librū euulga-
uit certa religionis capita continentem, quæ omnes paſsim obſeruarent, donec
concilium perficeretur. Vnde etiam INTERIM ſiue INTERRELIGIO
quaſi ad certum tempus duraturum librum ipſum inſcripſit. Hæc res in ponti-
ficis animum altius deſcendit, & iam apertas cum Cæſare ſimultates cōcipie-
bat, quum aliena curantem, & quæ pontificij muneris erant, moleſtiæ ſibi ſo-
lum exhibendæ cauſſa, contra quam ſentiret occupantem, grauiter ſcripta epi-
ſtola accuſaret. Sed ante omnia exaſperabant eum Placentia erepta, & filius oc-
ciſus, qui alienato à Cæſare animo, & ei vbique aduerſus, atque Gallicis parti-
bus addictus, nuper etiam Io. Luiſio Fliſco Andreæ Auriæ trucidandi, & occu-
pandæ Genuæ ſocius, atque adeo auctor fuiſſe (falſo tamen) dicebatur. Quam-
obrem Cæſari maximè & ſuſpectus, & inuiſus Cæſarianorum conſilio, conſpi-
ratione contra eum à principibus ciuitatis facta, domi confoſſus fuerat, Placen-
tia in ipſo tumultu à Cæſarianis, incredibili cum pōtificis mœrore occupata, &
Parma ægrè à pontificijs retenta, ita vt prudens & diſsimulare omnia ſolitus
pontifex, vnam temporis opportunitatem expectare videretur, qua iniurias il-
latas tuto poſſet vindicare. Hæc agitantem mors eum intercepit, concepta ex do
lore ſimul & ira, quod Octauius nepos, quem poſt patris necem, veritus ne vitæ
quoque eius inſidiaretur, in vrbe cunctanter continebat, ipſo inuito ac vitante
Roma clam celerrimè profectus, Parmam vel ſcriptis literis minitabundus oc-
cupare tentaſſet, & à Camillo Vrſino vrbi præſidio à pontifice impoſito non ad-
miſſus (quod pontifex cuſtodiendam, non duci iuueni tradendam putaret) in
proxima turris Claræ arce ſubſiſtebat. Grandæuus nanque ſenex, & omnis con-
tumeliæ inſolens, doloris impatientia non multò pòſt in grauem febrem inci-
dit, cui quum diutiùs reſiſtere nequiret, corporis viribus deſtitutus, integerri-
mis alioqui ſenſibus, quinto pòſt die ad IIII. Idus Nouembris paulò ante lucem
in Quirinali, quo ſeſe tanquam ad ſalubriorem vrbis locum conferre ſolebat,
ſacramentis eccleſiaſticis piè ſuſceptis è vita diſceſsit, anno à partu Virginis
∞ DXLIX. ætatis LXXXI. menſe VIII. die X. pontificatus verò XV. die
XXIIX. conditus autem eſt temporario monumento in Baſilica diui Petri, do
meſticorum humeris per mediam vrbem nulla pompa eodèm illatus. Vacauit
tum ſedes menſes duos, dies XXIX. Fuit hic pontifex multis inſignibus vir-
tutibus clarus, humanitate, affabilitate, clemētia, comitate, præcipuè vero pru-
dētia ſingulari, per ſexaginta ferè annos, quibus publica munera obiuit feliciter
collecta. Vnus omnium ſuæ ætatis principum aptiſsimè nouerat detegere ho-
minum ſtudia, nudare voluntates, ſcrutari, atq; introſpicere ſenſuum intimos
receſſus, in magnos ſcilicet vſus publicarum actionum. Ea autem omnia ſoler-
ter tum aſſequebatur, quum in negocio diſſentiendi materiam ſimulata conſul
tatione præbuiſſet. Hinc collecta parataq́; habebat reſponſa, quæ legatis daret,
excuſationeq́; legitima in alternos vſus opportunè translata, Cæſaris, & Galliæ
regis offenſiones eruditiſsimè deuitaret. Hiſce virtutibus adiunctam habuit bo
narum artium literarumq́; egregiam ſcientiam, mathematicis nonnihil ope-
ram dedit. Eorum tamen ſtudiorum, quod occulta, & exitu plerunq; vana ſint,
& alioqui ſacratis viris parum digna, culpam ſubſtinuit, doctos, & eruditos vi-
ros amauit, erga ſuos vero ſanguinis propinquitate ſibi coniunctos adeo indul
gens, vt & intemperanter eis faueret, & ad ſummos honores, aut ad ſummum
auctoritatis locū, ſtabileſque diuitias eoſdem proueheret. Certè ſuſceptis C.C.
millibus aureorum Mutinæ & Regij cum Ferrariæ duce quæſtionem finiuit.
Contra voluntatem complurium Cardinalium Petro Luiſio Parmam, & Pla-
centiam nobiliſsimas Romanæ Eccleſiæ beneficiarias in Gallia Ciſpadana vr-
bes vectigales, Camerino Eccleſiæ à nepote Octauio reſtituto, decemque mil-
lium aureorum annuo tributo impoſito addixit: & quod antea factum non
meminerant, duos nepotes Farneſios fratres in idem Cardinalium collegiū ad-
 ſciuit

ſciuit. Sed ſuperioris eum facti haud dubiè pœnituit, quum Octauio, Petro Luiſio patre interfecto, perſuadere conaretur, vt pro Parma Camerinum reciperet. Huius verò eum excuſare libet, quod ab inſigni indole, & omnium virtutum concurſu cunctos honores promeriti dignisſimi eſſent legibus, qui ſoluerentur. Et certè pontifex, qui ex omni natione quoſque, virtute, doctrina nobilitateque clarisſimos hoc dignitatis gradu ſibi exornandos ſumpſerat, non erat cur ſanguine iunctos ijſdem virtutibus illuſtres illiberaliter excluderet. Fuit autem ſtatura mediocri, capite non magno, oculis rutilantibus, naſo paululum producto, labijs paulo eminentibus, promiſſa barba, viribus corporis firmis. Et niſi grauioribus vectigalibus, tributiſque paulò aſperior ſubditos aſsiduè vexaſſet, in his Triennali ſubſidio toti ſtatui eccleſiaſtico graui, nemo ad eum diem per multos annos iucundiorem ſui memoriam reliquiſſet. Et quanquam recens mortuus non admodum probaretur, inſequentium temporum tamen infelici euentu maximè à bonis omnibus, & ab infima etiam multitudine deſideratus eſt.

## IVLIVS III. PAPA.

IVlij Tertij maiores ex oppido agri Arretini, cui Mōtis Sancti Sabini nomen eſt orti, familiæ ſuæ recens nomē de Monte, à natali loco obtinuerūt, quum antiquitus Ciocchi dicerentur. Pater ipſius Vincētius Fabiani filius, inter celeberrimos vrbis iurecōſultos, & diſertus cauſſarum, quæ coram Pontifice agitantur, patronus fuit: mater verò Senis nobili loco orta eſt. Ipſe natus eſt Romæ in regione Parionis, propè domos Mellinorum, IIII. Idus Septembris, die qui Sancto Nicolao Tolentinati ſacer eſt, anno Salutis ∞ CD XXCVII. Ioannes Maria vocatus. At quanquam in Vrbe natus & educatus eſſet, Arretinus tamen à paterni agri natalibus eſt dictus. Patruum habuit, Antonium de Monte, virum iuris ciuilis ſcientia egregium, doctrina, & rerum experientia illuſtrem, quem ex archiepiſcopo Sipuntino, & Rotæ auditore, Iulius II. papa Cardinalem presbyterum tituli Sanctæ Praxedis creauerat. Cuius diligentia Ioannes Maria, adhuc adoleſcens ingenio docili, poſt humaniorum literarum ſtudia, in quibus Raphaële Brandolino Lippo viro docto præceptore vſus grauiter profecit: Peruſiæ & Senis celeberrimis gymnaſijs iuris ante omnia ciuili pontificioque operam ſtrenuè nauauit, vt eo certo, nobilique iuris prudentiæ præſidio, familiæ ſplendorem, dignitatemque tueretur. Quare cùm eruditus & eloquens, tum rerum experientia inſignis euaſit. Teſtes ſunt orationes multæ, vernacula & latina lingua etiam in pontificijs celebritatibus, habitæ, & præſertim illa, quam adhuc iuuenis in quinta Seſsione Lateranenſis Concilij, ſub Iulio ſecundo dixit. Quum patruo ſe archiepiſcopatu abdicante, archiepiſcopus Sipuntinus à Iulio ſecundo factus eſſet, Peruſiæ & Vmbriæ primum, prolegato, patruo legationem obtinente ſub Leone X. ſecundisſima nominis fama fuit: deinde ſub Clemente Septimo bis vrbis gubernationi integrè præfuit: erat enim mirificus iuſtitiæ, & æquitatis cultor. Quin & ſuauiſsimis moribus ornatus quū eſſet, vniuerſis Romanæ aulæ optimatibus gratiſsimus fuit. Vnum tamen in eo homines reprehēdebant, quod nimijs indulgeret voluptatibus, quæ tamen res dum priuatus ſub alieno imperio fuit, eum minimè à publicis muneribus auocabat: nam Aemiliæ & Flaminiæ præſidens, Ariminum Malateſtis, qui rediuiuis ſemper viribus, oppidum ſæpius ereptum occuparant, eiectis egregiè recepit. Vrbis excidio in vitæ penè diſcrimen incidit, quando cum alijs aliquot præſtantiſsimis viris, ipſe etiam à Clemente VII. rei numariæ difficultatibus implicito, furioſis militibus aurumque immaniter, & inſolentiſsimè petentibus, obſes datus fuit, quum bis in Campum Floræ omnes ſimul ad patibulum cathenati latronum more tracti eſſent, biſque ſententijs de eorum ſupplicio, in militum corona graui, & infeſto concionis fremitu eſſet diſputatum. Cæterùm fuga cum ſocijs incolumis die Sancti Andreæ ſacro quem poſtea coluit elapſus, diuinaque haud dubiè prouidentia maximo ſacerdotio reſeruatus, libertatem afflicto pontifici maturauit. Pauli tertij ponti-



ficatus initio, Bononiam pro legato adminiſtrauit, poſtea auditoris Cameræ apoſtolicæ munus ſumma cum laude ſuſtinuit. Cæſari Carolo Quinto à victoria Tunetana, Neapolique ad vrbem venienti, pontificis nomine obuiam Tarracinam vſque profectus eſt. A quo deinde pontifice liberalitatem, & beneficentiam in benemeritos exercere ſolito, aliquot alijs lectiſſimis viris adiunctis, inter quos Paulus Quartus, Iacobatius, Sadoletus, Carpenſis, & Polus fuere, presbyter Cardinalis Sancti Vitalis tituli Veſtinæ, anno ſalutis ∞ DXXXVI. eſt creatus. Et certe pauci fuerunt, qui in Romana curia diuturnius, iuſtius, fidelius, & laborioſius per tot annos, quàm Iulius tertius verſati fuerint, in quo vno nullus vnquam in maxima varietate rerum gerendarum ſuperbiam, nullus auaritiam, nullus negotiorum, quæ is ſuſcepiſſet, neglectum, aut quæſtus aliquam cupiditatem notauit. In Pauli pontificatu, aliquot legationibus Galliæ Ciſpadanæ, Flaminiæ & Aemiliæ, & nouiſſima Bononienſi integrè adminiſtratis, concilio etiam Tridentino apoſtolicæ ſedis legatus, collegis Marcello Ceruino, & Reginaldo Polo pontificis vice præfuit. Paulo Tertio vita functo, Romæ in Vaticano, poſt diuturnam Cardinalium in partes deductorum diſceptationem, tandem præter omnium ſpem, & cunctis inopinantibus, tertio vacantis ſedis menſe iam ferè tranſacto, ſeptem & quadraginta patrum, qui tum in comitio aderant, votis auctoribus Farneſio & Guiſio Cardinalibus, Marcello verò Creſcentio ſtrenuè operam nauante, ex epiſcopo Cardinale Præneſtino, Bononiæque, & Concilij legato, VII. Idus Februarij circa horam noctis tertiam anno ∞ DL. pontifex maximus renuntiatus, Iulij Tertij nomen in Iulij II. à quo fortunæ ſuæ initia emanaſſe affirmabat, memoriam ſibi adſciuit, & proximo diui Petri Cathedræ Antiochenæ ſolenni die, de more à Cardinale Cybo diaconorum principe coronatus eſt. Sedit autem imperatore Cæſare Carolo quinto Auguſto, annos quinque, menſem vnum, & dies ſexdecim. Pontifex porrò coronatus die ſancto Matthiæ apoſtolo dicato, ſacræ anni quinquageſimi Iubilei ſalutis ∞ DL. celebritate, more maiorum apertis ſolennibus quatuor portis initia fecit, quem toto anno religioſe coluit, eaſdemque anno vertente, Epiphaniæ die veſperi, magna cum cæremoniarum pompa clauſit. Conuenere tunc ad vrbem frequentes gentium, ſed tantum Italicarum concurſus, ſacræ quatuor patriarchales ædes, Vaticana, Sancti Pauli, Lateranenſis, & ſanctæ Mariæ Maioris, à ciuibus & peregrinis frequentiſſimè viſitatæ, omnes ſanctorum reliquiæ viſitātibus ſæpiſſimè prolatæ. Pontifex ſæpe populo benedixit, & auguſtioribus infulis, ſacratiſque veſtimentis indutus, ſpectandum ſe omnibus præbuit. Eodem anno Catholicorum omnium principum & rerum publicarum oratores publicis in conſiſtorijs vetere Romanæ eccleſiæ inſtituto, ad pręſtandum ſibi obedientiam admiſit. Stephanum Armeniæ maioris patriarcham, quem Catholicum vocāt, qui ſub Paulo tertio comitibus archiepiſcopo vno, & duobus epiſcopis Romam venerat, atque in omnibus Romanæ eccleſiæ fidei conſenſerat, multis honeſtatum donis in patriā remiſit. Vectigalia aliquot à Paulo III. imperata molarum, & contractuū edicto ſuſtulit. Montem Iulium non perpetuum ex vectigalibus annonæ, Ripæ, & Ripetæ inſtituit, qui in duodenos aureos annuos pro centenario redderet. Vrbem incolentium, & curialium priuilegia confirmauit, ius teſtamenti condendi ijs tribuit, ab eorum etiam ab inteſtato moriētium iniurijs fiſcum apoſtolicum repreſſit, edictum, quo ſpolia Romæ decedentibus, clericis eripiebantur, abrogauit. Pulcherrimo edito diplomate hæreticos & ſchiſmaticos ad apoſtolicæ ſedis vnitatem inuitauit, libros hæreticorū damnauit, eoſque legi & teneri graui pœna vetuit: idem de Iudæorum libro Thalmud, & alijs eorum codicibus, queis contra fidem Chriſti blaſphemiæ ineſſent, ſanxit, quibus etiam priuilegia cōfirmauit. Romanæ ſedis Pœnitētiarij munus firmauit, eius poteſtatem in dubium reuocantes coarguit, epiſcoporum aſſiſtentium priuilegia auxit. Apoſtatas ad ſua monaſteria redire iuſſit, pręlatoſque ipſos recipere præcepit, ac à facili monaſteriorum exitu eoſdem repreſſit. De rebus vero religionis componēdis aliquam ſpem præbuiſſe viſus eſt, quādo primo ſui pontificatus anno, auctore Cæſare Carolo V. publico diploma-

tegeneralem Chriſtianorum conuentum Tridēti inchoatum, & à Paulo tertio Bononiam tranſlatum, rurſum ad proximas Kalen. Maij anni ſequentis, Tridēti inſtaurandum, & continuandum indixit. Quod diploma ad Carolum V. Cæſarem ab eodem miſſum, quum imperialis conuentus Auguſtę Vindelicorū ageretur, in optimatum conuentu Imperatoris iuſſu eſt publicatum. Cōfluxere tūc ex Germania, Hiſpania, & Italia epiſcopi aliquot, miſſusq; pro more Apoſtolicæ ſedis legatus, Marcellus Creſcentius, Cardinalis presbyter tituli ſancti Marcelli, & cum eo duo aſſeſſores, Sebaſtianus Piginus Archiepiſcopus Sipontinus, & Luiſius Lipomanus epiſcopus Veronēſis, qui pontificis nomine cōcilio præeſſent. Interim Romæ Pontifex alijs muneribus vacans, quum ad Baſilicam Lateranēſem die feſto Sancti Ioannis Baptiſtæ profectus eſſet, Innocētium de Monte, quē conditione humili Placentiæ natum, & educatum in familiæ nomen, & ad Cardinalatum vſque euexerat, affirmans ſe ad tanti honoris decus euectum ob ea beneficia quibus illum puerum antea affeciſſet, Bononiæ, Andream Corneliū Viterbij, Iacobum Sabellum Piceni legatos creauit, & Andrea mortuo Ranutium Farneſium ſuffecit. Bloſio Palladio, qui Pontificis ſcriba fuit, vita functo, ſubſtituit Galeatium Florimontium, epiſcopum Aquinatem, & Romulū Amaſæū litteris Græcis & Latinis eruditiſſimum. Quum vrbs graui frumenti inopia laboraret, tritico aduecto, famis incōmoda, quantum potuit, ſubleuauit. Solēnes, recepta à Chriſtianis de Turcis ad Africum littus Lepti, quam noſtri Africā, Pœni, Maomediam vocabāt, munitiſſima vrbe, ſupplicationes habuit. Cardinales ad viginti quatuor lectionibus creauit, inter hos aliquot viros & doctos & graues, aliquot ſibi genere coniunctos, aliquot verò veteri familiaritate cōmendatos. Inter hos fuit Cęſare Ferdinando petenti Georgius Martinuſius Dalmata, cucullatus ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ Tranſiluaniæ, & eius prouinciæ principis pupilli curator à decedente patre relictus. Is proditionis, & clandeſtinæ cum Turcis amicitiæ, & ſocietatis inſimulatus, paulò pòſt Cæſaris iuſſu per inſidias à Sfortia Palauicino interfectus eſt. Conſtituerat Iulius ſui ponficatus initio, otium auidiſſimè amplexus, nulla ſe bella, ne legitima quidem, ſuſcepturū: verùm præter animi ſui (vt ipſe dicebat) ſententiam, mentem mutare coactus, bellum Parmenſe vel imprudens ſuſcepit, quo Italia omnis & Europa deflagrauit. Cuius ego belli initium & exitū quàm breuiſſimè exponam. Paulus tertius, Petro Luiſio interfecto, & Placentia amiſſa, ad Parmæ quam ægrè retinuerat, cuſtodiam, Camillum Vrſinū magna apud omnes in re bellica opinione virū, miſit, vt eam vrbem Romanæ Eccleſiæ nomine à Cæſarianorum vi, qui iā Placentiam obtinebant, tueretur, præcipiens ne cuiquam iniuſſu ſuo eam redderet. Cæterùm Pontifice haud longè pòſt animi dolore extincto, Comitijs noui Pōtificis indictis, patres omnes in conclauis legibus, eam etiam ſanxerunt, vt qui pōtifex renuntiatus eſſet, bellorum auertendorum cauſſa, Parmam Octauio Duci confeſtim redderet. Id Iulius III. Pontifex factus, initio pontificatus, Vrſino reuocato egregiè præſtitit: quam Vrbē ea conditione (vt fama fuit) Octauio reſtituit, ne ſe incōſulto aliquod intra mœnia præſidiū externi principis ſuſciperet, nè qua ingentis belli occaſio, inter ſe concordibus regibus prębe-retur: atque propterea, vt vrbem à Cæſarianorum vi & inſidijs, qui eam (vt ferebatur) eripere tentabāt, tueretur, ſingulis menſibus, duo aureorum millia attribuit. Octauius diffidēs ſe inuito Cæſare diutiùs illam tenere poſſe, quum ea pecuniarū ſumma, quam etiam perſoluere paulò pòſt pontifex recuſauit, tantæ ciuitati tuendæ non ſufficeret, pōtificem per fratrem Cardinalem Farneſium interpellauit, vt vel maiore ſe ſubleuaret, ac perpetuò mēſtruo ſtipendio, vel rebus ſibi ſuis cōſulere, atque alicuius ſe Principis fidei credere permitteret, cuius ope contra Cæſaris potentiam Parmam tueretur. Pontifex derepente, re non cogitata, & parum (vti euentus docuit) prudenter Cardinali fratris nomine rogāti reſpondit: vt qua cōmodius videretur ratione, ſuis Dux difficultatibus cōſuleret. Quibus verbis veluti facultate accepta, eius quod poſtulaſſet, Octaui⁹ adductus, quum aliūdè ſubſidij ſpes nulla eſſet, Gallorum Regi Henrico percupidè occaſionem oblatam amplectenti, Fratris Horatij opera, qui Regi gener deſtinatus erat, plurimumque



rimumque apud eum valebat, ſe coniunxit. Firmo Gallorum præſidio Parma munita, pontifex quod præter animi ſui ſententiam id factum eſſe contenderet, poteſtatem factam, Cæſaris timore inficiatus, cui de ea re monenti pro certo affirmauerat, Octauium id ſe inconſultò nulla ratione tentaturum, bellum Octauio Farneſio Imperatoris copijs & commeatu fretus indixit, Cardinalem Farneſium Florentiæ, quoad bellum eſſet permanere voluit. Belli Parmenſis dux Ferdinandus Gonzaga, qui tum Inſubres pro Cæſare obtinebat, factus, pro pontifice verò legatus fuit Io. Angelus Medices, Cardinalis Marchionis Meleniani, qui in eo bello cum imperio erat frater. Quum interim cognitū eſſet, Mirandulæ à Francorum Rege, Duce Termeſio delectus haberi, milites ſcribi, commeatumque pro ſubleuanda Parmæ obſidione parari, à Gallis quoque ducibus Petro Strotio, & Horatio Farneſio impetus in agrum Bononiēſem factus eſſet, Mirandulam etiam obſidione cingi placuit: huic Mirandulanæ prouinciæ, Ioannes Baptiſta de Monte Balduini fratris Pontificis filius, & Alexander Vitellius præfecti. Atque ita eodē tēpore Parma & Mirandula, à Cæſarianis & pontificijs copijs obſeſſæ, bello in Italia cōcitato, multæ & ingentes cædes, ruinæ, populationes, & hæ, quas bella ferunt, calamitates inter vtroſque exercitus editæ ſunt. Ager omnis Parmēſis, & Mirandulanus igne ferroque vaſtatus: quanquam Gallorum pars ſæpius, & præſertim Mirandulæ præualere viſa eſt, quæ frequentibus incurſionibus eccleſiaſticas copias multis carptim cæſis, maximè vexabat. Continuatum eſt bellum ferè per annum, nullo memorabili Cæſarianorum facinore, diutiusque protractum fuiſſet, niſi Briſacus Regius in Subalpinis copiarum dux, quò Parmæ obſidionem auerteret, ea parte in agrum Ducis Allobrogum, captis aliquot oppidis oppreſſionem feciſſet. Ea re Gōzaga, vt Subalpinis opem ferret, cum exercitus parte eò migrare coactus eſt, Parmenſi prouincia Marchioni Meleniani relicta. At verò dum arma in longum magnis difficultatibus, maioribus ſumptibus protraherentur, Pontifex diuturni belli pertæſus, quum eſſet ingenij mitis, & ad pacem propenſus, quod id certamē potius vt Imperatori gratificaretur, Didaci Mendocij oratoris Cæſarei, qui Farneſios oderat, impulſu, quàm vllo Parmæ occupandæ conſilio ſuſceperat, Medicis legati ſuaſu, & Cardinalium aliquot Gallorum, præſertimque Turnonij (cuius maxima auctoritas erat) interuētu, pacem vtriſq; obſidionibus ſolutis fecit. Cuius fœdera antequam in caſtris Mirādulanis audita eſſent, Ioānes Baptiſta de Monte eruptione ab hoſtibus facta, miſerè magno cum pontificis dolore tormenti ictu occiſus eſt. Meleniani Marchio Parmæ obſidione ſoluta, cū eo copiarum ſupplemento ad tuēdas à Gallorum impetu Subalpinas gentes cōceſſit. Cuius belli occaſione pontifex vectigalia aliquot, & Montes quos vocant inſtituit. Triennale ſubſidiū à Paulo III. ad tempus certū indictum prorogauit. Annatarum & quindenniorū, pro impetrādis, vel vniendis ſacerdotijs, ſolutiones, quęque à ſuperioribus pontificibus de ijs ſancita fuerant, confirmauit: eos qui ſacerdotia ſine apoſtolicis litteris retinuiſsēt, caſtigauit. Sacerdotū morientiū pecunias inexactas non eorum hæredibus, ſed in ſacerdotio ſucceſſoribus acquiri. Cardinalium, qui diem obirēt, pecunias, & ſuppellectilem, quæ cameræ, & ſacello apoſtolico peruenirent, tradi. Bona eccleſiarū temere alienata reſtitui voluit. Inter ſe verò commiſſi reges, quod alius alij auxilio veniſſet, bella ex bellis ſerebant, quę in nonum protracta annū, multas, & maximè miſerabiles clades Chriſtianis inuexerūt. Tridentū interim multi catholici doctores, ſacerdotes, epiſcopi, & archiepiſcopi: in his tres imperij electores Cæſaris iuſſu iam conuenerant. Nam ex Lutheranis nemo vnquā adduci potuit, vt eò proficiſceretur. Fide enim publica data acciti, loci ſitū cauſſabantur, in quo liberè, quæ ſentirent, dicere tutum non eſſet, quare, quæ concilij erant, leniter tractabātur. Annuo tamē ſpatio ſeſſiones ſex habitæ, quædam decreta in ijs promulgata, quæ reformationem clericorum reſpicerēt. Seſſiones fuere ab vndecima ad ſextādecimam, igitur decretum, vt conciliū reuocatum proſequeretur, duodecima & quintadecima, nihil memoratu dignum actum, tertiadecima Euchariſtiæ, quartadecima Pœnitētiæ, & extremæ vnctionis, ſacramenta cum ijs, quæ ad ea pertinēt, explicata ſunt. Sextadecima

tadecima ſeſſione Concilium diſſolutum, id enim anno ∞ DLII. ingruẽtibus in Rætos, Vindelicos, & Noricos Germanorũ Imperatori rebellium auctore Mauricio Saxonum Duce armis, Oenipõteq́; (quod tridui ſpatio à Tridẽto abeſt) occupato, ſolutũ eſt, patresq́; ingenti metu perterriti, veriti ne Germani Tridentũ quoq; contẽderẽt, Tridẽto quamprimũ diſceſſere. Henricus enim Francorũ rex, Cęſari iã belli Parmẽſis occaſione hoſtis factus, quo vires eius toti Europę formidabiles frangeret, arma ſemel ſuſcepta retinebat, Germanosq́; aliquot Principes hęreſis Lutheranę, inter quos Mauricius Saxonũ dux eminebat, clam vt à Cęſare deficeret ſollicitauit: etenim Mauricius Imperatori infenſus, graues cũ eo inimicitias gerebat, quod ad eam diem Philippũ Lantgrauiũ Heſſiæ ſocerũ ſuum, ab ſe fide publica Cęſari aliquot annis antè deditũ, diuturno carcere magna omnium offenſione maceraſſet. Hanc ob cauſſam ira & odio inflãmatus, copioſo exercitu collecto, in Rætos impetum repẽtè fecit, Cęſaremq́; nihil tale ſuſpicantẽ veluti in fugam actum, Oenipõte abire coëgit. Qui Villacum in Carnis Auſtriacæ ditionis oppidum paucis aliquot ex aulico miniſterio comitatus, nocte intempeſta vix ſe proripuit. Quã victoria Mauricius elatus, inſtaurato contra Albertum Marchionem Brandeburgenſem bello, qui per Germaniam ferro & flamma in Catholicos imprimis debacchabatur, aſpero & periculoſo inito prælio ſclopeti ictu victor occiſus eſt. Occubuêre eodem etiam in prælio ſummæ expectationis principes duo, Carolus Victor, & Philipp⁹ Magnus, fratres, Illuſtriſſimi principis atq; ducis Brunſuicenſis Henrici filij, qui Mauritij partes contra Albertum iuuarant. Per id tempus pontifex domi quietus agens, Tridentini conuentus diſſolutione viſa, certos quoſdam patres delegit, quibus id negocium dedit, vt poſtquam concilium ſucceſſu caruiſſet, quæ ad Chriſtiani nominis quietẽ, & ad morum, ac diſciplinæ publicæ correctionem facere viderentur, ipſi diſpicerent, atq; emendarent. Ea res aliquandiu ſedulò agitata, obortis tandem multis difficultatibus, impedimentis, poſt aliquot demum menſes vel refrixit, vel in aliud tempus dilata fuit. Quum Eccleſia orientalis, Aſſyrię mortuo Simone Mama, totius orientis trans Euphratem vſque ad Indos Metropolitano, Patriarcham ſibi conſtituiſſet Simonem Sulakan, Danielis filiũ de familia Bellu, monaſterij de Hormiſd, ordinis Sancti Baſilij, in Vrbe Muzalana, quæ eſt in inſula Trigidis fluminis, eundem virum moribus egregijs, eximia doctrina, & Catholica fide ornatũ, Romam ad Apoſtolicam ſedem, vt confirmaretur, miſit: qui cum ſuæ Eccleſiæ litteris, ad limina apoſtolorum venit, & pulcherrima doctaq́; fidei confeſſione edita, hanc de ſe, & eccleſia ſua relationem Iulio Papæ obtulit: Sulaka, hoc eſt, accedens Arabice, vulgò Saud dictus, annos iam natus circiter quadraginta, in ciuitate Muzal, quæ & Aſſur vocatur, octodecim Chriſtianorum Eccleſijs inſigni, quarum quindecim ſunt Neſtorianorum, tres verò Iacobitarum, ſita in ripa citeriore Trigidis fluminis, à qua ex altera parte ripæ abeſt Niniue illa Ionæ prædicatione nobilis, bis mille paſſibus, quæ nunc circiter mille ædibus, tantum habitatur: parentibus, inter ſuos ciues optimatibus, admodũ puer, ſuo ipſius genio inſtigatus, monaſticam vitam amplexus eſt, quam hactenus, cum ſua, & noſtra religione coluit in Cœnobio nuncupato Rabban Horſmiſd, quod ſitum eſt vltra Tigrim, circiter octo millibus paſſuũ à Niniue in monte, vt ſunt omnia in illis regionibus monaſteria, propter ſeceſſum, & ſolitudinẽ. In quo monaſterio ipſe Sulaka iam annos ferè duos & viginti abbatem egit, habetq́ue fratres ſupra quinquaginta. Abeſt autem ab hoc monaſterio duobus tantum milliaribus Altus, patria Naum prophetæ, vbi illi in hanc diem celeberrimum extat ſepulchrum, ad quod Iudæi longè lateque confluunt, & Chriſtiani, qui ſoli eam ciuitatem circiter mille domibus incolunt, & id ſumma cum religione venerantur. Longe maxima pars Chriſtianorum, qui per Aſſyriam, Perſiam, ac reliquas orientales prouincias habitant, appellantur Neſtoriani. Nam Maronitæ extra Libanum montem pauci ſunt. Iacobitæ ſparſi quidem habitant, ſed non frequentes. At Cophti, ſiue (vt ipſi ſcribunt) Aegophti magis verſus Aegyptum, à qua videtur mihi hoc nomen ſumpſiſſe, vergunt, & prouincias Preſti Ian. Verùm hi Neſtoriani, nomẽ potius Neſtorij hæretici, quàm errores, retinuiſſe mihi videntur. Nam nihil planè,



nè, quod illam ſectam referat, in his hominibus, qui hic adſunt comperio. Inuidia verò qua apud Maronitas, Iacobitas, Cophtos, & reliquos earum regionum Chriſtianos laborant, fortaſſe tum ex ipſo nomine, tum ex eo quod reliquos omnes, numero ac multitudine populi, eccleſiarum frequentia, rerum opulentia aliquanto feliciore ſuperant, nata videri poſſit. Porrò autem ante annos circiter trecentos, ex communi eius gentis decreto, huc ad ſacroſanctam ſedem Apoſtolicam miſſus quidam eſt nomine Maraus, vt apoſtolica auctoritate in Patriarcham crearetur, qui à ſummo Pontifice Patriarcha creatus, atque ad ſuos remiſſus eſt. Veriſimile itaque eſt, eum multa illic de vetere religione, in ſynceriora dogmata, & noſtræ orthodoxæ eccleſiæ conſentanea mutaſſe. Succeſſu verò temporis accidit, vt ante annos circiter centum quidam illic patriarcha, ſacroſanctum hoc munus ſibi, ſuisq́ue poſteris hæreditarium facere ſit conatus, ita vt ex eo tempore nemo niſi ex ipſius familia in archiepiſcopum, aut epiſcopum ſit creatus, ac deinde in Patriarcham. Cum verò nunc tandem poſtremus patriarcha ſimili modo fratris filium, puerum octo annorum epiſcopum feciſſet, vt ea ratione ſibi in Patriarchatu ſucceſſorem relinqueret, antequã puerum in eam auctoritatem euehere potuiſſet, fato functus eſt. Ea re vniuerſus populus, tam laicorum quàm Eccleſiaſticorum, datum ſibi diuinitus abrogãdæ illius vſurpationis occaſionem ratus, de vindicando vetere eligendi ritu agitauit. Conuenerunt igitur ſuperiori anno, mox atque ille Patriarcha eſſet defunctus, in ciuitate Muzal epiſcopus Arbelę, ea eſt ciuitas, apud quam Alexander Darium ſuperauit: Itẽ Epiſcopus de Salmaſt, & epiſcopus de Adurbeigan, hæ ambæ ſunt in Perſia, octo aut nouem dierum itinere à Niniue in ditione Pſophis, qui epiſcopi tres tunc ſoli ei genti ſuperfuere, & præter eos ex omnibus ciuitatibus latè vicinis, non quidem populus vniuerſus, ſed ex ſingulis viri primates, Chriſtiani tres aut quatuor cum litteris cuiusque populi, nomen ac voluntatem teſtantibus, vtpote ex Babylonia, quam modò Bagdat vocãt, ex Carca, ex inſula Trigidis, quæ in medio flumine circiter duodecim millia paſſuum ſupra Muzal eſt, ex Tauris quæ eſt in Perſia ſedes Pſophis, ex Ecbatana in libro Iudith appellata, ex Niſibi, quam Migdonię Antiochiam veteres nominarunt, vt Strabo teſtatur, ſita ſub monte Maſio ad amnem Hormiz, qui illic per agros paſſim deriuatus, eos ita fœcũdat, vt ſacc⁹ orizę quantũ equus ferat, vix duobus tribúſue Iulijs vęneat, ex Merdino (quæ Marda Ptolomæo eſt) ex Amet, quæ Ammea ab eodem dicitur, ex Naſa Cepha, hoc eſt, *forti petra*, quæ ſupra petram *inſulam Citerioris* ripæ Trigidis rupi munitiſſimæ inſidet, fortaſſe eadem Seleucia Nicanoris Straboni dicitur. Ac denique ex omnibus reliquis vicinis locis conuenere legati populorum Chriſtianorum ad ciuitatem Muzal, ad eligendum ſibi patriarcham. Quò cum omnes conueniſſent, facta re diuina per vnum ex eis epiſcopis, & poſteà propoſito ſacrorum Euangeliorum libro, ac ſancta cruce ex ordine primum ipſi epiſcopi, ac deinde reliqui ſuæ quiſque Reipublicæ nomine ſententias dixerunt. Quæ ſententiæ omnes in hunc Sulakan ob perſpectã omnibus vitæ eius probitatem latæ ſunt, quem niſi tertio miſſis nuntijs, & tum quidem per vim, ex eo monaſterio ad ſe pertrahere potuerunt. Celebrata itaque iterum re diuina, inuocatoque humiliter ſpiritu ſancto, ac deinde ipſo in medium producto, quũ ibidem maximo omnium applauſu denuo ſententiæ omnes in hunc comprobatæ eſſent, viſum eſt eum pro confirmatione huc legare ad pedes ſanctiſſimi domini noſtri, tanquam vicarij Chriſti, & Succeſſoris Petri, capitis Apoſtolorũ. Scriptæq́; publico decreto literæ illæ ſupplices, quas ipſe huc ad ſanctiſſimũ dominũ noſtrum Papam pertulit; & redacta eſt tota res in acta publica, vt geſta erat. Miſſiq́; ſunt cum eo viri cùm eccleſiaſtici, tùm Laici ex primatibus chriſtianorũ vſque ad Hieroſolyma circiter LXX. id quod etiam teſtantur literæ Gardiani montis Sion; & ex eo numero qui ipſum comitarentur delecti ſunt tres, quorũ vnus nomine Calephi vir laicus. Sed apud ſuos in ea quam dixi inſula Trigidis primi nominis, hic adeſt; alter morbo perijt in itinere, tertius verò æger relictus eſt. Ipſe verò Simon Sulaka obſecrat humillimè ſanctiſſimũ dominũ noſtrũ Papã, vt ipſum in Patriarchã velit cõfirmare, idq́; quoad poteſt fieri citiſſimè, quo poſſit

poſſit cum primum nauibus verſus patriam proficiſci, à qua iam pluſquam ſeſquiannum abeſt. Veretur enim, ne populus mortem eius ſuſpicans, de nouis rebus circa religionem cogitet. Præter eà petit ſibi, ac populo, regionibusque orietalibus ſanctam benedictionē à ſanctiſſimo domino noſtro dari. Optaret etiam, vt vnà ſecum quiſpiam vir eccleſiaſticarū rerum peritus ablegaretur, qui illis ritus huius orthodoxæ eccleſiæ noſtræ doceret. Promittitque mox, ſi quis talis mitteretur, eum aut in epiſcopum, aut ad aliam dignitatem promouendum, ac ſe daturum ipſi viro locum & ædes, in quibus commodiſſimè habitare poſſet. Addit etiam, illic quatuor concilia magna magnis voluminibus haberi, atque etiam alios libros, veterum doctorum, quibus hic caremus, qui per eundem virū poſſent ad Vrbem tranſmitti, &cæt. Hac relatione optimè examinata, Pontifex eundem Simonem Patriarcham conſecrari fecit, eique manu ſua pallium, quod eſt inſigne ſummæ patriarchalis poteſtatis, in ſecreto conſiſtorio impoſuit, apoſtolicaque benedictione & muneribus donatum, in patriam remiſit, adiunctis ei, quemadmodum ille poſtulauerat, religioſis hominibus aliquot Syri ſermonis peritis. At verò nec eo tempore in Italia res quietæ fuerunt. Senenſis populus tum liber à Cæſaris in ea ciuitate procuratore, Didaco Hurtado Mendocio, qui tum etiam Imperatoris apud pontificem orator erat, graui imperio premebatur, is eorum ciuiles diſcordias cauſatus, quò facilius eos in Cæſaris fide continere poſſet, arcem vrbi liberæ imponendam, tanquam Imperatore iubente curabat. Cuius rei mole à Senenſium primarijs ciuibus animaduerſa, quum omnes timerent ea arce perfecta, illos miſerrimæ ſeruitutis iugum effugere non poſſe: arce nondum finita, Hiſpanorumque rebus haud ſatis firmis, conſpiratione facta, clam ad Francorum Regem Henricum defecere. Is Senenſium legatos quoſdam ad ſe miſſos, bene ſperare iuſſit, pollicitus ſe ciues in priſtinam collocaturum libertatem, quam amiſſam tantopere deflebant. Cuius pollicitationibus freti, qui conſpirationis capita erant, tumultu concitato, adiuuantibus regijs miniſtris, Cardinaleque & fratribus Farneſijs, ac eorum ſuaſu Nicolao Vrſino Petiliani regulo, qui tota ea Etruriæ parte, vbi eorum ditio erat, delectus mira & incredibili celeritate, tanquam aliò profecturi, habuerāt, Hiſpanos omnes vrbe & arce eiecerunt, ſeque præſidio Henrici II. Francorum regis freti, arce diruta in libertatem vendicarunt. Tum Iulius Papa, quò res Senenſium componeret, eò legatum miſit Fabium Minianellum Senenſem Cardinalem, qui re infecta haud longè pòſt Romam redijt. Imperator qui tunc Metim in Meliomatricibus Lotharingiæ prouinciæ metropolim imperio fœderatam, & ab Henrico rege dolo interceptam, valentiſſimis & maximis copijs obſidebat, audita Senenſium defectione, Petro Toletano Neapolitani regni proregi eam prouinciā demādauit, atq; vt eò ipſe proficiſceretur, iuſſit. Is copioſo ex Italis, Hiſpanis, & Germanis exercitu comparato, media hyeme, ipſe maritimo itinere Neapoli diſceſſit: exercitus verò terreſtri via in Etruriam contenderunt, initio anni ∞ DLIII. Quas copias pontifex per fines ſuos trāſituras metuens, quanquam pacem cum Cæſare haberet, Clementis VII. incautam fiduciam recordatus, octo millia peditum legit, delectum tota vrbe, quam munierat, habuit, Camillo Vrſino duce creato. Quum igitur omnia tota Europa bello arderent, pontifex boni paſtoris exemplum ſecutus, duos ſedis apoſtolicæ legatos, Hieronymum Dandinum, ad Cæſarem, & Hieronymum Caput ferreum ad Regem Francorum, pro pace inter eos componenda fruſtra miſit, animis vtrinque in mutuam, & populorum perniciem incitatis. Cardinalis Petrus Pacciecus Neapoli Prorege eſſe iuſſus, donec Petrus Toletanus rediret, quo poſtea vita functo, ibidem biennium permanſit. Dum bellum in Etruria magnis vtrinque contentionibus adornatur, pontifex Guidonem Vbaldum Vrbinatium ducem ad Vrbem euocatum, totius Eccleſiaſtici exercitus imperatorem creauit, cuius ſi opus eſſet opera vteretur. Senas pro rege Hippolytus, Cardinalis Eſtenſis, & Termeſius præſtantiſſimus rei militaris dux firmo præſidio tenebant. Munierant etiam arces omnes & caſtella Senenſis ditionis, quæ tueri poſſent. Congregatis porrò Cæſarianorum copijs, quę ad XX. millia peditum fuere, prima in Monticulum expeditio fuit, quo expugnato ex-





ercitus Montē Ilcinum agri etiam Senenſis oppidum obſidione cinxit, quod validiſſimæ Gallorum copiæ loci ſitu munitę tuebantur: ibi multa vltro citroque leuia prælia, varij caſus, cædes, direptiones, & incendia facta. Quumque omnia per Etruriam bello flagrarent, vt Senis apud Montem Ilcinum, Vrbitelli, Groſſeti, Cluſij, & alijs locis cuncta cædibus, rapinis, & flammis complerentur, & vtrinque magnæ difficultates & pericula augerentur, actum eſt inter partium duces, vt tollendi belli cauſſa Sena pontificis Romani fidei dederetur, quouſque eius legitima poſſeſſio iure explicata fuiſſet. Iulius vt rem tranſigeret, Viterbium cum Marcello Ceruino Cardinale ſanctę Crucis profectus eſt, eo cōſilio, vt ſi vrbem tanquam ſequeſter in depoſitum obtinuiſſet, ipſum Senenſibus legati nomine præficeret. Sed Cæſariani, eorum rebus labantibus, quum mortuo prorege Petro Toletano commeatus & pecunia ijs animo fractis deficere viderentur, ſimulq; inani quodam timore perculſi, ne Turcarum claſſis regnū Neapolitanum inuaderet, à Montis Ilcini obſidione præpropere diſcedunt. Cardinalis Ferrarienſis, qui pro Rege Senis erat, initis paulò antè cōditionibus, vt Cæſarianis ſuperior factus abſceſſit, ita vt nulla deinceps concordiæ ſpe relicta Iulius rebus infectis Romam reuertitur. Garzias Toletanus Petri Proregis filius, & alij belli Etruſci duces, prouincia aliquot cohortibus exauctoratis&, ijs quæ ſupererant reuocatis excedentes, Neapolim redière, quum ea quæ obtinuerant Caſtella firmis præſidijs muniuiſſent, fruſtra, reclamāte Florentiæ duce, qui eius concordiæ cupidus clàm pecunias commeatumque ijs ſe ſubminiſtraturum pollicebatur, quo ſaltē belli ſpeciē repræſentarent, ne ab initis de tradenda Sena pactis, Galli tanquàm adhuc manente bello recederēt. Per id tempus Iulius pontifex, inani quadam ſuſpicione motꝰ, quòd Aſcanius Columna, ob priuatas ſimultates alienato à Carolo V. Cæſare animo eſſet, Cardinalem Pacciecum Neapolitanū proregē monuit, vt eundem Aſcaniū, qui tum in Marſis agebat, quòd ita è re Cæſaris eſſe videretur, in cuſtodia haberet. Prorex eū per prouinciæ præſidē captū Neapoli honeſto carcere ſeruauit. Interea Iulius M. Antonio Aſcanij filio, qui tum à clade Strotiana Bracchianum ad vxorem matremq; redire conſtituerat, ſcripſit, vt expeditis itineribus Marinū contenderet, quò iam Iulianus Cæſarinus pōtificis iuſſu profectus, Columnenſiū oppida in deditionē acceperat. Audita verò Aſcanij captiuitate, pontifex & prorex Cæſaris iuſſu M. Antonium vtriq; ditioni, quę in Latio & regno Neapolitano eſt, ſumma cum poteſtate præfecerūt, donec patris quęſtio habita eſſet, quo haud ita multo poſt Neapoli mortuo, M. Antonius filius paterna caſtella hæreditario iure rite poſſedit. Bello priore Senēſi tranſacto, poſterius longè maius exarſit, cum vrbis ſeruitute finitum. Coſmus Medices Florentiæ dux, qui occultis cum Rege Gallo conuentionibus priore bello, medius & ſpectator fuerat, ægrè paſſus Iluam ſuæ ditionis inſulā à claſſe Turcica, & Gallica petitam, ab amicitia Henrici Francorum Regis deſciuit. Hinc occulta odia & ſimultates exortæ. Rex qui iā Cæſarianorū conatus, in Etruria feliciter repreſſerat, eidē duci ſubiratus, ab exulibus Florētinis ſtimulatus, & quo Cardinalem Eſtenſem Senarum vrbe ſubmoueret, magnis coactis ſpecie tuendę Senæ copijs, earūq; Petro Strotio Florentino exuli, Coſmi Florentinorū ducis hoſte acerrimo, Imperatore creato, ducis imperio inſidiari videbātur. Dux ea re vehemēter cōmotꝰ, Cęſarē ad arma ſollicitauit, belli ſe ſociū profeſſus. Cæſar quod è re ſua eſſet, duci annuit. Coniunctis auxilijs Ioānes Iacobus Medices Meleniani Marchio, militari gloria pręſtās, belli imperator lectus. Is propugnaculo pro Senarū porta Camollia à Senenſibus neglecto; de improuiſo initio anni ∞ DLIII. capto, aperto bello initiū fecit: quo in magnā anni ∞ DLIIII. partē, protracto victoria demū penes Cæſarem & ducem fuit. Eo bello Senenſis ager ferro, flāmaq; vaſtatus, cūcta prædis, direptionibꝰ, rapinis, & cædibus repleta, ruſtici ferè omnes interfecti, & nobiliſſimum territorium ad ſolitudinem penè redactum eſt. Nouiſſimè IIII. Nonas Auguſti, cum vtriq; exercitus cōgreſſi eſſent, Petrus Strotius, prælio à Marchione victus, & aliquot vulneribus acceptis elapſus, Senenſiū res omninò labefactauit. Inſigni victoria parta, hoſtiū ſigna, captiui plurimi, & pręda ingens Florētiam abacta. Multa de Senenſibus oppida, in his Lucinianū con-

meatu refertiſſimum capta. Victi quum ſe intra Senarum mœnia recepiſſent,
diuturna obſidione à Marchione preſſi, tandem fame coacti, quibuſdam condi-
tionibus in Cæſaris poteſtatem venerunt XI. Kal. Maij, anni ſequentis. Senenſi-
um multi & nobiliſſimi quiq; Cæſaris imperium recuſantes, apud mõtem Ilci-
num loci ſitu & natura inexpugnabilem Reip. ſuæ corpus ſub Francorum Re-
gis præſidio conſtituerunt. Hoc bello Iulium III. Florentinorum duci Coſmo
adiumento fuiſſe, Senenſes lamentabantur, affirmantes, eum aduectis ex Pice-
no, Vmbria, Etruria commeatibus, pecuniâ quoque ſubleuaſſe. Quod ipſi ægrè
paſſi, ſeruitutis ſuæ culpam magna ex parte in pontificem non diſſimulanter cõ
ferebant, quòd nequaquam, tanquam communis paſtor eius vrbis res curaſſet,
in qua mater nata, ipſe educatus, & perpetua humanitate cultus fuiſſet. Et Iulius
Duci gratiam referre videbatur, quod pontificatus ſui initio, oppidum Etruriæ
montis S. Sabini marchionatus titulo, fratri Balduino liberaliter donaſſet. Qui
etiam bello finito, filiam in matrimonium Fabiano Montio Balduini filio, quę
poſtea Alfonſo Ferrariæ duci nupſit, deſpondit. Quibus de rebus, cum poſtea Pau
lus IIII. dubitaret, vt iure poſſet à duce pecuniam tanquam Eccleſiæ debitam re-
petere; Ioannem Franciſcum Lotinum, conſiliorum illius belli cõſcium, dum
eſſet in mole Hadriani detentus, iudiciali ritu interrogari voluit, & tandem re-
perit, nullas neque pecunias, neq; commeatus Iulium Duci ſubminiſtraſſe, qui
quietis auidus, & priore bello afflictus, ſe medium perpetuo geſſerat, quin etiam
pacis præ ſe ſtudium ferens, neglecto bello finitimo, cui mederi non poterat,
& externa quæque parum curans, fruẽdo potius, quàm regendo pontificatui in-
cumbebat, totusq́ue erat in extruẽda elegantiſſima ad voluptarios ſeceſſus, pau-
lò ſupra portam Flaminiam, Villa Iulia, cuius inſanire ſtudio videbatur, in qua
ſeptuagenarius ferè ſenex per totum pontificatum conuiuijs potius, quàm pub-
licę procurationi, & grauiſſimarũ rerum negocijs, cũ magno vrbis Chriſtiano-
rumq́ue omnium incommodo, vacabat. Cæterùm anno ∞ DLIII. Eduardo VI.
Anglorum rege mortuo, Maria præſtantiſſima fœmina, Henrici VIII. & Catha-
rinæ Arragoniæ Cæſaris Caroli V. materteræ filia, regnum non ſine manifeſto
diuinitatis auxilio ſuſcepit. Tum Iulius Pontifex Reginaldum Polum Cardina
lem Anglicum, virum in eo regno primarium, qui tunc in monaſterio Mague-
rano ſuperlatum Benacum agebat, Legatum in Britãniam inſulam ſumma cũ
poteſtate creauit, vt qua ratione poſſet, eam ad Catholicæ fidei vnitatem reuoca-
ret. Polus non antè Italia excedere conſtituit, quàm Anglici regni cõditio ei ex-
plorata eſſet, quòd ob ſuperiora ſchiſmata, maximis turbulentijs plenũ eſſe exi-
ſtimabat. Iulius de ea re Cardinalem Dandinum apud Cæſarem in Belgio Lega-
tum monuit: Qui Io. Franciſcum Commendonum Venetum, põtificis cubicu-
larium, miniſtrum impigrum, & acri virum ingenij, ad ſe à põtifice miſſum, ſta-
tim in Inſulam traijcere iuſſit, eius ſtatum, & opportuna quęque exploraturus. Is
Londinum accedens, & quæ ei inuenta fuere contemplatus eſt, & ita egit, vt Re-
ginam ſæpè fuerit allocutus A qua ſyngrapham accepit, qua obediẽtiam apoſto-
licę ſedi pollicebatur, & ſchiſmatis abſolutionẽ pro regno petebat: idq; tum ob
magnos tumultus, qui tota Anglia excitati erãt clàm, donec ijs ſedatis eadẽ publi
cè per oratorem præſtare poſſet. Cõmendonus cum ijs mandatis Romam rediẽs,
cuncta pontifici ſecreto in conſiſtorio aperuit. Rebus ita conſtitutis, Polus Lega
tus in Angliam, ad expiãdum luſtrandumq; regnum, & catholicos ritus reſtitu-
endos, iam ſecurus acceſſit, honorificè à Regina & tota Inſula ſuſcepus. Maria
verò quum eſſet Catholicæ religionis, & veræ pietatis cultrix ſtudioſiſſima, eodẽ
Legato auctore antiquum & certũ Dei cultum, vigeſimo antè anno ab Henrico
patre diſſipatum, Anglis reſtituit: profanum titulum quo Rex Henricus abuſus
fuerat Anglicanæ eccleſiæ ſupremi capitis, ſuſtulit. Oratores ſuos Romam reli-
quorum Chriſtianorum principũ more, ad pontificis venerationem & obediẽ-
tiam præſtandam miſit, veniam & peccatorum condonationem precãtes, quod
vnum eſt Romani pontificis auctoritatem ſuſcipientis, indubitatũ argumentũ:
Epiſcopos quoq; Catholicos hæreticis pulſis cõſtituit, quas ob lætiſſimas & inex-
pectatas res, Romæ ſupplicationes publicæ habitæ, & Deo grates ſacris à pon-
tifice



tifice myſterijs celebratis, perſolutæ. Quo etiam anno Philippus Caroli V. Augu
ſti filius eadem Maria in matrimonium accepta, regna vtriuſque Siciliæ, quæ vo
cãt, Mediolanenſem principatum, & Belgium cum aliquot alijs prouincijs à pa-
tre Rex appellatus, per manus accepit. Qui vt Catholico principi par eat, primo
quoque tempore legatum Romam ad Pontificem miſit Piſcariæ Marchionem,
qui regum veterum more Neapolitani regni, quod Romanæ Eccleſiæ beneficia
rium eſt, iure iurando dato regis nomine legitimam poſſeſſionem obtineret:
Quæ ei in publico conſiſtorio benignè à Pontifice conceſſa fuit. Quum verò Iu-
lius ingraueſcẽte ætate, haud ſatis proſpera vteretur valetudine, prodagra enim
& articulorum doloribus laborabat, initio anni ∞ DLV. menſe Februario leui
(vt videbatur) morbo decubuit, concepto ex commutata vitæ ratione. Ad arcen-
dos namq́ue podagræ intolerabiles cruciatus, quum imprudenti medicorum
conſilio nouis ſe in victu præceptis munijſſet, incidit in febrem, quæ initio ne-
glecta, paulatimq́ue aucta, eum tandem intra paucos dies decimo Kalẽ. Aprilis,
hora inter decimam, nonam & vigeſimam, Romæ in Vaticanis ædibus extin-
xit, ætatis anno ſeptimo, ac ſexageſimo ſupra menſem VI. & diem XIIII. Sunt
qui conſtanter affirment, Iulium ſibi ipſi hac ratione mortem intuliſſe. Baldui-
nus pontificis frater pro ſe & filio Fabiano, cui filiam Florentiæ ducis deſpondi
procurarat, Camertio oppido potiundi deſiderio ardenti æſtuabat, fratremq́ue
pontificem ſæpius interpellatus, eò adegerat, vt ei promiſerit, ſe de ea re in con-
ſiſtorio quamprimum relaturum. Quum verò pontifex omnes ferè patres ſuæ
ſententiæ aduerſaturos intellexiſſet, rem procraſtinando differebat, & ne conſi-
ſtoria à fratre importuno habere cogeretur, languorẽ finxit, vtque rei fidem ma-
gis faceret, ſolitis cibis abſtinere, eoſq́; parcius ac in ſolidos ægroto ſcilicet aptos
ſumere cœpit. Ex ea vitæ ratione, ludibrio cõmutata, morbum ſerio contraxit,
qui eum iam ſenem breuiſſime abſumpſit. Cadauer canonicorum ſancti Petri
humeris de more tenui pompa in Baſilica Vaticana delatum, triduoq́ue populo
expoſitum, Lateritio monumẽto, ponè aram diui Andreæ conditum eſt. Vaca-
uit tũ ſedes dies xvij. Fuit Iulius ſtatura procerus, facie ſubagreſti, prolixa barba,
naſo grandiore, ore paululum contracto, acri oculorũ obtutu, vt facilis in excã-
deſcẽdo, ſic ira ſtatim depoſita mitiſſimus. Exiſtimatus & liberalis, delectabatur
ruſticis, & craſſioribus cibis, cepis pręſertim, quæ prægrandes Caieta ei aduehebã-
tur, aſſiduè conuiuabatur: quòd ſi vitæ quam priuatus egit inſtitutum, pontifica
tum quoq; adeptus conſtãter ſeruauiſſet, multa quæ eo tempore deprauata erãt,
in meliorem haud dubiè formam eſſent reſtituta. Qui namque occupationibus
totus intentus Cardinalis veluti furtim, voluptates ſequebatur, Pontifex factus
votorũ iam omniũ compos, abdicata rerũ cura, hilaritati & genio ſuo nimiũ in-
dulſit, vſq; adeo homines premij ſpe potius ad virtutem amplectẽdam, quàm ip-
ſamet virtutis pulchritudine accenduntur. Vnum poſtremo etiam ei crimẽ da-
tum eſt, quod tãtæ poteſtatis oblitus, omnium maximi muneris dignitatem, pa-
rum animaduertens, leuibus & inanibus verbis, ſuam aliquando maieſtatem,
non ſine audientium rubore aut riſu minueret.

## MARCELLVS II. PAPA.

MArcellus Pontifex, nõ obſcuris parẽtibus in agro Picenõ, oppido Montis 226. Pont.
Fani, pridie Nonas Maij, anno ſalutis ∞ DI. naſcitur. Quo tempore pater
ipſius Ricardus eius prouinciæ quæſturã magna cum laude gerebat. Quo
munere Pontifici & prouincialibus gratus, nouem annis ſub Alexandro VI. fun
ctus eſt. Extant eiuſdẽ pontificis, & Auguſtini Barbadici Venetiarũ principis lit-
teræ plumbo ſignatæ ad hũc ipſum Ricardum. Illius quidẽ ſic: Dilecto filio The-
ſaurario prouinciæ noſtræ Marchiæ Anconitanæ, Alexãder Papa VI. Huius verò
ita: Auguſtinus Barbadico Dei gratia Dux Venetiarũ &c. Magnifico D. Ricardo
Ceruino Marchiæ Anconæ Apoſtolico Theſaurario ſalutem, & ſynceræ deuo-
tionis affectũ. Vtraſq; ipſe vidi. Is ipſe Ricardus fuit genere Etruſcus, gẽte Cerui-
na, apud ſuos honorata, Politiano oppido ditionis antea Senẽſis, tũ Florẽtinę ho
neſtis parentibus ortus. Matrem habuit Marcellus Caſſandram Bẽciã, ſanctiſ-

 ſimam

ſſimam fœminam. Fratres verò duos eodem patre, at ex nouerca genitos, Alexādrum & Romulum. Hic vir præſtantis ingenij, triennio ante eius pontificatum magno fratrum mœrore deceſſit: Ille quinquennio pòſt è vita migrauit, quatuor filios ſuperſtites relinquens, quorum Herennius egregiæ indolis iuuenis, patrui virtutem referens, à ſupplicibus libellis referēdis pontifici præſtò eſt. Cæterùm Marcellus à prima ętate liberalibus diſciplinis patris ſtudio educatꝰ, poſtquam adoleuit, Senis, vbi bonarum artium ſtudia maximè florebant, aliquandiu commoratus, atque in Academicorum ſodalitatem cooptatus, omnium fauorem ſibi facile conciliauit. Ea re breui factum eſt, vt ab æqualibus vt frater, à maioribus vt filius & alumnus diligeretur. Tāta autem fuit & modeſtia, & continentia, vt cum quid non ſerio, ſed per iocum inter amicos paulo liberius forte ageretur aut diceretur, aduentu Marcelli omnes illico conticeſcerent. Naturæ porrò graui & ſeueræ, ſic illuſtre ingenium & induſtriam adiunxit, vt iam inde à primis ipſius annis facile quis futurum diuinaret, eum ad ſummam honoris atque imperij dignitatem eſſe vēturum. Certè pater ipſius Ricardus Aſtrologię peritiſſimus (quāquam iudiciariam auerſaretur) Marcellum filium maximum in Dei Eccleſia virum euaſurum eſſe pro certo ſibi perſuaſerat. Qui animaduerſo ſtellarum curſu, qui tum erat, quum puer naſceretur, ex eorum coniunctione ſummam eccleſiaſticam dignitatem filio prædixiſſe fertur, cui quidem perſuaſioni poſtea Marcellus indulgēs, quū poſt multos annos à ciuibus ſuis ad nuptias incitaretur, conſtanter recuſauit, per iocū nolle ſe, dictitans longe clariorē ſtatus conditionem, quam ſibi aſtra portendebant, matrimonio veluti vinculis impedire. Poſtquam Senis diſceſſit, vbi honeſto otio, ac litteris aliquādiu operam dederat, Romam primùm in comitatu legatorum Florentinę reipublicæ, qui Clementem VII. ciuem ſuum pontificem maximum recèns creatum, Chriſtianorum omnium more veneraturi adibant, profectus, pontifici innotuit, quo cum Ricardus pater in priuata vita amicitiam habuerat, eique patris nomine arcana quædam ad rectam aſtrologiæ cognitionem communicauit. Pontifex Marcello iniūxit, vt ad patrem reuerſus eum ſuo nomine ad Tabularum Aſtronomicarū, quæ anni rectam curſus rationem reſpicerēt, perfectionem ſolicitaret. Eam rem pontificis iuſſu Ricardus confectam, Marcello Romam redire iuſſo pontifici miſit. Cuius ſuaſu Marcellus infelicis epiſcopi ···· D. tarij cōtubernio aliquādiu permanſit. Lachrymabili vrbis caſu in patriam profectus, rebus compoſitis Romam redijt, vbi ſcriptor apoſtolicus factus, Alexandrum Farneſium Cardinalē, qui patrem eius Ricardum bellis domo profugum caſtrique ſubſiſtentem, & Canini frequenter ſe adeuntem, ob Aſtrologiæ artis peritiam, magno in pretio habuerat, aſſiduus colere cœpit. Quo tēpore in Angeli Colotij, Cōſtātini Laſcaris, & aliorum eius ætatis litteratorum amicitiam inſinuatus, virtutis cauſſa nō mediocri in honore habitus eſt. Tunc verò nobili perquirendorum veterum codicum ſtudio primùm vacare cœpit, cui poſtea etiam Cardinalis tātum incubuit, vt refertiſſimam optimorum voluminum bibliothecam cōfecerit. Patris morte in patriā redire coactus, curæ familiari vacauit, ſorores honeſtis matrimonijs nuptui tradidit. Clemēte VII. mortuo, quū Alexāder Farneſius Pauli tertij nomine pontificatū obtinuiſſet, Romam quarto in Roberti Pucij antiqui amici, qui poſtea Cardinalis & ipſe fuit, comitatu redijt, à pontifice benignè ſuſceptus. Qui cum pontificatus initio Alexandrum Farneſium nepotem in diaconorū Cardinalium numerum allegiſſet, & viris vndiq; conquiſitis, quorum mores anteacta vita probaſſet, quóſque puero coaleſcenti & adhuc tenero quaſi vitæ ſpecimen quoddam conſpiciendos proponeret, quo ijs quaſi ſepta clauſtris lubrica ætas illa cōtineretur, inter alios etiam Marcellum adlegit, cuius opera in epiſtolis ſcribēdis vteretur: Erat enim Paulus Pontifex ingeniorū ęſtimator acerrimus. Quod munus maxima cum integritatis, prudētię, & dexteritatis opinione ita geſſit, vt omnibus, qui Reipublicæ adminiſtrandæ cæteris aptiores videbantur, vnus ipſe omnium iudicio præſtare putaretur. Quare quum Alexander Cardinalis in partem reipublicæ à prudentiſſimo ſene eſſet aſſumptus, ne in tam tenera ætate ſtatim maximorum negotiorum mole obrueretur, Marcellum, qui in conſilijs, &





curis adoleſcenti aſsiduus eſſet, præſtò eſſe voluit, erat enim rebus gerendis grauis, prudens, & in ijſdem conficiendis expeditus. Quem tum etiam indies magis magisq; gratia ſua, & fauore creſcentem, pontifex protonotariorū numero adſcripſit, & eum ad Cæſarem vxoris obitu mœſtū in Hiſpaniam conſolandi gratia, cum ampliſsimo adoleſcente Farneſio ire iuſsit. At non longe pòſt, quo maiore apud nepotem ſedis Apoſtolicæ iam negocijs præpoſitum, & in Galliam de maximis grauiſsimarum rerum negocijs Legatum, cum dignitate eſſet, Neocaſtrenſem deſignauit epiſcopū. Nullum enim iam negotium, nulla legatio, Marcelli conſilio & viribus, non digna videbatur. Firmata iam ætate, quum ad Imperatorem Cæſarem Carolum quintum Auguſtum Cardinalis Farneſius Legationis munere fungeretur, eidem Marcellus, qui pontificis nuntius eſſet, comes eſt datus. Vbi à pontifice frequenti Senatu, ſummo cum verborū honore commēdatus, abſens in Belgis XIIII. Kalend. Ianuarij anno ſalutis ∞ DXXXIX. Cardinalis presbyter tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem renūtiatur: & quū Reipublicæ cauſſa Alexandrum Cardinalem, non ita multo poſt Romam reuerti opus eſſet, Pontifice de more in ſenatu referente, ſummo patrum conſenſu placuit, vt is apud Cæſarem legati munus pro Farneſio obiret. Romam demum reuerſus, Regienſem Epiſcopatum obtinuit. Paulum III. prudētia, & dexteritate ſua adeo ſibi deuinxit, vt grauiora & maioris molis negotia Pontifex ſine eius conſilio nunquàm tranſiret, ratus non alium quenquā, cui crederet, magis toto in ſenatu habere ſe poſſe. Tridenti generali patrū conſilio indicto, quū more maiorū Apoſtolicæ ſedis Legati eò mittendi eſſent, ipſe potiſsimū delectus eſt, cū collegis Ioāne Maria de Monte Epiſcopo Præneſtino, & Reginaldo Polo diacono Cardinale S. Mariæ in Coſmedin, qui ſummi pontificis nomine Concilio præeſſent. In qua ſynodo Marcelli maximè virtus, & eximia in pōtificia poteſtate, & auctoritate tuenda libertas enituit. Nā quum Carolus V. Imperator priuatorum cōmodorum (vt fama erat) cauſſa Tridentini Concilij translationē, quā ex pontificis auctoritate legati adornabant, ægrè ferret, Marcellusq; in ea re ab eo diſſenſiſſet, quod Cæſaris voluntatem Romanæ ſedis dignitati aduerſari videret, à Cæſaris miniſtris interpellatus, neque minis, neque præcibus à ſententia demoueri potuit: ea re Cæſari inuiſus, quum grauiora eius verba ſibi relata audiuiſſet, Cæſarem quidem in corpus ſæuire, in animam verò ſuam nihil ei iuris eſſe, reſpōdit. Cæterùm eius facta Dei iudicio reſeruari, qui vnicuiq; iuxta merita ſua eſſet tributurus. Tridentini verò Cōcilij Bononiam translationi operam ſuā præſtitit, manſitq; aliquandiu Bononiæ in ea ſynodo, vbi Reipublicæ Chriſtianæ adminiſtrationi deditus, ab omnibus quaſi aliquādo Pontifex maximus futurus obſeruabatur. Inde ſuſpenſo Concilio Romā quum reuerti conſtituiſſet, Ioannes Maria Cardinalis de monte, alter Cōcilij Legatus, eum rogauit, vt à pontifice ad vitæ ſuæ ſuſtentationē Bononienſem Legationē ſibi impetraret. Id Marcellus annuit. In via pontificis diploma ſuſcepit, qua eum inſcium eadē legatione honeſtatū, vt Bononiam rediret, monebat. Sed Marcellus amici memor, rectà Romam contendit, tantumq; apud pontificem nonnihil reluctantem effecit, vt legatio ipſa ab ſe ad Cardinalem Montanum tranſlata fuerit. Defuncto Paulo III. quum in eius locum ijſdē Cardinalis Iulius III. vocatus, quo cū arctiſsimæ amicitiæ nexu cōiunctus erat, pontifex factus eſſet, abſens (conclaue enim aduerſa valetudine conflictatus exierat) primùm per nuntium ei gratulatus eſt, mox viribus parumper recuperatis, cum vrbe egredi ad ſalubriora loca medicorum conſilio ſtatuiſſet, ſe ſellæ impoſitum ad Pontificem deferri curauit. Quo cum longum ſermonem inſtituens, eum tot colloquiorum, quæ de communi Eccleſiæ vtilitate Tridenti & Bononiæ, quum vterque eadem Cōcilij legatione fungeretur, habuiſſet, admonuit, vt quum ipſum Deus Optimus Maximus vicarium ſuum delegiſſet, modò in poteſtate ſua eſſe cognoſceret, pia illa deſideria exequi poſſe, enixeque eum rogauit, vt nulla neque propinquorum, neque aliarum perſonarum ratione habita, ſe à ſanctis inſtitutis permiteret deijci, ſummi ſacerdotij & apparentis felicitatis honor breui tranſigi: mucietam, pileum, ſoleas purpureas, ſtolam lineam, tunicam ſericem, breui

conſumi, quæ haud ita multò pòſt cum corpore ipſo vermium domicilium futura eſſent: benefactorũ verò præter æternæ vitæ præmiũ, quàm diuturnam memoriam in benedictione hominum tranſmitti. His & ſimilibus affectuosè dictis pontifici lachrymas excuſsit. Eum deinde ſæpe vetuſtæ inter eos amicitiæ iure, & officij ſui memor, vbi occaſio ſeſe obtulit, modeſtè admonuit. Qui demum cùm fratris, & amicorum importunis precibus peteretur, vt fratrem ipſum Balduinum Camertium ducem crearet, eosque populos ab eccleſiaſtica ditione exemptos, in principatus formam redigeret, ipſe verò ſe id facturũ initio conſtanter recuſaret, Marcellus eius conſtantiam laudare, optimi propoſiti firmam & immutabilem ſententiam, ſummo verborum honore extollere, & vt in ea opinione perſeueraret monere. Veritus verò, ne pontifex exigui animi propinquorũ ſuggeſtionibus tandem ſuccumberet, eidem petenti conſilium dedit, quò lege caueret, vt nullus pontifex bona Eccleſiæ Romanæ ſtabilia alienare poſſet, in quam legem ipſe, futuri pontifices, Cardinales quotquot in poſterum eſſent, iurarent. Donationem verò neceſſariò factam, non antè validam cenſeri, quàm duorũ aut trium ſubſequentium pontificum auctoritas acceſsiſſet: atque hac ratione ſe omnes ſuorum impetus retundere poſſe docuit, ſi ea peterent, quorum tradendorum poteſtate eum exutum eſſe cognoſcerẽt. Poſtremo cum Iulius III. propinquorum importunis precibus, quæ de Camerino agitauerat, exequi conſtituiſſet, ac Cardinale quodã internuntio, eidẽ valetudinario, & poſtridie Vrbe exituro inſinuaſſet, Marcellus rem verbis quantum potuit acribus, & validis rationibus diſſuaſit. Cuncta verò alijs aliquot patribus, ne rei ignari de improuiſo in conſiſtorio præuenirentur, inſinuauit, & quũ ipſe ex vrbe ob infirmitatẽ diſceſſurus eſſet, eos monuit, ne pontifici de ea re referenti aſſentirent, quã ipſe tantopere diſſuaſiſſet. Vrbe excedens Eugubiũ in Vmbria, cuius ciuitatis epiſcopatũ gerebat, deinde ad Montẽ Fanum oppidũ aëris ſalubritate conſpicuũ profectus eſt. Cęterùm Iulio breui vita functo, ex eo oppido Romã ad ipſa comitia, quibus pontifex creatus eſt, venit, quo primum in lucem editus fuiſſet. In via Peruſiæ, in monaſterio Monachorum Caſinatium S. Petri pernoctauit. Quem honoris ergo vrbis prætor Michael Turrianus Epiſcopus Cenetenſis, vir probitate inſignis conueniẽs, ab eo in familiari de noui pontificis comitijs ſermone inter multa, eiuſmodi verba, ſe audiſſe narrauit: Fierine tũc poſſe, vt noſtris diebus is põtifex maximus Dei benignitate afflictæ Eccleſiæ cõcederetur, qui veteres illos ſanctos põtifices martyrij, doctrinæ, & ſanctitatis gloria illuſtres imitaretur, ea ex officio ſuo agens, quæ Chriſti in terris vicario conuenirent. Multa in eã ſententiã verba addens, quæ eius bene affectũ animũ aperirent. Conclaui inſtituto, nõ diu patres de nouo pontifice deligẽdo cunctati, ſed omniũ qui tum nouẽ & triginta in Vaticanũ comitium conuenerunt, votis, Ranutio Farneſio S. Angeli, & Guidone Aſcanio Sfortia Camerario Cardinalibus maximè ſuffragantibus, decimooctauo vacãtis ſedis die, V. Idus Aprilis anno ſalutis ∞ DLV. Pontifex Maximus renũciatus eſt: poſtridie epiſcopus in palatij ſacello ab Oſtiẽſi pontifice (is fuit Cardinalis Neapolitanus, poſtea ei in põtificatu ſucceſſor) priſco ritu inauguratus, eodẽ die in Baſilica Vaticana ſine ſolenni pompa ac cęremonia, quũ feſta paſchalia inſtarẽt, ſeruato veteri nomine, ſummæ eius dignitatis ſacra thiara à Cardinali Piſano Diaconorũ primo redimitus, inſignia me etiã propè aſtante, & cũcta accuratè contẽplante accepit, magna omniũ expectatione, maiore ſpe: pręfulgebat enim ſanctitate, moribus & doctrina, ſic vt ipſius vita omniũ cenſura haberi poſſet. Inito pontificatu quũ à Cardinalibus rogaretur, vt priſco inſtituto ei diplomati ſubſcriberet, quo iuramento obligaretur, certum tantũ numerum Cardinaliũ eſſe creaturũ. Id facere recuſauit, affirmans ſe id opere præſtaturũ, verbis nolle. Cardinalẽ Mantuanũ, qui ei in ſacris aſsiſtebat lõgo ſermone de põtificatus onere alloquens, inter cætera ei aliquando dixit: Se proculdubio ſcire, optimũ eſſe pauca dicere, multa vero præſtare: ipſum aũt ea ratione multa polliceri, vt ijs verbis fidẽ ſuam obligaret, quod ſi aliquando mali dęmonis impulſu ab rectè cœptis deſiſteret, ſecũ ipſe poſtea ita cogitaret & diceret: Quam iuſtè de me vti hypocrita Cardinalis Mantuanus conqueri poteſt, & pontificatu indignum iudicare, poſtquã aperte cognouit verba, & actiones meas præteritas adumbratas, fuco, & fallacijs plenas, nec ex bona radice ortas fuiſſe? Statim verò oratores Cæſaris & Gallorũ regis ad ſe accitos grauiſsima oratione monuit, vt de ijs quæ ipſe eorum regibus ſcripſerat, & ipſi eoſdem certiores facerent, vt in pace ineunda conſentirent, quod ſi recuſarent, præter nuntios & legatos, ipſe quoq; ad eos hortãdos profecturus eſſet. Quũ verò orator Regis Hiſpaniarũ veniam pro quodã nobiliſsimo Romanorũ homicidij peteret, reſpondit, Se pontificatũ ab homicidij abſolutione auſpicare nolle: omnibus verò tribunalibus, quædam quæ inuiolata ad rectam iuris adminiſtrationẽ obſeruarent ſcripto mandauit. Audiendis ijs, qui negotiorũ cauſſa aderãt, totus incubuit. Sed & Rotæ auditores ſe ſalutatũ de more venientes, in poſterũ domi ſe cõtinere, & parum neceſſario ſalutãdi officio omiſſo muneri ſuo ſtudioſe vacare iuſsit. Neminem propinquorum Romam venire voluit, ne fratrem quidẽ: quodq; his, & temporibus, & moribus nouum eſt: duos paruulos Alexandri fratris filios Ricardũ, & Herenniũ, quos ipſe in vrbe educabat, à nemine ſalutari, raro etiam in publicum prodire, præterquã ad ſacra paſſus eſt: eos verò ſericeis veſtibus indutos modeſtiæ admonendos curauit, nec breui eo tempore quo pontifex fuit, illos vnquã vidit: Interpellatus an in palatiũ ex priuatis ædibus introducendi eſſent, reſpondit: Quid illis cũ palatio, eorũ forte id patrimonium ne eſſe cenſetis? Tria quæ obtinebat ſacerdotia, Criſpo, & Saraceno Cardinalibus, ac Ioanni Frãciſco Lotino Volaterrano donauit. Cardinali Tridentino legationem Bononienſem, quam ſedulo petierat, non conceſſit, ne magis Cæſarianis, quàm Gallis fauere videretur, inter quos tanquam communis pater medium ſe gerere, & pacem, qua tandem ratione poſſet, componere conſtituerat; cùm Tridentinus inter Cæſaris partes princeps haberetur, ei tamen ipſius legationis loco, aliquot Cardinalium Mantuani præſertim conſilio, & impulſu, decem aureorum millia largitus eſt, quo eius labores, & expenſas in Cõcilio Tridentino factas, aliqua ex parte ſubleuaret. Decreuerat enim legationes omnes biennales tantum eſſe. Quo temporis ſpatio Bononiẽſis legatio eam pecuniæ ſummam reddere ſciebat. Multa & magna ad Apoſtolicæ ſedis decus penè obſcuratum, inſtaurandum meditatum fuiſſe, ferebatur ab ijs, qui quum adhuc Cardinalis eſſet, mentem eius exploratam habebant, arcanorum omnium participes. Inter quæ illud præcipuum, quod fratris, liberiſq; ſuis tantum elargiri, quãtum ſinguli è nobilitate homines in redditibus haberent, decreuerat, nec vltra priuatorum ciuium conditionem ſe efferre paſſurus erat, non ad principatum & dignitates euehi, ne aſſem quidẽ de fructibus Eccleſiæ, niſi de libera omnium Cardinalium ſententia, eos auferre permiſſuros. Id maximè percupere videbatur, vt eos Venetus ſenatus in Patriciorũ numerum adſcriberet, ſummum id honoris genus, quo eos honeſtaret, eſſe reputans: omnem eccleſiaſticam iuriſdictionem, viris profanis, & nullis ſacris initiatis demãdare cogitauerat. Illud ſubinde ſæpè in ore habebat, ſanctitati eccleſiaſticæ turpiſſimum eſſe, eos qui Sacerdotijs ad curam animarum ſpectantibus præfecti eſſent, à ſuis gregibus paſcendis abeſſe, neq; ſe eos Romæ, aut vſquã verſari, niſi Sacerdotijs abdicatis, boniſq; paſtoribus commiſſis, permiſſurum. Decreuerat item, eiectis ex aulico miniſterio cunctis indignis, ſe neminem in Palatinis, niſi qui frugi, & honeſtis moribus eſſet, cuiuſq; opera foret neceſſaria, eſſe paſſurum. Luxum enim omnium malorum cauſam eſſe, & ipſum peſsimũ eſſe dicebat. Quare etiam profuſas ſuperiorum pontificum Sportulas, in modicam quandam pecuniarum ſummam iam vix pontificatum adeptus contraxerat. Collegium Cardinalium ſupra omnia exornare conſtituerat, neq; quenquã præterea in eorum numerum lege veteri repetita, ſine omnium conſenſu legere, quæſitis quoque in eorum lectionibus ſummorũ virorum teſtimonijs. Quãquam autem illud in ore habuerit, ſe vectigalia, atq; onera publica, per ſuperiores principes impoſita, vel aboliturum, vel ad modeſtam quãdam rationem redacturum, initio tamen põtificatus ærario exhauſto, & magno ære alieno inſuper contracto, coactus eſt præter animi ſui ſententiã propoſitum mutare, & ſubſidium illud triennali trecentorum millium aureorũ à Paulo III. indictũ con-

tinuare, quod tempus præſcriptum exactum eſſet, quo in maximis Romanæ Eccleſiæ neceſsitatibus ſubleuari poſſet. Sedis enim Apoſtolicæ ſtabiles redditus ſunt C L. millia aureorum, ex hoc ſubſidio reliqui, & X X X. millia qui cenſibus hauriuntur. Priori pecuniarum indictioni quartam partem redditũ congregationum regularium, ac vigeſimam Hebræorum adiunxit. Quod vectigal Cardinalium pauperum ſuſtentationi addicere decreuerat. Eius præcipua cura erat, æs alienum Eccleſiæ ſoluere. Quo perfecto, quæ de vectigalibus minuendis, vel tollendis conſtituerat, ocyſsimè exequi. Id vt faciliùs faceret, ſe neque bella geſturum, neque inſanis ſubſtructionibus vacaturum, aut propinquis ſuis principatus empturum, publicè profeſſus eſt. Qua parſimonia illud ſibi certo perſuadebat, breui Eccleſiam Romanam ære alieno liberaturum. Quum aliquando eius menſæ cochlear, & alia inſtrumenta aurea appoſita eſſent, argentea ſufficere dixit: clibanum pro argenteo æreum voluit, & ex ijs pecunias vſibus Apoſtolicæ ſedis conflari iuſsit. Ferunt ipſum in animo habuiſſe, Parmæ ſtatum mutare, Camerinoq; Farneſijs reſtituto eam vrbem tum nutantem Eccleſiæ reddere. Senarum libertatem maximè deſiderabat. Rebus compoſitis viros militares, ac prorſus omnem militiam à ſe abigere, & in Eccleſiaſticæ ditionis limitibus procul ab vrbe ad ipſos tuendos fines conſtituere voluiſſe, fama eſt: eundemque aliquando cogitaſſe, de ipſis etiam Germanis corporis cuſtodibus exauctorandis, illud ſæpe repetens, multos principes ſalutari ſigno crucis, potius quàm armis aduerſus hoſtes defenſos: Pontificem verò Maximum, qui pro Chriſto vniuerſam Eccleſiam gubernaret, ſcutis aut gladijs indigere. Vnde ſatius eſſe, ipſum ab impijs, & ſceleratis ſi caſus ita tuliſſet occidi, quàm Reipublicæ Chriſtianæ tam indecorum præbere exemplum. Religionis Chriſtianæ diſsidijs, & his quæ nunc vigent hæreſibus, valdè angebatur, & proculdubio, ſi vixiſſet omnem operam ſuam & ſtudium in eo collocaſſet, vt ſublato ſchiſmate omnes ad concordiã redigeret, vel generali Concilio, quod ſemper expetiuit, vel alia quauis ratione. Sanctiſsimam hanc eius mentem, ego non alijs referentibus, ſed ex familiaribus ſermonibus inter nos habitis, dum Cardinalis eſſet, optimè noui, me enim multum dilexiſſe viſus eſt. Amicitias nanque, quas iam inde ab vſq; adoleſcentia coluit, conſtanter vſque ad ipſum pontificatum maximum retinuit, multis nihil minus cogitantibus vltro etiam accitis. Doctos quoque, & graues viros dilexit imprimis, eorumque familiaritate iucundiſsimè vtebatur, quos conſilio, opera & facultatibus aliquando ſubleuauit: in his Guillelmum Sirletum, incredibili doctrina & pietate virum, quem modò ſolius virtutis ergo Cardinalem videmus, quem multis annis domi ſuæ humaniſsimè aluit: Cibi, ac vini parciſsimus fuit, eaque ſimplicitate, qua priuatus quum eſſet, edebat, habebatq; ſiue publicè ſiue priuatim conuiuaretur, Anagnoſtem in menſa, qui ſacros libros, aut ſanctorum patrum ſcripta legeret. Poſt longum in prandio ſilentium recordatus aliquando ea Hadriani quarti Papæ verba: Romano pontifice nemo eſt miſerabilior, conditione eius nulla miſerior, Totius eius vitæ lætitia, & felicitas amaritudo eſt, Cathedra Romani pontificis eſt ſpinoſa, iter vndique conſertum aculeis, pondus tantæ molis, vt robuſtiſsimos premat & confringat humeros: manu mẽſam percutiens, dixit: Nõ video, quomodo, qui locum hunc altiſsimum tenent, ſaluari poſsint. Valetudine fuit non ſatis proſpera, honeſto corporis cultu, facie decorus, ore venerabilis, ſtatura procerus, corpore gracili, capillo ſubrufo, ſupercilijs diſparibus, atq; altero paulo eminentiore. Fuit modeſtus, quietus, temperatus, pro cẽſu liberalis, eleemoſynis largus, in inceſſu & motu grauis, & quãquam rarus in riſu, tamen quandoq; facetus, & vt vno verbo multa cõplectar, in quo magnũ ſanctitatis ſpecimẽ, in tam corrupto ſæculo maximè relucebat, qui nobis non ſuo vllo damno, ſed noſtro maximè tam cito fuerit ereptus, maiore profecto noſtra, & Reipub. Chriſtianæ iactura, quàm vllo ſuo detrimento. fuiſſet enim ſi quiſquam alius Chriſtianæ reip. neceſſarius pontifex, miſeris hiſce & calamitoſiſsimis tẽporibus. Quũ ſatis (vt dixi) firmis nõ eſſet viribꝰ, & propterea anno ſuperiori diu etiam febre laboraſſet, corpore quoq; tam comitiorũ incõ-

modis,



modis, quàm obeundis publicis muneribus, quæ vetere Chriſtiani populi inſtituto, annuis Dominici cruciatus, & Reſurrectionis diebus per maximum põtificem fieri conſueuerunt, fatigato, duodecimo pontificatus die grauius è pituita, & non leui febre decubuit. Poſtridie ſanguine emiſſo, febris quidem remiſsior fuit, verùm corporis vires imminutæ: viſus tamen eſt per aliquot dies conualeſcere, quibus diebus ſemper aliquid per familiares egit. IIII. Kalend. Maij quum melius ſe habere videretur, Vrbinatum III. Kalend. Ferrarienſium Duces: item Camerarium, Guiſium, Farneſiũ, & Eſtenſem Cardinales audiuit. De Farneſio dixit ſe operam daturum, vt intelligeret familiæ ſuæ beneficio Paulum III. in ſe reuixiſſe. Nocte ſequenti haud multum quieuit. Prid. Kalend. hora XII. apoplexi correptus, omnes paulatim ſenſus amiſit, & hora VII. noctis ſequentis, quæ Kalend. Maij præcedit, ſecundo & vigeſimo pontificatus die, vitæ anno quinto & quinquageſimo minus ſex diebus, maximo ſui apud omnes bonos deſiderio relicto, rebus humanis exemptus eſt, inſigni hominum cõcurſu, communem iacturam dolentium ad Vaticanum facto. Cadauer publico funere elatum, tenui pompa canonicorum humeris, in Vaticanam Baſilicam delatum, marmoreo conditum eſt monumento. Vacauit tum ſedes dies XXII. De eo verè Virgilianum illud carmen dici poteſt:

Oſtendent terris hunc tantum fata, neq; vltra
Eſſe ſinent.

## PAVLVS IIII. PAPA.

PAulo IIII. Pontifici maximo patria Neapolis Campaniæ fuit, quatuor Pont. 227.
Romanorum pontificum natalibus antea celebris. Maiores ex Germania clariſsimo ſanguine ortos, Piſis primùm, deinde Neapoli conſediſſe fama eſt. Pauli auus Diomedes Carafa Matalunæ comes magna apud regem Neapolitanum Ferdinandum Arragonium Seniorem auctoritate fuit. Pater verò Ioannes Antonius, inter Neapolitanos proceres inſignis, ab vxore Victoria Camponeſca Petri Lalli filia, in quam primaria Aquilanorum familia defecit, dotis nomine Montorij in Marrucinis Toparchiam ad xviij. ab Aquila vrbe lapidem mare verſus ſitam, comitatus titulo habuit: ex qua duos mares, plures verò fœminas, quæ clariſsimis viris in matrimonium datæ ſunt, ſuſcepit: harũ vna religioſa virgo monaſterij virginũ Neapoli mulier ſancta exiſtimata eſt. Ex maribus alter natu maior, fuit Ioannes Alfonſus Montorij comes: alter Paulus ipſe, Ioannes Petrus ante pontificatũ vocatus: qui in lucem editus eſt in Hirpinis, vico cui nomẽ eſt Sancti Angeli de ſcala, prope furcas caudinas, ſeptimo à Beneuento lapide, III. Kalend. Iulij, ſalutis anno MCCCCLXXVI. A teneris annis ingenium ad bonas artes, ſacræ ac religioſæ vitę inſtitutum, propenſum præ ſe tulit. Ea re cum Prędicatorũ monaſterium, eius ordinis religionẽ profeſſurus petijſſet, ægrè à parentibus imbecilliori ætate diffiſis, vi inde abduci potuit, ſed tandem eorũ monitis cedens, ad ſtudia quibus antea vacauerat, denuo totus conuerſus, ingeniũ exquiſito literarũ delectu gnauiter inſtruxit. Omniũ porrò diſciplinarum, & præſertim ſacrarum literarũ, linguarũ item Latinæ, Græcæ, Hebraicæ accuratæ cognitioni maximam à primis annis vitæ integritatem adiunxit. Romam adoleſcens veniens, diu in contubernio Oliuerij Carafæ Cardinalis Neapolitani eiuſdẽ propinqui, qui tum tẽporis ampliſsimi ordinis virtutẽ, atq; exiſtimatione princeps & erat & omnium iudicio habebatur, vixit. Cuius opera, & cõmendatione à Iulio II. primis Pontificatus mẽſibus epiſcopus Teatinus creatus. Neapolim haud ita multo pòſt legatus eſt, vt Ferdinãdum regẽ Catholicũ ex Hiſpania eò veniẽtẽ, Apoſtolicæ ſedis nomine ſuſciperet. Cuius regis tunc primum gratiã promeruit. Aliquot annis pòſt Apoſtolicæ ſedis nuncius in Angliã ad colligendũ Sancti Petri vectigal à Leone X. miſſus, triennio in ea inſula manſit. Inde per Oceanum in Hiſpaniam ad aulam Ferdinandi Catholici Hiſpaniarum regis ſe conferens, à prudentiſsimo rege, qui eius virtutẽ Neapoli cognouerat, ad cõſilia eſt admiſſus, & maximi Sacelli Regij ſacerdotis, quẽ magnum Capellanum vocãt, vicarius electus. Quo mortuo apud eius nepotem

Caro-

Carolum Hiſpaniarum Regem, & poſtea Imperatorem eadem munera aliquãdiu ſuſtinuit. Manſit in Hiſpania annos circiter octo, quo tempore linguam Hiſpanam perinde ac Italicam hauſit. Ab Hadriano VI. qui Leoni X. ſucceſſerat, quo cum ob morum ſimilitudinem vetus ei interceſſerat in Hiſpania cõſuetudo, Romam cum Marcello Gazele viro ſanctitate illuſtri euocatus, inter eos patres relatus eſt, quorum opera, & conſilio pontifex in eccleſiaſtica morum cenſura, & inſtaurandis Chriſtianæ diſciplinæ legibus, ad reſtringendam ſolutam ſacerdotum vitam, ſanctioremq́; gerendi ſummi pontificatus rationem, quas omnino cogitabat vteretur, apud quem tanta auctoritate, & gratia valuit, vt ſi diutius vixiſſet, eum proculdubio in ampliſsimorum patrum ordinem adſciturus fuiſſe videretur. Inſequentibus poſtea annis, Hadriano ſexto infectis rebus è vita ſublato, ſedente Clemente VII. quum eum Cæſar Carolus Quintus epiſcopatu Brunduſino ornare voluiſſet, non tantum recens oblatum ſacerdotium vetere longè opulentius recuſauit, ſed etiam quod iam obtinebat ſponte pontifici dimiſit, ſibiq́; ſub monte Pincio longe ab hominum conſpectu recto vitæ inſtituto, modicis ædibus, neque ædificio, neque amœnitate conſpicuis, domicilium elegit, & ab omni rerum humanarum cura penitus ſe auertit. quo in loco ſacris aſsiduè intentus literis, religioſe aliquot annos egit, nouamq́; clericorum regularium congregationem inſtituit, paupertatis, caſtitatis, obedientiæ votis, ritu cæterorum religioſorum, ante aram maximam Baſilicæ Vaticanæ, ſolenni cæremonia nuncupatis. Cuius pij inſtituti ſocij primi fuere Caietanus Tieneus nobilis Vicetinus, vir ſanctus, Bonifacius Collenſis Alexandrinus, Paulus Conſiliarius Romanus. Eam vitæ formam Clemens VII. approbauit. Vrbis direptione, qua multa à nefario milite paſſus eſt, commotus, Roma diſcedens, Veronæ aliquandiu apud Ioannem Matthæum Gibertum Veronenſem Epiſcopum, inter ſui ordinis homines clariſsimum, in remotos epiſcoporum Nazarenis hortos ſeceſsit: deinde quietioris illius ſanctiorisq́; vitæ deſiderio rurſum accenſus, Venetias commigrauit, vbi longo tempore moratus, ibidem religioſorum, & morum ſanctitate ſibi commendatorum hominum maiore conuentu coacto, pio religioſi animi decreto, ſeueriorem vitam cum ijs profeſſus eſt, & apud ædem ſancti Nicolai Tolentinatis, non ſine magna ſanctitatis, & doctrinę opinione aliquot annis egit, preſbyterorum Teatinorum (ita ab epiſcopatu Teatino, quem obtinuerat) vocatorum, in ea ciuitate, in qua ſummopere amatus, & obſeruatus fuit, tum primùm ſodalitate inſtituta. In hoc ſacerdotum ab ſe delectorum contubernio adhuc viuens, à Paulo III. bis per pontificias literas Romam euocatur, vt eius conſilio, in morum emendatione, & concilij generalis celebratione, quæ põtifex adornauerat, vteretur: à quo haud ita multò pòſt, auguſta illa generoſi iudicij maturitate facile ſuperiores pontifices antecedẽte, nobiliſsima illa IX. Cardinaliũ publicatione, qua anno ſalutis ∞ DXXXVI. XI. Kalend. Ianuarij, viros egregios, & præſtantiſsimos ex optimatibus Eccleſiæ vndiq; conquiſitos, in Senatũ legit. Cardinalis presbyter tituli S. Clementis deſignatus, maximã dignitatem, nullum ambitioſi animi ſignũ promens, ſuſcepit: Epiſcopatũ vero, quẽ antè ſpõte dimiſit, paulò pòſt iterum adeptus. Varia apud homines fama iactabatur, alijs ſanctiſsimum virũ relicto quietioris vitæ inſtituto ad reipublicæ fluctus ſe vocari paſſum, ſummis laudibus extollentibus: alijs contrà id factum accuſantibus. Ipſe tamen collato honore in obeundis ſenatorijs muneribus intẽtus, ita doctrinæ, ac ſanctitatis famá fruebatur, vt obloquentium ſententiã facile eludere videretur: nam vitæ, innocentiæ, religionis, ſtudio, & optimis moribus, multã eruditionem, præexcellentem ſacrarum literarũ notitiam, facundiam verò inſignem in dicenda publice ſententia, & omni ſermone, libertatẽ addiderat. Animo adeò conſtãs & fortis, vt perſonę ſuę vbiq; bene memor, nec minis, nec precibus à dicta ſemel ſentẽtia recederet. Si quid à Romanis Põtificibus Paulo & Iulio, ſub quibus Cardinalem geſsit, fortè referetur, quod nõ ita ex apoſtolicæ ſedis (cuius vnius cõmodum ante omnia propoſitum ſibi habere dicebat) dignitate eſſe cenſeret, vel cõſilio aberat, vel ſi intereſſet nõ aſſentiebat. Cuius



ius rei plura, & maxime memorabilia exempla extant. Pontifice Paulo III. auctor imprimis fuit, vt ſanctæ inquiſitionis admodũ neceſſarium tribunal, præſtantiſsimis patrũ ad id munus iudicibus lectis, Romæ inſtitueretur, qui inquirendis, damnandisq́; hæreticis ſumma cum poteſtate præeſſent, latius iam per totam Italiam ſerpente Lutherana hæreſi, cuius labe non profanos modò, ſed & religioſorum hominum multos polluerat. Qua ratione factum eſt, vt membris ægrotis, aut ſanatis, aut ſi ſanari non poſſent amputatis, quæ contagio inficiebantur, periculoq́; propiora erant, paulatim ſalutaribus remedijs adhibitis, priſtinæ in Italia ſanitati reſtituerentur. Cæterùm quum tam in inquiſitionis munere, cui ipſe præ cæteris delectus fuit obeundo, quàm alijs rebus ab ſe geſtis adeò ſeuerè ageret, vt multos homines offendere videretur (eiuſmodi porrò vitæ inſtitutum Chriſtianam ſeueritatem appellare ſolebat) magnum ſibi aulicorum hominum odium contraxit, qui ſeueritatem & rectam eius mentem aſperitatem interpretabantur. Illud certè conſtanti omnium hominum fama liquet, eum ante pontificatum magnæ quidem integritatis vitæ ac doctrinæ, ſed nimis ſeueri ingenij, & in propoſiti ſententia permanentis animi opinione vixiſſe, eoq́; ingenio hominum ſtudia promereri neſciebat. A Paulo III. ex preſbytero Cardinale tituli ſanctæ Mariæ Tranſtiberim, Epiſcopus primum Albanus, deinde Sabinus, Archiepiſcopusq́; Neapolitanus factus eſt: poſtea Iulio III. Tuſculanam, & nouiſsimè Oſtienſem obtinuit Eccleſiam. Mortuò Marcello, apud quẽ ſummum gratiæ & dignitatis locum obtinuerat, X. Kalend. Iunij die Aſcenſionis Comitijs in Vaticano habitis poſt non longas quidem, ſed acerrimas comitiales contentiones, aliquot ex collegio patribus Cæſarianæ factionis vehementer repugnantibus, tandem Alexãdro Farneſio qui ei ſtudebat præualente, IIII. & XL. patrum ſuffragijs Romanus Pontifex quum eſſet ſui ordinis princeps, annum natus LXXIX. creatus, Pauli nomine, beneficiorum ſibi à Farneſijs collatorum memor, aſſumpto proximo die dominico maiorum more ante Baſilicam Vaticanam coronatus eſt, magna & vniuerſali hominũ, qui eius ſeueritatem timebant, mœſtitia. Quod à nonnullis futurarum rerum, luctuoſiq́; graui bello pontificatus triſte omen iudicatũ eſt. Ciuitas enim paulò liberius viuere, præſertim proximis ſub Iulio III. annis, quum ſolita eſſet, ſeuerum & acre hominis ingenium timebat, cuius anteactam vitam communi hominum viuendi rationi contrariã nouerat: quam aduerſam de ſe opinionẽ ipſe pontificatus initio auertere ſtudẽs, certis quibuſdam Cardinalibus vltro etiam non rogatus pollicitus eſt, ſe nihil omnino in vrbe nouaturũ, ſed veteri inſtituto cuncta moderaturum. Timentibus verò ſeueram reformationẽ vetus illud vſurpauit: Vxorem nõ habentes ſæpe verberant. Profuſis deinde ſumptibus, & magnifico apparatu tota vrbe aulæis ornata, omnibus Cardinalibus comitatus à Palatio Vaticano profectus ad ſanctũ Marcum, ad ſiniſtrã tollendam ſuſpicionem, priuatim & publicè multa liberalitatis & clementiæ ſigna dedit, & cum in publicum prodiret, humanis verbis omnium fauorem ſtuduit promereri. Rogatus quánam ratione ipſe, & fratris filij victuri eſſent, munificè reſpõdit, & largè, more principum, quod re egregiè præſtitit. Nã pecuniæ minimè cupidus, clericatus, ſecretariatus, & Protonotariatus magni pretij officia liberaliſsimè donauit. Omnibus Chriſtianorũ principum, in his Reginæ Angliæ, & Rerũpublicarum oratoribus, qui gratulatũ, & ad eius venerationẽ Chriſtiano more Romã venerant, publicis in conſiſtorijs admiſsis, ingeniũ rurſus ſecutus, ad ea quæ deprauata ſibi videbantur, emendanda cõuerſus, totus ad tollendos abuſus, quos ſuperiorum temporum negligentia pepererat, incubuit, vt hac ſaltem ratione Lutheranorum voces cõtra Romanam curiam obloquẽtium retunderet. Multa igitur ſummæ ſeueritatis edicta propoſuit, quæ ad diſſolutos ciuitatis mores corrigendos pertinebãt. Ob eam cauſam multis inuiſus, quanquã pleraq́; egregio principe digna ageret, nõ tam ea grata eſſe poterãt, quàm cõtrà, odioſa ſi qua fortaſſe ſecus feciſſet. Principio cogitauit de leuandis vectigalibus, & oneribus, à ſuperioribus pontificibus extra ordinem impoſitis, ſed ærario inani mentem mutare coactus eſt, ne grauiora indicere poſtea cogeretur. Edito decreto prædia

dia & bona eccleſiarum male & ſimoniace alienata, quæ à multis aut occupata, aut temere empta fuerant, magno multorum damno poſſeſſoribus deturbatis reſtitui iuſsit. Iudæos tota eccleſiaſtica ditione ſparſos, & paſsim Chriſtianis nullis penè diſtinctos ſignis admixtos, certis ſeptis more Veneto oppidatim cõcluſit, & ad eorum auaritiam, cuius vitij infamia gens illa in primis laborat, coërcendam eorum vſuris modum impoſuit, fœnus à centeſima ad quinquageſimã reduxit, crocei coloris pileum quo internoſci poſſent ferre coëgit, mercaturam cunctarum rerum, quæ victui humano neceſſariæ ſunt, omne cum Chriſtianis commercium, ſtabilia bona poſsidere ijs prohibuit: Chriſtianos quoq; quicquã eiſdem miniſtrare: Synagogas, quibus ſuperſtitiones ſuas celebrarent, præter vnã in ſingulis ciuitatibus ipſos habere vetuit, manente nihilominus ac ſi plures eſſent cathecumenorum annuo decem aureorum pro ſingulis tributo, grauioribusq; exactionibus, abrogatis ſemel cunctis priuilegijs, quibus à ſuperioribus pontificibus donati, immanes, & intolerabiles diuitias per fas & nefas congeſſerant, onerauit. Multa Iulij tertij quæ nunquam probauerat decreta induxit, aliquot ex eius familiaribus, quorum Iulius conſilijs vtebatur, in carcerem coniectis, Vrbis præfectum Vrbini ducem, in locum Horatij Farneſij paulò antè interfecti ſuffecit. Cardinales prouinciarum legatos minorũ ordinum rectoribus ſubrogatis cunctos reuocauit, præter vnum fratris filium Carolum Caraſam, quem initio pontificatus ex equite Hieroſolymitano, & Neapolis priore, & qui militiæ perpetuo operam dederat, Cardinalem, & Bononiæ legatum dixerat, cuius plurimum opera vtebatur: hic rerum ſummæ præerat. Oſio antiquo familiari Datario declarato, datariatus redditus ſuſpẽdit, eumq; ſeuerè admonuit, vt nullas pecunias pro impetrãdarum quarumlibet rerum, quæ cõceſsione parum dignæ viderentur, cõpoſitionibus acciperet, quouſq; à Cardinalibus quibuſdam, quibus id munus mandauit, corrigerentur, quum ſibi perſuaſiſſet, multas pecuniarum ſummas eo munere contra ius cogi. Complures ſuper ea re egregiorum hominum Theologorum, iuriſq; pontificij conſultorum deliberationes habuit, quærens, an hæ pecuniarum ſolutiones, quæ compoſitiones vocãtur, legitimæ eſſent, & à ſponte offerentibus pecuniæ licitò capi poſſent. Dum omnium ſententias audit, grauiter aliquando in eos inuectus eſt, qui accipiendas probarent; ab omni auaritia alienum animum præ ſe ferens. Regreſſus & acceſſus ad Cathedrales Eccleſias reuocauit. Diſpenſationes matrimoniales, inter ſecundi gradus affines, aut raro, aut non conceſsit. Publica ſanctione, cuncta, quæ ſuperiores Pontifices poſt Iulium ſecundum cõceſſerant, quæ bona redditusq; Eccleſiarum minuerent, ſuſtulit. Superiorum põtificum decreta de annatis, & quindennijs confirmauit, ad eorundem ſolutionem, quæ controuerſa erant expoſuit, quorũ cauſas Cardinalibus Sarraceno, & Menianello, exequutiones verò Hieronymo Saulio Archiepiſcopo Genuenſi quæſtori, & Oſio ſupplicum libellorum magiſtro commiſerat. Pœnitẽtiariæ officium, item Cleri ſtatum, tam in veſtitu quàm victu, emendari, abuſibus ſublatis decreuit; nec vllius nomen recipi voluit inter ſacerdotiorum candidatos, quorũ ante acta vita nõ probata eſſet: ei quæſtioni præfecit viros integros Tranenſem, Rebibã, Reumanum Cardinales, & Franciſcum Epiſcopum Gebennenſem Datarium. Ambiẽtium ſacerdotia fraudes redarguit, Lenones & facinoroſos homines vrbe exactos, grauiſsimis pœnis coërcuit. Societates certarum pecuniarum, quibus præſcriptæ menſtruæ vſuræ perſoluerentur, præter eas quæ ex officijs Romanę curiæ capiuntur, vti fœnebres edicto prohibuit. Eum ſenatus principem, quem decanum vocant, eſſe voluit, qui decedente vetere decano, principem locum inter agentes Romæ Epiſcopos Cardinales obtineret. Seueriſsimum promulgauit edictum in eos, qui ſanctiſsimam Trinitatem, Ieſu Chriſti domini noſtri diuinitatem, eius ex ſancto ſpiritu conceptum pro humani generis ſalute mortem, beatiſsimæq; virginis deiparæ perpetuam virginitatem inficiarẽtur. Thomam Cromenum Archiepiſcopum Cãtuarienſem hæreticum, auctoribus Philippo, & Maria Anglorum regibus, ſacerdotio priuauit, & puniri more maiorum iuſſit, qui pertinax in Anglia combuſtus eſt. Oſium eundem, quem ſupplicibus libellis





bellis (vt dixi) ſubnotandis, ſummæq; conſiliorum omnium præfecerat, & Epiſcopatu demum Reatino exornarat, morum ruſticitate, grauioriq; eius ingenio ſuboffenſus, propinquorum quoq; pontificis, quos negligebat relationibus petitum, gratia in odium verſa, poſtea in Hadriani mole præduro carcere habitum, per quadriennium ferè cuſtodiri iuſsit. Triumuiralem conſeruatorem vrbis, & ſenatoriam in Capitolio poteſtatem amplificauit, & populo Romano immunitates omnes, & priuilegia à ſuperioribus pontificibus conceſſa liberaliter auxit & confirmauit. Tiburq; Cardinali Eſtenſe ab adminiſtratione ſubmoto, eidem conceſsit. Ad leuandam vrbis annonæ penuriam, triginta milliũ aureorum cenſum inſtituit, cuius fidei iuſsioni bona domus hoſpitalis ſancti Spiritus ſubiecit, qua pecunia frumentum inopi plebeculæ paſcendæ compararetur. Quadrantarium carnis vectigal in quinquennium à Iulio tertio impoſitum, extra vrbem tantum exigi voluit. Quod tamen neceſsitate coactus, in nouennium ad omnes etiam regulorum ditionis eccleſiaſticæ Toparchias poſtea produxit, & ex eodem vectigali montem non perpetuum cum centeſimæ ſolutione conſtituit. Tot verò beneficijs populus Romanus inflammatus, ad teſtificandum grati animi ſtudium, ſolenni decreto ſtatuam ei in Capitolio marmoream, quam ipſe potius quàm æneam optauerat, antiquorum more erexit, & centum amplius ciues è nobilitate lecti, qui ſine ſtipendio pontificis per vices perpetui corporis cuſtodes, nouo exemplo eſſent, Fidei equites ab eo creati. Dum hæc magna cum omnium laude ageret, quorundã è ſuis (vt fama eſt) Neapolitanorum quoque, & Florentinorum exulum; qui primarij ciues erant, conſilijs à priſtina mente deductos, quum ob quaſdam ſuſpiciones (vitæ enim & auctoritati ſuæ inſidiari ab ijs ſibi perſuaſum fuerat) multos repente in carcerem conieciſſet, comparato exercitu Gallorum & Heluetiorum ſiue Rhetorum præſidijs in Italiam euocatis, bellum graue cum Philippo Hiſpaniarum rege Caroli Quinti filio ſuſcepit, & vetus odium reuocauit. Oderat enim ipſe iampridem Hiſpanorum nomen, quippe qui vrbe direpta & incenſa ſacroſancti Pontificis maieſtatem violauerant, Italiam ſeruitio oppreſſam tenebant. His addebantur priuatæ iniuriæ, quod cùm in regia Hiſpaniarũ verſaretur, in cancellariatus cuiuſdã petitione ſibi iure debiti, prælato Hiſpano, ipſe præter leges præteritus fuiſſet. Itaq; eius rebellionis tẽpore, quo Neapolitani Petrum Toletanũ, qui pro rege illius regni negotia curabat, quæſtionem religionis more Hiſpanienſi in regno inſtituere conantem, *multis ſeditionibus & tumultibus fatigatam*, ab eo conſilio deſiſtere coëgerũt, medijs armorum fragoribus, ipſe Paulum Tertium ad arma Cæſari in regnum inferenda adhortatus fuiſſe dicebatur, ſuam ſuorumq; (quos multos in regno habere dicebat) operam pollicitus. Quæ conſilia prudentiſsimus Pontifex hominis animum admiratus, apertè quidem eius pietate & ſolicitudine laudata, tanquam parum tempori opportuna reiecit. Eius indignationem auxit, quod aliquot annis antea à Paulo Tertio Archiepiſcopatu Neapolitano donatus, poſſeſsione diu excluſus à regni prorege fuerat, tanquàm Gallicarum nimis partium ſtudioſo. Pontifex igitur factus, ab ijſdem, quos ſuprà memoraui ad bellum Cæſarianis inferendum ſolicitabatur, qui à latere eius nunquam diſcedentes, eum veteres iniurias repetendo, nouas arguendo, indies inflammabant, tempusq; veniſſe, quo Eccleſiæ iniurias, ſeſeq; vſciſceretur, affirmantes, belli occaſiones captabant, in ipſo belli ardore Neapolitanos à rege non ita bene de ijs merito, ad ſe defecturos; & cuncta facilia futura, Gallico rege belli ſocio eidem bellicarum rerum imperito aſsiduè perſuadentes. Nec cunctata fortuna illudere rebus humanis ſolita, facilem præbuit occaſionem, qua & bellum legitimè poſſet ipſe Pontifex indicere, & Gallos in belli ſocietatem ſibi adſciſcere. Per id tempus Carolus Sfortia ex comitibus Sanctæ Floræ Longobardiæ Prior, qui Francorum regi Henrico bello Senenſi merebat, à Cæſarianis cum fratre Mario captus cuſtodiæ aſſeruabatur: duas is ab ſe poſſeſſas triremes ex Gallia diſcedens in portu Maſsilienſi reliquerat. Quarum præfecti Philippi Vicouarronis fidei, quod in Cardinalis Camerarij Cæſarianæ factionis ſtudioſi clientela eſſet, parum Rex credens, eo ſua auctoritate remo-

to illarum cuſtodiam Nicolao Alamanno exuli Florentino commiſit. Is cum triremibus in Inſulam Corſicam venerat. Id Prior iam liber factus cognoſcens, regem Henricum per literas rogauit, vt triremibus reſtitutis ſolita ſibi ſtipendia continuaret. Annuit Rex, Alamannoque iuſsit, vt Centumcellas nauigans, triremes Priori traderet. Qui tunc apud Sanctæ Floræ oppidum altero pede debilis manebat. Quo caſu impeditus, datis ad Alamannum literis, iuſsit vt triremes Alexandro fratri Cameræ Apoſtolicæ clerico traderet, qui ſuum ibidem aduentum expectaret: Alexander Centumcellas concitus abiens, triremes Alamanno, eas ſibi Priore abſente reddere recuſanti, vi eripuit, nihil veritus, quod in eccleſiaſticæ ditionis ſtatione eſſent. Alamannus imprudenti conſilio dimiſſus, apud Petrum Capuanum Centumcellenſis arcis Præfectum Alexandrum detulit, vim ſibi ab eo intentatam querens. Præfectus Alexandrum rogauit, ne eis nauibus inſcio pontifice eductis, portum & pontificis maieſtatem violare videretur, permitteret ſe de ijs antè pontificis miniſtros monere. Id Ioannes Franciſcus Lotinus Volaterranus, Cardinalis Camerarij intimus, & conſiliorum princeps, qui per eos dies à Cæſare redierat, Alexandri citiſsimis literis intelligens, ita apud Ioannem Montorij comitem pontificis fratris filium, rebus adhuc Cæſaris fauentem, rem extenuando egit, vt literis ad Præfectum Centumcellenſem datis, iuberet, ne ſe in regiorum miniſtrorum controuerſijs implicaret. Ita Alexander venia abeundi obtenta, portum exijt. Interea literis præfecti Centumcellenſis Romam allatis, res ad Cardinalem Carafam Cæſaris rebus parum æquum defertur. Is confeſtim Præfectum pontificis nomine monet, ne Alexandrum cum triremibus portum egredi permitteret. Quod Alexander ſentiens, iam liber, & ob res geſtas Francorum fidei diffiſus, Caietam primũ, mox Neapolim abnauigauit, amicè & munificè à Prorege Bernardino Mẽdocio, & Principe Auriæ claſsis Hiſpaniæ præfecto exceptus. Tum regij miniſtri Romæ apud pontificem queſti. Comes verò patrui iram veritus, ſe à Lotino perſuaſum querebatur. Pontifex ſuſpicatus non abſque Camerarij voluntate, vel ſaltem conniuentia id factum fuiſſe, Cardinale grauioribus verbis & minis exagitato, eundem Lotinum, quòd Montorij comitem ad id induxiſſe videretur, in vincula coniecit. Hinc mutui odij & ſimultatum origo manauit, quas pontifex aliquot diebus pòſt auxit, quum à Cardinale Burgenſe ei renuntiatum eſſet, quoſdam Cæſareę factionis proceres, modò apud Cardinalem Camerariũ, modò apud Marcum Antonium Columnam clandeſtina colloquia contra ipſum, eius maieſtatem & auctoritatem habere, quodq; ipſe Lotinus Cardinalis familiariſsimus ſtatim à comitijs ad Cæſarem miſſus eſſet, qui cum de tota comitiorum ratione & exitu, quæ Cæſari parum probanda viderentur, diligenter doceret. Pontifex, ſiue quod ita re comperiſſet, ſeu ira concitus, corporis cuſtodia aucta, & aliquot cohortibus conſcriptis, Cardinalem Camerarium, & paulò poſt Abbatem Breſignum Hiſpanum ad vrbem à Cæſare redeuntem Bononiæ captum, & Romam productum in molem Hadriani coniecit. Cum Camerario Camillum Columnam etiam in cuſtodia habuit, omnium quidem rerum, quas in ſe patratas fuiſſe dicebat, ignarum. Eum verò tanquam Columniæ familiæ principem, armis ſtrenuum, ſpectatum bello, ne aliquid nouaret veritus, Gabijs Romam dolo accitum cepit. Alexandrum Sfortiam abſentem contumaciæ damnatum, clericatu priuauit. His turbis excitatis, Ioanna Arragonia audiens filium Marcum Antonium Columnam ad vrbem venire, binos diuerſis vijs nuntios Marinum verſus miſit, qui filium ne rediret monerent. Eum Neapolim confeſtim profectum Pontifex ad cauſam dicendam citauit, & ſuſpicionibus indulgens, Iulianum Cæſarinum intra paucos dies, & Aſcanium Corneum ſibi ſuſpectos vadibus datis Vrbe diſcedere prohibuit. Triremibus autem, quas reddi Cardinalis, & orator regius Marchio Sariæ procurarat, portui reſtitutis, aliquot Cardinalium præcibus Camerarium & Camillum Columnam, vadibus ne Vrbe exiret datis, Pontifex è cuſtodia dimiſit. Marcum Antonium Columnam, quia ad tempus præſcriptum non adfuerat, paterna ditione, quam in agro Eccleſiaſtico habebat, exuere cogitauit, Ioanna Arragonia matre





cum Nuru & filiabus vrbe egredi vetitis. Initio anni ∞ DLVI. Pontifex fratris filium Ioannem Carafam Montorij Comitem Eccleſiaſtici exercitus Imperatorem creauit, cuius ſolenni pompæ prætoriani, & leuis armaturæ pontificij equites, de more interfuerunt. Quo die Ioanna Arragonia irritati pontificis vim timens, mutato habitu ſpecie quòd Roberti Strotij vxor eſſet, deceptis portæ cuſtodibus vrbe exceſsit, id opportunum tempus nacta, quo equites pontificij pompæ comitis occupati erãt, qui vbi de ſua fuga reſcitum eſſet, labore diurno feſsi, ipſam inſequi vti vſu venit nequirent. Ea re põtificis ira aucta, qui quæſtionibus habitis, Marcum Antonium, & ipſius patrem Aſcaniũ, qui tum Neapoli in cuſtodia detinebatur, anathemate notatos, honore, & accitis poſſeſsionibus, quas in ditione Eccleſiaſtica obtinebant, diplomate publicato, quo eius priuationis cauſas commemorauit, exuit, & cuncta eorũ oppida (quod multis durum, & futurorum malorum cauſa viſa eſt) Ioanni Comiti Montorij ducatus Paliani titulo addixit. Eorundem conſilio, qui vt alia, ita & hoc perſuaſerũt: valido, & fideli Romano pontifici poſſeſſori in illis oppidis inſtituto, atque firmato, poſſe gentem Columniam illis perpetuo excludi, neq; in poſterum recuperandi facultatem illam habituram, quam cęteris pontificum interregnis nullo priuatim poſsidente habuiſſent. Capto nanq; Palliano, de illius euerſione primo decretũ, mox de oppidorum pro Eccleſia retentione fuerat cogitatum. Dux igitur, vt eius dignitatis inſignia caperet, celebri pompa ornamentis ducalibus indutus, toto comitante populo Romano, pontificisq; cuſtodibus prætorianis, & leuis armaturæ equitibus, à Vaticano palatio in Capitolium proficiſcitur, vbi rei diuinæ ſolenni ritu celebratæ interfuit. Per id tempus Pontifex ducis fratrem Antonium Carafam oppidi Montis belli Marchionem, ac Diomedem Carafam ducis filium Marchionem Cauenſem creauit. Montem verò bellum pontifex Comiti Balnei ob pecuniam, quam in bellicos vſus Francorum rex in Italiam amandauèrat, vno ex tabellarijs occiſo in Eccleſiaſtica ditione deprædatam, armis eripuerat. Milites deſcriptos eccleſiaſtici Imperij, quos Batalias vocant, priuilegijs auxit, quo eos ſibi firmiores ſtabiliret. Non ſine magno Cæſarianorum timore Palianum à Duce, Caroli Carafæ Cardinalis, & Petri Strotij, qui tum Romæ aderat conſilio, bellica arte munitum fuit, tum quod ea ratione Columnijs eius recuperandi ſpes prorſus adimeretur, tum quod tanquam belli arx aduerſus regnum Neapolitanum eſſet futurum. Per eos dies Henricus Galliarum Rex, cui res Italicas turbari intereſſe videbatur, Pontificis animum in Cæſarianos incitatum cognoſcens, clam per oratores, & Cardinales Turnonium, & Lotharingium egit, vt fœdere cum pontifice inito, alter alteri auxilia in bellis gerendis ſubminiſtrarent. Ea re pontifex magis accenſus dum magnis viribus bellum adornat, inducias quinquennales, quæ inter Cæſarem, & regem Francorum ſe omnino inſcio pactæ fuerant, nihil minus cogitans audiuit. Eam rem, quod ipſe in grauiſsimo tractatu neglectus eſſet, admodum ægre ferens, ſe ſolum in periculis à Rege relictum multum conquerens, atq; ipſas inducias ſuis officere animaduertens, legatos duos Cardinales, Scipionem Rebibam ad Regem Philippum, & Carolum Carafam ad regem Francorum deſtinauit. Scipione proficiſcente quidem, verùm armis à Cæſarianis in ditionem Eccleſiaſticam illatis, ex itinere reuocato, Carafa ad regem maritimo itinere ſe contulit, cuius mãdata fuere, primum vt pacem inter reges procuraret, cuius pontifex honorifica, & maieſtate pontificia digna conditione particeps fieret, id niſi impetrare poſſet, ſi quæ Cæſarianorum arma ingruerent, auxilia à Rege, quemadmodum ex fœdere paulò antè inito pollicitus fuerat, poſtularet. Legatus pace excluſa, quaſi ad opem pontifici ferẽdam, ne ab induciarum fide Henricus Rex ſine cauſa deſijſſe videretur, Gallica auxilia duce Guiſio impetrauit. Pontifex interim Paliano munito, & duce belli fratris filio Imperatore creato, vrbem maxima cum vicinarum ædium, & vinearum damno, terreis aggeribus munire, portas magnis præſidijs per diſpoſitas ſtationes, eius rei Camillo Vrſino demandata firmare, delectum tota eccleſiaſtica ditione habere, exercitum, commeatus, & cætera ad bellum neceſſaria comparare. Comperto per interceptas literas Gar-

ziam Laſſum Vegam, qui per eos dies à rege miſſus Romæ agebat, regis iuſſu Albæ ducem, ad bellum pontifici inferẽdum ſolicitaſſe, eundem, & Ioannem Antonium Taſſum magiſtrum Tabellariorum equeſtrium in cuſtodia habuit. Per id tempus Aſcanius Corneus Velitarum munitioni præfectus, quum ob quaſdam ſuſpiciones à Pontifice capi iuſſus eſſet, fuga ſalutem quæſiuit, à Cæſarianis honorifice ſuſceptus. Ea re publicatis bonis exul factus, frater eius Cardinalis Peruſinus in arcem eſt coniectus. Ferdinandus porro Toletanus Albæ dux, qui tum pro Rege Philippo regnum, atque Italiæ vicariatum obtinebat, his quæ Romæ fiebant auditis, totus in belli, quod timebat curas, multis conſcriptis, & ex ſtatiuis in vnum coactis cohortibus, incubuit. Frequentibus internuncijs cum pontifice egit, vt eiuſmodi bellici terrores amouerentur. Pontifex vt cauſam ſuam tueretur, Dominicum Nigrum Romanum cum epiſtola ad ducem miſit queſtum iniurias ſibi illatas. Dux ea re motus, Pirrho Lofredo equiti Neapolitano literas ad pontificem dedit, quibus pontificis querelis reſpondens, & quæ contra regem ſuum à pontificatus initio molitus fuerat, ſigillatim aperiẽs, commemoratis bellorum incommodis, eum ad pacem poſtremo enixe hortabatur, addens quod ſi breui, quæ pontifex ſentiret de pace belloque non aperuiſſet, ipſe bellum indictum exiſtimaret. De eadem reſcripſit etiam collegio Cardinalium, rogans, vt pontificem ad pacem ineundam hortarentur. Quum vero Paulus rem protraheret, poſt XV. dies impetum in fines agri Eccleſiaſtici dux fecit, & Pontem coruum in antiquarum Fregellarum veſtigijs ſitum, vicepit. Ea re irritatus pontifex, Pyrrhum legatum carceri cluſit, regium legatum Marchionem Sariæ confeſtim vrbe exire iuſsit, iam antea pontifici odioſum, quod portam Vrbis militibus, qui ibi aderant repugnantibus, venandi gratia egreſſus fuerat. Quod tamen id ſibi licere Cardinalis Carafa mane prædixerat. Aucta vero ſuſpicione Iulianum Cæſarinum Regulum Romanum, Fabium Columnam Archiepiſcopum Tarentinum, Hippolitum Capilupum, Herculis Gonzagæ Mantuani Cardinalis in Vrbe procuratorem è Cæſariana factione in carcerem coniecit, fatali Cæſarianorum ignauia quum nemo eſſet, qui accenſam belli flammam, quæ initio facilè ſopiri poſſe putabatur, mitioribus conſilijs, & agendi dexteritate reſtingueret. Armis autem primum à Cæſarianis in Eccleſiaſticæ ditionis finibus motis (inferre enim quam excipere apertum bellum maluere) Pons coruus primo impetu, deinde Fruſino, poſtea Anagnia, Marinum, Lauici, Præneſte, Tibur, Oſtia, Neptunum, Aba, Vicus Vatronis, Mons fortinus, & totum denique pœne Latium in eorum poteſtatem redactum eſt.

Dux Albæ quæcunque Eccleſiaſticæ ditionis oppida ceperat, pro Eccleſia, & futuro pontifice ſeruaturum ſe affirmabat. Horum pars à pontificijs recepta, pars miſerè incẽſa, & direptioni expoſita, eo bello, quod toto hoc anno, & magna ſequentis parte Gallis præſertim & Heluetijs in Pontificis auxilum euocatis, tanta animorum obſtinatione durauit, vt infelix Latium penè totum igne, & ferro conſumptum ſit. Dum hæc in Latio geruntur, Dux Albæ pacis auidus, cum Carolo Carafa Cardinale egit, vt Sena Etruſca Io. Carafæ fratri ducis titulo conceſſa, Palianoq; Columnijs reſtituto, certa firmaq; pax cõſtitueretur. Ei rei trãſigendæ in XL. dies induciæ initæ. Quo tẽpore dux Albæ, qui Philippi regis mentem ad pacem quibuſuis honeſtis conditionibus ſuſcipiendam inclinatam exploratam habebat, validis præſidijs ijs, quæ ceperat, Caſtellis impoſitis, terreoq; propugnaculo in inſula ſacra propè Oſtienſem portum ad fluminis Oſtia munito, Neapolim ſe recepit, atq; Senæ negotium vt expediret Franciſcum Pacciecum, quem poſtea Pius IIII. Cardinalem creauit, ad regem miſit. Illud verò certò ſibi perſuadens, eum cum ijs mandatis rediturum, quæ ad pacem reſpicerent, rebus bellicis reſtituendis vacare ſuperſedit, quæ diuturno bello in peditatu, & equitatu admodum labefactatæ erant. Induciarum XL. diebus exactis pontificij à pace auerſi, Petro Strotio duce Vicum Varronis vi, propugnaculũ Oſtienſe pactione occuparunt. Ea res Strotij auctoritatem auxit, ita vt facilè ei poſtea fuerit pro fratre Laurentio Cardinalatus honorem adipiſci. Inexpectata re, & Ducis Guiſij aduẽtu mirum in modum Dux Albanus commotus, valido exercitu





citu ſcripto Gallicas copias apud Ciuitellam expectandas putauit. Interea Franciſcus Pacciecus in Italiam cum pacis conditionibus à rege rediens, Romam acceſsit. Quæ præcipuæ erant, vt Paliani Toparchia Marco Antonio reſtituta Io. Carafa Dux Senenſis crearetur. Animis Ducis Guiſij aduentu ad bellum inclinatis, Paccieco põtificis audientia negata eſt, & quia Cardinalis Venetias aberat, nonnihil cum Palliani duce locutus, à Cardinali Carpenſe admonetur, vt vrbe excederet. Ille carceris ſibi periculo intentato, Neapolim abijt, atque ita magnis vtrinque viribus bellum adornabatur. Quo bello ærario exhauſto, Paulus magna, & extraordinaria tributa indicere, & exigere coactus eſt. Montes Quatuor inſtituit, duos in nouennium perpetuæ ſolutionis beſſalibus vſuris, alterum S. Spiritus Hoſpitali domo, alterum Thoma Marino Genuenſi ditiſsimo viro fidei iuſſoribus, totidem item non perpetuos cum centeſimæ ſolutiones vnum ex Vectigalibus Peruſiæ & Vmbriæ, alium ex reditibus aluminum, quæ apud Tulfam coquuntur ſeſquicenteſimam bonorum æſtimatorum imperauit. Notariatus, & Cãcellariæ officia in quæſtionibus capitalibus totius Eccleſiaſticę ditionis venalia propoſuit, duabus decimis omnium imperij Eccleſiaſtici ſacerdotium imperatis, & menſtrua omnium officiorum ſolutione fiſco addicta, religionum ordines, in terreis quæ conſtruebat propugnaculis operam ſuam poſuerunt. Cuius belli, vt creditum eſt, occaſione Placentia Octauio Farneſio Parmæ duci reſtituta, ipſe in gratiam à rege Philippo receptus eſt, quæ res Pontificis animum perturbauit, in eo tertamine defixum. Nam Octauij vtpote regis Hiſpaniarum hoſtis operam eo bello ſibi pollicebatur. Cæterùm Gallicarum copiarum aduentu recreatus, bellum anno integro continuauit, quo priuati homines, vrbs Roma, Latium, Eccleſiaſticæ prouinciæ miſeræ attritæ, & quãquam pax aliquando oblata eſſet, vt eam Pontifex ſuſciperet adduci non potuit, quod pacis conditiones ſibi oblatas non probaret. Verum enimuerò præter Gallos & Heluetios in armorum ſocietatem euocatos, Veneti quoque à Cardinale Carafa, quem Pontifex cum poteſtate totius Italiæ legatum crearat, Venetiaſque ire iuſſerat, magnis propoſitis præmijs, ſed fruſtra ſollicitati. Francorum copias ſuperatis alpibus Dux Guiſius adduxit decem millium peditum, & duûm millium equitum, qui Romam veniens, ea, quæ in bellicos vſus ſibi pontificis nomine pollicita fuerant non inueniens, nonnihil eſt commotus. Eo verò Romæ agente pontifex decem Cardinales creauit, in his rogatu ſuo Ioannem Bertrandum regni Franciæ ſigillorum cuſtodem. Totius verò regij exercitus, qui Eccleſiæ præſidio venerat, vel in Italia lectus fuerat, Imperator Hercules Ferrarienſium Dux eſt deſignatus. Gallicus exercitus, quum in Piceno diu ſtatiua nõ ſine Prouinciæ vexatione habuiſſet, Ciuitella in regni finibus fruſtra obſeſſa, commeatu deficiente, & pace paulò pòſt inter Pontificem, & Regem Catholicum facta, partim in Galliam & Corſicam reuerſus eſt, partim in Etruria apud Montem Ilcinum, qui Regijs præſidijs tenebatur, reſedit. Aliquot Heluetiorum cohortes, quæ pontificis ſubſidio venerant, apud Signiam à Marco Antonio Columna multis cæſis dimidiatæ fuerant. Bellum longius protractum fuiſſe multi opinati ſunt, niſi apud Sanctũ Quintinum Philippi Regis aduerſus Francos victoria menſe Auguſto Anno ∞ DLVII. audita eſſet, qua omnis ferè Gallica nobilitas capta erat. Hæc res pontificis animum ad pacis conditiones accipiendas animauit, quum & illud intelligeret, eo ſe bello & parum proficere, & ſummo toti Italiæ damno eſſe. Roma præſertim paulo antè ab hoſtibus penè per inſidias capta. His rationibus adductus, pacem tractare cœpit, quæ Venetæ Reipublicæ, Florentiæ Ducis, & Cardinalis Camerarij opera decimo octauo Kalendas Octobris certis conditionibus apud Lauicos icta confectaque eſt: pro Pontifice Cardinalis Carafa, pro rege Dux Albæ pacis ſponſores fuerant. Pacis conditiones fuere: Quod rex Pontifici debitas ſubmiſsiones per priuatum oratorem facturus eſſet. Quod Pontifex Regem Apoſtolicæ ſedis gratiam reciperet. Vt fœdere Gallico diſſoluto, pontifex neutri parti ſe addicet. Vt cunctis, qui huius belli occaſione in alterutrum principem deliquiſſent, venia eſſet, & ad honores ſuos omnes reſtituerentur. Vt oppida, & caſtella ſedis Apoſtolicæ quæ à

Cæſarianis occupata fuerant diſiectis muris reſtituerentur. Vt Palianum in
ſequeſtrum deponeretur, cuſtosque, qui vtrique parti gratus eſſet, eius præſidio
communi ſumptu locaretur. His pacis conditionibus Pontifex, & Albæ Dux
ſubſcripſere. Vix autem Cardinales, qui pro pontifice pacis ſponſioni adfue-
rant, in vrbem reuerſi erant, quum vrbe tot malis nondum rite luſtrata, expia-
taque, bello ferè parem aliam cladem accepit. Tiberis enim alueum egreſſus,
adeo occupatis vrbis locis planis, qua frequentiſſimè habitatur, biduo ſtagna-
re, vt vrbs tota magna ædificiorum iactura nauigabilis eſſet, & omnes omnium
fortunæ, quæ bello reliquæ erant, omnino perderentur. Peruenit aquarum col-
luuies vſque ad plateas Pantheonis, S. Marcelli & Marci: ita vt longe maior hæc
eluuio exiſtimata fuerat, ea quæ anno ∞ DXXX. ſub Clemente ſeptimo acci-
dit. Domus Tiberi impoſitæ multæ, vt Cardinalium Sermonetæ, Viſenſis, &
Farneſianorum hortorum partes corruerunt, pontis Palatini arcus, & Eccle-
ſiæ Sancti Bartholomæi in Inſula pars concidere, homines pauci, pecora mul-
ta deſiderata, commeatus multum amiſſum, vndecim molæ ſubmerſæ, vineæ
à Ponte Miluio vſque ad Baſilicam Sancti Pauli aquis obrutæ. Similem calami-
tatem diffluēte extra ripas Arno, & longè grauiorem aliquot pontibus, vel di-
rutis vel exæſis Florentia ſenſit. Pace facta, Dux Guiſius cum copiarum parte
Centumcellis mare conſcendens, in Galliam delatus eſt. Dux Albæ Romam
eodem die ingreſſus, quo Dux Guiſius exierat, Pontificis pedibus oſculatis, om-
nibusque pœnis abſolutis, honorificè eſt ſuſceptus, quem Pontifex arctiſſimè
complexum, publicè deoſculatus eſt, miris laudibus ornauit, eius vxori roſam
de more miſit. Ducis precibus qui in arce Cæſariani detinebantur, ex fœdere
incolumes dimiſſi. Alexāder Sfortia clericatu recuperato in gratiam receptus.
Bello compoſito Pontifex ad priſtina emendādæ reipublicæ pereuntis conſilia
reuerſus, animū ad res Eccleſiaſticas cōponendas proximis armis afflictas con-
uertit. Carolum Carafam ad regem Hiſpaniæ, & Antonium Triuultium ad
regem Francorum legatos pro pace inter eos, vel inducijs componendis, & do-
meſticis ſuper ducatu Paliani negotijs tractandis miſit. Vrbis penuriam, quæ
proximo bello inualuerat, magnæ pietatis exemplo leuauit. Triticum enim
octonis aureis pro rubro emptum, quinis plebi vendidit: qua liberalitate quin-
quaginta millia aureorum abſumpſit. Inquiſitionis deinde tribunali, coram
quo non hæreſes ſolùm, ſed aliquot etiam crimina, quæ cæterorum Iudicum
ſententijs diffiniri ſolebant, agitari voluit. Reliquis verò omnibus curis ab ſe
abdicatis, & in aliquot miniſtros aut Cardinalem Carafam reiectis, ad cognoſ-
cenda vindicandaq; ea ſcelera totum ſe addixit, magna reorum multitudine
inquiſitionis carcere incluſa. Circiter VI. Cardinales, qui eidem concilio in-
tereſſent, legit, maximo Inquiſitore fratre Michaele Giſlerio Cardinale Alexā-
drino viro integerrimo creato, cui in hæreticos, & eorundem criminum ſu-
ſpectos inquirendi animaduertendique ſummum munus demandauit. Incor-
ruptam quantum in ſe erat religionem Chriſtianam conſeruare volens, cum
plurima mala ex hęreticorum librorum lectione prouenire cognoſceret, libro-
rum indicem, qui ab ſe ad hæreſim quoquo modo pertinentes damnatos codi-
ces contineret, non ſine bibliopolarum quærimonia publicauit, ipſosque gra-
ui edicto, & anathemate vel legi, vel haberi prohibuit. Cardinalem Polum vi-
rum moribus integrum, & multorum virtutum opinione vulgo commen-
datum, non ſine magna omnium admiratione legatione Anglica priua-
uit: Cardinalem & legatum in eius locum F. Guillelmum Pætum ordinis
minorum, Epiſcopum Saresburienſem deſignatum fecit. Pontificis nuntio à
miniſtris regijs in via impedito, Pætus fato præuentus oblatos ſibi honores non
attigit. Per eos dies Ioannem Moronum Cardinalem, & Thomam Sanfelicium
Epiſcopum Cauenſem hæreſeos reos fecit, vtroſque in molem Hadriani con-
cluſos longo carcere afflixit. Egidium Fuſcararium Epiſcopum Mutinenſem
Moronis cauſa diu in Inquiſitionis cuſtodia habuit. Quo tempore, cùm Caro-
lus Quintus Imperator rerum humanarū tædio affectus, fratri Ferdinando iam
Cæſari creato, imperij quo ſe abdicauerat titulos per manus tradidiſſet, Ponti-
fex



fex tranſlationem illam tanquam ſe incōſulto & præter ſacros canones factam
improbauit, neque Ferdinandum Imperatorem ſuſcipere, neque eius legatum
Martinum Guſmanum nobilem Hiſpanum, qui ad vrbem venerat, vt legatum
publicè admittere quoad vixit voluit, priuatim tamē eum humaniter excepit.
Auditoris cameræ officij nomen aboleuit, idq; in regentem cameræ Apoſtolicę
conuerſum, maximisque priuilegijs auctum, fratris Nepoti Alfonſo Cardinali
Neapolitano, magno Camerarij damno addixit. Multa enim è Camerarij mu-
nere adēpta huic officio Paulus attribuerat, ea ſcilicet quæ ad eius muneris fun-
ctionē pertinere videbantur. Monaſticā, ſeu religioſam vitam ſemel profeſſos,
oēs in Monaſteria vnde quacunq; de cauſa exierant, edicto ſuo redire nulla ad-
miſſa excuſatione iuſſit. Id verò tanta adhibita ſeueritate fecit, vt non ita ſubito
obtemperantes veluti detractantes imperium, ſatellitum cuſtodijs adhibitis to-
ta Eccleſiaſtica ditione in vincula, & aliquos in triremes coniecit, omnes verò
quotquot potuit in monaſteria ſua redire coēgit. Venetiæ tum fuere miſeris,
qui obtemperare ob varias cauſas non poterant, refugium. Laudem porrò ma-
gnam omnium teſtimonio promeruit, quum raro iuſtitiæ & ęquitatis exemplo
cognitis, quæ ſibi de fratris filijs (hi Eccleſiaſticæ ditioni præpoſiti erant), delata
fuerant, quicquid ea fuerint, frequenti patrum Senatu Cardinalem Carafam à
rerū cura, & Bononiæ legatione ſubmouit: Paliani Ducem principis totius Ec-
cleſiaſtici exercitus loci dignitate, & Triremium præfectura: Marchionem verò
Mōtisbelli cuſtodia palatij Apoſtolici priuauit: in eos adeo vehemēti oratione
frequenti ſenatu inuectus, qua nimiam eorum licentiam arguens, ſeueriſſimè
eoſdem accuſabat, vt Cardinales quoſdam animum eius commotum ſedare,
atq; illos excuſare conantes, atroci vultu auerſatus longè grauiora, ni quampri-
mum omnes vrbe cederent minaretur, & Cardinalem quidem vrbe exactum
apud Lanuuium, reliquos verò in ſua caſtella relegauit. Omnibus demùm ijs,
quibus ipſi aliquos magiſtratus mandarant loco & dignitate pulſis, quibuſdam
etiam vinctis, nouos prouinciarum præſides in eorum locum ſuffecit. Aliquot
deinde quæ imperauerat portoria, & tributa quaſi ſe inſcio indicta, cum leuaſſet,
Palatij & vrbis cuſtodiam Camillo Vrſino commendauit. Cui vita functo Io-
annem Antonium Vrſinum Grauinæ ducis fratrem ſublegit. Ad XX. quoque
Cardinalium, & XL. minorum ordinum ex officialibus Palatinis patrum, qui
tanto muneri obeundo idonei ei videbantur, collegium inſtituit, qui publica
audientia ſemel in ſingulas hebdomadas inſtituta, ſecum omnes totius Eccle-
ſiaſticæ ditionis cauſas cognoſcerent, vt his factis omnem in ſuos præteritarum
rerum culpam deriuaret. Edicto etiam cauit, vt qui hactenus magiſtratuum in-
iuria ſuarum rerum iacturā feciſſent, ad ſe recurrerēt, ius ex æquo ijs ſe redditu-
rum pollicitus. Quo tempore à cæteris curis parumper vacuus, totum ſe Inqui-
ſitionis muneri dedit, inſtituitq;, vt eius tribunalis cauſſæ, quæ delectorum Car
dinalium auctoritate terminari ſolebant, coram Romano pontifice die ſemel
in hebdomada ſtatuto cognoſcerent. Cardinales XIX. quatuor lectionibus cre-
auit, in his tres è gente ſua, quinq; vetere familiaritate coniunctos, reliquos do-
ctrinæ & integritatis vitæ opinione ſibi gratos: inter hos qui Tertius ab eo Ro-
manus pontifex fuit Pius Quintus. Ioannes Gropperus Germanus (quæ res inu-
ſitata viſa fuit) ſacram purpuram recuſauit, & ſcriptis literis eius facti rationem
reddidit. Diem feſtum Cathedræ Sancti Petri Apoſtoli, quando Romam pri-
mùm venit, ad decimum quintum Kalendas Februarij, qui antiquitus in Ro-
mana Eccleſia celebratus iam exoluerat: reſtituit, ſacrorum myſteriorum ſo-
lennia, quantum in ſe erat augere cupiens, cunctos, qui pro ſummi pontificatus
ambitu prænſarent, grauiſſimis pœnis ſubiecit. Formulam confeſſionis fi-
dei, quam Epiſcopi recèns creati profiterentur, pulcherrimam edidit, quæ in
libris conſiſtorialibus extat. Aliquot in Indijs, quæ regi Portugalliæ parent, op-
pida, Eccleſias Cathedrales erexit, inter has Malaclinenſem, & Cochinenſem
Eccleſias: Gaoanēſem verò ab obedientia Archiepiſcopi Olyſiponēſis eximens,
Metropolitanam fecit, nouosque in his epiſcopos conſtituit. In Gallia Belgica,
aliàs Inferiori Germania, quæ ditionis Philippi Hiſpaniarum regis eſt, multos

Epiſcopatus, & Archiepiſcopatus aliquot erexit. Quam rem, quia memoratu digna eſt, vti in libris conſiſtorialibus annotatam inueni, ſubijciam. Paulus quartus pontifex maximus, cum mentis ſuæ aciem pro paſtorali officio, & Eccleſiarum omnium ſollicitudine conuertiſſet, ad eam Inferioris Germaniæ partem, quæ Philippi Hiſpaniarum regis Catholici ditioni hæreditario iure ſubiecta eſt, ſciens meſſem quidem ibi multam eſſe, operarios autem paucos, propterea quod cum ea regio antiquitus erectionis Cathedralium Eccleſiarum ſuarum tempore ſparſim, & infrequenter admodum habitaretur, à tot iam tantiſque populis, & gentibus incolitur, vt pro oppidorum celeberrimorum, quibus vbique referta eſt frequentia, & caſtellorum, pagorumque multitudine, paucæ admodum ibi ſunt Eccleſiæ Cathedrales. Quo fit, vt tam pauci Epiſcopi non ea, qua opus eſſet diligentia, tantam animarum multitudinẽ regere poſſint, quod quibuſdam eorum hoc etiam eſt difficilius, quod ipſorum Diœceſani lingua inſtitutiſque differunt, & quidam eorum etiam eiuſmodi priuilegia habent, vt ipſos ad ſedem epiſcopalem non liceat euocare, ita nec fidei doctrina, & piè viuendi præceptis commodè inſtrui, nec ſi quid deliquirint, facilè corrigi ab Epiſcopis ſuis poſsint. Ad ipſos verò Epiſcopos viſitandos, admonendos, & in officio continendos, ne vna quidem in tota illa tam celebri, & tam longè, lateque patente regione Eccleſia eſt Metropolitana, ſed illæ, quibus ſubiecti ſunt extra fines ipſius Philippi regis ſunt, earumque archiepiſcopi propter multa, & varia impedimenta, nulli ſuffraganeis ſuis vſui iampridem fuerant, ad quæ tanta incommoda cum hoc quoque accedat, quòd cum ea regio omni ferè ex parte cincta ſit, & obſeſſa à populis ſchiſmaticis propter aſsiduas hæreticorum inſidias, dolos, & fraudes, peſtiferaſque doctrinas, catholica illic fides, & animarum ſalus in maximo diſcrimine, ac periculo verſatur. His cauſis adductus, precibus etiam annuere volens, & pio deſiderio ſatisfacere ipſius Philippi Regis, qui pro ſua pietate, & Catholicæ fidei ſtudio, hac de re cum eo, & ſæpe, & perquam diligenter per literas, & nuncios egit, habita, ſicut rei magnitudo poſtulabat, cum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus deliberatione matura, tam grauiter periclitanti in illis partibus fidei orthodoxæ, & animarum ſaluti aptiſsimum eſſe remedium duxit, ſi veterum Eccleſiarum in illa regione poſitarum diœceſes commodioris regiminis cauſſa diuideret, nouiſque erectis Cathedralibus Eccleſijs eiuſmodi præficerentur Epiſcopi, qui tum exemplo, tum verbo commiſſas ſibi oues paſcant, & proborum, eorumque doctorum virorum copia muniti, idoneorumque opera miniſtrorum adiuti, illas aduerſus inſidiantium luporum rabiem tueantur, defendant, & cuſtodiant, & Metropolitanæ aliquot Eccleſiæ opportunis eius regionis locis erigantur, ad quas commodè adiri poſsit, quibus qui præfuturi ſunt ſuffraganeos ſuos in officio contineant. Apoſtolica igitur auctoritate, & ex S. R. E. Cardinalium conſilio, ad Dei omnipotentis honorem, & ipſius Sanctæ Eccleſiæ vtilitatem, Cameracenſem, Traiectenſem, Atrebatenſem, Tornacenſem Eccleſias, ciuitates, & diœceſes à Remenſi, Colonienſique Eccleſijs, & prouincijs, quibus erant Metropolitico iure ſubiectæ: Item Mechlinienſe, Antuerpienſe, Harlemenſe, Dauentrienſe, Leouardienſe, Gruningenſe, Middelburgenſe, Buſcoducenſe, Ruremundenſe, Namurcenſe, Audomarenſe, Iperenſe, Gandauenſe, Brugenſe, frequentiſsima Cameracenſis, Traiectenſis, Tornacenſis, Leodienſis, Morinenſis, diœceſium oppida, à ſua quodque eorum diœceſi & Prouincia exemit. Auulſit quoque eas Colonienſis, Oſnaburgenſis, Monaſterienſis, & Padeburnenſis dioceſium partes, quæ in Philippi regis ditione erant, quas Eccleſijs Cathedralibus ab ſe inſtitutis diſtribuit. Veteres verò epiſcopales ſedes, Cameracum & Traiectum ac Mechliniam oppidum Eccleſias archiepiſcopales conſtituit, reliqua tresdecim oppida Cathedrales ſedes erexit, quas hac ratione trium Metropolitanarum ſuffraganeas eſſe voluit. Cameracenſi quidem Metropolitanæ, Atrebatum, Tornacum, antiquæ Epiſcopales Eccleſiæ, ex nouis verò Audomarũ, & Namurcum ſubiecit. Traiectenſi Archiepiſcopali nouas ſedes epiſcopales Harlemẽſem, Dauentriẽſem, Leouardiẽſem, Gruningẽ-

ſem,



ſem, Middelburgenſem attribuit. Nouam Mechlinienſem Metropolitanam nouis Epiſcopatibus Antuerpienſi, Gandauenſi, Brugenſi, Iperenſi, Buſcoducẽſi, Ruremundenſi præeſſe voluit, cunctaſque has epiſcopales & Archiepiſcopales ſedes iuris patronatus Philippi Regis, & hęredũ eius eſſe cõſtituit. Cũ quo de ipſarum Eccleſiarum redditibus, quibus epiſcopi, & canonici ali poſſent, tranſegit. Quum verò ſenio confectus aduerſa valetudine laboraret, qua etiam anno ante obitum grauiter decubuerat, Tranenſem, Spoletinum, Conſiliariumque Cardinales delegit, qui pro ſe cum Camilli Vrſini conſilio ditionis Eccleſiaſticæ cauſſas, ſumma & planè regia poteſtate cognoſcerent. Epiſcopos, vt ad ſuas Eccleſias regendas, & commiſſos ſibi greges coràm paſcendos irent, luculenta & graui adhortatos oratione, in qua Epiſcopale munus illis in memoriam reuocabat, compulit. Quanquam igitur maxima egregij pontificis ſalutaria documenta, quod inficiari nemo poteſt, daret, quia tamen ea in turbulenta, & difficillima tempora inciderunt, nihil neque tam ſanctum, neque tam laudabile facere potuit, quod non etiam multorum ſermonibus carperetur. Tanti refert quo quidque tempore agatur. Carolus V. nobiliſſimæ memoriæ Imperator, qui poſt tot victorias partas, regnorum, maximi poſt Carolum magnum Imperij, & rerum denique omnium humanarum cura abdicata, totum ſe quietiori vitæ, & cœleſtis meditationibus ſtudio dederat, in Monaſterio Sãcti Iuſti diœceſis Placentinæ Caſtellæ veteris. XI. Kalend. Octobris anno ∞ DLVIII. rebus humanis feliciter exceſſit. Mortuo per eos dies Polo Cardinale, & Maria Anglorum regina, regnum Angliæ denuo ad priores hæreſes redijt, alterius Reginæ Iſabellæ fomento. Pauli pontificatum diuina prouidentia illuſtrauit, & inſignem fecit nobili illa & memorabili pace, Dei beneficio inter duos ſummos orbis Chriſtiani principes, poſt affinitatem contractam, facta, Henricum Francorum, & Philippum Hiſpaniæ Reges. In cuius lætitia & celebritate Rex ipſe Henricus equeſtri ludicro certamine, quo nobiliſſimi quique ad ſpectantium matronarum voluptatem haſtis inter ſe concurrere ſolent, miſerè interfectus, fœderum & regni ſucceſſorem reliquit Franciſcum II. filium adhuc impuberem. Cuius pacis cauſa Romæ à Pontifice more maiorum inſignes ſupplicationes habitæ, lætitiæ ſigna edita. At Paulus Henrici regis morte audita, eorum, quæ in eo regno poſt eius obitum acciderant præſagus, publicè illachrymauit, Regnique illius vices indoluit. Cæterùm Henrici Regis mortem, grauis ægritudo pontifici ſubſecuta eſt, qui aqua intercute laborans, diu in quibuſdam Palatij Vaticani cubiculis recluſus medicorum conſilio fuerat: Itaque creſcente morbo, quum eius vita deſperata eſſet, ad XI. Kalend. Septembris hora XII. Pontifex, qui ſibi mortem inſtarę ſentiebat, Cardinales omnes euocare iuſſit, quibus in eius cubiculum conuenientibus, admirabili eloquentia, qua erat præditus, orationem habuit, ita præfatus: Viam vniuerſæ carnis ingredimur, diutius viximus, quàm ſperare potuiſſemus, &c. Primumque ab eis petijt, vt ſi remiſſior in ſenatu cogendo fuiſſet, quam ſui officij ratio poſtulare videretur, id ætati, & incommodæ valetudini tribuerent: deinde vt conſentirent in optimo pontifice deligendo. Poſtremo ſanctæ Inquiſitionis officium, quod (vti eſt) ſanctiſſimum appellabat, & quo vno niti affirmabat apoſtolicæ ſedis auctoritatem, eis commendauit, multiſque præterea dictis, verbis, diligenter ſe excuſando, vegeto planè animo patres dimiſit. Quum Bartholomęus Cueua Hiſpanus Cardinalis vir bonus & pius, Iacobo Sabello Cardinale aſtante, patrio ſermone eum conſolaretur, diceretque inter cætera, admodum ægrè ferendum eſſe tantæ pietatis pontificem, eo potiſſimum tempore Reipublicæ Chriſtianæ eripi, quo cũctis diſſidijs pacatis, in Eccleſiæ reſtitutione eius opera maximè neceſſaria videbatur: Ipſe illico eadem lingua Hiſpana, ſe ita vitæ ſuæ curſum inſtituiſſe reſpondit, vt quoties ex hac mortali vita ei abeundum eſſet, dei vocationem propenſo & iucundo animo ſuſciperet: proinde alacriter admodum ſe hinc emigrare, quum quod hanc Dei voluntatem eſſe proſpiceret, tum quod eum catholicę fidei defenſorem à Deo Optimo Maximo delectũ relinqueret, Philippum ſcilicet Hiſpaniarum optimum regem, cuius pietate, & virtute Rem-

publicam

publicam Chriſtianam afflictam proculdubio recreari, & reſtitui poſſe non dubitabat. Moribundi verò ſuprema verba fuere: Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domũ domini ibimus. Eo iam animam agente, apertæ ſunt ſtatim vetere inſtituto omnes vrbis cuſtodiæ, & à furẽte populo, qui per vrbem veluti amẽs diſcurſabat, cum Tabularijs incenſus eſt carcer nouus Inquiſitionis, ijs qui eo tenebantur emiſſis. Intẽtatum quoque in ſacram Dominicanorum ædem ad Mineruam incẽdium eſt, à qua vix piorum precibus permoti ſeditioſi quidã manus abſtinuere. Deceſſit autẽ Paulus XV. Kal. ſeptembris, hora vigeſima prima, anno ∞ DLIX. ætatis ſuæ III. & octogeſimo, menſe vno, diebus XXII. Põtificatus verò quarto ſupra menſem ſecũdum, & diem XXIIII. Cadauer Canonicis ſancti Petri feretrum ſuccollantibus in baſilica Vaticana tenui pompa delatum eſt, & pręter morem metu populi militari manu aliquandiu cuſtoditũ, lateritio ad tempus tumulo ſepultũ. Pius V. quum eius beneficio gratus eſſe potuerit, magnificũ ei è nobili marmore monumentũ ad Mineruę ſeptimo poſt mortẽ anno, Pyrrhi Ligorij Neapolitani Architecti opera, maiorum ſuorũ ſacello extruxit. Vacauit tũ ſedes menſes quatuor, & dies ſeptem. Quo ſtatim vita functo, quorũdam priuatorum ciuium impulſu, curſu ad Capitolinũ ab exagitata & furente plebe facto, caput cum dextera manu eius ſtatuæ, quæ in Palatio conſeruatorũ magno ſumptu è pario marmore nobilis artificis manu poſita, erat præciſum, & per vrbem triduo prouolutum, tandem in Tiberim bonorum quorundam virorũ miſericordia, quum iam populi exaturati rabies langueſcere cœpiſſet, proiectum fuit: Cautumque populi Romani edicto, incerto auctore promulgato, vti Carafæ familiæ inſignia ex vrbe tollerentur, propoſita, ſi quis non obtemperaſſet, perduellionis pœna. Itaque eo die nullum penè in vrbe Carafarum inſigne reliquum fuit. Malefactorum ſcilicet homines ſunt tenaciſſimi, benefactorũ verò ijs plurima leuior eſt gratia. Fuit Paulus Quartus ſtatura magna, corpore gracili, ore ſubtriſti, & minaci, vultu macro, oculis introrſus recedentibus, & vehemẽti obtutu ſcintillantibus, naſo paruo, rara & breui barba. Valetudine fuit alioqui proſpera, & qui nunquam medicorum opera vſus fuiſſet, quanquam in victu nõ admodum diligens eſſet. Cæterùm liberalitate, religionis tuendæ, conſeruandæq; zelo ſuper omnes retro pontifices maximè clarus, & quo pontifice primùm hominum & clericorum præſertim moribus deprauatis, ſalutaribus legibus certũ remedium eſt adhiberi cœptum: confirmandæ enim ac reſtituendæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, in quam mirificè perturbatam eius pontificatus inciderat auctor & princeps extitit, ita vt ex eius fonte cogitationum rationumque multa ſacri Tridentini Concilij decreta profluxiſſe poſtea videantur.

## PIVS IV. PAPA.

228. Pont. MEdiceorum gentis, quæ Florentiæ ex popularis ordinis honorifico tamen ſtatu, ad ſummam dignitatem, vrbisque principatum noſtro tempore peruenit, quoſdam bellis ciuilibus, quibus ea ciuitas perpetuo laborauit, profugos, in varias terræ Italiæ vrbes, Veronam, Cremam, Orbitum, Mediolanũ cõceſſiſſe, qui hactenus ex ea gente, in ipſis ciuitatibus ſuperſunt, teſtimonio ſunt. Eam familiam, quæ Mediolani ſubſtitit Bernardinus Corius, hiſtoriæ Mediolanenſis accuratus ſcriptor, & veteres quidam annalium Florentinorum ſine nomine auctores memoriæ prodiderunt. Vetuſta Mediceorum Florentiæ inſignia pilæ rubeæ incerto numero, aurea parma fuere, quæ nouem primò, deinde octo, poſtea ſeptem, nouiſſimè ſex trianguli ſpecie cõcinnatæ, ſuperioris ordinis mediam Regum Frãcorum inſignibus, ex eorundem dono decoratã habuere. At Mediolani vetuſti Mediceorum clypei rubei coloris pilam tantum auream tuliſſe adhuc conſpiciuntur. Hi poſtea Florentinis ſimiles facti, Mediceorum Mediolanenſiũ fortuna à Meleniani Marchione inſtituta, Pij IIII. pontificis maximi pater Bernardinus Mediceus Ioannis Iacobi filius honeſtę inter ciues ſuos conditionis publicorumque vectigalium redemptor, ex vxore Cæcilia Sorbellonia ad XIIII. filios ſuſcepiſſe traditur, ex quibus decem ad maturã ætatem peruenerũt, quinque mares, & totidem fœminæ. Natu maximus Ioãnes

Iacobus



Iacobus fuit, is rei militaris gloria præſtãs, cũctis artibus, ex tenui fortuna in ampliſſimam dignitatem euectus, Meleniani Marchio factus eſt, quem præclarum familiæ ſuæ ornamentũ, & felicioris fratris fortunæ præcipuum auctorem fuiſſe conſtat. Poſt eum Pius IIII. natus eſt, Ioannes Angelus ante pontificatum vocatus. Tertius Ioannes Baptiſta fuit, vir bellica, & domeſtica laude clarus, qui anno ſalutis ∞ DXLV. obijt: Quartus Auguſtus Meleniani poſt fratrem Marchio, fratri põtifici parum gratus adhuc ſuperſtes. Nouiſſimus Gabriel anno ∞ DXXXI. in obſidione oppidi Leuci, bello, quod cum eiuſdem fratre Marchione Franciſcus Sfortia Inſubrum dux geſſit, tormenti ictu apud Mandellum occiſus. In quo iuuene præcipua animi, corporisque militaris fortitudinis ornamẽta fuiſſe referuntur. E ſororibus Pij IIII. tres, Maria, Lucretia, & Anna, ſacræ Deo dicatæ virgines in monaſterio, quod Virginum dicitur, ordinis ſancti Dominici, à ſtrictiſſimo viuendi inſtituto de obſeruãtia appellato: duæ verò in matrimoniũ datæ fuere: Harum natu grandior Clara Vulcano, aliàs VVolf Comiti Altæmpſio nobili Germano in diœceſi Cõſtantiẽſi nupſit, mater Marci Scitici Cardinalis, Annibalis, & Gabrielis Comitum: minor vero Margarita Giberto Borromæo nobiliſſimo Mediolanenſi Comiti Aronæ deſponſa, Carolũ Cardinalem, & Fridericum Cómitem, duasque fœminas genuit, quarũ maior Iſabella ſacra virgo in eodem monaſterio Virginum Deo addicta Coronæ nomẽ accepit, minor verò Camilla auunculo Pio IIII. creato, Cęſarem Gonzagam Ferdinandi V. C. filiũ maritum habuit. Natus eſt Pius IIII. anno ſalutis nonageſimo nono ſupra milleſimum, ac quadringenteſimũ, pridie Kalend. Aprilis, ſanctiſſimo Paſchatis die, quum forte mater è ſacris myſterijs doloribus partus tentata domum redijſſet, Mediolani in regione Portæ nouæ, vico, qui Moronum dicitur, parœciæ ſancti Martini ad Nuſigiam ab eius auiæ paternæ Concordiæ maioribus, qui Nuſigij dicebantur, conditæ, & prouentibus auctæ. Parẽtum cura liberalibus diſciplinis ab ineunte ætate imbutus, cum adoleuiſſet, Papiæ & Boloniæ logicæ, philoſophiæ, & medicinæ ſtudijs primùm, deinde iuri operã dedit, vbi etiam Ruino præceptore vſus, doctoratus inſignia conſecutus eſt. Poſtea in patriam reuerſus, & in iuriſperitorum collegium cooptatus, aliquandiu induſtriæ forenſi ſe dedit, Hieronymo Morono familiæ ſuæ patrono ei maximè ſuffragante: demum cùm frequentibus bellorum procellis patria exagitata, in ciuili otio ibi degere non poſſet, ad vrbem profectus, eam VIII. Kalend. Ianuarij ineuntis anni ∞ DXXVII. eadem circiter hora & die primùm ingreſſus eſt, quibus trigeſimo tertio anno pòſt, Romanum põtificatum ibidem obtinuit. In patriã deinde reuerſus, bello, quod cum fratre ſuo Marchione Meleniani in expugnatione Leuci Franciſcus Sfortia Mediolani dux gerebat, obſes datus, in arce Mediolanẽſi mortẽ vix euaſit, quum Marchio inita cum duce pacta violaſſe videretur. Tandem liber dimiſſus, Romã redijt, vbi fratris Marchionis, cuius tum bellicæ laudes celebrabãtur, ſtudio & ope à Clemente VII. ſummo põtifice inter Protonotariorum, qui participes dicuntur, collegium adſcitus eſt. Aditu iam ad maiora patefacto, Alexãdrum Farneſium Epiſcopum, Cardinalẽ Oſtienſem, ac tum eius ordinis principem, qui poſt Clementis VII. obitũ pontifex Romanus fuit, ſtudioſus obſeruare, & perquã aſſiduus colere cœpit, vnde illius cum eo principe origo manauit amicitiæ. Põtificatum Paulus III. adeptus, quum eius viri non mediocrem in rebus gerendis dexteritatem nouiſſet, multis eum publicis muneribus honeſtauit. Primùm enim anno ſalutis ∞ DXXXIIII. initio pontificatus illum Auſculanis Picentibus, deinde anno pòſt Tifernantibus in Vmbria, tertio poſtremum Parmenſibus præfecit. Quas vrbes in fide & quiete continuit, ipſarum verò iuriſdictiones non ſine integritatis, prudentiæ, ac æquabilitatis opinione geſſiſſe refertur. Nicęæ verò quò in Pauli III. pontificis comitatu profectus erat, ita cum eo & Cæſare egit, vt duobus fratribus Marchioni Meleniani, & Ioanni Baptiſtæ ex arce Mediolanenſi, vbi quorundam peruerſorum hominum conſpiratione, ob inuidiam ex virtute contractam, in cuſtodia detinebantur, liberè abire Cæſare permittente licuerit. Annis deinde ∞ DXXXIX. Fano fortunæ, ∞ DXL. Parmẽſibus iterum iuri dicundo ſumma cum laude præfuit. In Parmẽſi pręfectura

ante

ante tempus Verulano Cardinali legato ſucceſſit,qui non niſi per annum præ-
ter leges,quæ biennium præſcribebant,in ea legatione fuerat:Vbertum Gamba-
ram ipſe ſucceſſorem habuit.Ter eccleſiaſtici exercitus quæſtor, quem commiſ-
ſariũ vocant,poſtea fuit,bis in Pãnonia cõtra Turcas, ſemel in Germania bello
Caroli V.Imperatoris cõtra Smalcaldici fœderis ſocios. Anno enim ∞ DXLII.
quando Italicæ aliquot cohortes à Paulo III. lectæ, Alexandro Vitellio duce in
Pannoniam inferiorem ad Pæſtanum bellum profectæ ſunt,Ferdinando Cæſari
aduerſus Solymanum Turcarum tyrãnum maximis equitum peditumq́ne co-
pijs,Vngaris,Chriſtianis terribilia arma inferentem,ſuppetias laturæ ipſe ab eo-
dem pontifice delectus eſt,qui comes Vitellio adeſſet,& militibus ſtipendia pro-
curaret:quo bello bombardæ ſonitus prope eius caput volantis dexteræ auris au-
ditum labefactauit:auctis verò familiæ honoribus, Danubianæ claſſi præfectus
eiuſdem frater Marchio Meleniani fuit.Eo nomine magnam apud ipſum Regẽ
gratiam ita inijt,vt inde diſcedens ab eo multa cum virtutis commendatione
regijs muneribus donatus ſit.In Italiam reuerſus anno ∞ DXLIII. cùm de limi-
tibus inter Ferrarieſium ducem,& Rempublicam Bononienſem, non leuis or-
ta eſſet contentio,finium terminãdorum diſceptator & arbiter Buſſeti à Põtifi-
ce conſtitutus,tunc eam controuerſiam compoſuit. Rurſus cum Turcica arma
in Pannonia perſtreperent,Viennaq́ue Auſtriæ ab ijs acriter premeretur, & qua-
tuor millia hominum Italici peditatus à Paulo Papa Regis Romanorum Ferdi-
nandi auxilia miſſa Duce Ioanne Baptiſta Sabello illuc contenderent, ipſe iterũ
generalis Pontificius quęſtor illi adiunctus eſt,ex qua prouincia rediens benignè
à Pontifice receptus,nobili Anconitana gubernatione anno ∞ DXLIV.hone-
ſtatur.Affinitate poſtmodũ ab eodem pontifice cum eius fratre Meleniani Mar-
chione anno ſequenti contracta (ipſe enim Marciam Vrſinã Comitis Pitiliani
filiam Pontificis nurus ſororem vxorem duxit) Archiepiſcopus Epidaurenſis in
Dalmatia (Raguſinus hodie dicitur) creatus eſt. Anno ∞ DXLVI. cum magna
Germaniæ pars nouorum dogmatum labe infecta aduerſus Pontificiam Cæſa-
reamq́ue maieſtatem rebelles animos induiſſet, & formidabili bello concitato
Orthodoxis hominibus extrema quæq; minaretur, Paulus Papa tuendæ ſacro-
ſanctę religionis cauſſa, tres lectiſſimas Italici roboris legiones equitumq́ue
inſignes turmas Alexandro Farneſio legato, & Octauio eius fratre Duce, ad eos
motus comprimendos Carolo V. Auguſto auxilio miſit. Qua in expeditione,
ipſe tertio ſupremus quæſtor eo amandatus eſt. Quum autem id bellum feliciter
confectum fuiſſet, & memorabilis de Germania deuicta triumphus actus eſſet,
ipſe in Italiam reuerſus, anno qui ſecutus eſt ∞ DXLVII. Bononiæ prolegato,
Ioanne Morone Cardinale legato eſt renuntiatus. In qua adminiſtratione Pe-
tro Luiſio principe interfecto, & Placentia à Cæſarianis ducibus occupata, Par-
mam profectus, & amicorum opibus, quos ibi habebat adiutus, militum manu
collecta, vrbem valido præſidio firmatam ſua vigilantia in eccleſiæ fide confir-
mauit. Nouiſſimè anno ∞ DXLVIII. Peruſiæ, Vmbriæque prætor factus, Iulio
Ruuereo Vrbinate Cardinale legationem obtinente, per annum ferè ſanctè, &
integrè ei muneri præfuit. In quo abſens à Paulo III. Papa VI. Idus Aprilis anno
∞ DXLIX. tanquam de republica Chriſtiana, ſanctaque ſede Romana meri-
tus, presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ tituli Paſtoris lectus, haud ita mul-
tò pòſt Romam profectus eſt. Paulo III. mortuo, quum Iulius III. qui illi ſucceſ-
ſerat, bellum auctore Cæſare Carolo V. Octauio Farneſio Parmenſium duci in-
dixiſſet, quod præter ſuam ſententiam (vt ipſe dicebat) cum Gallorum Rege Hẽ-
rico, maximo Cæſaris damno, ſocietate inita, fœdus percuſſiſſet, Gallicaq́ue in-
tra vrbem præſidia recepiſſet, ipſe eccleſiaſticarum copiarum more maiorum à
Pontifice legatus miſſus eſt, Ferdinando Gonzaga totius exercitus Duce crea-
to. Bello non ſine ipſius conſilio, & ſolertia tandem compoſito, Romam re-
uerſus, & à Cæſare epiſcopatu Caſſanenſi in Brutijs ornatus, pontificibus Iulio
III. & Paulo IIII. ſignaturæ gratię perpetuo, aliquando verò in locum Cardi-
nalis abſentis vel mortui iuſtitiæ præfuit: Relicto dignitatis ſuæ priori titulo,
titulum Sancti Stephani in monte Cęlio, mox ſanctę Anaſtaſię cepit. Paulo





IIII. minus gratus fuit, qui in illum publicè in cõſiſtorio & aperte inuectus fu-
erat, quod ex non bonis artibus archiepiſcopatum Mediolanenſem procuraſſe
diceret. Quare eo rerum potiente, quum ſibi Romæ commorãdum eſſe non ar-
bitraretur, tuendæ valetudinis cauſſa, ad balnea Lucenſia primùm profectus, po
ſtea deſiderio videndæ fruendæq; patriæ Mediolanum concedens, ibidem ædi-
bus à fratre Marchione Ioanne Iacobo cœptis perficiendis deditus, iucundè, &
honeſtiſsimè vixit, diem interim nullum prætermittẽs, quo literarijs ſtudijs nõ
incumberet. Delectabatur in Cardinalatu viris egregijs, literatis præſertim, eo-
rumq; conſuetudine libentiſſime vſus eſt, ita vt eius menſa doctorum virorum
quaſi quoddam gymnaſiũ eſſe videretur, quod ego qui non ſemel interfui, meo
ipſe teſtimonio poſſum confirmare. Prono ad miſericordiã ingenio, tũ ex con-
ſuetudine ac ſermone, tum ex rebus quas geſſit ſemper habitus eſt: nam præter
occultas largitiones, publicè etiam quotidie omnibus inopia laborantibus, &
oſtiatim victum quærentibus, tãtum ad ſubleuandas eorum miſerias diſtribue-
bat, quantum pro diuturno victu ſatis ijs eſſe poſſet, ex quo pater pauperum vul-
go vocari cepit, ſed tum præcipue, quum vrbe Tiberis inundatione Paulo IIII.
fame vexata quicquid in horreis ad familiæ ſuæ annuum vſum condiderat, li-
beraliter ad egenæ plebis ſuſtentationẽ primis menſibus deprompſit. Quum fra
ternam hæreditatem adijſſet, veritus ne fratris cauſa, qui varijs præfuerat bellis,
aliqui iacturam bonorum ſuorum feciſſent: reditum annuum aureorum mil-
le, ex fraterno cenſu magnæ Mediolanenſium domui pauperum hoſpitali aſsi-
gnauit. Ingenium mite, neque ſolers, neq; calidum præ ſe ferebat, ita vt à cunctis
vir ſimplex & clemens haberetur. In amicos liberalis, omnibus comis & perhu-
manus, iuſtitiæ cultor, nefariorum hominum hoſtis acerrimus in ea ciuitate,
quæ mores hominum diligenter examinare ſolet, omnium conſenſu exiſtima-
tus eſt. Quarum haud dubiè virtutum opinione, gradum ſibi ad maximum ſa-
cerdotium fecit. Paulo IIII. vita functo, quum Cardinales in conclaui eſſent,
columba caſu ſacellum Xyſtinum per feneſtras ingreſſa, diu circumuolitauit,
donec feſſa cum admiratione omnium auis quietem expectantium, eius cellæ
inſedit, quæ res tunc luſui habita, ipſo pontifice renunciato, in prodigium ver-
ſa eſt. Vnus enim ipſe, poſt diuturnam quatuor mẽſium ob varias Cardinalium
diſſenſiones pontificatus vocationem, tandem ex presbytero Cardinale tituli
ſanctæ Priſcæ potiſſimè electus eſt Romanus põtifex, qui ſua humanitate, & cle-
mẽtia vrbem Romam ſuperiori bello afflictam recrearet, quam ſpem cõfirma-
re omnino & augere viſus eſt, Pij nomine ſibi indito. Pontifex autem maximus
creatus eſt omniũ Cardinalium ſuffragijs, qui quatuor & quadraginta tum co-
mitijs apud Sanctum Petrum interfuere, Carolo & Alfonſo Carafis in primis,
Alexandro deinde Farneſio, Guidone Aſcanio, Sfortia Camerario, Cardinaliq́;
Guiſio maximè ſuffragantibus, hora inter ſeptimam & octauã eius noctis, quæ
diẽ nataliciũ ſaluatoris noſtri IESV Chriſti inſecuta eſt, anno ſalutis ∞ DLX.
ineunte, tanta mortalium omnium qui adfuerant lætitia, quanta pauciſſimos
antea ad eiuſdem ſacerdotij dignitatem perueniſſe conſtat. Quibus ego quoque
comitijs tum fortè interfui, & ſingula quæ gerebãtur contemplatus, cuncta ocu-
lis, & auribus haud ſegniter perluſtraui. Epiphaniæ dèmum feſto de more coro-
natus, meruit vnus, quod non temere alij vni eueniſſe cõſtat, vt tribus celebrio-
ribus anni totius Paſchatis feſtiuitatibus naſceretur, ſimul & pontifex creare-
tur, ac ſupremæ demum caperet inſignia poteſtatis. Ei ſpectaculo magna vis ho-
minum vndique confluxit. Pluuerat tota ea nocte, & diei parte, vnde marmorei
ante baſilicam Vaticanam gradus, & eorum præcinctiones lubricæ admodum
factæ erant. Ea re in ſolenni nummorum iactu, in eiſdem ſcalis inſignis homi-
num ſtrages fuit, pecunias auidè arripere cupientium: nam neque ſe eo impetu
ſuſtinere à lapſu poterãt, nec ſi qui paululum titubaſſent, hærere afflicti veſtigio,
alijq; ſuper alios cadentes miſerè perierunt. Circiter XVIII. homines ea tur-
ba necati, ſupra XL. luxati, & eliſi, quod miſerabile ſpectaculum fuit, ac à qui-
buſdam ad ipſius põtificatus res geſtas pro omine relatum. Pontificatus initio,
quò re ipſa præſtaret, quæ Pij nominis appellatione pollicitus fuerat, clemen-

tiam dico & humanitatem, omnium pene Cardinalium, ſed præcipuè Carafarum, qui alioqui læſi videbantur, precibus, populo Romano omnium eorum veniam condonauit, quæ in Pauli I I I I. marmoreum ſimulachrum, inſigniaq́;, & ſanctæ inquiſitionis contumeliam, ac dedecus vacante ſede commiſerat, dãna modò ac detrimenta illata, quoad poſſet ſuis ipſe ſumptibus ſanctæ inquiſitionis officio ſarciret. Ad V. Kalend. Februarij Baſilica Lateranenſi antiqua pontificum ſede, vetere inſtituto viſitata, oratoribusq́; totius orbis Orthodoxi principum, id eſt, Cæſaris, Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Polonię, Nauarrę, Venetorum, Alobrogum, & Florentiæ ducum, Genuenſium, Lucenſium, Heluetiorum, qui recte ſentiunt, Mediolanenſium ciuium, Ducibusq́; Ferrariæ, & Vrbini publicis in conſiſtorijs ad ſui venerationem more ſuperiorum pontificum receptis, animum ad eccleſiæ, & vrbis ſtatum diuturna ſedis vacatione, & difficili bello geſto penè labefactatum, componendum conuertit. Inito pontificatu, ſtatim alienam perſonam, alienos mores induiſſe viſus eſt. Nã qui hactenus humanus, patiens, beneficus, gratus, mitis, pecuniæ minimè cupidus exiſtimatus fuerat, derepente naturam mutaſſe apparebat. Ante omnia igitur quæcunq́; Paulus I I I I. præter Curiæ Romanæ mores, & iam receptam à ſuperioribus pontificibus conſuetudinem, publicis edictis, vel diplomatibus nouauerat, diſquirens, ob multorum quærimonias, qui ſe Pauli ſanctionibus male habitos lamẽtabantur, mutauit cauſſarum cognitionem, & explicationem ad rectã communis, & vſurpati Iuris rationem, inductis prioribus decretis, paulatim reuocauit, idoneosq́; iudices, qui quæſtionibus huiuſmodi præeſſent, viros graues & prudentes delegit, iudicijs ex æquo conſtitutis. Ferdinandi Cæſaris Imperatoriã dignitatem translatam in eum ab eius fratre Carolo V. quam Paulus I I I I. improbauerat, ratam habuit, eiusq́; tanquàm legitimi, & Catholici Imperatoris legatos perhonorificè ſuſcepit. Cõclauiſtarum priuilegia confirmauit. In patriam gratus, collegio doctorum Mediolanenſium, è quorum corpore ipſe aliquãdo fuerat, Rotæ auditorem, & Conſiſtorialem aduocatum perpetuò conceſſit. Sanctionem quam ipſe Paulus de bonis eccleſiaſticis male, & ſimoniace alienatis non mediocre multorum damno ediderat, iuxta vetera decreta moderatus eſt. Quam tamẽ paulò ante obitum in integrum reſtituit, Cardinalesq́; Vitellium Camerarium, & ſancti Georgij propinquum ſuum, iudices delegauit, qui de ijs cognoſcerent, qui ſedem apoſtolicam quauis ratione fraudaſſent, ſolidataq́; cõputa ac ſi nunquàm confecta eſſent reuiderent, pecuniam ex compoſitionibus ea ratione quærens. Monachorum, & fratrum mendicãtium, quos in monaſteria, vnde poteſtate à ſuperioribus pontificibus impetrata exierant, Paulus redire ſeueriſſimo edicto coëgerat, cauſſas iterũ cognoſci voluit, vt ijs, qui canonicis legibus id ſe feciſſe probaſſent, ſuum ius redderetur. Aliquot magnæ exiſtimationis viros, quos ob hæreſis ſuſpicionem Paulus carcere afflixerat, cognita eorum per ſanctiſſimam inquiſitionem innocentia, omni cum iniuria eripuit, tum ſuſpicione liberauit: inter hos præcipuè Cardinalem Ioãnem Moronum, & Thomam Sanfelicium Epiſcopum Cauenſem. Epiſcopis, vt ad ſuas eccleſias, & curandos ſibi commiſſos greges reuerterentur, præcepit. Vt Regreſſus à Paulo I I I I. ſublatos concederet agitauit. Cæterùm Concilij ab ſe indicendi cauſſa ab eis ſententijs deſtitit. Per id tempus inſignis Chriſtianis clades à Turcica claſſe illata eſt, quæ in Catholici regis Philippi claſſem nauibus milite & commeatu inſtructiſſimam bellum Punicum adornãtem de improuiſo irruens eam oppreſſit, cunctos qui Girbæ Inſulæ præſidio impoſiti fuerant expugnatos, captiuos abduxit. Ea clade Chriſtiani nauali omnino exiſtimatione exuti, ingentem immanium barbarorum audaciam auxerunt. Põtifex interim, vel eorum memor quæ in ſui contumeliam Cardinalis Carafa in cõclaui dixerat, vel Ducis Paliani regiæ pro ducatu Paliani compenſationi (vt fama fuit) pro ſororis filio inhians, aut (quod ipſe aiebat) vt Romanorum pontificum propinquis ſalutare exemplum relinqueret, vt populos ſibi creditos clementer acciperent, & publica negocia pro eccleſiæ dignitate conficerent, ſpecie vindicandi ea crimina, quæ Carafæ patruo Pontifice, & bello potiſsimum Neapolitano patrauerant, quæ-

ſtionem



ſtionem capitalem in eos inſtituere eſt aggreſſus. Ita vt ad V I I. Idus Iunij ∞ D L X. quo die quinto antè anno, Carafa purpurei pilei honore donatus fuerat, Carolum ipſum & Alfonſum Cardinales ad conſiſtorium profectos, Ioannem verò Caroli fratrem, & Montorij Comitem Paliani Ducem tum vocatum, qui paulò antè ex Galleſio Faliſcorum oppido in vrbem cum ipſius põtificis licentia venerat, vxorisq́ue eius fratrem Comitem Allifanum, Leonardumq́ue Cardinem fratrum propinquum, nihil tale ſuſpicantes, in Hadriani molem, & per eoſdem dies aliquot alios Carafiæ domus clientes in publicum carcerem conijci mandauit. Omnium quæſtionibus relatores præfecit. Vrbis gubernatorem Hieronymum Fredericum, Epiſcopum Sagonenſem miniſtrum impigrum, audacem, & acris virum ingenij. Alexandrum Palanterium procuratorem Fiſci. Vt autem hoc iudicium rite peragere videretur, Cardinalium quæſtioni octo eiuſdem ordinis patres integritate, & iuſtitia inſignes Fridericum Cæſium Epiſcopum, Bartholomæum Cueuam, Ioannem Michaëlem Sarracenum, Ioannem Baptiſtam Cicadam, Michaëlem Alexandrinum, Ioannem Bertrandum presbyteros, Iulium Ruuereum, & Luiſium Cornelium Diaconos Cardinales adeſſe iuſſit, omnium inſpectores Gubernatori & Fiſcali aſſiſtẽtes. Quibus coram interrogati rei, Cardinalis Carafæ ſcriptæ literæ productæ, & quæſtionum principia agitata. Nouiſsima verò cauſſæ cognitio ijs non admiſsis, quum per nouem menſes inſtituta, ſingulorumq́ue obiecta examinata fuiſſent, Pontifex ſeorſum quæſtiones videre voluit. Poſtremò, vt totius iudicij ſeries ab omnibus patribus cognoſci poſſet, tota cauſſa ad pontificem pleno in conſiſtorio ab eodem, qui quæſierat Gubernatore diei ſpatio relata eſt, non auditæ tamen patrum ſuper ea re ſententiæ fuere. Tunc Carolus Cardinalis maieſtatis ab ipſo pontifice damnatus, & omnibus honorum gradibus exutus, curiæ (vt vocant) ſæculari caſtigandus traditus eſt: qui cum Comitibus Montorij, & Allifano, Leonardoq́ue Cardine ab vrbis Gubernatore maieſtatis, & homicidij damnatis, morti eſt addictus, iudiciq́ue rerum capitalium mandatum, vt iuxta ciuiles ſanctiones, lege in eos ageret. Sic ſententijs in Cardinalem à pontifice, in Ducem verò à Gubernatore vrbis ſubſcriptis, Carolus in Hadriani mole carnificis manu nocte, quæ Nonas Martias præceſsit, ſtrangulatus: Comites, & Cardines in Turris nouæ carcere capitali ſupplicio affecti, maxime memorabile ſpectaculum, inſolensq́ue inſtabilis fortunæ ludibriũ, in publico ad pontem Aelium expoſiti, & paulò pòſt ad damnatorum ſepulchra relati, populo Romano attonito, & quorſum iſthæc tenderent admiranti, præbuerunt: ijs verò qui ſecundiori aura altius prouecti, extra omnem ſortem ſeſe collocatos exiſtimant documentum memorabile, quum omnes paſsim confluerent ad eos ſpectandos, qui miſerabiliter ab eo pontifice, quem ipſi potiſsimum ad tantæ poteſtatis culmen euexerant, extincti, nutu, renutuq́ue ſuo cuncta moderabantur. Ducis præſertim caſum animo reputantes, quem paulò antè inſigni militum, & equitum manu ſtipatum, ac per vrbem more penè Regio incedentem conſpexerant, tunc verò eius corpus capite truncum miſerabili aſpectu publice collocatum viderent. Illud memoratu dignum, vtroſque fratres non ſolum religioſè, & piè quemadmodum optimos Chriſtianos decet, cum pœnitentiæ ſacramento exceſsiſſe, ſed fortiſsimo animo tantam calamitatem, perinde ac à Deo iuſſam, excepiſſe. Ducis admirabilis conſtantia fuit, qui paulò ante obitum & ſocios metu cædis conſternatos egregia oratione ad mortis cõtemptum adhortatus eſt, & literas pulcherrimas filio iuueni ſcripſit optimis monitis refertas, quibus ei Chriſtiano more bene precabatur. Cardinalis cadauer in propinqua diuæ Mariæ Tranſpontinæ æde publico ſepulchro datum, mox ab eius familiaribus ad Mineruæ translatum, & in familiæ eius ſacello conditum eſt. Inter multas præcipue damnati Cardinalis cauſæ in quæſtionum codicillis relatæ ſunt, quòd ſenem pontificem Paulum, quanquam in bellum pronum, tamen bellicarum rerum imperitum, falſis nuntijs & conſilijs decepiſſet, multos & maximè dignationis viros eius belli occaſione vexare iuſſiſſet: quodq́ue varias literas, & notas arbitrarias ementitus, eius vnius præcipue opera quinquen-

nalibus inter reges Hiſpaniæ, & Galliæ ictis inducijs fractis, totum id bellum, quod Paulus geſsit ſuſceptum, diutiuſque non ſine magno Sedis Apoſtolicæ detrimento productum fuiſſet. Comiti præter crimen læſæ maieſtatis, & ſocijs, vxoris grauidæ & adulteri indicta cauſa cædes obiectæ. Fuerunt plerique eo tempore iureconſulti, qui conſtantiſsimè aſſeuerarunt, iudicium id iniquum fuiſſe, quum Cardinalis ſine teſtibus, ex ſuis tantum litteris, eorum redargutus damnatuſque fuiſſet, quæ Pauli IIII. iuſſu ab ſe facta eſſe contendebat, ijs quæ ſibi obiecta fuerant more Romano quæſtioni, & tormento ſubiecto, non expreſsis, dilationibus quas petebat non conceſsis, patronis verò eius raro auditis. Pontifex verò videri voluit, eos non eo conſilio vinxiſſe, vt morti traderet, at in quęſtionibus habendis exacerbatus, magnitudinem demum rei intellexiſſe, quum ei perſuaſum eſſet, Cardinalē animi excelſi & intrepidi, ſi dimitteretur, in ſuorū quempiam aliquando impetum facturum. Quo timore eum ſemel grauiſſimè læſum tolli iuſsit, in reliquos clementiùs, quos minus peccaſſe profitebatur, haud dubie acturus, ni fortuna ijs aduerſa pontificis inflammatum animum impuliſſet, vt eos potius perdendos, quàm Cardinalem conſeruandum exiſtimaſſet. Aliquanto mitius cum Alfonſo Cardinale, qui manſuetæ continentiſque naturæ haud dubium ſpecimen dabat, actum: ipſe nanque, qui die obitus Pontificis quædam è cubiculo eius ſubripuiſſe accuſatus fuerat, centum millibus aureorum Vitellij Cardinalis ſtudio comparatis, perſolutis, Cameræ apoſtolicæ præfectura multatus, cum reliquis omnibus liberè ea conditione tamen dimiſſus eſt, ne vrbe egrederetur. Regentatus munus à Paulo IIII. inſtitutum Alfonſi Cardinalis nomine pontifici ceſſit Vitellius. Qui illicò eo abrogato, vetus auditoris Cameræ officium reſtitutum, Flauio Vrſino epiſcopo Murano quadraginta aureorum millibus vendit. Imperatorem Cæſarem Carolum V. Auguſt. & ipſius filium Philippum Hiſpaniarum regem innocentes eſſe pronunciauit, & cunctis quæ ei à Paulo IIII. obiecta fuerant, abſoluit. M. Antonio Columnæ cognita ipſius cauſſa, paternum principatum, quo à Paulo IIII. ſpoliatus fuerat, reſtituit. Capti per id tempus, & in Hadriani mauſoleum coniecti ſunt duo alij Cardinales, Innocentius de Monte, & Scipio Rebiba Siculus: ille homicidij reus factus, quòd per proximi interregni pontificij tempora patrem & filium caupones interfeciſſet: hic tanquam Carafarum arcanorum conſcius. Vtrique poſt annum liberè dimiſsi. Montanus quidem opulentiſsimis tribus ſacerdotijs S. Sabbæ, Cryptæ Ferratæ, & Miramundi ſpoliatus, Tibur relegatus eſt. Miramundum magnæ hoſpitali domui Mediolanenſi pontifex addixit. Cryptam Ferratam dimidiatis redditibus Alexandro Farneſio Cardinali ea lege tradidit, vt totidem redderet: ex S. Sabbæ redditu montem inſtituit. Rebiba verò in nullo crimine compertus, qui Archiepiſcopatu Piſano, quem à Paulo IIII. obtinuerat, paulò antè multatus fuerat, cuius vice epiſcopatum Troianum tunc, Conſtantinopolitanum verò patriarchatum paulò ante Pij obitum recepit. Interea pontifex more aliorum pontificum iam recepto, ſororum filios & filias ad ſe euocatos, varijs & nobiliſsimis matrimonijs, & dignitatibus honeſtatos, ad ſublimes honores euexit. In his Carolum Borromeum iuris ſcientia præditum, & Marcum Sciticum Altæmpſium ſororum filios in patrum collegium adſciuit, Borromeumque perhumanum, modeſtiſsimum, pientiſsimumque virum negocijs omnibus eccleſiaſticis tractādis præfecit. Eius fratrem Fredericum Comitem Aronæ, qui Virginiam Ruueream Guidonis Vbaldi Vrbinatium Ducis filiam vxorem duxerat, regia Carafarum compenſatione donatum, totius militiæ eccleſiaſticæ gubernatorem, mox ducem generalem cum menſtruo mille aureorum ſalario, tradito ſolenni ritu baculo, creauit, & (vt fama fuit) Camertium principatum ei tradere conſtituens, litem Farneſijs intentauit, qui eam Toparchiam ſedi apoſtolicæ reſtituerant, Parmæ & Placentiæ ducatu obtento. Tres Cardinalis Borromei ex patre tantum ſorores nobiliſsimis matrimonijs iunxit: vnam Fabritio Columnæ puerulo M. Antonij filio deſpōdit, alteram Fabritio Geſualdo Luiſij Conſani Comitis ditiſsimi hominis filio, tertiam alterius ſo-





roris ſuæ filio Hannibali Comiti Altæmpſio. Ducem Florentiæ & Senarum Coſmum Medicem, Romam cum vxore Eleonora, Ioanne Cardinale, & Garzia filijs ad ſe ſalutandum venientem, magnifico apparatu Palatinis ædibus excepit. Quem veteris vrbis admirabiles ruinas videndi ſtudio auidum, per integrum diem vbique circumduxi. Is poſtremo patribus cunctis ſigillatim ſalutatis, & publicis aliquot ſupplicationibus cæremonijsq; cum interfuiſſet, poſt alterum demum menſem diſceſsit. Pius enim hoſpitalitatis ſtudio maxime tenebatur. Nam præter Florentinorum ducem, eius filium Principem, qui anno inſequenti Romam venit, Vrbini, & Mantuæ duces, Tendiliæ Comitem, & Luiſium Abuſentem Philippi regis extraordinarios oratores, lautiſsimè regio more in Palatinis ædibus excepit. Per id tempus Abdyſu, id eſt, ſeruus IESV Chriſtianorum Orientalium trās Euphratem commorantium maximus patriarcha, vir doctus, Chaldaicis, Arabicis, & Aſſyrijs literis ornatus, cuius iuriſdictio interiores vſque ad Indos penetrat, Romam ad Apoſtolorum limina, & pontificē ſalutaturus, cum aliquot ſocijs longiſsimo itinere peruenit, vt ab eo confirmatus pallium de corpore ſancti Petri ſuſciperet. Pontifici oblatus ei perpetuam obedientiam promiſit, & per interpretem S. R. E. fidem profeſſus eſt, cuius ſyngrapha in Concilij Tridentini ſeſsione XXII. lecta eiuſmodi fuit: Confeſſus ſum puro corde, & fide nō ficta coram Reuerendiſsimis D D. Michaële tituli S. Sabinæ Alexandrino, & M. Antonio tituli S. Marcelli Amulio S. R. E. presbyteris Cardinalibus, in hanc formam; Ego Abyſu filius Ioannis de domo Marcia, ex ciuitate Gezira in Tigridi flumine, olim Monachus ſancti Antonij monaſterij S S. Rochæ, & Ioannis fratrum electus, primas, ſiue patriarcha ciuitatis Muzalæ in Aſſyria Orientali, Iuro quod ita corde credo, & ore confiteor, S. R. E. fidem approbatis omnibus & ſingulis illis, quæ ipſa approbat, & damnatis ſimiliter omnibus, quæ ipſa damnat, amplector & promitto, & omnes fratres meos Metropolitas ſiue epiſcopos ac diœceſanos, quouis modo meæ iuriſdictioni ſubiectos, ita tenēdum & credendum eſſe docebo, & modis omnibus pro quibus potero perſuadere conabor. Ita me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei euangelia. In quorum fidem hanc meam fidei profeſsionem, & atteſtationem manu mea ſcripſi, & cætera. Actum Romæ die VII. Martij, anno ∞ DLXII. De multis & difficillimis quæſtionibus interrogatus, ſcitè reſpondit. Cunctos veteris nouique teſtamenti libros, antiquos Græcos, Latinoſque patres, quibus nos Catholici vtimur Chaldaica, Aſſyriaca, & Arabica lingua verſos, & alios nobis ignotos, quos memoriter tenebat, ſe legiſſe dixit. Cunctos ferè S. R. E. ritus, & ſacramenta apud ſuos ſeruari docebat. Vt Concilij Tridentini decreta ad ſe mitterentur rogauit. Fidem Chriſti ab Apoſtolis, Thoma, Thaddęo, ipſorumque diſcipulo Marco, maiores ſuos accepiſſe, & hodie retinere profeſſus eſt. Redeuntem in patriam pontifex, auctore M. Antonio Amulio Cardinale, qui eum Romæ agentem fouit, amplis muneribus liberaliter donauit. Eum aliquando per interpretem alloquutus, virum eruditum, & grauem animaduerti. Eius iam ad ſuos reuerſi literas Romam allatas vidi. Cum verò Pontifex ab ipſo ſummi ſacerdotij initio, labanti Chriſti eccleſiæ confirmandæ aſsiduè intentus eſſet, generale Concilium præcipuè appetere ſemper præ ſe tulit, quod ſuperiores pontifices nō admodum cupere viſi ſunt, vel ſaltē negligentius quam par eſſet habuere. Solennibus igitur Iubileo, ieiunijs, & ſupplicationibus à Vaticana Baſilica ad Mineruæ habitis, quibus Pontifex cum Cardinalibus & Florentiæ duce pedes inceſsit, publicatis literis, generale Chriſtianorum Concilium Tridenti proſequendum eſſe, & proximo Paſchate anni ∞ DLXI. iterum inchoandum indixit. Illud verò ante omnia memoratu dignū, quod ipſe id ab alijs poſtulari, quemadmodum mos eſt, nō expectauit, ſed vltro omnes qui Chriſtiani nominis cenſentur principes & reges, per legatos, & literas ad rem adiuuandam incitauit, hortatus eſt, & quoad eius fieri potuit, ad Concilium generale inſtaurandum, celebrandumq; compulit, vt eo ſaltem remedio, quod in calamitoſiſsimis temporibus eccleſia ſemper maximū eſſe duxit, omnibus iam prouincijs deprauatæ religionis vi-

tio laborantibus, peſſimeq́; affectis, aliqua medicina adhiberetur. Verum enimuerò orta controuerſia, continuatió ne fieret Concilij Tridentini, an noua indictio, Pontifex ſalubre temperamentum, quo animos omnium componeret, inuenit, dum in promulgationis diplomate ea verborum formula vſus eſt, qua & vtrique parti fieret ſatis, & Tridentino Concilio ſua ſalua maneret auctoritas. Cuius indicti Concilij diploma, cum catholici principes Ferdinandus Cæſar, Philippus Hiſpaniarum, Carolus Galliarum, & Sebaſtianus Luſitaniæ Reges, item alij Orthodoxi principes ratum habuiſſent, omnibus ſuarum prouinciarum epiſcopis, & ijs, quorum præſentia requirebatur, vt eò proficiſcerentur iuſſere. Angliæ regina Heliſabet Lutherana labe polluta, Hieronymum Martinengum abbatem ad ſe à pontifice Cōcilij cauſſa Legatum miſſum, audire quū recuſaſſet, è Belgio in Inſulam traijcere prohibuit. Germani principes, qui noua & falſa dogmata ſequuntur, Zachariam Delphinum Pharēſem, & Ioannem Franciſcum Comēdonum Zacynthium epiſcopos, oratores pontificios honorificè quidem ſuſcepere, verùm quum nihil ſibi eſſe cum pōtifice Romano negocij, & de ea re ad Cæſarem ſe relaturos dixiſſent, eos re infecta dimiſerunt. Horum Delphinus ſuperiore Germania, ad cuius principes pontificius orator erat, peragrata, apud Cæſarem Legatus apoſtolicæ ſedis permanere iuſſus eſt. Commendonus verò Germania inferiore, Saxonia, Rhenanis oris, Belgis, Hlotharingis, deinde Germaniæ ſuperiore, & Baioaria percurſis, cunctisq́; illarum regionum epiſcopis ad Concilium inuitatis, in Italiam, Tridentum, deinde à pōtifice vocatus ad Vrbem reuerſus eſt: poſtea ad Polonos nuncius eſt ablegatus.

Tridentum interim more à maioribus accepto, Pontifex apoſtolicæ ſedis Legatos Herculem Gonzagam Mantuanum, Hieronymum Seripandum Neapolitanum, fratrum Auguſtinianorum olim magiſtrum, & Stanislaum Hoſium Polonum tunc ad Cæſarem Legatum S. R. E. Cardinales viros ampliſsimos confeſtim ire iuſſit, quibus haud ita multò pòſt Iacobum Simonetam Mediolanenſem, & Marcum Sciticum Altæmpſium Germanum ſororis filium Cardinales ab ſe creatos, legatos adiunxit. Nam inter ſex & quadraginta, quos quatuor lectionibus vel in gratiam principum, vel ob inſignem doctrinam, & religionem, vel de ſede apoſtolica bene meritos, vel ſanguine coniunctos, aut veteri familiaritate acceptos creauit Cardinales, ſacrarum literarum ſcientia, morum grauitate, & vitæ ſanctitate Seripandus, & Hoſius in primis fulſere. Præter hos viri clariſsimi fuere Granuellanus, Amulius, Nangerius, Sirletus, & alij cōplures. Ad Concilium ex Italia, & Hiſpania frequentes patres conuenere: ex Germanis, Polonis, Vngaris, & Boëmis Catholicis pauci, cauſſantes ne ipſis abſentibus epiſcopatus ſibi commiſsi inhiantium hæreticorum armis lacerarentur. Non multi ex Gallis, quod opulentiſsimum & Chriſtianiſsimum vſq; ad noſtra tempora, & apoſtolicæ ſedi obſequentiſsimum regnum feralibus, & inuſitatis Orthodoxorum & hæreticorum, qui nouo nomine Hugonoti vocantur, diſsidijs completum eſſet. Hi ab Henrici regis infauſto obitu puerorum Regum Franciſci II. & Caroli IX. adoleſcentia & orbitate abuſi, Luiſio Borbonio principe Condonenſi, & Gaſpare Coligneo (quem Amiralium vocant) præcipuis auctoribus, & ducibus, quum in omnibus Gallijs, tum præcipue in Narbonenſi, rerum nouandarum & mutandæ veteris religionis auidiſsimi, tumultuarijs equitum peditumq́; ingentibus copijs collectis, catholicos rapinis, cædibus, & incendijs vexare, ac ſæuiſsimè perſequi non ceſſabant. Lugdunum totius Galliæ emporium, Aurelia, Rothomagus, Apamiæ, Biturigium, Bleſium, Pictaui, Matiſconū, Valentia, Mons Peſulanus, Nemauſus, Bitenæ, & multæ præterea ciuitates ab ipſis captæ, ijs calamitatibus inuolutæ ſunt. Quorum furori, & amētiæ à Regis nutricijs, & conſiliarijs ſeueriſſimis edictis primùm, mox armis obuiam itum eſt. Poſt multas clades Blaſius Monlucius præfectus Aquitaniæ ſex millia Hugonotorum Duce Duraſio pugnantium cæcidit. Pontifex quoque tuendæ Aucnionis, & finitimæ regionis cauſſa, vbi maxime hæreticorum perfidia graſſabatur, aliquot militum cohortes conſcripſit, Fabricio Sorbellonio cōſobrino ei Prouinciæ præfecto. Qui Lucæ Antonij Thomaſonij Interamnatis ſtrenui & multę





experientiæ copiarum ducis forti fideliq́, opera vſus, Auenionem in fide Hugonotis Prouincia ſubmotis continuit, Aurantium ipſorum oppidum haud longè ab Auenione ſitum vi captum deleuit, præſentiq́; periculo & calamitate Prouinciam liberauit. Lucæ Antonij induſtriam Honoratus comes Sumaripæ Tendæ princeps regij exercitus in Prouincia dux intelligens, quum acriter ab Hugonotis premeretur, eum Auenione in tuto poſita, cum cohorte ſua in regis auxilium euocauit. Cuius præcipue virtute Siſtaricum vrbem munitiſſimam, quo ſe Auenione pulſi hæretici, & alij ex omni Narbonenſi tanquam in Aſylum contulerant, obſedit, ſex millia ipſorum obſeſsis auxilio venientium, deleuit, vrbem vi expugnauit & diripuit. In eo victoriæ curſu Zatum ab Hugonotis obſeſſam ijs in fugam actis periculo liberauit. Lucas virtutis ergò ab Imperatore Gallo inſigni aureo torque donatur. Galliam verò diſſidio religionis à domeſticis hoſtibus vexatam pecunijs Pontifex adiuuit. Legatum eò miſit Hippolytum Eſtenſem Cardinalem Ferrarienſem, qui turbatæ religionis rebus remedium aliquod afferret. Rebus ad arma excitatis multæ hominum ſtrages editæ, horribilia ſupplicia ab Hugonotis catholicis, & præſertim viris religioſis illata. Per id tempus Concilij Tridentini initio Pontifex Iobileum denuo indixit, ſolennia ieiunia celebrauit, Suplicationes à Sancti Petri ad ſacram Popularem ædem haberi voluit. Concilio porro Tridentino, ſub Pio IIII. initio anni ∞ DLXII. principium datum. Quod magnis incrementis producitur, pontifex Romanæ Curiæ diſciplinam perturbatam, & ſolutos aulicorum mores omni ope, & contentione corrigendos, & reſtituendos curauit, multa quæ deprauata erant, ſalutaribus ſanctionibus correxit. Quæis præcipua. Ante omnia publicis ſanctionibus patrum omnium ſubſcriptione firmatis, cōclauis, & comitiorum Romani pontificis rationem ad vetera decreta moderatus eſt, legemq́; ſaluberrimam ijs remedijs, quibus temporum malitia opus eſſe monſtrauit refertam ſanxit. Decreuit, vt ſi in Concilij celebratione Romana ſedes vacaret, noui pontificis electio penes Cardinales tantum eſſet. Illud edito diplomate ſanxit, vt nemo Romanus pontifex ſibi ſucceſſorem deligere poſſet. Cancellariæ, eiuſdem correctoris, contradictarum Cameræ apoſtolicæ, eiuſdem auditoris, ac tribunalis, camerarij, pœnitentiariæ, iudicum XII. virorum Rotæ, ſignaturæ, gratiæ, & iuſtitiæ, Gubernatoris, Senatoris, Conſeruatorum, procuratoris fiſcalis, notariorum, ſcribarum, & alia vrbis officia, magiſtratus tribunaliaq́; ſeueriſſimis edictis emēdauit. Magiſtratibus cunctis edixit, ne quid contra eiuſmodi ab ſe edita decreta conficerent. Cauſſarum ciuilium Notariatus Cameræ apoſtolicæ applicauit, eorum mercedes limitauit. Cauſſas fiſcales, & rerum capitalium quæſtiones, & multa ad ius ciuile, in quo exercitatus admodum fuit, pertinentia, hominum malitia deprauata correxit. Carcerum & cuſtodum ſalaria limitauit, extorſiones cohercuit. Homicidas homines, ſicarios, facinoroſos, & cæteros huiuſmodi, qui à magiſtratibus abſoluti non fuiſſent, Pij II. Xyſti IIII. Innocentij VIII. Iulij II. Clementis VII. legibus repetitis, vrbe, & omni eccleſiaſtica ditione exegit, illorum abſolutiones, multis difficultatibus interiectis, difficiliores fecit. Sclopetos, qui duorum palmorum menſuram non excederent prohibuit. Aſyla omnia, quæ tam in Cardinalium, & oratorum principum ædibus, quàm alibi in vrbe erant ſuſtulit, & contra eos, qui publicis lictoribus ſeſe opponerent, & iuridicorum edicta contemnerent, grauia decreta promulgauit: Ijs qui fidem publicam ob eas res obtinuiſſent priuilegium aboleuit: Pœnarum abſolutiones, quæ reis, & damnatis hominibus imponerentur in omni eccleſiaſtico imperio, à ciuitatibus, & priuatis magiſtratibus, ad fiſcum pontificium perpetuò tranſtulit, quum in damnatorum gratiam minus ab eiſdem exigi cognouiſſet, vt ea etiam ratione quę cœperat perficiendis pecuniam compararet. Eos porrò, qui decoxiſſent, & beneficio Capitulorum ODOARDVS & PERVENIT, vt ſoluerent à creditoribus adigi non poſſent, pileum viride ferre graui ſub pœna à Paulo IIII. antea ſancita, voluit. Sacerdotiorum & præſertim Cardinalatus ambitum prohibuit. Illicitas pecuniarū translationes, quæ cambia ſicca vocantur, vetuit.

Clericis vrbem incolentibus teſtamenti condendi poteſtatem, & alia priuile-
gia confirmauit, & auxit. Eos, qui libellos famoſos ederent, corripuit. Egen-
tes, & deliros homines, moleſta, & fallaci mendicitate ſublata, certis locis di-
ſtributos nutriri præcepit, præfecto ad piũ opus Antonio Lomellino protono-
tario, cæterum ab eo conſilio rei difficultate deſtitit. Idem de quæſtuarijs qui
ſancti Antonij, ſancti ſpiritus, Fabricæ Vaticanæ, & eiuſmodi ſimilium nomi-
ne, ſpecie indulgentiarum, ab imperito vulgo pecunias emulgebant, iuſsit.
Indulgentijs quæ paſsim, & ſine diſcrimine concedebantur, modum poſuit.
Eas omnes, & quæſtus reuocauit, quæ à quæſtuarijs, à nobiliſsimis eccleſijs ad va
ria delubra extenſa fuiſſent, poteſtatem inſtituendi eccleſias, ſacella, ſocieta-
tes, phetrias certis quibuſdam hoſpitalibus domibus eripuit. Lateritia mor-
tuorum monumenta, quæ paſſim eccleſiarum ornatum fœdabant, tolli iuſsit.
Seuera Pauli IIII. in Iudæos edicta moderatus eſt. Vrbis annonam procurauit,
præfectis aliquot viris induſtrijs creatis. Philippo Hiſpaniarum regi ex rediti-
bus omnium Hiſpaniæ ſacerdotiorum ſeptingenta millia aureorum conceſsit,
quibus ſeptuaginta triremes contra Turcas parari, inſtrui, contineri poſſent, ſe-
ptem millibus aureorum in ſingulas diſtributis. Interim Concilio Tridenti-
no finis impoſitus eſt, quod à Pio IIII. Tridenti reſtitutum, biennio ferè con-
tinuatum fuerat. Seſſiones nouem veteribus ſexdecim additæ. Quarum pri-
ma, quæ decima ſeptima à Concilio primùm ſub Paulo III. inchoato erat XV.
Kalend. Febr. anni ſalutis ∞ DLXII. celebrata, vt concilium proſequeretur
ſancitum: decima octaua, decretum de librorum delectu, & cunctis ad ſynodum
fide publica inuitãdis: decima nona & vigeſima, nihil memoratu dignũ actum:
vigeſima prima, communionis ſub vtraque ſpecie, & paruulorum doctrina &
canones promulgati. De reformatione eccleſiaſtica tum primum actum: vige-
ſima ſecunda, ſacroſancti Miſſæ ſacrificij quæſtio explicata. Interea Mantua-
no, & Seripando legatis initio anni ∞ DLXIII. vita functis, à ſede apoſtolica
in eorum locũ noui legati Cardinales Moronus, & Nauagerius miſsi, Altæm-
pſius verò reuocatus: vigeſima tertia ſeſsione ordinis ſacri, vigeſima quarta, Ma
trimonij ſacramenta explicata, Reformatio eccleſiaſtica continuata vigeſima
quinta. nouiſsima ſeſſione, III. & Prid. Non. Decemb. anni ∞ DLXIII. gra-
ui pontificis morbo, quo de eius vita dubitatum eſt, audito, accelerata, patres de
igne purgatorio, de inuocatione, veneratione, & reliquijs ſanctorum, de ſa-
cris imaginibus, de indulgentijs, de delectu ciborum, de ieiunijs, de diebus fe-
ſtis, de Catechiſmo edendo, breuiario, & miſſali reformandis, de Concilij Tri-
dẽtini ſaluberrimis ſanctionibus ſeruandis, non minus pia, quàm prudentiſsi-
ma decreta promulgarunt: reliqua verò, quæ ſupererant reformationis capita
ſanxerunt. Quibus confectis ſummo omnium patrum conſenſu decretum eſt,
vt cunctorum, quæ in Concilio acta eſſent, confirmatio ab apoſtolica ſede pe-
teretur. Cardinalis verò Moronus primus legatus Concilio præſidens, finem
Concilio ijs verbis fecit: Poſt gratias Deo actas, Reuerendiſſimi patres ite in pa-
ce. Ab vniuerſo cœtu, Amen, reſponſum, atque ita Concilio Tridentino finis
fœliciter datus eſt anno XXVII. poſtea quàm primùm à Paulo III. Mantuæ
indictum fuerat: à prima verò ſeſsione Tridenti celebrata decimo octauo. Du-
rauit omnino annos quinque, biennium ſub Paulo III. annum ſub Iulio III.
biennium iterum ſub Pio IIII. Vniuerſis porrò Concilij decretis ſubſcripſerũt
patres, quibus ea poteſtas erat, CCLV. Hi fuere legati Cardinales IIII. Mo-
ronus, Varmienſis, Simoneta, Nauagerius: Cardinales non legati duo, Hlo-
tharingus Archiepiſcopus Remenſis, & Madrucius electus Tridentinus: Patri-
archæ tres, Hieroſolymorum, Aquileienſis, Venetus. Archiepiſcopi XXV.
Epiſcopi CLXVIII. Abbates VII. Procuratores abſentium cum legitimo
mandato XXXIX. Magiſtri generales ordinum VII. Interfuere tantæ ſyno-
do, præter eos qui ſubſcripſerunt, oratores Cæſaris Ferdinãdi, Regum Francorũ,
Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Venetorum, Heluetiorum, Ducum Bauariæ, & Florentiæ,
Iuris Cæſarei pontificijq́;, doctores Concilio neceſſarij tres, Auditor rotæ, aduo-
catus conſiſtorialis, promotor, Theologi clerici non clauſtrales XX. ex quinq;
Mendi-



Mendicantiũ ordinibus circiter LXX. à ſuis magiſtris, varijs principibus, & epi-
ſcopis vel miſsi, vel euocati. Ex ordine Prædicatorum XX. Minorum obſeruã-
tium X. totidem conuentualium. Eremitarum XV. Carmelitarum X. Seruo-
rũ aliquot. Miniſtri Cõcilij præter Commiſſariũ & Secretarium, qui Epiſcopatu
fungebantur fuere, Scribæ duo, Curſores duo, Cæremoniarum magiſter, Medi-
cus, Depoſitarius, Forerius, Diaconus & ſubdiaconus cum cantoribus XII. Grã-
dem huic Concilij celebrationi pecuniarum ſummam abſumpſit pontifex Pi-
us, quippe cui menſtrua ad vitæ ſuſtentationem ſalaria Legatis, cunctis inopia
preſſis epiſcopis & ſacerdotibus, omnibusq́; miniſtris liberaliſſimè tribuerit. Id
muneris antiquitus imperatorum erat. Dum Tridenti Concilium celebratur,
Cardinalis Hlotharingus Romam veniens multa de concilij exitu, quem pon-
tifex expenſarum magnitudine oppreſſus, mirum in modum exoptare videba-
tur, cum eo tractauit. Qui per eos dies grauiſſimis, febris, cathani, podagræ, cru-
ciatibus, & alui profluuio laborans, animi corporisq́; viribus ita deſtitutus ali-
quãdo fuit, vt mors eius à multis ſecutura crederetur. Cuius rei nũtio legati per-
moti (Moroni præcipue id opus fuit) ne interregno pontificio Cõcilium aper-
tum eſſet, iuſtiſſimis de cauſis ſynodi finem maturarunt, & incredibili dexteri-
tate, quum pleriq; patres, Hiſpani præcipue, reſiſterent, rem confecerunt. Ponti-
fex valido corporis robore ſubleuatus, eccleſiæ ſacramentis de more ſuſceptis,
triduo pòſt conualuit. Qui Concilij exitu audito, quanquam adhuc viribus de-
bilis, patres in cubiculum euocauit, quibus aduerſæ valetudinis ſuæ, & Concilij
finis rationem reddidit, Deo gratias agens omnes ad ſacroſanctas eccleſiæ ſan-
ctiones ſeruandas, & ne quid præter eas ab ſe peterent, hortatus eſt. Celebresque
pro adeo felici exitu ſupplicationes indixit. Oblata vero ſibi Concilij decreta,
Morono, Saraceno, Cicadæ, Alexandrino, Cardinalibus inſpicienda, examinã-
da, ad ſeq; referenda tradidit. Quo facto legati, Moronus, & Simoneta, qui Ro-
mam tum redierant, Concilij nomine, quibus id publice demandatum fuerat,
omnium in eo actorum confirmationem petierunt. Quorum rogatu Pius papa
VII. Kalend. Februarij anni ∞ DLXIIII. in conſiſtorio ſecreto cuncta Con-
cilij acta, tam ea, quæ ſacra dogmata, quàm quæ reformationẽ eccleſiaſticam re-
ſpicerent, comprobauit, ampliſſimumq́; more maiorum confirmationis diplo
ma plumbo obſignatum publicauit. Tridentino igitur Concilio abſoluto, ex
eius decretis mores denuo emendare, ſacerdotia ad veteris formam inſtituti re-
uocare Pontifex curauit, pluraq; edita promulgauit ad Cõcilij obſeruationem
neceſſaria. Primùm tempus præſcripſit, quo eiuſdem decretis ſeruandis homi-
nes tenerentur. Octo patres Cardinales delegit, qui ea ſeruare facerent: hi fuere,
Moronus, Sarracenus, Cicada, Alexandrinus, Araceli, Simoneta, Borromeus,
Vitellius. Modum, quo Doctores ad epiſcopatũ poſtea promouendi crearentur,
præſcripſit. Hanc fidei formulã, quam epiſcopi deſignati profiterẽtur, inſtituit:

Ego N. firma fide credo, & profiteor, omnia & ſingula, quæ continentur in
ſymbolo fidei, quo ſancta Romana eccleſia vtitur: videlicet, Credo in vnum
Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium, &
inuiſibilium. Et in vnum dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum:
& ex patre natum ante omnia ſecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum ve
rum de Deo vero: genitum, nõ factũ: conſubſtantialem patri, per quem omnia
facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcẽdit de cœ-
lis: & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt: cru-
cifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt: & reſurrexit ter-
tia die ſecundum ſcripturas: & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram patris: Et
iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit
finis. Et in ſpiritum ſanctum, dominum & viuificãtem, qui ex patre filioq́; pro-
cedit, qui cum patre & filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt
per prophetas: Et vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Con-
fiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem
mortuorum, & vitam venturi ſeculi, Amen.

Apoſtolicas, & eccleſiaſticas traditiones, reliquasq́; eiuſdem eccleſiæ obſerua-
tiones

tiones, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item ſacram ſcripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarũ ſcripturarũ admitto, nec eam vnquam niſi iuxta vnanimem conſenſum patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptẽ eſſe verè & propriè ſacramenta nouę legis, à Ieſu Chriſto domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis (licet non omnia) ſingulis neceſſaria, ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolenni adminiſtratione, recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina ſynodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo, verum, proprium & propiciatorium ſacrificium pro viuis & defunctis, atque in ſanctiſsimo Euchariſtiæ ſacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem vnà cum anima & diuinitate domini noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi. Conſtanter teneo, purgatorium eſſe, animasque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter & ſanctos vnà cum Chriſto regnantes, venerandos atque inuocandos eſſe, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſsimè aſſero, imagines Chriſti ac deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum ſanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem & venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam, Romanam eccleſiã omnium eccleſiarum matrem & magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici beati Petri apoſtolorum principis ſucceſſori, ac IESV Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo ac iuro. Cætera item omnia à ſacris canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipue à ſacroſancta Tridentina ſynodo, tradita, definita, & declarata indubitanter recipio atque profiteor, ſimulq́; contraria omnia, atq; hæreſes quaſcunque ab eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inuiolatam vſq; ad extremum vitæ ſpiritum cõſtantiſsimè (Deo adiuuante) retineri & confiteri, atq; à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quãtum in me erit, curaturum. Eo idem N. ſpondeo, voueo ac iuro, ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei euãgelia. Epiſcoporũ reſidentiã grauiſsimis ſub pœnis ſanxit: paulò temperatius de Parochis edixit, qui minora ſacerdotia poſsiderent, quæ non niſi viris dignis, præmiſſo accurato examine, conferri voluit. Clericos qui ſacerdotia obtinerent, togatos, & honeſto clericali habitu indutos incedere iuſſit: graueſq́; pœnas cunctis non reſidentibus ſacerdotibus inflixit, contra eos legẽ edidit, qui eadẽ ſacerdotia in confidentiã (vt dicitur) vel darent, vel ſuſciperent. Matrimonia clãdeſtina, & duella Cõcilio abolita priuatim grauiſſimo edicto prohibuit. Græcos in Calabria prælatos epiſcoporũ Latinorũ poteſtati ſubiecit. Ordinis Hieroſolymitani priuilegia renouauit. Militiã ſancti Lazari Hieroſolymitanã temporum iniuria labefactatã reuocauit, priuilegijs auxit. Nouum ſancti Stephani militiũ ordinẽ Coſmo Florentiæ Duce auctore, inſtituit. Quum Philippus Hiſpaniarũ Rex, & Carolus princeps ipſius filius canonizationẽ B. Didaci expeterent, ipſe, qui rem examinarent, conſtituit Cardinales, Moronum, Sarracenum, Alexandrũ, Vitellium. Aedificãdi nobili & generoſo ſtudio incenſus, vrbem purgare, augere, & pulcherrimis ædibus vijsq́; ornare cõſtituit. Multa vetera & publica ædificia, tam in Palatio, & hortis

Vatica-



Vaticanis, quàm in reliqua vrbe, vel vetuſtate collabentia, vel imperfecta, vel quæ omnino eſſe deſierant, reparare & perficere aggreſſus eſt. Leonianam vrbem (quã Burgum vocant) craſiſsimo muro laxauit. Arcem ſancti Angeli nouis muris, & propugnaculis cinxit, Palatio, & villa Vaticana, aulis, cameris, triclinijs, cænaculis, teſtitudine, & porticibus vel reſtitutis, vel nouis factis, laquearibus aureis, & varijs egregiorum artificum picturis exornatis. Hortos verò Pontificios, ædicula, porticu, atrio, lymphæo, cubiculis, & turri ædificatis corriuato fonte, nobiliſſimis ſignis, emblematibus, & opere teſſellato condecoratos, pulcherrimos reddidit. Inter Salariam & Nomentanam portam, & viam Pias publicæ commoditati, ac dignitati in Quirinalis dorſo aperuit & muniuit. Portam & viam Flaminias melius & lautius refecit. Viam Aureliam penitus obſtructam & ignotam priſtino vſui reſtituere curauit. Viam Campanam porta Cœlimontana, in editiorem locum translata reficere cœpit. Aquam Saloniam, quam Antiqui Virginem appellarunt, ante annos mille ademptam, purgato fonte, & renouatis formis, vrbi reſtituere voluit. Oſtia bello Neapolitano, Anconem vero, Centumcellas (quæ nunc ciuitas vetus dicitur) vetuſtate diſiectas, mœnibus, portubus, arcibus ſepiuit ac muniuit. Rauennam vrbem ciuium numerò, & virtute inſtructam firmis propugnaculis tutam reddidit. Palatium Pontificum Capitolinum à Paulo IIII. deformatum, refecit. Prætorium Capitolinum Triumuirorum vrbis conſeruatorum à fundamentis mirabili opere inchoauit. Turrim Palatij ſancti Marci renouauit. Scholas, quibus ſapientiæ profeſſores Bononiæ docent, magnificentiſſimè refecit, Romæ verò inchoauit. Papiæ collegium inſtituit. Villam Iuliam miræ amœnitatis, ædificiorumque elegantia conſpicuam cameræ apoſtolicæ aſſignatam, Pontificum ſeceſſui, excipiendisque Cardinalibus, vel Oratoribus, & Principibus Romam venientibus, perpetuo vſui eſſe voluit, quam etiam inſtaurare, & perficere aggreſſus eſt. Lauacrum ad Velabrum, & Turres Campanarias baſilicæ Lateranenſis refecit, eiuſdem laquearia aureis emblematibus exornata extruxit. Thermas Diocletianas vetuſtate corruptas S. Mariæ Virgini Dei matri dedicatas, magnificentiſſimo templo in ſacram ædem, & Carthuſianorum Cœnobium menſtrua quingentorum aureorum ſolutione conuertit.

Templum ſancti Petri Vaticanum toto terrarum orbe celebre, additis menſtruis ſalarijs perficiendum curauit. Titulos, & Diaconias Cardinalium, & reliquas vrbis ſacras ædes vetuſtati collabentes, vel deformes, præfectis tanto negocio Iacobo Sabello Cardinale eius in vrbe Vicario, Marco Antonio Maffeo Archiepiſcopo Teatino, & Aſcanio Cæſarino epiſcopo reparari iuſſit. Cardinales ſancti Angeli, Politianum, Sabellum, Amulium, & Camerarium prouiſioni ad cohercendas Tiberis inundationes præfecit. Officinam libris ſanctorum patrum accuratè, & integrè imprimendis inſtituit, accito Paulo Manutio Aldi filio, viro tum in ea facultate, tum vario literarum genere claro, qui ei muneri præeſſet. Quibus rebus peragendis, & magno ære alieno, quo ſedes apoſtolica obſtricta erat, tollendo, cum ingens pecuniæ vis requireretur, quum alia non pauca, tum verò Montes aliquot perpetuos, & equites Pios inſtituit, varijsque tributis, vectigalibus, & pecuniarum indictionibus vrbem, & ditionem omnem eccleſiaſticam onerauit. Montes enim Pium perpetuum, & S. Spiritus non vacabilem condidit, illum quidem quadringentorum decem millium aureorum, vnde ſepteni annui cum dimidio pro centenis aureis capiuntur, hũc verò centum aureorum millium, ex aliquot redditibus monaſterij ſanctæ Sabbæ, quod Cardinali Montano ereptum, magnæ Hoſpitali domui S. Spiritus adiunxit, ex quibus octoni annui perpetuo pro centenis aureis habẽtur. Equites quoque Pios DXXXV. multis, & ampliſſimis priuilegijs ornatos, duabus lectionibus induxit, quibus & Monti Pio macelli ſuper additum vectigal carnis quadrantarium, quod perpetuum eſſe voluit, in omni ditione eccleſiaſtica, præter vrbem, & Bononiam aſſignauit. Cui ob equites Pios Camertium redditus fiſco applicatos, Ripæ, Ripettæ, Vrbanarum mercium, & directi Triremium vectigalium partem adiunxit, pro ducentis ſexaginta ſeptem milli-

millibus, & quingentis aureis ab eiſdem equitibus apoſtolicæ ſedis ſubſidio perſolutis, quorũ annuus redditus eſt XXV. millium CDLXV. coronatorum. Ad hæc alterum carni quadrantem, frumento molendo, & vino peregrino, quod Tiberi ad vrbem vehitur vectigalia grauiora impoſuit, vel auxit, populo Romano reclamante, & nulla ratione cõſentiente, quorũ tamen reditus vrbis Leonianæ munitioni aſsignauit. Proxenetas vendendi vini interpretes XL. Ripæ conſtituit, quos venales eſſe voluit, quũ antea titulo gratioſo id munus cõcederetur. Veniere ſinguli quingentis aureis. Ad hæc Bononiæ, in Aemilia, Piceno, Etruria, & Latio extraordinaria tributa cunctis populis per legatos Romã propterea miſſos repugnantibus, imperauit, vbiq; clamantibus ſibi ſuperiorũ temporum iniuria expilatis, non eſſe vnde ſoluerẽt, & hæc non apoſtolicæ ſedis ſubſidio indici, ſed in ſanis ſubſtructionũ fabricis abſumi. Pontifex enim congregãdis pecunijs intentus, à nullius vexatione, modò queſtionẽ legitimam nactus eſſet, temperari videbatur. Hinc varij in vrbe rumores orti, & libelli contumeliarũ referti, in pontificis miniſtros per vrbẽ noctu affixi, ſuſpiciones auctæ, aliquot noti homines in carcerẽ coniecti, quæſtiones ſeriò habitæ, odium pontifici conflatũ. Qui per id tempus publicis muneribus vacans, præteritas debitorũ tabulas Cameræ reuiſoriæ titulo repetijt, Abbatias quaſdam, quæ commendari ſolebant monachorũ congregationibus non ſine aliqua cõpoſitione adiunxit. Aliquot oppidorũ publicas pecunias ſibi addixit: Epiſcopatũ Mantuanum ad gentis Gonzagæ ius patronatus XXV. millium aureorum ſponſione tranſtulit: Aſcanium Corneum ſtrennuũ copiarum ducem in Hadriani molem cõiectum non longè pòſt multatum dimiſit. Ferunt eo pontifice certorum eccleſiæ Romanæ reddituũ XXC. millia aureorum annuorũ, incertorum verò LXXV. millia veniſſe. Quorum tamen reddituum maiorem partem ipſe pontificatus ſui tempore acquiſierat. Per id tẽpus Põtifex graui dolore perculitur, obitu Frederici Borromei fratris filij. Vxor Virginia ad patrem Vrbinatiũ Ducem remiſſa. Ferdinãdus Imperator mala affectus valetudine, ne ſucceſſor in incerto eſſet, filiũ egregiarũ virtutum decore præfulgentem Maximilianum iam Boẽmis Regẽ impoſitum, Cæſarem deſignandum curauit. Indictis VII. virorũ Imperij electorũ more maiorum Francfordię Comitijs, Maximilianus ipſe ad VIII. Kal. Decemb. anni ∞DLXII. omnium ſuffragijs Cæſar renuntiatus, Oratorem ad Pontificẽ de more ire iuſsit Georgiũ Comitem Elpheſtanũ. Quum verò de ſolenni iuramento præſtando, ipſiusq; forma controuerſia orta eſſet, ei rei cũ Imperatoris legato tractandæ, Cardinales Carpenſem, Tridentinũ, Auguſtanum, ſancti Clementis, & Vitelliũ Pontifex præfecit: qui rem tandẽ poſt multam diſſenſionẽ compoſuerunt, ita vt legato publico conſiſtorio admiſſo vtriq; parti factũ fuerit ſatis. Exitu anni inteſtino Gallorũ bello ob religionẽ iam adulto, tandẽ erupit. Concurrêre infeſtæ Catholicorũ, & Hugonotorũ acies in agris Druidum: Regia factio imperatoribus Carolo Guiſio, & Hannone Momorantio equitũ magiſtro, rebelles Hugonotas profligauit: nec incruenta victoria, captus perduellium dux præcipuus Ludouicus princeps Condonenſis, Amiratus ſalutem fuga quæſiuit. Ex Orthodoxis prima impreſsione equitum magiſter in hoſtium poteſtatẽ venit S. Andreæ Mareſcallus, vir fortiſsimus egregiè dimicans cæcidit. Pontifex ea victoria fauſtis vocibus Guiſium proſecutus, ſolennes, lætasq; ſupplicationes habuit: ſed nec duci Guiſiæ diu victoria frui licuit. Sclopeti enim ictu in Aureliæ obſidione per Amirati (vt creditũ eſt) inſidias vir præſtãtiſsimus magno Catholicorum maiore regni damno cõcidit. Cuius morte infauſta catholicis pax eſt ſecuta, ijs cõditionibus, vt Rex rebellibus parceret, ipſi verò quæ Regi eripuerãt oppida, & Vrbes reſtituerent, atq; quiſque in qua maximè religione vellet, viueret. Vtq; ijs locis, quibus ab ſe antè occupatis diſceſsiſſent, nouæ ſuperſtitionis miniſtris, populos docere fas eſſet: in alijs verò certa loca deſignarẽtur. Angli, qui à rebellibus Hugonotis ex Inſula euocati, aliquot de Gallis oppida ceperãt, bello ciuili abſoluto omni cõtinentis ora pulſi. Ad dedecoroſæ, ſed neceſſariæ pacis nunciũ pontifex cõmotus, Odetum Caſtilioneũ Romanæ eccleſiæ Cardinalem Hugonotarum præcipuum ſacerdotio Beluacenſi, & Cardinalatu, itẽ epiſcopos





circiter X. eadem labe in Gallijs maculatos, ſacerdotijs exuit. Sanctæ inquiſitionis Tribunali nouem Cardinales præpoſuit, ea lege, vt quæ maior pars ſanxiſſet, rata eſſent. hi fuere, muneris princeps, Alexandrinus, Sarracenus, Cicada, Reumanus, Aracæli, Simoneta, Borromeus, Vitellius, Alciatus. Quorum poteſtatẽ auxit, & à ſuperioribus põtificibus indulta firmauit. Cũ Heluetijs rectè ſentienbus fœdus percuſsit. Solennes pro cõſeruato Orano ſupplicationes habuit. Hãc rem memoratu dignam breui aperiam. Cognouerat Algerij in Africa Rex claſſem regis Hiſpaniarum graue naufragium in portu Hiſpanici littoris Herradura, anno ſalutis ∞ DLXII. paſſam, reliquas eius triremes per terræ Italiæ ſtationes procul ab Africæ littoribus diſtributas eſſe. Ea re tempus opportunũ veniſſe ratus, anno qui ſecutus eſt, Oranũ munitiſsimum Africæ regionis ad mare oppidũ ipſi infeſtũ occupare tum conſtituit, quũ ei nullum aliunde auxiliũ afferri poſſe ſibi perſuadebat, vt eo præſidio quo Hiſpaniæ littora à piratarum myoparonibus defendi poſſunt, in poteſtatẽ ſuã redacto liberiùs vagaretur, Hiſpaniarumq; littoribus facilius inſultaret. Ipſe præterea nullam in terra Africa nauiũ ſtationẽ commodam ſe poſsidere, Oranum verò, & portum capaciſsimum, & vicinam regionem fertiliſsimam habere conſiderans, ita vt in eo Punica claſſis tuto ſtare & augeri, Turcica verò cõmodè propter commeatus copiam hyemare poſſet, prouinciam terra, mariq; aggreſſus eſt. Arcem igitur Maſarquiuir Oranenſis portus præſidio impoſitam primùm oppugnare decernit, illud ſibi certo perſuadens, hac expugnata, nullo labore Oranum poſteà in poteſtate ſua futurũ eſſe. Ea re cognita Philippus Hiſpaniarum rex catholicus per tabellarios mari actuarijs nauiculis, terra magnis itineribus, & mutatis ad celeritatẽ iumentis, Peraſannum de Ribera Alcalæ ducem, eius in regno Neapolitano vicarium de imminenti periculo monuit, eiq; præcepit, vt quantamcunq; ad regni cuſtodiam claſſem haberet, illicò in Hiſpaniam mitteret, & cum ea claſſe, quæ in Hiſpania parata fuerat coniuncta, obſeſſorum auxilio quamprimum nauigaret. Etſi vero nulla prætermiſſa diligẽtia, miraq; fuerit tabellariorũ celeritas, ea omnia tamen rebus penè perditis, parum profuiſſent, niſi Dei optimi maximi beneficio, id aliquanto antea incerto quaſi rumore, Prorex Neapolitanus præſentiſſet. Qui animaduerſo maximo Chriſtianorum diſcrimine, ſi præſidiũ tam opportunum à Barbaris occuparetur, ſtatim nullum regis Catholici mandatum expectans, quinq; & viginti triremium, quæ Neapoli hyematuræ erant claſſem, commeatu, & tormentis bellicis inſtructã, milite Hiſpano ex ſtationibus Regni citiſsimè deducto, Ductore Io. Andrea Auria, maritimi belli peritiſſimo duce, in hoſtes nihil tale ſuſpicantes, aliquot diebus antea immiſerat, quã regij tabellarij cũ mandatis Neapolim adueniſſent, incredibilis illa Proregis celeritas ab omnibus mirè commendata, Orano oppido Hiſpanis perneceſſario, quod ad eam rerum deſperationẽ perductum iam erat, vt vix per quatriduum aduerſus Barbarorũ impetum ſuſtentari poſſe putaretur, certã ſalutem attulit. Auria enim Hiſpana claſſe Neapolitanæ adiuncta, primo aduentu, nullo negotio rege in fugam acto, tormentis bellicis, cæteris rebus, quæ bello vſui erant, nauibusque aliquot ab Afris turpiter amiſsis, obſidionem Orani ſoluit. In hac prouincia Prorex ſimul Hiſpanias affecit maximo beneficio, & à rege omnium præſtantiſsimo ſummam laudem eſt conſecutus. Per eos dies Pontifex legationem Auenionis Borbonio Cardinali conceſsit à Farneſio dimiſſam, cuius vice prouinciam patrimonium, eidem perpetuò regendã tradidit. Haud longè pòſt controuerſia de honoratiori in cõſeſsibus publicis loco, inter oratores Gallum & Hiſpanum diu ante Franciſci Vargæ opera excitata, pontifex poſt longas tergiuerſationes ſummum Gallo locũ aſsignauit. Cùm de concordiæ forma multum conſuluiſſet, nec vllam reperiſſet. Hiſpanus enim ſuperiorem conſeſſum Gallo negabat, Gallus Hiſpanũ ęqualem recuſabat. In tridentino quoque Concilio, quia pontificis iuſſu vtriſque oratoribus in ſacris thuris ſuffimenta ſimul oblata erant, magna diſcordia orta fuerat. Ob eam rem Ludouicus Requeſens magnus Caſtellæ commendator, Hiſpanus orator irritatus, poſt publicam cõteſtationem Regis ſui nomine pontifici factam, quam pontifex ſuſcepit, & iudi-

cium pollicitus eſt, Roma abijt. Eodem anno VII. Kalend. Auguſti, Ferdinandus pientiſsimæ memoriæ, Orthodoxus Imperator Viennæ Auſtriæ rebus humanis eximitur imperij anno octauo. Cui Maximilianus Cæſar filiorum natu grandior, prudentia, liberalitate, animi magnitudine, clementia, & doctrina præſtãtiſſimus in Imperio, Boëmiæ regno, & Auſtriæ principatu ſucceſſit. Tirolis Comitatus Ferdinãdo, prouinciæ Stiria, Carniola, Carinthia, Carolo, more Germanico, ceſſere. Pōtifex ſororis filiũ Cardinalem Altæmpſiũ ad eos conſolandi gratia legatum miſit. Mortuo Guidone Aſcanio Sfortia Cardinale Camerario id munus (quod quia officium eſt venale, proponi licito poteſt) Vitellius LXX. millibus aureorum perſolutis ſuſcepit. Anno qui ſecutus eſt ſancti Angeli Cardinale Pœnitentiario maiore vita functo, ſororis filiũ Borromeũ Cardinalem ſucceſſorem dedit. Deliri aliquot, qui in Pontificem conſpirauerant, coniuratione detecta, iudici impunitate data, à carnifice necantur. Anni ∞ DLXV. initio, annuo die coronationis Pōtifex Annibalem Comitem Altæmpſium ſororis filium militiæ eccleſiaſticæ magiſtrum creauit. Qui vxorem patruelis ſui Cardinalis Borromei ſororem in matrimonium duxit. In earum nuptiarum lætitia in Theatro Vaticano Carneualibus feſtis haſtiludia facta. Quibus nobiliſſimi quique Romanæ iuuentutis iuuenes concurrerunt. Ei celebritati Pontifex, Cardinales, & Populus Romanus interfuêre. Eodem anno Solimanus Turcarum Rex militibus Rhodijs infenſus, numeroſiſſima claſſe eorum Inſulam Melitam obſidione cinxit. Eam rem præſentiens Garzias Toletanus, claſsis regiæ præfectus CCCC. fortiſſimis militibus Inſulam muniuit. Turcę arce ſancti Elmi capta, Vrbem ad extremam penè deſperationem redegerunt. Ei obſidioni magno vſui fuere DC. milites Hiſpani, duce Robles, viro ſtrenuo & forti, per media hoſtium agmina intempeſtæ noctis ſilentio Vrbem ingreſſi. Hinc factum, vt Turcæ ſexto demum menſe ea Inſula XXX. millibus hominum amiſsis turpiter eiecti ſint, egregia præſertim Ioannis Valetæ magiſtri, & militum virtute, qui pertinaci animo acerrimam obſidionem pertulere, claſsisq; Hiſpanæ neceſſario præſidio. Quam cum IX. millibus hominũ Aluaro Sandeo, Aſcanio Corneo, & Vincentio Vitellio ducibus, Garzias Toletanus eiuſdem præfectus adduxit. Ad CCL. equites & pręcipui quique eo bello deſiderati. Ea re præter ſolennes ſupplicationes Pontifex multa lætitiæ ſigna dedit, militiæ Rhodiæ magiſtro per literas gratulatus eſt. Qui haud ita longè pòſt vehementi catharri, febre accedenti, morbo ex victus intẽperantia hauſto, laborans, Cardinalium aliquot rogatu centum aureorum millia ſororis filio Hannibali Comiti Altæmpſio (ſi tamen ſe mori contigiſſet) donauit, cuncta verò eccleſiæ ſacramenta Chriſtiano ritu pientiſsimè à ſororis filio Carolo Cardinale Borromeo (id nemini, quod ſciam, Romanorum pontificum adhuc contigiſſe legimus) ſuſcepit. Paleotus & Syrletus Cardinales lectulo aſtantes, extremas preces, quas animæ commendationem dicimus, religioſimè recitarunt. Ipſe attente, integris adhuc ſenſibus, cuncta audiuit, eis nouiſsimi pro ſe ſuſcepti laboris gratias egit. Dictu mirum, decimo antè menſe, cum Syrletum ſacræ purpuræ honore donaret, Hũc (inquit) in ſenatum allegimus, vt quemadmodũ Paulo IIII. morienti officioſè adfuit, ita etiam ſuis precibus noſtram ex hac vita migrationem apud Deum adiuuet. Id præſagium fuiſſe, euentu comprobatum eſt. Ad extremum nullo de more patrum cœtu congregato, octauo ægritudinis die, hora noctis ſecũda, quæ diem Dominicum V. Idus Decemb. anni ∞ DLXV. ſequuta eſt, hæc verba proferens: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundũ verbum tuũ in pace, &c. rebus humanis eximitur, ætatis anno LXVI. menſe VIII. die IX. Pontificatus verò V. menſe XI. die XV. Corpus baſilicæ Vaticanæ illatum, La tertio ad tempus extructo ſolio conditum eſt. Vacauit ſedes Romana dies XXIX. Eo pōtifice Italiæ pax, Vrbi & prouincijs eccleſiaſticis à bello quies, rerum quæ victui humano neceſſariæ ſunt copia, publica incommoda vel pauca vel nulla fuêre. Statura fuit iuſta, frōte lata, oculis cæruleis, aſpectu obliquo, naſo eminenti & rubido, barba mediocri, habitudine corporis pinguiore, proſpera valetudine, manibus pedibusq; articulari morbo debilitatis: ſed nō in fa-





cie aut in inceſſu dignitas, in riſum magis quàm tanti magiſtratus gradus expoſceret aliquando pronus. Morum ei diuerſa tempora. Egregius vita famaq; fuit, quoad priuatus, vel in magiſtratibus prioribus ſub pontificibus vixit. Pontifex creatus dum Tridentinum Concilium viguit, multa optimi, præclariq; pontificis documenta dedit. Concilio abſoluto, ſuo ingenio liberè vtens in multa, quæ non ita ab omnibus probabantur, prorupit. Inerat ei docilitas maxima ad omnes tum pacis, tum belli artes: literarum ſcientia, ac negociorum magna experientia, mira animi patientia, atq; in laboribus perſeuerantia, eloquentia nō mediocris, memoria ſingularis, qui veterum iureconſultorũ, poëtarum, & hiſtoricorũ accuratè de improuiſo integras paginas memoriter recitaret. Ingenio fuit viuaciſsimus, ac mēte firmiſſimus, ſagax & aſtutus, ſed ſimplex, & hebetior haberi volebat: in iocis dulcis, in cōuiuijs, & domeſticorũ priuata familiaritate comis, verbis, & ſcōmatibus acutus, cibi viniq; auidus, ſed in prãdio profuſus, in cœna parcus, in voluptates pronus. Erat palam iracũdus, occultè inuidus, ad audiendũ impatiens, & difficilis, in reſponſis aliquando acerbus, dominãdi cupidus, vafer, cuiuslibet rei quæ ignorari ſua intererat ſimulator, ac diſsimulator, timidus, audax tamen ad occultandam audaciæ ſpeciei formidinem, parum gratus eſt habitus. Patres, & eos præſertim, quorum opera pontificatum, & alios honores obtinuerat, neglexit. Pecuniæ cupidus, ac ad aurum excipiendum etiam cum alieno detrimento attentus, ad ſeruandum verò parum cautus. Nam quæ excepit, cuncta penè liberaliſsimè abſumpſit. Feruntenim eo pontifice HS his millies hauſtum. Amicitias non ex re, ſed ex commodo æſtimabat. In propinquorum amore varius, nam ſororum filijs nimis indulſit: fratrem verò Auguſtum Marchionem Meleniani, cui ex priuatis odijs infenſus erat, nunquam dilexit, ita vt eximias eius virtutes non mediocres defectus obſeruare viderentur. Cuius pontificatum perpetua pace & abundantia inſignem, nullis publicis cladibus afflictum, fœlicem quis eſſe inficiabitur? qui pręter hæc hominem tot animi, corporisq; ornamentis præditum attenderit, qui publicis fabricis, quibus infinitos penè pauperes aluit, hoſpitalitati, literarum, & amicorum principum ſubſidio, tot Vrbis Romæ in rebus ſacris profaniſque reformationibus, multis demum alijs præclaris rebus ab ſe geſtis. Concilij generalis perfectionem tanto ſtudio adornatam adiunxit: contrà miſerum fuiſſe, ſi auiditatem, iracundiam, in republica adminiſtranda impatientiam æſtimabimus: ita vt difficilè admodùm ſit, perfectum illum principem inuenire, qui illuſtri, virtutum temperamento vitæ ſuæ curſum inſtituens, eum vſque ad extremum integrum inlæſumq; perducat.

## PIVS V. PAPA.

PAuci admodum ex omni Romanorum Pontificum memoria, humilioribus initijs, vel breuiore tempore, vel ſi deprauata ſpectes hominum iudicia alieniore via, ad ſummos honores peruenerũt, quàm Pius V. Pōtifex maximus: quippe qui ſodalis Dominicanus priuatus, ac pedes in Vrbem primum veniens, intra quintum decimum annum Magiſtratum ſacræ inquiſitionis, epiſcopatum, Cardinalatum, & pontificatum ſingulari quidem integritate & innocētia, ſed pari ſeueritate, & vbi religionis, ac iuſtitiæ cauſſa ageretur, nullam gratiæ vel potentiæ cuiuſquam rationem habens, eſt conſequutus. Ex antiqua, ſed tenui iam, & ad paucos redacta, Ghiſleriorum familia, quæ Bononiæ tamen ſenatoria eſſet, natus eſt Boſchi in oppido agri Alexandrini in Inſubribus ſtatielis, Anno ſalutis ∞ DV. XVI. Kalend. Februarij, feſto Diui Antonij die, quod illi etiam luſtrali eius die nomē impoſitum eſt. Pater ei Paulus, mater Dominica Augeria, ac duæ tantum ſorores fuêre, Iſabella, & Gardina. Annum agens quintum decimum, Vogeriæ in prædicatorum familiam adſcitus, Michaëlis nomen aſſumpſit, Vicleuani profeſſus, ibidem primum, tum Genuæ, ac Bononiæ philoſophicis & theologicis ſtudijs aliquandiu operam dedit, & ijs maximè, quorum audientibus ſalutares confeſsiones, eſt neceſſaria cognitio, caſus conſcientiæ vocãt. Finarij, Vicleuani etiam, Caſali, ac Rauennæ phi- Pont.229.

ſophiam ex fratrum conſuetudine lectoris nomine eſt interpretatus. Prior Albæ Soncini, ac Vicleuani fuit, in Parmenſibus verò ſui ordinis comitijs definitor, Boſchi in patria, & aliquot præterea in locis ſacras habuit cõciones. Alfonſi Dauali Vuaſtij marchionis, eiusq; filiorum confeſsiones audiuit. Inquiſitioni in hæreticam prauitatem in ciuitate Nouocomenſi à conuentu ſui ordinis Ceſenæ habito præpoſitus, magnam ex eo munere laudem eſt adeptus. Tum Bergomum miſſus, vt in Victorem Superantium Bergomatum epiſcopum de religione quæſtionem haberet, re non ſine vitæ periculo præclarè adminiſtrata, Romam venit, anno poſt Chriſtum natum ∞ D L I. vbi paulò pòſt à Ioanne Petro Carafa Neapolitano Cardinale cognitus, qui tum erat conſilij, ac iudicij ſacræ Inquiſitionis princeps, cuiq; iam antea abſentis hominis virtus, & eo in genere induſtria probabatur, in F. Theophili Tropienſis mortui locum, commiſſarius Inquiſitionis, de collegarum ſentẽtia deligitur. Quem poſtea idem Cardinalis Neapolitanus Paulus IIII. põtifex maximus renunciatus, primùm Nepeſinorum ac Sutrinorum epiſcopum fecit, deinde presbyterum Cardinalem tituli Sãctæ Sabinæ, ſummumq; inquiſitorem creauit. Pio dehinc IIII. pontifice maximo, ornatus eſt epiſcopatu Montis Regalis, ac priore mutato titulo altero auctus Sanctæ Mariæ ad Mineruam. Eum poſt Pij IIII. mortem, nono ac vigeſimo interregni die, in perpetua illa ſua animi æquitate ac moderatione conquieſcentem, nihilq; tale cogitantem, præter omnium exſpectationem, de repente diuinitùs conflato patrum conſenſu, cum priuatim ſinguli reiecturi viderentur, communiter vniuerſi, VII. Idus Ianuarij anno ∞ D L X V I. pontificem maximum declarauerunt. Cuius ſuffragationis principes extitere Farneſius, & Borromeus Cardinales, cùm tamẽ illi vltro ſe offerens Cardinalis Altæmpſius ſententiam ac ſtudium ſuum ad pontificatum eidem antea liberaliſsimè pollicitus eſſet. Conceſsit id Borromei Columnæ etiam Cardinalis precibus, vt Pij V. nomen acciperet. Feſto Diui Antonij, ac natali ſuo die annum iniens ſexageſimum ſecundum, ante Vaticanam baſilicam ab Vrbinate Cardinale, more maiorum, ſacra tyara coronatus eſt. Initio pontificatus omni cogitatione, curaq; ſtatim incubuit, ad purgandam & propagandam religionem, ac reſtituendam vitę, morũq; diſciplinam. Ipſo etiam pontificiæ creationis die Franciſcum Comendonum Cardinalem ex Polonica legatione redeuntem, cõuentui principum Germanorum, à Maximiliano II. Imperatore Auguſtæ Vindelicorum indicto, apoſtolicæ ſedis nomine legatum, qui ei honos etiam à proximo pontifice decretus fuerat, iuſsit intereſſe. Non ita multo pòſt, Gardinæ ſororis nepotẽ Michaëlem, & ipſum ſocium Dominicanum, ſui Cardinalatus inſignibus ornauit, iuuenem innocentia, modeſtia, ac religione magni auunculi itineribus euntem. Carafios proximo Pontifice eiectos, benigniſsimè reuocauit. Nulla à ſacris, aut publicis muneribus intermiſsio, vna ei voluptas eſt, cura omnis & cogitatio, de vtilitate ac ſalute communi. Quibus aſsiduis, & laboribus, & actionibus in illa præſertim ſanctitate, ſummam apud omnes admirationem, & auctoritatem obtinet. Sed mihi non ſumpſi, vt hoc quidem tempore, quæ is in pontificatu vſque ad hanc diem inſtituerit aut egerit, ſubtiliter perſequi velim, plus enim illa operæ ac laboris deſiderant, & nos ab eo maiora indies expectamus. Tantum igitur quod res eſt dicam in præſentia. Dedit Pius V. põtifex maximus adhuc, id religionis, iuſtitiæ, patientiæ, liberalitatis, grati animi ſpecimen, vt, ſi ei tam longa dabitur vita, quàm longam & ex admirabili quadam ipſius victus temperantia ſperare debemus, & tempus Reipublicæ poſtulat, neq; ad bene adminiſtrandam Dei eccleſiam conſequentibus deinceps pontificibus exempla, neq; eloquentibus viris ad laudem ingenij ab eo facta defutura videantur.





# MATERNVS CHOLINVS CANDIDO LECTORI.

*STuduì certè abſolutam prorſus, atq; exactioris vitæ laudatiſsimi Pontificis Pij V. acceſsione hiſtoriam hanc exornatam & locupletatam tibi exhibere: verùm quum voto noſtro ſucceſſus minime reſponderit, quòd nimirum nihil vllo meo ſtudio, induſtria, diligentiaq; conſequi ex vrbe potuerim, libuit præcedentibus, quæ de eo Pontifice ab Onuphrio conſcripta extarant, ſubſequentem Ant. Mureti doctiſsimam, elucubratiſsimamq; attexere orationem in funere habitam, qua ſuccinctè ſanctiſsimi, pijſsimiq; Pontificis vitam ſic deſcribit, vt prolixioris de eodem hiſtoriæ vices præſtare poſsit. Eius itaq; lectione fruere, eademq; te oblecta tantiſper, dum iuſtam, integramq; tanto Pontifice dignam hiſtoriam obtinuerimus, quam dein tibi impartiri non grauabimur.*

# M. ANTONII MVRETI I. C. ET CIVIS ROMANI ORATIO HABITA IN FVNERE PII V. PONT. MAXIMI.

DICTVRVS ex veteri conſuetudine de Pij Quincti ſanctiſsimi & in omni virtutũ genere ſummi Põtificis laudibus, in hoc orbis terrarum auguſtiſsimo nobiliſsimoq; cõſeſſu, Patres ampliſsimi, maximopere commouerer ac cõturbarer animo, tum ob virium mearum imbecillitatem, tum ob breuitatem temporis mihi ad me cõparandum dati: ſi exiſtimarem aut vllam in quoquam vim dicendi meritis ipſius parem poſſe reperiri, aut vllam longitudinem temporis ſuffecturam ei, qui tam copioſi ac multiplicis argumenti partes omnes pertractare ac perſequi vellet. Sed cum & omnibus & vobis præcipue, qui propius illum cognouiſtis, notum exploratumque ſit, ijs illum ſupra cæteros mortales virtutibus floruiſſe, quarum præſtantiam, non dicam exæquare dicendo, ſed aſſequi cogitando difficile atque arduuum ſit: ipſa me animoſiorem atque alacriorem facit ſuſcepti muneris difficultas, cogitantem, quod mihi neceſſario eueniet, vt & multa memoratu digniſsima prætermittam, & ea ipſa quæ attingam, ieiuniùs multo atque exiliùs, quàm pro ipſorum dignitate, percurram, idem cuilibet quamlibet exercitato, & omnibus rebus ad dicendum inſtructo homini euenturum fuiſſe. Ac quoniam auguratur animus, eum iam in æternas illas beatorum ſedes euectum, & cum Deo coniunctum, quæ hoc tempore à nobis dicuntur, quęque fiũt, audire atque intueri: eundem in hoc munere obeundo modum tenebo, quem tenerem, ſi ipſe mortali adhuc corpore indutus, præſens adeſſet: vt & eo genere orationis vtar, quo ipſum præcipuè oblectari ſolitum nouimus, non pigmentis ac fucis oblito, ſed ſeuero ac ſolido: & ea ſola in ipſo commendem, quæ ipſe in rebus humanis ſola commendanda ducebat. Qui ethnicorum more vixerũt, ethnicorum more laudentur: ego tam ſancto tamque Chriſtiano principi nullam laudem cõuenire arbitror, niſi verè ac proprie Chriſtianã. Itaque in quibus exaggerandis & amplificandis veteres plurimi erant, & à quibus ferè huius generis orationum principia ducebant, patriæ claritatem, quam etiam quidam ex illis primam partem felicitatis eſſe dixerunt, nobilitatem generis, opes ac copias, ea nos, etiam ſi verè ac copioſè id facere poſſemus, in talis tamẽ viri laudibus numeranda non duceremus.
Quanti hæc ſint, declarauit ipſe Chriſtus, qui toti- *Matth. 13.*
us orbis dominus, obſcurum & ante id tempus ignobilem pagum, in quo naſ- *Marc. 16.*
ceretur elegit: Deus & Dei filius, faber & fabri filius haberi voluit: rex omnium, *Matth 8.*
in paupere tugurio natus, non habuit vbi reclinaret caput. Immo verò ij de- *Lucæ 9.*
mum glorioſi mihi præter cæteros atque illuſtres videntur, etiamſi hæc hu-

manarum rationum momentis expendere libeat, qui Deo tantum freti, ea quæ
inter homines ſumma habentur, ſine vllis eiuſmodi præſidijs, ſua ſibi virtu-
te pepererunt. Pulchrum eſt enim ita abundare, vt nemini quidquam debeas:
ita illuſtrare alios, vt nihil ipſe ſplendoris ac claritatis ab alijs mutuatus eſſe di-
caris. Sed his omiſsis, quæ ſemper ſapientiſsimus quiſq; contempſit, iam qua-
ſi theſaurum quendam rerum pulcherrimarum ac pretioſiſsimarum aperiens,
ſpectandumque proponens, euoluam & explicabo vera illa & diuina bona,
quæ ſemper illum bonis amabilem, improbis formidabilem, vtriſque admi-
rabilem reddiderunt. Qui ſtatim ab ipſo ineuntis ætatis principio, cum, &
diuino lumine colluſtratus, & domeſtica, vt credibile eſt, inſtitutione com-
monefactus, ijs qui in ſæculo viuerent, difficilem eſſe in cælū viam iudicaſſet,
Gene.12. impulſu ſpiritus ſancti, fugit è patria inferiori ac terreſtri, vt Abraham: iterq;
illud arripuit, quod ad illam ſuperiorem ac cæleſtem tendēti tutius atq; expe-
Gene.19. ditius eſſe intelligebat. Fugit vt Loth: neque poſt tergum reſpexit: cum ſciret
Lucæ 9. eos, qui, manu ad aratrum appoſita reſpiciunt retro, aptos non eſſe ad regnum
Gene.20. Dei. Fugit vt Iacob, & in ea demum terra cōquieuit, in qua vidit ſcalas, per quas
itur in cælum. Dedit enim nomen in laudatiſsimam illam D. Dominici ſoda-
litatem, in qua, vt primum inſtituta eſt, tanquam in opimo ac fertili agro, eo-
demq; bene ac diligenter ſubacto & exculto, viri & doctrinæ magnitudine, &
vitæ ſanctitate præſtātes nunquā alij alijs ſuccreſcere, alij ex alijs cōtinenter pro-
pagari ac proſeminari deſierūt. In ea ita vixit, vt iuuenis ſenibus, tiro veteranis,
nouitius exercitatis tāquam exemplum continentiæ, tolerantiæ, frugalitatis,
obedientiæ, omnis denique virtutis proponeretur. Neque vero cœpit quidem
ita viuere, ſed in eo non perſtitit: neque perſtitit quidem, ſed non longius pro-
greſſus eſt: neque progreſſus quidem eſt, ſed in medio curſu defatigatus. immo
vero totum vitæ ſpatium ita tranſegit, vt cum iampridem ad ſummam vir-
tutis perfectionem perueniſſe iudicaretur, ipſe tamen quotidie ſeipſo meli-
or ac perfectior cerneretur. Cum autem alia in hoc viro admirabilia fue-
runt, tum ſingulare ſtudium conſeruandæ veræ ac Catholicæ religionis, & ad-
uerſus eos qui illam vlla ex parte labefactare conarentur, implacabile odium
ſemper eluxit. Quibus cum ille perpetuum bellum gerens, ne punctum qui-
dem temporis in vita ab eis vexandis & exagitandis conquieuit. In alijs erra-
tis condonandis atque ignoſcendis, quamquam & ſui & aliorum ſeueriſsi-
mus cenſor, non ita ſe durum atque inexorabilem præbebat: qui ab eccleſia
deſciuiſſent, niſi aut ipſos erroribus, aut ipſis orbem purgaret, vitam ſibi acer-
Pſal. 60. bam atque inſuauem eſſe ducebat. Exedebat animum ipſius zelus eccleſiæ: ne-
Pſal.138. que quiſquam vnquam verius idem, quod olim Dauid, dicere potuit: Nónne
qui oderunt te domine oderam, & ſuper inimicos tuōs tabeſcebam? Perfecto
odio oderam illos. Ergo cum ei munus in eos inquirendi publice mandatum
eſſet, quas ille potentum inimicitias, quas minas, quæ pericula, quas vitæ ac ca-
pitis dimicationes ſibi, dum illos modis omnibus perſequitur, defugiendas pu-
tauit? quas non potius vltro ac cupide appetijt? quàm ſæpe ab illis petitus, à Deo
mirabiliter ſeruatus eſt? vt de eo dici poſsit, quod alicubi ait Cyprianus, non
animum martyrio, ſed martyrium animo defuiſſe. Ob hæc tanta ac tam præ-
clara in Chriſtianam remp. merita primum creatus epiſcopus Nepeſinus, de-
inde à Paulo IIII. in veſtrum Patres ampliſsimi collegium adſcitus atque ag-
gregatus, quanta cum dignitate dignitatem illam ſuſtinuerit, quid opus eſt,
præſertim apud vos agentem, pluribus verbis exponere? Quantum ei pru-
dentiæ & acuminis ad videnda ea, quæ vera & recta eſſent, quantum animi &
libertatis ad eadem proferenda, quantum auctoritatis ad obtinenda ſemper
fuit? Nihil vnquam ille in dicenda ſententia aut metui aut gratiæ dedit: nun-
quam ad cuiuſquam voluntatem orationem ſuam accommodauit: nunquam
quidquam veritate prius aut antiquius habuit. Itaque vulgo etiam dicebant,
nihil ab eo precibus peti oportere: preces enim apud eum neque ad iuſta im-
petranda neceſſarias eſſe, neque ad iniuſta extorquenda efficaces. Quod ſi qui-
dam



dam ex veteribus Romanis eo nomine felix habitus eſt, quod ab eo nemo vl-
lam rem improbam petere auderet: quid hunc dicemus, quem omnes qui
quid petituri erant, in quo vel minimum turpitudinis ineſſet, tanquam ſco-
pulum quendam refugiebant? Vt autem diuino conſilio, veſtris ſuffragijs:
in Pij quarti locum ſuffectus eſt, tanta ſubitò extitit bonorum alacritas & ex-
ultatio, tanta improborum fuga & trepidatio, vt neque illi quidquam ſibi
optatius potuiſſe contingere, neque hi vſpiam ſe iam tuto poſſe conſiſtere ar-
bitrarentur. Cernere erat bonos hilares & erectos, triſtes improbos & abie-
ctos: illos gaudio triumphantes, hos de conſciſcendo ſibi voluntario exi-
lio conſilia inter ſe communicantes: illi gratulatum ad templa conuola-
bant, hi aſpectum hominum lucemque vitabant: Illos ſublatos in cælum,
hos amandatos infra terram putares. Neque vero multis edictis aut program-
matis opus fuit, ad peſtes quaſdam hominum ex vrbe pellendas. Vt ſol exori-
ens nebulas diſijcit, vt ventus aream purgat, ita nomen ipſum noui pontifi-
cis diſsipauit improbos, & vrbem tætra illa impurorum hominum collu-
uione purgauit. Iam in ipſo pontificatu qualis fuerit, ſi quis ſubtilius requi-
rere inſtituat, ita reperiet, multis ſæculis nullum pontificem fuiſſe, qui ad ve-
teres illos Silueſtrum, Gregorium, Leonem, eiuſdemque generis alios vi-
uendi ratione & conſuetudine propius acceſſerit. Primum enim, ſi priuata &
domeſtica ſpectemus, eandem in victu cultuque parſimoniam retinuit, qui-
bus à principio ſe, cum adhuc in monaſterio eſſet, aſſuefecerat. Eadem ieiu-
nia erant, eædem preces, eadem ſtatis anni temporibus à certis, ciborum ge-
neribus abſtinentia, eadem interioris veſtitus aſperitas: neque quiſquam vn-
quam intemperans tanto ſtudio voluptates corporis conſectatus eſt, quanto
ille eas perpetuo repudiauit. Immo vero quarum eccleſiæ conſtitutionum
propter ſenectutem aut propter imbecillitatem corporis gratia plerunque pe-
tentibus fieri ſolet, ijs vt ipſe ſe ſolueret, quamquam & affecta ætate, & corpo-
re admodum imbecillo, nunquam tamen adduci potuit. Quotidie ferè ſa-
crificabat: ſi id non poterat, omnino tamen ſacroſancto Miſſæ ſacrificio in-
tererat. Nunquam ex eius ore verbum vnum prodijt, quod non aut ad Dei
laudem, aut ad eorum qui aderant emendationem pertineret. Sic quanquam
adhuc in terra poſitus, verſabatur in cælo, & cum hîc nobiſcum viueret, iam
tamen ciuis erat ſanctorum & domeſticus Dei. Tota quoque eius familia ad
exemplum Domini compoſita erat: cumque multis in locis familiares prin-
cipum ſumptuoſo veſtis genere, arrogantia & contemptu ceterorum, licen-
tia & dicendi & faciendi quicquid collibuit, diſtingui ab alijs ſoleant, hic ſu-
os ita inſtituerat, vt nulla re magis quàm modeſtia ſingulari, & præcipua qua-
dam ſanctimonia vitæ à vulgaribus diſcernerentur. Atque hæc priuatim.
publice autem quot quantaque beneficia & in hanc vrbem & in totam Chri-
ſtianam rempublicam contulit? Reuocauit veterem eccleſiaſticam diſcipli-
nam: quæ ita iam obſoleuerat, vix vt eius imaginem in veterum ſcriptis ag-
noſceremus. Iudiciorum ſeueritatem, quam iam improbiſsimus quiſque aut
eludere aut perrumpere ſolebat, renouauit: cumque acrioribus remedijs ege-
re hoc ſæculum iudicaret, propoſitis etiam acerbioribus ſupplicijs, homi-
num libidinem audaciamque frenauit. In quo, ſi qui ſunt, qui eum vt nimis
ſeuerum ac rigidum culpare audeant, &, vt molles ægroti de medicamento-
rum amaritie conquerantur, facere id non poſſunt, quin eadem opera de ſua
nequitia & leuitate fateantur. Nam ſi aduerſus extraneos tantum ſeuerita-
tem adhibuit, in ſe autem & in ſuos remiſſus, atque indulgens fuit, tum ſane
hos reprehenſores audiamus: ſin & domi & foris, & in ſuos & in alienos ſui
ſe ſimilem præbuit, neque quemquam vſque eo charum habuit, vt ad eius pec-
cata conniuendum duxerit: fateamur, id quod res eſt, ſeueritatem illam ab
eximio quodam iuſtitiæ ſtudio profectam, his temporibus neceſſariam ac ſalu-
tarem fuiſſe. Iam eum & ab omni auaritia ac ſordibus lōgiſsimè abfuiſſe, & libe
ralitate ac magnificentia excelluiſſe, & res ipſa loquitur, & ij quoq; qui propter
NN 4 eas

eas, quas dixi cauſas parum eius gloriæ fauent, confitentur. Cui rei argumento eſt & innumerabilium priuatorum inopia ſubleuata, & infinita illa vis pecuniarum, qua omnibus prope orbis Chriſtiani partibus aliqua difficultate preſſis ac laborantibus ſine vlla cunctatione ſubuenit. Illud vero immortale & omnium gentium omniumque ſæculorum prædicatione celebrandum beneficium, quo vniuerſam Chriſtianam remp. affecit, inita & conſtituta cum Philippo rege verè catholico, & cum Venetis belli aduerſus Turcas gerendi ſocietate, quis vnquam ſatis pro dignitate laudauerit? Quam in ſocietatem vt cæteros quoque principes Chriſtianos perduceret, cum alia multa molitus eſt: tum anno ſuperiori, periculoſiſſimo tempore, maximis caloribus, eum quem ſemper meritiſſimo vnicè dilexit, ſororis ſuæ nepotem, Michaëlem Cardinalem Alexandrinum, ſibi ſanguinis quidem coniunctione proximum, ſed virtutis imitatione propiorem, in cuius aſpectu ac colloquio acquieſcebat, cum quo cogitationes ac conſilia ſua communicabat, in quo maximum poſteritati ſuæ præſidium collocarat, eum igitur legatum in Hiſpaniam, in Luſitaniam, in Galliam miſit: neque eius, quem tantopere amabat, vitam in apertum diſcrimen exponere veritus eſt, dum ne quid intentatum relinqueret, quod ad CHRISTI gloriam, & ad Chriſtianorum vtilitatem pertineret. Hæc ego cum laudo, Patres ampliſsimi, vos laudo. Magna enim veſtra laus eſt, aliorum quidem, quod ex corpore veſtro talem principem elegiſtis: aliorum vero, quod vos talis princeps in ampliſſimum ordinem adlegit. Singulares principis noſtri virtutes Deus Optimus Max. ſingulari felicitate cumulauit, datis ei de duplici genere hoſtium duabus maximis pulcherrimisque victorijs, altera terreſtri de ijs, qui in Gallia & à CHRISTO & à rege defecerant: altera nauali, cuius recèns adhuc memoria eſt, de ſempiterno Chriſtiani nominis hoſte, Turcarum tyranno. Sed & hæc & alia plurima, quæ ſciens prudensque, ne longior ſim, prætereo, hiſtoriarum ſcriptores monumentis ſuis commendabunt æternitati: mihi autem breuiter de ipſius exitu ac migratione ex hac vita dicendum eſt: vt intelligant omnes, vitam ita laudabiliter actam, non minus laudabili fine eſſe concluſam. Duo ſunt, quæ, cum ad extremum vitæ ventum eſt, etiam ſpectatæ virtutis viros de gradu deijcere interdum ſolent, doloris acerbitas, & mortis metus. Et ſunt tamen qui quamdiu à ſe mortis periculum abeſſe confidunt, dolorem ſatis forti animo ferunt. Sunt etiam, qui, dum ne graui & diuturno dolore crucientur, imminentem mortis neceſsitatem ſatis ęquo animo expectant. Qui autem vtrumque præſtet, vt neque doloris acerbitate ac diuturnitate frangatur, neque aduentantis atque imminentis mortis metu terreatur, ei pectus incredibili quadam fortitudine armatum eſſe ac munitum neceſſe eſt. Quæ laus ſi cui vnquam meritò tributa eſt, huic certe omnium confeſsione tribuenda eſt. Qui cum quadraginta totos dies tantam vim doloris perpeſſus ſit, quanta maxima cadere in hominem poteſt, nunquam tamen vllam vocem parum ſe dignam emiſit: ſed illud in ore frequentiſsime habuit, Domine adde ſane ad dolorem, dum addas & ad patientiam. Mortem autem ſibi ab ipſo morbi principio certam atq; exploratam ita non exhorruit, vt de ea ſine vlla prorſus aut vultus, aut animi perturbatione loqueretur: planeq́; oſtenderet eam à ſe, vt Diuus Paulus ait, in lucro poni. Ac ne cui dubium ſit, præſciuiſſe eum, ſibi ex illo morbo moriendum fore, duas apertas atque illuſtres eius rei ſignificationes dedit. Vnam, quod Cardinalem Alexandrinum pridie paraſceues, hoc eſt viceſimo nono ante ipſius obitum die, ſacroſanctam Euchariſtiam ſibi porrigentem, & vſitata verborum formula vtentem, iuſsit inſiſtere, & ita verba concipere vt in ijs tantum ſit, qui ſanctiſsimum illud ſacramentum pro viatico accipiunt, vt paulò pòſt ad aliam vitam comigraturi. Alteram quod cum, ob quandam morbi leuationem, depulſum ab eo eſſe mortis periculum, conſtans opinio eſſet, ſeptem illa præcipua vrbis templa inuiſere voluit, eiuſque itineris, quamquam viribus morbi grauitate & longinquitate deiectis, magnam partem pedibus confecit, aperte profitens, vel-

le ſe



le ſe eorum reliquias poſtremum videre, quos ſe, non multò pòſt viſurum eſſe ſperaret in cælo. Mortem aut illius & præceſſerunt multa prodigia, terræ fremitus, terræmotus, fluminum inundationes, crebri fulminum iactus, & ſecuta eſt tanta populi conſternatio, vt eius deſiderium vix longo tempore mitigari poſſe videatur. Sed nos quidem alieniſsimo reipub. tempore optimo & pręſtantiſsimo principe orbati ſumus: ille autem, vt confidimus è tenebris ac vinculis corporis in lucem libertatemq́ue perductus, promiſſam pijs omnibus poſsidet hæreditatem: ita vt mors ipſius, ſi ſortem noſtram reſpicimus, luctu & lamentationibus: ſin ipſum, cultu & gratulationibus proſequenda ſit. Vos verò, Patres ampliſsimi, quos iam vnos mæſta tanti gubernatoris obitu intuetur eccleſia, quorum ex auctoritate ac ſuffragijs, ſecundum Deum, tranquillitas temporum & ſalus reipub. pendet, conſulite quamprimum rebus afflictis, & ex veſtro nobiliſsimo corpore ac collegio aliquem eiuſmodi eccleſiæ rectorem deligite, qui & ſedare poſsit mœrorem ex huius morte cōceptum, & voluntate, prudentia, vſu rerum, auctoritate, aptiſsimus ſit ad perficienda pulcherrima ac præſtantiſsima opera, quæ præpropera huius morte imperfecta atque inchoata manſerunt.

*PIVS V. PONT. MAX. OBIIT KAL. MAI. M. D. LXXII.*

## GREGORIVS XIII. PAPA MODERNVS.

GRegorius XIII. nobili familia Boncompagno Bononiæ oriundus: Mortuo Pio V. ex Cardinale, menſe Maio, Anni milleſimi quingēteſimi ſecundi Pontifex Maximus denunciatur, paucisq́; pòſt pro more in ſummo templo Romæ coronatur. Sedet modò ad gubernacula Eccleſiæ, imperante Inuictiſsimo Principe Maximiliano II. Auſtrio Auguſto Cæſare: Initio ſtatim pontificatus ſui indulgentias Chriſtiano orbi communicauit. Fœdus ſacrum à Pio V. anteceſſore ſuo cum Venetis, Philippoq́; Rege Hiſpaniæ contra Turcicam Tyrannidem innitum aliquandiu continuauit. Eo pontifice in Gallijs Auguſto menſe bellum, quod per vnum annum ſopitum fuerat, cæſis principibus aduerſæ Religionis, à Rege Carolo Nono redintegratur. Qui vt maximæ pietatis & ſummæ eruditionis laudem omnium bonorum conſenſu, ante Pontificatum acquiſierat: ita dubium non eſt, quin vtiliſsimam, & ſaluberrimam, Maximoq́; Pontifice, & ſupremo Chriſti in terris Vicario dignam operam eccleſiæ Catholicæ, & Chriſtianæ reipublicæ, atq; rei literariæ ſit nauaturus. Vt antiqua pietas, & vetus ſanctimonia, orthodoxaq́; religio aliquando tandem refloreſcat. Iactaq́; per Pium V. publicæ ſalutis & tranquillitatis fundamenta, à Gregorio XIII. per Dei præpotentis gratiam, exædificentur. *Pont. 230.*

FINIS VITARVM PONTIFICVM.

# ONVPHRII PANVINII VERONENSIS, FRATRIS EREMITAE AVGVSTINIANI, PONTIFICVM ROMANORVM CHRONICON.

Anni Christi | Numerus Pontificum | Anni. | Menſes. | Dies.

44 1 SANCTVS SIMON PETRVS Cephas, Ioannis filius Bethſaidenſis, Capharnaitani agri, Galilæus D. N. Ieſu Chriſti diſcipulus, atq; ab eo princeps Apoſtolorum cõſtitutus, primus Romanam eccleſiam fundauit, erexitq;, ac in ea epiſcopus primus Ti. Claudio Cæſare Auguſto Germanico, & Imp. Nerone Claudio Cæſare Auguſto Germanico, ſedit annos 24 5 12

A die XV. Kal. Februarij Ti. Claudio Druſi F. Cæſare Auguſto Germanico III. & L. Vitellio P. F. iterum conſulibus, qui annus erat poſt Chriſti natale 44. Quo primùm Vrbem ingreſſus eſt, vſq; ad diem III. Kal. Iulij L. Fonteio L. F. Capitone C. Iulio C. F. Rufo Cõſulibus: is annus poſt Chriſtum natum erat 68. Quo Imp. Nerone Claudio Cæſare Auguſto, Romæ capite deorſum verſo crucifixus eſt, atq; in Vaticano ſecundum viam Triumphalem ſepultus.

57 Beatus Petrus apoſtolus Vrbis Romæ epiſcopus, quum vnus paſcendæ plebi non ſufficeret, duos Chorepiſcopos ſiue coadiutores ordinauit, Linũ, & Cletum, quibus ſacramenta Chriſtianis exhibẽtibus, ipſe orationi, & prædicationi populum erudiens, vacaret.

68 Sãctus epiſcopus Petrus, paulò ante obitum ſuum, quum martyrij ſui tẽpus appropinquare cognouiſſet, B. Clementem S. R. E. veterem presbyterum, epiſcopum Romanum deſignatum in ſucceſſorem ſuũ, per manuum impoſitionem delegit, eiq; cathedram epiſcopalem, & Romanam catholicam eccleſiam, poſt ſe ab eo regendam commendans: Ego (inquit) eandem tibi poteſtatem ligandi, atq; ſoluendi trado, quam mihi dominus meus IESVS Chriſtus reliquit, in qua ſpretis, ac cõtemptis rebus omnibus, tum corporis, tum fortunæ, oratione & prædicatione, ſaluti hominum (vt bonum paſtorem decet) conſule.

His itaque ſic diſpoſitis, quum ordinationes aliquot Romæ menſe Decembri feciſſet, quibus epiſcopos VI. presbyteros X. & diaconos VII. creauit, nõ longè pòſt cum doctore gentiũ ſancto Paulo apoſtolo martyrio coronatus, migrauit ad cœlum, anno poſt paſsionem Domini XXXIIII. menſe III. die IIII.

57 2 Sanctus Linus Herculani filius, Volaterranus Thuſcus, Petri apoſtoli diſcipulus, & ab eo viuen-

AAA tecum

| Anni Christi. | Numerus Pōtificũ. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | te cum ſancto Cleto Chorepiſcopus, ſiue coadiutor Romanæ eccleſiæ ordinatus, ſedit Romæ, abſente vt plurimum Petro annos | 11 | 3 | 12 |
| | | Creatus Imp. Nerone Claudio Cæſare Auguſto Germanico, Q. Voluſio, L.F. Saturnino, P. Cornelio P.F. Scipione Coſ. anno Chriſti nati 57. pridie Idus Iunij, & ſedit vſq; ad annum ſalutis 68. & IX. Kal. Octobris diẽ, quo Imp. Nerone Cæſare Auguſto, L. Fonteio, L.F. Capitone, & C. Iulio, C. F. Rufo conſulibus, quũ eſſet etiam S. Clementis primi pòſt S Petrũ apoſtolũ epiſcopi Romani Chorepiſcopus, ſiue coadiutor, altero mẽſe, & die XXVI. à beati Petri morte capite cæſus eſt, & iuxta eiuſdem apoſtoli corpus, propè Caij, & Neronis circum in Vaticano ſepultus, ordinatiõibus duabus, B. Petri apoſtoli mãdato celebratis, quibus epiſcopos XV. presbyteros XVIII. & diaconos ... crearat. | | | |
| 68 | 3 | Sanctus Clemẽs Fauſtini filius Romanus de regione II. Cælimontium ex S. R. E. presbytero, primus poſt ſancti Petri apoſtoli mortem Romanus epiſcopus paulò ante ipſius obitum ab eodem deſignatus, Imp. Nerone Claudio Cæſare Auguſto Germanico, Ser. Sulpicio, C.F. Galba Imp. Cæſare Auguſto, Imp. M. Saluio Othone Cæſare Auguſto, A. Vitellio, L. F. Germanico Imperatore Auguſto, & Imp. Cæſare. T. Flauio Veſpaſiano Auguſto Romæ ſedit annos | 9 | 4 | 26 |
| | | A die III. Kal. Iulij anni eiuſdem 68. vſq; ad anũ Chriſti 77. diemq; IX. Kal. Decẽbris, quo Imp. Cæſare Veſpaſiano Auguſto VII. & Tito Cæſare Auguſti filio V. Coſ. quum in Ponto, vbi in exiliũ actus fuerat, in mare merſus fuiſſet, ibidem ſepultus iacuit, vſque ad Nicolai papæ tempora, quibus Romam translatus in baſilica ſuo nomini dicata conditus eſt. Ordinationes porrò duas menſe Decembri fecerat, quibus epiſcopos XV. presbyteros X. & diaconos II. creauit. | | | |
| 77 | 4 | Sanctus Cletus Aemiliani filius Romanus, de regione V. Eſquilina, quartus in ordine epiſcoporum Romanorũ addito Lino, ſecundus verò poſt Petrum apoſtolum papa. Imp. Cæſare T. Flauio, T. F. Veſpaſiano Auguſto, Imp. Tito Cæſare Veſpaſiano Auguſto, & Imp. Cæſare Flauio Domitiano Auguſto Germanico, ſedit annos | 6 | 5 | 3 |
| | | Qui cũ Chorepiſcopus, ſiue coadiutor Clementis, quemadmodum etiã antè & Petri fuerat, remãſiſſet, Clemente relegato Romanã eccleſiã rexit, atq; poſt eius obitũ, vt antiquior in religione Chriſtiana diſcipulus, & de ea præ cęteris bene meritus, epiſcopus Romanus confirmatus fuit, audita Clementis morte, omnium prebyterorum, & reliquorum cleri ordinum, plebiſq; ſuffragijs, quum antea ſub SS. Petro, & Clemente Chorepiſcopus ſiue coadiutor fuiſſet annos 20. menſ. 5. dies 12. | | | |
| | | Sedit igitur à die obitus ſancti Clemẽtis, id eſt, | | | |

IX.



| Anni Christi. | Numerus Pōtificũ. | | Anni. | Menſes. | Dies |
|---|---|---|---|---|---|
| | | IX. Kalendas Decemb. vſq; ad annum Chriſti 84. quo VI. Kal. Maij Imp. Cęſare Flauio Domitiano, Aug. Germanico IX. & T. Virginio Rufo II. Conſulibus, quum ordinationem vnam XXV. presbyterorum feciſſet, occiſus eſt, & in Vaticano iuxta Sanctum Petrum, prope Apollinis templũ ſepultus. Sedit autẽ omnino Romæ, tam in Chorepiſcopatu, quàm in pontificatu annos 26. menſes 10. dies 15. Quo mortuo paſtore tunc primùm vacauit Romana ſedes per dies | 0 | 0 | 7 |
| 84 | 5 | Sanctus Anacletus Antiochi filius Athenienſis Græcus, S. R. E. presbyter à beato Petro apoſtolo ordinatus, quintus pontifex Romanus Imp. Cæſare Flauio Domitiano Aug. Germanico Romæ, ſedit annos | 12 | 2 | 10 |
| | | Creatus IIII. Nonas Maij, occiſus III. Idus Iulij anno Chriſti 96. Imperatore Cæſare Domitiano Aug. Germanico XVII. & T. Flauio Clemente cõſulibus, & iuxta ſanctum Petrũ in Vaticano ſepultus, quum ordinationes duas epiſcoporũ VI. presbyterorum V. & diaconorũ III. menſe Decẽbri feciſſet. Quo mortuo paſtore Romana ſed. vac. dies | 0 | 0 | 13 |
| 96 | 6 | Sanctus Euariſtus Iudæ filius Bethleemites Syrus Græcus Imp. Cæſare T. Flauio Domitiano Auguſto Germanico, Imperatore M Cocceio Nerua Cæſare Auguſto, & Imp. Cæſare Nerua Traiano optimo Auguſto Germanico Dacico, ſedit annos | 13 | 3 | 0 |
| | | Creatus VI. Kal. Auguſti. Et quũ ordinationes tres menſe Decembri feciſſet, quibus epiſcopos V. presbyteros VI. & diaconos duos creauit, VII. Kal. Nouembris anno Chriſti 109. occiſus eſt, & iuxta S. Petri corpus in Vaticano ſepultus. Ap. Annio Trebonio Gallo, & M. Attilio Metilio Bradua Coſ. Eo mortuo vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 19 |
| 109 | 7 | Sanctus Alexander Alexandri filius Romanus, de vico caput Tauri, Imp. Cæſare Nerua Traiano optimo Auguſto Germanico Dacico Parthico, ſedit annos | 7 | 5 | 19 |
| | | Creatus XVII. Kal. Decembris. Et quum ordinationes tres menſe Decembri feciſſet, quibus epiſcopos quinque, presbyteros ſex, & diaconos duos legit, V. Nonas Maij anno ſalutis 117. cum Euentio, & Theodulo diaconis occiſus eſt, & via Nomentana ſeptimo ab Vrbe lapide ſepultus, L. Aemilio Aeliano, & L. Antiſtio Vetere conſulibus. Quo mortuo vacauit ſedit dies | 0 | 0 | 25 |
| 117 | 8 | Sanctus Xyſtus Paſtoris filius Romanus de regione VII. Via lata, ex presbytero S.R.E. Imp. Cæſare Nerua Traiano Auguſto, & Imp. Cæſare Traiano Hadriano Auguſto, ſedit annos | 9 | 10 | 9 |
| | | Creatus IIII. Kalendas Iunij. Et quum ordinationes tres menſe Decembri Epiſcoporum IIII. presbyterorum XI. & diaconorum III. feciſſet, VIII. Idus Aprilis anno ſalutis 127. occiſus eſt, & in Vaticano ſepultus, M. Lollio Pedio Vero, & | | | |

AAA 2 Q. Iu-

| Anni Christi. | Numerꝰ Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | Q. Iunio Lepido Bibulo Coſ. Vacauit ſedes Romana dies | 0 | 0 | 2 |
| 127 | 9 | Sãctus Teleſphorus Anachoretæ filius Græcus, presbyter S. R. E. Imp. Cæſare Traiano Hadriano Auguſto, ſedit annos | 10 | 8 | 28 |
| | | Creatus V. Idus Aprilis. Ordinatianibusq; IIII. epiſcoporum XIII. presbyterorum XII. & diaconorum VIII. menſe Decembri factis, Nonis Ianuarij Anno Chriſti 138. occiſus eſt, ac in Vaticano iuxta ſanctum Petrum ſepultus, L. Aelio Hadriani Auguſti filio Vero Cæſare II. & P. Cœlio P. F. Balbino Vibullio Pio Coſ. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 7 |
| 138 | 10 | Sanctus Hygeinus Philoſophi filius Athenienſis Græcus, presbyter S. R. E. Imp. Cæſare Traiano Hadriano Aug. Imp. Cæſare T. Aelio Hadriano Antonino Aug. Pio, ſedit annos | 4 | 0 | 0 |
| | | Creatus Idibus Ianuarij. Qui quum ordinationes tres menſe Decembri feciſſet, quibus epiſcopos ſex, presbyteros XV. & diaconos V. ordinauit, III. Idus Ianuarij anno Chriſti 124. mortuus eſt, & in Vaticano ſepultus M. Peducæo Syloga Priſcino, & T. Hœnio Seuero Coſ. Vac. ſed. dies | 0 | 0 | 3 |
| 142 | 11 | Sanctus Pius Rufini filius Aquileienſis presbyter S. R. E. Imp. Cæſare T. Aelio Hadriano Antonino Aug. Pio, ſedit annos | 11 | 5 | 27 |
| | | Creatus XIIX. Kal. Februarij. Et quum ordinationes quinq; menſe Decembri epiſcoporum XII. presbyterorum XIIX. & diaconorum XI. feciſſet, V. Idus Iulij anno Domini 153. mortuus eſt, & in Vaticano ſepultus, Sex. Acilio Manio F. Glabrione, & C. Valerio C. F. Omollo Veriano Coſ. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 13 |
| 153 | 12 | Sanctus Anicetus Ioannis filius de vico Humiſia Syrus, S. R. E. presbyter, Imp. Cæſare T. Aelio Hadriano Antonino Auguſto Pio, Imp. Cæſare M. Aurelio Antonino Aug. & Imp. Cæſare L. Aelio Aurelio Vero Antonino Aug. ſedit annos | 9 | 8 | 24 |
| | | Creatus VIII. Kalendas Auguſti. Ordinationes quinque epiſcoporum IX. presbyterorum XVII. & diaconorũ IIII. menſe Decembri fecit, Martyrio coronatus XV. Kal. Maij, anno ſalutis 163. & via Appia in cœmeterio, quod poſtea Calliſti appellatum eſt, tertio ab Vrbe lapide ſepultus. Q. Iunio Ruſtico II. & ::: Vettio Aquilino Coſ. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 17 |
| 163 | 13 | Sanctus Concordius Soter Concordij filius Fundanus Imp. Cæſare M. Aurelio Antonino Auguſto, & Imp. Cæſare L. Aelio Aurelio Vero Antonino Auguſto, ſedit annos | 7 | 11 | 18 |
| | | Creatus III. Nonas Maij. Et quum ordinationes VI. menſe Decembri feciſſet, quibus epiſcopos XI. presbyteros XVIII. & diaconos IX. creauit, X. Kalend. Maij anno 171. mortuus eſt, ac via Appia ad Catacumbas in cœmeterio, quod poſtea Calliſti nomen tulit, ſepelitur, M. Aurelio Seuero Ce- | | | |



| Anni Chriſti. | Numerꝰ Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | ro Cethego, & L. Iunio Claro Coſ. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 21 |
| 171 | 14 | Sanctus Habundius Eleutherus Habundij filius Nicopolitanus Græcus S. R. E. diaconus, Imperatore Cæſare M. Aurelio Antonino Aug. & L. Aelio Aurelio Commodo Auguſto, ſedit annos | 15 | 0 | 13 |
| | | Creatus pridie Idus Maij. Ordinationes tres mẽſe Decembri habuit, epiſcoporum XV. presbyterorum XII. & diaconorum VIII. Mortuus eſt VII. Kal. Iunij anno Chriſti 186. & in Vaticano ſepultus ::: Triario Materno, & M. Atilio Metilio Bradua conſulibus. Quo mortuo ſedes Romana vacauit dies | 0 | 0 | 5 |
| 186 | 15 | Sanctus Victor Felicis filius Afer Imp. Cæſare M. Aurelio Cõmodo Antonino Pio Felice Aug. Imp. Cæſare P. Heluio Pertinace Auguſto, Imp. Cæſare M. Didio Iuliano Auguſto, & Imp. Cæſare L. Septimio Seuero Pio Pertinace Auguſto, ſedit in cathedra ſancti Petri Romæ annos | 12 | 1 | 28 |
| | | Creatus Kalendis Iunijs. Qui quum ordinationes duas menſe Decembri feciſſet, quibus epiſcopos XII. presbyteros IIII. diaconosq; VII. legit, V. Kalendas Auguſti, anno Chriſti 198. obijt, & in Vaticano ſepelitur, Ap. Claudio Laterano, & M. Mario, M. F. Titio Rufino conſulibus. Quo mortuo paſtore ſancta Romana ſedes vacauit dies | 0 | 0 | 12 |
| 198 | 16 | Sanctus Habundius Zephyrinus Habundij filius Romanus, Imp. Cæſare L. Septimio Seuero Pio Pertinace Auguſto, Imp. Cæſare M. Aurelio Antonino Caracallopio Felice Aug. & Imp. Cæſare M. Opelio Seuero Macrino Felice Auguſto, ſedit annos. | 20 | 0 | 17 |
| | | Creatus IIII. Idus Auguſti Ordinationes IIII. menſe Decembri fecit, quibus epiſcopos XIII. presbyteros XIII. & diaconos VII. creauit. Obijt VII. Kalendas Septembris, anno Domini 218. & in cœmeterio ſuo iuxta Catacumbas, via Appia ſepultus eſt Bruttio præſente, & Extricato conſulibus. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 6 |
| 281 | 17 | Sanctus Domitius Calliſtus Domitij filius Romanus de vico Caſtrorum Rauennatium, Imp. Cæſare M. Opelio Macrino Felice Auguſto, Imp. Cæſare M. Aurelio Antonino pio Felice Aug. Elagabalo, & Imp. Cæſ. M. Aurelio Seuero Alexandro Pio Felice Auguſto, ſedit annos | 5 | 1 | 13 |
| | | Creatus IIII. Nonas Septembris. Et quum ordinationes V. menſe Decembri epiſcoporum VIII. presbyterorum XVI. & diaconorum IIII. feciſſet, pridie Idus Octobris anno Chriſti 223. occiſus eſt, ac in cœmeterio Calepodij via Aurelia, tertio ab Vrbe lapide ſepultus, Imp. Cæſare M. Aurelio Antonino Elagabalo P. F. Auguſto IIII. & M. Aurelio Seuero Alexandro nobi- liſsimo | | | |

| Anni Chriſti. | Numerꝰ Pōtificū. | PONTIFICES | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | liſsimo Cæſare conſulibus. Vacauit ſedes dies. | 0 | 0 | 6 |
| 223 | 18 | Sanctus Vrbanus Pōtiani filius Romanus Imp. Cæſare M. Aurelio Seuero Alexandro Pio Felice Auguſto, ſedit annos | 7 | 7 | 5 |
| | | Creatus XVII. Kal. Nouemb. Ordinationes V. de mēſe Decembri fecit, epiſcoporum VIII. preſbyterorum IX. & diaconorum V. Martyrio coronatus VIII. Kal. Iunij, anno Chriſti 231. ſepultus eſt via Appia, in cœmeterio Prætextati, Agricola & Clementino Coſſ. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 23 |
| 231 | 19 | Sanctus Calpurnius Pontianus Calpurnij filius Romanus, Imperatore Cæſare M. Aurelio Seuero Alexandro P. F. Auguſto, ſedit annos | 5 | 5 | 2 |
| | | Creatus XIIII. Kalend. Iulij. Qui quum ordinationes duas menſe Decembri feciſſet, quibus epiſcopos ſex, presbyteros ſex, diaconos quinque creauit, anno 236. in exilium actus eſt in Inſulam Sardiniam, vbi XIII. Kalend. Decembris obijt. Cadauer Romam relatum, in cœmeterio Calliſti via Appia ſepultum eſt, L. Catilio Seuero, & L. Ragonio Vrinatio Tuſconio Quinctiano Coſſ. Vacauit ſedes diem | 0 | 0 | 1 |
| 236 | 20 | Sanctus Anterus Romuli filius Græcus, Imp. Cæſare C. Iulio Maximino Germanico, Pio Felice Auguſto, ſedit menſem | 0 | 1 | 14 |
| | | Creatus in Sardinia, die poſt mortem Pontiani, XI. Kalend. Decembris, & quum Romæ menſe Decembri epiſcopum tantum vnum creaſſet, III. Nonas Ianuarij, anno 237. occiſus eſt, ac via Appia in cœmeterio Calliſti ſepultus, Imp. Cæſare C. Iulio Maximino P.F. Aug. Germanico, C. Iulio Africano viro clariſsimo Coſſ. Vacauit ſedes Romana dies | 0 | 0 | 6 |
| 237 | 21 | Sanctus Fabius Fabianus Fabij filius Romanus, Imp. Cæſaribus Maximino Auguſto, D. Cœlio Balbino, M. Clodio Pupieno Maximo, M. Antonio Gordiano, M. Iulio Philippo, C. Meſsio Quincto Traiano Decio, Pijs Felicibus Aug. ſedit annos | 14 | 0 | 11 |
| | | Creatus IIII. Idus Ianuarij. Ordinationibusq; V. menſe Decembri epiſcoporum XI. presbyterorum XXII. & diaconorum VIII. factis, XIII. Kalend. Februarij anno Chriſti 251. occiſus eſt, & in cœmeterio Calliſti Via Appia ſepultus, Imp. Cæſare Cn. Meſsio Quincto Traiano Decio P. F. Aug. II. & ::: Annio Grato viro clariſsimo Coſſ. Vacauit ſedes propter temporum difficultatem menſes | 0 | 5 | 21 |
| 237 | 22 | Sanctus Cornelius Caſtini filius Romanus ex presbytero S. R. E. Imperatoribus Cæſaribus Cn. Meſsio Traiano Decio, C. Vibio Treboniano Gallo, & C. Vibio Voluſiano Pijs Felicibus Auguſtis, ſedit annos | 2 | 2 | 3 |
| | | Creatus IIII. Idus Iulij. Et quum ordinationes duas menſe Decembri feciſſet, epiſcoporum VII. preſ- | | | |



| Anni Chriſti. | Numerꝰ Pōtificū. | ROMANI. | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | presbyterorum IIII. & diaconorum IIII. die XVIII. Kalendas Octobris capite cæſus eſt, ac iuxta cœmeterium Calliſti via Appia, in prædiolo Luciniæ, prope harenariū, in Crypta ſepultus, anno Chriſti 253. Impp. Cæſs. C. Vibio Treboniano Gallo II. & C. Vibio Voluſiano Pijs Felicibus Augg. Conſt. Vac. ſed. menſ. | 0 | 2 | 5 |
| 252 | 1 | *Nouatianus Romanus S. R. E. presbyter in ſchiſmate contra S. Cornelium papam auctore Nouato presbytero Carthaginienſis eccleſiæ creatus, ſedit annos plus minus* | 6 | | |
| | | *Occiſus Romæ tempore Xyſti II. papæ, in perſecutione Valeriani Imperatoris.* | | | |
| | | *Schiſma primùm in Romana eccleſia, inter S. Cornelium papam, & Nouatum Antipapam.* | | | |
| 253 | 23 | Sãctus Lucius Porphyrij filius Romanus, Impp. Cæſaribus, Gallo, Treboniano, C. Iulio, Aemiliano, Valeriano, & Gallieno Pijs Felicibus Auguſtis, ſedit annum | 1 | 3 | 13 |
| | | Creatus XII. Kaled. Decembris. Ordinationes duas menſe Decembri fecit, quibus epiſcopos VII. presbyteros IIII. & diaconos totidem ordinauit. Martyrio coronatus IIII. Nonas Martij, anno Chriſti 255. & in Cœmeterio Calliſti, via Appia ſepultus, Impp. Cæſs. Valeriano II. & Gallieno Augg. Conſs. Vacauit ſedes menſem | 0 | 1 | 5 |
| 255 | 24 | Sanctus Iulius Stephanus Iulij filius Romanus, S.R.E. archidiaconus à Cornelio papa factꝰ. Impp. Cæſs. P. Licinio Valeriano, & P. Licinio Gallieno, Pijs Felicibus Auguſtis, ſedit annos. | 2 | 3 | 25 |
| | | Creatus V. Idus Aprilis. Ordinationes duas mēſe Decembri fecit, epiſcoporū IIII. presbyterorū VI. & diaconorum V. Capite cæſus IIII. Nonas Auguſti, & in cœmeterio Calliſti, via Appia ſepultus, anno Chriſti 257. M. Valerio Maximo II. & Manio Acilio Glabrione viris clariſsimis Coſs. Vacauit ſedes menſem | 0 | 1 | 12 |
| 257 | 25 | Sanctus Xyſtus II. Iunior, Philoſophi filius Athenienſis Græcus, Impp. Cæſs. Valeriano, & Gallieno Auguſtis. Sedit annum | 1 | 10 | 23 |
| | | Creatus XVII. Kalend. Octobris. Et quum ordinationes duas menſe Decembri feciſſet, epiſcoporum II. presbyterorum IIII. & diaconorum VII. capite cæſus eſt VIII. Idus Auguſti, atq; in cœmeterio Calliſti ſepultus, anno Domini 259. M. Aurelio Memmio Fuſco, & ::: Pomponio Baſſo viris clariſsimis Coſs. Vacauit eo occiſo ſedes Romana menſes | 0 | 11 | 15 |
| | | Quo tempore presbyteri S.R.E. præfuerunt, immaniſsima perſecutione comitia pontificalia Romæ prohibente. | | | |
| 260 | 26 | Sanctus Dionyſius Monachus, Impp. Cæſaribus Valeriano, Gallieno, & M. Aurelio Claudio, Pijs Felicibus Auguſtis, ſedit annos | 10 | 5 | 5 |
| | | Creatus XI. Kal. Auguſti Fuluio Aemiliano, & Pomponio Baſſo II. viris clariſsimis Conſs. Ordinatio- | | | |

| Anni Chriſti. | Numerꝰ Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | nationes duas mēſe Decembri fecit epiſcoporum VII. presbyterorū XII. & diaconorum V. Obijt VII. Kalend. Ianuarij, & in cœmeterio Calliſti ſepultus, anno Chriſti 270. Imp. Cæſ. M. Aurelio Claudio P. F. Aug. II. & ::: Ouinio Paterno viro clariſsimo Conſs. Vac. ſed. dies | 0 | 0 | 5 |
| 271 | 27 | Sanctus Felix Conſtantij filius Romanus, Imperatoribus Cæſaribus M. Aurelio Claudio, & M. Valerio Aureliano, Pijs Felicibus Auguſtis, ſedit annos | 4 | 5 | 0 |
| | | Creatus Kalend. Ianuarij ineunte anno Domini 271. .... Flauio Antiochiano, & ::: Furio Orfito VV. CC. Conſs. Ordinationes duas menſe Decembri fecit epiſcoporum V. presbyterorum IX. & diaconorum V. occiſus eſt III. Kalēd. Iunij, anno Chriſti 275. & via Aurelia, in cœmeterio ſuo, ſecundo ab Vrbe lapide ſepultus, Imp. Cæſare Aureliano Auguſto II. & C. Iulio Capitolino V. C. Conſs. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 5 |
| 275 | 28 | Sanctus Eutychianus Maximi filius Lunenſis Tuſcus Imp. Cæſaribus Aureliano, M. Claudio Tacito, M. Annio Floriano, M. Aurelio Valerio Probo, M. Aurelio Caro, & filijs Carino, & Numeriano, Pijs Felicibus Auguſtis, ſedit annos | 8 | 6 | 4 |
| | | Creatus Nonis Iunij. Et quum ordinationibus quinque menſe Decembri habitis, epiſcopos IX. presbyteros XIIII. & diaconos V. feciſſet, VI. idus Decembris anno 283 occiſus eſt, & in cœmeterio Calliſti ſepultus, Impp. Cæſs. M. Aurelio Caro II. & M. Aurelio Carino Auguſtis Conſs. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 8 |
| 283 | 29 | Sanctus Caius Caij filius Salonitanus Delmata ex genere Imperatoris Diocletiani, Imp. Cæſaribus M. Aurelio Carino, M. Aurelio Numeriano, C. Valerio *Diocletiano*, & M. Valerio *Maximiano* Pijs Felicibus Auguſtis, ſedit annos | 12 | 4 | 6 |
| | | Creatus XVI. Kal. Ianuarij. Ordinationibusque quatuor menſe Decembri factis, epiſcoporum V. presbyterorum XXV. & diaconorum VIII. die X. Kal. Maij anno 296. capite cæſus eſt, & in cœmeterio Calliſti ſepultus. Imp. Cæſare Diocletiano Aug. VI. & Fl. Valerio Conſtantio nobiliſsimo Cæſare iterum Conſs. Vac. ſed. menſes | 0 | 2 | 8 |
| 296 | 30 | Sanctus Marcellinus Proiecti filius Romanus, Impp. Cæſs. Diocletiano, Iouio, & Maximiano Herculeo, Pijs Felicibus Auguſtis, ſedit annos | 7 | 9 | 27 |
| | | Creatus Kal. Iulij. Qui quum ordinationes duas menſe Decembri feciſſet, epiſcoporum V. presbyterorum IIII. & diaconorum II. capite cæſus eſt VI. Kal. Maij, anno Chriſti 304. ac via Salaria in cœmeterio Priſcillæ, loco qui dicebatur Cubiculus clarus, in Crypta, iuxta corpus ſancti Creſcentionis ſepultus, Impp, Cæſs. Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Augg. Conſs. Vacauit ſedes eo occiſo menſes | 0 | 2 | 0 |

Sanctus



| Anni Chriſti. | Numerꝰ Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| 304 | 31 | Sanctus Marcellus Benedicti filius Romanus, de regione VII. Via lata S. R. E. presbyter Cardinalis, Impp. Ceſaribus Fl. Valerio Cōſtantio Chloro, C. Galerio Valerio Maximiano, Fl. Valerio Cōſtantino Magno, & M. Aurelio Maxentio Pijs Felicibus Auguſtis, ſedit annos | 5 | 6 | 21 |
| | | Creatus V. Kal. Iulij. Ordinationes aliquot mēſe Decembri fecit, epiſcoporum XXI. presbyterorum XXV. & diaconorum II. Obijt XVII. Kal. Februarij, damnatus in equorum ſtabulo, anno Chriſti 310. & in cœmeterio Priſcillæ via Salaria ſepultus eſt, II. poſt cōſulatum Maximiani Auguſti VII. & Diocletiani *Iouij* X. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 20 |
| 310 | 32 | Sanctus Euſebius *Medici* filius, aliàs Medicus Grecus Impp. Ceſaribus C. Galerio Valerio Maximiano, C. Valerio Aurelio Conſtantino Magno, & M. Aurelio Maxentio, Pijs Felicibus Auguſtis, ſedit annum | 1 | 7 | 27 |
| | | Creatus VIII. Idus Febr. Ordinationē vnā mēſe Decēbri fecit, epiſcoporū XIIII. presbyterorū XIII. & diaconorū III. Exceſsit IIII. Nonas Octobris, anno Chriſti 311. & via Appia, in Crypta iuxta cœmeterium Calliſti ſepultus, Impp. Cæſs. Maximiano VIII. & Licinio Augg. Conſs. Vac. ſed. dies | 1 | 0 | 7 |
| 311 | 33 | Sanctus Miltiades Afer S. R. E. presbyter Cardinalis, Impp. Cæſs. Conſtantino Maximo, & Licinio Aug. ſedit annos | 3 | 2 | 0 |
| | | Creatus VI. Idus Octobris. Ordinationē vnam menſe Decembri fecit, epiſcoporum XII presbyterorū VII. & diaconorū V. Mortuus eſt IIII. Idus Decembris, anno 314. & in cœmeterio Calliſti ſepultus, C. Ceionio Rufio Voluſiano, & Anniano VV. CC. Coſs. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 17 |
| 314 | 34 | Sāctus Silueſter Rufini filius Romanus S. R. E. presbyter Cardinalis à Marcellino papa factus, Imp. Cæſ. Conſtantino Maximo Auguſto, ſedit annos | 20 | 0 | 4 |
| | | Creatus V. Kal: Decembris ineunte anno Chriſti 315. Ordinationes ſex menſe Decēbri fecit, epiſcoporum LXV. presbyterorum XLII. & diaconorū XXVI. Obijt pridie Kal. Ianuarij finito anno Domini 335. ſepultus in cœmeterio Priſcillæ via Salaria, tertio ab Vrbe lapide, Fl. Valerio Conſtātio & C. Ceionio Rufio Albino VV. CC. Coſs. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 15 |
| 325 | I. | Sancta, & vniuerſalis prima Synodus Nicæna CCCXIIX. epiſcoporum contra Arrium presbyterum Alexandrinum, Chriſtum creaturam eſſe affirmantem collecta, mēſe Aprilis, M. Iunio Cæſonio Nicomacho Anicio Fauſto Paulino, & P. Ceionio Iuliano Camœnio VV. CC. Conſs. | | | 0 |
| 336 | 35 | Sanctus Marcus Priſci filius Romanus S. R. E. diaconus Cardinalis à ſancto Miltiade papa factus, Imp. Cæſ. Fl. Conſtantino Maximo Auguſto, ſedit menſes | 0 | 8 | 22 |

Crea-

| Anni Chriſti | Numer9. Pōtificū | | Anni. | Menſes | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | Creatus XVIII. Kal. Febr. Fl. Popillio Nepotiano & Facundo V V. CC. Conſs. Ordinationem vnam fecit, epiſcoporum VII. presbyterorū V. & diaconorum VI. Obijt eodem anno Nonis Octobris, & in Cœmeterio Balbinæ, Via Ardeatina ſepultus. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 20 |
| 336 | 36 | Sanctus Iulius Ruſtici filius Romanus, S. R. E. diaconus Cardinalis à ſancto Silueſtro fact9, Imp. Cæſaribus Conſtantino Maximo Auguſto, & filijs eius Conſtantino, & Conſtantio Iunioribus, Conſtanteq;, Pijs Felicibus Auguſtis, ſedit annos | 16 | 5 | 16 |
| | | Creatus V. Kalend. Nouembris. Ordinationes tres menſe Decembri fecit, epiſcoporum IX. presbyterorum XIIX. diaconorum IIII. Obijt pridie Idus Aprilis anno 353. & in Cœmeterio Calepodij via Aurelia, tertio ab Vrbe lapide ſepultus Cōſtantio Aug. VI. & Gallo Nob. Cæſare II. Conſs. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 25 |
| 353 | 37 | Sanctus Liberius Auguſti filius Romanus, S. R. E. diaconus Cardinalis à ſancto Silueſtro papa factus, Impp. Cæſaribus Fl. Iulio Cōſtantio, Fl. Claudio Iuliano, Fl. Iouiniano, Fl. Valentiniano, & Fl. Valente, Auguſtis, ſedit annos | 13 | 4 | 17 |
| | | Et primum ante ſchiſma, & eius relegationem in pace ſedit annos 2. menſes 3. dies 5. | | | |
| | | Creatus VII. Idus Maij, pontificatu ab Imp. Cæſare Conſtantio Auguſto exactus, & in exilium in Beroëam Traciæ miſſus pridie Idus Auguſti, anno Chriſti 355. Mauortio Lolliano & Arbetione VV. CC. Conſs. Abfuit ann. 2. menſ. 3. dies 3. | | | |
| 357 | | De exilio reuocatus XVII. Kalend. Decēb. Romā reuerſus, in Suburbio ad ſanctam Hagnetem permanſit vſque ad IIII. Nonas Auguſti ſequētis anni 358. quo die Romam ingreſſus, pontificatum Romanum adminiſtrauit, illumq; in ſchiſmate iterum tenuit annos 8. menſes 10. dies 10. Ordinationes duas menſe Decembri fecit, epiſcoporum XIX. presbyterorum XIIX. & diaconorum V. Obijt VIII. Kal. Octobris, anno Chriſti 366. ſepultus via Salaria in cœmeterio Priſcillæ, Fl. Gratiano nobiliſſimo puero, & Dagalaifo V. C. Coſs. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 6 |
| 355 | 2 | *Felix II. Iunior Anaſtaſij filius Romanus, S. R. E. archidiaconus, vel diaconus Cardinalis à Sancto Iulio papa factus, Imp. Cæſ. Fl. Conſtantio Auguſto ſedit in ſchiſmate contra Liberium papam annos* | 10 | 3 | 11 |
| | | *Et primum ſolus pulſo Liberio annos 2. menſes 3. dies 5.* | | | |
| | | *Creatus pridie Idus Auguſti viuente Liberio papa, pontificatus iura ei abrogata ſunt, reſtituto Liberio XVIII. Kal. Decembris, anno Chriſti 357. Conſtantio Aug. IX. & Fl. Claudio Iuliano nob. Cæſare II. Conſ. Quum ordinationem vnam menſe Decembri epiſcoporum XIX. presbyterorum XXI. & diaconorum V. feciſſet, Fœlix obijt anno 365. X. Kal Decembris, ſepultus via Aurelia in baſilica ſua, Impp. Cæſ. Valentiniano, & Valente Augg Conſ.* | | | |
| 355 | | *Schiſma ſecundum in eccleſia Romana inter Liberium & Felicē.* | | | |
| 366 | 38 | Sanctus Damaſus Antonij filius ex oppido Vi- | | | |

marenſi,



| Anni Chriſti. | Numer9 Pōtificū | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | marenſi, diœceſis Bracarēſis Luſitanus Hiſpanus S. R. E. diaconus, Imp. Cæſaribus Valentiniano, Valente, Gratiano, Valentiniano Iuniore, Theodoſio, & Arcadio Auguſtis, ſedit annos | 18 | 2 | 11 |
| | | Creatus & conſecratus Kal. Octobris. Ordinationes quinq; menſe Decembri fecit, epiſcoporū LXII. presbyterorum XXXI. & diaconorum IX. Obijt Romæ III. Idus Decēbris, anno Chriſti 384. & via Ardeatina in baſilica ſua ſepultus, Fl. Ricimere, & Fl. Clearco V V. C C. Conſs. Vac. ſed. dies | 0 | 0 | 17 |
| 336 | 3 | *Vrſicinus Romanus S. R. E. diaconus Cardinalis in ſchiſmate creatus contra Damaſum diaconum, conſecratur à Paulo epiſcopo Tiburtino VII. Kalendas Octobris, die poſt obitum Liberij, qui Impp. Cæſ. Valentiniano, & Valente Auguſtis, ſedit annum* | 1 | 1 | 23 |
| | | *Anno ſequenti 367. XVI. Kalend. Decembris ſponte abdicauit, & factus eſt epiſcopus Neapolitanus Lupicino & Iouino V V. C C. Conſ.* | | | |
| 366 | | *Schiſma tertium in eccleſia Romana inter Damaſum, & Vrſicinum.* | | | |
| | | Præcedentium pontificum idem eſt dies creationis & conſecrationis, quod ſequenti tempore obſeruatum non eſt. | | | |
| 381 | II. | Sancta & vniuerſalis ſynodus ſecunda Conſtantinopolitana, epiſcoporum C L. contra Macedonium epiſcopum Conſtantinopolitanum, ſpiritum ſanctum creaturam eſſe dicentem, congregata, Flauio Annio Eucherio, & Poſtumo Syagrio V V. C C. Conſs. | | | |
| 384 | 39 | Sāctus Siricius Tiburtij filius Romanus, S. R. E. diaconus Cardinalis, Impp. Cæſaribus Flauijs Valentiniano Iuniore, Theodoſio Arcadio, & Honorio Auguſtis, ſedit annos | 13 | 1 | 25 |
| | | Creatus, & conſecratus IIII. Kal. Ianuarij ineūte anno Chriſti 385. Ordinationes quinq; menſe Decembri fecit, epiſcoporum XXXII. presbyterorum XXXI. & diaconorum XVI. Obijt VIII. Kalend. Martij, anno Chriſti 398. ſepultus in cœmeterio Priſcillæ via Salaria, Imp. Cæſare Fl. Honorio Auguſto IIII. & Fl. Eutychiano V. C. Conſs. Vac. ſed. menſ. | 0 | 1 | 15 |
| 398 | 40 | Sanctus Anaſtaſius Maximi filius Romanus S. R. E. presbyter Cardinalis, Impp. Cæſs, Arcadio, & Honorio Auguſtis, ſedit annos | 3 | 0 | 21 |
| | | Creatus & conſecratus VII. Idus Aprilis. Ordinationes duas menſe Decembri fecit, epiſcoporū X. presbyterorum IX. & diaconorum V. Obijt V. Kal. Maij, anno Chriſti 401. ſepultus in cœmeterio ſuo iuxta vicum Vrſi pileati intra Vrbem, prope locum, vbi nunc eſt baſilica ſanctę Vibianę, Ragonio Vincentio Celſo, & Fl. Frauitta V V. C C. Conſs. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 10 |
| 401 | 41 | Sanctus Innocentius Innocentij filius Albanus S. R. E. diaconus Cardinalis, Impp. Cæſs. Arcadio, Honorio, & Theodoſio Iuniore Auguſtis, ſedit annos | 15 | 2 | 44 |
| | | Creatus & conſecratus VIII. Idus Maij. Quum | | | |

Ordi-

| Anni Chriſti. | Numer9 Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | Ordinationes quatuor menſe Decembri epiſcoporum LIIII. presbyterorum XXX. & diaconorum XVII. feciſſet V. Kal. Auguſti anno Chriſti 416. mortuus eſt, & in cœmeterio ad Vrſum pileatum ſepultus. Imp. Cæſare Fl. Theodoſio Iuniore Aug. VII. & Iunio Quarto Palladio V. C. Conſulibus. Vac. ſedes dies | 0 | 0 | 22 |
| 416 | 42 | Sanctus Zoſimus Habrahami filius Cæſarienſis Cappadox Græcus, S. R. E. presbyter Cardinalis ab Innocentio papa factus, Impp. Cæſs. Honorio, & Theodoſio Iuniore Auguſtis, ſedit annos | 3 | 4 | 7 |
| | | Creatus & conſecratus XIII. Kal. Septembris. Ordinationem vnam menſe Decembri fecit, epiſcoporum VIII. presbyterorum X. & diaconorũ III. Obijt VII. Kal. Ianuarij, ſepultus Via Tiburtina, in baſilica ſanctorum Laurentij, & Stephani extra muros, iuxta cryptam, prope corpus ſancti Martyris Laurentij anno 419. finito, Fl. Monaxio, & Fl. Plinta VV. CC. Conſs. Vacauit ſedes diem | 0 | 0 | 1 |
| 419 | 43 | Sanctus Bonifacius Iucundi presbyteri filius Romanus S. R. E. presbyter Cardinalis Impp. Cæſs. Honorio, & Theodoſio Iuniore Augg. ſedit annos | 3 | 9 | 28 |
| | | Creatus in ſchiſmate & conſecratus V. Kal. Ianuarij ineunte anno Domini 420. Ordinationē vnam mēſe Decembri fecit, epiſcoporũ XXXVI. presbyterorum XIII. & diaconorum III. Obijt VIII. Kal. Nouēbris anno domini 423. ſepultus via Salaria in baſilica ſanctæ Felicitatis martyris, iuxta corpus eius, Rufio Prætextato Mariniano & M. Aurelio Aſclepiodoto VV. CC. Conſs. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 9 |
| 420 | 4 | *Eulalius Romanus S. R. E. archidiaconus in ſchiſmate electus contra Bonifacium ſedit menſes* | 0 | 3 | 7 |
| | | *Creatus & conſecratus V. Kal. Ianuarij in fine anni 419. coactus abdicauit anno 420. III. Nonas Aprilis, & factus eſt epiſcopus in Campania, Theodoſio Aug. IX. & Fl. Conſtantio nobiliſs. Cæſare III. Conſs.* | | | |
| 420 | | *Schiſma IIII. in eccleſia Romana, inter Bonifacium & Eulalium.* | | | |
| 423 | 44 | Sāctus Cæleſtinus Priſci filius Romanus S. R. E. diaconus, Impp. Cæſaribus Flauijs Honorio, Theodoſio Iuniore, & Placidio Valentiniano, Auguſtis, ſed. ann. | 8 | 5 | 3 |
| | | Creatus, & conſecratus pridie Nonas Nouembris, fecit ordinationes tres menſe Decembri, epiſcoporum XLVI. presbyterorũ XXXII. & diaconorũ XII. obijt VIII. Idus Aprilis, anno Chriſti 432. ſepultus via Salaria in cœmeterio Priſcillæ, Fl. Aëtio & Fl. Valerio VV. CC. Conſs. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 21 |
| 430 | III. | Sācta, & vniuerſalis ſynodus III. Epheſina CC. epiſcoporum contra Neſtorium patriarchā Conſtātinopolitanum, diuinam in Chriſto naturam negantem coacta, Theodoſio Iuniore XIII. & Placidio Valentiniano III. Augg. Conſs. | | | |

San-



| Anni Chriſti. | Numer9. Pōtificū | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| 432 | 45 | Sanctus Xyſtus III. Xyſti filius Romanus, S. R. E. presbyter, Impp. Cæſaribus Theodoſio Iuniore, & Plac. Valentiniano Augg. ſedit annos | 7 | 11 | 0 |
| | | Creatus & conſecratus IIII. Kal. Maij. Ordinationes quatuor menſe Decembri fecit, epiſcoporum LII. presbyterorum XXIIX. & diaconorũ XII. obijt V. Kal. Aprilis, anno 440. ſepultus via Tiburtina ad ſanctum Laurentium extra muros, in crypta iuxta corpus eius, Imp. Cæſ. Plac. Valentiniano Aug. V. & Anatolio V. C. Conſs. Vac. ſed. menſ. | 0 | 1 | 13 |
| 440 | 46 | Sanctus Leo Magnus Quinctiani filius Romanus S. R. E. archidiaconus, Imp. Cæſaribus Theodoſio Iuniore, Plac. Valentiniano, Fl. Marciano, Fl. Anicio Maximo, Fl. Mæcilio Auito, Fl. Iulio Maioriano, & Fl. Leone Auguſtis, ſed. ann. | 20 | 11 | 0 |
| | | Creatus & cōſecratus IIII. Idus Maij die Dominico. Ordinationes quatuor menſe Decembri fecit, epiſcoporum CXXCVI. presbyterorum XXCI. & diaconorum XXXI. Obijt III. Idus Aprilis anno 461. & primus omnium Romanorum pontificũ ſepultus eſt in porticu ante baſilicam ſancti Petri, Seuerino, & Dagalaifo VV. CC. Conſs. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 7 |
| 451 | IIII. | Sancta, & vniuerſalis ſynodus IIII. Chalcedonenſis DCXXX. epiſcoporum contra Dioſcorum patriarcham Alexandrinum, & Eutychem Abbatem Conſtantinopolitanum, corpus Chriſti fantaſticum fuiſſe dicentes coacta, Marciano Aug. & Clodio Adelphio V. C. Conſs. | | | |
| 261 | 47 | Sanctus Hilarius Criſpini filius Sardus, S. R. E. diaconus, Imp. Cæſare Fl. Leone, Fl. Vibio. Seuero, & Fl. Antemio Auguſtis, ſed. ann. | 6 | 3 | 10 |
| | | Creatus & conſecratus XIII. Kal. Maij. Ordinanationes tres menſe Decembri fecit, epiſcoporũ, XXII. presbyterorum XXV. & diaconorum, V. Obijt V. Kalendas Auguſti, anno 467. ſepultus ad ſanctum Laurentium extra muros, in crypta iuxta corpus Xyſti III. papæ, Ioanne & Puſæo VV. CC. Conſs. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 10 |
| 467 | 48 | Sanctus Simplicius Caſtini, aliàs Caſtorij filius Tiburtinus Latinus, Imp. Cæſarib9 Leone Seniore, Leone Iuniore, Zenone Fl. Antemio, Fl. Anicio Olybrio, Fl. Glicerio, Fl. Iulio Nepote, Fl. Momyllo Auguſtulo Auguſtis, & Rege Gothorum in Italia Odoacre, ſedit ann. | 15 | 6 | 23 |
| | | Creatus, & conſecratus VI. Idus Auguſti. Ordinationes tres menſe Februario, & Decembri fecit, epiſcoporum XXCIIX. presbyterorum LVIII. diaconorũ XI. obijt VI. Nonas Martij anno 483. ſepultus in porticu ante Baſilicam Sancti Petri apoſtoli in Vaticano, Anicio Fauſto V. C. Sine collega Conſ. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 6 |
| 483 | 49 | Sanctus Felix II. dictus III. Iunior Felicis presbyteri Cardinalis ſanctorũ Nerei & Archillei tt. | | | |

 Faſciolæ

| Anni Chriſti. | Numerus Põtificũ. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | Faſciolæ filius Romanus, Impp. Cæſs. Flauijs, Zenone, & Anaſtaſio Augg. & Odoacre Gothorum in Italia rege, ſedit annos | 8 | 11 | 17 |
| | | Creatus, & conſecratus VII. Idus Martij. Ordinationes duas menſe Decembri fecit, epiſcoporũ XXXI. presbyterorum XXIIX. & diaconorum VI. Obijt V. Kal. Martij, ſepultus in baſilica ſancti Pauli Apoſtoli, via Oſtienſi anno 492. Imp. Cæſ. Fl. Anaſtaſio Aug. & Fl. Rufino V. C. Conſs. Vac. ſed. dies | 0 | 0 | 5 |
| 492 | 50 | Sanctus Gelaſius Valerij epiſcopi filius Afer, Imp. Cæſ. Fl. Anaſtaſio Dicoro Auguſto, & Fl. Theodorico Amalo Gothorum in Italia rege, ſedit annos | 4 | 8 | 19 |
| | | Creatus & conſecratus V. Nonas Martij. Ordinationes duas menſibus Februario & Decembri fecit, epiſcoporum LXVII. presbyterorum XXXII. & diaconorum II. Obijt XI. Kal. Decembris anno Chriſti 496. ſepultus ad ſanctum Petrum Apoſtolum, Paulo V. C. Sine Collega Cons. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 5 |
| 496 | 51 | Anaſtaſius II. Iunior Petri filius Romanus de regione Eſquilina Imp. Cæſ. Fl. Anaſtaſio Aug. & Theodorico Italiæ rege, ſedit annum | 1 | 11 | 24 |
| | | Creatus & conſecratus V. Kalend. Decembris. Ordinationem vnam menſe Decembri fecit, epiſcoporum XVI. presbyterorum XII. & diaconorum :::: Obijt XIII. Kalend. Decembris anno 498. ſepultus ad ſanctum Petrum, Decio Paulino & Ioanne Scytha VV. CC. Conſs. Vacauit ſedes, eo mortuo, dies | 0 | 0 | 2 |
| 498 | 52 | Sanctus Cælius Symmachus Fortunati filius, Sardus, Imp. Cæſ. Fl. Anaſtaſio Auguſto, & Theodorico Gothorum rege, ſedit annos | 15 | 7 | 28 |
| | | Creatus, & conſecratus X. Kal. Decembris. Ordinationes quatuor menſe Decembri epiſcoporum CXVII. presbyterorum XCII. & diaconorum XVI. fecit. Obijt XIIII. Kal. Auguſti, anno Chriſti 514. ſepultus ad ſanctum Petrum in Vaticano, M. Aurelio Caſſiodoro Senatore ſine cõlega Conſ. Vacauit ſed. diem | 0 | 0 | 1 |
| | 5 | *Laurentius Romanus S. R. E. presbyter Cardinalis in ſchiſmate contra Symmachum papam electus, ſedit annum* | 1 | ... | ... |
| | | *Creatus, & conſecratus X. Kal. Decembris, & anno ſequenti pontificatu Romano quum ſe abdicaſſet, factus eſt epiſcopus Nuceſinus, Aſclepio, & Ioanne Gibbo VV. CC. Conſs.* | | | |
| 498 | | *Schiſma V. in S. R. E. inter Symmachum & Laurentium.* | | | |
| 514 | 53 | Sanctus Cælius Hormiſda Iuſti filius Fruſinas Campanus, vel Latinus, Impp. Cæſs. Anaſtaſio, & Iuſtino Auguſtis, ac Theodorico Italiæ rege, ſedit annos | 9 | 0 | 18 |
| | | Creatus, & conſecratus XIII. Kal. Auguſti. Ordinationem vnam menſe Decembri fecit, epiſcoporum LV. presbyterorum XXI. & diaconorum :::: Obijt VIII. Idus Auguſti, anno 523. ſepul- | | | |



| Anni Chriſti. | Numerus Põtificũ. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | ſepultus in baſilica ſancti Petri, Fl. Anicio Maximo V. C. ſine collega Conſ. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 5 |
| 523 | 54 | Sanctus Ioannes Conſtantij filius Tuſcus, S. R. E. presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli tt. Pammachij, Imp. Iuſtino Aug. & Theodorico Gothorum in Italia rege, ſedit annos | 2 | 9 | 16 |
| | | Creatus, & conſecratus prid. Idus Auguſti. Ordinationes aliquot epiſcoporum XV. fecit. Exceſſit Rauennæ in carcere à Rege Gothorum Theodorico coniectus VI. Kal. Iunij. Cadauer Romam ilico translatum, ad ſanctum Petrum apoſtolum ſepultum eſt anno Chriſti 526. Anicio Olybrio Iuniore V. C. ſine collega Conſ. Vac. ſed. menſ. | 0 | 1 | 27 |
| 526 | 55 | Sanctus Felix III. dictus IIII. Caſtorij filius Beneuentanus Samnis, S.R.E. presbyter Cardinalis *ſancti Silueſtri* tt. Equitij. Impp. Cæſs. Flauijs Iuſtino, & Iuſtiniano Magno Auguſtis, & Atalarico Gothorum in Italia rege, ſedit annos | 4 | 2 | 18 |
| | | Creatus, & conſecratus VIII. Kal. Auguſti. Ordinationes duas menſibus Februario, & Martio epiſcoporum XXIX. presbyterorum LV. & diaconorum IIII. fecit. Obijt III. Idus Octobris anno 530. ſepultus ad ſanctum Petrũ Poſtumo Lãpadio, & Fl. Oreſte VV. CC. Conſs. Vacauit ſed. dies | 0 | 0 | 3 |
| 530 | 56 | Bonifacius II. Iunior Sigeuultes filius Romanus, S. R. E. presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Cæciliæ Imp. Cæſ. Fl. Iuſtiniano Aug. & Atalarico Italiæ rege, ſedit annum | 1 | 0 | 2 |
| | | Creatus, & conſecratus Romæ XVII. Kal. Nouembris. Ordinationeq; vna facta obijt XVI. Kal. Nouembris anno 531. ſepultus ad ſanctum Petrũ, Poſt conſulatum Lampadij, & Oreſtis VV. CC. Vacauit ſedes menſes | 0 | 3 | 5 |
| 530 | 6 | *Dioſcorus Romanus, S.R.E. presbyter Cardinalis in ſchiſmate cõtra Bonifacium, XVII. Kalend Nouembris creatus, ſedit dies* | 0 | 0 | 28 |
| | | *Obijt eodem anno pridie Idus Octobris, ſepultus ad ſanctũ Petrũ.* | | | |
| 530 | | *Schiſma VI. inter Bonifacium, & Dioſcorum.* | | | |
| 532 | 57 | Ioannes II. Iunior cognomine Mercurius, Proiecti filius Romanus de regione Cælio monte, S. R. E. presbyter Cardinalis tt. ſancti Clementis, Imp. Cæſ. Fl. Iuſtiniano Aug. & Atalarico Gothorum rege, ſedit annos | 2 | 4 | 6 |
| | | Creatus, & conſecratus XI. Kalend. Februarij, II. P.C. Lampadij, & Oreſtis VV. CC. Ordinationẽ vnam menſe Decembri fecit, epiſcoporum XXI. presbyterorum XV. & diaconorum :::: obijt VI. Kalend. Iunij, anno Chriſti 554. ſepultus ad ſanctum Petrum, Fl. Iuſtiniano Aug. III. & Decio Theodoro Paulino V.C. Conſs. Vacauit ſedes Romana dies | 0 | 0 | 6 |
| 534 | 58 | Sanctus Ruſticus Agapetus Gordiani presbyteri Cardinalis ſanctorum Ioannis & Pauli tt. Pammachij, filius Romanus, S. R. E. archidiaconus, Imp. Cęſ. II. Iuſtiniano Aug. & Theodahato Amalo Italiæ rege, ſedit menſ. | 0 | 11 | 19 |

| Anni Christi. | Numer9 Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | Creatus, & conſecratus III. Nonas Iunij. Ordinationem vnam epiſcoporum XI. & diaconorū IIII. fecit. Obijt Conſtantinopoli, quo à Theodahato Gothorum Tyranno Legatus fuerat, XII. Kal. Iunij anno 535. Romam translatus, ſepultus eſt ad ſanctum Petrum XII. Kal. Octob. eiuſdem anni Fl. Beliſario V.C. ſine conlega cōſule, Vacauit ſed menſ. | | | |
| | | ad electionem | 0 | 1 | 28 |
| | | ad ordinationē | 0 | 6 | 24 |
| 535 | 59 | Sanctus Cælius Siluerius Hormiſdæ papæ filius Fruſinas, Hernicus, vel Latinus, aut Campanus, S.R.E. ſubdiaconus regionarius, Imp. Cæſ. Iuſtiniano Auguſto Theodahato & Vitige Gothorum in Italia regibus, ſedit annum. | | | |
| | | ab electione | 1 | 10 | 7 |
| | | ab ordinatione | 1 | 5 | 11 |
| | | Creatus XIII. Kalēd. Auguſti, conſecratus verò die Dominico XVII. Kal. Ianuarij. Ordinationē vnam menſe Decēbri fecit, epiſcoporū XIX. preſbyterorum XIIII. & diaconorum V. Pontificatu exactus eſt VII. Kal. Iunij, anno 537. II. P.C. Fl. Beliſarij V.C. & in inſulam Pontiam relegatus, vbi anno ſequenti 538. XII. Kalend. Iulij mortuus eſt, ibique ſepultus, Ioanne, & Fl. Voluſiano VV.CC. Conſulibus. Quo deportato vacauit ſedes | | | |
| | | vſq; ad creationem | 0 | 0 | 1 |
| | | vſq; ad conſecrationē | 0 | 6 | 19 |
| 537 | 60 | Vigilius Ioannis conſularis viri filius Romanus, S.R.E. archidiacon9, Imp. Cæſare Flauio Anicio Iuſtiniano Aug. Vitige, Ildoualdo Ararico, Tutila & Teio Gothorū in Italia regibus ſedit an. | | | |
| | | à creatione | 18 | 7 | 15 |
| | | à conſecratione | 18 | 6 | 28 |
| | | Creatus VI. Kal. Iunij, & conſecatus die Dominico XVIII. Kal. Iulij, viuente prædeceſſore ſuo Siluerio. Ordinationes duas menſe Decembri fecit, epiſcoporum XXCI. presbyterorū XLVI. & diaconorum XVI. Obijt Syracuſis in Sicilia, Conſtantinopoli ab Imperatore rediens Romam. IIII. Idus Ianuarij anno 556. XV. poſt conſulatum Fl. Baſilij Iunioris V.C. Cadauer Romam relatum, ſepultum eſt via Salaria in baſilica ſancti Marcelli. Quo mortuo vacauit ſedes menſes | 0 | 3 | 5 |
| 537 | | *Schiſma VII. inter Siluerium, & Vigilium.* | | | |
| 553 | V. | Sancta, & vniuerſalis ſynodus V. Conſtantinopolitana ſecunda, epiſcoporū CLXV. contra hæreticos Origenianiſtas collecta XII. poſt conſulatum Flauij Baſilij Iunioris V.C. | | | |
| 556 | 61 | Sanctus Pelagius Ioannis Vicariani filius Romanus, S.R.E. archidiaconus, Imp. Cæſ. Iuſtiniano Auguſto, ſedit ab ordinatione ann. | 4 | 10 | 18 |
| | | Creatus .... ordinatus XVI. Kal. Maij die Dominico paſcæ XV. poſt conſulatum Fl. Baſilij Iunioris V.C. Ordinationes duas menſe Decembri fecit, epiſcoporū XLIX. presbyterorum XXVI. & diaconorū IX. Obijt IIII. Nonas Martij, anno 565. ſe- | | | |



| Anni Chriſti. | Numer9. Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | 561. ſepultus ad ſanctum Petrum, poſt conſulatum Fl. Baſilij Iunioris V.C. Anno XX. Vacauit eo mortuo ſedes Romana | | | |
| | | ad electionem | 0 | 2 | 24 |
| | | ad ordinationē | 0 | 4 | 12 |
| 561 | 62 | Sanctus Ioannes III. Catellinus Anaſtaſij filius Romanus, Impp. Cæſs. Flauijs Iuſtiniano, & Iuſtino Iuniore Augg. ſed. ann. | | | |
| | | ab electione | 13 | 0 | 16 |
| | | ab ordinatione | 12 | 11 | 27 |
| | | Creatus IIII. Kal. Iunij, Conſecratus die Dominico XVI. Kal. Auguſti. Ordinationibus duabus menſe Decembri habitis, epiſcopos LXI. preſbyteros XXIX. & diaconos XIII. fecit. Obijt III. Idus Iulij anno 574. poſt cōſulatum Iuſtini Auguſti anno VII. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſed. menſ. | | | |
| | | ad electionem | 0 | 10 | 3 |
| | | ad ordinationē | 0 | 10 | 19 |
| 575 | 63 | Sanctus Benedictus Bonoſus, Bonifacij filius Romanus, Impp. Cæſs. Iuſtino Iuniore, & Tiberio Conſtantino Augg. ſed. ann. | | | |
| | | ab electione | 4 | 2 | 15 |
| | | ad ordinat. | 4 | 1 | 29 |
| | | Creatus XVI. Kal. Iunij, conſecratus die Dominico IIII. Nonas Iunij. VIII. P.C. Iuſtini Aug. Ordinationem vnam menſe Decembri fecit, epiſcoporum XXI. presbyterorū XV. & diaconorū III. Obijt III. Kal. Auguſti anno 579. XII. P.C. Diui Iuſtini, ſepultus in ſecretario beati Petri Apoſtoli. Vac. ſed. Rom. | | | |
| | | ad elect. | 0 | 3 | 10 |
| | | ad ordinat. | 0 | 4 | 0 |
| 579 | 64 | Sanctus Pelagius II. Iunior Vinigildi filius Romanus. Impp. Cæſaribus Tiberio, & Mauricio Auguſtis, ſedit annos | | | |
| | | ab electione | 10 | 2 | 29 |
| | | ab ordinatione | 10 | 2 | 10 |
| | | Creatus III. Idus Nouembris, conſecratus die ſancti Andreæ pridie Kal. Decembris. Ordinationes duas mēſe Decēbri fecit, epiſcoporū XLVIII. presbyterorum XXVIII. & diaconorum VIII. Obijt VI. Idus Febr. ex peſte anno 590. VI. P.C. P. Tiberij Flauij Mauricij Auguſti, Indictione V. ſepultus ad S. Petrū. Vac. ſed. mēſ. | | | |
| | | ad creationem | 0 | .... | .... |
| | | ad ordinationē | 0 | 6 | 25 |
| 590 | 65 | Sāctus Gregorius, magnus eccleſiæ doctor, Gordiani ſenatoris, & Siluiæ ſanctiſsimæ matronæ filius Romanus monachus, S.R.E. archidiaconus, & apocriſarius Cōſtantinopoli apud Imperatorē, & Anglorum apoſtolus, Impp. Cæſs. Tiberio Flauio Mauritio, & Flauio Phoca Auguſtis, ſedit annos | | | |
| | | ab electione | 14 | .... | .... |
| | | ab ordinatione | 13 | 6 | 10 |
| | | Creatus .... Ordinatus die Dominico III.. Nonas Septembris. Ordinationes duas, vnā in Quadrageſima, aliam menſe Septembris fecit, epiſcoporum LXII. presbyterorum XXXIX. & diaconorum V. Obijt IIII. Idus Martij anno Chriſti 604. ſepultus in porticu ante baſilicam ſancti Petri, | | | |

| Anni Chriſti. | Numerus Põtificũ. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | tri, prope ſecretarium, hodie ſancta Maria de febre vocatum, Imp. Cæſare Flauio Phoca ſine collega Auguſto & cõſule, Indict. VII. Vacauit ſedes Romana eo mortuo menſes { ad electionem | 0 | 5 | 19 |
| | | ad ordinationem | 0 | 6 | 0 |
| 604 | 66 | Sabinianus Boni filius Bleranus Tuſcus diaconus Cardinalis, & apocriſarius apoſtolicæ ſedis Coſtantinopoli apud Imperatorem à ſancto Gregorio papa creatus, Imp. Cæſare Fl. Phoca Aug. ſedit menſes ——— { à creatione | 0 | 5 | 19 |
| | | ab ordinatione | 0 | 5 | 7 |
| | | Creatus Kal. Septembris, conſecratus die Dominico Idibus Septembris. Ordinatiouem vnam epiſcoporum XXVI. fecit. Obijt XI. Kal. Martij anno Chriſti 605. & ad ſanctum Petrum ſepultus, P. C. Fl. Phocæ Aug. Vac. ſed. diem | 0 | 0 | 1 |
| 650 | 67 | Sanctus Bonifacius III. Ioannis Catadioſis filius Romanus, S. R. E. presbyter Cardinalis, Imp. Cæſ. Fl. Phoca Auguſto ſedit menſ. | 0 | 8 | 23 |
| | | Creatus, & ordinatus IX. Kalend. Martij die Dominico. Ordinauit epiſcopos XXI. aliàs XI. Obijt prid. Idus Nouemb. anno Chriſti 605. ſepultus ad ſanctum Petrum, P. C. Imp. Cæſ. Fl. Phocæ Aug. Vacauit ſedes ——— { ad electionem | 0 | .... | .... |
| | | ad conſecrationẽ | 0 | 9 | 15 |
| 606 | 68 | Sanctus Bonifacius IIII. Ioannis Medici filius Valerienſis Marſus, S. R. E. presbyter Cardinalis, Impp. Cæſs. Flauijs Phoca & Heraclio Auguſtis ſed. ann. ——— { ab electione | .... | .... | .... |
| | | à conſecratione | 6 | 8 | 12 |
| | | Creatus .... conſecratus die Dominico V. Kalendas Septembris, II. poſt conſulatum Fl. Phocæ Auguſti. Ordinationes duas menſe Decembri fecit, epiſcoporum XXXVI. presbyterorum :::: & diaconorum IX. Obijt VIII. Idus Maij anno 613. ſepultus ad ſanctum Petrum, II. poſt conſulatum Imperatoris Cæſaris Fl. Heraclij Auguſti. Vacauit ſedes Romana mẽſes { ad electionem | 0 | .... | .... |
| | | ad conſecrationẽ | 0 | 5 | 12 |
| 613 | 69 | Sanctus Deuſdedit Stephani ſubdiaconi filius Romanus, S. R. E. presbyter Cardinalis SS. Ioannis & Pauli, tt. Pammachij à ſancto Gregorio papa factus, Imp. Cæſare Fl. Heraclio Auguſto ſedit ab ordinatione annos | 3 | 0 | 19 |
| | | Conſecratus die Dominico XII. Kal. Nouembris. Ordinationes tres epiſcoporũ XXIX. presbyterorum XIIII. & diaconorũ V. fecit. Obijt VI. Idus Nouembris anno Chriſti 616. Indict. V. & ad ſanctum Petrum ſepultus, poſt conſulatum Fl. Heraclij Auguſti anno V. Vacauit ſedes vſq; ad conſecrationem menſ. | 0 | 1 | 16 |
| 617 | 70 | Bonifacius V. Neapolitanus Ioãnis filius, Imp. Cæſare Flauio Heraclio Auguſto, ſedit ab ordinatione annos | 5 | 10 | 0 |
| | | Conſecratus VII. Kal. Ianuarij ineunte anno Domi- | | | |



| Anni Chriſti. | Numerus Põtificũ. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | Dominicæ natiuitatis 617. Ordinationes duas mẽſe Decembri epiſcoporum XXIX. presbyterorũ XXVI. & diaconorum IIII. fecit. Obijt VIII. Kalend. Nouembris, anno 622. ſepultus ad ſanctum Petrum XI. P. C. Imp. Cæſ. Flauij Heraclij Auguſti, Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 12 |
| 622 | 71 | Honorius Petronij viri conſularis filius Campanus, Imperatore Cæſare Flauio Heraclio Auguſto, ſedit annos | 12 | 11 | 7 |
| | | Creatus, & conſecratus die Dominico VII. Idus Nouembris. Ordinationes tres menſe Decembri epiſcoporũ XXCI. presbyterorum XIII. & diaconorum XI. Obijt III. Idus Octobris anno Chriſti 635. ſepultus ad ſanctum Petrum XXIIII. poſt conſ. Fl. Heraclij Aug. Vac. Rom. ſed. vſq; ad conſecrationem ann. | 1 | 7 | 18 |
| 637 | 72 | Seuerinus Labieni filius, Romanus, Imperatore Cæſare Flauio Heraclio Auguſto, ſedit ab ordinatione annum | 1 | 2 | 4 |
| | | Creatus .... conſecratus Kal. Iunij die Dominico. Fecit ordinationẽ vnam, qua epiſcopos nouem creauit. Moritur IIII. Non. Auguſti, ſepultus ad ſanctum Petrum anno Chriſti 638. poſt cõſulatum Imp. Cæſaris Flauij Heraclij Auguſti anno XXVII. Vacauit ſedes vſq; ad nouam conſecrationem menſ. | 0 | 4 | 22 |
| 639 | 73 | Ioannes IIII. Venantij Scholaſtici filius Dalmata, S. R. E. diaconus Cardinalis, Imperat. Cæſ. Fl. Heraclio Auguſto, ſedit ann. | 1 | 9 | 18 |
| | | Conſecratus VIII. Kal. Ianuarij die Natalis Domini ineunte anno 639. Ordinationes duas menſe Decembri fecit, epiſcoporũ XIIX. presbyterorum XIX. & diaconorũ V. Obijt III. Idus Octobris anno 640. ſepultus ad ſanctũ Petrum XXIX. poſt Cõſulatum Imp. Cæſaris Flauij Heraclij Auguſti. Vacauit ſedes menſem | 0 | 1 | 13 |
| 640 | 74 | Theodorus Theodori epiſcopi filius Hieroſolymita Græcus, Impp. Cæſaribus Flauijs Heraclijs Conſtantino, Herocleona, & Cõſtante Auguſtis, ſedit annos | 6 | 5 | 19 |
| | | Conſecratus VI. Kal. Decembris die Dominico. Ordinationem vnam menſe Decembri epiſcoporũ XLVI. presbyterorum XXI. & diaconorũ IIII. fecit. Obijt pridie Idus Maij anno 647. & ad ſanctum Petrum ſepelitur, V. P. C. Imp. Cæſ. Flauij Conſtantis Auguſti. Vacauit ſedes menſes ——— { ad electionem | 0 | 1 | 21 |
| | | ad cõſecrationem | 0 | 4 | 1 |
| 647 | 75 | Sãctus Martinus Fabritij filius Tudertinus Tuſcus, Imp. Cæſ. Fl. Heraclio Conſtante Auguſto, ſedit annos ——— { ab electione | 6 | 4 | 7 |
| | | à conſecratione | 6 | 1 | 28 |
| | | Creatus prid. Nonas Iulij, conſecratus die Dominico XVI. Kal. Octob. Ordinationes duas mẽſe Decembri fecit, epiſcoporũ XXXIII. presby- | | | |

 terorum

| Anni Christi. | Numerus Pōtificū. | 20 PONTIFICES | Anni. | Menses. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | terorum XI. & diaconorum V. Obijt Cerſonæ in Ponto, vbi in exilium pro tuenda catholicæ fidei veritate ab Imperatore Conſtante actus fuerat prid. Idus Nouembris anno 653. ibiq; ſepultus P.C. Fl. Conſtantis Auguſti anno XI. Vacauit ſedes menſes | 0 | 8 | 28 |
| 654 | 76 | Eugenius Rufiniani filius Romanus de regione prima Auentienenſi, Imp. Cæſ. Fl. Conſtante Auguſto, ſedit annos | 2 | 9 | 24 |
| | | Creatus, & conſecratus die Dominico IIII. Idus Auguſti anno XII. P.C. Conſtantis Imp. Ordinationes duas epiſcoporum XXI. fecit. Obijt IIII. Nonas Iunij, ſepultus ad ſanctum Petrum anno 657. XV. P.C. Conſtantis Imperatoris, Vacauit ſedes Romana menſem | 0 | 1 | 27 |
| 657 | 77 | Vitalianus Anaſtaſij filius Signinus Latinus, Impp. Cæſs. Flauijs Heraclijs Conſtante & Conſtantino Auguſtis, ſedit annos | 14 | 5 | 29 |
| | | Conſecratus die Dominico III. Kal. Auguſti. Ordinationes quatuor epiſcoporum XCVII. presbyterorum XXII. & diaconorum XI. fecit. Obijt VI. Kal. Februarij, anno 672. ſepultus ad ſanctum Petrum P.C. Conſtantini Aug. anno V. Vacauit ſedes menſes | 0 | 2 | 14 |
| 672 | 78 | Adeodatus Iouiani filius Romanus monachus presbyter Cardinalis, Imp. Cæſ. Fl. Heraclio Conſtantino Auguſto, ſedit annos | 4 | 2 | 16 |
| | | Conſecratus III. Idus Aprilis die Dominico. Ordinationem vnam menſe Decembri epiſcoporum XLVI. presbyterorum XIIII. & diaconorū II. fecit. Obijt VI. Kal. Iulij, anno 676. ſepultus ad ſanctum Petrum IX. P.C. Conſtantini Aug. Vacauit ſedes menſes | 0 | 4 | 6 |
| 676 | 79 | Domnio, aliàs Donus, aliàs Domnus, Mauricij filius Romanus, Imp. Conſtantino Auguſto, ſedit annnos | 2 | 5 | 10 |
| | | Conſecratus die Dominico, IIII. Nonas Nouēbris. Ordinationē vnam epiſcoporū VI. presbyterorū X. & diaconorū V. fecit. Obijt III. Idus Aprilis anno 679. ſepultus ad ſanctū Petrū P.C. Conſtātini Aug. anno XII. Vacauit ſedes menſes | 0 | 2 | 28 |
| 679 | 80 | Agatho Pannonij filius Panormitanus Siculus monachus, S. R. E. presbyter Cardinalis, Imp. Cōſtantino Aug. ſedit annos | 2 | 6 | 0 |
| | | Conſecratus VI. Idus Iulij die Dominico. Ordinationē vnam fecit, epiſcoporum XIIX. presbyterorum X. & diaconorum III. Obijt IIII. Idus Ianuarij, anno 682. P.C. Imp. Conſtantini Auguſti anno XV. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes menſes | 0 | 7 | 0 |
| 681 | VI. | Sancta, & vniuerſalis ſynodus VI. Cōſtantinopolitana III. CCXXCIX. epiſcoporum cōtra Monothelitas hæreticos congregata, P.C. Cōſtantini Auguſti annis XIII. XIIII. & XV. | | | |
| 682 | 81 | Sanctus Leo II. Iunior Pauli filius Aidonenſis diœc. | | | |

| Anni Christi. | Numerus Pōtificū. | ROMANI. 21 | Anni. | Menses. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | diœc. Catinenſis Siculus, S. R. E. presbyter Cardinalis, Imp. Cæſ. Cōſtantino Auguſto, ſedit mēſes | 0 | 10 | 19 |
| | | Creatus IIII. Idus Auguſti die Dominico. Ordinationem vnam die XXVI. Iunij fecit, qua epiſcopos XXIII. presbyteros IX. & diaconos III. crrauit. Obijt IIII. Kal. Iulij, anno 683. ſepultus ad ſanctum Petrum, P.C. Imp. Conſtantini Auguſti anno XVI. Indictione. XI. Vacauit ſedes mēſes | 0 | 11 | 21 |
| 684 | 82 | Sanctus Benedictus II. Iunior Ioannis filius Romanus S. R. E. presbyter Cardinalis, Imp. Cæſare Heraclio Conſtantino Auguſto ſedit menſes | 0 | 10 | 27 |
| | | Conſecratus XIII. Kal. Iulij die Domino. Ordinationem vnam epiſcoporum XII. fecit. Obijt Idibus Maij, anno Chriſti 685. Imp. Cæſ. Fl. Iuſtiniano Iuniore Auguſto ſine conlega conſ. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes | | | |
| | | ———— { vſq; ad conſecrationem | 0 | 2 | 9 |
| | | { vſq; ad creationem | 0 | 2 | 15 |
| | | Pontifices, qui deinde fuerunt, creati & conſecrati ſunt ſine Conſtantinopolitani Imperatoris iuſsione. Anaſtaſius Bibliothecarius. | | | |
| 685 | 83 | Ioannes V. Cyriaci filius Antiochenus Syrus, S. R. E. archidiaconus Cardinalis, Impp. Cæſaribus Flauijs Heraclijs Conſtantino, & Iuſtiniano Auguſtis, ſedit à creatione annum | 1 | 0 | 9 |
| | | Creatus VIII. Kal. Auguſti, cōſecratus III. Kal. Auguſti. Ordinationem vnam fecit, epiſcoporū XIII. Obijt IIII. Nonas Auguſti anno 686. ſepultus ad ſanctum Petrum poſt conſulatum Fl. Iuſtiniani Iunioris Aug. Vac. ſed. menſ. | 0 | 2 | 18 |
| 586 | 7<br>8 | *Petrus Romanus S. R. E. archipresbyter*<br>*Theodorus S. R. E. presbyter Cardinalis* } *in ſchiſmate, quod VIII. fuit, creati.*<br>*Quibus pulſis pontifex Romanus renunciatus eſt.* | | | |
| 686 | 84 | Cuno Trax Benedicti filius, S. R. E. presbyter Cardinalis, qui ſedit menſes | 0 | 11 | 0 |
| | | Creatus, & conſecratus XII. Kal. Nouemb. die Dominico. Fecit ordinationem vnam epiſcoporum XVI. Obijt XI. Kal. Octobris anno 687. ſepultus ad ſanctum Petrum, Iterum P.C. Iuſtiniani. Aug. Vac. ſed. | 0 | 2 | 25 |
| 687 | 9<br>10 | *Theodorus presbyter S. R. E.*<br>*Paſchalis Archidiaconus S. R. E.* } *in ſchiſmate, quòd IX. fuit, creati.*<br>*Vtriſq; pulſis papa factus eſt* | | | |
| 687 | 85 | Sergius Tiberij filius Antiochenus Syrus Panormi in Sicilia ortus, S. R. E. presbyter Cardinalis tt. Sanctæ Suſannæ ad duas domos à Leone II. papa factus. Imp. Cæſaribus Fl. Iuſtiniano, Leontio, & Liberio Habſimaro Auguſtis, ſedit annos | 13 | 8 | 23 |
| | | Creatus XVI. Kal. cōſecratus VIII. Kal. Ianuarij die natalis Domini. Ordinationes duas menſe Martio fecit, epiſcoporum XCVI. presbyterorū XVIII. & diaconorū IIII. Obijt VI. Idus Septēbris anno 701. Indictione XIIII. ſepultus ad ſanctum Petrum, poſt conſulatum Tiberij Habſimari Au- | | | |

| Anni Chriſti. | Numer9. Põtificũ | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | ri Auguſti. Vacauit ſedes menſem | 0 | 1 | 20 |
| 701 | 86 | Ioannes VI. Græcus Paterni, aliàs Petronij filius, Imp. Tiberio Habſimaro Aug. ſed. ann. | 3 | 2 | 13 |
| | | Creatus IIII. Kal. cõſecratus III. Kal. Nouembris. Fecit ordinationem vnam, epiſcoporũ XV. presbyterorum IX. & diaconorum II. Obijt. VII. Idus Ianuarij anno 705. Indict. III. ſepultus ad ſanctum Petrum, V.P.C. Tiberij Habſimari Aug. Vacauit ſedes menſem | 0 | 1 | 18 |
| 705 | 87 | Ioannes VII. Platonis filius Græcus, diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ, Impp. Cæſs. Tiberio Habſimaro, & Fl. Iuſtiniano iterum Auguſtis, ſedit annos | 2 | 7 | 17 |
| | | Creatus, & conſecratus die Dominico Kalend. Martij. Fecit ordinationem vnam, qua epiſcopos XIX. presbyteros X. & diaconos II. creauit. Obijt Romæ iuxta eccleſiã Sanctæ Mariæ Nouæ, quam renouauerat XVI. Kalend. Nouembris ſepultus in baſilica ſancti Petri, ante altare ſanctę Dei genitricis Virginis Mariæ, quod nunc Sudarij dicitur, anno Chriſti 707. Indictione VI. Imp. Cæſare Fl. Heraclio Iuſtiniano Auguſto II. ſine conlega conſule. Non vacauit ſedes | | | |
| 707 | 88 | Siſinnius Ioannis filius Syrus, Iuſtiniano Auguſto, ſedit dies | 0 | 0 | 20 |
| | | Creatus XV. Kal. Conſecratus X. Kalend. Nouemb. Ordinationẽ vnius epiſcopi in Inſula Corſica fecit. Obijt VIII. Idus Nouembris, ſepultus ad ſanctum Petrum. Vac. ſed. menſ. | 0 | 1 | 16 |
| 707 | 89 | Conſtantinus Ioannis filius Syrus Impp. Cæſs. Iuſtiniano, & Philippico Bardane Auguſtis, ſedit annos | 8 | 1 | 20 |
| | | Creatus X. Kal. Ianuarij, conſecratus VIII. Kal. die natalis Domini. Ordinationem vnam epiſcoporum LXIIII. presbyterorum X. & diaconorũ II. fecit. Obijt III. Idus Februari anno 716. Indictione XIIII. ſepultus ad ſanctum Petrum, Fl. Artemio Anaſtaſio Aug. Coſ. Vacauit ſedes menſem | 0 | 1 | 10 |
| 716 | 90 | Gregorius II. Iunior Romanus Marcelli filius S. R. E. diaconus Cardinalis à Conſtantino papa factus, Impp. Cæſaribus Flauijs Anaſtaſio Arthemio, Theodoſio Adtramiteno, & Leone Iſauro Auguſtis, ſedit annos | 14 | 10 | 22 |
| | | Creatus XII. Kal. Conſecratus XI. Kal. Aprilis. Ordinationes IX. menſe Septembri fecit, & vnam menſe Iunio, quibus epiſcopos CXLIX. presbyros XXXV. & diaconos IIII. creauit. Obijt III. Idus Februarij, Indictione XIIII. anno Chriſti 731. P.C. Leonis Auguſti anno XIIII. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 21 |
| 731 | 91 | Gregorius III. Ioannis filius Syrus, S. R. E. presbyter Cardinalis, Imp. Cæſ. Flauio Leone Iſauro Auguſto, ſedit annos | 10 | 8 | 24 |
| | | Creatus III. Non. Martij, cõſecratus XV. Kalẽd. Aprilis. Ordinationes tres menſe Decembri fecit, epiſco- | | | |



| Anni Chriſti. | Numer9 Põtificũ. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | epiſcoporum XXC. presbyterorum XXIIII. & diaconorum III. Obijt IIII. Kal. Decembris anno 741. Indictione X. ſepultus in baſilica ſancti Petri apoſtoli, poſt conſulatum Leonis Iſauri Auguſti anno XXIIII. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 2 |
| | | Italia ab Imp. Conſtantinopolitano Leone hæretico Iconomacho, auctore Gregorio III. papa defecit. | | | |
| 741 | 92 | Zacharias Polycronij filius Græcus monachus, S.R.E. presbyter Cardinalis à Gregorio III. creatus, Imp. Cæſ. Fl. Conſtantino Copronymo Auguſto, ſedit annos | 10 | 3 | 15 |
| | | Creatus Kal. Decembris, conſecratus III. Non. Decembris. Ordinationes tres mẽſe Martio fecit, epiſcoporum LXXXV. presbyterorũ XXX. & diaconorum V. Obijt Idibus Martij anno Chriſti 752. Indictione V. ſepultus ad ſanctum Petrum, P. C. Conſtantini Copronymi Auguſti anno X. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 8 |
| 752 | 93 | Stephanus II. Iunior S.R.E. presbyter Cardinalis, ſedit dies | 0 | 0 | 4 |
| | | Creatus IX. Kalend. Aprilis. Obijt VI. Kalend. Aprilis, ſepultus ad ſanctũ Petrum. Vac. ſed. diem | 0 | 0 | 1 |
| 752 | 94 | Stephanus III dictus II. Iunior Coſtantini filius Romanus, S. R. E. diaconus Cardinalis à Zacharia papa factus, impp. Cæſs. Flauijs Conſtantino Copronymo, & Leone Auguſtis, ſedit annos | 5 | 0 | 29 |
| | | Creatus IIII. Kalend. Aprilis, conſecratus IIII. Nonas Aprilis. Ordinationem vnam menſe Martio epiſcoporum IIII. presbyterorum II. & diaconorum II. fecit. Obijt VI. Kal. Maij, anno Chriſti 757. Indictione X. ſepultus ad ſanctum Petrum, P.C. Conſtantini Copronymi Auguſti anno XV. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 32 |
| 757 | 95 | Paulus Conſtantini filius Stephani Iunioris papæ frater Germanus, S. R. E. diaconus Cardinalis à Zacharia papa factus, Impp. Cæſs. Conſtantino, & Leone Augg. ſedit annos | 10 | 1 | 0 |
| | | Creatus, & conſecratus IIII. Kal. Iunij. Ordinationem vnam menſe Decembri fecit, epiſcoporũ III. presbyterorum XII. & diaconorũ. II. Obijt in monaſterio ſancti Pauli via Oſtienſi IIII. Kalẽd. Iulij, anno Chriſti 767. Indictione V. ſepultus ad ſanctum Petrum, P. C. Conſtantini Copronymi Aug. anno XXV. Vacauit ſedes annum | 1 | 1 | 7 |
| 757 | II | *Theophylactus Romanus S. R. E. archidiaconus Cardinalis in ſchiſmate X. contra Paulum papam creatus ſedit* | 0 | .... | .... |
| | | *Coactus abdicauit.* | | | |
| 767 | I2 | *Cõſtantinus Nepeſinus Ducis Nepeſini filius quum laicus eſſet, cõtra canones Totonis & Paſsiui fratrum ſuorum vi, à Laicis pontifex creatus, præter Cardinalium ſententiam, ſedit annum* | 1 | 1 | 9 |
| | | *Creatus die Dominico, quo mortuus eſt Paulus papa IIII. Kal. Iulij, poſtridie diaconus, & presbyter à Georgio Prænestino epiſcopo factus, Pontifex vero die Dominico ſequenti III. Non. Iulij apud ſanctum Petrum à Georgio Prænestino, Euſtratio Albano, & Citona-* | | | |

| Anni Chriſti. | Numerꝰ. Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | *Citonato Portueſe conſecratus. Ordinationes fecit, piſcoporum VIII. presbyterorū VIII. & diaconorum IIII. Anno ſequenti 768. coactus à Chriſtophoro Primicerio, & conſiliario apoſtolicæ ſedis, & Sergio eius filio ſacellario, abdicauit, Laterani in concilio epiſcoporum, & Cardinalium die ſabbati, ante ordinationem Stephani papæ VIII. Idus Auguſti, & in monaſterio cellæ nouæ effoßis oculis, relegatus, monachus factus eſt.* | | | |
| 768 | 13 | *Philippus Romanus monachus abbas monaſterij ſancti Viti S.R.E. presbyter Cardinalis in ſchiſmate contra Conſtantinum à quibuſdam clericis auctore Valdiperto presbytero Longobardo papa factus, ſedit dies* | 0 | 0 | 5 |
| 767 | | *Creatus, & conſecratus prid Kal. Auguſti die Dominico, & quinto die pòſt coactus ab eodem Chriſtophoro Primicerio, pontificatu ſe abdicauit pridie Nonas Auguſti, atque ad ſuum monaſterium reuerſus eſt, & poſtridie Stephanus electus.* | | | |
| | | *Schiſma XI. in eccleſia Romana maxime turbulentum.* | | | |
| 768 | 96 | Stephanus IIII. dictus III. Olybrij filius Siculus monachus monaſterij ſancti Chryſogoni Romæ ſub Gregorio III. papa cubicularius Lateranenſis, demum S. R. E. presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Cæciliæ à Zacharia papa factus, Impp. Cæſaribus Conſtantino Copronymo, & Leone Augg. ſedit annos | 3 | 5 | 27 |
| | | Creatus Nonis Auguſti, & cōſecratus VII. Idus Auguſti XXVI. P. C. Conſtantini Copronymi Auguſti. Ordinationem vnam menſe Decembri fecit, epiſcoporum .... presbyterorum V. & diaconorum IV. Obijt manè prid. Kal. Februarij anno 772. Indictione X. ſepultus ad ſanctum Petrum iij. poſt conſulatum Leonis IIII. Auguſti. Vacauit Romana ſedes dies | 0 | 0 | 8 |
| 772 | 97 | Hadrianus Theodori filius Romanus de regione Via lata prope ſanctum Marcum, nobiliſsimo genere ortꝰ, clericus, notarius regionarius, & ſubdiaconus à Paulo papa factus, poſt S. R. E. diaconus Cardinalis à Stephano III. creatꝰ. Impp. Cæſs. Leone IIII. & Cōſtantino eius filio Augg. ſed. an. | 23 | 10 | 17 |
| | | Creatus, & conſecratus V. Idus Februarij die Dominico. Ordinationes duas menſe Martio fecit, epiſcoporum CXXCV. presbyterorum XXIIII. & diaconorum VII. Obijt manè VII. Kal. Ianuarij anno 795. finiente, Indictione IIII. ſepultus ad ſanctum Petrum, P. C. Conſtantini Octaui Irenes filij Auguſti. anno XVI. Non vacauit ſedes | 0 | 0 | 0 |
| 789 | VII. | Sancta, & vniuerſalis ſynodus ſeptima Nicæna ſecunda CCCL. epiſcoporum contra Iconomachos collecta P. C. Cōſtantini VIII. Aug. anno X. | | | |
| 796 | 98 | Leo III. Azzupij filius Romanus S.R.E. presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Suſannæ, Conſtantino VIII. & Nicephoro Auguſtis, ſedit annos | 20 | 5 | 18 |
| | | Creatus VII. Kal. Ianuarij, poſtridie cōſecratus. Ordinationes tres menſe Martio fecit, epiſcoporum CXXVI. presbyterorum XXX. & diaconorum XI. Obijt prid. Idus Iunij anno 816. Indictione IX. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 20 |





| Anni Chriſti. | Numerꝰ. Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| 800 | | Hic pontifex Carolum Magnum Francorum regem Imperatorem creauit. | | | |
| 816 | 99 | Stephanus V. dictus IIII. Iulij Marini filius Romanus, S.R.E. diaconus, aliàs presbyter Cardinalis à Leone III. papa factus, Ludouico Pio Auguſto, ſedit menſes | 0 | 6 | 23 |
| | | Creatus V. Nonas Iulij, conſecratus prid. Non. Iulij. Ordinationem vnam mēſe Decembri fecit, epiſcoporum V. presbyterorum IX. & diaconorū IV. Obijt VIII. Kal. Febr. anno 817. ſepultus in baſilica ſancti Petri apoſtoli. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 2 |
| 817 | 100 | Paſchalis Maximi Bonoſi filius Romanus monachus & abbas ſancti Stephani prope S. Petrum, S. R. E. presbyter Cardinalis tt ſanctæ Praxedis à Leone III. papa factus, Ludouico Pio, & Hlothario Auguſtis, ſedit annos | 7 | 3 | 17 |
| | | Creatus V. Kalēd. Februarij conſecratus Kal. Februarij. Ordinationes duas menſibus Decembri & Martio fecit, epiſcoporum .... presbyterorum VII. & diaconorum VII. Obijt prid. Idus Maij anno Chriſti 824. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 4 |
| 824 | 101 | Eugenius II. Iunior Boëmūdi filius Romanus, S. R. E. archipresbyter Cardinalis tt. ſanctæ Sabinæ à Leone III. papa factus, Impp. Cæſaribus Ludouico Pio, & Hlothario Augg. ſedit ann. | 3 | 6 | 24 |
| | | Creatus XIIII. Kal. & conſecratus XI. Kal. Iunij. Obijt prid. Idus Decembris anno 827. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vac. ſed. diem | 0 | 0 | 1 |
| 827 | 14 | *Zinzinus Romanus, S. R. E. presbyter Cardinalis in ſchiſmate cōtra Eugenium electus à minori parte, ſedit* | 0 | .... | .... |
| | | *Coactus non longè pòſt abdicauit.* | | | |
| | | *Schiſma in eccleſia Romana XII.* | | | |
| 827 | 102 | Valentinus Leontij filius Romanus, S. R. E. archidiaconus Cardinalis à Paſchale papa factus, ſedit menſem | 0 | 1 | 10 |
| | | Creatus XIX. Kal. Ianuarij, conſecratus poſtridie obijt XI. Kal. Februarij anno Chriſti 828. ſepultus in baſilica ſancti Petri. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 3 |
| 828 | 103 | Gregorius IIII. Ioannis filius Romanus, S.R.E. presbyter Cardinalis tt. ſancti Marci à Paſchali factus, Hludouico Pio, & Hlothario eius filio Auguſtis, ſedit annos | 16 | 0 | 0 |
| | | Creatus VII. Kal. Februar. Ordinationes quinque menſibus Martio, Septembri, & Decembri fecit, epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum CXXCV. Obijt VIII. Kalēd. Febr. anno Chriſti 844. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 15 |
| 844 | 104 | Sergius II. Iunior Sergij filius Romanus, de regione IIII. S. R. E. archipresbyter Cardinalis S S. Silueſtri, & Martini tt. Equitij à Paſchali papa factus, Hlothario Auguſto, ſedit annos | 3 | 2 | 3 |
| | | Creatus, & conſecratus IIII. Idus Februarij. Ordinationem vnam menſe Martio fecit, epiſcoporum | | | |

| Anni Chriſti | Numer9 Põtificũ | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | rum XXIII. presbyterorum VIII. & diaconorũ III. Obijt prid. Idus Aprilis anno 847. ſepultus in baſilica ſancti Petri. Non vacauit ſedes niſi vſq; ad conſecrationem | 0 | 2 | 15 |
| 847 | 105 | Leo IIII. Rodulfi filius Roman9 monachus monaſterij ſanctorũ Silueſtri & Martini prope ſanctũ Petrum, S. R. E. presbyter Cardinalis tt. SS. quatuor coronatorũ à Sergio II. papa factus, Hlothario, & Hludouico Iuniore Auguſtis, ſed. ann. | 8 | 3 | 6 |
| | | Creatus die obitus papę Sergij prid. Idus Aprilis, conſecratus VI. Kal. Iulij die Dominico. Ordinationes duas menſibus Martio, & Decembri fecit, epiſcoporum LXIII. presbyterorũ XIX. & diaconorum VIII. Obijt XVI. Kal. Auguſti, anno 855. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes | | | |
| | | —— —— { vſq; ad electionem | 0 | 0 | 6 |
| | | { vſq; ad conſecrationem | 0 | 2 | 11 |
| 855 | 106 | Benedictus III. Petri filius Romanus, S. R. E. presbyter Cardinalis S. Mariæ Tranſtiberim tt. Calliſti à Leone IIII. factus, Imp. Cæſ. Hludouico Auguſto Iuniore, ſedit —— { ab electione | 2 | 8 | 16 |
| | | { à conſecratione | 2 | 6 | 10 |
| | | Electus in ſchiſmate IX. Kal. Auguſti, res turbatæ fuerunt vſq; ad III. Kal. Octobris, quo ſedato ſchiſmate conſecratus eſt. Ordinationem vnam menſe Decembri fecit, epiſcoporum XX. presbyterorũ VI. & diaconi vnius. Obijt mane VI. Idus Aprilis anno 858. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 15 |
| 855 | 15 | *Anaſtaſius III. Romanus S. R. E. presbyter Cardinalis tt. ſancti Marcelli, in ſchiſmate contra Benedictum III, .... Kalend. Auguſti creatus, ſed. menſ.* | 0 | .... | .... |
| | | *Et non longè pòſt coactus abdicauit.* | | | |
| | | *Schiſma XIII. in eccleſia Romana.* | | | |
| 858 | 107 | Nicolaus Magnus Theodori filius Romanus, S. R. E. diacon9 Cardinalis à Leone IV. factus, Imp. Cæſ. Hludouico Iuniore Auguſto, ſedit annos | 9 | 6 | 20 |
| | | Creatus, & conſecratus VIII. Kal. Maij. Ordinationes plures menſe Martio, & Decembri epiſcoporum LXV. presbyterorum VII. & diaconorum IV. fecit. Obijt mane Idibus Nouembris anno Chriſti 867. Indictione prima, ſepultus ante fores baſilicæ ſancti Petri. Vacauit ſedes Romana dies | 0 | 0 | 7 |
| 867 | 108 | Hadrianus II. Iunior Romanus Talari epiſcopi filius, S. R. E. presbyter Cardinalis tt. ſancti Marci à Sergio II. papa factus, Imp. Cæſare Hludouico Iuniore Auguſto, ſedit annos | 4 | 11 | 12 |
| | | Creatus XI. Kalend. Decembris, conſecratus IX. Kalend. Decembris. Obijt Kalend. Nouembris anno 872. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes menſem | 0 | 1 | 12 |
| 869 | | Sancta, & vniuerſalis ſynodus octaua, Conſtãtinopolitana quarta CCC. epiſcoporũ contra Photium patriarcham Conſtantinopolitanũ coacta. | | | |





| Anni Chriſti. | Numer9. Põtificũ. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| 872 | 109 | Ioannes VIII. Gundi filius Romanus, S. R. E. archidiacon9 Cardinalis, Impp. Cæſaribus Hludouico Iuniore, Carolo Iuniore Caluo, Hludouico III. Balbo, & Carolo III. Craſſo Auguſtis, ſed. ann. | 10 | 0 | 2 |
| | | Creatus, & conſecratus XIX. Kalend. Ianuarij. Obijt XIIX. Kalend. Ianuarij anno 882. Indictione prima, ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſed. dies | 0 | 0 | 3 |
| 877 | | Sanctæ, & vniuerſalis ſynodi octauæ Conſtantinopolitanæ IV. CCCXXCIII. epiſcoporũ prò Photij patriarchatu coactæ, poſterior pars. | | | |
| 882 | 110 | Marinus Palumbi presbyteri filius Galeſianus Faliſcus, S. R. E. diaconus Cardinalis, Carolo III. Auguſto, ſedit annum | 1 | 1 | 0 |
| | | Creatus XIIII. Kal. Ianuarij, conſecratus die natalis domini. Obijt XV. Kal. Februarij, anno 884. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vac. ſedes dies | 0 | 0 | 2 |
| 884 | 111 | Hadrianus III. Romanus (quem alij Agapitum vocant) Benedicti filius, de regione via lata, Carolo III. Imperatore, ſedit annum | 1 | 3 | 19 |
| | | Creatus XII. Kal. Februarij, cõſecratus VII. Kalend. Februarij. Obijt VII. Idus Maij, anno Chriſti 885. ſepultus in baſilica ſancti Petri. Vacauit ſedes Romana dies | 0 | 0 | 3 |
| 885 | 112 | Stephanus VI. dictus V. Romanus (quem alij Baſilium vocant) Hadriani filius, de regione via lata, Impp. Cæſs. Carolo III. Craſſo, & Arnulfo Auguſtis, ſedit annos | 6 | 0 | 9 |
| | | Creatus III. Idus Maij. Obijt XII. Kal. Iunij anno 891. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 5 |
| 891 | 113 | Formoſus Portuenſis, Leonis filius, epiſcopus Portuenſis à Nicolao papa factus, Arnulfo Imperatore, ſedit annos | 4 | 6 | 18 |
| | | Creatus VI. Kalend. Iunij, Indictione IX. Obijt XIX. Kalend. Ianuarij anno 895. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 2 |
| | | *Formoſus fuit primus ex epiſcopo factus papa.* | | | |
| 891 | | *Sergius III. Benedicti filius Romanus ex comitibus Tuſculanis, S. R. E. diaconus Cardinalis in ſchiſmate cõtra Formoſum papam creatus ſedit* | 0 | .... | .... |
| 891 | | *Coactus abdicauit, & in exilium actus eſt.* | | | |
| | | *Schiſma in eccleſia Romana XIIII.* | | | |
| 895 | 114 | Bonifacius VI. Hadriani epiſcopi filius Romanus, Imp. Cæſare Arnulfo Aug. ſed. dies | 0 | 0 | 15 |
| | | Creatus XVI. Kal. Ianuarij. Obijt prid. Kal. Ianuarij anno 896. ineunte, ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 5 |
| 896 | 115 | Stephanus VII. dictus VI. Ioannis presbyteri filius Romanus, epiſcopus Anagnimus à Stephano V. papa factus, ſedit Arnulfo Imperatore annum | 1 | 2 | 19 |
| | | Creatus VIII. Idus Ianuarij. Obijt VIIII. Kal. Aprilis, ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 3 |
| 897 | 116 | Romanus Conſtantini Marini papæ fratris fili- | | | |

| Anni Chriſti. | Numer9 Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | us Galleſianus Faliſcus, Arnulfo Imperatore ſedit menſes | 0 | 4 | 23 |
| | | Creatus V.Kal. April. Obijt X IIII. Kalend. Septemb.anno 897.ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes diem | 0 | 0 | 1 |
| 897 | 117 | Theodorus II. Iunior Photij filius Romanus, ſedit dies | 0 | 0 | 20 |
| | | Creatus XIII. Kal. Septẽbris. Obijt VI.Idus Septẽbris, ſepultus ad ſanctũ Petrũ. Vac. ſedes diem | 0 | 0 | 1 |
| 897 | 118 | Ioannes IX.Rampoaldi filius, Tiburtinus monachus, diaconus S. R. E. Imp. Cæſare Arnulfo Auguſto, ſedit annos | 2 | 0 | 15 |
| | | Creatus V.Idus Septembris. Obijt IX. Kalend. Octob. anno Chriſti 899. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes diem | 0 | 0 | 1 |
| 897 | | *Sergius III. Benedicti filius Romanus, ex Comitibus Tuſculanis, presbyter in ſchiſmatè iterum contra Ioannem IX. creatus, ſedit Coactus iterum abdicauit, & in exilium actus eſt.* | 0 | .... | .... |
| 899 | 119 | Benedictus IIII. Mammoli filius Romanus, Imp. Hludouico IIII. Arnulfi filio, ſed.ann. | 3 | 6 | 15 |
| | | Creatus VIII. Kalend. Octobris. Obijt VI. Idus Aprilis anno 903. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 6 |
| 903 | 120 | Leo V. è villa Priapi agri Ardeatini in Latio, ſedit menſem | 0 | 1 | 10 |
| | | Creatus XVII.Kal.Maij. Coactus à Chriſtophoro presbytero Cardinale abdicauit IX.Kalend.Iunij, & monachus factus eſt. Non vacauit ſedes | 0 | 0 | 0 |
| | | Obijt paulo pòſt, Laterani in baſilica Conſtantiniana ſepultus. | | | |
| 903 | 121 | Chriſtophorus Leonis filius Romanus, presbyter Cardinalis tt. SS. Laurentij, & Damaſi, Cæſare Hludouico IIII. ſedit menſes | 0 | 7 | 0 |
| | | Creatus VIII. Kal. Iunij, coactus à Sergio presbytero abdicauit IX. Kal. Ianuarij, & monachus factus eſt anno 303. Et moriẽs ad ſanctum Petrum ſepultus eſt. | | | |
| | | *Schiſma in Romana eccleſia XV. inter Leonem V. Chriſtophorum. & Sergium III.* | | | |
| 903 | 122 | Sergius III. Benedicti filius Romanus ex comitibus Tuſculanis, S. R. E. presbyter Cardinalis, Hludouico IIII. Cæſare, ſedit ann. | 7 | 3 | 16 |
| | | Creatus VIII. Kal. Ianuarij, die natalis Domini ineunte anno 904. Obijt V. Idus Aprilis anno 911. ad ſanctum Petrũ ſepultus. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 4 |
| 911 | 123 | Anaſtaſius III. Luciani filius Romanus, Cæſare Chunrado ſedit annos | 2 | 1 | 22 |
| | | Creatus XVII.Kal.Maij. Obijt pridie Non. Iunij anno 913. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 2 |
| 913 | 124 | Lando Tami filius Sabinus, Chunrado Franco Cæſare, ſedit menſes | 0 | 6 | 22 |
| | | Creatus VII. Idus Iunij. Obijt V.Kal.Ianuarij ineunte anno 914. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 26 |

Ioan-



| Anni Chriſti. | Numer9. Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| 914 | 125 | Ioannes X. Ioannis filius Rauennas, ex epiſcopo Bononienſi archiepiſcopus Rauennas, Chunrado Franco, & Henrico Aucipe Saxone Cæſaribus, ſedit annos | 14 | 2 | 15 |
| | | Creatus IX. Kal. Febr. Occiſus ſuffocatus Ceruicali ſuper os coniecto, in patriachio Lateranenſi VII.Idus Aprilis anno 928. ſepultus Laterani. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 2 |
| 928 | 126 | Leo VI. Chriſtophori Primicerij S. R. E. filius Romanus, Henrico Aucipe Saxone Cæſare, ſedit menſes | 0 | 6 | 15 |
| | | Creatus V.Idus Aprilis. Obijt X. Kal. Nouemb. anno 928. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes diem | 0 | 0 | 1 |
| 928 | 127 | Stephanus VIII. dictus VII. Tendemundi filius Romanus, ſedit annos | 2 | 1 | 15 |
| | | Creatus IX. Kal. Nouemb. Obijt VI. Idus Decembris anno 930. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 2 |
| 930 | 128 | Ioannis XI. Sergij III. papæ filius nothus Romanus, ex comitibus Tuſculanis, Henrico Aucipe Saxone Aug. ſedit annos | 4 | 10 | 15 |
| | | Creatus III.Idus Decembris. Obijt VIII. Kalẽd. Nouembris anno 935. Laterani ſepultus. Vacauit ſedes diem | 0 | 0 | 1 |
| 935 | 129 | Leo VII. Romanus, Othone magno Cæſ. ſedit annos | 3 | 6 | 10 |
| | | Creatus VI. Kal. Nouembris. Obijt prid. Non. Maij anno 939. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes menſem | 0 | 1 | 0 |
| 939 | 130 | Stephanus IX. dictus VIII. Romanus, Othone Cæſare, ſedit annos | 3 | 4 | 15 |
| | | Creatus VII. Idus Iunij. Obijt XII. Kal. Nouẽb. anno 942. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 10 |
| 942 | 131 | Marinus II. Iunior Romanus, Othone Imperatore ſedit annos | 3 | 6 | 14 |
| | | Creatus Kal. Nouemb. Obijt prid. Idus Maij, anno 946. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 3 |
| 946 | 132 | Agapetus II. Iunior Romanus, Othone Cæſare ſedit annos | 9 | 7 | 10 |
| | | Creatus XV. Kal. Iunij. Obijt VI.Kal.Ianuarij anno 956. ſepultus in baſilica Lateranenſi. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 12 |
| 956 | 133 | Ioannes XII. Romanus. Octauianus ex comitibus Tuſculanis, Alberici Romani principis filius, de regione viæ latæ, S.R.E. diaconus Cardinalis, Imp. Cæſare Othone Aug. ſedit annos | 8 | 4 | 6 |
| | | Creatus V.Idus Ianuarij, pontificatus ei abrogatus eſt à Concilio Romano VIII. Idus Decembris anno 863. anno ſacerdotij ſui VII. menſe X. die XXVII. Non vacauit ſedes. | | | |
| | | Pontificatum fugato Leone VIII. XVI.Kal.Februarij anni 964. recepit, tenuitq; menſ. III. dies XXVIII. | | | |

| Anni Christi | Numer9 Pōtificū | | Anni. | Menſes. | Dies |
|---|---|---|---|---|---|
| | | XXVIII. Obijt eodem anno pridie Idus Maij, Laterani ſepultus. Non vacauit etiam ſedes. | | | |
| 963 | 134 | Leo VIII. Romanus, Ioannis protoſcriniarij filius de regione Cliui argentarij, ſummæ apoſtolicæ ſedis protoſcrinarius, Imp. Cæſ. Othone Aug. ſedit annum | 1 | 3 | 12 |
| | | Creatus à Synodo Romana, abrógato Ioanne XII. & conſecratus die Dominico VIII. Idus Decembris. Obijt XVI. Kal. April. anno 965. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes menſes | 0 | 8 | 22 |
| 963 | | *Schiſma in Eccleſia Romana XVI.* | | | |
| 964 | 16 | *Benedictus V. Romanus, S.R.E. diaconus Cardinalis, in ſchiſmate poſt Ioannem XII. contra Leonem VIII. creatus, ſedit menſem* | 0 | 1 | 10 |
| | | *Conſecratus die obitus Ioannis pridie Idus Maij. Coactus abdicauit eodem anno IX. Kalend. Iulij, & in exilium in Saxoniæ oppido Hamburgo actus eſt, vbi anno 865. obijt.* | | | |
| 965 | 135 | Ioannes XIII. Romanus Ioannis epiſcopi filius epiſcopus Narnienſis, Imp. Cæſ. Othone Magno Auguſto, ſedit annos | 6 | 11 | 5 |
| | | Creatus VI. Non. Octob. Obijt VIII. Idus Septembris anno 972. ſepultus in baſilica ſancti Pauli apoſtoli. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 13 |
| 972 | 136 | Donus, aliàs Domnus, aliàs Domnio II. Iunior Romanꝰ, Imperatore Cęſare Othone Magno Auguſto, ſedit menſes | 0 | 3 | 0 |
| | | Creatus XII. Kal. Octobris. Obijt XIIII. Kal. Ianuarij anno 972. Non vacauit ſedes. | | | |
| 972 | 137 | Benedictus V. dictus VI. Hildebrandi filius Romanus, Imp. Cæſare Othone Iuniore Aug. ſedit annum | 1 | 3 | 0 |
| | | Creatus XIII. Kal. Ianuarij, coactus abdicauit XIIII. Kal. Aprilis anno 974. & in molem Hadriani cōcluſus, vbi à Cintio Stephani filio iuſſu Bonifacij VII. ſucceſſoris ſui ſtrangulatus eſt, & ad ſanctum Petrum ſepultus. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 10 |
| 974 | | *Schiſma in eccleſia Romana XVII. inter Bonifacium VII. & Benedictum VI. dictum VII.* | | | |
| 974 | 138 | Bonifacius VII. Romanus Franco Ferrutij filius, S.R.E. diaconus Cardinalis, Imp. Cęſare Othone II. Aug. ſedit annum | 1 | 1 | 12 |
| | | Creatus III. Kal. Aprilis coactus abdicauit, & ex Vrbe fugatus eſt V. Idus Maij anno 975. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 20 |
| 975 | 139 | Benedictus VI. dictus VII. ex comitibus Tuſculanis, Deuſdedit filius Romanus, epiſcopus Sutrinus, Othone II. Imperatore ſedit annos | 9 | 1 | 10 |
| | | Creatus Kal. Iunij fugato Bonifacio VII. Obijt VI. Idus Iulij anno 984. ſepultus ad ſanctam Crucem in Hieruſalem. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 5 |
| 984 | 140 | Ioannes XIIII. Papienſis Petrus antea vocatus Epiſcopus Papienſis, Imp. Cæſare Othone III. Auguſto ſedit, menſes | 0 | 8 | 0 |
| | | Creatus XVII. Kal. Auguſti, pōtificatu exactus eſt à Bonifacio VI. in Vrbem reuerſo XVII. Kal. Aprilis. Obijt eodem anno 985. in carcere XIII. Kal. | | | |



| Anni Christi. | Numer9 Pōtificū | | Anni. | Menſes | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | Kal. Septembris, ſepultus ad ſanctum Petrum. Non vacauit ſedes. | | | |
| 985 | | Bonifacius VI. Romanus Franco Ferrutij filius factione quorundam nobilium Romam reuerſus, capto Ioanne XIIII. Romanum pontificatū Imp. Othone III. Auguſto, tenuit iterum menſes | 0 | 4 | 6 |
| | | Ex ante diem XVII. Kal. Aprilis, vſque ad XII. Kal. Auguſti anno 985. Quo mortuus eſt, & Laterani ſepultus. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 10 |
| 985 | 141 | Ioannes XV. Romanus Leonis presbyteri filius de vico Gallinæ Albæ, Imp. Cæſ. Othone III. Auguſto, ſedit annos | 9 | 6 | 10 |
| | | Creatus Kal. Auguſti. Obijt IIII. Idus Februarij anno 995. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes diem | 0 | 0 | 1 |
| 995 | 142 | Ioannes XVI. Romanus Roberti filius, ſedit menſes | 0 | 4 | 0 |
| | | Creatus IIII. Idus Februarij. Obijt V. Idus Iunij anno 995. ſepultus ad ſanctum Petum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 6 |
| 995 | 143 | Gregorius V. Saxo Germanus, Bruno Othonis filius ex vrbe Vangia presbyter, & capellanus Imperatoris, Othone III. Auguſto, ſedit annos | 2 | 8 | 3 |
| | | Creatus, & conſecratus XVI. Kal. Iulij die Dominico. Obijt XII. Kal. Martij anno 998. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vac. ſed. menſes | 0 | 8 | 13 |
| | | *Ioannes XVII. Græcus epiſcopus Placentinus in ſchiſmate contra Gregorium V creatus, ſedit menſes* | 0 | 10 | .... |
| | | *Coactus ab Imperatore Othone III. abdicauit, & in Germaniam, effoßis oculis relegatus eſt.* | | | |
| 996 | | *Schiſma in eccleſia Romana XVIII.* | | | |
| 998 | 144 | Siluester II. Iunior Aquitanus Gallus, Gerebertus monachus Floriacenſis Cœnobij in Gallijs, abbas Bobienſis, ex archiepiſcopo Remenſi Rauennas philoſophus eximius, Imp. Cæſ. Othone III. Auguſto, ſedit annos | 4 | 6 | 12 |
| | | Creatus Kal. Nouembris. Obijt IIII. Idus Maij anno 1003. Indictione I. ſepultus Laterani. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 25 |
| 1003 | 145 | Ioannes XVII. Sicco Romanus ignobilis de vico Biberatica, Imp. Cæſ. Henrico II. Iuniore Aug. ſedit menſes | 0 | 4 | 25 |
| | | Creatus VII. Idus Iunij. Obijt pridie Kalēd. Nouemb. anno 1003. ſepultus in eccleſia monaſterij ſanctæ Sabbæ in cella noua. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 19 |
| 1003 | 146 | Ioannes XIIX. Faſanus, aliàs Fanaſſus Romanus de vico portæ Metodij, Imp. Cæſ. Henrico Iuniore Auguſto, ſedit annos | 5 | 7 | 21 |
| | | Creatus XII. Kal. Decemb. Obijt XV. Kal. Auguſti anno 1009. ſepultus Laterani. Vacauit, ſedes dies | 0 | 0 | 30 |
| 1009 | 147 | Sergius IIII. Petrus Martini filius Romanus, ſedit annos | 2 | 9 | 12 |
| | | Creatus XV. Kal. Septemb. Obijt IIII. Kal. Iunij, anno 1012. ſepultus Laterani. Vac. ſed. dies | 0 | 0 | 8 |

| Anni Christi | Numer9 Põtificũ. | PONTIFICES | Anni. | Menses. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1012 | 148 | Benedictus VII. dictus VIII. Romanus, ex comitibus Tuſculanis Gregorij filius, Henrico Iuniore Auguſto, ſedit annos | 11 | 8 | 21 |
| | | Creatus VII. Idus Iunij. Obijt III. Kalẽd. Martij anno 1024. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes diem | 0 | 0 | 1 |
| 1012 | | *Schiſma XIX. in eccleſia Romana inter Benedictum VIII. & alium quendam, cuius nomen inuenire non potui.* | | | |
| 1024 | 149 | Ioannes XIX. Romanus, ex comitibus Tuſculanis Gregorij filius, Benedicti VIII. frater, epiſcopus Portuenſis, Impp. Cæſs. Henrico, & Chunrado Iunioribus Auguſtis, ſedit annos | 8 | 9 | 9 |
| | | Creatus pridie Kal. Martij. Obijt VI. Idus Nouembris, anno 1032. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 2 |
| 1032 | 150 | Benedictus VIII. dictus IX. Romanus, ex comitibus Tuſculanis, Theophylactus anteà vocatus, Alberici Benedicti VIII. & Ioannis XIX. fratris filius, diaconus Cardinalis, Impp. Cæſs. Chunrado Saliquo, & Henrico III. Augg. ſed annos | 12 | 4 | 20 |
| | | Creatus III. Idus Nouembris. Pontificatu exactus XI. Kalẽd. Februarij anno 1045. ſacerdotij ſui anno XII. menſe I. die XII. In eius locũ factus eſt | | | |
| 1045 | 19 | *Silueſter III. Romanus Ioannes Laurẽtij filius, epiſcopus Sabinus, in ſchiſmate contra Benedictum IX. creatus, ſedit menſem* | 0 | 1 | 19 |
| | | *Creatus XI. Kalend. Febr. Pontificatu à Benedicto IX. exactus eſt V. Idus Martij ann. 1045.* | | | |
| 1045 | | Benedictus VIII. dictus IX. Romanus pulſo Silueſtro III. iterum ſedit menſem | 0 | 1 | 21 |
| | | Ex ante diem VI. Idus Martij, vſq; ad Kal. Maij eius anni, quo die quum ſponte abdicaſſet, in eius locum factus eſt | | | |
| 1045 | 151 | Gregorius VI. Romanus Ioannes Gratianus Petri Leonis, archipresbyter ſancti Ioannis ante portam Latinam, qui Imp. Cæſare Henrico III. Auguſto, ſedit annum | 1 | 7 | 20 |
| | | Creatus Kal. Maij. Coactus in Concilio Sutrij, ab Imperatore Henrico III. Auguſto congregato, abdicauit XIII Kal. Ianuarij anno 1046. & ad monaſteriũ Cluniacẽſe relegatus, ibidem paulò pòſt obijt, & ſepultus eſt. Vacauit ſedes Romana dies | 0 | 0 | 4 |
| 1045 | | *Schiſma in eccleſia Romana XX.* | | | |
| 1047 | 152 | Clemens II. Iunior Saxo Germanus, Suidegerus Bambergenſis epiſcopus, Henrico III. Auguſto, ſedit menſes | 0 | 9 | 15 |
| | | Creatus Sutrij in Concilio ab Imp. Henrico III. congregato XII. Kal. Ianuarij, conſecratus, & coronatus Romæ die Natalis Domini VIII. Kal. Ianuarij. Obijt Romæ VII. Idus Octob. anno 1047. ſepultus Bambergæ in cathedrali eccleſia, cuius epiſcopus fuerat. Vacauit ſedes menſes | 0 | 9 | 7 |
| 1047 | | Benedictus IX. Romanus pontificatu iam priuatus, mortuo Clemente II. iterum papatum tenuit menſes | 0 | 8 | 9 |
| | | Ex ante diem VI. Idus Nouemb. vſque ad XVI. Kalend. | | | |



| Anni Christi. | Numer9 Põtificũ. | ROMANI. | Anni. | Menses. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | Kal. Auguſti, quo die ceſsit, & papa factus eſt. | | | |
| 1048 | 153 | Damaſus II. Iunior Bauarus Germanus, Poppo Bagniarius epiſcopus Brixinenſis, Imp. Cæſ. Henrico III. ſedit dies | 0 | 0 | 23 |
| | | Creatus Polethæ in Germania ab Imperatore Henrico III. cõſecratus, & coronatus Romæ XVI. Kal. Auguſti die Dominico. Obijt Præneſte VI. Idus Auguſti, Romam relatus in baſilica ſancti Laurentij extra muros Vrbis via Tiburtina ſepultus eſt. Vacauit ſedes menſes | 0 | 6 | 3 |
| 1048 | | Benedictus IX. Romanus, hoc etiam interregno pontificatum Romanum tertiò adminiſtrauit menſes | 0 | 6 | 0 |
| 1049 | 154 | Leo IX. Francus Gallus Bruno Comes Dagſpurg, aliàs Egghiſein Hugonis filius, Tullenſis in Leucis epiſcopus, Imp. Cæſare Henrico III. Auguſto, ſedit annos | 5 | 2 | 8 |
| | | Creatus Friſingæ in Baioria, conſecratus & coronatus Romæ prid. Idus Februarij Dominica prima Quadrageſimæ, Indictione II. Cardinales, quorum memoria extat XXII. creauit, epiſcopos VI. presbyteros X. & diaconos VI. Obijt Romæ XIII. Kal. Maij anno 1054. ſepultus ad ſanctum Petrum prope Aram ſanctorum Andreæ, & Gregorij. Vacauit ſedes menſes | 0 | 11 | 24 |
| 1055 | 155 | Victor II. Iunior Sueuus Germanus. Gebohardus comes Calbenſis Arduigi filius epiſcopus Eiſtatenſis, Henrici III. Imp. Cõſiliarius, & propinquus, ipſo, & eius filio Henrico IV. Auguſtis, ſedit annos | 2 | 3 | 16 |
| | | Creatus ab Imp. Henrico III. Moguntiæ, conſecratus, & coronatus Romæ Idibus Aprilis feria V. in cæna Domini. Cardinales epiſcopos II. creauit, & presbyterum vnũ ex antiquo diacono, Ordinatione vna menſe Iunio facta. Obijt Florentiæ V. Kal. Auguſti anno 1057. ibiq; in cathedrali ſepultus. Vac. ſed. dies | 0 | 0 | 4 |
| 1057 | 156 | Stephanus X. dictus IX. Hlotharingus Gallus, Fridericus Gozzelonis ducis Hlotharingiæ filius, S. R. E. archidiaconus ſanctæ Mariæ in Dominica Cardinalis, Bibliothecarius, & Cãcellarius à Leone IX. factus, monachus abbas Caſinas, & presbyter Cardinalis tt. ſancti Gryſogoni à Victore II. conſecratus, Imp. Cæſare Henrico IIII. Auguſto, ſedit menſes | 0 | 7 | 28 |
| | | Creatus Romæ IIII. Nonas Auguſti, poſtridie die Dominico conſecratus. Cardinalem epiſcopum vnum fecit menſe Martio. Obijt Florentiæ IIII. Kalend. Aprilis anno 1058. ſepultus ibidem in eccleſia cathedrali. Vac. ſed. dies | 0 | 0 | 8 |
| 1058 | 20 | *Benedictus IX. dictus X. Romanus Ioannes Mincius ex comitibus Tuſculanis Guidonis filius, epiſcopus Veliternus à Leone IX. papa factus, Henrico IIII. Imp. ſedit menſes* | 0 | 9 | 20 |
| | | *Creatus, & coronatus Romæ Laterani à Laicis contra canones Nonis Aprilis die Dominico, coactus abdicauit IX. Kalend. Februarij an-* | | | |

| Anni Chriſti. | Numer9 Pōtificū | | Anni. | Menſes. | Dies |
|---|---|---|---|---|---|
| | | *rij anno 1059. & paulo pòſt V. idus aprilis moriens, ad ſanctam Mariam Maiorem ſepultus eſt. In eius locum factus fuit.* | | | |
| 1058 | 157 | Nicolaus II. Iunior Allobrox, Gerardus Burgūdio epiſcopus Florentinus, Imp. Cæſare Henrico III. Rege IIII. Auguſto, ſedit annos | 2 | 6 | 1 |
| | | Creatus Senis, conſecratus, & coronatus Romæ die Dominico III. Nonas Ianuarij anno 1059. Cardinales fecit VII. epiſcopos II. presbyteros II. diaconos III. menſe Martio. Obijt Florētiæ V. Non. Iulij anno 1061. ibique ſepultus. Vacauit ſedes menſes | 0 | 2 | 26 |
| | | *Schiſma in eccleſia Romana XXI.* | | | |
| 1058<br>1061 | 158 | Alexander II. Iunior Mediolanenſis, Anſelmus de Badagio Anſelmi filius, canonic9 regularis, epiſcopus Lucenſis in Tuſcia, Imp. Cæſa. Henrico IIII. Aug. ſedit annos | 11 | 6 | 22 |
| | | Creatus, & conſecratus Romæ die Dominico prid. Kal. Octobris. Cardinales fecit XXX. epiſcopos VIII. presbyteros XVI. & diaconos VI. Obijt Romæ X. Kal. Maij, nocte præcedente, anno 1073. & Laterani in baſilica Conſtantiniana ſepultus. Non vacauit ſedes | | | |
| 1061 | 21 | *Honorius II. Iunior Parmēſis Cadolus Pallauicinus, epiſcopus Parmenſis in ſchiſmate contra Alexandrum II. ab Imperatore & epiſcopis Longobardis creatus, ſedit annos* | 5 | .... | .... |
| | | *Creatus Baſileæ V. Kal. Nouembris, conſecratus .... Pontificatus ei in Concilio Mantuano abrogatus eſt VI. Kal. Nouēbris anno 1064. & non longè pòſt Parmæ mortuus eſt, & ſepultus eſt.* | | | |
| | | *Schiſma in eccleſia Romana XXII.* | | | |
| 1073 | 159 | Gregorius VII. Soanenſis Tuſcus Hildebrandus, ex comitibus Pitiliani, & Soanæ Bonicij filius, monachus, & Prior olim Cluniacenſis, Abbas ſancti Pauli Romæ, ex S. R. E. Oeconomo, & ſubdiacono, archidiaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Dominica à Nicolao II. factus, Imp. Cæſ. Henrico IIII. Auguſto, ſedit annos | 12 | 1 | 3 |
| | | Creatus feria ſecunda X. Kal. Maij, Romæ in baſilica ſancti Petri ad vincula, die obitus Alexandri II. conſecratus III. Kal. Iulij apud ſanctum Petrum. Cardinales fecit XX. epiſcopos III. presbyteros XII. diaconos V. | | | |
| | | Obijt Salerni VIII. Kalend. Iunij die Dominico, anno 1085. ſepultus ibidem in eccleſia Cathedrali ſancti Matthæi. Vacauit ſedes annum | 1 | 0 | 0 |
| 1080 | 22 | *Clemens III. Parmenſis, Gibertus de Corrigia, archiepiſcopus Rauennas ab Alexandro II. factus, olim Imp. Henrici IIII. cancellarius, & eo auctore in ſchiſmate Romanus pontifex creatus, contra Gregorium VII. & eius ſucceſſores, Victorem III. Vrbanum II. & Paſchalem II. eo Imperante ſedit annos* | 21 | .... | .... |
| | | *Creatus Brixini in Noricis à XXX. epiſcopis, auctore Henrico IIII. Imperatore, VII. Kal. Iulij, feria V. Indictione III. conſecratus Romæ ad ſanctum Petrum IX. Kalend. Aprilis dominica palmarum anno 1084. Cardinales fecit XIX. epiſcopos V. presbyteros X. & diaconos IIII. Obijt Romæ in arce ſancti Angeli, poſt Kal. Septemb. anno 1101. ſepultus Rauennæ in cathedrali eccleſia, & non longè pòſt corpus eius exhumatum, iuſſu Paſchalis II. combuſtum eſt.* | | | |

*Schiſma*



| Anni Chriſti. | Numer9 Pōtificū. | | Anni. | Menſes | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | *Schiſma in eccleſia Romana peſſimum XXIII.* | | | |
| 1080<br>1086 | 160 | Victor III. Beneuentanus, Dauferius pòſt Deſiderius Beneuētani principis filius, monachus Caſinas, diaconus Cardinalis à Leone IX. factus, abbas Caſinas, & presbyter Cardinalis tt. S. Cæciliæ à Nicolao II. conſecratus, in ſchiſmate contra Clementem III. Imp. Cæſ. Henrico IIII. Auguſto, ſedit annum | 1 | 3 | 24 |
| | | Creatus Romæ die Pentecoſtes in diaconia ſanctæ Luciæ, IX. Kal. Iunij, conſenſit Capuæ XII. Kalend. Aprilis Dominica palmarum anni 1087. Cōſecrat9 Capuæ VII. Idus Maij die Dominico. Obijt in monaſterio montis Caſini XVI. Kal. Octobris anno 1087. ibiq; in capitulo monaſterij ſepultus. Vacauit ſedes menſes | 0 | 5 | 23 |
| 1088 | 161 | Vrbanus II. Iunior Gallus, Otho Milonis filius, ex oppido Caſtillionis, Remenſis diœceſis, canonicus regularis Lateranenſis, pòſt monachus Cluniacēſis, epiſcopus Oſtienſis à Gregorio VII. factus in ſchiſmate contra Clementem III. ſedit Imp. Henrico IV. annos | 11 | 4 | 18 |
| | | Creatus & coronatus Tarracinæ IIII. Idus Martij, die Dominico. Cardinales fecit XXXVI. epiſcopos IX. presbyteros XIV. Diaconos XIII. mēſibus Martio & alijs. Obijt Romæ in ædibus Petri Leonis ad ſanctum Nicolaum in carcere III. Kalend. Auguſti anno 1099. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 14 |
| 1099 | 162 | Paſchalis II. Bledenſis Tuſcus, aliàs ex vico prouinciæ Flaminiæ Galliata, Rainerius Creſcentij filius, monachus Cluniacenſis, abbas ſanctorū Laurentij, & Stephani extra muros Vrbis, via Tiburtina, presbyter Cardinalis tt. S. Clementis à Gregorio VII. factus in ſchiſmate contra Clementem III. & eius ſucceſſores, Impp. Cæſs. Henricis IIII. & V. Auguſtis, ſedit annos | 18 | 5 | 9 |
| | | Creatus Romæ apud ſanctum Clementem, Idibus Auguſti, à Cardinalibus L. præter ipſum, conſecratus poſtridie die Dominico. Pluribus ordinationibus per diuerſos mēſes habitis, epiſcopos C. in his XIII. Cardinales creauit, presbyteros verò L. & diaconos XXX. Obijt Romæ apud ſanctam Mariam Tranſpontinā nocte, quæ diem XII. Kal. Februarij ſecuta eſt, anno 1118. Laterani ſepultus. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 3 |
| 1101 | 23 | *Albertus Attellanus in ſchiſmate poſt Clementem III. contra Paſchalem II. Ricardo Capuano Comite auctore, creatus, ſed. menſ.* | 0 | 4 | .... |
| | | *Captus à militibus Paſchalis II. & coactus, quum abdicaſſet in monaſterio ſancti Laurentij Auerſæ perpetuo carceri relegatur.* | | | |
| 1102 | 24 | *Theodoricus Romanus in ſchiſmate poſt Albertum contra Paſchalem II. Cauenſium opera creatus, ſedit menſes* | 0 | 3 | 15 |
| | | *Captus à Paſchalis II. præſidijs, & ſacerdotio priuatus, in monaſterium ſanctæ Trinitatis Cauenſis truditur, ibi monachus factus, anacoreticam vitam diu duxit* | | | |
| 1102 | 25 | *Silueſter III. Romanus, Maginulfus monachus, & abbas Farfenſis, in ſchiſmate poſt Theodoricum contra Paſchalem II. auctore Vernero* | | | |

| Anni Chriſti. | Numer9. Põtificũ. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | *nero Imperatoris Henrici IIII. in Italia Duce creatus, ſedit menſes aliquot.* | 0 | .... | .... |
| | | *Fugatus Latio, & monaſterio ſuo expulſus, animi dolore haud ita multò pòſt mortuus eſt.* | | | |
| 1118 | 163 | Gelaſius II. Iunior Caietanus, Ioannes Creſcentij filius monachus Caſsinas, S.R.E. diaconorum primus, ſanctæ Mariæ in Coſmedin, & cancellarius ab Vrbano II. factus, Imp. Cæſare Henrico V. Auguſto, ſedit annum | 1 | 0 | 5 |
| | | Creatus Romæ in monaſterio Palladij à XLVII. Cardinalibus VIII. Kal. Feb. Conſecratus Caietæ Kal. Martij. Cardinalem vnum creauit diaconũ, Ordinatione vna menſe Martio facta. Obijt IIII. Kal. Febr. anno 1119. Cluniaci in Gallia, ibiq; in monaſterij eccleſia ſepultus. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 2 |
| 1118 | 26 | *Gregorius VIII. Hiſpanus, Mauritius Burdinus Archiepiſcopus Bracarenſis, in ſchiſmate contra Gelaſium II. ab Imperatore Henrico V. Auguſto menſe Aprilis creatus, ſedit eo imperante annos* | 3 | .... | .... |
| | | *Coactus abdicauit ſub Calliſto II. & in Turri monaſterij Caſinatis primùm, deinde in monaſterio Cauenſi ſanctæ Trinitatis ab Honorio II. relegatus, ibidem vitam finiuit.* | | | |
| 1118 | | *Schiſma XXIV. in eccleſia Romana.* | | | |
| 1119 | 168 | Calliſtus II. Burgũdus, Milo, aliàs Guido, Guillelmi Burgundiæ comitis filius, archiepiſcopus Viennenſis, & apoſtolicæ ſedis Tranſalpes legatus, Henrico V. Auguſto, ſedit ann. | 5 | 10 | 13 |
| | | Creatus Kalend. Februarij Cluniaci in Gallijs à XII. Cardinalibus, ibique conſecratus prid. Idus Octobris. Ordinationibus tribus mẽſe Martio, & Decembri factis, Cardinales creauit xiij. epiſcopos II. presbyteros VIII. & diaconos VII. Obijt Romæ Idibus Decembris anno 1124. Laterani ſepultus. Vacauit eo mortuo ſedes diem tantum. | 0 | 0 | 1 |
| 1123 | | Synodus vniuerſalis Lateranenſis prælatorum circiter mille. | | | |
| 1124 | 165 | Honorius II. Bononienſis, Lambertus de Fagnano ex archidiacono Bononienſi canonicus regularis Lateranenſis, epiſcopus Cardinalis Oſtienſis à Paſchali II. factus, Impp. Cæſ. Henrico, & Hlothario Saxone Auguſtis, ſedit annos | 5 | 2 | 3 |
| | | Creatus Romæ Laterani XIX. Kal. Ianuarij à L. Cardinalibus, coronatus die Dominico XII. Kalend: Ianuarij. Ordinationibus tribus menſe Decembri factis, Cardinales fecit XXXI. epiſcopos II. presbyteros XVI. & diaconos XI. Obijt Romæ xiiij Kal. Martij in monaſterio ſancti Gregorij, Laterani ſepultus. Vacauit ſedes diem | 0 | 0 | 1 |
| 1124 | 27 | *Cæleſtinus II. Romanus, Theobaldus Buccapeccus, presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Anaſtaſiæ à Paſchali II. factus, in ſchiſmate contra Honorium II. creatus, ſedit diem* | 0 | 0 | 1 |
| | | *Creatus XIX Kalend. Ianuarij, & eo die abdicauit, anno 1124.* | | | |
| 1124 | | *Schiſma in eccleſia Romana XXV.* | | | |
| 1130 | 166 | Innocentius II. Romanus, Gregorius Ioannis Guidonis filius de papa, de regione Tranſtiberim canonicus regularis Lateranenſis, Prior diaconorum Cardinalium ſancti Angeli ab Vrbano II. factus, | | | |



| Anni Chriſti | Numer9. Põtificũ. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | ctus, Lothario II. Saxone, & Chunrado Sueuo Auguſtis, ſedit annos | 13 | 7 | 8 |
| | | Creatus in ſchiſmate à XVII. Cardinalibus XIII. Kal. Martij, conſecratus die Dominico proximo Romæ. Ordinationibus VI. menſe Decembri factis, Cardinales creauit XLVII. epiſcopos IX. presbyteros XX. & diaconos XVIII. Obijt Romæ VIII. Kal. Octob. anno 1143. ſepultus Laterani in concha porphyrite, quæ in mauſoleo Hadriani fuerat. Vacauit ſedes diem | 0 | 0 | 2 |
| 130 | 28 | *Anacletus II. Romanus, Petrus Petri Leonis filius, ex diacono Cardinale ſanctorum Coſmæ, & Damiani à Paſchali II. facto, presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Mariæ Tranſtiberim à Calliſto II. ordinatus, Imp. Cæſ. Lothario II. Saxone Auguſto ſedit in ſchiſmate ann.* | 7 | 9 | .... |
| | | *Creatus in ſchiſmate contra Innocentium II. à XXI. Cardinalibus XIII. Kal, Martij Romæ, conſecratus die Dominico proximo. Ordinationibus aliquot menſe Aprili, & Decembri factis Cardinales creauit X. presbyteros V. & diaconos V. Obijt Romæ initio ann. 1138. ſepultus Laterani. In eius locum factus eſt* | | | |
| 138 | 29 | *Victor IIII. Romanus, Gregorius presbyter cardinalis baſilicæ ſanctorum XII. apoſtolorum à Calliſto II. factus, poſt Anacleti obitum in ſchiſmate contra Innocentium II. creatus, ſedit menſes* | 0 | 5 | .... |
| | | *Abdicauit IIII. Kal. Iunij in octaua Pentecoſtes anno 1138. & remanſit vt antè presbyter Cardinalis Baſilicæ apoſtolorum.* | | | |
| 1130 | | *Schiſma in Romana eccleſia XXVI.* | | | |
| 1139 | | Synodus vniuerſalis Lateranẽſis epiſcoporum plus minus mille. | | | |
| 1143 | 167 | Cæleſtinus II. Tifernas Tuſcus, M. Guido de Caſtello, ex diacono Sanctæ Mariæ in via lata ab Honorio II. facto, presbyter Cardinalis tt. ſancti Marci ab Innocentio II. ordinatus, Chunrado Sueuo Imp. ſedit menſes | 0 | 5 | 13 |
| | | Creatus Romæ à XXIIX. Cardinalibus VII. Kal. Octob. ibiq; VI. Kal. die Dominico conſecratus. Ordinatione vna menſe Febru. facta. Cardinales creauit XIIII. presbyteros XII. & diaconos XII. Obijt VII. Idus Martij in palatio Lateranenſi, anno 1144. in baſilica Conſtantiniana ſepultus. Vac. ſedes dies | 0 | 0 | 2 |
| 1144 | 168 | Lucius II. Bononienſis, D. Gerardus Cęcianimicus Alberti filius, canonicus regularis ex congregatione ſancti Fridiani Lucenſis, primus presbyterorum Cardinalium tt. ſanctæ Crucis in Hieruſalem à Calliſto II. factus, cancellarius apoſtolicæ ſedis ab Innocentio II. creatus, Imp. Chunrado III. Sueuo Aug. ſedit menſes | 0 | 11 | 14 |
| | | Creatus Romæ à XLI. Cardinalibus IIII. Idus Martij, conſecratus die Dominico proximo. Ordinationibus duabus menſibus Maio, & Decembri factis, Cardinales creauit XII. epiſcopum I. presbyteros III. & diaconos III. Obijt Romæ in monaſterio S. Gregorij V. Kal. Martij anno 1145. Laterani ſepultus. Vacauit ſed. diem | 0 | 0 | 1 |
| 1145 | 169 | Eugenius III. Piſanus, D. Petrus Bernardus ex oppido Montis magni diœceſis Piſanæ, ex vicedomino Piſanæ eccleſiæ, monachus Ciſtertienſis, & ſan- | | | |

| Anni Christi. | Numerus Pótificũ. | | Anni. | Menses. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | & ſancti Bernardi Magni Clarauallenſis abbatis diſcipulus, abbas monaſterij ſanctorum Vincentij, & Anaſtaſij ad aquas ſaluias Romæ, Chunrado, & Friderico Barbaruſſa Sueuis Cæſaribus, ſedit annos | 8 | 4 | 12 |
| | | Creatus Romæ extra collegium Cardinalium, in eccleſia ſancti Cæſarij, in patriarchio Lateranenſi à XLII. Cardinalibus III. Kal. Martij. Ordinatus in monaſterio Farſenſi IIII. Non. Martij dominica proxima. Ordinationibus III. menſe Decembri, & alijs factis. Cardinales creauit XXIII. epiſcopos II. presbyteros XI. & diaconus X. Obijt Tibure VIII. Idus Iulij anno 1153. ſepultus Romę ad ſanctum Petrum prope altare maius. Vacauit ſedes diem | 0 | 0 | 1 |
| 1153 | 170 | Anaſtaſius IV. Roman⁹, Chunradus de Subura Benedicti filius, canonicus regularis, & abbas ſancti Rufi Valentinæ diœceſeos in Gallijs, Epiſcopus Cardinalis Sabinus ab Honorio II. factus, & Vicari⁹ papæ in Vrbe, Imp. Cæſare Friderico Ahenobarbo Auguſto, ſedit annum | 1 | 4 | 24 |
| | | Creatus Romæ à XXXVII. Cardinalibus VI. Idus Iulij, conſecratus IV. Idus Iulij, epiſcopũ Cardinalem vnum creauit. Obijt Romæ III. Nonas Decemb. anno 1154. ſepultus Laterani mauſoleo porphyretico. Vacauit ſedes diem | 0 | 0 | 1 |
| 1154 | 171 | Hadrianus IV. Anglus, D. Nicolaus Brekſpeare, ex villa Maluiesbiria oppidi Virulamij, aliàs ſancti Albani, Batonienſis diœceſis, Roberti monachi filius, canonicus regularis, & abbas ſancti Rufi Valentię in Gallijs, epiſcopus Cardinalis Albanus ab Eugenio III. factus, Friderico Imperatore ſedit annos | 4 | 8 | 28 |
| | | Creatus Romæ Nonis Decembris die Dominico à XXX. Cardinalibus. Ordinationibus duabus Martio, & Decembri factis, Cardinales creauit XIII. epiſcopum I. presbyteros VI. & diaconos VI. Obijt Anagniæ in Hernicis prima vigilia Kal. Septemb. anno 1159. ſepultus ad ſanctum Petrum iuxta Eugenium III. Vacauit ſedes dies | 0 | 6 | 3 |
| 1159 | 172 | Alexãder III. Senenſis Tuſcus, Rolandus Bandinellus Ranutij filius, ex canonico Piſano diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani, pòſt presbyter tt. ſancti Marci, & cancellarius S. R. E. ab Eugenio III. factus, Imp. Cæſare Friderico Ahenobardo Auguſto, ſedit annos | 21 | 11 | 23 |
| | | Creatus Romæ in baſilica ſancti Petri in ſchiſmate à XXIII. Cardinalibus Nonis Septembris, conſecratus apud Treſtabernas, aliàs apud Nympham XII. Kal. Octobris. Ordinationibus aliquot menſe Decembri, & alijs menſibus factis, Cardinales creauit XXXIV. epiſcopos IX. presbyteros XVI. & diaconos IX. Obijt Romæ VI. Kal. Septembris anno 1181. Laterani ſepultus. Vacauit ſedes diem | 0 | 0 | 1 |

San-



| Anni. Christi | Numerus Pótificũ. | | Anni. | Menses. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1180 | | Sancta Synodus vniuerſalis Lateranẽſis pro reſtitutione eccleſiæ habita, epiſcoporum CCXXC. | | | |
| 1159 | 30 | *Victor IIII. Romanus, Octauianus de monticello, ex diacono ſancti Nicolai in carcere Tulliano ab Innocentio II. facto, presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Cæciliæ ab Eugenio III. ordinatus, Imp. Friderico Aug. in ſchiſmate contra Alexandrum III. ſedit annos* | 4 | 7 | .... |
| | | *Creatus in baſilica ſancti Petri in ſchiſmate Nonis Septembris à V. Cardinalibus, ibidem IIII. Nonas Octobris coronatus. Obijt Lucæ in Tuſcia circa Idus Aprilis anni 1164. ibiq; ſepultus. In eius locum factus eſt* | | | |
| 1164 | 31 | *Paſchalis III. Cremenſis, Guido ex diacono ſancti Euſtathij, presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Mariæ Tranſtiberim ab Hadriano IIII. factus, Friderico Imp. in ſchiſmate ſedit annos* | 5 | .... | .... |
| | | *Creatus in ſchiſmate Lucæ in Tuſcia .... Kalend. Maij. ibiq; conſecratus. Obijt Romæ .... anno 1169 ſepultus ad ſanctum Petrum. In eius locum factus eſt* | | | |
| 1169 | 32 | *Calliſtus III. Hungarus, Ioannes Monachus, & abbas Strumienſis epiſcopus Cardinalis Tuſculanus a Victore IV factus, in ſchiſmate, contra Alexandrum III. Imp. Friderico ſedit annos* | 7 | 5 | .... |
| | | *Creatus in ſchiſmate Romæ, ibiq; conſecratus. Abdicauit V. Kalẽd. Auguſti anno 1176. & factus eſt archiepiſcopus Beneuentanus.* | | | |
| 1177 | 33 | *Innocentius III. Lando antè vocatus, in ſchiſmate contra Alexandrum III. creatus, ſedit menſ. aliquot* | 0 | .... | .... |
| | | *Coactus abdicauit.* | | | |
| 1159 | | *Schiſma maximum in eccleſia Romana XXVII.* | | | |
| 1181 | 173 | Lucius III. Lucenſis Tuſcus, Vbaldus Allucingolus Bonagiuntæ filius, ex canonico Lucẽſi presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Praxedis ab Innocẽtio II. & epiſcopus Oſtienſis & Veliternus, ab Hadriano IV. factus, tunc prior epiſcoporum, Imp. Friderico Barbaruſſa ſedit ann. | 4 | 2 | 28 |
| | | Creatus Romæ IIII. Kal. Septemb. à XXV. Cardinalibus, ibidem poſtridie coronatus. Ordinationibus tribus Decembri, & Februario factis, Cardinales creauit XIIII. epiſcopum vnum, presbyteros VI. & diaconos VII. Obijt Veronæ VII. Kal. Decembris, nocte præcedenti, anno 1185. ſepultus ibidem in cathedrali. Non vacauit ſedes. | | | |
| 1185 | 174 | Vrbanus II. Mediolanenſis, Lambertus Cribellus Ioannis filius, ex presbytero Cardinale S.R.E. ab Alexandro III. factus Archiepiſcopus Mediolanenſis, Imp. Friderico Ahenobarbo Auguſto, ſedit annum | 1 | 10 | 25 |
| | | Creat⁹ Veronæ à XXIV. Cardinalibus VII. Kal. Decembris die obitus Lucij III. ibiq; III. Kal. coronatus. Obijt Ferrariæ XIIII. Kal. Nouembris, ſepultus in cathedrali anno 1187. Vacauit ſed. diem | 0 | 0 | 1 |
| 1187 | 175 | Gregorius VIII. Beneuentanus, Albertus Spanachionius, aliàs de Mora, ex diacono Cardinale ſancti Hadriani, presbyter Cardinalis tt. ſancti Laurentij in Lucina ab Hadriano IIII. & cancellarius apoſtolicæ ſedis ad Alexandro III. factus, tunc primus presbyterorum, ſedit menſem | 0 | 1 | 27 |
| | | Creatus Ferrariæ à XIX. Cardinalibus XIII. Kal. Nouembris, VIII. Kalend. ibidem conſecratus. Obijt Piſis XVII. Kalend. Ianuarij, ſepultus in cathedrali Piſana anno 1187. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 20 |

 Cle-

| Anni Chriſti. | Numerꝰ Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1188 | 176 | Clemens III. Romanus Paulus ſcholaris Ioannis filius de regione Pineæ, epiſcopus Cardinalis Præneſtinus ab Alexandro III. factus, ſedit Imp. Cæſ. Friderico Barbaruſſa Auguſto annos | 3 | 2 | 20 |
| | | Creatus & coronatus Piſis à XIIX. Cardinalibus VIII. Idus Ianuarij die Epiphaniæ. Ordinationibus IV. Februario, Martio, Aprili, & Septembri factis, Cardinales creauit XXII. epiſcopi vnius, presbyteros X. diaconos XI. Obijt Romæ VIII. Kalend. Aprilis anno 1191. Laterani ſepultus. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 3 |
| 1191 | 177 | Cæleſtinus III. Romanus Hiacynthus Bobo Petri filius de regione Harenulæ, ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconus Cardinalis à Cæleſtino II. factus, Prior eius ordinis, Henrico VI. Imperat. ſedit annos | 6 | 9 | 11 |
| | | Creatus Romæ à XXVII. Cardinalibus III. Kal. Aprilis, conſecratus die Paſchæ XVII. Kal. Martij, apud ſanctū Petrum. Ordinationibus duabus menſe Decembri factis, Cardinales creauit IX. presbyteros VI. & diaconos III. Obijt Romæ VI. Idus Ianuarij nocte præcedente anno 1198. ſepultus in baſilica Lateranenſi. Non vacauit ſedes. | | | |
| 1198 | 178 | Innocentius III. Anagninus Hlotharius, ex comitibus Signię Tranſimundi filius, diaconus Cardinalis ſanctorū Sergij & Bacchi à Clemente III. factus, Impp. Cæſaribus Henrico VI. Othone IV. & Friderico II. Augg. ſed. ann. | 18 | 6 | 9 |
| | | Creatus Romæ à XXIII. Cardinalibus die obitus Cæleſtini III. papæ, VI. Idus Ianuarij, coronatus die Cathedræ ſancti Petri VIII. Kal. Martij. Ordinationibus multis per diuerſos menſes factis, Cardinales creauit XXXIII. epiſcopos IX. presbyteros XII. & diaconos XIIII. Obijt Peruſiæ XVII. Kal. Auguſti anno 1216. ibiq; in cathedrali eccleſia S. Laurentij ſepultus. Vacauit ſed. diem | 0 | 0 | 1 |
| 1215 | | Sancta, magna, & vniuerſalis ſynodus Lateranēſis pro reformatione eccleſiæ celebrata prælatorum circiter mille. | | | |
| 1210 | 170 | Honorius III. Romanus, Cencius Sabellus Aimerici filius ex canonico ſanctæ Mariæ maioris, diaconus Cardinalis ſanctæ Luciæ in Orthea, & camerarius S.R.E. à Cæleſtino III. factus, pòſt presbyter tt. ſanctorum Ioannis & Pauli ab Innocentio III. ordinatus, Imp. Cæſ. Friderico II. Auguſto, ſedit annos | 10 | 8 | 0 |
| | | Creatus Peruſiæ à XIX. Cardinalibus, XV. Kal. Auguſti, ibidem IX. Kal. die Dominico coronatus. Ordinationibus quinq; menſibus Decembri, & alijs factis, Cardinales creauit XII. epiſcopos V. presbyteros V. & diaconos II. Obijt Romæ XV. Kalend. Aprilis nocte ſequenti feria VI. hebdomadæ quintæ quadrageſimæ anno 1227. ſepultus ante aram Præſepis in baſilica ſanctæ Mariæ maioris. Vacauit ſedes diem | 0 | 0 | 1 |

Grego-



| Anni Chriſti | Numerꝰ Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1127 | 180 | Gregorius IX. Anagninus, Vgolinus ex Comitibꝰ Siginæ, ex diacono Cardinale ſancti Euſtathij epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus, ab Innocentio III. factus, Imp. Friderico II. Cæſ. Aug. ſedit annos | 14 | 5 | 3 |
| | | Creatus Romæ prope Septizonium in diaconia S. Lucię in Septiſolio ab XIIX. Cardinalibus, XIII. Kal. Aprilis die ſabbati, conſecratus ibidem die Dominico poſtridie die ſancti Benedicti, coronatus ad ſanctum Petrum V. Kal. Aprilis die Paſchæ. Ordinationibus quatuor menſibus Decembri, & Septembri factis, Cardinales XI. creauit, epiſcopos V. presbyteros II. & diaconos IIII. Obijt Romę XI. Kal. Septemb. anno 1241. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 30 |
| 1241 | 181 | Cæleſtinus IIII. Mediolanenſis, Gaufridus Caſtellio, ex presbytero tt. ſancti Marci epiſcopus Cardinalis Sabinus à Gregorio IX. factus, ſedit di. | 0 | 0 | 17 |
| | | Creatus Romæ ab XI. Cardinalibus, X. Kalend. Octobris, non coronatus. Obijt Romæ VIII. Idus Octobris, anno 1241. ſepultus ad ſanctū Petrum. Vacauit eo mortuo Rom. ſedes annum | 1 | 8 | 15 |
| 1243 | 182 | Innocentius IIII. Genuenſis Ligur. Imibaldus de Fliſco, ex Lauanię comitibus, Othoboni filius, ex Vicecancellario S. R. E. & auditore literarum contradictarū, presbyter Cardinalis tt. ſancti Laurentij in Lucina à Gregorio IX. factus, primus preſbyterorum, Imp. Friderico II. Auguſto, Chunrado IIII. Henrico VII. & Guillelmo, Cæſaribus, ſedit annos | 11 | 5 | 14 |
| | | Creatus Anaginæ à IX. Cardinalibus VIII. Kal. Iulij, ibiq; conſecratus IIII. Kal. Iulij. Ordinationibus quatuor menſe Decembri factis, Cardinales creauit XX. epiſcopos VII. presbyteros VII. & diaconos VI. Obijt Neapoli VII. Idus Decembris anno 1254. ibidem in cathedrali eccleſia ſepultus. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 13 |
| 1244 | | Sancta & vniuerſalis Synodus Lugdunēſis contra Imp. Fridericum II. congregata. | | | |
| 1254 | 183 | Alexāder IIII. Anagninus, Rainaldus ex comitibus Signiæ Gerardi Retraentis aliàs Philippi filius, ex diacono ſancti Euſtathij epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus à Gregorio IX. factus, prior epiſcoporum, ſedit Guillelmo Ricardo & Alfonſo Cæſaribus, annos | 6 | 5 | 5 |
| | | Creatus Neapoli ab XI. Cardinalibus, XII. Kal. Ianu. Coronatus VIII. Kal. Ianua. die natalis Domini. Obijt Viterbij VIII. Kal. Iunij, ibidem in cathedrali eccleſia ſancti Laurentij ſepultus ann. 1261. Vac. ſed. menſ. | 0 | 3 | 3 |
| 1261 | 184 | Vrbanus IIII. Trecenſis Campanus Gallus, Iacobus Pantaleo Patriarcha Hieroſolymitanus, ſedit in interregno, Ricardo & Alfonſo Cæſaribus annos | 3 | 1 | 4 |
| | | Creatus extra collegium Cardinaliū Viterbij IIII. Kal. Septēbris ab VIII. Cardinalibꝰ, corona- | | | |

 tus

| Anni Chriſti. | Numer9 Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | tus prid. Non. Septembris. Ordinationibus duabus mēſe Decēbri factis, creauit Cardinales XIIII. epiſcopos III. presbyteros VI. & diaconos V. Obijt Peruſiæ VI. Nonas Octobris anno domini 1264. ſepultus ibidē in cathedrali. Vacauit ſedes mēſes | 0 | 4 | 2 |
| 1265 | 185 | Clemens IV. Narbonenſis Gallus, Guido Groſſus Fulcodij filius de villa ſancti Egidij, ex epiſcopo Podienſe, archiepiſcopus Narbonenſis, & deinde epiſcopus Cardinalis Labinus ab Vrbano IV. factus, ſedit Ricardo & Alfonſo Cæſaribus ann. | 3 | 9 | 25 |
| | | Creatus abſens Peruſię per compromiſſum præſentibus XX. Cardinalibus Nonis Februarij, erat enim legatus in Anglia, coronatus Viterbij die cathedræ ſancti Petri VIII. Kalēd. Martij anno 1266. Obijt Viterbij III. Kal. Decembris anno 1268. ſepultus in eccleſia Prædicatorum ſanctæ Mariæ ad Gradus. Vacauit ſedes annos | 2 | 9 | 2 |
| 1271 | 186 | Gregorius X. Placentinus Thealdus Vicecomes, archidiaconus Leodienſis, Cæſare Rodulfo, ſedit annos | 4 | 4 | 10 |
| | | Creatus Viterbij abſens trans mare in Syria extra collegium Cardinalium, Kal. Septembris per compromiſſum in ſex Cardinales factum, pręſentibus Cardinalibus XVII. conſecratus Romæ VI. Kal. Aprilis anno 1272. Ordinationem vnā menſe Iunio V. epiſcoporum Cardinalium fecit. Obijt Arretij in Tuſcia IV. Idus Ianuarij anno 1276. ibidem in cathedrali eccleſia ſepultus. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 10 |
| 1274 | | Sācta & vniuerſalis ſynodus Lugdunenſis ſecūda, pro recuperatione terræ ſanctæ coacta. | | | |
| 1276 | 187 | Innocentius V. Burgundus, Magiſter, frater Petrus Tarentaſienſis ordinis prædicatorum, ex archiepiſcopo Lugdunenſe, epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, & S.R.E. Maior pœnitentiarius à Gregorio X. factus, Cęſare Rodulfo, ſedit menſes | 0 | 5 | 2 |
| | | Creatus Arretij XII. Kal. Februarij à Cardinalibus XI. coronatus Romæ die cathedræ ſancti Petri VIII. Kal. Martij. Obijt Romæ X. Kal. Iulij anno 1276. Laterani ſepultus. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 19 |
| 1276 | 188 | Hadrianus V. Genuēſis Ligur, Othobonus Fliſcus ex Lauaniæ comitibus, Thediſij Innocentij IIII. fratris filius, diaconus Cardinalis ſancti Hadriani à patruo factus, ſedit menſ. | 0 | 1 | 7 |
| | | Creatus Romæ à X. Cardinalibus in Palatio Lateranenſi IIII. Idus Iulij, non conſecratus. Obijt Viterbij XV. Kal. Septemb. ſepultus ibidem ad Minorum eccleſiam S. Franciſci. Vac. ſedes dies | 0 | 0 | 25 |
| 1276 | 189 | Ioannes XX. dictus XXI. Vlyxiponenſis Luſitanus Hiſpanus, Magiſter Ioannes Petrus Iuliani epiſcopus Cardinalis Tuſculanus à Gregorio X. factus, Cæſare Rodulfo ſed. menſ. | 0 | 8 | 8 |
| | | Creatus Viterbij à IX. Cardinalibus. Idibus Septembris, coronatus ibidem XII. Kal. Octobris. | | | |

Obijt



| Numer9 Pōtificū. | Anni Chriſti. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | Obijt Viterbij XIII. Kalend. Iunij. Anno 1277. ibidem in cathedrali eccleſia ſepultus. Vacauit ſedes menſes | 0 | 6 | 4 |
| 1277 | 190 | Nicolaus III. Romanus, Ioannes Caietanus Vrſinus primus diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in carcere Tulliano ab Innocentio IIII. factus, ſedit Cæſare Rodulfo annos | 2 | 8 | 29 |
| | | Creatus Viterbij à VI. Cardinalibus VII. Kal. Decemb. coronatus Romæ VII. Kal. Ianuarij. Ordinatione vnā mēſe Martio facta, IX. Cardinales creauit, epiſcopos V. presbyteros II. & diaconos II. Obijt in caſtello Sariano Viterbienſis diœceſis, XI. Kal. Septemb. anno 1280. ſepultus Romæ ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes menſes | 0 | 6 | 0 |
| 1281 | 191 | Martinus II. dictus IIII. Turonenſis, Gallus, Simon de Bria Campaniæ Turonēſis diœceſis, presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Cæcilię ab Vrbano IIII. factus. Cæſare Rodulfo ſedit annos | 4 | 1 | 7 |
| | | Creatus Viterbij à X. Cardinalibus VIII. Kalēd. Martij, coronatus Vrbeueteri X. Kal. Aprilis. Ordinationem vnam menſe Martio fecit, Cardinalium VII. epiſcopi vnius, presbyterorū V. & diaconi vnius. Obijt Peruſiæ IV. Kalend. April. anno 1285. ſepultus in eccleſia cathedrali Peruſina. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 4 |
| 1285 | 192 | Honorius IIII. Romanus, Iacobus Sabellus Lucæ, filius primus diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin ab Vrbano IIII. factus, Cæſare Rodulfo ſedit annos | 2 | 0 | 2 |
| | | Creatus Peruſiæ à XVII. Cardinalibus IIII. Nonas Aprilis, coronatus Romæ apud ſanctum Petrum XVII. Kal. Maij, epiſcopum Cardinalem vnum creauit menſe Decembri. Obijt Romæ III. Nonas Aprilis apud ſanctam Sabinam anno 1287. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes menſes | 0 | 10 | 18 |
| 1288 | 193 | Nicolaus IIII. Aſculanus, M. Frater Hieronymus ex miniſtro generali ordinis Minorum presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Pudentianæ à Nicolao III. & epiſcopus Præneſtinus à Martino IIII. factus, Rodulfo & Adolfo Cæſaribus ſedit annos | 4 | 1 | 14 |
| | | Creatus Romæ ab IIX. Cardinalibus VIII. Kal. Martij, coronatus VI. Kalend. Martij. Ordinatione vna menſe Maio facta. Cardinales VI. creauit, epiſcopos duos, presbyteros duos, & diaconos duos. Obijt Romæ prid. Nonas Aprilis anno 1292. ſepultus ad ſanctam Mariam maiorem. Vacauit ſedes annos | 2 | 3 | 2 |
| 1294 | 194 | Cæleſtinus V. Eſernienſis, frater Petrus de Murone Anglerij filius Sulmonenſis diœceſis, abbas ſui monaſterij, Cæſare Adolfo ſedit menſ. | 0 | 5 | 7 |
| | | Creatus Peruſiæ ab XI. Cardinalibus Nonis Iulij abſens extra collegium, conſecratus Aquilæ IIII. Kalendas Septembris. Ordinatione vna mēſe | | | |

| Anni Christi. | Numer9 Pōtificū. | PONTIFICES | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | ſe Septembri facta, XII. Cardinales creauit, epiſcopos II. presbyteros VII. & diaconos III. ſponte abdicauit eodem anno Neapoli Idibus Decembris. Obijt biennio pòſt in cuſtodia in arce Fumonis XIIII. Kalend. Iunij anno 1296. ſepultus in monaſterio ſancti Antonij de Ferentino ante aram maximam. Inter ſanctos relatus eſt III. Non. Maij Auenione à Clemente V. Vac. eo abdicante ſedes Rom. dies | 0 | 0 | 10 |
| 1294 | 195 | Bonifacius VIII. Anagninus Hernicus, Benedictus Caietanus Liutfredi filius ex Hiſpania oriundus, ex diacono Cardinale ſancti Nicolai in carcere Tulliano à Martino IIII. facto, presbyter tituli ſanctorum Silueſtri, & Martini à Nicolao IIII. ordinatus, Adolfo, & Alberto Cæſaribus, ſedit annos | 8 | 9 | 18 |
| | | Creatus Neapoli in arce noua à XXI. Cardinalibus IX. Kalendas Ianuarij, coronatus Romæ XVII. Kal. Februarij. Ordinationibus IIII. menſibus Martio, & Decembri factis, Cardinales creauit XV. epiſcopos VI. presbyteros III. & diaconos VI. Obijt Romæ V. Idus Octobris, ſepultus ad ſanctum Petrum anno domini 1303. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 10 |
| 1300 | | Hic pontifex Solennem annum Iobileum centeſimum inſtituit, primumq́; celebrauit. | | | |
| 1303 | 196 | Benedictus IX. dictus XI. Taruiſinus, Magiſter frater Nicolaus Bocaſinus ordinis prædicatorum ex magiſtro generali, presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Sabinæ, pòſt epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus à Bonifacio VIII. factus, Cæſare Alberto, ſedit menſes | 0 | 8 | 6 |
| | | Creatus Romæ à XXII. Cardinalibus, XI. Kal. Nouembris, coronatus VI. Kal. Nouembris. Ordinationibus duabus menſibus Decembri, & Martio factis, tres Cardinales creauit, epiſcopum vnū, presbyteros II. Obijt Peruſiæ die martis hora IX. Nonis Iulij, anno 1304. ſepultus ibidem ad Prædicatores. Vacauit ſedes menſ. | 0 | 10 | 28 |
| 1305 | 197 | Clemens V. Burdegalenſis Vaſco Gallus, Raimundus Gothus Bertrandi filius ex oppido Mihādrau diœceſis Burdegalenſis, ex epiſcopo Conuēnarum archiepiſcopus eiuſdē Vrbis à Bonifacio VIII. factus, Cæſaribus Alberto & Henrico VII. ſedit annos | 8 | 10 | 16 |
| | | Creatus Peruſię abſens à XXI. Cardinalibus extra collegium Nonis Iunij, coronatus Lugduni in eccleſia ſancti Iuſti III. Idus Nouembris. Ordinationibus III. menſe Decembri factis, creauit Cardinales XXIIII. epiſcopos VIII. presbyteros X. & diaconos VI. Obijt in Roca Maula ſupra amnem Rhodanum oppido ſito in Prouincia, XII. Kalendas Maij anno 1314. ſepultus in Vaſconia in eccleſia beatæ Mariæ de Vreſta Vaſconenſis diœceſis villula ignobili, ob deuotionem, quam | | | |



| Anni Christi. | Numer9 Pōtificū. | ROMANI. | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | quam ad eum locum habuerat. Vacauit ſedes annos | 2 | 3 | 17 |
| 1311 | | Sancta vniuerſalis ſynodus Viennenſis pro reformatione eccleſiæ habita. | | | |
| 1316 | 198 | Ioannes XXI. dictus XXII. Caturcenſis Gallus, Iacobus de Oſſa Arnaldi filius Forudienſis Caturcenſis diœceſis, epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ à Clemente V. factus, ſedit Hludouico IIII. Bauaro Cæſ. ann. | 18 | 3 | 28 |
| | | Creatus Lugduni in monaſterio Prædicatorum VII. Idus Auguſti à XXII. Cardinalibus, coronatus ibidem Nonis Septembris. Ordinationibus quinq; menſibus Decembri, & Iunio factis, Cardinales creauit XXVII. epiſcopos VIII. presbyteros XIIII. diaconos V. Obijt Auenione pridie Nonas Decembris anno 1334. ſepultus ibidem in cathedrali ſanctæ Mariæ de Donis. Vac. ſedes dies | 0 | 0 | 15 |
| 1327 | 34 | *Nicolaus V. Reatinus, Frater Petrus Reinalutij de Corbario, Reatinæ diœceſis, ordinis fratrum Minorum in ſchiſmate contra Ioannem XXII. auctore Ludouico Bauaro, creatus, ſedit annos* | 3 | 3 | 14 |
| | | *Creatus, & coronatus Romæ IIII. Idus Maij. Ordinationibus duabus menſibus Maio, & Ianuario factis, Cardinales VIII. creauit, epiſcopum vnum, presbyteros V. diaconos II. Coactus abdicauit Auenione VIII. Kal. Septemb. anno 1330. Ibidem obijt, ad Minores ſepultus* | | | |
| 1327 | | *Schiſma in Romana eccleſia XXVIII.* | | | |
| 1334 | 199 | Benedictus X. dictus XII. Toloſanus Gallus, Frater Iacobus Fornenus de Sauarduno, Appamiarū diœceſis, prouinciæ Toloſanæ monachus Ciſtertienſis, Theologus, abbas Fontisfrigidi, epiſcopus, Mirapiſienſis, presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Priſcæ à Ioanne XXII. factus, Ludouico Bauaro Imp. ſedit annos | 7 | 4 | 6 |
| | | Creatus Auenione apud Prædicatores à XXIII. Cardinalibus XIII. Kal. Ianuarij, coronatus ibidē die Dominico III. Nonas Ianuarij. Ordinatione vna mēſe Decēbri facta VI. presbyteros Cardinales creauit. Obijt Auenione VII. Kal. Maij anno 1342. ſepultus in cathedrali. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 11 |
| 1324 | 200 | Clemens VI. Lemouicenſis Gallus, Frater Petrus Monſtrius Rogerij filius de Malmonte, Lemouicenſis diœceſis, monachus monaſterij Caſę dei Elmomontanæ diœceſis, Theolog9, abbas Fiſcanenſis, ex archiepiſcopo Arelatenſe, Senonenſis, pòſt Rothomagenſis, presbyter Cardinalis tt. ſanctorum Nerei & Archilei à Benedicto XII. factus, Impp. Cæſs. Ludouico Bauaro, & Carolo IIII. Auguſtis, ſedit annos | 10 | 6 | 7 |
| | | Creatus Auenione in monaſterio Prædicatorū à XXI. Cardinalibus Non. Maij, coronatus ibidē XIIII. Kal. Iunij die Pentecoſtes. Ordinationibus quatuor menſibus Septembri, Maio, & Decembri factis, Cardinales XXV. creauit, epiſcopos II. preſbyteros XVI. & diaconos VII. Obijt Auenione VIII. Idus Decembris, anno 1352. ſepultus in monaſterio Caſædei. Vacauit ſedit dies | 0 | 0 | 11 |

| Anni Chriſti. | Numerꝰ Pōtificū | PONTIFICES | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1350 | | Hic pontifex annum Iobileum quinquageſimum iterum celebrauit. | | | |
| 1352 | 201 | Innocentius V I. Lemouicenſis Gallus, Stephanus Alberti, epiſcopus Claromontanus, ex presbytero tt. ſanctorum Ioannis, & Pauli epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, & maior pœnitētiarius à Clemente V I. factus, Carolo I I I I. Auguſto, ſedit annos | 9 | 8 | 26 |
| | | Creatus Auenione X V. Kal. Ianuarij à X X I I I I. Cardinalibus, coronatus ibidem in cathedrali III. Kal. Ianua. Ordinationibus tribus, menſibus Martio, Septembri, & Decēbri factis, Cardinales creauit X V. epiſcopum vnum, presbyteros X I. & diaconos III. Obijt Auenione pridie Idus Septembris, hora IX. id eſt, ſexta noctis ſequentis, anno 1362. ſepultus in cathedrali Auenionenſi. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 14 |
| 1362 | 202 | Vrbanus V. Mimmatenſis Gallus, frater Guillelmus de Griſaco, Grimaldi filius, Mimmatenſis diœceſis monachus, & abbas ſancti Victoris Maſsiliæ, Carolo IIII. Auguſto, ſed. annos | 8 | 2 | 23 |
| | | Creatus Auenione V. Kal. Octobris, à X X. Cardinalibus abſens extra collegium nuncius apoſtolicæ ſedis in Italia ad Vicecomites. Coronatus Auenione in Cathedrali V I I I. Idus Nouembris. Ordinationibus quatuor menſibus Maio, Iunio, & Septembri factis, Cardinales creauit XIIII. epiſcopos II. & presbyteros XI. Obijt Auenione ætatis anno 61. Chriſti 1370. XIIII. Kal. Ianuarij, circa horam I X. ſepultus Auenione in cathedrali, deinde anno 1372. trāslatus ad eccleſias ſancti Victoris Maſsilienſis Nonis Iunij. Vac. ſedes dies | 0 | 0 | 10 |
| 1370 | 103 | Gregorius XI. Lemouicenſis Gallus, Petrus comes Bellifortis, primus diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ nouæ à Clemente VI. patruo ſuo factus, Carolo I I I I. Auguſto, ſedit annos | 7 | 2 | 29 |
| | | Creatus Auenione III. Kal. Ianuarij à XVII. Cardinalibus, coronatus in cathedrali, die Epiphaniæ anno 1371. Die VIII. Idus Ianuarij Ordinationibus duabus, menſibus Iunio, & Decembri factis, Cardinales creauit XXII. epiſcopum vnum, presbyteros XVI. & diaconos V. Obijt Romæ circa horam ſecundam noctis V I. Kal. April. anno 1378. ſepultus in diaconia ſanctæ Mariæ nouæ. Vac. ſedes | | | |
| | | Dies | 0 | 0 | 12 |
| | | Menſes | 0 | 5 | 22 |
| 1378 | 53 | *Clemens V I I. Gebennenſis Gallus Robertus, ex comitibus Gebennenſibus . . . . filius, Epiſcopus Cameracenſis, presbyter Cardinalis Baſilica ſanctorum X I I. apoſtolorum à Gregorio X I. factus, ſedit Auenione in ſchiſmate contra Vrbanum V I. Venceslao Cæſare annos* | 15 | 11 | 28 |
| | | *Creatus Fundis in Campania, in ſchiſmate à X V. Cardinalibus XIII. Kal. Octobris meridie, poſtridie publicatus, ibidē coronatus prid. Kal. Nouemb Ordinationibus XIII menſibus Ianuario, Aprili, Maio, Iulio, Octobri, Nouembri, & Decembri factis, Cardinales X X I I I I. creauit, epiſcopos I I I I. presbyteros X X V I I. diaconos I I I. Obijt Auenione X V I. Kal. Octobris hora inter nonam & decimam manè* | | | |



| Numerꝰ Pōtificū. | Anni Chriſti. | ROMANI. | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | *manè anno 1394. ſepultus in eccleſia Cæleſtinorum ad pontem Sorgiæ. Vac ſedes dies* | 0 | 0 | 11 |
| 1394 | 36 | *Benedictus XI. dictus X I I I. Arrago Hiſpanus, Petrus de Luna, diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin à Gregorio X I. factus, Venceslao, Roberto, & Sigiſmundo Cæſaribus poſt Clemente V I I. in ſchiſmate, ſedit annos plus min.* | 30 | 0 | 0 |
| | | *Creatus in ſchiſmate Auenione à X X. Cardinalibus I I I I. Kalend. Octobris, ibidem coronatus V. Idus Octobris. Ordinationibus VI. mēſibus Septembri, & Decembri factis, Cardinales creauit X X V I I. epiſcopum I. presbyteros X. & diaconos X V I.* | | | |
| | | *Bis pontificatu priuatus, primùm in Concilio Piſano die Mercurij Nonis Iunij anno 1409. pontificatus X I I I I. menſe V I I I. die IX. Iterum in concilio Conſtantienſi, ſeſsione X X X V I I. die V I I. Kal. Auguſti anno 1417. pontificatus X X I I. menſe I X. die X X I X. Non paruit. Obijt Paniſcolæ in Hiſpania : : : : : Kal Octobris anno 1424. ibiq́ ſepultus. In eius locum in ſchiſmate auctore Rege Arragonum Alfonſo, factus eſt contra Martinum V.* | | | |
| 1424 | 37 | *Clemens V I I I. Hiſpanus, Egidius Munionis, canonicus Barchinonenſis, qui in ſchiſmate ſedit annos plus minus* | 4 | ..... | ..... |
| | | *Creatus Paniſcolæ in Arragonia coactus abdicauit anno 1428. factusq́ eſt à Martino V. epiſcopus Maioricenſis* | | | |
| 1378 | | *Schiſma omnium peſsimum, & diuturnius in eccleſia Romana X X I X. quod quinquaginta annos perdurauit.* | | | |
| 1378 | 204 | Vrbanus V I. Neapolitanus, Bartholomæus Prignanus, regens cancellariæ apoſtolicæ in abſentia Vicecancellarij, ex archiepiſcopo Acheruntino, Barenſis à Gregorio X I. factus, Veceneslao Aug. ſedit in ſchiſmate annos | 11 | 6 | 7 |
| | | Creatus extra collegium cardinalium annorū L X. à X V I. Cardinalibus die veneris V. Idus Aprilis Romæ, coronatus ante gradus ſancti Petri die Paſchæ X I V. Kal. Maij. Ordinationibus quatuor menſibus Ianuario, Septembri, & Decembri factis, Cardinales creauit L I I I I. epiſcopos I I I I. presbyteros X X X V I. diaconos X I I I I. Obijt Romæ die Veneris Idibus Octobris, anno 1389. vixit annos L X X I I. ſepultus in baſilica ſancti Petri. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 17 |
| | 1389 | Hic pontifex annum Iobileum X X X V I. inſtituit. | | | |
| 1389 | 205 | Bonifacius IX. Neapolitanus, Petrus vel Perinus Tomacellus, ex diacono ſancti Georgij in Velabro, presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Anaſtaſiæ ab Vrbano V I. factus, Venceslao, & Roberto Cæſ. ſedit annos | 14 | 11 | 0 |
| | | Creatus Romæ die Martis I I I I. Nonas Nouembris à X I I I. Cardinalibus annorum X L V. coronatus apud ſanctum Petrum III. Idus Nouembris. Ordinationibus duabus mēſibus Ianuario & Decembri factis, Cardinales V I. nouos creauit, epiſcopum I. presbyteros I I I I. & diaconum I. Obijt Romæ Kal. Octobris anno 1404. ætatis L X. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 15 |
| 1390 | | Hic pontifex annum Iobileum tertiò celebrauit ab Vrbano V I. indictum. | | | |
| 1400 | | Hic pontifex annum Iobileum quartò more veteri celebrauit. | | | |

Inno-

| Anni Chriſti | Numer9 Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1404 | 206 | Innocentius VII. Sulmonenſis Pelignus, Coſmatus Melioratus, diœceſis Valuenſis in Aprutio ex archiepiſcopo Rauennate, & epiſcopo Bononienſe presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Crucis in Hieruſalem, & S.R.E. Camerarius à Bonifacio IX. factus, Roberto Cæſare ſedit annos | 2 | 0 | 21 |
| 1406 | 207 | Creatus Romæ à VII. Cardinalibus, XVI. Kal. Nouembris, coronatus apud ſanctum Petrū, IIII. Nonas Nouembris. Ordinatione vna mēſe Iunio facta, XI. creauit Cardinales, presbyteros VIII. & diaconos III. Obijt Romæ VIII. Idus Nouembris anno 1406. ætatis : : : ſepultus in baſilica ſancti Petri. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 23 |
| | | Gregorius XII. Venetus, Angelus Corratio, ex patriarcha Conſtantinopolitano presbyter Cardinalis tt. ſancti Marci ab Innocentio VII. factus, Roberto & *Sigiſmundo* Auguſtis, ſedit annos | 8 | 7 | 5 |
| | | Creatus Romæ à XIII. Cardinalibus pridie Kal. Decemb. annorum XXC. coronatus ad S. Petrum Nonis Decembris. Ordinationibus duabus menſibus Iunio & Septembri factis, Cardinales creauit XIII. epiſcopum I. presbyteros X. & diaconos II. Pontificatu priuatus in concilio Piſano cum Benedicto XIII. die Mercurij Nonis Iunij anno 1409. papatus vero II. menſe VI. die VI. Nō paruit. Sponte abdicauit in Concilio Conſtantienſi abſens per legatos ſuos die Iouis ſeſsiōe XIIII. Quarto Non. Iunij, anno 1415. Obijt Cardinalis epiſcopus biennio pòſt anno 1417. paulo ante Martini V. electionem annorum XC. in Piceno, ſepultus Recaneti in eccleſia cathedrali. Vacauit ſedes poſt eius in concilio Piſano depoſitionem dies | 0 | 0 | 20 |
| 1408 | | Sancta ſynodus Piſana pro tollendo ſchiſmate congregata. | | | |
| 1409 | 208 | Alexander V. Cretenſis, Frater Petrus Philargi ordinis Minorum, Theologus, ex archiepiſcopo Mediolanenſe presbyter Cardinalis Baſilicæ ſanctorum XII. Apoſtolorum ab Innocentio VII. factus, Roberto Cæſare, ſedit menſ. | 0 | 10 | 8 |
| | | Creatus in concilio Piſano à XXIII. Cardinalibus vtriuſq; obedientiæ, Gregorio XII. & Benedicto XIII. priuatis, VI. Kal. Iulij, annorū LXX. coronatus ibidem in eccleſia cathedrali Nonis Iulij die Dominico. Presbyterum vnum Cardinale ex diacono fecit. Obijt Bononiæ V. Nonas Maij die Sabbati nocte ſequenti, hora V. anno 1410. ætatis LXXI. ſepultus ibidem ad Minorum eccleſiam. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 13 |
| 1410 | 209 | Ioannes XXI. dictus XXIII. Neapolitanus, Baltaſar Coſſa, diaconus Cardinalis ſancti Euſtathij, & Bononiæ legatus à Bonifacio IX. factus, Sigiſmundo Auguſto, ſedit annos | 5 | 0 | 15 |
| | | Creatus Bononiæ die Sabbati XVI. Kal. Iunij hora XI. à. XVI. Cardinalibus, ibidem in cathedrali coronatus VIII. Kal. Iunij. Ordinationibus tribus | | | |



| Anni Chriſti. | Numer9 Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | tribus menſibus Aprili, Iunio, & Septembri factis, Cardinales fecit XVI. presbyteros XIII. diaconos III. In Concilio Conſtantienſi IIII. Kal. Iunij die Mercurij ſeſsione XII. depoſitus. Ipſe prid. Kalēd. Iunij die Veneris in oppido Schafuſia conſenſit. Vac. ſed. ann. | 2 | 5 | 10 |
| | | Obijt Florentiæ epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, & diaconus XI. Kalend. Ianuarij, anno 1419. ſepultus in baptiſterio ſancti Ioannis. | | | |
| 1414 | | Sancta & vniuerſalis ſynodus Conſtantienſis, pro tollendo ſchiſmate congregata, triennio durauit. | | | |
| 1417 | 210 | Martinus III. dictus V. Romanus, Oddo Columna, Agapeti filius, Domicellus Romanus, diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro ab Innocentio VII. factus, Sigiſmundo Cæſare ſedit, ſublato ſchiſmate, annos | 13 | 3 | 10 |
| | | Natus anno 1368. creatus in Concilio generali Conſtantienſi à Cardinalibus XXII. & XXX. electoribus, ex ordinatione ſelectis, mane diei III. Idus Nouembris, coronatus ibidem ante cathedralem eccleſiam XI. Kalend. Decemb. Ordinationibus tribus menſibus Iunio, & Nouembri factis, Cardinales creauit XVII. epiſcopum I. preſbyteros XI. diaconos V. Obijt ex apoplexia Romę X. Kalēd. Martij, manè crepuſculo diei anno 1431. ætatis LXIII. ſepultus in baſilica Lateranenſi ante capita apoſtolorum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 10 |
| 1423 | | Hic pontifex annum Iobileum quintò celebrauit. | | | |
| 1431 | 211 | Eugenius IIII. Venetus, D. Gabriel Condelmerius Angeli filius, canonicus Cæleſtini coloris ordinis ſancti Georgij in alga Venetiarum, epiſcopus Senenſis, presbyter Cardinalis tt. ſancti Clementis à Gregorio XII. factus, Sigiſmundo, Alberto, & Friderico III. Auguſtis, ſedit annos | 15 | 11 | 21 |
| | | Natus Venetijs anno 1383. Creatus Romæ in monaſterio Prædicatorum ad Mineruam à XIII. Cardinalibus die Sabbati V. Nonas Martij, hora XXI. coronatus ad ſanctum Petrum V. Idus Martij à Cardinale ſanctorum quatuor. Ordinationibus VI. menſibus Iulio, Auguſto, Septembri, & Decembri factis, Cardinales creauit XXVII. epiſcopos II. presbyteros XXII. & diaconos III. Obijt Romæ VII. Kalend. Martij die Iouis hora VIII. noctis præcedentis, aliàs duabus ante lucem horis, anno 1447. ætatis LXIIII. ſepultus ad ſanctum Petrum ante oſtium ſacrarij. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 10 |
| 1431 | | Sācta ſynodus Baſileenſis pro reformatione eccleſiaſtica congregata, durauit annos XII. | | | |
| 1438 | | Sancta & vniuerſalis ſynodus Ferrariæ congregata, Florentiæ finita, pro erroribus Græcorū tollendis, durauit annum. | | | |
| 1439 | 38 | *Felix IIII. dictus V. Allobrox, Amadeus, olim dux Sabaudiæ, tunc verò* | | | |

| Anni Christi | Numerus Pōtificū. | | Anni. | Menses. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | *verò Decanus militum Ieſu Monaſterij ſancti Mauritij, ordinis ſancti Auguſtini, in ſolitudine Ripaliæ Gebennenſis diœceſis, Friderico III. Auguſt. in ſchiſmate ſedit annos* | 9 | 5 | .... |
| | | *Creatus abſens ad ſuum Monaſterium Nonis Nouembris in conſilio Baſileenſi, Cardinale vno electoribus XXXII. eligentibus, electio ſeſſione XXXIX. XV. Kalend. Decembris confirmata. Coronatus anno ſequenti ∞ CDXL. Baſileæ IX. Kalend. Auguſti. Ordinationibus quatuor menſibus Aprili, Septembri, & Decembri factis, Cardinales XXIII. creauit, presbyteros XXII. & diaconum vnum. Abdicauit .... Kalend. Maij anno 1449. Eius abdicatio Romæ audita eſt XXIII. Aprilis die. Obijt epiſcopus Cardinalis Sabinus, Lauſane aliquot annis pòſt, ibiq; ſepultus.* | | | |
| 1439 | | *Schiſma in eccleſia Romana XXX.* | | | |
| 1447 | 212 | Nicolaus V. Sergianenſis Lunenſis diœceſis, Thomas Lucanus Bartholomæi medici filius, artium, & Theologiæ doctor, ex epiſcopo Bonienſi presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Suſannæ, ab Eugenio IIII. factus, Imp. Cæſare Friderico III. Auguſto, ſedit annos | 8 | 0 | 19 |
| | | Creatus Romæ à XVII. Cardinalibus prid. Non. Martij die Lunæ hora tertiarum in Monaſterio Prædicatorum ad Mineruam, coronatus ad ſanctum Petrum XIIII. Kalend. Aprilis. Ordinationibus tribus menſibus Martio, & Decembri factis, Cardinales creauit XI. epiſcopum I. presbyteros X. Obijt Romæ IX. Kalend. Aprilis hora inter V. & VI. noctis ſequentis anno 1455. ſepultus in baſilica ſancti Petri. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 14 |
| 1550 | | Hic pontifex annum Iobileum ſextò celebrauit. | | | |
| 1455 | 213 | Calliſtus III. Valentinus Hiſpanus, Alfonſus Borgia, ex caſtello Satiua Valentinæ diœceſeos Ioannis filius, ex epiſcopo Valentino presbyter Cardinalis tt. ſanctorū IIII. coronatorum, ab Eugenio IIII. factus, Imp. Cæſare Friderico III. Auguſto, ſedit annos | 3 | 4 | 0 |
| | | Natus anno 1378. creatus Romæ à XIIII. Cardinalibus VI. Idus Aprilis die Martis Paſchalis hora diei VI. coronatus ad ſanctum Petrum XII. Kalend. Maij. Ordinationibus duabus menſibus Septembri, & Decembri factis, creauit Cardinales IX. presbyteros VII. & diaconos II. Obijt Romæ 1458. VIII. Idus Auguſti, ſepultus in ſacrario ſancti Petri. Vixit annos XXC. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 12 |
| 1458 | 214 | Pius II. Senenſis, Aeneas Siluius Picolhomineus Siluij filius, ex epiſcopo Senenſi, diaconus Cardinalis ſancti Euſtathij, pòſt presbyter tt. ſanctæ Sabinæ à Calliſto III. factus, Imp. Friderico III. ſedit annos | 5 | 11 | 27 |
| | | Natus Corſiniani in Tuſcia XIIII. Kalend. Nouembris anno 1405. creatus Romæ XIIII. Kalēd. Septembris hora tertiarum, die ſabbati à XVII. Cardinalibus, coronatus III. Nonas Septembris ad ſanctum Petrum. Ordinationibus tribus, menſibus Martio, Maio, & Decembri factis, Cardinales | | | |



| Anni Christi. | Numerus Pōtificū. | | Anni. | Menses. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | les XIII. creauit presbyteros XI. diaconos II. Obijt Anconæ in Piceno XIX. Kalend. Septembris, hora inter ſecundam & tertiam noctis ſequentis, die Aſſumptionis anno 1464. Vixit annos LVIII. mēſes IX. & dies XXVII. Cadauer ſepultum Romæ in Baſilica ſancti Petri prope aram diuorum Andreæ, & Gregorij. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 16 |
| 1464 | 215 | Paulus II. Venetus Petrus Barbus Nicolai filius ex electo epiſcopo Vicetino, diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ, pòſt presbyter Cardinalis tt. ſancti Marci ab Eugenio IIII. factus, Imperatore Cæſare Friderico III. Auguſto, ſedit annos | 6 | 10 | 26 |
| | | Natus Venetijs VII. Kal. Martij anno 1418. creatus Romæ à XIX. Cardinalibus ſero diei Iouis III. Kalend. Septembris, & poſtridie mane publicatus. Coronatus ad ſanctum Petrum XVI. Kalend. Octobris. Ordinationibus III. menſibus Septembri, & Nouembri factis, Cardinales creauit XI. presbyteros VIII. diaconos III. Obijt Romæ VIII. Kalend. Aug. die Veneris hora tertia noctis ſequentis morte repētina anno 1471. Vixit annos LIII. menſes V. dies III. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 14 |
| 1471 | 216 | Xyſtus IIII. Sauonenſis Ligur, Frater Frāciſcus de Ruuere, Leonardi filius, ex ordinis Minorum generali miniſtro, presbyter Cardinalis tt. ſancti Petri ad Vincula à Paulo II. factus, Friderico III. Imp. ſedit annos | 13 | 0 | 4 |
| | | Natus Cellis Liguræ, in agri Sauonenſis pago XII. Kalend. Auguſti hora XIIX. anno 1414. creatus Romæ à XVII. Cardinalibus V. Idus Auguſti, coronatus ad ſanctum Petrum VIII. Kalendas Septembris. Ordinationibus VIII. menſibus Februario, Martio, Maio, Nouembri, & Decembri factis, Cardinales creauit XXXIIII. epiſcopum I. presbyteros XXVII. & diaconos VI. Obijt Romę die Veneris prid. Idus Auguſti, inter quartam, & quintam horam noctis ſequentis anno 1484. Vixit annos LXX. dies XXII. horas XII. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 16 |
| 1475 | | Hic pontifex annum Iobileum ſeptimò celebrauit. | | | |
| 1484 | 217 | Innocentius VIII. Genuenſis Ligur, Ioannes Baptiſta Cybo, Aaronis filius, ex Melfitenſe epiſcopo Datarius, presbyter Cardinalis tt. ſanctę Balbinæ, pòſt ſanctæ Ceciliæ, deinde tt. ſancti Laurentij in Lucina à Xyſto IIII. factus, Friderico III. Imp. ſedit annos | 7 | 10 | 27 |
| | | Natus Genuæ anno 1432. creatus Romæ die Dominico. IIII. Kalēd. Septembris, à XXIIII. Cardinalibus hora XIII. Coronatus ad ſanctum Petrum pridie Idus Septembris. Ordinatione vna menſe Martio facta, creauit Cardinales VIII. presbyteros V. diaconos III. Obijt Romæ VIII. Kalend. Auguſti, die Mercurij, hora noctis ſequentis | | | |

| Anni Chriſti. | Numerꝰ Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | tis V. Vixit annos LX. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 16 |
| 1492 | 218 | Alexander VI. Valentinus, Hiſpanus, Rodericus Borgia Iofredi filius, electus epiſcopus Valentinus, ex diacono Cardinale ſancti Nicolai in cárcere Tullia à Calliſto III. facto, epiſcopus Cardinalis Albanus, demùm Portuenſis & ſanctæ Rufinæ à Xyſto IIII. creatus, Vicecancellarius S. R. E. & decanus, Imperatore Cæſare Maximiliano Auguſto, ſedit annos | 11 | 0 | 8 |
| | | Creatus Romæ III. Idus Aug. à XXII. Cardinalibus, coronatus ad ſanctum Petrū VII. Kal. Septemb. Ordinationibus X. menſibus Ianuario, Februario, Martio, Maio, Auguſto, Septēbri, & Decembri factis, Cardinales creauit XLIII. presbyteros XXXI. diaconos XII. Obijt Romæ die Veneris XV. Kal. Septembris, hora XIIX. anno 1503. ſepultus in ſacrario Sancti Petri. Vac. ſed. menſ. | 0 | 1 | 3 |
| 1500 | | Hic pontifex annum Iobileum octauò celebrauit. | | | |
| 1503 | 219 | Pius III. Senenſis Tuſcus, Franciſcus Todeſchinus Picolhomineus Nannis & Laodomiæ Pij II. ſororis filius, ex electo archiepiſcopo Senenſi, primus diaconus Cardinalis ſancti Euſtathij à Pio II. auunculo factus, Cæſare Maximiliano ſedit dies | 0 | 0 | 26 |
| | | Natus Senis VII. Idus Maij anno 1439. creatus Romæ die Veneris X. Kalend. Octobris hora XV. à XXXVI. Cardinalibus. Coronatus die Dominico VIII. Idus Octob. hora XX. Obijt Romæ XV. Kalend. Nouembris media nocte præcedenti, id eſt, hora inter VII. & VIII. diei Mercurij anno 1503. Vixit annos LXIIII. menſes V. dies X. ſepultus ad ſanctū Petrum prope auunculum Pium II. Vacauit ſed. dies | 0 | 0 | 14 |
| 1503 | 220 | Iulius II. Sauonenſis Ligur, Iulianus de Ruuere Raphaëlis Xyſti IV. fratris filius, ex presbytero Cardinale tt. ſancti Petri ad Vincula epiſcopus Albanus, pòſt Oſtienſis, & maior pœnitentiarius à Xyſto IIII. factus, Imperatore Cæſare Maximiliano Auguſto, ſedit annos | 9 | 3 | 21 |
| | | Natus in villa Albiciola, Sauonenſis diœceſis anno 1443. creatus Romæ à XXXVII. Cardinalibus Kalend. Nouembris, die Mercurij hora XVI. coronatus VI. Kalend. Decembris die Dominico hora XXII. Ordinationibus ſex, menſibus Martio, Maio, Septembri, Nouembri, & Decembri factis, Cardinales creauit XXVII. epiſcopum I. presbyteros XXIII. & diaconos III. Obijt Romæ IX. Kalend. Mar. die Lunæ hora inter X. & XI. præcedentis noctis anno 1513. Vixit annos LXX. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 18 |
| 1512 | | Sancta & vniuerſalis ſynodus Lateranenſis Romæ, pro diſsidio eccleſiaſtico tollēdo & reformatione eccleſiaſtica congregata, durauit annos V. | | | |

Leo



| Anni. Chriſti | Numrꝰ Pōtificū. | | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1513 | 221 | Leo X. Florentinus, Ioannes Medices Laurentij filius primus diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Dominica ab Innocentio VIII. factus, Imperatoribus Cæſaribus Maximiliano & Carolo V. Auguſtis, ſedit annos | 8 | 8 | 20 |
| | | Natus Florentiæ III. Idus Decembris anno 1475. Creatus Romæ à XXIII. Cardinalibus, V. Idus Martij die Veneris prima noctis ſequentis hora. Coronatus ad ſanctum Petrum XIV. Kal. Aprilis. Lateranum ſolenni pompa profectus eſt III. Idus Aprilis. Ordinationibus octo, menſibus Martio, Aprili, Iunio, Auguſto, Septembri, & Decēbri factis, Cardinales creauit XLII. presbyteros XXXIX. & diaconos XIII. Obijt Romæ die Lunæ IIII. Nonas Decembris noctis præcedentis hora VII. anno 1521. Vixit annos XLV. menſes XI. dies XXI. ſepultus ad ſanctum Petrum, pòſt ad Mineruam translatus. Vacauit ſedes menſem | 0 | 1 | 7 |
| 1522 | 222 | Hadrianus VI. Traiectenſis Flander, vel Brabantinus Florentij filius, ex epiſcopo Dertuſenſe presbyter Cardinalis tt. ſanctorū Ioannis, & Pauli à Leone X. factus, Carolo V. Auguſto, ſedit annum | 1 | 8 | 6 |
| | | Natus Traiecti inferioris Germaniæ Vrbe VI. Nonas Martij anno 1459. Creatꝰ abſens à XXXIX. Cardinalibus, Prorex enim Hiſpaniarum erat, die Iouis V. Idus Ianuarij, Vrbem ingreſſus III. Kalēd. Septembris, die Dominico pridie Kal. Septembris ad ſanctum Petrum coronatus. Ordinatione vna menſe Septembri facta, Cardinalem vnum creauit presbyterum. Obijt Romæ die Lunæ XVIII. Kalend. Octobris, hora inter XIIX. & XIX. anno 1523. Vixit annos LXIIII. menſes VI. dies XIII. ſepultus ad ſanctam Mariam de Anima Teutonicorum. Vacauit ſedes menſes | 0 | 2 | 4 |
| 1523 | 223 | Clemens VII. Florentinus Tuſcus, Frater Iulius Medices, Iuliani filius, ordinis militiæ Hieroſolymitanæ, ex electo archiepiſcopo Florentino diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Dominica, pòſt presbyter tt. ſancti Clementis, deinde tt. ſancti Laurentij in Damaſo, & S. R. E. cancellarius, à Leone X. factus, Imperatore Cæſare Carolo V. Auguſto Germanico, ſedit annos | 10 | 10 | 7 |
| | | Natus Florētiæ VII. Kal. Iunij 1478, creatus Romæ die Iouis XIII. Kal. Decemb. à XXXIIX. Cardinalibus, coronatus ad ſanctū Petrum die Iouis VI. Kal. Decemb. Ordinationibus XI. menſibus Ianuario, Februario, Martio, Maio, Iunio, Auguſto, Septembri, Nouembri, & Decembri factis, Cardinales creauit XXXII. presbyteros XXV. diaconos VII. Obijt Romæ die Veneris VII. Kal. Octobris, hora inter XIIX. & XIX. anno 1534. ætatis LVI. mēſe IIII. ſepultus ad ſanctū Petrū, deinde cū Leone X. patruele ad Mineruā trāslatus. Vac. ſed. dies | 0 | 0 | 17 |
| 1525 | | Hic pontifex annū Iobileum nono celebrauit. | | | |

 Paulus

| Anni. Chriſti | Numrꝰ Pōtificū. | PONTIFICES | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1534 | 224 | Paulus III. Romanus, Alexander Farneſius, Petri Luiſij filius, Ranutij nepos, ex diacono, Cardinale ſanctorum Coſmæ & Damiani ab Alexandro VI. facto, diaconus ſancti Euſtathij à Iulio II. epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, à Leone X. Præneſtinus, Sabinus, Portuenſis, & Oſtienſis à Clemente VII. Decanus, Imp. Cæſare Karolo Auguſto, & Ferdinando Cæſare, ſedit annos | 15 | 0 | 28 |
| | | Natus Canini in diœceſi Caſtrenſi pridie Kalēdas Martij anno 1468. creatus Romæ à XXXIIII. Cardinalibus die Lunæ III. Idus Octobris hora prima noctis ſequentis, poſtridie publicatus. Coronatus ad ſanctum Petrum, die Martis III. Non. Nouemb. Ordinationibus XIIII. menſibus Ianuario, Martio, Aprili, Maio, Iunio, Iulio, Octobri, & Decembri factis, Cardinales creauit LXXI. epiſcopos III. presbyteros LIIII. & diaconos XIIII. Obijt Romæ in monte Quirinali IIII. Idus Nouembris, die ſolis hora Gallicinij ante lucem anno 1549. Vixit annos XXCI. menſes VIII. dies X. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes menſes | 0 | 2 | 29 |
| 1545 | | Sancta & vniuerſalis ſynodus Tridentina contra Lutheranorum errores congregata, intermiſſa, & repetita durauit annos V. | | | |
| 1550 | 225 | Iulius III. Arretinus, Ioannes Maria de Monte Vincentij filius, Fabiani nepos, ex archiepiſcopo Sipuntino presbyter Cardinalis tt. ſancti Vitalis, pòſt epiſcopus Præneſtinus à Paulo III. creatus, Imp. Cæſare Carolo V. Auguſto, & Ferdinando Cæſare, ſedit annos | 5 | 1 | 16 |
| | | Natus Romæ in regione Parionis IIII. Idus Septembris anno 1478. creatus Romæ à XLVI. Cardinalibus die Veneris VII. Idus Februarij circa quartam horam noctis ſequentis, ibidem ad ſanctum Petrum coronatus VIII. Kalēd. Martij, die cathedræ ſancti Petri Antiochenæ. Ordinationibus quatuor menſibus Aprili, Octobri, & Decembri factis, Cardinales creauit XX. presbyteros XV. diaconos V. Obijt Romæ die Sabbati X. Kalend. Aprilis, hora inter XIX. & XX. anno 1555. Vixit annos LXVII. menſes VI. & XIIII. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes dies | 0 | 0 | 17 |
| 1550 | | Hic pontifex annum Iobileum decimò celebrauit. | | | |
| 1555 | 226 | Marcellus II. Iunior Politianenſis Tuſcus, Marcellus Ceruinus Ricardi filius, ex epiſcopo Neocaſtrenſi presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Crucis in Hieruſalem à Paulo III. factus, Carolo V. Auguſto, ſedit dies | 0 | 0 | 21 |
| | | Natus in oppido agri Piceni Montis Fani prid. Nonas Maij anno 1501. creatus Romæ die Martis ſancti V. Idus Aprilis, hora XXIIII. à XXXVI. Cardinalibus, Poſtridie coronatus. Obijt die Mercurij Kalend. Maij hora inter VII. & VIII. noctis præce- | | | |



| Anni Chriſti. | Numerꝰ Pōtificū. | ROMANI. | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | præcedentis. Vixit annos LIIII. menſes XI. dies XXV. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit ſedes eo mortuo dies | 0 | 0 | 22 |
| 1555 | 227 | Paulus IV. Neapolitanus, Ioannes Petrus Carafa, Ioannis Alfonſi Mataluna comitis filius archiepiſcopus Neapolitanus ex presbytero tt. ſancti Clementis, presbyter tt. ſanctæ Mariæ Tranſtiberim, epiſcopus Cardinalis Albanus, & Sabinus à Paulo III. factus, Tuſculanus, & Oſtienſis à Iulio III. Decanus, Impp. Cæſs. Carolo V. & Ferdinando Augg. ſedit annos | 4 | 2 | 27 |
| | | Natus in oppido ſancti Angeli de ſcala IIII. Kalend. Iulij, anno 1476. in Hirpinis, haud procul à Beneuento. Creatus Romę auctore Farneſio Cardinale, à XLIIII. Cardinalibus die Iouis feſto Aſcenſionis X. Kalend. Iunij mane hora XVI. Coronatus ad ſanctũ Petrum die Dominico proximo VII. Kalend. Iunij. Ordinationibus tribus menſibus Iunio, & Decembri factis, Cardinales creauit XIX. presbyteros XV. & diaconos IIII. Obijt Romæ die Veneris XV. Kalend. Septembris, hora inter XXI. & XXII. anno 1559. Vixit annos XXCIII. menſem vnum, & dies XXII. ſepultus ad ſanctum Petrum, poſteà ad Mineruam tranſlatus. Vacauit eo mortuo Romana ſedes menſes | 0 | 4 | 7 |
| 1560 | 228 | Pius IIII. Mediolanenſis, Ioannes Angelus Medices, Bernardini filius, ex presbytero Cardinale tt. ſanctæ Pudentianæ, presbyter tt. ſancti Stephani in mōte Cœlio, pòſt tt. ſanctæ Anaſtaſiæ, pòſt tt. ſanctæ Priſcæ à Paulo III. factus, Imp. Cæſ. Ferdinando Auſtrio Auguſto, & Maximiliano II. Cæſare, ſedit annos | 5 | 11 | 15 |
| | | Natus die Paſchæ prid. Kalend. Aprilis, anno 1499. Mediolani. Creatus Romæ à XLIIII. Cardinalibus, VII. Kalend. Ianuarij die Martis nocte præcedenti, hora inter VII. & VIII. me electioni præſente, finito anno 1559. Coronatus die Sabbato proximo Epiphaniæ feſto VIII. Idus Ianuarij anno 1560. Ordinationibus quatuor menſibus Ianuario, & Martio habitis Cardinales creauit XLVI. presbyteros XXXIX. & diaconos VII. Obijt noctis ante diem IIII. Iduũ Decembris hora II. Anno 1565. ætatis LXVI. menſe VIII. die X. ſepultus ad ſanctum Petrum. Vacauit eo mortuo ſedes dies | 0 | 0 | 29 |
| 1563 | | Concilium Tridentinum XXV. ſeſsionibus habitis, abſolutum & confirmatum. | | | |
| 1566 | 229 | Pius V. Alexandrinus, Frater Michaël Gislerius ex oppido Boſchi, Alexandrinę diœceſis, Lombardus Inſuber, ordinis Prædicatorum, lector, officij Sanctæ Inquiſitionis commiſſarius, Ex Epiſcopo Sutrino, & Nepeſino presbyter Cardinalis tt. ſanctæ Mariæ ſuper Mineruam & ſummus inquiſitor à Paulo IIII. papa factus, poſtea epiſcopus | | | |

| Anni. Christi | Numerꝰ Pōtificū. | ROM. PONTIFIC. | Anni. | Menſes. | Dies. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | pus Mōtis regalis in ſubalpinis & tt. S. Sabinæ, demum iterum tt. S. Manæ ſuper Mineruam à Pio IIII. creatus, Imp. Cæſare Maximiliano II. Auſtrio Auguſto ſedet. | | | |
| | | Natus XVI. Kalēd. Februarij anno ∞ D V. creatus Romæ à LII. Cardinalibus VII. Idus Ianuarij, hora XXII. die Lunæ. Coronatus die natalitio ſuo XVI. Kalend. Ianuarij, in feſto S. Antonij, ineunte anno eius vitæ LXII. ſuper gradus ante baſilicam Vaticanam ab Vrbinate Cardinale, me prope ſedem aſtante. Ordinationibus, &cæt. | | | |
| 1572 | 230 | Gregorius XIII. Papa modernus. D. Boncompagnon nobili familia oriundus: Mortuo Pio V. ex Cardinale, menſe Maio, anni 1572. pōtifex Maximus denūciatur, paucisq; diebus pòſt pro more in ſummo templo Romæ creatur. Sedet modò ad gubernacula Eccleſiæ Imperante Inuictiſsimo Principe Maximiliano II. Auſtrio Auguſto Cæſare: Initio ſtatim pontificatus ſui indulgentias indulgentiſsimas Chriſtiano orbi communicauit. Fœdus ſacrum à Pio V. anteceſſore ſuo cum Venetis, Philippoq; Rege Hiſpaniæ contra Turcicam Tyrannidem innitum, aliquandiu continuauit. | | | |

## ANNOTATIO IN CHRONICON Romanorum Pontificum.

*ENumerat D. Onuphrius ſchiſmata aliquot in Rom. Eccleſia, circa quæ notandum eſt, pleraque eorum tantum fuiſſe controuerſias & diſsidia de Romano Pontifice inter electores aut electos, quæ non niſi improprie ſchiſmata dici poſsint. Quando autem ſecundum Eccleſiaſticam phraſim fuit veri nominis ſchiſma propter Pontificatum, vt in Nouatiano hoc non fuit ſchiſma in eccleſia: ſed ab eo qui extra eccleſiam erat, contra caput Eccleſiæ. Vnde & hic eſt improprietas ſermonis dum tale ſchiſma ponitur in R. S. E. Deniq; quòd habet nonnullos ab Imperatore creatos eſſe Pontifices, hoc nihil aliud ſignificat, quàm Imperatore ſolicitante & negotium promouente eos electos eſſe in Romanos Pontifices.*

I. MOLANVS.



# ONVPHRII PANVINII VERONENSIS, FRATRIS EREMITAE, AVGVSTINIANI DE RITV SEPELIENDI MORTVOS APVD VETERES CHRISTIANOS, ET eorundem Cœmeterijs liber.

## MONALDO MONALDENSI CERVARIA VIRO ILLVSTRI, BASILICAE VATICANAE CANONICO, ONVPHRIVS PANVINIVS VERONENSIS, FRATER Eremita Auguſtinianus, S. D.

EIS qui de me benemereri non ceſſant, ego viciſſim, vt mea conditio patitur, gratificari totis viribus contendo. Mihi verò nihil præterea relictum eſt, quo gratitudinis meæ argumenta demonſtrarem, niſi vt eorum nomina meis quanquā tenuibus, accuratis tamen, & curioſis lucubratiunculis celebrarem. Quum verò conſtituerim, breues hoſce commentariolos, de ritu ſepeliendi mortuos apud antiquos Chriſtianos, & de eorundem cœmeterijs, publicare, ad hiſtoriæ pontificiæ cognitionem non alienos, & more iam recepto amico cuipiam nuncupare, Tu vnus occurriſti, qui in hiſce ſtudijs verſatus, generis ſplēdori, qui ſummus eſt, animi moderationem, & incredibilem pietatem adiunxiſti. Familiam enim tuā, inter prouinciæ Etruriæ primarias fuiſſe patriæ tuæ Vrbis veteris, monumenta publica docent, vetuſtique Italiæ annales profitentur. Dantes vir clariſsimus in egregio illo opere, quod comœdiam inſcripſit, commemorat, quæ per ſexcentos ferè annos perpetua ſerie viros principes procreauit: patrię ſuæ Orbiti principatū quàm diuturnū obtinuit, multos eccleſiæ Dei prælatos ſubminiſtrauit, atque earū familiarū, quæ nunc (hoc fortunæ proprium, hæc eius vis eſt) ſummū claritatis, & potentię locū tenent, proceribus incrementa futurę magnitudinis & gloriæ tribuit. Tu verò eandē nobilitatē excipiēs, ipſam moribus, aſſiduo litteratorum ſtudio, litteratorum amore, & liberalitate, qua priuatorum fortunam excedis, excoluiſti. Quibus rebus dignus à me exiſtimatus es, cuius nomine non hæc breuia, ſed longe maiora commentaria in manus hominum exirent. Hæc tamen modò tuo nomine emiſi, etſi non dignū fortaſſe tua virtute munus, vt tamen meæ erga te obſeruantiæ aliquod apertum modò argumentum extaret, quem excolendæ virtuti natum, Deus Optimus Maximus ſoſpitet. Vale Roma Kalēdas Octob. Anno M.D.LXVII.

# ONVPHRII PANVINII VERONENSIS, FRATRIS EREMITAE AVGVSTINIANI,

De ritu ſepeliendi mortuos apud veteres Chriſtianos & eorundem cœmeteris Liber.

## PRAEFATIO.

APVD omnes gentes Romanas, Græcas, Hebræas, Aegyptias, & alias Barbaras nationes, ſtatos, ſolenneſq; ſepeliendorum mortuorum ritus, & cæremonias fuiſſe in libris, quos LX. Antiquitatum Romanorum ſcripſi, diffuſe oſtendi, ſingulasque commentarijs, & tabellis æneis, res ipſas exprimentibus, illuſtraui. Quod ſi profanos ſepulchrorũ ritus memoriæ cõmendaui, ſacras veterum Chriſtianorum in eadem re pulcherrimasq; obſeruationes, quas paſſim annotaui, ſilentio præterire nefas eſſe duxi. De quibus iam iuſtum commentarium feci, quod in epitoma hic redactum, cõmuni ſtudioſorum vtilitati publicare conſtitui. In quo breuiſſimè, quæ ſancti patres noſtri antiqui religionis Chriſtianæ propagatores, de ſepeliendi ritu ſcripſerint, aperiam. De religioſis igitur ſepulturæ Chriſtianorum cæremonijs diſputaturus, ab hominis Chriſtiani ægrotantis actis ſolennibus incipere operepretium videtur, deinde aliqua proſequar, quæ ad hoc argumẽtum conuenientia eſſe iudicabo.

# DE CONFESSIONIS, EVCHARISTIAE ET EXTREMAE VNCTIONIS SACRAMENTIS, animæq; morituri commendatione.

## Caput I.

HOMINEM Chriſtianum ægrotantem presbyteros Eccleſiæ vſque ab apoſtolorum temporibus viſitaſſe, pro eo oraſſe, ipſius confitentis peccata audiſſe, & dimiſiſſe, euchariſtiam porrexiſſe, extremæque vnctionis Sacramẽto donaſſe, docent tum S. Iacobus apoſtolus, tum alij patres Apoſtolorum temporibus vicini. Ille quidem epiſtolæ catholicæ cap. V. ſic pœnitentiam, & extremam vnctionem commemorat: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei ſaluabit infirmũ, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur eis, Confeſſione ſcilicet peccatorum: quam quũ ſæpe, tum extremo vitæ facere ſolitos fuiſſe, idem B. Iacobus innuit, quum ſubijcit: Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem, vt ſaluemini. Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua. De Confeſſione paſsim omni tempore vſurpata Actorum cap. XIX. Multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes peccata ſua. Eandẽ veteres patres Diui Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius, item Sozomenus, & alij ſæpe commemorant. Ludouicus Pius imperator ægrotus, quotidie Confeſsionis ſuæ munus, ſacrificiumq; ſpiritus contribulati, & cordis humiliati, Deo offerebat. Annonius ex Ademaro libro V. cap. XIX. de rebus geſtis Francorum. De ſacramẽto Euchariſtiæ paulò ante obitum ſumpto, extat exemplum apud Euſebium in hiſtoria eccleſiaſtica lib. V. cap. XIIII. de Serapione, qui non niſi ea ſuſcepta mori potuit. Verba ſunt hæc: Serapio quidã erat apud nos fidelis ſenex, qui diu quidẽ inculpatè vixerat, in perſecutione verò ceciderat. Hic ſæpenumero recipi petierat, verùm nemo illi attenderat, ſacrificauerat enim. In morbo aũt conſtitutus,



ſtitutus, totũ triduum mutus, & ſenſuũ facultate deſtitutus mãſit. Pòſt vbi quarto die nonnihil cõualuiſſet, nepoti ex filia ad ſe vocato dixit: Quouſq; ô fili detinetis me? Obſecro properate, & me velociter abſoluite. Voca ad me aliquẽ ex presbyteris. quibus dictis, iterũ obmutuit. Cucurrit puer ad presbyterũ, erat autẽ nox. Presbyter ægrotabat, ideoq; ire cum puero non poterat. Quoniã verò mandauerant morituros, ſi petant, & maximè ſi etiam antè ſuppliciter petierunt, admitti debere. vt ſpe bona fulti migrent, parũ Euchariſtiæ puero dedit, iuſsitque, vt id infunderet, & in os ſenis inſtillaret. Puer redit, adferẽs Euchariſtiam. Cum autem è vicino eſſet, antequã ingrederetur, rurſus Serapion: Venis (inquit) fili? Presbyter quidẽ venire non poteſt, tu verò confeſtim facito, quod ille præcepit, meq; dimitte. Infudit puer, ac ſimul ori ſenis inſtillauit. Qui cum parum guſtaſſet, mox ſpiritũ reddidit. An non perſpicue ſenex hîc tantiſper detentus fuit, donec abſolueretur, & à peccato liberatus, corã multis quæ fecerat confiteri poſſet: ita Dionyſius Alexandrinus epiſcopus apud Euſebiũ. Refert Gregorius Nazianzenus in oratione in funere patris, patrẽ ſuum ſacerdotẽ ardentiſsima & diuturna febri exhauſtũ, ab ancilla aliquãdo ſynaxis tẽpore deductũ manu in conuentum eccleſiaſticũ, in quo pro more Euchariſtiã, ſed paucisſimis, & quibus tũ per morbum potuit verbis conſecratam, alijs & diſtribuerit, & ex ea participarit ipſe quoque. Reuerſus verò ad lectũ, ciboq; parum ac ſomno refectũ, melius ſtatim habuiſſe, ac priſtinæ tandẽ ſanitati ex integro fuiſſe reſtitutũ. Tale quiddã & de ſorore ſua Gorgonia recitat in oratiõe in funere ſororis. Hoc verò de fratre ſuo Satyro Ambroſius commemorat in oratione in funere eiuſdem: Priuſquã (inquit) perfectioribus eſſet initiatus myſterijs, in naufragio cõſtitutus, cum ea qua veheretur nauis ſcopuloſo illiſa vado, & vrgẽtibus hinc atq; hinc fluctibus ſolueretur, non mortẽ metuens, ſed ne vacuus myſterij exiret è vita, quos initiatos eſſe cognouerat, ab his diuinum illud fidelium ſacramentum popoſcit, non vt curioſos oculos inſereret arcanis, ſed vt fidei ſuæ conſequeretur auxiliũ. Etenim ligari fecit in oratorio, & oratorium inuoluit in collo, atq; ita ſe deiecit in mare, & ſeruatus eſt. Carolus Magnus paulò ante obitum ſacratiſsimã ſuſcepit Euchariſtiã, vt tradit in eius vita Eginardus. Ludouici Pij Imperatoris ægrotantis cibus fuit per XL. dies Dominicũ corpus: Annonius ex Ademaro libro V. cap. XIX. de rebus geſtis Francorũ. Haymo in IIII. cap. I. ad Theſſalonicenſes: Qui ſigno crucis ſunt muniti, atque ſacramento corporis & ſanguinis eius, in die mortis, illi venient cum Chriſto in gloria ad iudicium. Idiota cap. XX. de ſancta Maria virgine, petit à Deo, vt ſibi concedat in hora mortis deuotam Euchariſtiæ ſuſceptionem, quæ quia nos pro via ad aliã vitã euntes confirmat, viaticũ appellatur. Extremæ vnctionis regulas Innocentius papa epiſt. I. ad Decentium Eugubinum epiſcopum cap. VIII. tradit ſic: Sanè quoniam de hoc ſicut de cæteris conſulere nos voluit dilectio tua, adiecit etiam filius meus Cæleſtinus diaconus in epiſtola ſua, eſſe à tua dilectione poſitũ illud, quod in beati apoſtoli Iacobi epiſtola conſcriptũ eſt: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei ſaluabit infirmũ, & ſuſcitabit illum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, quo ab epiſcopo confecto, non ſolũ ſacerdotibus, ſed omnibus vti Chriſtianis licet in ſua aut ſuorũ neceſsitate inungendo. Ceterùm illud ſuperfluũ videmus adiectũ, vt de epiſcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubiũ eſt. Nam idcirco de presbyteris dictum eſt, quia epiſcopi occupationibus alijs impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterùm ſi epiſcopus, aut poteſt, aut dignũ ducit aliquem à ſe viſitandum & benedicere, & tangere chriſmate ſine cunctatione poteſt, cuius eſt ipſum Chriſma conficere. Nam pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti. Nã quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur poſſe cõcedi? Gregorius Turonenſis epiſcopus hiſtoriarum lib. VI. cap. VII. auctor eſt, Hoſpitium oleo benedicto vſum eſſe in ſanationibus infimorũ miraculoſis: Hoſpitius (inquit) apprehenſa manu Cæſarie cuiuſdam ægroti, attraxit caput illius in

feneſtram, aſſumptoq́; oleo benedictione ſanctificato tenens manu ſiniſtra linguam eius, ori verticiq́; capitis infudit, dicẽs: In nomine Domini mei Ieſu Chriſti aperiantur aures tuæ, reſeretq́, os tuum virtus illa, quæ quondam ab homine ſurdo & muto noxium deiecit dæmonium. Et hæc dicens, interrogat nomẽ. Ille verò clara voce ait, Sic dicor. Cùm hæc vidiſſet diaconus, ait: Gratias tibi immẽſas refero Chriſte, qui talia per filium tuũ dignaris oſtendere. Synodus Cabilonenſis cap. XLVIII. ſecundũ beati Iacobi apoſtoli documentum. Cui etiã decreta patrum conſonãt, infirmi oleo quod ab epiſcopis benedicitur, à presbyteris vngi debent. Sic enim ait: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eũ, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Nõ eſt itaq; parui pendenda huiuſmodi medicina, quæ animæ corporisq́; medetur languoribus. Et Beda lib. II. cap. VI. in Marcũ, ægrotos oleo cõſecrato inungi ſolitos indicat. Carolus Magnus cõſtituit, vt presbyter in ampulla oleũ ferat ad inungendum infirmos, lib. 1. cap. CLVI. de legibus Francorũ. Haymo ſuper euangelia de ægrotantiũ vnctione per oleum à Pontifice benedictum affirmat, quòd ab Apoſtolis ſit ea conſuetudo eccleſiæ tradita, quæ vſq; ad noſtra tempora continuata, nouiſſimè in Concilio Tridentino vnum ex ſeptem eccleſiæ ſacramentis eſſe contra hæreticorum ſententiam, confirmatum eſt. D. Gregorius homilia Euangeliorum XXXV. auctor eſt, morem ſuo tempore fuiſſe, vt homines ad morientes, quos ſanctè vixiſſe exiſtimarunt, in agone poſitos cucurrerint, eisq́; animas ſuas commendauerint: Stephanũ (inquit) patrem monaſterij Reatinæ Vrbis virum ſanctum, quum dies mortis egredi de corpore vrgeret, cõuenerunt multi, vt tam ſanctæ animæ de hoc mundo recedenti ſuas animas cõmendarent. Idem refert homilia XXXVII. ſolitos eſſe orare pro ijs, qui animã iam cogerent. Monachus quidam cùm extremum diem ageret, conuenerũt fratres, vt egreſſum illius orando protegerent. Qui tanto pro eo cœperunt enixius orare, quanto eum iam videbãt ſub celeritate diſcedere. Epiſcopi etiam & preſbyteri ſolebant ægrotantes viſitare, vt paſſim ex antiquis hiſtorijs cõſtat. Tradit Metaphraſtes, Ioannem Eleemoſynarium epiſcopum Alexandrinum magna cura ad ægrotos acceſſiſſe, ac ſæpe oculos morientiũ ſuis manibus clauſiſſe. Quid verò prætcrea apud ægrotos ſacerdotes egerint, ex ijſdem monumẽtis intelligitur. De Adunato in geſtis Metenſium epiſcopornm ſcribitur, quòd aſtãtes circa lectũ eius euangelia legerint, & Pſalmos, hymnosq́; cecinerint. Apud Andomarũ verò preces fecerunt ad Deũ, quibus animam ægrotantis Deo cõmendarunt. Vincentius lib. XXIII. cap. CVIII. Sic quoq; confeſſiones interdũ flagitarunt ab ægrotis, illisq́; Euchariſtiæ ſacramentũ exhibuerunt, vt idem Vincentius lib. XXIII. cap. XCV. tradit de Philiberto. Et in geſtis Metenſium extat formula cõfeſſionis, quã Amatus ante agonem recitaſſe dicitur, his verbis: Amatus antequam animã exhalaret, iuſsit ſibi prælegi epiſtolam papæ Leonis ad Flauianũ, in qua fides catholica cõtinetur. Et prælecta dixit: Sic credo. Trinitas ineffabilis: ſic cõfiteor. Deus omnipotens: ita de te ſentio. Fili Dei Ieſu Chriſte, qui pro noſtra ſalute dignatus es venire in hũc mundũ: ſic de te intelligo. Deus æterne ſpiritus ſancte, vnũ Deum in Trinitate, trinumq́; in vnitate confiteor. Ita edoctus de tua ſentio incarnatione pijſsime Chriſte, quòd aſſumpta carne ſint duæ naturæ vnitæ in vnã perſonã. Ludouicus Pius imperator moriẽs, Diogenẽ epiſcopũ Metenſem accerſiuit, & ab eo benedictionẽ petijt. Annonius cap. xxix. lib. V. Morientes teſtamentũ condere ſolebãt, & aliquot ex ſuis facultatibus eccleſiæ relinquere, quod teſtatur S. Gregorius epiſtola VI. libri VIII. vbi ait, quendam teſtatorẽ duas vncias ſubſtantiæ ſuæ eccleſiæ ſancti Gregorij legaſſe, vbi ſepeliri voluit.

## DE CORPORE MORTVO. Cap. II.

VEteres Chriſtiani hominem, vt primùm mortuus eſſet, lauabant. Actorum cap. IX. Quum Tabitham Dorcadem mortuam lauaſſent, eius corpus in cœnaculo poſuerũt. In hiſtoria de peſtilẽtia Alexãdrina Dionyſius epiſcopus ad Hieracẽ ſcribit de Chriſtianorũ funeribus: Sanctorũ corpora ſupinis





pinis manibus ac ſinu exceperunt, oculos depreſſerunt, ora clauſerunt, vnanimes, & pariter affecti ſtrictim cõplexi ſunt, lauerũt, & ad ſepulturam ornarunt, Euſebius lib. vij. cap. xxij. Hic vſus mortuorum corpora ante humationẽ lauãdi vſq; ad noſtra tempora permanſit. In Gallijs eũ morẽ fuiſſe refert S. Gregorius Turonenſis in libro de gloria confeſſorũ cap. CIIII. Itẽ in vitis Patrũ cap. CX.

## DE EXPOSITIONE CORPORIS MORTVI. Cap. III.

CAdauer lotum & purgatum in cœnaculis, & domus publica parte exponebant, Actorum cap. IX. Tabithæ Dorcadis mortuę corpus lotũ in Cœnaculo expoſuerũt. Corpus Caroli Magni more ſolenni lotum & curatum maximo totius populi luctu in eccleſia Aquiſgranenſi expoſitum, & ſepultum eſt. Ex Eginardo Abbas Vrſpergẽſis. Tertullianus in libro de anima auctor eſt, mortuos oratione à presbyteris componi conſueuiſſe. In Concilio Antiſiodorẽſi decretum quoddam extat, ne mortuis Euchariſtia, aut oſculum daretur, ne velo aut pallijs corpora eorum inuoluerentur, canone XII.

## DE PLANCTV, ET ATRA VESTE. Cap. IIII.

PLanctus, lachrymas, & lamentationes ſuper mortuos antiquos Chriſtianos feciſſe, teſtis eſt Lucas Actorum cap. V. Curauerũt (inquit) Stephanũ viri timorati, & fecerunt planctũ magnũ ſuper eum. Plorãtes verò ſuper mortuos ſpe reſurrectionis conſolatur beatus Paulus Apoſtolus ad Theſſalonicenſes prima epiſtola cap. IIII. Origines libro III. cõmentariorum in Iob cõſuetudinẽ ſuper mortuos lugendi fuiſſe refert: Luctus (inquit) mortui fit ſeptem diebus, & ſeptem noctibus. D. Cyprianus in ſermone de mortalitate mentionẽ facit atri, vel lugubris amictus, vbi fratres defunctos lugeri aut plangi omnino prohibet ſic: Nobis ſæpe reuelatũ eſt, fratres noſtros nõ eſſe lugendos accerſione Dominica de ſæculo liberatos, cũ ſciamus nõ eos amitti, ſed præmitti: recedẽtes præcedere, vt proficiſcentes deſiderari eos debere nõ plangi: neq; accipiẽdas eſſe hic atras veſtes, quãdo illi ibi indumenta alba iam ſumpſerint, occaſionẽ dandã nõ eſſe gentibus, vt nos merito, ac iure reprehendãt, quod quos viuere apud Deũ dicimus vt extinctos, & perditos lugeamus, &c. In luctu quoſdã peculiares geſtus adhibuerunt. Et aperte dicit diuus Ioannes Chryſoſtomus, eos eructaſſe brachia, capillos ſcidiſſe, laniaſſe genas, brachia nudaſſe, & nigris ſe veſtib⁹ amiciſſe. Quæ omnia repræhendit, aitq́;: ſe quidẽ non prohibere mortuos lugere, ſed impudẽter lugere, nec lachrymare ſuper defunctũ, id improbandũ eſſe homilia LXI. in XI. cap. Ioannis. Item in exhortatione morali, ſermone III. in 1. ad Philippenſes caput. Et homilia IIII. in cap. II. ad Hebræos repræhendit morem, qui tẽpore ſuo inoleuerat, quod aliquas mulieres lugentes cõducerẽt, minaturq́; ſe eiuſmodi homines eccleſia iecturũ. In Gallijs in mortuorũ funeribus veſtem lugubrem viros & mulieres aſſumpſiſſe refert Gregorius Turonẽſis libro V. hiſt. cap. XXXIIII. Metaphraſtes funera hominũ cum multorum lamentatione, eiulatu, & planctu deducta fuiſſe tradit. Alcuinus in XII. cap. eccleſiaſtici: Cùm homo diſſolutus fuerit, tũc reuertetur in terram ſuam ad ſepulchrum exęquijs rite celebratis & finitis, plangentium in platea circa ſepulchrum turba pręcedente.

## DE RITV EFFERENDI MORTVVM. Cap. V.

MOrtuos ex domo ad ſepulturam ad eum vſum antiquitus adſcripti iuuenes efferebant. Actorum cap. V. ait Petrus Sapphyræ: Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum Ananiam ad oſtium, & efferent te. Confeſtim cecidit ante pedes eius, & expirauit. Intrantes iuuenes inuenerunt Sapphyram mortuam, & ſepelierunt eam ad virum ſuũ. Poſterioribus ſummi viri ſanctorum hominum corpora extulerunt. Eutychianus Papa CCCXLII. martyres manu ſua ſepeliuit. Gregorius Nazianzenus tradit, Baſilij Magni funus in lectulo aliorum ſanctorũ manu elatum fuiſſe. Epiphanius libro III. tomo 1. hæreſi LXXI. auctor eſt, Georgium Alexandriæ Epiſcopum certo numero lecticas & feretra conſtituiſſe, quibus mortuorum corpora efferrentur. Inter efferen-

dum lumina,& cerei accenſi & pſalmi Dauid modulis lugubribus, & luctu permixti, canebantur, vt in eadem oratione de Libitina ſancti Baſilij Nazianzenus refert. Qui in oratione infamatrice in Iulianum de funere Cōſtantij Imperatoris loquens: Conſtantius (inquit) communibus omnium elatus eſt laudibus ac pompis, ijsq́; venerandis, ac noſtris nec non cantibus tota nocte reſonantibus, ac luminibus accenſis, quibus Chriſtiani tranſitum honorare pium cenſemus, panegyrisq́; poſt mortem dicta eſt, & corporis facta deportatio cum comitatione. Eadem ferè de Imperatoris Conſtantini pompa funebri Euſebius in eius vita libro IIII. indicauit: Cadauer (inquit) in capſula collocatū, & purpureo tegmine coopertum, Conſtantinopolim deportatum eſt, & in baſilica ſub altiſſimis gradibus depoſitum, luminibus ſuper candelabris aureis circum circa accenſis, inde deductum in aliud templum, vbi conditum eſt. Turba frequens omnis generis hominum ſequuta eſt, ac preces cum fletu pro anima Imperatoris fudit. Diuus Hieronymus in Epitaphio Paulæ matris: Sacerdotes lampades, cæreosq́; prætulerunt funeri. Et in epiſtola ad Euſtochiū de obitu Paulæ: Ex hinc nō vlulatus, non planctus, vt inter ſæculi homines fieri ſolet, ſed pſalmorum linguis diuerſis examina concrepabant. Tranſlata eſt Epiſcoporum manibus, & ceruicem feretro ſubijcientibus, cum alij Pontifices lampades cereosq́; præferrēt, alij choros pſallentium ducerent, in media eccleſia ſpeluncæ ſaluatoris eſt poſita. Tota ad funus eius Paleſtinarum vrbium turba cōuenit, monachi, virgines, viduæ, pauperes, Hebræo, Græco, Latino, Syroq́; ſermone pſalmi in ordine perſonabant, non ſolum triduo, donec ſubter eccleſiam, & iuxta ſpecum Domini cōderetur, ſed per omnem hebdomadam cunctis, qui venerāt ſuum funus & proprias credētibus lachrymas. Et in epiſtola ad Oceanum de funere Fabiæ Romanæ: Iam fama volat tanti prænuncia luctus, totius Vrbis populum ad exequias congregabat, & ſonabant pſalmi, & aurata tecta templorum reboans in ſublime quatiebant alleluia. Hic iuuenum chorus, illic ſenum. Audio præcedētium turmas, & cateruatim in exequijs eius multitudinem confluentem, non plateę, non porticus, non imminentia deſuper tecta, capere poterant proſpectantes. Ioannes Chryſoſtomus homilia IIII. in II. caput ad Hebræos: Dic mihi? quid volunt iſtæ ſplendidæ lampades, quid hymni? & paulò infrà: Cogita quid pſallas in illo tempore: Reuertere (inquis) anima in requiem tuam, quia Deus bene fecit tibi. Item: Non timebo mala, quia tu mecū es. Et homilia LXI. affirmat, Honorem mortuo non eſſe fletum, non eiulatum, ſed hymnos, & pſalmos, & optimam vitam. In Gallijs quoque mos fuit, turbas pſallentium cum cereis funera deduxiſſe, ita cadauer Chrotildis Francorum Reginæ pſallentium multitudine comitante ſepultum eſt Pariſijs, vt ait Grægorius Turonenſis hiſt. libro IIII. cap. I. Qui etiam libro VIII. cap. X. refert, Clodouei corpus à Rege Guntharanno cum clero, populo & cereis ſepulchro mandatū fuiſſe. Beda libro IIII. cap. XXIII. tintinnabulis, vel campanis populum conuocari ſolitum fuiſſe tradit ad funerum deductionem. Sanctimonialis fœmina Begu audiuit ſubito in aëre notum campanæ ſonum, quo ad orationes excitari, vel conuocari ſolebāt, cùm quis eorum de ſæculo fuiſſet euocatus, &c. Funeri Romani Pontificis presbyteros, & diaconos ſanctæ Romanæ eccleſiæ intereſſe debere ſtatuit Benedictus III. Papa. Bibliothecarius.

## DE MODO SEPELIENDI CHRISTIANOS. Cap. VI.

RElígione Chriſtiana paulatim creſcente, multa ſancti homines pro Chriſtianorum ſepultura cœmeteria fabricarunt, quibus certis, ſtatisq́; honeſtis ritibus, eadem corpora reconderent: hominis enim ſepulchrum perpetuo magni fecerunt; cauſſas reddunt Origenes, & diuus Auguſtinus. Scribit enim ille libro V. contra Celſum: Humana corpora, vt animæ domicilia, & ſanctioris præcipuæ, haud quaquam ſunt reijcienda, quippe quæ ex optimarum legum permiſſu cùm honoribus, qui haberi his poſſunt, etiā ſepultura dignantur. Et libro VIII. contra eundem: Rationalem animam honorare didicimus, & huius organa ſepulchro honorificè demandare. Auguſtinus libro I. cap. XIII.

de



de ciuitate Dei: Nec ideo tamen cōtemnenda, & abijcienda ſunt corpora defunctorum, maximeq́; iuſtorum atq; fidelium, quibus tanquam organis, & vaſis ad omnia bona opera ſanctus vſus eſt Spiritus. Si enim paterna veſtis & annulus, ac ſi quid huiſmodi tanto charius eſt poſteris, quanto erga parentes maior affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtiq; multo familiarius, atq; coniunctius, quàm quælibet indumenta geſtamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adiutorium, quod adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturā hominis pertinent, vnde & antiquorum iuſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, & exequiæ celebratæ, & ſepultura prouiſa, ipſiq́; dum viuerent de ſepeliendis, vel etiam transferendis ſuis corporibus filijs mandauerunt. Has igitur ob cauſſas hominum corpora veteres terræ mandarunt. Et quidem non ſine periculo Chriſtiani ſæpius martyrum corpora reuerenter, & religioſe ſepeliebant. Quod Aſterij ciuis Romani diuitis, nobilis, patricij, ſenatoris, & Imperatorum propinqui exemplum teſtatur: qui quum Marinum martyrem Cæſareę Cappadociæ capite plexum (vt auctor eſt Euſebius libro VII. cap. XVI.) ſepeliſſet, eo facto, & ipſe capite cæſus eſt: Cùm in conſummatione martyris Marini Aſterius (inquit) adeſſet, corpus illius capite truncum humeris ſuis, ſplendidoq́; & pretioſo indumento impoſitum detulit, & ſplendiſſimè, quantum conueniebat ſepulturæ tradidit, & honorem quem martyri detulit, continuo ipſe martyr aſſequitur. Origenes libro I. commētariorum in Iob, meminit pretioſi veſtitus, quo mortui ornati in terram conditi ſunt. Quem ſi quis pro conſuetudine mortui amici corpori inuoluendo mittere conſtituiſſet, priùs cōſcindebat, ne eo ab improbis ſubrepto, corpus irreuerenter abijceretur. Eutychianus Papa (auctore Damaſo) conſtituit, vt quicunq; fidelium martyrem ſepeliret, id ſine dalmatica, aut collobio purpurato nullatenus faceret, & manibus ſuis per diuerſa loca CCC. XLII. martyres ſepeliuit. Prudentius, quæ in eccleſijs Occidentalibus in veſtiendis, & vngendis defunctorum corporibus fieri ſolita eſſent, breuiſſimè explicat in hymno in exequijs defunctorum ſic:

*Hinc maxima cura ſepulchris*
*Impenditur, hinc reſolutos*
*Honor vltimus accipit artus,*
*Et funeris ambitus ornat*
*Candore nitentia claro*
*Prætendere lintea mos eſt,*
*Aſperſaq́; myrrha Sabæo,*
*Corpus medicamine ſeruat.*
*Quid nam ſibi ſaxa cauata?*
*Quid pulchra volunt monumenta?*
*Res quod niſi creditur illis*
*Non mortua ſed data ſomno.*

Sanctus Gregorius Papa in Cantica: Mortuorū corpora myrrha cōdita fuiſſe tradit, ne putreſcerēt. Annonius corpora defunctorū magna cura vncta, & aromatibus cōdita fuiſſe refert libro IIII. cap. XXXIII. Potentiores quidā cum ornamentis & auro ſepeliebātur. Sic ſepulta fuit Maria vxor Imperatoris Honorij Romæ, ſic propinqua quędā vxoris Guntarani regis Francorū in eccleſia Metēſi. Turonēſis libro VIII. cap. XXI. Inter deponendū in ſepulchro defunctū præcationes habitas eſſe intelligitur ex oratione Nāzianzeni pro Cæſario fratre, quarū exemplū habetur in fine eiuſdē orationis. Diuus Auguſtinus, homines diuites, qui nimis magnos faciebāt in funerib⁹ ſumptus reprehēdit libro I. cap. XII. de ciuitate Dei, curationēq́; funeris, ſepulturæ cōditionē, exequiarū pompā, magis viuorū ſolatia, quàm ſubſidia mortuorū eſſe tradit. Eandē rem etiam D. Ioānes Chryſoſtomus arguit. Refert diuus Gregorius, moris fuiſſe ſuo tēpore, quod funera Pontificū Romanorū ſolerent dalmaticis cōtegi, quas poſt ſepulturā populus conciſas reuerentiæ cauſſa ſeruare ſolebat. Quē morem ipſe improbat. Indignum enim eſſe ſcribit, cùm multa adſint ab Apoſtolorū, & martyrū corporibus velamina, à peccatorū corporibus ſumi quod aſſeruaretur. Statuit igitur, vt feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad ſepeliendum ducebatur, nullo tegmine velaretur, libro XII. in Cōcilij cuiuſdā Romani ab ſe congregati actionibus. Illud etiam inoleuiſſe videtur, vt Epiſcopi aliquid pro ſepultura acciperent, quā rem Maſſalino Epiſcopo prohibet Diuus Gregorius, præcipitq́;, ne pretiū pro ſepultura accipiat, libro VII. epiſt. IIII. & LV. Quū tamē ſponte pro luminarib⁹ in tēplo aliquid voluerint hæredes dare, vt id licitū ſit accipere, ſtatuit.

 DE

## DE SEPVLCHRIS ET EPITAPHIIS. Cap. VII.

IN Cœmeterijs (de quibus infrà dicam) erant priuatorum ſepulchra marmorea, lateritata, & loculos habentia, in quibus Chriſtiani ſepeliebantur. Ex ſepulchris verò quædam fuiſſe hæreditaria, quædam donatitia, ex eo apparet, quod de vtriſque mentio extat. De hæreditarijs D. Hieronymus in epiſtola ad Marcellam, de donatitijs Nazianzenus in oratione funebri Cæſarij fratris mentionem faciunt: Sepulchrum, inquit, à nobis Cæſarius donum habet, quod parentibus ac ſenectuti in tempore ſuo fuerat præparatum. Nicephorus libro VIII. cap. XIII. ſcribit, Helenam Auguſtam Hieroſolymis agrum figuli parari curauiſſe, ad peregrinorum & aduenarum ſepulturam, Diuus Hieronymus ad Pammachium de obitu Paulinæ vxoris: Cæteri (inquit) mariti ſuper tumulos coniugum ſpargunt violas, roſas, lilia, floresque purpureos, & dolorem pectoris his officijs conſolantur. Quod Prudentius in hymno de exæquijs mortuorum repetit:

*Nos tecta fouebimus oſſa* · *Titulumq́, & frigida ſaxa*
*Violis, & fronde frequenti* · *Liquido ſpargemus odore.*

Magna apud antiquos fuit cura & religio ſepulchrorum, vt ex Sidonio intelligitur, qui tradit epiſtola ad Secundum libro III. ſe ipſum quum aliquando interueniſſet, prohibuiſſe quoſdam homines profanos à direptione ſepulchrorũ, ſumpto de ipſis ſupplicio, quia inter alia proaui ſui tumulũ violaſsēt. Magnifica ſepulchra veteres extruxiſſe, ex homilia Ioãnis Chryſoſtomi LXXIX. in XVII. caput Ioannis intelligitur. Cæterùm quum antiquitùs tantum extra vrbem in Cœmiterijs hominum corpora ſepelirentur, pace eccleſiæ data intra Vrbes ad templorum limina, poſtea in ipſis templis ſepeliri mos inualuit. Conſtantinus in porticu templi apoſtolorũ Conſtãtinopoli: Honorius in porticu templi ſancti Petri Romæ, eius vxor intra idem templũ ſepulti ſunt: Rotharis rex Longobardorum Ticini in ſancti Ioannis Baptiſtæ, Clodoueus Francorũ Rex Pariſijs in templo Apoſtolorũ, Clotharius Rex Pariſijs in baſilica ſancti Vincētij, Brunchildis Regina Francorum, apud Heduam in æde Sancti Martini, Carolus Martellus, & eius filius Pipinus in templo ſancti Dionyſij Pariſijs. Carolus Magnus Imperator in eccleſia ſanctæ Mariæ Aquiſgrani, Hludouicus Pius Imperator in baſilica ſancti Arnulfi Meſis. Macedonius Conſtantinopolitanus Epiſcopus apud Gangras exul moriens, in templo ſancti Gallinici martyris, Diuus Benedictus Abbas Caſinas in baſilica ſancti Ioannis Baptiſtæ conditi ſunt. Eorum enim, qui pietatis laude, aut rerum geſtarum magnitudine celebriores fuerunt, corpora in templis tumularunt. Sic Leo, Simplicius, Gelaſius, Anaſtaſius II. Symmachus, Hormiſda, & reliqui deinceps Romani Pontifices ad ſanctum Petrum Apoſtolum ſunt tumulati: Ioannes Papa Rauēnæ, Agapetus Conſtantinopoli tranſlati, Romæ in eodem templo ſepulti ſunt. Iuſtinianus Imperator Conſtantinopoli baſilicam ſanctorum Apoſtolorum extruxit, in quo Imperatores, & Patriarchæ locum ſepulturæ haberēt. Euagrius libro III. cap. XXXI. Cæterùm ſepulchra marmorea fuiſſe, Gregorius Turonenſis de gloria confeſſorum cap. XLII. teſtatur. Sepulchrorum loca ſacerdotali benedictione conſecrata fuiſſe ait idem Gregorius libro eodem cap. CVI. Nobilium ſepulchris lychnuchos ſuſpendere ſolebant, quod libro IIII. cap. XXX. exponit Turonenſis, qui ſcribit Glaſuintæ Reginæ Francorum lychnum fune fracto dilapſum eſſe. Ignatius in vita Taraſij ait: Mulieres profluuio ſanguinis laborantes ex lampade ad ſepulchrum Taraſij Patriarchæ Conſtantinopolitani lucente, hauſiſſe oleum, & ſanatas eſſe. In primo Concilio Bracarenſi decretum legitur, ne corpora defunctorum intra baſilicas ſanctorum tumulentur, ſed fiant omnes ſepulturæ extra ciuitatem, cap. XXXVI. Sepulchris Chriſtianorum epitaphia affigebantur, de quibus meminit Prudentius in paſsione ſancti Hippolyti Epiſcopi, & martyris:

*Innumeros cineres ſanctorum Romula in Vrbe,*
*Vidimus Chriſti Valeriane ſacer.*
*Inciſos tumulos, titulos, & ſingula quæuis*
*Nomina difficile eſt vt replicare queam.*
*Plurima litterulis ſignata ſepulchra loquuntur*
*Martyris, aut nomen, aut epigramma aliquot.*

Extant



Extant adhuc multa ſanctorum martyrum epitaphia carmine facta, quibus Damaſus Papa eorum ſepulchra exornauit. Reliquorum etiam hominũ ſepulchris epitaphia addiderunt, quorũ infinita penè ante mille annos videntur per vrbis Romæ eccleſiarum pauimenta. Nam his, qui de republica Chriſtiana benemeriti erant, epitaphia addi ſolere, & ſepulchrum, monumenta, tituloſq; ſtatuta fuiſſe à Chriſtianis, ait Paulus diaconus libro III. cap. IX. hiſtoriæ Longobardorum. Poſt pacem Chriſtianis datam, multos ex imperito vulgo in cœmeterijs luxurioſe bibiſſe, imò etiam ipſis cadaueribus exhibitas epulas. Quas voracitates, & ebrietates perinde ac religioſas habitas, diſertè Auguſtinus reprehendit libro primo de moribus eccleſiæ cap. XXXIIII. & epiſtola LXIIII. ad Aurelium Carthaginienſem Epiſcopum, vbi ita ait: Commeſſationes & ebrietates ita conceſſæ, & licitæ putantur, vt in honorem etiam beatiſſimorum martyrũ, non ſolum per dies ſolennes, ſed etiam quotidie celebrentur. Arceatur igitur tantum dedecus de ſanctorum corporum ſepulchris, de locis ſacrorum, de domibus orationum, addiditq; eum abuſum in Italia & alijs prouincijs aut nunquam fuiſſe, aut exortum epiſcoporum diligentia ſublatum eſſe. Et paulò infrà: Sed quum iſtæ in cœmeterijs ebrietates, & luxurioſa conuiuia, non ſolum honores martyrum à carnali & imperita plebe credi ſolent, ſed etiam ſolatia mortuorum, mihi videtur facilius illic diſſuaderi poſſe iſtam fœditatem ac turpitudinem, ſi etiam de ſcripturis prohibeatur. Lõgobardos Chriſtianos in locis defunctorum trabes erexiſſe, vt quiſque ſciret, quo in loco ſui iacerent, auctor eſt Paulus diaconus, libro V. cap. XIII. de rebus geſtis Logobardorum. Sepulturas vendi, & laicos in eccleſijs ſepeliri vetat ſynodus Triburienſis cap. XV. Hinemarus Remenſis Epiſcopus, cur nõ ſint vendenda ſepulchra, addit rationem: quòd ſit terra illa conceſſa putredini, & non deceat de alieno luctu facere cõpendium, in epiſtola ad eccleſiam Tornacenſem.

## DE ORATIONIBVS FVNEBRIBVS. Cap. VIII.

CAEterùm antequam mortuorum corpora humi mandarent, orationes de eorum vita haberi ſolitas, ex Euſebio, Nazianzeno, & Socrate clarum eſt. Euſebius enim Conſtantinum, Nazianzenus fratres Cæſarium & Baſilium, Gregorius Meletium Antiochenum Epiſcopũ (vt ait Socrates libro V. cap. IX.) mortuos orationes funebribus laudarunt.

## DE ELEEMOSYNIS PRO MORTVIS. Cap. IX.

COndito, & curato funere, dabãtur eleemoſynæ. Origenes libro III. in Iob: Conuocantur (inquit) in anniuerſarijs diebus memoriæ, vel parentum defunctorum, ſeu amicorũ, ſeu quorumcunq;, qui in fide diſceſſiſſent, ſacerdotes ſimul, & laici, atq; in eo cœtu primùm mortuis, quòd in fide diſceſſiſſent, gratulantur, & ſibi pium & tranquillum exitum quiſque precatur, poſtea cõferuntur eleemoſynæ, vel oblationes, quæ in pauperes, qui ſimul tum adſunt, pupillos, & viduas diſtribuuntur. Hieronymus ad Pammachium de obitu Paulinæ vxoris: Pammachius noſter ſanctam Fauillam, oſſaq; veneranda Paulinæ eleemoſynæ balſamis rigat, his pigmentis, atq; odoribus fouet cineres quieſcentes, ſciens quia ſcriptum eſt: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna peccatum. Diuus Auguſtinus epiſtola LXIIII. ad Aurelium Carthaginiẽſem Epiſcopum: Si quis in memorijs mortuorum aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præſenti pauperibus eroget, ita nec deſerere videbuntur memorias ſuorum, quod poteſt gignere non leuem cordis dolorem, & id celebrabitur in eccleſia, quòd piè & honeſtè celebratur. Eadem propemodum refert D. Ioannes Chryſoſtomus in oratione de martyribus.

## DE ORATIONIBVS, PRECIBVS, OBLATIONIBVS, SAcrificijs, & diebus anniuerſarijs pro animabus defunctorum. Cap. X.

TErtullianus in libro de corona militis: Oblationes pro defunctis pro natalitijs annua die facimus. Et in libro de Monogamia: Enimuerò pro

pro anima eius oret, & refrigerium interim adpoſtulet ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius. Hinc anniuerſariorum ſacrorum pro defunctis cum eleemoſynis origo, quæ apud nos perpetua inſtituuntur. Quam rem perinde ac nuper inſtitutam hæretici hodie irrident. Diuus Cyprianus libro primo epiſtola IX. ad clerum Furnitanorum: Epiſcopi anteceſſores noſtri religioſe & ſalubriter prouidentes cenſuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curã, clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, vel ſacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in ſacerdotum prece, qui ab altari ſacerdotes, & miniſtros voluit auocare. Et ideo Victor cùm contra formam nuper in Concilio à ſacerdotibus datam Germinium Fauſtinum presbyterum auſus ſit tutorem conſtituere, non eſt, quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in eccleſia frequẽtetur, vt ſacerdotum decretum religioſe & neceſſariò factum ſeruetur à nobis. Euſebius libro IIII. de vita Conſtantini: Turba frequens omnis generis hominum funus Imperatoris Conſtantini ſecuta eſt, ac preces cum fletu pro anima Imperatoris fudit. Diuus Auguſtinus lib. IX. confeſſionum cap. XI. de ſancta Monica matre ſua moriente loquens, ait: Illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei vbi fueritis. Et cap. XII. In eis precibus, quas tibi fudimus cùm offerretur pro ea ſacrificium pretij noſtri, iam iuxta ſepulchrũ poſito cadauere, nunquam fleui. Precum, & eleemoſynarum pro defunctorum animabus mentionẽ faciunt, D. Ioannes Chryſoſtomus homilia LXI. in XI. cap. Ioannis, & ſermone III. in primum caput ad Philippẽſes: Item Diuus Aurelius Auguſtinus epiſtola LXIIII. ad Aurelium Epiſcopum Carthaginienſem, ſic: Oblationes pro ſpiritibus dormientium, quas vere aliquid adiuuare credendum eſt, ſuper ipſas memorias non ſint ſumptuoſæ, atque omnibus petentibus ſine typho, & cum alacritate præbeantur, neq; vendantur. Tradit Metaphraſtes, Ioan. Eleemoſynariũ præcepiſſe, impigre fieri oblationes, & ſacrificia pro defunctis. Sic de Tuma presbytero Beda ſcribit, quòd in Monaſterio Tumiaieſtir pro fratre ſuo, quẽ in bello interfectum putarat, *ſæpius Miſſas celebrarit*, pro abſolutione animæ eius: ſicq; factum, vt is in bello à nemine vinci poſſet. Hoc miraculo permoti alij, ſimiliter pro illis, qui de ſæculo migrarant, oblationis ſacræ victimas tulerunt, edocti ſacrificium miſſę ad redemptionem animę & corporis valere, In hiſtorię eccleſiaſticæ libro quarto cap. XXII. Collectas pro defunctis fecerunt, quod eas mortuis ad redemptionem animæ prodeſſe crediderint, vt docuit Ioannes Eleemoſynarius, teſte Vincentio libro XXII. cap. CX. Hinemarus Remenſis Epiſcopus ait in epiſtola ad Tornacenſem eccleſiam: Ab amicis propinquis, hæredibus mortuorum eccleſijs, in quibus ipſi ſepulti erant, offerri aliquid ſolitũ eſſe, quum accipere quidem, ſed non exigere liceat. De diebus verò VII. XXXIII. & XL. ſolennibus mortuorum pauca dicamus. In eccleſijs Occidentalibus cælebris ob defuncti memoriam fuit dies XL. poſt obitum. Ambroſius in oratione funebri Theodoſij Imperatoris: Eius principis, & proximi conclamauimus obitum, & tunc quadrageſimum celebramus, ſicut ſanctus Ioſeph patri ſuo Iacob quadraginta diebus humationis officia detulit. Vbi & de eius ritus varietate iſta addidit: Alij tertium diem, & XXX. alij VII. & XL. obſeruare conſueuerunt. Idem in oratione de fide reſurrectionis. Nunc die ſeptima ad ſepulchrum redimus, qui dies ſymbolũ futuræ quietis eſt, quo in loco refert orationes, & exhortationes eo die haberi cõſueuiſſe: Narrat Diuus Gregorius in dialogis libro II. cap. XXIII. duas quaſdam ſanctimoniales petulanti laboraſſe lingua, ſanctum Benedictũ verò minitãtem dixiſſe: Niſi correxeritis linguas veſtras, excommunico vos. Mortuæ verò ſunt mulieres, & in templo ſepultæ. Cum autem tẽpore Miſſæ diaconus clamaret de more, ſi quis non communicat, det locum: vidit earum nutrix etiã iſtas ſepultas mulieres ſurgere, atq; de templo exire. Poſtea igitur oblatione pro defunctis facta, remanſerunt in ſepulchris. Scribit idem Pontifex quandã mulierculam pro ſuo marito in bello capto, & adducto, veluti pro mortuo, hoſtias hebdomadibus ſingulis curaſſe offerri, in euangelia homilia XXXVII.



XXXVII. Recitat idem auctor Caſſium Narnienſis vrbis Epiſcopũ, prope ſancti Iuuenalis martyris ſepulchrum quotidie obtuliſſe ſacrificium pro defunctis & viuentibus, in euangelia homilia VII. Orationes, quibus animas mortuorũ Deo commendant, commemorat Beda libro IIII. cap. XXV. Geſta Epiſcoporum Metenſiũ recitant de Clodulfo Epiſcopo, quòd ipſi ſepulto, clerici eius per dies XXX. Miſſarum ſolennibus, orationibus, continuis vigilijs, & pſalmodijs pietatis intuitu iuſta perſoluerunt. Impijs vero, neque loco ſolito iuxta cæteros Chriſtianos tumulus datus, neq; preces pro ijs exhibitæ, neq; Miſſæ dictæ, aut pſalmi cantati. Beda libro V. cap. XV. Memorias defunctorum anniuerſarijs orationibus, vigilijs, pſalmorum laude, Miſſis celebrarunt, vt tradit idem Beda libro tertio cap. II. qui refert ad crucem, quam Oſuualdus in Anglia erexerat, fratres Haguſtaldẽſis eccleſię quotannis pridie ante illum diem, quo is occiſus fuerat, vigilias cum plurima pſalmorum laude continuaſſe, & victimam ſacræ oblationis pro ſalute animæ eius offerri ſolitos fuiſſe. Oluuius quoq; Rex, in loco, vbi Oſuinum Regem interfici curarat, eo nomine monaſteriũ extruxit, vt quotidie preces pro vtriuſq; anima ibi fierẽt, teſte Beda libro III. cap. II. Sic de Monialibus idem ſcribit, quod expletis matutinis horis, quotidie ad fratrum ſepulchra certas Deo laudes canere ſolerẽt, libro IIII. cap. VII. Aediſuualdus in epiſtola ad ſanctum Bonifacium refert, memorias mortuorum anniuerſario die orationibus celebratas. Defunctorum nomina pro vt opportunitas anni exegerit, ex vtraq; parte adducta fuiſſe. Ioannes Damaſcenus in ſermone de defunctis affirmat, non tantũ anniuerſarias, ſed etiam trigeſimas, & quadrageſimas in defunctorum vtilitatem cedere, ex auctoribus, Diuo Gregorio, & Dionyſio, & alijs patribus, quam rem Apoſtolos approbaſſe tradit. S. Bonifacius in epiſtola ad Alderium abbatem pro dormientium fratrũ animabus orare iubet, Leobgyta in epiſtola ad ſanctũ Bonifacium: pro anima patris mei preces ad Deum offerre nõ renues. Carolus Magnus libro II. cap. XXXI. pro parentibus ſuis, & amicis orat, & pro ijs eleemoſynas diſtribuit. Michaël, & Procopia Imperatores Taraſij memoriam anniuerſaria die celebrarunt ad ſepulchrum eius. Annales Conſtãtinopolitani lib. XXIIII. Ex his igitur ſanctorum patrum locis, ignem purgatorium eſſe ſatis apertè intelligitur, cuius præter alios vetuſtiſſimus auctor Origenes ita meminit Homilia II. in pſalmum XXXVI. Eſt hoc (inquit) peccatum ira, vnum ex illis, quod ad ædificia adfert ligna, fœnum & ſtipulam. Et neceſſe eſt huiuſmodi materias per ignem probari, ita vt permaneamus tandiu in igne, donec in nobis ligna iracundiæ conſumantur, & fœnum indignationis, & ſtipula verborum eorum, quæ huiuſmodi vitijs exagitati pertulimus. Et homilia III. in eundem: Veniemus ad illum ignem, in quo vniuſcuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit, & vt ego arbitror, omnes vos venire neceſſe eſt ad illum ignẽ, etiam ſi Paulus aliquis ſit, vel Petrus: venit tamen ad illum ignem, ſed illi tales audiunt, etiam ſi per ignem tranſeas flamma non vret te. Homilia octaua in Leuiticum aſſerit, eos, qui peccatum commiſerunt, quod neque in hoc, neq; in futuro ſæculo remittitur, per duas ſeptimanas manere immundos, ſed tertia incipiente purgari ab immunditia. Homilia duodecima in Ezechielem: Nobis alia (inquit) ſeruantur tormenta, qui videmur credere, & in ipſa credulitate peccamus, ab eorũ ſupplicio, qui ne initiũ quidẽ credulitatis habuerũt. Et libro quinto contra Celſum: Singulos quibus per ignem, vel pœna ſit ſimul, & medicatio adferenda, ignis iſte amburit, non tamẽ exurit, vt qui nil habẽt, quod per ignem ſit abſumendum. Plura dicit in eam ſententiam ante, & poſt ea verba.

## DE COEMETERIIS. Cap. XI.

COEmeteria loca erant Chriſtianorum ſepulturæ ſpeciatim aſſignata. Nam quemadmodũ veteres tam antiquæ, quàm nouæ legis patres, mortuos dormire dicebant (quod frequenter diuina ſcripta commemorant, vt illud: Dormiuit cum patribus ſuis in ſenectute bona. Et epiſtola prima ad Theſſalonicenſes cap. IIII. Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contriſtemini) ſic eorum ſepulchra appellabant eo nomine, quòd ſignificaret loca

loca ad quietem & ſomnum comparata. Athenæus lib. IIII. ex Doſiadis, item libro IIII. τῶν κρητικῶν ſcribit apud Cretenſes in ſingulis ciuitatibus fuiſſe quaſdã ædes publicas, ad excipiendos peregrinos, quę appellabãtur cœmeteria. Sed Chriſtiani hoc verbo pro ſepulturæ locis (vt dixi) præcipuè vſi ſunt. Veteres primitiuæ eccleſię patres ſua cœmeteria habuerũt, in quibus Chriſtianorũ corpora ſepelirent, Ea 1. Corinth. cap. XV. beatus Paulus innuit. Deinde, quia ſolebant ad ſepulcha ſanctorum martyrum, quorum ſacroſancta erat memoria anniuerſario die paſſionis eorum conuenire ampla, & capacia cœtibus publicis orationũ loca cœmeterijs adiacentia, etiam Cœmeteria vocarunt. Legimus veteres Romanos Pontifices inter martyrum tumulos ſtationes, id eſt, omnes actus publicos pontificales celebrare conſueuiſſe. Itaque hæc cœmeteria erant Chriſtianis (quod & nunc ſunt) veluti templa, & orationum loca, in quibus Epiſcopi ſynodos congregabant, ſacramenta adminiſtrabant, verbum Dei concionabantur. Hinc illud ſcitu dignum, quod quum Imperator quiſpiam perſequutionem in Chriſtianos inſtaurare cõſtituiſſet, ante omnia eos à cœmeterijs arceri ſolebat, ne in vnum conueniendi eis facultas eſſet. Itaque legimus apud Euſebium Cæſarienſem hiſtoriæ eccleſiaſticæ libro VII. cap. XI. Aemilianum iuridicum Aegypti in Valeriani perſecutione ita Dionyſium epiſcopum, presbyteros, & Clericos Alexandrinos, & alios Chriſtianos in Chriſti fide conſtantes alloquẽtem: Video vos, & ingratos eſſe, & non ſentire manſuetudinem Auguſtorum, quapropter Alexandriæ non eritis, ſed in Libyam relegabo vos, & vobis alijsq; non licebit amplius ſynodos colligere, vel ad cœmeteria (ſicut vocant) ingredi. Et hiſtoriæ eiuſdem libro IX. cap. II. legimus, Galerium Maximinum aliquando conatum cœmeteria Chriſtianis rurſus adimere, cùm eos diſſipare, atq; peſſundare vellet: Itaque (inquit) nihil non ad ſubuerſionem noſtram molitus, primùm nobis libertatem in Cœmeterijs conueniendi prætextu quodam adimere conatur. Rurſus cùm Imperator alius perſecutionem in nos reprimere vellet, ante omnia ius conueniendi in cœmeteria reddidit. Extabat Gallieni Auguſti edictum, quo Chriſtianis cœmeteria ſua reſtitui iuſſit, vt ad ſua ſacra coire poſſent, quibus à patre ſuo Valeriano Imperatore paulò antè impijs edictis prohibiti fuerat. *Eius rei ita* Euſebius libro VI. cap. XIII. meminit: Valeriano Imperatore capto, filius eius Gallienus monarchiam nactus, moderatius imperio vtitur, ac confeſtim publicis edictis perſecutionem contra nos motam remiſit, & vt doctrinæ noſtræ præſides cuncta liberè pro conſuetudine ſua obirent, dato reſcripto præcepit. Extat eius conſtitutio, quam ad epiſcopos miſit, permittens illis illa loca recipere, quæ cœmeteria vocamus, & paulò ſuprà.

Imperator Cæſar P. Licinius Gallienus Pius Felix Auguſtus Dionyſio Pinnæ, Demetrio, & alijs Epiſcopis ſalutem:

Beneficentiam doni mei per vniuerſum mundum publicari mandaui, vt à locis, quibus diſciplinæ gratia detinentur, diſcedant, & ob hanc cauſſam etiam vos exemplo huius reſcripti mei vti poteſtis, ne quiſquam vobis negocium faceſſat, & hoc quod à vobis licitè perfici poteſt, diu anteà eſt à me cõceſſum. Quapropter Aurelius Quirinus, qui maximis negocijs præeſt, exemplar à me datum cuſtodiet. Euſebius igitur indicat præcipuum eius beneficium fuiſſe, quòd permiſerit Chriſtianos recuperare cœmeteria. Cũ igitur audimus ea Chriſtianis permitti, intelligimus etiam permitti, vt ad ſua ſacra coire poſsint. Gallienus ſui edicti cuſtodem, & veluti executorem, ac vindicem nominat quendam Aurelium Quirinum. Ex his igitur liquet, apud Chriſtianos perſecutionum tempore cœmeteria pręcipua quædam templa, ſiue loca ſacra fuiſſe, in quibus ad ſua ſacra conuenire poſſent. In cœmeterijs fabricas materiales fuiſſe, ſacrorũ myſteriorum vſibus extructas, auctor eſt Damaſus Papa, qui in ſancti Fabiani Papæ & martyris vita ita ait: Hic multas fabricas per cœmeteria fieri præcepit. Bibliothecarius in vita Ioannis III. Papæ: Hic ampliauit, & reſtaurauit cœmeteria ſanctorum martyrum. In cœmeterio beatum Xyſtum II. Papam cum quatuor diaconis occiſum fuiſſe, auctor eſt ſanctus Cyprianus libro V. epiſt. ad Succeſſum: Xyſtum (inquit) in cœmeterio animaduerſum ſciatis, & cum eo diaco-





nes quatuor. VIII. Iduum Auguſtarũ die. Hinc Damaſus ait: Liberium Papam de exilio reuerſum, habitaſſe in cœmeterio ſanctæ Hagnetis apud Cõſtantiam, ſororem Conſtantij Auguſti. Et paulò infra: Conſtantius Auguſtus facto Concilio, miſit & reuocauit Liberium de cœmeterio ſanctæ Hagnetis. Bibliothecarius ait: Bonifacium Papam vrbe pulſum habitaſſe aliquando in Cœmeterio ſanctæ Felicitatis martyris, via Salaria. In Cœmeterijs Romæ exiſtentibus, baptiſmum, & miſſas celebrare, vigilias decantare, ordinationes & ſtationes, id eſt, omnes ſacras cæremonias habere, veteres ſolitos fuiſſe, docent antiquiſſima eccleſiaſtica monumenta. Protonotarius ſanctæ Romanæ eccleſiæ in actis Liberij Papæ, primo tomo Cõciliorum: Habitabat Liberius Papa ab vrbe Romą milliario tertio, in cœmeterio Nouellæ, iuxta Cœmeterium Oſtrianum, vbi Petrus Apoſtolus baptizauit. Eodem tempore paſchæ baptizauit Liberius Papa (in eodem cœmeterio) promiſcui ſexus numero quatuor millia & duodecim: quia omnes Romani, & à longè alij, & Romanorum vicini deſiderabant ab eodem baptizari. Bibliothecarius in vita Sergij Papæ: Hic tempore ſui presbyteratus impigrè per cœmeteria diuerſa miſſarum ſolennia celebrabat. Concilium Eliberinum ſub Sylueſtro Papa celebratum cap. XXXV. Placuit (inquit) prohiberi, ne fœminæ in cœmeterio peruigilent, eò quod ſæpe ſub obtentu orationis ſcelera latenter committant. Item ex Apologia diui Athanaſij de fuga ſua: In hebdomada poſt ſacram Pentecoſten populus completis ieiunijs ad orandũ ad cœmeterium abijt. Cui loco conuenire videntur Leonis Papæ verba: Quarta & ſexta feria ieiunemus, ſabbato verò apud ſanctum Petrum conſuetas vigilias celebremus. Damaſus Papa in vita Dionyſij Papæ ait: Ipſum presbyteris Romanis eccleſias, & cœmeteria (curanda ſcilicet) diuiſiſſe. Vetuſtiſſimum ante Damaſi tempora Sanctæ Romanæ eccleſiæ regiſtrum: Populus Romanus timẽs Deum, multiſque perſequutionibus fatigatus, per cœmeteria martyrum ſtationes ſine clericis celebrabat, & ad ſanctam Hagnem multi fideliũ conuenerunt. Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Ioannis III. Papæ ita ſcribit: Hic ampliauit, & reſtaurauit cœmeteria ſanctorum martyrum, & inſtituit, vt oblationes hamulę (panẽ ſcilicet & vinũ pro ſacrificio intelligit, quia hæc verba in hoc ſignificatu paſſim accepta inueniuntur) & luminaria per eadem cœmeteria omnibus Dominicis de Lateranis adminiſtrarentur Et paulò infra: Tunc venerabilis Papa Ioannes retinuit ſe in Cœmeterio ſanctorum Tiburtij & Valeriani, & habitauit ibi multo tempore, vt etiam Epiſcopos ibidem conſecraret. Idem in vita Gregorij III. Papæ. Hic inſtitutis diſpoſuit, vt in cœmeterijs ſanctorum martyrum circumquaq; poſitis Romæ, in die natalitiorum ipſorum luminaria ad vigilias faciendas, & oblationes de patriarchio per oblationarium deportarentur, ad celebrandas miſſas per ſacerdotem, qui pro tempore fuerit. Item in vita Nicolai primi: Hic Pontifex cœmeterium ſancti Marci, inter vias Appiam, & Ardeatinam, multis ruinis conquaſſatum atq; contritum mirifice conſtruxit, ac decorauit, diuinique, cultus myſterium, quod multos per temporum curſus diſceſſerat, reſtituit. Quis igitur negare audebit, Cœmeteria non ſolum idem cum eccleſijs fuiſſe, ſed aliquid amplius, quàm eccleſiæ Vrbanæ, ſepulchra ſcilicet Chriſtianorum, quæ intra Vrbem fieri non poterant, habuiſſe, quum in ijs ſtationes, & ſynodos haberi, baptiſmum, ordinationes, & miſſas celebrari, & vigilias fieri videamus? Igitur contra aliquorum ſententiam, COEMETERIVM FACIT ECCLESIAM SIVE BASILICAM, quod expreſſe Damaſus Papa in vita ſancti Marci Papæ, qui ſancto Silueſtro immediate ſucceſſit, exponit ſic: Marcus Papa fecit baſilicas duas: vnam via Ardeatina, in qua ſepultus eſt: aliam in vrbe Roma iuxta Palatinas. Ex huius ſuggeſtione Conſtantinus Auguſtus obtulit baſilicæ, quam cœmeterium inſtituit via Ardeatina fundum roſarum. Et paulò infra: Marcus Papa moriens ſepultus eſt in Cœmeterio Balbinæ, via Ardeatina, quod ipſe inſiſtens fecerat. Hic animaduerſione dignum, eccleſiam illam, quã antea baſilicam vocauerat, cœmeterio ibidem conſtituto, non amplius baſilicam communi ſcilicet nomine, ſed Cœmeterium ſpeciali appellatione dici.

## DE COEMETERIIS VRBIS ROMAE. Cap. XII.

EIuſmodi Cœmeteriorum plura, qualia etiam nunc cernuntur Romæ, fuerunt, vel in topho ſuburbano ſacellis quibuſdam adiunctis excauata, vel in ſubterraneis cryptis cōſtituta, ex quibus in antiquis eccleſiæ monumentis horum mentionem inuenimus.

I. Cœmeterium omnium vetuſtiſsimū Oſtrianum, via Salaria ad tertium ab Vrbe lapidem, in quo beatus Petrus Apoſtolus baptizaſſe dicitur. De quo Protonotarius ſanctæ Romanæ eccleſiæ in actis Liberij Papæ cap. III. primo Conciliorū tomo, ſic ait: Erat nō lōge à Cœmeterio Nouellæ ad tertiū milliariū ab Vrbe via Salaria Cœmeterium Oſtrianum, vbi Petrus Apoſtolus baptizauit.

II. Cœmeterium Vaticanum iuxta templum Apollinis, Caijq;, & Neronis, circum via Triumphali ſitum: in hortis Neronianis, vbi nunc eſt baſilica ſancti Petri Apoſtoli, in quo iacuere corpora ſanctorum Romanórum Pontificum, Petri, Lini, Cleti, Anacleti, Euariſti, Xyſti, Teleſphori, Hygini, Pij, Eleutheri, Victoris, & aliorum, Damaſus, Martinus, &c. Hoc cœmeterium fontis ſancti Petri vocat liber cenſuum, quod præter ſepulchra, fontem quoque baptiſmi haberet, qui non omnibus cœmeterijs communis erat.

III. Cœmeterium ad Nymphas, in prædio Seueræ via Nomētana, lapide ab vrbe inter ſeptimum & octauum, in quo ſepulta fuerunt corpora ſanctorum martyrum, Alexandri Papæ, Euentij & Theoduli presbyterorum, Papiæ, & Mauri militum, Aproniani tribuni, & aliorum. Damaſus, & martyrologium.

IV. Cœmeteriū vetus, quod poſtea à Papa Calliſto ampliatū ex eius nomine Calliſti appellatū eſt, via Appia, lapide ab Vrbe ſecūdo, ſub baſilica ſancti Sebaſtiani ſitū, in quo iacuere corpora ſanctorū martyrū, Romanorū Pontificū, Aniceti, Soteris, Pontiani, Anteri, Fabiani, Cornelij, Lucij, Stephani, Xyſti II. Dionyſij, Eutychiani, Caij, Euſebij, & Miltiadis: Item ſanctorū Sebaſtiani, Cæciliæ, Tertullini presbyteri, Nemeſij diaconi, Lucillæ filiæ eius, & aliorū innumerabilium ſacerdotum & martyrū. Damaſus Papa: Hic fecit (inquit) aliud cœmeterium via Appia, vbi multi ſacerdotes & martyres requieſcūt, quod appellatur vſq; in hodiernū diem cœmeterium Calliſti. In eo cœmeterio erant catatumbæ, vbi aliquādo iacuerunt corpora ſanctorū Apoſtolorū Petri, & Pauli, & aliorum multorū ſanctorū. De quibus ita ſcribit Damaſus Papa: Sāctus Cornelius Papa rogatus à quadā matrona, Lucina nomine, corpora beatorū Petri & Pauli Apoſtolorum de catatumbis leuauit noctu, primùm quidē corpus beati Pauli beata Lucina poſuit in prædio ſuo, via Oſtienſi ad latus, vbi decollatus eſt: Beati vero Petri corpus accepit beatus Cornelius epiſcopus, & poſuit iuxta locum vbi crucifixus eſt, inter corpora ſanctorū epiſcoporū in templo Apollinis, in monte Aureo in Vaticano Palatij Neroniani III. Kalend. Iulij. Bibliothecarius in vita Damaſi Papæ: Hic dedicauit Platoniā in catatumbis, vbi corpora ſanctorū Apoſtolorū Petri & Pauli iacuerunt, quā verſibus ornauit. Beda in libro de ratione temporum. Xyſtus III. Papa fecit Platoniam in Cœmeterio Calliſti via Appia, vbi nomina epiſcoporū & martyrū ſcripſit, ea cōmemorans. Gregorius Papa regiſtri libro III. epiſtola XXX. ad Conſtantinā Auguſtam. De corporibus verò beatorū Apoſtolorū, quid ego dicturus ſum? dum cōſtet, quia & tēpore quo paſſi ſunt, ex Oriente fideles venerūt, qui eorū corpora, ſicuti ciuium ſuorū repeterēt: Quæ ducta vſq; ad ſecundum Vrbis milliariū, vſq; ad locū, qui dicitur ad Catatūbas, collocata ſunt, ſed dum ea exinde leuare omnis eorū multitudo cōueniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atq; fulguris nimio impetu terruit atq; diſperſit, vt talia denuo nullatenus attentare præſument. Tunc aūt exeuntes Romani, eorū corpora, qui hoc ex domini pietate meruerunt, leuauerunt, & in locis, vbi nunc ſunt condita poſuerūt. Et paulò ſupra: Corpora ſanctorū Petri & Pauli Apoſtolorū tantis in eccleſijs ſuis corruſcant miraculis, atq; terroribus, vt neq; ad orandum ſine magno illuc timore poſſit accedi. Extat adhuc hoc cœmeterium, ſub baſilica ſancti Sebaſtiani via Appia. Leo magnus Papa fecit baſilicā beato Cornelio Papæ, & martyri, iuxta cœmeterium Calliſti, via Appia. Hæc Anaſtaſius monachus, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ Bibliothecarius, Martyrologium, Liber cenſuum



cenſuum cameræ Apoſtolicæ bibliothecæ Palatinæ editus à Cencio camerario ſanctæ Romanæ eccleſiæ, qui pòſt papa Honorius III. fuit, commemorant.

Cœmeteriū ſancti Soteris papæ & martyris, quod cœmeterio Calliſti vicinū, V.
vel eius potius partem fuiſſe exiſtimo. Id reſtaurauit Stephanus papa II. Anaſtaſius Bibliothecari⁹. Reſtaurauit tegumē cœmeterij ſancti Soteris, qđ ceciderat.

Cœmeterium ſancti Zepherini papæ & martyris, via Appia prope Catatum- VI.
bas, & cœmeterium ſancti Calliſti papę, in quo ipſe cum multis alijs martyribus ſepultus eſt. Damaſus.

Cœmeterium ſancti Callepodij presbyteri ſanctæ Romanæ eccleſiæ, via Au- VII.
relia, lapide ab Vrbe II. alìàs III. extra portam Ianiculenſem prope eccleſiam ſancti Pancratij, vbi dormierunt ſancti Papæ, Calliſtus martyr, & Iulius confeſſor: ſancti martyres, Palma vir conſularis, cum vxore, filijs, & familia, numero XLII. Simplicius ſenator cum vxore, filijs, & familia numero XLIIX. Iulius ſenator, Felix, & eius vxor Blanda. Damaſus, Martyrologium, Liber cenſuum.

Cœmeteriū ſancti Prætextati presbyteri, via Appia lapide primo ab euntibus VIII.
per diuerticulū ſiniſtrorſum, in quo dormierunt ſancti martyres Vrbanus papa, Feliciſſimus, Agapetus, Ianuarius, & Magnus, diaconi: Vincentius, & Stephanus ſubdiaconi Xyſti papæ II. Quirinus Tribunus, & eius filia Balbina virgo, ſub ſancto Alexandro papa occiſi. Damaſus, Martyrologium, Liber cenſuum bibliothecæ Vaticanæ.

Cœmeterium ſancti Pontiani papæ, non longe à ſanctis, Abdon & Senen, in IX.
quo ipſorum martyrum corpora cum ſancto Pigmenio presbytero, requieuerunt. Martyrologium, Liber cenſuum.

Cœmeterium Cyriacæ, alìàs Crypta Tiburtina in agro Veranio, in qua cōdi- X.
ta ſunt corpora ſanctorū martyrum, Laurentij archidiaconi, Seueri presbyteri, Claudij ſubdiaconi, Romani Oſtiarij, Creſcētij lectoris, ſub Xyſto papa II. Item Zoſimi, Xyſti III. & Hilarij Romanorū pontificū, Hippolyti martyris, Cōcordiæ nutricis eius, cum alijs XIX. familiæ ſuæ, Iuſtini presbyteri, Cirenei, Habundij, Cyrillæ, Triphoniæ, martyrum. Extat adhuc in Eccleſia ſancti Laurentij extra muros. Damaſus, Bibliotheocarius, Martyrologium, & Liber cenſuum.

Cœmeteriū Lucinæ via Aurelia, extra portā ſancti Pancratij. Martyrologiū. XI.

Cœmeterium Aproniani, via Latina, haud longè ab Vrbe, in quo ſepulta eſt XII.
ſancta Eugenia virgo & martyr, ſub Gallieno Imperatore. Martyrologium.

Cœmeterium ſancti Felicis papæ via Aurelia milliario ab Vrbe II. in quo ia- XIII.
cet corpus eius, & Felicis II. antipapæ. Adiunctum eſt cœmeterio ſancti Calepodij prope ſanctū Pancratiū, extra portā Ianiculenſem. Damaſus, Liber cenſuū.

Cœmeterium Priſcillæ, alìàs ſancti Marcelli papæ, via Salaria veteri, in cubi- XIV.
culo claro, iuxta cryptā ſancti Creſcentionis, lapide ab Vrbe tertio, à ſancto Marcello papa dedicatum. De quo Damaſus: Marcellus papa rogauit quandam matronam nomine Priſcillam, & fecit cœmeterium via Salaria, & XXV. titulos in vrbe Roma. In hoc autem cœmeterio dormierunt ſancti martyres, Marcellinus papa, Claudius, Quirinus, & Antonius presbyteri: Marcellus ipſe Papa & martyr, Silueſter, Liberius, Siricius, & Cæleſtinus, papæ & confeſſores: item Vigilius papa, Pudens cum vxore Sabinilla, & filiabus Pudētiana, & Praxede, Baſilla virgo, Hermes præfectus, Prothus, & Hiacinthus Eunuchi. Damaſus, Bibliothecarius, Martyrologium, Liber cenſuum bibliothecæ Vaticanæ. Reſtauratum à ſancto Ioanne papa. Bibliothecarius.

Cœmeterium ſancti Timothei presbyteri, via Oſtienſi, intra baſilicam ſancti XV.
Pauli Apoſtoli, in quo ipſe iacet. Martyrologium.

Cœmeterium Nouellæ via Salaria, de quo Protonotarius ſanctæ Romanę ec- XVI.
cleſiæ in actis Liberij papæ cap. II. Tomo conciliorum primo: Habitabat (inquit) Liberius ab vrbe Roma milliario tertio in cœmeterio Nouellę via Salaria, quaſi exul. Veniente autem die Paſchæ vocauit vniuerſos presbyteros, ciues Romanos, & diaconos, & ſedit in eodem cœmeterio, & dixit: Nolite timere, quoniam vobiſcum ego non habito in vrbe Roma, ſed habetis Vicarium, ecce fratrem meum, & presbyterum Damaſum.

XVII. Cœmeterium Balbinæ, aliàs ſancti Marci papę, inter vias Appiam & Ardeatinam, iuxta baſilicam ſancti Marci papæ, in quo ipſe Pontifex dormiuit. Damaſus in eius vita: Hic fecit baſilicas duas, vnam in Ardeatina, in qua ſepultus eſt, aliam in vrbe Roma iuxta Palatinas. Ex huius ſuggeſtione Conſtantinus Auguſtuſ obtulit baſilicæ, quam cœmeterium conſtituit via Ardeatina fundū roſarum, cum omni agro campeſtri præſtante ſolidos XL. Et paulò infra: Marcus papa moriens ſepultus eſt in Cœmeterio Balbinę, via Ardeatina, quod ipſe inſiſtēs fecerat anno ſalutis CCCXXXVI. Gregorius III. papa baſilicæ beati Marci via Appia extra Vrbem ſitæ, tectum dirutum de nouo refecit. Bibliothecarius. Pontifex Nicolaus ad cœmeterium beati Marci confeſſoris, atq; Pontificis, quod inter Appiam Ardeatinamq; vias poſitum eſſe cognoſcitur, ſancto deductus eſt ſpiritu, & hoc multis ruinis conquaſſatum reperiens, atq; contritum, conatu ſummo releuans, mirificè conſtruxit ac decorauit, diuiniq; cultus myſterium, quod multos per temporum curſus diſceſſerat, reſtituit ac reſtaurauit.

XIIX. Cœmeterium ſancti Iulij papæ via Flaminia, prope eccleſiam ſancti Valentini, extra muros Vrbis, adhuc extat in vinea fratrum Eremitarum, ordinis ſancti Auguſtini. De eo Damaſus.

XIX. Cœmeterium ſancti Iulij papæ via Aurelia. Damaſus.

XX. Cœmeterium ſancti Iuli papæ via Portuenſi. Damaſus.

XXI. Cœmeterium ſancti Damaſi papæ inter vias Ardeatinam, & Appiam, in quo iacent ſancti martyres Proceſſus, & Martinianus, ipſe Damaſus cum matre & ſorore. Bibliothecarius: Hic fecit baſilicas duas, vnam iuxta theatrum, quæ ſancti Laurentij vocatur: aliam via Ardeatina, vbi requieſcit in catatumbis. Damaſi cœtemerium reſtauratum eſt à Ioanne VII. Papa, vt idem Bibliothecarius ait.

XXII. Cœmeterium ſancti Anaſtaſij papæ intra Vrbem regione quinta Eſquillina, in Vico Vrſi pileati, prope eccleſiā S. Vibianæ, in quo iacēt idē Anaſtaſius, & Innocētius papę. Anaſtaſius, Bibliothecarius: Anaſtaſius papa ſepultus eſt in cœmeterio ſuo ad Vrſum pileatū. Liber cenſuū bibliothecę Vaticanæ. Antiqua inſcriptio. Anno domini ..... Mēſe Octobris ..... dedicationē huius eccleſiæ ſanctorū martyrū Simplicicij, Fauſtini, & Beatricis ad cœmeteriū Vrſi pileati, iuxtà formā Claudij ad portā Taurinā. Quā primus Leo papa maxima deuotione cū indulgentia & remiſſione triū annorū & XL. dierū fecit. In quo cœmeterio requieſcūt quatuor millia CCLVII. corpora ſanctorū, exceptis paruulis & mulieribꝰ.

XXIII. Cœmeterium ſancti Hermetis martyris, aliàs ſanctorum Hermetis, & Domitillæ martyrum, factum à Pelagio papa II. Bibliothecarius, & Liber cenſuum.

XXIV. Cœmeterium ſancti Nicomedis presbyteri, & martyris, via Ardeatina, lapide ab Vrbe VII. extructum a Bonifacio V. papa. Bibliothecarius: Hic perfecit cœmeterium ſancti Nicomedis, & dedicauit illud.

XXV. Cœmeterium ſanctæ Hagnetis, via Nomentana, Liber cenſuum. Damaſus in Liberio papa: Rediens Romam Liberius papa, habitauit in cœmeterio ſanctæ Hagnetis apud germanā Conſtantij Auguſti Conſtantiā. Et paulò infra: Conſtātius Auguſtus reuocauit Liberiū papam de cœmeterio ſanctæ Hagnetis. De hoc loqui puto Marcellinū lib. XXI. vbi ait: Iulianus Cæſar Helenæ cōiugis defunctæ ſuprema miſerat Romā in ſuburbio viæ Nomētanæ cōdenda, vbi vxor quoque Galli quondā ſoror eius ſepulta eſt Cōſtantina. Damaſus: Liberius papa ornauit de platoneis marmoreis ſanctę Hagnetis ſepulchrū. Bibliothecarius: Innocentius papa cōſtituit, eccleſiā beatæ Hagnetis martyris à presbyteris Leopardo & Paulino gubernari, & eorum ſolicitudine regi, & ornari. Bonifacius papa die Paſchæ, ſicut cōſuetudo erat, celebrauit baptiſmum in baſilica ſanctæ Hagnetis martyris, quam ruinæ proximam cum abſide renouauit Symmachus papa.

XXVI. Cœmeterium ſanctæ Felicitatis martyris via Salaria, in quo Bonifacius papa ſepultus eſt. Beda, Bibliothecarius, Liber cenſuum: Bonifacius papa fecit oratorium in cœmeterio ſanctæ Felicitatis, iuxta corpus eius, cuius & ſancti Siluani ſepulchra exornauit, vbi poſuit hæc dona, patenam, Amam, Scyphum, calices duos, coronas tres, omnia argentea. Symmachus papa baſilicam ſanctæ Felicitatis ruinæ proximam reparauit. Bibliothecarius.

Cœme-



Cœmeterium Iordanorum à Symmacho papæ refectum, vbi quieſcit corpus ſancti Alexādri martyris. Bibliothecarius: Hic fecit cœmeterium Iordanorum in melius, propter corpus ſancti Alexandri. XXVII.

Cœmeterium ſanctorū Nerei, & Archilei martyrum, via Ardeatina, in prædio ſanctæ Dimitillæ, in Crypta Harenaria, lapide ab Vrbe ſecundo, reſtitutum à Papa Ioanne, in quo ipſorum corpora cōdita ſunt. Martyrologium, & Bibliothecarius. Qui ſic ſcribit: Hic Papa reſtaurauit cœmeterium beatorum martyrum, Nerei & Archilei, via Ardeatina, & Cœmeterium ſanctorum martyrum, Felicis & Adaucti, & cœmeterium Priſcillæ. XXIIX.

Cœmeterium ſanctorum Felicis, & Adaucti martyrum via Oſtienſi milliario ab Vrbe ſecundo. Renouatum à Ioanne papa. Bibliothecarius. XXIX.

Cœmeterium ſanctorum Tyburtij & Valeriani martyrum. Bibliothecarius in Ioanne III. papa: Ioannes papa retinuit ſe in cœmeterio ſanctorū, Tyburtij & Valeriani martyrum, & habitauit ibi multo tempore, vt etiā epiſcopos ibidem conſecraret. Renouatū à Gregorio III. papa. Idē Bibliothecarius. In quo iacuerunt ſancti martyres Marcellinus presbyter, & Petrus exorciſta. Martyrologiū, Bibliothecarius: Hadrianus papa tectum cœmeterij S. Tiburtij reſtituit. XXX.

Cœmeterium ſanctorum Marcellini & Petri martyrum via Lauicana. Renouatum ab Honorio papa. Bibliothecarius in vita Hadriani papæ: Cœmeterium ſanctorum Marcellini, & Petri nouiter refecit, & gradus eius via Labicana, iuxta baſilicam beatæ Helenæ renouauit, & eiuſdem tectum refecit, quoniam nullus iam deſcenſus erat ad ipſa ſancta corpora. XXXI.

Cœmeterium ſanctorū Marci, & Marcelliani martyrū, via Ardeatina, reſtauratum à Ioanne papa VII. Bibliothecarius: Laborauit Ioannes VII. papa in cœmeterijs ſanctorū martyrum Marcelliani, & Marci, Damaſiq; ſancti Pontificis. XXXII.

Cœmeterium ſanctorum Ianuarij, Vrbani, & Maximi martyrum reſtauratū, & ornatum à Gregorio papa III. Bibliothecarius: Gregorius III. laborauit in cœmeterijs ſanctorum martyrum Ianuarij, Vrbani, Tyburtij, Valeriani, & Maximi, eorumq; tecta in ruinis poſita à nouo refecit. XXXIII.

Cœmeterium ſanctæ Petronillæ ornatum a Gregorio papa III. de quo Anaſtaſius Bibliothecarius: In cœmeterio beatæ Petronillæ ſtationem annuè dare inſtituit, vbi obtulit coronam auream, calicem, & patenam argenteam, ſeu & alia diuerſa ad ornatum eccleſiæ pertinentia. XXXIV.

Cœmeterium ſanctorum Simplicij, & Seruiliani. XXXV.
Cœmeterium ſanctorum Quarti, & Quinti. XXXVI.

*Bibliothecarius in Hadriano Papa.*

Cœmeteriū ſanctæ Agathæ ad Girolum via Aurelia, in quo iacuerunt corpora ſanctorum Proceſſi & Martiniani. XXXVII.
Cœmeterium Vrſi ad Porteſam. XXXIIX.
Cœmeterium Cardianum via Latina. XXXIX.
Cœmeterium inter duos Lauros ad ſanctam Helenam. XL.
Cœmeterium ad Cliuum cucumeris. XLI.
Cœmeterium ſancti Thraſonis ad S. Saturninum. XLII.
Cœmeterium ſancti Cyriaci via Oſtienſi. XLIII.

*Ex libro cenſuum cameræ apoſtolicæ, qui eſt in Bibliotheca Vaticana, collecto à Cēcio Camerano, S.R.E. qui poſtea creatus eſt Honorius III. Papa.*

Aſtulfus Longobardorum Rex multorum ſanctorum corpora effodiens, circa Romam eorum cœmeteria ſubuertit. Bibliothecarius in Stephano II.

Paulus magnam ſollicitudinis curā erga ſanctorum cœmeteria indifferēter gerebat. Vnde cernēs plurima eorundē ſanctorū cœmeteriorum loca neglecta, ac deſidia antiquitatis maxima demolutione, atq; iam vicina ruinæ poſita, protinus eadē ſanctorum corpora de iſtis dirutis abſtulit cœmeterijs, quæ cum hymnis, & cāticis ſpiritualibus infra hāc ciuitatē Romanā introducens, eadē per diaconias, ſeu monaſteria, & reliquas eccleſias, cū condecenti ſtuduit honore recōdi, & præſertim in eccleſia monaſterij, quod in domo propria in honorē ſanctorum Pontificū Stephani martyris, & Silueſtri cōfeſſoris à fundamētis erexit. Ad quā venerabilium ſanctorū corpora, quæ de præfatis demolitis abſtulit cœmeterijs, maximo venerationis affectu trāſtulit atq; recōdidit. Paſchalis Papa multa corpora ſanctorū, quæ in dirutis cœmeterijs iacebāt, intra Vrbem in eccleſia

 ſan-

ſanctæ Praxedis collocauit. In Porticu ante baſilicam ſancti Petri Apoſtoli, prope vetuſtiſsimum ſecretarium, quod nunc ſancta Maria de febribus vocatur, ſepulta fuerunt corpora ſanctorum Romanorum Põtificum, Leonis, Simplicij, Gelaſij, Anaſtaſij II. Symmachi, Hormiſdæ, Ioannis I. II. & III. Felicis III. Bonifacij II. Agapeti, Pelagiorum I. & II. & Gregorij I. Anaſtaſius Bibliothecarius, & Ioannes diaconus lib. III. de vita ſancti Gregorij papæ.

In ſecretario quod nunc dicitur ſancta Maria de febre, ante baſilicam ſancti Petri Apoſtoli, quieſcit Benedictus papa.

In baſilica ſancti Petri apoſtoli dormiunt ſancti Romani Pontifices, Sabinianus, Bonifacij III. IIII. V. VI. VIII. & IX. Deuſdedit, Honorij I. & IIII. Seuerinus, Ioãnes IIII. V. VI. VII. VIII. IX. XIV. XV. XVI. & XIX. Theodori I. & II. Eugenij I. & II. III. & IIII. Vitalianus, Adeodatus, Domni ſiue Domniones I. & II. Agatho, Leones I. II. IIII. VI. VII. VIII. & IX. Benedicti II. III. IIII. VI. VIII. & IX. Cuno, Sergij, I. II. Siſinniꝰ, Cõſtantinus, Gregorij II. III. IIII. V. & IX. Zacharias, Stephani II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. & IX. Pauli I. II. & III. Hadriani I. II. III. & IIII. Paſchalis, Valentinus, Nicolai I. II. III. & V. Marini I. & II. Formoſus, Romanus, Chryſtophorus, Anaſtaſius III, Landones I. & II. Vrbani I. & VI. Cæleſtinus IIII. Innocentij VII. & VIII. Calliſtus III. Pij I. II. III. & IIII. Xyſtus IIII. Alexãder VI. Iulij II. & III. & Marcellus II. Laterani verò ſepulti ſunt Romani Põtifices Leo V. Sergij III. & IIII. Siluester II. Ioannes X. XI. XII. & XIIX. Agapitus II. Bonifacius VII. Alexandri II. & III. Paſchalis II. Calliſtus II. Honorius II. Innocentij II. & V. Cæleſtini II. & III. Lucius II. Anaſtaſius IIII. Clemens III. & Martinus V.

Ad ſanctum Paulum requieſcunt Felix II. & Ioannes XIII.

Ad ſanctum Mariam Maiorem conditi ſunt Benedictus X. Honorius III. prope præſepe & Nicolaus IV. Papæ.

Ad ſanctum Laurentium extra muros quieſcit Damaſus II. In Baſilica verò ſancti Clemẽtis corpus eius octingenteſimo poſt eius mortem anno à Nicolao Papa ex Græcia translatum, conditum eſt.

Ad ſanctam Crucem in Hieruſalem Benedictus VII.
Ad ſanctam Sabbam in cella noua Ioannes XVII.
Ad ſanctam Vibianam Benedictus IX.
Ad ſanctam Mariam nouam Gregorius XI.
Ad ſanctam Mariã de Minerua Leo X. Clemens VII. & Paulus IV.
Ad ſanctam Mariam de anima Hadrianus VI.
} ſepulti ſunt.

Extra Vrbem verò Benedictus V. Antipapa Hamburgi in Saxonia,
Gregorius VI. & Gelaſius II. Cluniaci in Gallijs.
Clemens II. Bambergæ in Germania.
Victor II. Stephanus IX. & Ioannes quondã Papa XXIII. Florẽtiæ.
Gregorius VII. Salerni.
Victor III. Caſsini.
Clemens III. Antipapa, Rauennæ.
Lucius III. Veronæ.
Vrbanus III. Ferrariæ.
Gregorius VIII. Piſis.
Innocentius III. Vrbanus IV. & Benedictus XI. Peruſiæ.
Innocentius IV. Neapoli.
Alexãder IV. Clemẽs IV. Hadrianus V. & Ioannes XXI. Viterbij.
Gregorius IX. Arretij.
Cæleſtinus V apud ſanctum Antonium de Ferentino.
Clemens V. Burdegalæ.
Ioãnes XXII. Benedictꝰ XII. Innocẽtius VI. & Clemẽs VII. antipapa, (Auinione.
Clemens VI. in Monaſterio Caſæ Dei in Gallijs.
Vrbanus V. Maſsiliæ ad ſanctum Victorem.
Benedictus XIII. Paniſcholæ.
Gregorius XII. Recaneti.
Alexander V. Bononiæ.
} conditi ſunt.





## DE COEMETERIIS EXTRA VRBEM.

### Caput XIII.

PRæter Romana cœmeteria, alia in omnibus ciuitatibus vbi Chriſtiani eſſent, multa fuerunt, & præſertim extra Vrbes. Chryſoſtomus enim in ſermone de fide & lege ait: Omnem ciuitatem, & omne caſtellum ante ingreſſum habere ſepulchra. De cœmeterio Alexandrino Athanaſius in apologia de fuga ſua. In hebdomada poſt ſacram Pentecoſtem populus completis ieiunijs, ad orandum ad cœmeterium abijt. De Antiocheno Euagrius libro primo cap. XVI. Sancti Ignatij oſſa robuſtiora, quæ relicta fuerant à beſtijs, Antiochiam deportata, & in cœmeterio condita ſunt. Thomæ Syri viri ſancti corpus publico honore & pompa Antiochiam delatum, in cœmeterio conditum eſt, vt Euagrius lib. IIII. cap. LXXXV. ita commemorat: Thomas Syrus vir ſanctus, cùm reuerteretur in hoſpitali ægrotantium, quod in ſuburbio Daphne eſt, ad incorruptibilem vitam tranſiuit, cuius corpus in ſepulturam exterorum aſportarunt. Hic cum vnus & alter poſt ipſum ſepulti eſſent, corpus ipſius ſupra illos inuentum, Deo ſic illum maximo miraculo poſt mortem quoq; declarante. Etenim profundius eum ſepeliendo abiecerant. Admirãtes itaque Ephraimo epiſcopo de hoc ſancto ſignificatum; ac ſacroſanctum illius corpus, publico honore & pompa Antiochiam transferunt, inque cœmeterio condunt, vnde & peſtifer morbus, qui tum inualuerat, facta hac tranſlatione quieuit. Annuum quoque illius feſtum Antiocheni ad hunc vſque diem magnificè celebrant. Diuus Auguſtinus epiſtola LXIIII. ad Aurelium Epiſcopum Carthaginiẽſem, Ebrietates, & luxurioſa conuiuia, quæ in cœmeterijs tanquam martyrum honori, & mortuorum ſolatio habebantur, deteſtatur. De Cœmeterio Auguſtodunenſi Gregorius Turonẽſis cap. LXXIIII. lib. de gloria confeſſorum: Cœmeterium apud Auguſtodunẽſem vrbem Gallica liugua vocitauit, eò quod ibi fuerint multorum hominum cadauera funerata, inter quæ, quod ſint quorundam fidelium dignarumque animarum ſepulchra, frequens occulte pſallentium myſterium docet. Nam audiui, quod duo ex incolis loci, dum loca ſancta orandi gratia circuire diſponerent, audiunt, in baſilica ſancti Stephani, quæ huic coniuncta eſt cœmeterio, pſallentium ſonum. Fuerũt in ſingulis ciuitatibus duplicia cœmeteria, peregrinorum, & ciuium, quod exponit Euagrius lib. IIII. cap. XXXV. Cęterùm de cœmeterijs in genere per omnes ciuitates multa ſuprà diximus.

## DE FESTIVITATIBVS, SACRIFICIIS, ET OBLATIOnibus memoriæ Sanctorum. Cap. XIIII.

APud veteres patres in martyrum diebus feſtis oblationes, & ſacrificia fieri ſolita fuiſſe indicat Origenes lib. III. in Iob. Antiqui diem natiuitatis celebrabant, vnam vitam diligentes, & aliam poſt hanc non ſperantes. Nunc vero nos non natiuitatis diem celebramus, cùm ſit dolorum atque tentationum introitus, ſed mortis diem, vtpote in omnium dolorum depoſitionẽ, atque omnium tentationũ effugationem, diẽ mortis celebramus, quia non moriũtur hi, q mori videntur. Propterea & memorias ſanctorũ facimus, & parẽtum noſtrorum, vel amicorũ in fide morientium deuote memoriam agimus, tã illorũ refrigerio gaudentes, quàm etiã nobis piam conſummationẽ in fide poſtulantes. Sic itaq; non diẽ natiuitatis celebramus, ſed mortis, quia in perpetuo viuent ij, qui moriuntur. Celebramus nimirũ religioſos cũ ſacerdotibus, cõuocantes fideles vnà cũ clero inuitãtes, adhuc egenos, & pauperes, pupillos, & viduas ſaturantes, vt fiat feſtiuitas noſtra in memoriã requiei defunctis animabus, quarũ memoriã celebramus, nobis aũt efficiatur in odorẽ ſuauitatis, in cõſpectu æterni Dei. Diuus Cyprianus presbyteris, & diaconibus ſuis: Cũ voluntati, & confeſſioni noſtræ in carcere, & vinculis accedit moriẽdi terminus, cõſumata martyris gloria eſt. Denique, & dies eorũ, quibus excedũt annotatæ, vt cõmemorationes eorũ inter memorias martyrũ celebrare poſsimus. Quanquã Tertullus fideliſſimus, ac deuotiſſimus frater noſter pro cætera ſolicitudine ac cura ſua, quã fratribus in omni obſequio operationis impertit, q nec illic circa curã corporũ deeſt,

ſcripſerit, ac ſcribat, & ſignificet mihi dies, quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes, & ſacrificia, ob commemorationes eorum, quæ cito vobiſcum domino protegente celebrabimus. Et lib. IIII. epiſt. V. ad plebẽ & clerũ de Celerino confeſſore, ordinato lectore: Sacrificia pro martyribus Laurentino, Ignatio, & Celerino, ſemper vt meminiſtis offerimus, quoties martyrum paſsiones, & dies anniuerſaria commemoratione celebramus. Martyrũ memoriæ præcipuè in eccleſia Romana celebrantur, ſuper quorum ſepulchra Miſſæ fiebant ex Felicis papæ conſtitutionibus. De martyrum memorijs Diuus Auguſtinus lib. VIII. cap. XXVII. de ciuitate Dei: Nec tamen nos eiſdem martyribus templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia conſtituimus, quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè memorias eorum tanquam ſanctorũ hominũ Dei, qui vſq; ad mortem ſuorum corporũ pro veritate certarunt, vt innoteſceret vera religio falſis religionibus, fictiſq; cõuictis, quod etiam ſi qui antea ſentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audiuit aliquãdo fidelium ſtantem ſacerdotem ad altare, etiã ſuper ſanctum corpus martyris ad Dei honorem, cultumq; conſtructum dicere in precibus, Offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane? cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines, & martyres fecit, & ſanctis ſuis angelis cæleſti honore ſociauit, vt ea celebritate & Deo vero de illorum victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atq; palmarum, eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ renouatione adhortemur. Quęcunq; igitur adhibentur religioſorum obſequia in martyrum locis, ornamenta ſunt memoriarum, nõ ſacra, vel ſacrificia mortuorum, tanquam Deorum. Quicunq; etiam epulas ſuas eò deferunt, quod quidem à Chriſtianis melioribus non fit, & in pleriſq; terrarum nulla talis eſt conſuetudo, tamen quicunq; id faciunt, quas cum appoſuerint orant, & auferunt, vt veſcantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, ſanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine domini martyrum: non autem iſta eſſe ſacrificia martyrum nouit, qui nouit vnum quod Deo illic offertur ſacrificiũ Chriſtianorum. Nos itaq; martyres noſtros, nec diuinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, ſicut colunt illi Deos ſuos: nec ſacrificia illis offerimus, nec Deorum probra in eorum ſacra conuertimus. Ad eundem plane modum loquitur lib. XXII. cap. X. Nos autem martyribus noſtris non templa ſicut Dijs, ſed memorias, ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt ſpiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus martyribus, ſed vni Deo, & martyrum, & noſtro ſacrificiũ immolamus, ad quod ſacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, non tamen à ſacerdote, qui ſacrificat, inuocantur. Deo quippe, non ipſis ſacrificat, quamuis in memoria ſacrificet eorum, quia Dei ſacerdos eſt, non illorum. Ipſum vero ſacrificium corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi, &c. Refert diuus Ioannes Chryſoſtomus in argumento epiſtolę ad Romanos: Sancti Pauli Apoſtoli epiſtolas lectas, quando ad martyrum memorias agendas Chriſtiani conueniſſent.

## DE TRANSLATIONIBVS SANCTORVM mortuorum. Cap. XV.

CORpora ſanctorum hominum humi, vel arcis incluſa ad alium locum transferri veteres conſueuiſſe, exemplũ eſt de corpore ſancti Ignatij martyris, cuius oſſa ſolidiora, quę leonibus qui ipſum deuorarunt, ſuperfuerũt, vt ſcribit Nicephorus lib. III. cap. XIX. lõgo tẽpore pòſt, pij Chriſtiani Roma Antiochiã detulerũt. Sanctus Cornelius papa rogatus à quadã matrona Lucina, corpora beatorum Apoſtolorũ Petri & Pauli è catatumbis leuauit noctu, & corpus quidem beati Pauli beata Lucina primùm poſuit in prædio ſuo via Oſtiẽſi, ad latus vbi decollatus eſt: corpus verò beati Petri accepit beatus Cornelius epiſcopus, & poſuit iuxta locũ vbi crucifixus eſt inter corpora ſanctorũ epiſcoporũ in Vaticano. Modus trãſlationis Romę vſitatę, refert Sozomenꝰ lib. VII. cap. X.

Circa



Circa id tempus Meletij reliquiæ, & Conſtantinopoli Antiochiam ſunt tranſlatæ, & iuxta thecam Babylæ martyris ſunt repoſitæ. Fertur autem, quod ſecundum Theodoſij Imperatoris iuſſum, per totam viam publicam intra muros in ipſas ciuitates more Romano aſſumptæ, & per vices, & pſalmodias ſingulis locis cum honore, donec Antiochiam deportarẽtur exceptæ fuerint. Ritum vero in leuandis, & transferendis martyrum inuentis corporibus in occidentalibus eccleſijs vſurpatum, ſanctus Ambroſius indicat epiſtola XXIV. ad ſororẽ, ſic: Primùm inuentæ, ſeu ſtudio, ſeu caſu ſancti alicuius reliquiæ populo monſtrabantur, & cuius eſſent martyris ſignificabatur. Deinde ordine componebantur, & transferebantur ad aliquod templum, vbi vigiliæ tota nocte fiebant, concio de vita ipſius martyris habebatur, fiebant miracula. Aegri enim, qui veſtes ſanctorum manu contigiſſent, ſanabantur. Celebratur ſolennis illa tranſlatio corporis ſancti Babylæ martyris Antiochiæ, de qua Rufinus libro primo cap. XXX. Socrates lib. III. cap. XVIII. Quum enim ſacerdotes Apollinis Iuliano apoſtatæ Antiochiæ iuxta fontem Caſtalium non litanti dixiſſent, ſepulchrum Babylæ martyris, quod in vicinia erat, in cauſa eſſe, quòd Apollo non daret reſponſa, mandauit, vt Galilæi (ſic enim appellabat Chriſtianos) venirẽt, & ſepulchrum Babylæ auferrent. Igitur vniuerſa eccleſia conueniens, virgines iuueneſque immenſa exultatione ſuccincti, trahebant longo agmine arcam martyris, pſallentes ſummis clamoribus, & cum exultatione dicentes: Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis. Honorem reliquijs ſanctorum à gentilibus, aut diſperſis, aut quocunque modo neglectis, & inuentis ſuum habuerunt, vt veterum exempla teſtantur. Narrat Sozomenus libro V. capite IX. mulierem quandam Gazenſem collegiſſe reliquias oſsium, martyrum eorum, quos Gazenſis populus, propterea quod templa eorum idolatrica labefactaſſent, interfecerat, Euſebij ſcilicet, Neſtabi, & Zenonis fratrum, & in ollara reconditas, Zenoni conſobrino eorum tradidiſſe, quas abditas, ille domi obſeruauerit, oratorioque ædificato ea repoſuerit. In perſecutione verò Perſica ſub Sapore Rege, & Magis Acepſimas epiſcopus fortiter in confeſsione perdurans mortuus eſt, cuius reliquias nonnulli ex Armenia ex illis, qui Perſis ſunt vicini, clanculum ſublata ſepelierunt. Narrat Sozomenus libro II. cap. XIII. de reliquijs Hilarionis monachi clàm ſubreptis, & in Paleſtina reconditis, per Heſychium Hilarionis diſcipulum. mentionem facit idem Sozomenus libro III. cap. XIV. Memorantur paſsim ſanctorum tranſlationes in antiquis eccleſiæ catholicæ monumentis, quarum præcipuæ eæ ſunt: S. Barnabæ Apoſtoli reliquiæ, cum euangelio B. Matthæi, ipſius Barnabæ manu Hebraicis characteribus ſcripto, ex Cypro Conſtantinopolim ſub Zenone Imperatore tranſlatæ ſunt. Theodorus libro II. collectaneorum. Reliquiæ ſancti Stephani ex Hieroſolymis, ſanctorum Laurentij, & Hagnetis ex Vrbe, Conſtantinopolim tranſlatæ, in martyrio ſancti Laurentij ab Eudoxia Auguſta Theodoſij iunioris Imperatoris coniuge conditæ ſunt. Theodorus libro II. & Beda de temporum ratione. Corpus ſancti Danielis prophetæ Conſtantinopolim ex Iudæa tranſlatum eſt, ſub Imperatore Arcadio Auguſto, & Attico Patriarcha Conſtantinopolitanis, Theodorus libro II. Sancti Ioannis Chryſoſtomi corpus, ex loco in quo obijt, Conſtantinopolim à Theodoſio iuniore tranſlatum eſt. Socrates libro VII. cap. XL. Theodoretus libro V. cap. XXXVII. Flauiani Epiſcopi Conſtantinopolitani corpus ex Epheſo Conſtantinopolim tranſlatum eſt à Theodoſio Iuniore Imperatore. Nicephorus libro XXXIV. cap. XLIX. Sub Zenone Imperatore Antiochiam delatæ ſunt reliquiæ Euſtathij, ex Philippis Macedoniæ, vbi ipſe in exilio mortuus fuerat. Theodorus libro II. Sacratiſsimum corpus ſancti Ioannis Baptiſtæ Hieroſolymis à monachis inuentum, in vrbem Phœniciæ Emeſſam tranſlatum fuiſſe, ſcribit Beda in libro de ratione temporum. Sanctorũ Hermagoræ & Fortunati corpora ex Aquileia Gradũ ab Helia Epiſcopo Aquileienſi tranſlata ſunt. Chronicon Aquileiẽſe: Sancti Antonij monachi corpus inuentum, Alexãdriam eſt deportatum. Iſidorus, Beda, Honorius Auguſtudunenſis. Addo IIII. ætate Ioãnes Papa IIII. corpora ſanctorum Marty-

rum

rum Anaſtaſij, Mauri, Telij, Antiochiã, Aſterij martyrum de Delmatia, & Iſtria
Romam adduxit, & prope fontem Lateranenſem in ipſorum nomini dedicata
eccleſia ſepeliuit. Leo II. Papa corpora ſanctorũ Simplicij, Fauſtini, Beatricis, &
aliorum quorundã martyrum ad eccleſiam ſancti Pauli tranſtulit. Sancti Ana-
ſtaſij Perſæ reliquiæ Romã translatæ ſunt ſub Papa Deuſdedit, & in monaſterio,
ad aquas Saliuas locatæ. Theodorus Papa corpora ſanctorum martyrum Primi,
& Feliciani, ex harenario viæ Nomẽtanæ, ad eccleſiam ſancti Stephani in Cælio
monte trãſtulit. Bibliothecarius. Anno Domini DCCXCIX. Monachus Hie-
roſolymis veniens, à Patriarcha multas reliquias attulit Carolo Magno. Regi-
no lib. II. Addo ætate VI. Sancti Silueſtri corpus Nonantulam anno DCCLII.
translatũ. Sigebertus, Sancti Nazarij reliquiæ ex vrbe Roma in Galliæ monaſte-
riũ Lauresheim trãſportatũ, anno DCCLXIIII. Sigebertus. Valbertus Romã
orationis gratia profectus, corpus ſancti Alexandri ſecũ Vildeshuſem attulit,
Henricus Herphordienſis cap. LXI. Chronicon Miſniæ. Sanctus Nabor Roma à
Crodegando Metenſi epiſcopo translatũ eſt in cœnobiũ Hilariacum. Auctor de
vita eius cap. V. Sigebertus anno DCCLXIIII. Zacharias papa tranſtulit caput
ſancti Georgij ex Patriarchio Lateranenſi ad eccleſiã eius, in Velabro, cum hym
nis & canticis. Bibliothecarius. Luitprandus, Longobardorũ Rex, corpus ſancti
Auguſtini doctoris, ex Sardinia Inſula Ticinum tranſtulit, & in eccleſia ſancti
Petri in cœlo aureo collocauit. Beda. Paulus papa, corpus ſanctæ Petronellæ bea-
ti Petri Apoſtoli filiam ex cœmeterio viæ Appiæ, ad baſilicam ſancti Petri tran-
ſtulit, canentibus ſacerdotibus, & populo celebritatem agente. Bibliothecarius.
Legati Caroli Imperatoris ab Aarone Sarracenorum Amyra redeuntes, corpo-
ra ſancti Cypriani epiſcopi Carthaginienſis, & Sperati martyris Scillitanorum
in Galliam deferunt, anno DCCCII. Sigebertus. Corpora ſanctorum Marcel-
lini, & Petri ex vrbe in Franciam trãslata ſunt, anno DCCCXXV. Sigebertus.
Rodulfus ſancti Calliſti papæ corpus in Gallias detulit, anno DCCCLIIII. Si-
gebertus. Corpus ſancti Marci à mercatoribus ex Alexandria Venetias deporta-
tum, in maxima veneratione extructo templo fuit. Chronicon Venetiarum.

In translatione reliquiarum veteres Chriſtiani vſi ſunt ijſdem penè ritibus,
quibus in funeribus. Nam præcedentibus triduanis ieiuuijs, preces, cantus, vigi-
liæ, miſſarum ſolennia, oblationum diſpenſationes factæ ſunt, vt ibi, quod ex
veterum hiſtorijs intelligitur, in quibus ſæpe multa miracula Deus benedictus
ipſorum ſanctorum meritis operabatur.

De ſolenni oſtenſione reliquiarum narrat Hẽricus de Herphordia, Carolum
Magnum publice ſignificaſſe, vt omnes corde contrito confeſſi peccata ſua
Aquiſgranum Idibus Iunij cõuenirent, ſpectatum reliquias ſanctorum de Hie-
roſolyma & Conſtantinopoli allatas: Et ſynodum poſteà ſtatuiſſe, vt quotannis
feria IIII. ieiuniorũ quatuor temporum in mẽſe Iunio, reliquiæ illæ monſtra-
rentur, capite LXIX.

## DE PEREGRINATIONIBVS AD SEPVLCHRA Sanctorum. Cap. XVI.

NIcephorus tradit, homines ad ſepulchrum ſancti Clementis papę Cherſo
næ vicinum peregrinationis gratia cõueniſſe. Sic vero cap. XVIII. eiuſ-
dem libri ſcribit: Sanctus Clemẽs ancora ferrea collo eius appenſa in al-
tum mare proijcitur. Mari aũt diebus ſeptem ad tria millia paſſuũ diuiſo, multi
eò eant, & martyris corpus exoſculantur, tẽplo diuina virtute excitato. Et quum
aliquãdo mare, vt aſſolet, diuiſum eſſet, populusq; ſtata ibi ſacra peregiſſet, atq;
inde rurſus reuerteretur, euenit, vt per parentũ obliuionẽ illic puer quidã relin-
queretur, atq; vbi mare in ſeſe redijt, puer tenellus etiã tũ vndis eſt obrutus. De-
inde, quum rurſum fluctus receſſiſſent, parentes eò acceſſere, & puellum ſaluũ &
validum loculo ſancti martyris aſſidentem, reperierũt. Qua re cognita intelle-
xerunt eum per inhabitantẽ ibi gratiã fotum, & citra nocumentum à feris mari-
nis cõſertuatũ eſſe. Quapropter ſancto, quẽ decuit atq; oportuit, honore habito,
cum puero ſuo domum ſunt reuerſi. Cæterùm quum perſecutionum tempore,
non



non ita facilis fuerit perſecutorũ metu peregrinatio ad loca ſancta, vel ad mar-
tyrum ſepulchra, Conſtantino baptizato, vti res pia illico religioſe coli eſt cœ-
pta. Cum enim Imperator Conſtantinus Chriſti fidem profeſſus, loca terræ ſan-
ctæ ab Idololatrijs gentiliũ expurgaſſet & excoluiſſet propter Chriſti, & eius paſ-
ſionis memoriam, frequens ad ea loca pietatis cauſſa peregrinatio ex toto terra-
rum orbe inſtituta eſt. Nam Conſtantinus Magnus in locum ſepulchri Chriſti,
idolo Veneris fœdatũ, oratorium excitauit. Eius mater Helena mulier ſanctiſſi-
ma illuc adorandi cauſa profecta, reperta Chriſti cruce duo templa ædificari cu-
rauit, vnum prope Dominicæ natiuitatis ſpecum, alterũ in monte ex quo Chri-
ſtus in cœlum aſcendit. Euſebius lib. III. de vita Cõſtantini. Rufinus lib. 1. cap.
VII. Poſtremo ipſe Cõſtantinus in loco Caluariæ, vbi Chriſtus crucifixus fuit,
ingens templum extruxit, quod publica ſolennitate, patrum ſynodo accerſita,
dedicari iuſſit. Euſebius lib. III. de vita Cõſtantini. Quæ res anniuerſaria ſolen-
nitate celebrata eſt, cõfluentibus eò ex omnibus mundi partibus Chriſtianis, vt
indicat Sozomenus lib. II. cap. XXVI. Atque hac ratione ſolennis illius ad ter-
ram ſanctam peregrinationis initium fuit. Sed etiam ad vrbem Romã ad Apo-
ſtolorum corpora frequentiſſimas peregrinationes fuiſſe, intelligitur ex Augu-
ſtino in epiſtola ad Madaurenſes, Sophronio, Leone Papa, & Ioanne Chryſoſto-
mo, in demonſtratione, quod Chriſtus Deus ſit aduerſus gentiles: Nam qui du-
cebantur (inquit) qui contempti erant, & vincti, vbi defuncti ſunt, regibus ipſis
erant magis venerabiles, etiam Romæ, quæ Vrbium eſt regaliſſima, relictis om-
nibus ad ſepulchra piſcatoris, & pellionis currunt & reges, & præſides, & mili-
tes, &c. Bertrada Romam venit adoratura ad limina Apoſtolorum anno DCC
LXX. Vrſpergenſis in chronico, & Annales Francorum. Golfridus abbas Bedæ
& presbyter Romam orationis gratia profectus, in itinere obijt. Beda lib. II. de
ratione temporum. Grodegangus Romam ad martyrum ſepulchra oratum
profectus eſt, cap. XI. de eius vita. Carolus Magnus intra annos XLVII. qua-
ter Romam ad vota perſoluenda, & orandum profectus eſt. Eginardus. Vilital-
dus Hieroſolyma, & terram ſanctam viſitauit. Stedelius. Ex Francia multi nobi-
les Romam orandi gratia profecti ſunt. Sub Leone Iſauro. Addo. Multos amo-
re diuino inflatos ex Anglia Romam abijſſe, & religionis ergò tonſurã clerica-
lem accepiſſe, refert Beda de ratione temporum, & Addo ſexta ætate. Haymo
ſuper epiſt. ad Romanos: Nunc ad tumulum Piſcatoris flectunt genua Impera-
tores, & ſuper euangelia. Eorum peregrinationem commemorat, qui ex Britan-
nia voti cauſſa Hieroſolyma proficiſcebantur. Solebant obſeſſos à dæmonibus
ad loca ſacra ſanctorum martyrum ducere, & à Deo ſanctorum precibus li-
berationem impetrare. Annonius lib. V. cap. XXX. de reb. ge-
ſtis Francorum. Rabanus in admonitione ad popu-
lum, Rugiunt dæmones iuxta ſepul-
chra, & iuxta reliquias ſan-
ctorum.

*FINIS opuſculi de ritu ſepeliendi, & de cœmeterijs.*

LAVREN.

# LAVRENTIO CELSO ROMANO XII. VIRO ABREVIATORI, S. D. N. PAPAE A SVPPLICIBVS LIBELLIS REFERENDIS, ET PROTONOTARIO APOSTOLICO EX SEPTEM,

Onuphrius Panuinius Veronenſis, Frater Eremita Auguſtinianus, S. P. D.

NEmo eſt qui neſciat, me poſt Deũ, operam, induſtriam, ſpem, omnes denique fortunas meas in Alexandri Farneſij Cardinalis ampliſsimi fide, & pietate collocaſſe. In quo ornando, quia eius magnitudo meas ſuperat vires, quum potis nõ ſim, eos ſaltem celebrandos perpetuò perſcrutatus ſum, qui in eius clientela eſſent, vt quæ Domino, viriũ imbecillitate præſtare non poſſum, id ſaltem eius clientulis amicis meis conferrem: ex his, quia principem locum familia tua nõ obtineat, nemo eſt, qui dubitet. Multis enim beneficijs, fauoribus, ſtudijs ab ipſo ornata, & ipſa viciſsim omnem induſtriam ſuam in eius voluntate exequenda poſuit. Hanc rem Vrbi Romæ pater tuus Ioannes optimæ fidei, induſtriæ, & incredibilis diligentiæ homo viuens oſtendit. Eandem modo profitetur Aſcanius Patruus tuus, vir ſupra fidem induſtrius, in hominum proborum amicitia excolẽda accuratus, patroni amantiſsimus, in exequendis maximarum rerum arcanis promptiſsimus. At hæc quãquam magna, exteriora ſunt. Tu adhuc iuuenis magnis muneribus honeſtatus, optimis moribus adeo litterarum ſtudia, & præclaras actiones adiunxiſti, vt eximiæ cuiuſdã, & inuſitatæ virtutis in te breui futuræ, ſpem omnibus attuleris, quam vt magis, magiſque accenderem, animumque tuum ad præclara quæque perſequenda, quæ occepiſti, inflammarem, hac epiſtola te conueniendum duxi, quam breui huic libro præpoſui, in quo multas eccleſiaſticas obſcuras voces Latinas, Barbaras, Græcas, quæ paſsim à ſcriptoribus eccleſiaſticis vſurpatæ occurrũt, illuſtraui, ijſque breue de Stationibus re in Vrbe frequentiſsima, opus adiunxi: quas lucubratiunculas tuo nomine publicare conſtitui, tum vt meum erga te ardenti virtutis ſtudio præditum, aliquod extaret obſeruantiæ ſignum, tum vt omnes agnoſcant, me in hominibus celebrandis non omninò iudicio caruiſſe. Vale Roma Kalen. Septembris Anno M.D.LXVII.





# ONVPHRII PANVINII VERONENSIS FRATRIS EREMITAE AVGVSTINIANI,

## INTERPRAETATIO VOCVM ECcleſiaſticarum, quæ obſcuræ, vel barbaræ videntur.

QVVM paſſim in Hiſtorijs eccleſiaſticis, & præſertim Romanorum pontificum vitis, multæ voces barbaræ, inuſitatæ ex Græcis Latinæ redditæ, alienis aliquãdo à ſuo ſignificatu ſenſibus, metaphoricè acceptæ, & ideo minus cognitæ, inſertæ ſint: operæpretium facere exiſtimaui, ſi breuem earundem interpretationem, & expoſitionem, ex vetuſtiſſimis quibuſdam ſcriptoribus conſtituerem, quo omnia legentibus clariora, & apertiora ſeſe offerentia, eorum in legendo aſſiduam curam & diligentiam non remorentur: ſunt autem eiuſmodi,

OFFICIA, Siue Magiſtratus

Domnus, Papa
Epiſcopus
Cardinalis
Archipresbyter
Presbyter.
Pœnitentiarius maior
Pœnitentiarij minores
Archidiaconus
Diaconus
Palatinus, vel Baſilicarius
Regionarius
Stationarius.
Pater Diaconiæ
Archiſubdiaconus vel Prior Subdiaconorum
Subdiaconus
Regionarius
Baſilicarius ſiue S. R. E.
Palatinus
Oblationarius
Stationarius
Manſionarius
Manſ. primus
Acoluthus
Regionarius
Stationarius
Supulmentarius
Paracellarius
Primicerius ſcholæ cantorum
Schola cantorum
Chorus
Primus ſcholæ paraphoniſta
Secundus ſcholæ paraphoniſta
Tertius ſcholæ paraphoniſta
Quartus ſcholæ, qui & Archiparaphoniſta
Vicedominus
Maiordomus
Veſtiarius
Cancellarius, alias Bibliothecarius
Camerarius
Primicerius S. R. E.
Secundicerius S. R. E.
Arcarius
Sacellarius, alias Saulularius
Protoſcrinarius
Scriniarij XII.
Primicerius defenſorum
Defenſores
Defenſores regionarij
Aduocatores
Adminiculator
Primicerius Iudicum
Iudices
Primicerius Notariorum
Protonotarij
Notarij regionarij
Nomenclator
Roga.

SACRAE AEDES, ET earum partes.

Ecclesia

Titulus
Parœcia
Oratorium
Martyrium
Diaconia
Xenodochium
Monaſterium
Gremium Baſilicæ
Camera Baſilicæ
Abſis
Confeſsio
Ambo
Secretarium.

AEDIVM SACRARVM ornatus.

Patenæ, aliàs Patinæ
Calices miniſteriales maiores, minores
Amulæ, aliàs amæ
Colatorium
Pugillares
Scyphi
Metretæ
Hydriæ
Thymiamaterium
Peluis ad Baptiſmum
Corona, aliàs pharum cantharum, cum Delphinis totidem
Ceroſtota
Phara canthara cum delphinis totidem, in quibus ardebat oleum
Canthara ceroſtota
Lucerna cum Lychnuchis
Gemelliones.

VESTIVM GENERA.

Anaboladium, aliàs Anabolagium
Alba
Cingulum
Orarium
Mappula
Colobium
Dalmatica
Planeta, aliàs Caſula
Pallium
Mitra
Offertorium
Phanon
Naccus.

OFFICIA



# OFFICIA SIVE MAGISTRATVS.

DOMNVS pro Dominus, per Syncopen dicitur, qua appellatione olim Pontificem Romanum, mox & alios epiſcopos venerationis cauſa honorabant. Pontificem enim Domnum apoſtolicum vocabãt: nã dominus terroris, nõ reuerentiæ vocabulũ eſſe exiſtimabãt.

PAPA Græca vox, quæ Latinè dicitur papus, auum ſignificat, id eſt, patrem patris, Auſonius ad nepotem:

*--- Papos auiasq; trementes,*
*Ante ferunt patribus ſeri noua cura nepotes.*

Apud Bithynios cognomen Iouis erat, qui dicebatur Iupiter Papas, id eſt, pater. Hanc vocem omnes antiqui Chriſtianorum epiſcopi pro patre, ſiue maiore patre frequentarunt (auus enim aliquando maior pater dicitur) & præſertim magnarum, & inſignium vrbium, vt Romæ, Carthaginis, Alexandriæ, Antiochię, Hieroſolymorum, & ſimilium. Cornelius enim Epiſcopus Romanus presbyteri eiuſdem eccleſiæ, & alij multi in epiſtolis ſuis Cyprianum Carthaginienſem Epiſcopũ papam, & papatem vocant. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus Heraclam prædeceſſorẽ ſuum, in epiſtola ad Philemonẽ presbyterum Romanũ, beatum papam nominat. Similiter Athanaſius, Theophilus, & Cyrillus Epiſcopi Alexandrini, papę dicuntur. Sidonius in epiſtolis ſuis, paſſim omnes Galliarum Epiſcopos, ad quos ſcribit, papas appellat. Hæc vox, poſt Gregorij primi tẽpora, reliquis epiſcopis adempta, ſoli Romano pontifici attributa eſt. Qui & apoſtolicus eſt aliquando dictus, ob præcipue apoſtolicæ ſedis, cui præeſt, reuerentiam.

EPISCOPVS, Magiſtratus apud veteres nomen fuit, cuius munus erat panis, & cæterarum rerum, quæ ad cibum pertinent, curam habere: vt colligi poteſt ex verbis Arcadij iuriſconſulti Dig. Lib. Tit. L. de muneribus, & honoribus. Quæ vox ab operatione deducta eſt: nam vel ab ἐπισκοπεῖν venit, quod ſignificat ſpecurlari, cõſiderare, vel ab ἐπισκοποῦμαι, quod eſt viſito, ſiue ſpeculor. Quod nomen ad Chriſtianorum pontifices translatum eſt, qui Epiſcopi, vel viſitatores, ſeu inſpectores, obſeruatores, & ſpeculatores dicti ſunt, quòd illorum præcipuè officium ſit, gregis ſibi commiſſi curam gerere, & mores explorare. Hac voce vſus eſt Cicero lib. VII. epiſtol. ad Atticum: Vult Pompeius me eſſe, quem tota hæc Campania, & maritima ora habebat, Epiſcopum, ad quem delectus, & negocij ſumma deferatur.

CARDINALIS vox variè accipitur. Vitruuius lib. IIII. cap. VI. Fores ita cõpingantur (inquit) vt ſcapi Cardinales ſint ex altitudine luminis totius duodecima parte. Et libro X. cap. XX. ait: Eæ concludantur supernè inter cardinatis trabibus, ſupra trabes collocentur capreoli cardinibus alius in aliũ concluſi, in altitudine excitati pedes IX. Et capite XXI. eiuſdem libri: Erigebantur, & arrectaria duo compacta pedum XXXV. craſſitudine ſeſquipedali, latitudine pedum II. coniuncta capitibus, tranſuerſario cardinato tigno, & altero mediano inter duos ſcapos cardinato, & laminis ferreis religato. Hic Vitruuius ſcapis cardinatis, ſignificat cuſpidibus & dolatis linguiculis cõpactos vel incorporatos, ita vt apud Vitruuium idem ſit cardinalis, quod annexus, vel inſertus, vel compactus. Hæc vox in eandem ferè ſententiam frequens eſt in regiſtro D. Gregorij, & epiſtolis pontificum Romanorum decretalibus. Quibus is Cardinalis dicitur presbyter, vel diaconus, qui certæ alicui eccleſiæ vel diaconiæ proprius, & ad certi alicuius tituli ſiue eccleſiæ miniſteriũ ordinatus, inſertus, annexus, & (vt ipſe loquitur) incardinatus eſt: Nam S. Gregorio idem eſt, Cardinalem conſtituere in aliquo titulo vel eccleſia, quod incardinare alicui eccleſiæ, vel in aliqua eccleſia cardinare. Idem etiam de Epiſcopis dicit, quod de ſua eccleſia ad aliam neceſſitatis cauſa translatos, epiſcopos quidẽ eccleſiæ ſuæ, illius verò, ad quã tranſlati ſunt, ſecerdotes, ſiue pontifices cardinales vocat: quæ vox nõ ſolùm Romanæ, ſed omnibus alijs eccleſijs per prouincias cõmunis eſt. At quoniam epiſco-

 pus,

pus,presbyter,vel diaconus ita cardinatus & cōſtitutus, principem locum in ea eccleſia,cui incardinatꝰ erat,tenebat: hinc factū eſt, vt cardinalis vocabulū, pro præcipuo ſiue principali acciperetur;in quā ſignificationē Seruius ſup. 1.Aeneidos: Ventos quatuor Cardinales,principales interpretatur. Et D. Cyprianus libellū de cardinalibus,id eſt,de principalibus Chriſti operibus ſcripſit,& vox cardinalis in antiquis pontificum decretis,& præſertim S.Silueſtri in concilio Romano reperitur. Iſq; dicitur presbyter, vel diaconus Cardinalis alicuius tituli, vel diaconiæ,qui eiuſdem præcipuam curam gerit,omneſq; alios earundem eccleſiarū miniſtros gubernat,& moderatur.Hoc porrò nomen omnibus eccleſijs commune,multis adhuc hæſit, vt Rauennati, Piſanæ, Mediolanenſi, Compoſtellanæ,& alijs,ſed potiſſimùm Romanæ quia ſicut Romanus pontifex omniū Epiſcoporum princeps eſt,ita & ſacerdotes Romanæ eccleſiæ omnium eccleſiarum clericos dignitate & honore antecellunt: hinc Cardinales hodiè tantùm appellari videntur. ſed de hac re latiùs in libro, quem de origine cardinalatus ſcripſi,diſputaui.

PRAESBYTER Græcè, Latinè ſenior dicitur. Auguſtinus, Etiā grandioris ætatis,& (ſicut ſcriptura loquitur) plenum dierum poſſe dici ſeniorem, hoc eſt,presbyterum,quę vox maioribus natu,& communi cum epiſcopo concilio, eccleſiā gubernantibus,ſacraq; myſteria tractantibus,attributa eſt,vt presbyteri, id eſt,ſeniores vocarentur.Hinc Tertullianus in apologetico cap. XXXIX. Nobis præſident probati quiq; ſeniores,honorem iſtum non pretio,ſed teſtimonio adepti. Quorum primus Archipresbyter dicitur,id eſt,primus presbyter, quemadmodum Archidiaconus,& Archiſubdiaconus diaconorum,& ſubdiaconorum primi,& principes.Ex presbyteris porrò Romanæ eccleſiæ quidā ſuper pœnitentes cōſtituti ſunt à Simplicio papa, vt his verbis docet Bibliothecarius: Hic conſtituet ad Sanctos Petrum,Paulum,& Laurentium hebdomadas, vt presbyteri ibidem manerent propter pœnitentes & baptiſmum: regionem tertiam ad Sanctum Laurentium,primam ad Sanctum Paulum,& ſextam, vel ſeptimā ad Sanctum Petrum.Hi presbyteri pœnitentium vocati ſunt,qui eorum exemologeſes audiebant.Quorum primus maior pœnitentiarius dictus,hodie eſt Cardinalis,reliqui minores pœnitentiarij,non Cardinales,vocati.

DIACONVS Græcè, miniſter Latinè dicitur. Apoſtoli verbi Dei prædicationi vacantes, quum inopia laborantium ſubleuationi attendere nequirent, miniſtros ſeptem,quos diaconos appellauere,elegerunt. Quibus pauperum, & viduarum cura (vt Lucas Act. 6. tradit) demandarunt. Apoſtolorum exemplo Euariſtus papa primus in Romana eccleſia ſeptē diaconos ordinauit, qui, cùm presbyteri docendis populis,& ſacramentis adminiſtrandis attenderent, ipſi viduis,pupillis,pauperibus,& egenis,ex eccleſię theſauris,& oblationibus fideliū, ſubuenirent.Hi quum antè præſcriptum ſibi,& certum locum nō haberent,ſed eorū munia in promiſcuo eſſent, primus vrbis regiones ſingulis diuiſit Fabianus papa,certaq; loca aſſignauit, quæ diaconiæ,& pauperū hoſpitalia dicta ſunt: quibus ij præerāt,& in ſuis quiſq; regionibus fideliū pauperum neceſsitatibus, ex eccleſiæ pecunia,& Chriſtianorū eleemoſynis à ſubdiaconis collectis, atque ab ipſis cuſtoditis,quantùm in ſe eſſet, ſuppeditabat.Ex ipſis aūt primns vel antiquior,cum Epiſcopi,cleri,populique cōſenſu electus Archidiaconus, vel Diaconus Cardinalis,id eſt,principalis vocabatur,quemadmodū presbyterorū primus archipresbyter. Vnus igitur tantùm vetuſtiſsimis tēporibus erat diaconus cardinalis,vt ex actionibus ſynodi Romanæ ſub S. Silueſtro papa celebratæ, liquet,qui & archidiaconꝰ,& diaconus circūluſtrator,& perſcrutator vocabatur. Lōgo tempore pòſt diaconorū in eccleſia Romana numerus auctus eſt, & ex ſeptem quatuordem primùm,deinde XVIII. facti,qui oēs vt ab alijs diaconis nō cardinalibus differrent,quorum multi in vrbe erant,Diaconi cardinales vocati ſunt,id eſt,principales, qui præcipuè hoſpitaliū,& diaconiarū miniſtri erat. Ex his porrò XVIII. quatuordecim regionarij vocabantur,quòd ſingularū regionum,quæ XIIII. erāt,diaconijs præeſſent: quatuor palatini, vel baſilicarij dicti, quòd in palatio,& baſilica Lateranenſi papę miniſtrarent. Diaconi verò Stationarij





narij nomen perpetuum non erat, ſed ad tempus. Ita enim appellabatur is, qui ea vice pontifici ad ſtationem aliquam profecto miniſtraret. Antiquitus erant diaconi teſtimoniales,qui epiſcopum prædicantem cuſtodirent, qui vſus iā diu exoleuit. De diaconis,& ſubdiaconis,ita ſcribit Ioannes Diaconus in vita ſancti Gregorij: Prudētiſſimus paterfamilias Chriſti Gregorius,ſingulis Diaconijs,vel Xenodochijs, viros idoneos deputauit, quos, vt ſecurius imò ſagacius in opere pietatis & miſericordiæ laborarent,priuilegijs muniēdos eſſe decreuit: Quia (inquit) te virum religioſum,& menſis pauperum exhibendis idoneum nouimus, ideo te diaconiæ eligimus pręponendum,& ne qua tibi naſcatur ex hac adminiſtratione dubietas,hac te munitione proſpeximus fulciendum , conſtituentes, vt de hoc,quod ad mēſas pauperum, vel diaconiæ exhibitionem percepiſti, ſiue ſubinde perceperis erogandum,nulli vnquam hominum cogaris ponere rationem.Hos ego puto in libello Romani ordinis vocari patres diaconiæ.

SVBDIACONVS, quanquàm ordinis ſubdiaconorū nulla in ſacris litteris mentio extet, vetuſtiſſimus tamen is in eccleſia eſt, & ſub ipſa apoſtolorū tempora inſtitutus, de quo Ignatius in epiſtola ad Antiochenos meminit, qui ſalutat presbyteros,diaconū & ſubdiaconū. Hic antiquitus ſacer ordo non erat, nec certo deputatus officio; niſi tantùm clericali, vel diuino: tūc enim in Miſſa nec euangelium,nec epiſtola cantabatur. Adiunctus autem fuit diaconorū adiutorio,quibus ſubminiſtrabat.Fabianus papa Romæ ſeptē ſubdiaconos primus conſtituit,qui ſeptem notarijs à Clemente papa inſtitutis imminerent , vt res geſtas martyrum in integrum colligerent:& cùm ſeptem diaconi,vt miniſtrarēt pauperibus Chriſtianis, totidemq; notarij,vt martyrum facta deſcriberēt , per vrbis regiones ſparſi eſſent,ijs ipſi ſubdiaconi iuncti fuerunt. Ideo etiā ipſi ſubdiaconi regionarij vocati ſunt,vt regionum,primæ,tertiæ,quartæ,& ſeptimæ: & præſertim poſtquàm alij ſeptē ſubdiaconi,qui, quòd Miſſarum celebrationi in baſilica Lateranenſi per vices ſuas deſeruirent,S.R.E. ſiue baſilicarij ſubdiaconi ſunt vocati,inſtituti fuerūt. Nam eccleſiæ maieſtate aucta,ſubdiaconi ad epiſtolæ lectionem,& miniſteriū altaris acciti, & ſacri ordinis participes facti ſunt: & proptereà regionarijs,qui per regiones diebus ſtationū pontifici miniſtrabant celebranti,ſeptē alij additi,& ad quartum decimum numerū aucti. Ioānis ſubdiaconi regionarij regionis primæ mentio eſt apud Bibliothecariū in vita Sancti Siluerij Papæ.Hi porrò S.R.E. ſubdiaconi baſilicarij: quòd pōtifici certis officijs aſſiſterent,& ſeruirent,vt in camera,in menſa,& in proceſſione crucē ante ipſum deferrent: Palatini etiam ſubdiaconi dicti ſunt.His in ſchola cantorum VII.alij additi,eorumq; numerus vnus & viginti factus. Quorum primus Archiſubdiaconus,Primus, vel prior ſubdiaconorum in libris Romani ordinis nūcupatur. Ex his porrò ſubdiaconis is oblationarius dicebatur , ad cuius per vices miniſterium pertinebat ſuſcipere oblationes,pontificis Miſſam celebranti factas, & eas archidiacono præſentare.Stationarius verò erat is , qui hebdomada ſua epiſtolā in ſtationibus,papa Miſſam celebrante,cantabat.

MANSIONARIVS, dictus eſt cuſtos,& conſeruator ædiū eccleſiaſticarū, templorum,& altarium: item familiaris & domeſticus,à māſione. Multi ex his erant in eccleſia Romana,quorū maior,primus māſionarius vocabatur: Vnius horum,& eiuſdem muneris meminit D.Gregorius in libris Dialogorū. Hodie in multis eccleſijs extant,curamque pſalmodiæ,& altarium habent.

ACOLVTVS,à Græcis is dictus eſt,qui nullis minis ab inſtituto poterat reuocari. Quare Stoici Acoluti dicti ſunt,qui impium putabant, mutare ſententiam. A Chriſtianis hoc nomine dicti ſunt ij ſacrorum miniſtri, qui, quum ipſi ſacris nō operarentur, ab illis tamen nō excludebātur. Dicti Acoluti , quaſi nō prohibiti, à priuatiua particula α & κωλύω, quod ſignificat prohibeo. Hinc eorū ἀκώλυτος.
miniſterium diuerſum fuit à diaconorum, & ſubdiaconorum , qui ſacris communicabant, munere. Miniſtrabant porrò epiſcopis & eccleſijs, in his, quæ ad ſacra faciēda pertinēt, vt in parādis mappis & in altaribus, luminibuſq; accendēdis, & in ferēdis ijs, quibus in ſacris faciēdis, vſus erat. Fuerūt multi in vrbe Acoluti, Palatini, vel S.R.E. qui Papæ miniſtrabāt in Palatio,& Baſilica Lateranenſi. Regionarij,

gionarij, qui in regionibus diaconis ſeruiebant. Stationarij, qui in ſtationibus Papæ celebranti præſto erant.

SVBPVLMENTARIVS. Quid eiuſmodi voce veteres ſignificare voluerint, haud certò ſcio. Niſi is Subpulmentarius fuerit, qui pauperibus ea eleemoſynarum genera è Palatio Pontificis diſtribuebat, quæ vel menſæ ſuperfuerant, vel ad cibum pertinebant. Quod innuere videtur Bibliothecarius in vita Hadriani Papæ.

Is etiam Paracellarius dicitur.

PRIMICERIVS SCHOLAE CANTORVM. Quanquam tempore S. Siluestri papæ, & poſteà plures & magnæ fuerint in Vrbe baſilicæ conditæ, non tamen ſingulæ clericos, vel monachos ſpeciatim habebāt, qui in illis ſacra officia celebrarent. Presbyteri enim titulis, diaconi diaconijs præfecti, ſuo quiſque tantùm muneri vacabat: illi ſacris adminiſtrandis, hi pauperum ſubuētioni procurandæ. Pſalmodia verò quotidiana in omnibus eccleſijs tunc in vſu nō erat: nam ſingulis Vrbis Baſilicis redditus adhuc aſſignati nō erant, quibus poſſent ſingula collegia canentium nutrire. Ideoq; ſchola cātorum inſtituta fuit, quæ Vrbi communis erat, & ad Stationes, proceſsiones, ſingulasq; diebus eorūdem feſtis, eccleſias Vrbis conueniebat, ibiq; ſacra officia, & Miſſarum ſolennia pontifice, vel presbytero celebrante, decātabat. Hæc ſchola cōmunibus ſumptibus viuebat, habebatq; magnæ in Vrbe dignitatis, & exiſtimationis præfectum, qui Primicerius, aliàs prior Scholæ Cantorū vocabatur, cuius opera optimi iuuenes ſelecti in cantu, lectione ſacrorū librorum, & optimis moribus inſtituebantur: Hinc origo Primiceriorū per alias orbis terrarū eccleſias cathedrales manauit, de quorum officio, & dignitate XXV. diſtinct. mentio eſt. Hanc ſcholam eam eſſe opinor, cuius initiū ſcribit Bibliothecarius in vita Hilarij papæ ſic: Hic conſtituit in Vrbe miniſtrales (id eſt clericos) qui circumirent cōſtitutas Stationes, id eſt, miniſtrando ſacris, & pſallendo. Quanquàm Ioannes diaconus lib. II. de vita S. Gregorij papæ ipſam hanc ſcholam S. Gregorium conſtituiſſe ſcribit: quòd potius de eius quadam reformatione, ſiue reſtitutione intelligendum eſſe opinor, quàm de prima inſtitutione, q̄ lōgè ante fuiſſe neceſſe eſt. Sic aūt ſcribit: Scholam cantorū, quæ hactenus in iiſdem inſtitutionib9 in ſancta Romana eccleſia modulatur, conſtituit, eiq; cum nōnullis prædijs duo habitacula, ſcilicet, alterū ſub gradibus eccleſiæ Sancti Petri apoſtoli, alterum verò ſub Lateranenſis patriarchij domibus fabricauit, vbi vſq; hodie lectus eius, quo recumbens modulabatur: & flagellum ipſius, quo pueris minabatur veneratione cōgrua cum authentico antiphonario reſeruātur. De hac ſchola cantorum huiuſmodi Statutum reperi in libro peruetuſto Romani ordinis: Primùm, in quacunq; ſchola reperti pueri bene pſallentes, tollantur, inde nutriantur in ſchola cantorum, & poſteà fiant cubicularij. Si aūt nobilium pueri fuerint, ſtatim in cubiculo nutriantur, & hanc accipiant poteſtatem ab archidiacono, vt liceat eis ſuper linteū villoſum ſedere, quod mos eſt ponere ſuper ſellam equi. Deinde, ſicut Sacramētorum codex continet, quando, & vbi fuerint, vſque in ſubdiaconatus officium ordinentur. Diaconi verò, atq; presbyteri, nunquā, niſi in publica ordinatione. Schola porrò cantorum in plures choros diuidebatur. Chorus aūt (auctore Iſidoro) propriè eſt multitudo canentium, inde dictus, quòd initio in modum coronæ circum aras ſtarent, & ita cantores pſallerent. In ſchola cantorū, poſt Primicerium, quatuor maiores reliquis erant, primus, ſecundus, tertius, & quartus ſcholæ vocati. Quorum tres primi paraphoniſtæ, quartus verò archiparaphoniſta dicebatur. Cuius officium erat Pontifici de cātoribus, quum quid opus erat, nunciare. Ita in libello Romani ordinis.

VICEDOMINI, qui & MAIORES DOMVS, à Pontifice Romano ex ordine cleri, & aliquando epiſcopali conſtituebantur; viri prudentes, & rerum gerendarum peritia inſignes, quibus epiſcopij, vel patriarchij Lateranenſis cura, & adminiſtratio committebatur, in gubernanda domo, hoſpitibus ſuſcipiendis, & domeſticorum Pontificis cauſſis cognoſcendis, vt liquet ex epiſtola B. Gregorij ad Antonium diaconū, & Clementiam Patriciā. Bibliothecarius in vita





vita Vigilij papæ: Hic in Sicilia agens, remiſit Romam Ampliatū præsbyterum, & Vicedominum ſuum, & Valentinum epiſcopum S. Rufinæ, ad cuſtodiēdum Lateranū, & gubernandū clerum. Hinc in palatio Lateranenſi locus erat, vicedominium vocatum, de quo idem Bibliothecarius, in vita Stephani iij. Qui & Veſtiarij ibidem mentionem facit, qui Pontificis veſtes Laterani cuſtodiebāt.

CANCELLARIVS, aliàs BIBLIOTHECARIVS. Is, qui Romanum Pontificem in chartis eccleſiaſticis iuuabat, & Orientis Occidentisq; Synodicis cōſultationibus (vt D. Hieronymus in epiſtola ad Ageruchiam, de monogamia tradit) reſpondebat: quem antiqui ſcribam, à libellis, ab epiſtolis, epiſtolarum magiſtrum: noſtro tempore ſecretariū vocant, Cancellarius, in eccleſia Romana appellabatur. Quā vocem à Flauio Vopiſco, in Carini vita primùm vſurpatam fuiſſe obſeruaui: Vnum (inquit) ex Cancellarijs ſuis Vrbi præfectum fecit. Hi quū à ſecretis, & libellis principum eſſent, ſcribendis quoq;, ac cuſtodiēdis publicis rebus vacabant, & à cancellis, intra quos demādata ſibi munera obeuntes, permanebant, appellationē habuere. Quam rem in Epiſtolis Caſsiodorus ſubinde explicat, qui hoc officium cancellorū decus ita nominat. Hoc igitur laudabile præiudicium, ſententia gratioſa, militia domeſtica à XII. indictione cancellorū tibi decus attribuit, vt conſiſtorij noſtri ſecreta fideli integritate cuſtodias, per te præſentandus accedat, per te noſtris auribus deſideriū ſupplicis innoteſcat, iuſſa noſtra ſine ſtudijs venalitatis expedias, omniaq; ſic geras, vt noſtrā poſſis commendare iuſtitiam. Reſpice, quo nomine nuncuperis. Latere nō poteſt, quod inter cancellos egeris. At cancelli ligneæ, aut ferræ crates ſunt, inter ſe modicis interuallis in quicuncem poſitæ, quibus quum aër aſpectusq; admittatur, prohibetur acceſſus. His ſcenæ feneſtræ, iudicum tribunalia ſcribarūq; ſubſellia (à quibus cācellarij dicti) muniri ſolent. Chirius Fortunatianus antiquus ſcriptor, principum antiquorum & nobiliū (vt nos hodie appellamus ſecretarios) olim cancellarios dictos refert. Omnium igitur ſcribarum, notariorū, & ſcriniariorum S. R. E. princeps cancellarius vocabatur: quod munus diu in eccleſia ampliſsimum fuit, & non niſi ſummæ auctoritatis presbyteris, & ſæpiſsimè epiſcopis concedi ſolitum: qui quòd bibliothecarum etiam curam haberet, Bibliothecarius etiam dicebatur. Hic epiſtolas Romani pontificis nomine dictabat, Synodicis epiſcoporum conſultationibus reſpondebat, ſacerdotum Romanorum decreta ſcribebat. A Cancellario dictus Vicecancellarius, qui Cancellarij vices gerit: de cuius officio, & dignitate librum ſingularem ſcripſi.

CAMERARIVS à camera, vox eſt recèns inuenta. Archidiaconi enim S. R. E. officio Gregorij VII. papæ tempore extincto, in eius locum ſucceſſit Camerarius, qui quòd pecuniarum eccleſiaſticarum, quæ in cameris conſeruabantur, curam gereret, ita appellatus eſt. Eſt autem propriè camera teſtudo ſeu fornix, & ipſa pars ſuperior: Item tectum deuexum, & recuruum, à forma teſtudinis, quaſi camuræ, id eſt, curuæ, vt inquit Seruius ſuper III. Georgicorum: Camuris hirtę ſub cornibus aures. Camera etiam dicitur integra pars ædificij, parietes ſcilicet ipſi cum fornice.

PRIMICERIVS à cereo fit (vt auctores ſunt, Diuus Hieronymus, & Caſſiodorus in epiſtolis) quoniam & Græcè πρωτοκήριος dicitur, quemadmodum & Secundicerius, quæ officia apud Ammianum Marcellinum inueniuntur, vt Primicerius protectorum, notariorum, domeſticorum, & ſimilium: idem autem ſonat, quod primus. Cæterum inter VII. antiquos Romanæ eccleſiæ officiales, primi, & nobiliſſimi erant, Primicerius, & Secundicerius S. R. E. ab officijs nomina ſortiti. Hi papæ continuò aſſiſtebant, quorum loca hodie tenent duo diaconi Cardinales primi, iudicesq; rerum Palatinarum erant: à dextera leuaq; pontificem in omnibus proceſsionibus comitabātur, ſine quorum conſilio nihil quod magni momenti eſſet, pontifex tranſigebat: inde papæ Conſiliarij dicti. Octauam ſuper epiſcopos in matutinis feſtorum ſolennium lectionem legebant.

ARCARIVS ab arca pecuniarum, quas colligebat, & conſeruabat, dictus eſt, qui tributorum, & vectigalium exactioni præerat.

SACELLARIVS, aliàs SACCVLARIVS, à ſacello pecuniarum, quas erogabat, dictus. Is militibus ſtipendia, operarijs & familiaribus pontificis ſalaria diſtribuebat, & ſabbato ſcrutiniorum eleemoſynā dabat, Romano quoque clero & populo presbyteria largiebatur. Hunc hodie Theſaurarius repræſentat. Cuius muneris Bibliothecarius frequēter in pontificū vitis mentionē facit. Dictus aūt eſt à ſacco Saccularius, vel à ſacello, id eſt, paruo ſacco ſaccellarius: quę vox apud Auguſtinum extat in cōmentarijs Pſalmorum: Ne amiſſo (inquit) iudicio pauperis in mala cauſſa miſericors, cuius ſi parcis ſacello, percutis cor. Eā autem pecuniarum ſummam, quam Sacellarius vel Saccularius diſtribuebat, Rogam appellabant: quæ vox ſæpe in Bibliothecario legitur, & erogationem, munus, ſeu donatiuum, vel ſtipendium ſignificat, ab erogando dicta.

PROTOSCRINIARIVS, is Scriniarijs præerat. Scriniarius porrò à ſcrinio dictus eſt, quod eſt arca, qua ſeruantur precioſiora, & ſecretiora vt ſcriptiones. XII. porrò in Romana eccleſia erant Scriniarij, qui ſcrinia publica ſcripturarum S. R. E. curabant, Epiſtolas à Cancellario, & protoſcriniario dictatas ſcribebant, inſtrumenta, donationes, venditiones, & reliqua eiuſmodi cōficiebant. Horum munus cum notariatu plerunque coniunctum erat, vt infrà dicam.

PRIMICERIVS DEFENSORVM. Gregorius (vt auctor eſt Ioannes Diaconus) remotis à ſuo cubiculo ſecularibus, clericos ſibi prudentiſſimos, cōſiliarios, familiareſq; delegit: nemo laicorum quodlibet palatij miniſterium, vel eccleſiaſticum patrimonium procurabat, ſed omnia eccleſiaſtici iuris munia, eccleſiaſtici viri ſubibant: ob quod nonnulli procerum ſe ſub obtentu religionis tonſurare cæperunt. Hæc conſuetudo poſteà diu obtinuit in Romana eccleſia, vt omnia eccleſiaſtica miniſteria, tū priuatim, tum publicè per ſolos clericos adminiſtrarentur: quare notarij, & defenſores ex clericorum quoq; ordine ſumebantur: quod tamen etiam ante S. Gregorium obſeruatum à religioſis pōtificibus videtur, vt ex reſcriptis Zoſimi, & Gelaſij pontificum apparet. Quod autem fuerit defenſoris officiū, breuiter deſcribitur à Pelagio in reſcripto ad Antoninam Patriciam, quę poſtulabat monachum fieri defenſorem, in quo oſtendit officiū monachi, & defenſoris conuenire nō poſſe: Illis enim (inquit) quies, oratio, labor manuum, at *ijs* cauſſarum cognitio, conuentiones, actus, publica litigia, & quæcunq; vel eccleſiaſtica inſtituta, vel ſupplicantium neceſſitas poſcit. Ex decreto Vrbani patet, procuratoris nomine intelligi quemlibet eccleſiaſticarum rerum adminiſtratorem, vt verbi gratia, prępoſitum, œconomum, vicedominum: defenforis nomine aduocatum, ſiuè caſtaldum, & iudicem. Hos aduocatos, ſiue aduocatores dictos puto: Quorum quidam defenſores ſine adiectione, quidam defenſores regionarij dicti ſunt, quòd ſcilicet in ſingulis regionibus diſtributi eſſent. Quorū primus vel princeps, primicerius defenſorum dicebatur, magnæ in eccleſia Romana exiſtimationis.

ADMINICVLATOR ab adminiculando, id eſt, adiuuando dictus. Septimus erat ex Romanæ eccleſiæ primis officialibus. Hic pro viduis, pupillis, & egenis afflictis, & captiuis procurabat: quod munus hodie pauperum aduocatus facit.

PRIMICERIVS NOTARIORVM. Notarius à nota dictus, vel à notando, quòd ſcribendo cuncta notaret. Clemens papa primus ſeptem notarios, per totidē Vrbis regiones inſtituit, ad res geſtas martyrū diligenter ſcribendas. Quibus notarijs ſeptē ſubdiaconos ab ſe recēs creatos imminere iuſsit Fabianus, vt accuratè munus ſuū implerēt. Quibus ne, pace eccleſiæ parta, & martyrio ſublato, deſides eſſent, Iulius papa iniunxit, vt notitia, quæ omnibus fidem faceret, per eos colligeretur, & vt omniū monumentorū in eccleſia confectio, notariorū, & ipſius primicerij munus eſſet (ita enim ipſorū primus, quem aliquādo cācellarij munus obijſſe obſeruaui, vocabatur) hæc aūt, quò ad cautiones, inſtrumenta, donationes, cōmutationes, teſtamēta, colligationes, & manumiſsiones intelligi voluit. Hi aūt notarij, dicti ſunt regionarij: quia per ſeptem regiones diſtincti muneri ſuo vacabāt. Quorum vſus diu māſit. Qui etiam inter cætera populo per Vrbem (vt hodie curſores faciunt) denunciabāt, quādo papa Litanias, id eſt, pro-



ceſsiones, vel ſupplicationes facere, aut vbi Miſſam celebrare, vel ſtationem indicere conſtituiſſet. Aucto deinde notariorū numero, qui ex ſeptem illis primis fuerūt notarij regionarij, vel protonotarij vocati ſunt: reliqui notarij ſimpliciter. Notarijs porrò munus ſuum promiſcuè exercentibus additi ſunt XII. ſcriniarij, qui rebus eccleſiaſticis ſcribendis tantùm, quæ à cancellario, vel protoſcriniario pontificis nomine dictabantur, vocabantur, vt bullæ, priuilegia, actiones conciliorum, & ſimilia. Frequenter tamen accidit, vt vna perſona duo hæc officia ſubiret, eſſetq; ſcriniarius S. R. E. & notarius regionarius.

PRIMICERIVS IVDICVM. Multi in vrbe iudices erant, qui de controuerſijs, & litibus populi Romani cognoſcebant, quorum primus iudicum primicerius vocabatur.

NOMENCLATOR. Cuius in Romano ordine mentio eſt, à nomine calando, id eſt, vocando, appellationem obtinuit, qui memoriter vnumquenque vocare didicit, vtputà in foro reos, in conuiuio conuiuas, quo ſenſu in ordine Romano accipitur.

## SACRAE AEDES, ET EARVM PARTES.

ECCLESIAE. Vetuſtiſsimus, ac ab ipſis apoſtolorū temporibus mos in religione noſtra viſitari cœptus eſt, vt Chriſtiani homines, quocunque orbis terrarū loco eſſent, ad res ſacras, quæ ad Chriſti fidem pertinebant, tractandas, & diuina myſteria celebranda, in vnū certum locum conueniri ſolerent. Cœtus autem illos publicos plurium fidelium in vnum congregatorū eccleſias voce Græca, id eſt, congregationes appellabant. Ioānes epiſt. III. Eijcit eos (inquit) ex eccleſia, ſeu cōgregatione, & Paulus I. ad Corinth. XIIII. Sicut vbique in omni eccleſia doceo, & cap. IIII. Mulieres veſtræ in eccleſijs taceant. Conuentus aūt hos ſacros celebrare, ſic notare ſolebant apoſtoli. Conuenire ad audiendum ſermonem Dei. Conuenire ad frangendum panem. Conuenire in vnum. Oportuit aūt veteres Chriſtianos in locis, & ædificijs certis cōuenire. Sed ea priſcis eccleſiæ tēporibus nō vbique fuerūt eiuſdē generis. Nā tum in templo Salomonis Hieroſolymis, tum in ſynagogis publicis Iudæorū, tum in ſcholis, tum in priuatis diuerſorū fidelium ædibus, prout Chriſtianis initio cōmodius fuit, publicos cōuentus, vt ex actis apoſtolorū conſtat, egerunt. Cæterùm creſcēte religione Chriſtiana, eaq; per vniuerſum ferè orbem terrarū ſeſe diffundente, tum Romæ, tum per omnes prouincias, ædificia aliquot publica, tenuia & exilia primùm, deinde pace eccleſijs à Conſtantino Imperatore, ſublatis impijs perſequutionum edictis, data magnifica, & varijs ornamētis referta, extructa ſunt, quæ à congregationibus, quas in illis publicè Chriſtiani frequentabant, eccleſiæ vocatæ fuerunt, quum res continens appellationem à re cōtenta ſuſcepiſſet. Dicebantur etiā Dominica, ſiue Baſilicæ, & Templa, Iudaico & gentili more, quòd ad templorum, & baſilicarum gentilium ſimilitudinem ædificata eſſent. Vocabantur etiam Domus Dei, Domus orationis, oratoria, & martyria: quòd in his, & Deus à fidelibus deprecaretur, & Martyrum memoria ſacroſanctè coleretur. Romæ quoque præter ſupradicta nomina, Tituli, parœciæ, & diaconiæ appellabantur, vt infrà dicam. Hæc ædificia per ſingulas vrbes pluria, aut pauciora, tam intus, quàm extra mœnia, ſecundum loci qualitatem magnifica, vel parua erāt.

TITVLI ſunt ſacrę ædes, templa, vel (vt hodie dicitur) eccleſiæ, ſiue ſacra loca in Dei, & Sanctorum memoriam erecta, & per Vrbis regiones à Romanis pōtificibus antiquitùs diſtincta, in quibus animarum cura à presbyteris in eiſdem commorantibus habebatur. Quibus qui præerant, presbyteri appellabātur Cardinales, id eſt, principales, ſimilitudine à quatuor ventis cardinalibus, hoc eſt, vt ait Seruius Grammaticus ſuper Vergilium, principalibus, deducta. Quum enim in vno quoq; titulo plures eſſent clerici, qui ſacramenta populis exhiberēt, vel exhibentibus præſto eſſent, vt ſubdiaconi, diaconi, presbyteri: is, qui omnibus præerat, Presbyter à cæteris clericis illius tituli, vel à Romano pontifice creatus, dicebatur Cardinalis: quòd omnibus dignior, principaliórue eſſet in eo titulo cōmorantium, cæteroſq; clericos regeret, vel gubernaret in titulo ſibi cōmiſſo viuen-

viuentes. De quorum origine breuiſſimè tractaturus, rem paulò altius repetam. Quum beatiſſimus apoſtolorum princeps Petrus Catholicæ Romanæ eccleſiæ Pontifex primus, ſacerdotio in Orientalibus eccleſijs, præcipueque Hieroſolymis, & Antiochiæ ritè inſtituto, in Vrbẽ Romanam, eccleſiã fundaturus veniſſet, ex omnium fideliũ multitudine, præcipuiſque noſtræ religionis cultoribus, viros quoſdam ſeniores, bonum teſtimoniũ ab his, qui foris ſunt, habentes, plenoſq; Spiritu ſancto, & ſapientia, ſpectatæ fidei, & raræ probitatis, Hieroſolymitanæ, cæterarumq; eccleſiarum Orientalium more, delegit, (hi clerici appellati ſunt) quos per manuum impoſitionem, partim presbyteros, & partim diaconos conſecrauit: quorum opera pontifex ipſe, ſiue epiſcopus Romanus, in inſtruenda, creſcente tunc eccleſia, vteretur: quum ei tot millibus hominũ ad fidẽ Chriſti quotidie venientium, conſulere non eſſet integrum. Porrò autẽ presbyterorum, & diaconorum munia, vt pro ſe quiſque ſuum officium & noſceret, & impigrè faceret, diuidere in primis conducibile viſum fuit. Itaque ſummam rerũ, animarum ſcilicet curãdarum, negocium Presbyteris commiſit, vt ſacramenta eccleſiaſtica plebi Dei adminiſtrantes, orationi, & miniſtrationi verbi cum epiſcopo vacarẽt. Diaconis autẽ viduarum, pupillorum, & reliquorũ pauperũ fidelium ſubueniendorum curã demandauit, eiſq; iniunxit, vt presbyteris quoque ſacrafacientibus præſto eſſent. Quorum omniũ numerus, quum prius modicus, & incertus eſſet, ei modũ ſtatuêre Cletus, & Euariſtus Romani pontifices. Cletus enim (vt auctor eſt ex Damaſo Bibliothecarius) presbyteros ad certum numerũ redegit. Euariſtus verò apoſtolorũ more ad ſeptenarium numerũ Diaconos in Eccleſia Romana auxit, quibus etiam iniunxit, vt epiſcopum prædicãtem, propter ſtylum veritatis, cuſtodirent. Porrò autẽ, ne presbyterorũ adminiſtratio in promiſcuo eſſet, idẽ Euariſtus, qui tertius poſt beatum Petrũ apoſtolum Romanus pontifex fuit, circiter annum à Chriſto nato centeſimũ, titulos vel (vt nunc dicimus) parœcias in Vrbe Roma ipſis presbyteris diuiſit, vt ſinguli à ſe inuicẽ ſecreti, in ſua Vrbis regione, titulo vel parœcia, confuſionis tollẽdæ cauſa diuina myſteria, populum erudientes, ſacramenta Dei omnibus ad ſe veniẽtibus fidelibus exhiberent, ſinguloſq; presbyteros in vnoquoq; titulo. Sufficere enim tũ viſum eſt is numerus, propter credentiũ paucitatem. Verùm non longè pòſt fidelium quotidie creſcentiũ multitudine, permotus Hyginius Romanus Pontifex, quum tot credẽtibus non ſufficerent, hi, plures in vnòquoq; titulo, quum clericos, tum presbyteros eſſe voluit. Hinc autẽ presbyterorum Cardinalium nomen manaſſe crediderim, vt is ſcilicet eſſet presbyter Cardinalis, id eſt, principalis, qui cæteris presbyteris eiuſdẽ tituli (quos plures ab Hyginio factos fuiſſe dixi, quum prius vnus tantum per ſingulos titulos Presbyter fuiſſet) præeſſet. Satis enim conſtat, aliquot annis pòſt, ante etiã S. Silueſtri Papæ tẽpora, Cardinalis nomen in eccleſia Romana vſitari cœptum fuiſſe: quod nõ niſi ex Hyginij inſtituto oriri potuit, quum anteà eo nomine vti opus nõ eſſet, quòd nõ, niſi vnus per ſingulos titulos presbyter fuiſſet. Poſt Hyginij tẽpora in presbyterorum Romanorum titulis nullã mutationem factã inueni, vſq; ad Dionyſij papæ pontificatum. Nã ſub annũ Chriſti CCLX. Dionyſius XXV. poſt Petrum apoſtolum pontifex Romanus Euariſti exẽplum ſequutus: quum iã religio Chriſtiana mirũ in modum in Vrbe creuiſſet, denuo titulos, vel parœcias in Vrbe Roma, quũ eas ampliaſſet, Presbyteris diuiſit, ipſaſque, quò quiſq; ſuis finibus, limitibuſq; contineretur, diſtribuit, pluribus per ſingulas, vt Hyginius fecerat, presbyteris conſtitutis: presbyterorũ quoq; eccleſiæ Romanæ curæ, cœmetria adiunxit: quæ quũ plura eſſent, ea inter presbyteros diſtribuit gubernãda, vt martyrum ſepulturis conſultum eſſet. Verùm non longè pòſt circa annum Chriſti CCCV. Marcellus XXIX. poſt Petrum apoſtolum Romanus epiſcopus titulos Vrbis Romæ, ab Euariſto antiquitus, & primò presbyteris datos, numero limitauit, decreto ſtatuens, XV. aliâs XXV. in Vrbe Roma quaſi diœceſes eſſe ad Baptiſmatis commoditatem, eorumque opportunitatem, qui ad fidem ex gentibus quotidie veniebant, quin vt etiam martyrum ſepulchris conſuleretur, vt auctor eſt ex Damaſo Bibliothecarius. Titulos autẽ Romanos, ſiue parœcias, ceſſantibus perſequutionibus, adauxere, presbyteroſq; plures in ſingulis conſtituêre: Silueſter, qui titulum Equitij: Marcus, qui titulum S. Marci: Iulius, qui titulum S. Mariæ Transtyberim: Damaſus, qui titulum Sancti Laurentij: Innocentius, qui titulum Veſtinæ fecerunt, & reliqui pontifices Romani. Quum enim primò infinita gentilium multitudo, mox Vrbs, & Italia omnis fidem Chriſti ſuſcepiſſet, nõ ſufficientibus XV. Titulis, nec his, qui in eis reſidebant, presbyteris, tum ob neceſſitatem, tum ad Vrbis, & Romanæ eccleſiæ ornamentum, & maieſtatẽ, & Titulorum, & presbyterorum in vnoquoque numerus auctus eſt: factiq; ſunt tituli. XXVIII. quem numerum nunquam exceſſiſſe vſque ad noſtra tempora ſatis conſtat. Qui omnes, quum eccleſiæ eſſent: vel templa Diuis dicata, nomen ſortiti ſunt: vel à ſanctis, quibus dedicati erãt, vt S. Chryſogoni, S. Cęcilię, S. Anaſtaſiæ, S. Marci, & ſimilium: Vel ab eis hominibus, qui ipſos erexerunt, vt Calliſti, Damaſi, Equitij, Paſtoris, Veſtinæ, Eudoxiæ, Lucinæ, Tigridæ, Pammachij, & ſimilium. Porrò autem XXVIII. Titulorum numerum circa Innocentij primi, vel Zoſimi papæ tempora expletum fuiſſe, multis coniecturis, & rationibus ductus crediderim. Neq; enim facilè poſt Zoſimum papam inueniri poteſt, aliquem Romanorum pontificum titulum quendam nouum addidiſſe, ſed eos, vel mutaſſe, vel reſtituiſſe, aut tantum exornaſſe.



PAROECIA, ſiue PAROCHIA, idem eſt, quod titulus, ſcilicet ſacra ædes, vbi animarũ cura à presbyteris gereretur: qui parochi dicti ſunt, id eſt, curati. Parœcia autem dicitur accolatus, ſiue accolatum cõuentus, ſacraq; vicinia: nam παρὰ iuxta, οἶκος domus: vbi ſcilicet ſunt domus contiguæ. Auguſtinus lib. XIIII. de Ciuit. Dei, Presbyter fuit quidam nomine reſtitutus in parœcia Calamenſis eccleſiæ. Et parœci ſunt accolæ. Quare qui ſacram ædem aliquam accolunt, parœci dicti ſunt, eiuſdem ſcilicet fani conſortes: Latinè curia, & curiales, & curiones dici poſſent. Qui parochiam vocãt, eam vocem à parocho deducũt, ἀπὸ τοῦ παρέχειν, hoc eſt, à præbẽdo. Erant enim parochi, qui legatis Romã publicè venientibus, cæteriſq; alicuius dignitatis hoſpitibus ſalẽ, & ligna præparabãt, vt exponit Acron ſuper illud Horatij I. ſerm. ſatyra V. Tum parochi, qui debẽt ligna ſalẽq;. Hi Latino vocabulo copiarij dicti ſunt, vt auctor eſt Porphirius, quòd omnium rerum neceſſariam copiam regum populorũq; legatis ſuppeditabãt. Nam quamuis Horatius, loco iam citato, ſalis tãtùm, & lignorum meminerit, tamen, vt ibidem animaduertit Acron, ſub illarum ſpecierũ appellatione, omnia hoſpitibus neceſſaria, voluit intelligi. A parocho parochia dicitur, quibus ſingulis ſacerdotes ſui deſtinati ſunt, ad oblationem ſcilicet ſacroſancti corporis, & ſanguinis Chriſti, ſub panis, & vini ſpeciebus.

DIACONIAE à diaconis dictæ ſunt. Erant hæ publicæ pauperum hoſpitales domus, quæ oratoria, & ſacella adiuncta habebant, in quibus à patre diaconiæ, ſiue diacono egenis neceſſaria ſubminiſtrabantur. Nam diaconi, inopia laborantium, viduarum, & pupillorum miniſtri erant, hiſq; domibus hoſpitalibus præerãt. Antiquitus in Romana eccleſia per ſingulas vrbis regiones diaconi diſtincti erant, diaconiq; regionarij vel talis, & talis regionis appellabãtur. Pòſt eorum præcipuo vſu exoleſcente, & hoſpitalibus domibus ipſorum negligẽtia dirutis, ipſorum ſacella, vel ædiculæ ſuperfuerunt, quæ diaconiæ nomen retinuerunt, à quibus diaconi Cardinales vrbis Romæ poſteà denominationem habuerunt, ſic: Diaconus cardinalis SS. Coſmæ, & Damiani, vel S. Theodori.

XENODOCHIVM idem eſt, quod domus publica hoſpitalis, qua peregrini hoſpites, & egeni hoſpitaliter recipiuntur. Hieronymus: Xenodochium in portu Romano ſitum, totus pariter mundus audiuit. His qui præerat, Xenodochus dicebatur.

MONASTERIA à ſolitudine dicta, quæ olim in locis abditis, & ab hominum commercio procul remotis cõdi ſolebant, ijs hominum cœtibus alendis, qui etiam à ſolitudine monachi dicti ſunt, vbi contemplationi vacantes ſoli commorabantur.

GREMIVM BASILICAE vocat Bibliothecarius, medianam baſilicæ partem, quam nos maiorem nauim dicimus.

CAME.

CAMERA. Bibliothecarius in vitis pontificum Romanorum frequenter baſilicarum variarum Cameras profitetur, vt Lateranenſis, & aliarum, quas etiam ab ijſdem pontificibus exornatas ſcribit. Eas opinor ego fuiſſe ſacraria, vel quid eiuſmodi baſilicis adiuncta.

ABSIS, ſiue APSIS, propriè eſt curuatura rotæ, id eſt, lignum ſuper rotas tenens ſcalas, vel in quo figuntur radij, vel ligneus rotæ circulus, quo ſignificatu alij primam aſpirant ſic, Haſpis ab ἅπτω, id eſt, à tangendo, quòd ea pars, quum tota voluitur, terram contingat. Hoc etiam nomine ſignificatur fornicis curuatura, & aliquando integra fornix. Hinc eccleſiaſtici ſcriptores, quam nos eccleſiarum tribunam vocamus, habſidem vocant.

CONFESSIO, quod verbum in Bibliothecario, & alijs eccleſiaſticis ſcriptoribus frequentiſſimum eſt, idem apud Latinos ſignificat, quod apud Græcos martyrium. Hi enim eccleſias Deo priuatim dicatas dominica, martyribus verò martyria vocabant, hoc eſt, in quibus martyrum corpora iacerẽt, aut eorum memoria coleretur. Hinc baſilicam Vaticanam Apoſtolorum martyrium vocat Ioannes Chryſoſtomus. Quia verò martyr Græcè, Latinè à Cypriano confeſſor, ſiue teſtis exprimitur, à cõfeſſore Cõfeſſio manauit, vt à martyre martyriũ. Eſt verò confeſſio eccleſia, in qua confeſſorum, hoc eſt, martyrum memoria coleretur. Quos enim nos enim nos modò martyres, veteres patres, in his Cyprianus, cõfeſſores appellant, quòd in tormentis citra mortem intrepidi Chriſtum confeſſi eſſent, epiſt. VII. lib. II. Cleri Romani ad Cyprianum epiſcopũ. Quanquam confeſſorum quoque, quos hic adhuc in carcere dignitas ſuæ confeſſionis incluſit. Item epiſt. VI. lib. II. Cypriani ad martyres, & confeſſores: Exulto lætus, & gratulor fortiſſimi, ac beatiſſimi fratres, cognita fide ac virtute veſtra, in quibus mater eccleſia gloriatur, gloriata & nuper quidem cum confeſſione perſtante ſuſcepta pœna eſt, quæ confeſſores Chriſti fecit extorres. Confeſſio tamen præſens quantũ in paſſione fortior, tantùm clarior, & maior in honore eſt. Creuit pugna, creuit & pugnantium gloria. Nec retardati eſtis ab acie tormẽtorum metu, ſed ipſis tormentis magis eſtis ad aciem prouocati, fortes, & ſtabiles ad maximi certaminis prælium prompta deuotione prodijſtis, ex quibus quoſdã iam comperi coronatos, quoſdam verò ad coronam victoriæ proximos, vniuerſos autem quos agmine glorioſo carcer incluſit, pari ac ſimili calore virtutis ad gerendum certamen animatos, ſicut eſſe oportet in diuinis caſtris milites Chriſti, vt incorruptam fidei firmitatem, non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus ac tormenta deuincant, quia maior eſt, qui in nobis eſt, quàm qui eſt in hoc mundo: & alibi paſſim, qui Chriſtum in tormẽtis & carcere, citra mortem tamen confeſſi fuerant, modò confeſſores voce Latina, modò etiam voce Gręca martyres appellat. Antiquitus igitur confeſſio idem erat quod martyriũ, ſcilicet eccleſia in martyrum honorem conſecrata. Nunc verò in omnibus totius orbis terrarum Chriſtianorũ eccleſijs, quæ duplices ſunt, ſuperior ſcilicet, & inferior (quales multæ per totam Lombardiam & Italiam, Romę etiam modò extant, & plures extabant) appellatur vſque hodie inferior eccleſiæ pars ſub altari maiori edificata, vt Parmæ in cathedrali, Veronæ ad Sanctum Stephanũ, Romæ ad Sanctam Priſcam, S. Martinum in Montibus & alibi. Earum ſimilitudine confeſſio dicitur locus imus ſub gradibus, & altari maiori eccleſiarum S. Petri, S. Pauli, Lateranenſis, S. Laurẽtij extra muros, S. Mariæ Maioris, & aliarum. Quæ confeſſio non ſine materiali eccleſia fit. Quod etiam probatur capite vigeſimo Concilij Gangrenſis, ſic: Si quis ſuperbiæ vſus affectu conuentus abominatur, qui ad confeſſiones martyrum celebrantur, & miniſteria, quę in eis fiunt, ſimul cum eorum memorijs execratur, anathema ſit. Ita vna verſio. Alia verò quæ per confeſſiones martyrum intelligit, apertiſſime exponit baſilicas Sanctorum martyrum. Sic enim ait: Si quis per ſuperbiam tanquam perfectum ſe exiſtimans, conuentus, qui per loca & baſilicas ſanctorum martyrum fiunt, accuſauerit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur ſpernendas eſſe crediderit, memoriasq́; Sanctorum contemnendas anathema ſit. Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Xyſti III. papæ: Xyſtus papa (inquit) fecit confeſſionem





beati Laurentij martyris cum columnis porphyreticis, & ornauit tranſcenã. Fecit quoq; ibi ad confeſſionẽ, altare S. Laurentij de argento puriſſimo librarum quinquaginta, cancellos argenteos ſupra Platonias porphyreticas librarũ CCC. abſidam ſuper cancellos, cũ ſtatua beati Laurentij argẽtea librarũ ducentarum.

AMBO dicitur ſuggeſtus, ſeu pulpitum marmoreum, ex quo lector, ſeu diaconus lectionem, ſeu euãgelium recitabat. Quos multos & magnos, & pulcherrimis tabulis marmoreis ornatos per Vrbis eccleſias, & præſertim apud S. Paulũ videmus, quẽ locum D. Cypriani lib. IIII. epiſt. V. honoris cauſa tribunal quodam eccleſiæ appellauit: ab ambiendo dictum volunt, quòd locus ille vtrinque gradibus ambiatur. Nã in quibuſdam eccleſijs duo graduum ordines viſuntur: vnus à ſiniſtris, quo fit aſcenſus verſus Orientem: alter à dextris Occidẽtem ſpectans, quo fit deſcenſus. In quibuſdam verò alijs eccleſijs Diaconus vna, ſubdiaconus altera via in pulpitum, ſeu ambonem conſcendit. Expoſitor Romani ordinis Ambonem hãc appellationem ideo habere tradit, quòd ambiat, & cingat, intrantẽ. Sed verius eſt Græcam eſſe vocem ἄμβων ἄμβωνος, quæ inter cætera ſignificat aſcenſum, & locum editum, à verbo ἀναβαίνω, quod eſt aſcendo. Cap. XV. Cõcilij Laodicenſi, quod Græcè eſt τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, Latinè legitur, qui pulpitum aſcendunt.

## SACRARVM AEDIVM ORNAMENTA.

PATENA, ſiue PATINA, eſt genus vaſis, à patendo dictum, quo dapes in menſam feruntur. Dicta à Columella patena lib. XII. cap. XLIII. Columella (inquit) patruus meus, ex ea creta, qua fiũt amphoræ, lata vaſa in modum patenarum fieri videbat. Harum vſus in primitiua eccleſia in oblatione coris Domini inſtitutus, adhuc vſq; perſeuerat. Illud intereſt, quod hodie paruæ, antiquitus magnæ conficiebãtur ex auro, & argento, vt Euchariſtiam pro tanta multitudine ſuſcipere capaces eſſent.

CALICES. In vitis pontificum Damaſi, & Bibliothecarij, & præſertim in vita S. Silueſtri frequenter mentio eſt calicum maiorum, & minorum, & miniſterialium, quos pontifices, & Imperatores, in his præſertim Conſtantinus in eccleſijs ab ſe conſtitutis, aureos & argenteos contuliſſe leguntur. Miniſteriales ideo dicti, quòd adminiſtãdo ſanguinem Chriſti populo deſeruirent. Remigius archiepiſcopus Remenſis, quum eiuſmodi calicem miniſterialem fieri iuſſiſſet, in ipſius circuitu hoſce ab ſe editos verſiculos poſuit:

*Hauriat hinc populus, vitam de ſanguine ſacro*
*Iniecto, æternus quem fudit vulnere Chriſtus,*
*Remigius reddit domino ſua vota ſacerdos.*

AMVLAM, aliàs AMAM, quidam interpretantur phyalam ad vrceoli ſimilitudinẽ. Certè quo loco III. Regum VII. Græcè legitur φυάλας, noſter interpres vertit amulas. Expoſitor ordinis Romani: Amula (inquit) vas eſt, in quo vinum offertur: cuius generis vaſa fuſilia fecit Rex Solomon DCCC. ſicut Ioſephus teſtatur, &c. Sed in geſtis pontificalibus legitur religioſos quoſq; Imperatores, principes, atq; põtifices tantum numerum, de amulis, atq; patinis, ſeu alijs vaſis atq; ornamentis eccleſiaſticis ad honorem Dei obtuliſſe illi, atq; illi eccleſiæ, quanta poſſibilitas fuit vnicuiq; pro ſua deuotione. Nonnunquam, & amæ dicuntur, & per aſpirationem hamas nõnulli legunt. In vitis Pontificũ Bibliothecarij frequẽter legitur, hamas argẽteas, & aureas donatas miniſterio diuino. Hinc hamula, & hamulula deductæ. Columella in cultu hortorum:

*Aut habilem lymphis hamulam Bacchi ve lagenam.*

Hodie etiam hamula ab Italis dicitur vulgo vaſculum vitreum ad vſum aquæ, & vini, & præſertim in ſacrificio Miſſæ.

COLATORIVM, hoc erat vaſculum quoddam ſubtiliſſimis foraminibus ab imo perforatum, quo vinum ex hamulis calicem refundebatur.

PVGILLARES inter inſtrumẽta ſacra, quæ Põtifici ad ſtationẽ procedenti præferebantur, numerantur pugillares aurei ſiue argentei. Videtur aũt ea ætas pugillariũ nomine intellexiſſe ſtylo, ſeu graphia, ſiue etiã pennas, vel calamos,

quibus litterę deformãtur,&ex hac ſimilitudine fiſtulas,ſeu cannas,quibus ſanguis è dominico calice exugebatur,quũ ꝓpriè pugillares ſint ipſæ tabulę,in quibus ſcribi cõſueuit,q̃ Græcè πιναχίδια dicuntur.Eiuſmodi pugillariũ ſeu fiſtularũ argentearũ,&aurearum, quũ hæ antiquitus cuncto populo in cõmunione ſanguinis Chriſti deſeruirẽt, hodie ſolus Romanus põtifex vſum adhuc obſeruat.

SCYPHI,METRETAE,HYDRIAE, ſunt vaſa diuino miniſterio ab Imperatoribus,& pontificibus oblata, quæ frequẽter Bibliothecarius cõmemorat. Scyphus aũt vaſis potorij genus erat,quod propriè Herculi attribuebatur, quẽadmodũ Cantharus Libero patri: Quo veteres in ſacris & in cõuiuijs vſi ſunt. Vergil. IIII. Aeneidos: Et ſacer impleuit dextrã ſcyphus. Horat. epod.IX. Capaciores affer hic puer ſcyphos. Metreta etiã genus vaſis fuit, cõſtans ex duobus batis, id eſt, decẽ congios,vel ſexaginta ſextarios comprehendens. Et quod Dioſcorides metretam vocauit,Plinius cadum tranſtulit. Alij metretam amphorã dicunt. Hydria verò vas aquarium erat,à Græca voce ὕδωρ,id eſt,aqua,dicta.

THYMIAMATERIVM, quod Latinè Acerra dicitur, vas erat,in quo odores ſuauiſſimi thymi,herbæ odoratæ,naturã referentes in ſacris, incendebantur.

PELVIS,quaſi Pedaluis(vt Varro inquit) à pedum lauatione vas dictum. Alij peluim à pellucendo dictam tradunt, putantq́; ſinum eſſe aquarũ, in qua variæ res pelluntur.Iuuenalis ſatyra III.

Vt ſint contentæ patulas effundere pelues.

Veteres Chriſtiani vaſa,quibus in baptiſmo vtebantur,pelues appellabant.

PHARA, Damaſus, & Bibliothecarius in Romanorũ Pontificũ, & p̃ſertim S.Silueſtri vita,phara cãthara,ceroſtota,coronas,delphinos,lychnos,&lychnuchos,pro diuerſi generis lãpadibus,& lucernis in eccleſijs ardẽtibus, acceperunt.

Pharus igitur inſula,&turris ampliſſima in portu Alexãdrino ſita erat,ſaluti nauigantium condita,quæ nocturnis ignibus portũ ijs monſtrabat.Solinus ſcribit,ab hac turri pharo,pharos poſteà vocari machinas in portibus ad prelucendi miniſterium fabricatas: quoniã ex hac pharo Alexãdrina, naues nocturnis facibus accenſis,dirigebantur. Papinius:

Lumina noctiuagæ tollit pharus æmula lunæ.

Hegeſippus lib.IIII.tradit à Græcis Latiniſq́; pharõ appellari ex ipſius rei vſu, eò quòd longè videatur à nauigantibus, atque ἀπὸ τοῦ φάνου, quod ſignificat lucidum,& immutata littera pharos dicitur. Hinc hodie triremium Lanternæ fanones & fanales vocantur,& turres in portubus Neapolitano Meſſinenſi,& Genuenſi lumina nocturna ſuſtinentes, Phari dicuntur. Eccleſiaſtici igitur ſcriptores hac voce ſuggeſtus aureos,&argenteos in modũ turrium,vel columnarũ vocabant,quibus annexi erant certũ lychnuchorum genus,quod Delphinũ vocabant.Ita enim ſcribitur:Fecit pharum vnũ cum X. delphinis. Pharũ porrò etiam coronam vocabãt,fortè quòd rotundus eſſet. Fecit,inquit Bibliothecarius, coronam,id eſt,pharum cantharũ,cum delphinis quattuor oleo ardẽtibus, vbi illud animaduerſione dignũ eſt, quòd quanquã idem ferè eſſe lychnuchum, & delphinũ dixerim,nonnihil tamen inter ſe differre opus fuit. Nam delphini ardentes,cum pharis cantharis,vel cũ coronis,coniunguntur: lychnuchi verò cũ lucernis. Cur autẽ pharus cantharus dicatur,haud certò ſciò, niſi in formã vaſis magni factũ fuerit in extrema parte. Nam poculũ fuit, quod Baccho tribuebatur,ſicut ſcyphus Herculi dictus à cãtharo, quod erat nauigij genus. Plinius lib. XXXIII.cap.XI. refert,Marium poſt victoriam Cimbricã cantharis potaſſe, Liberi patris exemplo. Virgilius:

Et grauis atrita pendebat cantharus anſa.

Vlpianus tradit cantharos eſſe, per quos aquæ ſaliunt.

Præter pharũ cantharum, in eodẽ ferè ſignificatu Bibliothecarius enumerat Ceroſtota,& canthara ceroſtota, quæ lucernæ fortè erant in modũ cornu factæ à κέρας,quod eſt cornu,dicta. Vt aũt delphini coronis, & pharis cantharis ardentibus attribuũtur, ſic lychni, vel lychnuchi lucernis. Eſt enim lychnus Græcè, Latinè lucerna. Sed Bibliothecarius lucernã pro lychnorũ ſuſtentatione, ſiue candelabro accepit. Lychnum verò ſeu lychnuchum pro lampade ipſa ardente.





GEMELLIONES aurei,&argentei dicuntur, qua voce, quid ſignificari poſſit,niſi vrceoli,vel ampullæ ſint,non inuenio.

## SACRARVM VESTIVM GENERA.

ANABOLAGIVM, aliàs ANABOLADIVM, à verbo Græco ἀναβάλλομαι,quod eſt,ſupra iaceo,vel reijcio, appellabãt amictum album lineũ, qui, quòd humeris imponeretur,ſuperhumerale etiã vocabatur.

ALBA, ſcilicet veſtis,vel camiſia,hodie dicitur Camiſium.

CINGVLVM à cingendo,chorda,qua Pontifex cingitur.

ORARIVM vocabant eam faſciã,quam nos ſtolam dicimus: alij velũ,cui Romanus põtifex,& archiepiſcopi palliũ ſuper humeros imponũt,orariũ vocãt.

MAPPVLAM verò,quam hodie manipulum appellamus, quæ à mappa, qua manuum ſordes in menſa abſtergimus,dicta eſt.

COLOBIVM eſt veſtis ſine manicis, ac mutilata, à κολοβὸν verbo Græco, quod breue,mutilatum,truncum ſignificat,dicta.Qua olim virgines vtebãtur, & ſancti patres,vt Paulus Heremita. Expoſitor Romani ordinis in candidiſsimo(inquit) habitu colobionis,quo vel apoſtoli,vel apoſtolici viri vſi ſunt,quũ culparetur à quibuſdam nuditas brachiorum. Silueſter papa inſtituit, vt in eccleſiaſtico miniſterio diaconi delmaticas, id eſt, tunicas manicatas, & candidas induerẽt,quales teſtatur Iſidorus epiſcopus in Delmatia primùm cõtextas, qua etiã vſi ſunt veteres.Lãpridius in Cõmodo,Delmaticatus in publicũ proceſsit.

CASVLA, aliàs PLANETA, genus veſtis, in ſacris à Chriſtianis ſacerdotibus vſurpata,ἀπὸ τῆς πλάνης,id eſt,ab errore dicta. Quoniam quum latiſsimo initio,& ſine manicis eſſet,eius limbus ſuper brachia,& ſcapulas proiectus,errabundus totum corpus circumiret. Hodie ab vtraque parte conciſa, antè & retro tantùm producitur vſque ad talos.

PALLIVM eſt faſcia ex candida lana contexta, habens deſuper circulum humeros conſtringentem,& duas lineas ab vtraque parte dependentes quatuor purpureas cruces,antè,retrò,à dextris & à ſiniſtris:duplex quidem à ſiniſtris,ſimplex à dextris,cui in tres partes conciſo, tres acus infiguntur, quibus conſuitur. Quæ omnia moralibus ſunt repleta myſterijs, quorum explicationẽ vide apud Innocentium III. lib. X.cap. XII. de ſacro altaris myſterio. Dictũ aũt eſt,vt puto, à verbo Græco πάλλομαι, quod eſt vibror, agitor: nam circũ collum ſuper humeros vibrabatur,agitabatur,circumuoluebatur.In VIII. Synodo Conſtantinopolitana IIII.poſteriore ſub Ioanne VIII.papa celebratur,Seſsione prima,palliũ vocatur ἀρχιερατικὴ στολή, hoc eſt põtificalis ſtola. Vbi illud ſcitu dignũ, qđ in ea ſynodo exponitur, quomodo Ioãnes VIII. papa Photio mittebat palliũ & Sandalia, vt oſtẽderet,ſe eum in patriarchali Cõſtantinopolitana ſede ſuſcipere. Vbi ſunt hæc verba: Quod Dominus noſter Apoſtolicus admittit Domnũ Photiũ in patriarchã, teſtatur põtificalis ſtola, à ſummo põtifice Domino noſtro Ioanne ad eum miſſa, quã propterea direxit,vt oẽs intelligant,& certo ſciant,Domnũ Photium recipi à ſummo pontifice in patriarchã: cumq́; hoc dixiſſet, dedit Photio põtificalem ſtolã, humerale indumẽtum,penulam,& Sandalia. Paſchalis II. papa: Pallium (inquit) eſt inſigne archiepiſcopalis dignitatis,quod aſſumitur de corpore,id eſt,de altari B.Petri,in ſignũ vnitatis apoſtolicæ ſedis. Quod archiepiſcopo electo apoſtolica ſedes non tradit,niſi prius pręſtet pro fide,obedientia,& vnitate iuramentũ. Antiquitus candidi agni ſine macula nutriebãtur à monialibus albis S.Andreæ prope S.Marcellum de Vrbe, poſteà ea cura ad moniales S. Hagnetis extra Vrbẽ Via Nomentana translata fuit: hodie eſt monialiũ turris ſpeculi. Qui dominica in albis circuibant altare S.Petri. Ex eiuſmodi agnis ſumitur lana,de qua per eaſdẽ virgines pallia texuntur,quæ Papæ & archiepiſcopis per manũ primi diaconi initio ipſorũ promotionis dari ſolẽt. Qui niſi accepto pallio,neminẽ epiſcopũ cõſecrare poſsũt.Eo etiã, præter archiepiſcopos, vtũtur epiſcopi quidã ex priuilegio, vt Lucẽſis,& ex decreto Marci papæ Oſtienſis,in cõſecratione Romani põtificis.Gregorius papa vetuit aliquid pro ſuſceptione pallij ſolui.Quod decretũ confirmarunt Leo II. & Vrbanus II.ſummi pontifices.

MITRA, ſeu MITHRA, à Perſis ſol dicitur, aliquãdo pro primario ſacerdote ponitur, vt apud Appuleium lib. vltimo; ipſumq; Mithram illum ſuum ſacerdotalẽ præcipuum ſacrorum miniſtrum decernit. Mitra etiam ſine aſpiratione ſignificat quoddã capitis ornamenti genus, quo primùm Mœonij, deinde Aegyptij, Syri, Phryges, Lydij, & Perſæ vſi ſunt. Erat aũt pileum acutum. Accipitur & pro muliebri corona, ad ornatũ capitis adoleſcentularum, ex qua pendebant faſciolæ, quæ phylla dicebantur, quòd florũ inſtar dependerent. Virg. IX. Aeneid.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Epiſcopi Chriſtianorum mitra vtuntur, quũ rei diuinæ operam dant, quæ pileus lineus, vel è ſerico albo eſt, in altum porrectus, & in duas cuſpides diuiſus. Fiunt mitræ aureæ vnionibus, & gemmis ornatæ. Quarũ vſum in Romana eccleſia non ante ſexcentos annos eſſe opinor.

OFFERTORIVM, ſyndonem ſericeum, ſeu linteamen ſignificat, in quo populorum oblationes reponebantur, ab offerendo dictum: A quo etiã ea Miſſæ pars vocatur offertorium, quæ dicebatur tempore oblationis.

FANON etiam appellabatur linteamẽ illud, quæ vox Germanica eſſe videtur, à quibus vela illa ex haſtilibus dependentia fanen vſque hodie appellantur. Guilielmus Durantes, cum fanone candido exponit cũ mappula alba, & nitida. Hodie Veronæ in patria mea linteamina ſericia, & depicta ex haſtis dependentia, & in ſupplicationibus deferri ſolita, confanones vocantur.

NACVS pro naccho intellexerunt veteres Chriſtiani Romani pannũ laneũ rubrum, quo equorum ſellam, dum pontifex equitabat, cooperiebant, à verbo Græco νάχος, quod lanam ſiue vellus ſignificat, deriuatum.

# ONVPHRII PANVINII VERONENSIS, FRATRIS EREMITAE AVGVSTINIANI, DE STATIONIBVS VRBIS Romæ libellus.

QVum ſtationum rei in Vrbe notiſſimæ, admodum obſcura initia ſint, non alienum quoque à meo inſtituto fore exiſtimaui, ſi breuiter, quæ de ſtationibus collegi, in medium adferrem. Atqui vt à vocis ſignificatione initium ſumam: Statio propriè dicitur ipſe ſtandi actus, vnde omnes de quibus mox dicam, ſignificationes fluxere. Nã primùm ſtatio dicitur locus, in quo naues aut milites tutò ad tempus ſtant, vel in quo frequenter conſiſtunt. Id autem ex Virgilij Aeneidos II. & XII. atque è Q. Curtio intelligitur. Ille:

Nunc tantum, ſinus & ſtatio maleſida carinis. Item:
Frangere nec tali puppim ſtatione recuſo.

Item: cognitũ id per exploratores, qui ſtationes hoſtiũ fuerant ingreſſi. Hinc metaphoricè ſtatio pro temporaria habitatione accipitur. Cicero ad Atticũ lib. VI. Athenis ſtatio mea nunc placet. Sumpta eſt hæc trãſlatio à loco littorali, vbi naues ad tempus ſubſiſtunt. Statio etiam appellatur locus ad cuſtodiam aſſignatus, quando milites ſtantes vigilant. Virg. Aeneidos lib. IX.

Semantque vices ſtatione relicta.

Hinc milites ſtationarij. Statio quoq; dicitur officina, in quã multi conueniunt, vt de aliqua re decerni poſſit, vel vt ius dicatur. Gell. li. XIII. ca. XIII. Quæſitũ eſſe nemini in pleriſq; Romæ ſtationibus, ius publice dicentiũ. Et Iuuenalis Satyra XI - - - - omnis Conuictus, thermæ, ſtationes, omne theatrũ. Stationis nomẽ vel à militia Romana, vel ab alia harũ ſignificationũ tractũ, & vſurpatũ, vt alia multa in Chriſtianorũ veterum vſu hæſit. Nam quemadmodum milites ſtationem faciebant ſtantes, & præſidiũ certo in loco agitantes, ita & Chriſtiani. Tertullianus libro de oratione: Si ſtatio de militari exẽplo nomen accipit (nam & militia Dei ſumus) vtiq; nulla lætitia ſine triſtitia obueniens, caſtris ſtationes militum



militũ reſcindit. Et in libro de ieiunio aduerſus Pſychicos: Venit de exitu domini, quẽ etſi ſemper cõmemorari oportet ſine differentia horarũ, impreſſius tamẽ cum eis ſecundũ ipſum ſtationis vocabulum, addiſcimus. Nã & milites nunquã immemores ſacramẽti magis ſtationibus parẽt, &c. Stationis enim voce ſignificabãt antiqui Chriſtiani actũ quendã corporis, quo in ſacris cõuentibus orãtes ſtabãt, nunc in hac baſilica, nunc in alia cõuenientes, nõnunquã apud martyria, id eſt, martyrũ ſepulchra, Deũ ſtantes, & attenti precabantur, quod præcipuè fiebat Dominico die. Tertulianus in libro de corona militis, de milite Chriſtiano loquẽs: Iam (inqt) & ſtationes aut alij magis faceret quàm Chriſto, aut & Dominico die quãdo nec Chriſto? Quę vt accuratius intelligãtur, illud ſcitu dignũ eſt, apud veteres Chriſtianos inter plura duo fuiſſe cõprecationum genera: Primũ, cùm genibus flexis: alterũ, cùm ſtãtes orarent. Hiſtoria de legione Fulminatrice Chriſtiana in expeditione Germanica M. Antonini, quæ exercitui in ardentiſſima ſiti pluuiã precibus à Deo (Tertulliano teſte in Apologetico & ad Scapulam) impetrauit, indicãt, orantes genibus flexis prouoluiſſe ſe in terrã, eumq; orandi ritũ antiquiſsimũ, & certiſsimũ fuiſſe, omnibus ſeculis apparet. Clemẽs vltimo ſtromatũ refert, orantes ſolitos abijcere ſeſe in terrã: quod de geniculis adorare in libro de Corona militis, & geniculatio in libro ad Scapulã vocat Tertullianus: Quãdo non (inquit) geniculationibus & ieiunationibus noſtris etiã ſiccitates ſunt depulſæ? Idem teſtatur Origenes homilia IIII. in Numeros. Aliud porrò precandi genus erat, cùm ſtantes orabãt: quod de geniculis nõ adorare vocat idẽ Tertullianus, quẽ orandi morẽ die dominico, & per totũ id tẽpus, quod inter Paſcha & Pẽtecoſten eſt, vſurpabatur. Tertullianus in libro de corona militis: Die dominico ieiuniũ nefas duximus, vel de geniculis adorare. Eadẽ immunitate à die Paſchæ in Pentecoſten vſq; gaudemus. Quamobrẽ precationes illæ ſtationes vocãtur, quarũ ſubinde veteres doctores meminerũt. Tertullianus eas ad aram factas ſolenniores indicat in libro de oratione: Solennior (inquit) erit ſtatio tua, ſi ad aram Dei ſteteris, accepto corpore Domini & reſeruato: vtrũq; ſaluti eſt, & participatio ſacrificij, & executio officij. Teſtatur in libro de ieiunio, eas ſtatiões interdũ in Veſperã vſq; productas eſſe, ſic: Arguunt nos Pſychici, ꝙ ieiunia propria cuſtodiamus, ꝙ ſtationes plerũq; in Veſperã producamus, ꝙ etiã Xerophagias obſeruemus, ſiccãtes cibũ ab omni carne, & omni iurulentia. Idẽ ſtationes ſæpe cõmemorat, vt lib. II. ad vxorẽ: Vt ſi ſtatio facienda eſt, maritus de die cõdicat ad tabernas: ſi ieiunia obſeruãda ſunt, maritus eadẽ die cõuiuiũ exerceat: Si procedendũ erit, nunquã magis familiæ occupatio adueniat. Dies ſtationibus ſolẽnes recẽſet in libro de ieiunio cõtra Pſychicos: Stationes dies ſuos habẽt quartæ, & ſextæ feriæ. Et infrà: Cur Statiõibus quartã & ſextã ſabbati dicamus, & ieiunijs paraſceuen? (.i. Sabbatũ) Et lib. de fuga in perſecutione: Tũc & fides in expeditiõe ſollicitior, & diſciplinatior, in ieiunijs, & ſtatiõibus, & oratiõibus, & humilitate. Et in libro de oratiõe, ſimiliter de ſtationũ diebus: Nõ putãt pleriq; ſacrificiorũ orationibus interueniendũ, ꝙ ſtatio ſoluẽda ſit accepto corpore domini: & in libro de ieiunio aduerſus Pſychicos: Propterea per ſingulas diximus ſpecies ieiunationũ Xerophagiarũ (.i. aridorũ ciborũ nihil iuris habentiũ comeſtionũ) ſtationũ. Et paulo infra: Quomodo in nobis ipſam vanitatẽ ieiunationũ & Xerophagiarũ & ſtationũ denotatis? Et paulò infra: Cõuentus illi ſtationibus prius & ieiunationibus operari norũt. Vbi perpetuo ferè ſtatiõibus ieiunia adiungit. Nã ante ſolẽnes illos cõuentus ieiuniũ ꝑmittebãt. Meminit eius geſtus & D. Cyprianus in ſerm. de oratiõe Dom. Stamus (inqt) ad orationẽ: orabãt aũt orientẽ verſus, vt in Apologetico refert Tertullianꝰ. Hinc ſtatiõis vocabulũ in hoc ferè ſenſu, vrbi Romæ notiſsimũ eſt ex antiquitate relictũ, ipſa etiã obſeruatione veteri per manus tradita, & retenta. Nã veteres Romani põtifices ſtatis qbuſdã diebus, ꝑcipueq; in Quadrageſima, & feſtis, ad diuerſas vrbis Romæ eccleſias accedebãt, vbi ſermone vel cõcione ad populũ adſtantẽ habita, & oratiõe ad Deũ facta, diuina myſteria poſteà cũ clero, & populo Romano celebrãtes, participabãt. Quę actꝰ ſtatio appellata eſt, à ſignificatione, quã Cicero lib. VI. ad Atticũ vſurpauit, pro tẽporaria videlicet habitatiõe, vel etiã à ſtãdo, qđ in his accedẽtes, populi ſtarẽt.

Has ſtationes, hoc eſt, ad diuerſas eccleſias ſolēnes proceſſiones, & cōuentus commemorāt, Auctor actorū Damaſi papæ, & Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Hilari papæ. Ille quidē ſic: Populus Romanus ꝑ Cœmeteria martyrū ſtationes ſine clericis celebrabat. Et paulò infrà: Felix Vrbē inrupit, & ſtationē in Iuli Baſilica Trāſtiberim dare præſumit. Hic verò: Hic cōſtituit in Vrbe miniſteriales, qui circumirent conſtitutas ſtationes, fecitq́; Scyphū aureum anſatū vel ſtationariū librarū VIII. ꝓ vſu ſtationū. Per miniſteriales aūt, clericos idoneos ad miniſtrādū, & officiandū in eccleſijs diebus ſtationū intelligit. Quare diu fuerūt in Vrbe ad hoc Cantores deputati, præbēdas propterea habentes in eccleſia S. Mariæ de roſa, quū non oēs eccleſiæ Vrbis haberent, tunc canonicos vel proprios clericos ad diuinū officiū peragendū. Eas porrò ſtationes poſteà S. Gregorius papa certo ſub numero limitauit, totidē per totum annū ſtatuēs: videlicet, quattuor Dominicis aduētus, ferijs IIII. VI. & ſabbato quattuor temporū, vigilia, & die natiuitatis Domini, ſancti Stephani, S. Ioānis Euāgeliſtæ, ſanctorū Innocentiū, Kal. Ianuarij in circuncisione domini, Die Epiphaniæ Dominicis in LXX. LX. & L. à feria quarta cinerum, vſq; ad Dominicā in albis per totā quadrageſimā, in litanijs maioribus, in die Sancti Marci, in Aſcēſione Domini, à vigilia Pentecoſtes, vſq; ad Dominicā Sanctę Trinitatis excluſiue, in feſtiuitatibus S. Crucis & anniuerſaria dedicatione eccleſiarū S. Saluatoris, & ſanctorū Petri & Pauli apoſtolorū. Quibus diebus ſequentes pōtifices adiunxerūt Litanias triduanas ante aſcenſionē, ſolennia Beatæ Virginis Deiparæ, Purificationis, Annūciationis, Aſſumptionis, & Natiuitatis. Itē ſanctorum Angelorum, S. Ioānes Baptiſtæ, ſanctorū apoſtolorū Petri & Pauli, Laurentij, & aliorum quorundā martyrum, quorū poſteà memoria exoleuit. Hinc Ioannes Diaconus libro ſecūdo de vita ſancti Gregorij papæ: Stationes (inquit) per baſilicas, vel beatorum martyrū Cœmetria ſecundum quod hactenus plebs Romana, quaſi eo viuente certatim diſcurrit, ſolicitè ordinauit, ꝑ quas & ipſe ſimul diſcurrēs, dū adhuc eloqui p̄ualeret, XL. homilias euangelij corā eccleſia diuerſo tēpore declamauit. Quare ego ex præſcriptionibus homiliarū ſuarum, ſtationes in ea eccleſia eſſe cōſtitui, in quas eas habitas fuiſſe ipſarū index exponit. Petrus Mallius in libro hiſtoriæ ſacræ: Sanctus Gregorius papa Romanū cantum, primiceriū, & ſcholā cantorum inſtituit, docuitq́;. Ordinauit ſtationes propter pœnitētes, quas cū primicerio, cātoribus, regionarijs, acolutis, cruce ſtationali præcedēte, faciebat. Nā aliter in quadrageſima vſq; ad Paſcha, & aliter in albis dominicis diebus & feſtiuitatibus ſanctorū, Statuit antiphonas has proceſſionaliter in quattuor tēporibus decantari: Deprecamur te domine &c. Multa ſunt domine peccata noſtra, &c. Parce domine, parce populo tuo. &c. In litanijs maioribus alias antiphonas ordinauit. Fecitq́; ad ſanctū Stephanum æphanotrophiū, vbi Primicerius & cantores manerent, qui iugiter eſſent cum pontifice, epiſcopis, cardinalibus, diaconis, regionarijs, accolutis, cubicularijs, qui eum cuſtodirēt, & eſſent ei bonū teſtimoniū. Et Gelaſij papæ ordinatione repetita, ſanxit, vt eſſent per regiones diaconi, Cardinales, ſubdiaconi, & regionarij. In Vrbe verò vnaquæq; eccleſia ſtationalis vicinā aliquā aliam ædē ſacrā habebat, in qua populus die ſtationis colligebatur, & ibi dicebatur collecta ſuper populū collectum: & exinde oēs ſimul proceſſionaliter ad eccleſiā, in qua erat ſtatio, accedebāt, ſolenniq́; Miſſarū ſacrificio & concioni intererāt. Stationes aūt, q̄ celebrantur, ſunt q̄ ſuprà commemoraui, à Dominica prima aduētus, vſq; ad Sabbatū ante S. Trinitatē cum tribus ferijs quatuor tēporum LXXVI. diebus numero tribus & octuaginta, celebratæ. Nā die Natalis tres, & feria quinta, poſt quartā dominicā quadrageſimæ duę ſtationes ſunt. Ad quas aūt eccleſias, & quot vicibus nūc ſtatio ſit vel olim fuerit, paulò infrà ſigillatim aperiā. Illud tantū in ſumma aperire placuit, noſtro tēpore ſtationes eſſe in quinque eccleſijs patriarchalibus, omnibus XXVIII. Titulis, excepto. SS. Nerei & Achillei, quatuor diaconijs, ſex titulis nouis, & S. Maria Rotunda. Sunt aūt omnino eccleſiæ, in quibus nunc ſtatio eſt, tres & quadraginta ſtationes XXCVI. diebus XXCIII. Pius IIII noſtro tēpore Thermas Diocletiani eccleſiā S. Mariæ Angelorum dedicauit, & ſtationē in ea conceſſit Sabbato poſt III. Dominicam Quadrageſimæ.

STATIO-



**STATIONES**, *quæ noſtro tempore in ſingulis Vrbis eccleſiis per annum celebrantur.*

In baſilica Patriarchali Lateranenſi ſunt ſtationes VIII.

Dominica prima quadrageſimæ vetuſtiſſima eſt ſtatio, cuius in homiliarum XL. S. Gregorij papæ libro mētio extat.
Dominica Palmarum.
Feria V. in cœna Domini.
Sabbato ſancto.
Sabbato in albis vetuſtiſſima à tempore S. Gregorij papæ.
Feria III. Letaniarum triduanarū ante aſcenſionem Domini recens ſtatio.
Sabbato ante Pentecoſten.

In Baſilica Patriarchali S. Petri apoſtoli in Vaticano ſunt ſtationes XIII.

Omnibus quatuor Sabbatis quatuor temporum.
Dominica III. aduentus Domini.
In Epiphania domini vetuſtiſſima ſtatio ante mille annos.
Dominica in Quinquageſima vetuſtiſſima ſtatio.
Feria II. Paſchæ vetuſtiſſima ſtatio.
In die S. Marci in Letanijs maioribus vetus ſtatio.
Feria IIII. Letaniarum triduanarū ante Aſcenſionē Domini recens ſtatio.
In Aſcēſione Dom. vetuſtiſsima ſtatio.
In Pentecoſte vetuſtiſsima ſtatio.

In Baſilica Patriarchali S. Pauli Apoſtoli extra muros Vrbis via Oſtienſi ſunt ſtationes quinque:

In die SS. Innocentium.
Dominica in Sexageſima.
Feria IIII. poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ.
Feria III. Paſchæ vetuſtiſsima ſtatio.
Feria V. poſt Pentecoſten.

In Baſilica Patriarchali S. Mariæ Maioris in Exquilijs ſtationes XII.

Dominica prima Aduentus Domini.
Singulis quartis ferijs quatuor tēporū.
In Vigilia Natalis Domini.
Media nocte in prima Miſſa Natalis domini ad præſepe vetuſtiſsima ſtatio.
In Miſſa maiori Natalis Domini.
Die S. Ioannis Euangeliſtæ.
Feria IIII. maioris hebdomadæ.
In die ſancto Paſchę vetuſtiſsima ſtatio à tempore vſque S. Gregorij papæ.
Feria II. Letaniarum triduanarū ante Aſcenſionem Domini recens ſtatio.

In Baſilica Patriarchali S. Laurentij extra muros ſunt ſtationes tres:

Dominica in Septuag. vetuſtiſs. ſtatio.
Dominica II. in Quadrageſima.
Feria IIII. poſt Paſcha vetuſtiſsima ſtatio ante mille annos.

In Titulo S. Mariæ in Tranſtiberim ſunt ſtationes duæ:

In Circūciſione Dom. Kal. Ianuarijs.
Feria V. poſt II. Dom. Quadrageſimæ.

In Titulo S. Chryſogoni ſtatio Feria II. poſt Dominicam paſsionis.

In Titulo S. Cæciliæ ſtatio Feria IIII. poſt. II. Dominicam Quadrageſimæ.

In Tit. S. Anaſtaſiæ ſunt ſtatiōes tres:

Die Natalis Domini in Miſſa Auroræ.
Feria III. poſt primam Dom. Quadrag.
Feria III. poſt Pentecoſten.

In Titulo S. Laurentij in Damaſo ſtatio Feria III. poſt quartā Do. Quadrag.

Feria IIII. Letaniarum triduanarū ante Aſcenſionem Domini eſt collectio.

In Titulo S. Marci ſtatio Feria II. poſt quartam Dominicam Quadrag.

In die S. Marci in Letanijs maioribus ibidem eſt collectio.

In Titulo S. Martini in montibus ſtatio Feria V. poſt quartā Dominicam Quadrageſimæ, quāquam exoluiſſet, reſtituit Paulus papa IIII.

In Titulo S. Sabinæ ſtatio Feria IIII. Cinerum.

In Titulo S. Priſcæ ſtatio Feria III. maioris hebdomadæ.

In Titulo S. Balbinæ ſtatio Feria III. poſt II. Dominicam Quadrageſimæ.

In Titulo SS. Nerei, & Achillei olim erat ſtatio Feria II. maioris hebdomadæ nunc exoleuit.

In Titulo S. Xyſti ſtatio Feria IIII. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

In Titulo S. Marcelli ſtatio Feria IIII. de Paſsione.

In Tit. S. Suſannæ ſtatio Sabbato poſt III. Dominicam Quadrageſimæ.

In Baſilica SS. XII. Apoſtolorū ſunt ſtationes ſex, omnibꝰ ſextis Ferijs quatuor temporum.

Dominica IIII. Auentus Domini.
Feria V. poſt Paſcha.

In Titulo S. Quirici ſtatio Feria III. de Paſsione.

In Titulo. S. Euſebij ſtatio Feria VI. poſt IIII. Dominicam Quadrag.

In Titulo S. Pudentianæ ſtatio Feria IIII. poſt III. Dominicam Quadrag.

In Titulo S. Vitalis ſtatio Feria VI. poſt II. Dominicam Quadrageſimæ.

 In

In Titulo SS. Marcellini, & Petri ſtatio Sabbato poſt ſecundã Do. Quadrag.

In Titulo S. Clementis ſtatio Feria II. poſt II. Dominicam Quadrageſimæ.

In Titulo S. Praxedis ſtatio Feria II. maioris hebdomadæ.

In Tit. S. Petri ad vincula ſtatio. duæ:
Feria II. poſt primam Dom. Quadrag.
Feria II. poſt Pentecoſten.

In Tit. S. Laurentij in Lucina ſtatio Feria VI. poſt tertiam Dom. Quadrag.

In Tit. S. Crucis in Hieruſalẽ ſtat. tres:
Dominica II. Aduentus.
Dominica IIII. in Quadrageſima
Feria VI. Paraſceues.

In Titulo S. Stephani in Cœlio monte ſtationes II.
Feria VI. de Paſsione.

In Titulo SS. Ioannis & Pauli ſtatio Feria VI. poſt Cineres.

In Titulo SS. quatuor coronatorũ ſtatio Feria II. poſt IIII. Dom. Quadrag.

In Diaconia S. Mariæ in Dominica ſtatio Dominica II. Quadrageſimæ.

In Diaconia SS. Coſmæ, & Damiani ſtatio Feria V. poſt IIII. Do. Quadrag.

In Diaconia S. Georgij in velabro ſtatio Feria V. poſt Cineres.

In Diaconia S. Nicolai in carcere Tulliano ſtatio Sabbato poſt IIII. Do. Qua.

In Diaconia S. Hadriani collectio Feria II. Letaniarum triduanarum.

In Diaconia S. Marię Nouæ collectio Feria III. Letaniarum triduanarum.

In Archipresbyteratu olim, nunc Titulo S. Ioannis ante portam Latinam ſtatio Sabbato de Paſsione.

In Archipresbyteratu olim, nũc Tit. S. Apollinaris ſtatio Feria V. de Paſsiõe.

In Monaſterio, & nouo Titulo S. Laurẽtij in Paneperna ſtatio Feria V. poſt primam Domicam Quadrageſimæ.

In Monaſterio, & nouo Titulo S. Silueſtri in Campo ſtatio Feria V. poſt IIII. Dominicam Quadrageſimæ.

1 In Monaſterio, & nouo Titulo S. Pancratij ſtatio Dominica in Albis.

4 In Archipresbyteratu, S. Marię Rotundæ, aliàs Pantheon ſtatio Feria VI. poſt Paſcha.

2 In Archipreſbyteratu nunc Monaſterio, & nouo Titulo S. Triphonis ſtatio Sabbato poſt Cineres.

3 In Monaſterio, & nouo Tit. S. Marię Angelorũ in Thermis Diocletiani Sabbato poſt III. Dominicã Quadrag.

| | |
|---|---|
| Sunt omnes Eccleſiæ | XLIIII. |
| Stationes | XXCVII. |
| Diebus | XXCIII. |

*Poſteaquam ſtationum ſeriem ordine Eccleſiarum enumerato recitauimus, nũc ad faciliorem lectoris intelligeutiam, maioremq́ commoditatẽ, eaſdem, ſeruato dierum ordine, repetemus.*

Dominica igitur prima Aduentus Domini ſtatio ad S. Mariam Maiorem.

Dominica ſecunda ſtatio ad S. Crucem in Hieruſalem, olim ad S. Petrum. Ex indice Homiliarum D. Gregorij.

Dominica III. ſtatio ad S. Petrum, olim ad SS. Marcellinum, & Petrum. Ex inindice Homiliarum D. Gregorij.

Feria IIII. ſtatio ad Præſepe, aliàs ad S. Mariam Maiorem.

Feria VI. ſtatio ad SS. Apoſtolos.

Sabbato in XII. lectionibus ſtatio ad S. Petrum, olim ad S. Ioannem Baptiſtã.
Ex indice Homiliarum D. Gregorij.

In omnibus ieiunijs quatuor Temporum, ſimiliter eædem ſunt ſtationes.

Dominica IIII. Aduentus Domini ſtatio olim ad S. Petrum, poſteà diu vacauit, nunc eſt ad SS. Apoſtolos.

In Vigilia Natiuitatis Domini ſtatio ad S. Mariam Maiorem.

In I. Miſſa eiuſdem noctis ſtatio ad Pręſepe vetuſtiſsima.

Manè ſtatio ad S. Anaſtaſiam.

In Miſſa maiori antiquitus ſtatio ad S. Petrũ, nunc ad S. Mariam Maiorem.

In die S. Stephani ſtatio in eccleſia eius, quæ eſt in Cœlio monte.

In die S. Ioannis Euangeliſtæ ſtatio Laterani olim, nũc ad S. Mariã Maiorẽ.

In die SS. Innocentium ſtatio ad S. Paulum, vbi ſunt reliquiæ eorum.

In octaua Natiuitatis Domini, antiquitus vacabat, poſteà à Calliſto II. Papa facta eſt ſtatio ad S. Mariam Tranſtiberim, vt ex eius bulla liquet.

In Epiphania Domini ſtatio ad S. Petrũ

In Purificatione B. Mariæ ſtatio ad S. Mariam Maiorem.

In Septuageſima ſtatio ad S. Laurentiũ extra muros vetuſtiſsima.

In Sexageſima ſtatio ad S. Paulũ, olim ad S. Petrum.

In Quinquageſima ſtatio ad S. Petrum.

Feria IIII. Cinerum ſtatio ad S. Sabinã.

Feria V. ſtatio ad S. Georgium.

Feria VI. ſtatio ad SS. Ioannẽ, & Paulũ.

Sabbato ſtatio olim ad S. Laurentium in regione III. poſteà diu vacauit,





hodie ad S. Triphonem.

Domi. in Quadrag. ſtatio Laterani.

Feria II. ſtatio ad S. Petrum ad vincula.

Feria III. ſtatio ad S. Anaſtaſiam.

Feria IIII. ſtatio ad S. Mariã Maiorem.

Feria V. antiquitus vacabat, poſtea facta eſt ſtatio ad S. Laurentiũ in Paneperna.

Feria VI. ſtatio ad S. Apoſtolos.

Sabbato in XII. lectiõib. ſtat. ad S. Petrũ.

Dominica II. Quadrag. antiquitus vacabat, poſteà facta eſt ſtatio ad S. Mariam in Nauicula, aliàs in Dominica.

Feria II. ſtatio ad S. Clementem.

Feria III. ſtatio ad S. Balbinam.

Feria IIII. ſtatio ad S. Cęciliam, vbi corpus eius requieſcit.

Feria V. ſtatio ad S. Mariam Tranſtiberim tituli Calliſti.

Feria VI. ſtatio ad S. Lauren. in Lucina.

Sabbato ſtat. ad SS. Petrũ, & Marcellin.

Dominica II. Quadrageſimæ ſtatio ad S. Laurentium foris muros.

Feria II. ſtatio ad S. Marcum.

Feria III. ſtatio ad S. Pudentianam.

Feria IIII. ſtatio ad S. Xyſtum.

Feria V. ſtat. ad SS. Coſmã, & Damianũ.

Feria VI. ſtat. ad S. Laurentiũ in Lucina.

Sabbato antiquitus vacabat, poſteà facta eſt ſtatio ad S. Suſannã. Pius IIII. papa adiunxit S. Mariam Angelorum in Thermis Diocletiani.

Dominica quarta Quadrageſimę ſtatio ad S. Crucem in Hieruſalem.

Feria II. ſtat. ad SS. quatuor coronatos.

Feria III ſtat. ad S Laurent. in Damaſo.

Feria IIII. ſtatio ad S. Paulum.

Feria V. duplex ſtatio ad S. Silueſtrum in campo Martio, & ad S. Martinum in Montibus à Paulo IIII. reſtituta.

Feria VI. ſtatio ad S. Euſebium.

Sabbato duplex ſtatio, olim ad S. Laurentium foris muros, quæ exoleuit: & hodie ad S. Nicolaum in carcere Tertulliano, quæ durat.

Dominica de Paſsiõe ſtatio ad S. Petrũ.

Feria II. ſtatio ad S. Chryſogonum.

Feria III. ſtatio ad S. Cyriacum in Thermis olim, nũc ad SS. Quiritũ, & Iulitã.

Feria IIII. ſtatio ad S. Marcellum.

Feria V. ſtatio ad S. Apollinarem.

Feria VI. ſtatio ad S. Stephanum in Cœlio monte.

Sabbato quãdo D. Papa dabat eleemoſynã ad S. Petrũ duplex ſtat. ad S. Ioãnem ante Portam Latinum, quæ in vſu eſt, & ad S. Petrum, quæ exoleuit.

Dominica Palmarũ ſtatio Laterani in Baſilica S. Saluatoris.

Feria II. duplex ſtatio, antiquitus ad SS. Neræum, & Achilleũ, quæ abrogata eſt, & hodie ad S. Praxedem, quæ durat.

Feria III. ſtatio ad S. Priſcam.

Feria IIII. ſtatio ad S. Mariam Maiorẽ.

Feria V. ſtatio Laterani.

In Paraſceue ſtat. ad S. Crucẽ in Hieruſ.

Sabbato Sancto ſtatio Laterani.

In Paſcha manè ſtatio ad S. Mariam Maiorem, in Veſperis verò ad S. Ioannem in Laterano.

Feria II. ſtatio ad S. Petrũ manè, in Veſperis Laterani ſimiliter.

Feria III. ſtatio ad S. Paulum, in Veſpeſperis Laterani.

Feria IIII. ſtatio ad S. Laurentium extra muros.

Feria V. ad SS. Apoſtol. olim Laterani.

Feria VI. ſtatio ad S. Mariam ad Martyres, aliàs Rotundam.

Sabbato in Albis ſtatio Laterani.

Dominica in Albis ſtatio olim Laterani, nunc ad S. Pancratium.

In Letanijs maioribus collectio ad S. Marcum, ſtatio ad S. Petrum.

Feria II. Letaniarum collectio ad S. Mariam Maiorem, ſtatio Laterani.

Feria III. collectio ad S. Sabinam, ſtatio ad S. Paulum.

Feria IIII. collectio ad S. Euſebium, ſtatio ad S. Laurentium extra muros.

*ALIAS.*

Feria IIII. collectio ad S. Crucẽ in Hieruſalẽ, ſtatio ad S. Laurẽt. foris muros.

*NVNC.*

Feria II. collectio ad S. Hadrianum, ſtatio ad S. Mariam Maiorem.

Feria III. collectio ad S. Mariam Maiorem, ſtatio Laterani.

Feria IIII. collectio ad S. Laurentium in Damaſo, ſtatio ad S. Petrum.

In Aſcenſione Do. ſtatio ad S. Petrum.

Sabbato Pentecoſtes ſtatio Laterani.

Dominica Pẽtecoſtes ſtatio ad S. Petrũ.

Feria II. ſtatio ad S. Petrum ad Vincula.

Feria III. ſtatio ad S. Anaſtaſium, aliàs S. Anaſtaſiam.

Feria IIII. ad S. Mariam Maiòrem.

Feria V. ſtatio ad S. Paulum.

Feria VI. ſtatio ad SS. Apoſtolos.

Sabbato in XII. lectionibus ſtatio ad S. Petrum, olim ad S. Laurentium.

In ſolennitatibus S. Crucis ſtatio Laterani in Baſilica S. Saluatoris.

*VARIETAS IN STATIONIBVS.*

Dominica II. Aduētus olim ſtatio erat ad S.Petrū,nūc ad S.Crucē in Hieruſal.

Dominica II. Aduentus Domini olim ſtatio erat ad S. Ioannem Baptiſtam, nunc ad S.Petrum in Vaticano.

Do. IIII. Aduētus Domini olim ſtatio erat ad S.Petrū,nunc eſt ad SS. Apoſt.

Die Natalis Domini ad Miſſam maiorem olim ſtatio erat ad S.Petrum, nūc eſt ad S. Mariam Maiorem.

In die S.Ioan. Euāgeliſt.olim ſtatio erat Laterani,nunc eſt ad S.Mariā Maiorē.

In octaua Natalis Dom. olim vacabat, hodie eſt ad S. Mariam Tranſtiberim.

Dom. in Sexageſima olim erat ſtatio ad S. Petrum,nunc eſt ad S.Paulum.

Sabbato poſt Cineres olim ſtatio erat ad S. Laurētium in regione III. hodie eſt ad S.Triphonem.

Feria V. poſt primam Dominicam in Quadrageſima olim vacabat, hodie eſt ad S.Laurentium in Pane & perna.

Dom.II.Quadrageſimæ olim vacabat, hodie eſt ad S.Mariam in Dominica.

Sabbato poſt III. Dominicam Quadrageſimæ olim vacabat, hodie eſt ad S. Suſannam & S. Mariam Angelorum.

Feria V.poſt IIII. Dominicam Quadra. olim duplex erat ſtatio: ad S. Silueſtrū in Campo Martio, quæ nunc etiā perdurat,& ad S. Martinum in Mōtibus, quā abrogatā renouauit Paulus IIII.

Sabbato poſt quartam Dominicā Quadrageſimæ olim duplex erat ſtatio.

Ad S.Laurentiū foris muros,quæ nunc exoleuit,& ad S.Nicolaum in carcere, quæ nunc in vſu eſt.

Sabbato de Paſsiōe, duplex olim ſtatio erat. Ad S.Petrum, quæ exoleuit:& ad S.Ioannem ante Portam Latinam, quæ nunc perdurat.

Feria II. maioris hebdomadæ duplex olim ſtatio erat:

Ad SS. Nereū,& Achilleū,q̄ exoleuit,&

Ad S.Praxedem,quæ nunc in vſu eſt.

Die S.Paſchæ duplex olim erat ſtatio:

Manè ad S.Mariā Maiorem vetuſt.quæ nūc frequētatur, & ad Veſp. Laterani.

Feria II.Paſchæ duplex olim ſtatio erat:

Manè ad S.Petrū vetuſt.quę perdurat,& Veſpere in Baſilica S. Saluatoris.

Fer.V.poſt Paſcha duplex olim erat ſtatio:in Baſilica Conſtātiana,quę exoleuit, nunc eſt ad SS. Apoſtolos.

Dom. in Albis olim erat ſtatio in Baſilica Conſtantiana,quæ etiam deſijt,& nunc ad S.Pancratium.

In Letanijs maioribus in die S. Marci olim collectio erat Laterani, nunc ad S.Marcum,ſtatio verò ad S.Petrum.

In Letanijs maioribus, quas triduanas vocant,ante Aſcenſionem Domini vetuſtiſsimis temporibus ſub Leone III. Anno Domini DCCC.

Feria II.collectio erat ad S. Mariam Maiorem,ſtatio verò ad Lateranum.

Feria III. collectio erat ad S. Sabinam, ſtatio verò ad S.Paulum.

Feria IIII.collectio erat ad S.Crucem in Hieruſalem,ſtatio verò ad S. Laurentium foris muros.

Poſterioribus vero tēporibus feria IIII. collectio ad S.Euſebium,ſtatio autem ad S.Laurentium extra muros.

Noſtris porrò temporibus feria II. collectio ad S.Hadrianum,ſtatio verò ad S.Mariam Maiorem.

Feria III.collectio ad S. Mariam Nouā, ſtatio autem Laterani.

Feria IIII.collectio ad S.Laurentium in Damaſo,ſtatio verò ad S.Petrum.

Sabbato quatuor Temporum Pentecoſtes olim ſtatio erat ad S.Laurent. quæ exoleuit,& nunc eſt ad S. Petrū Apoſt.

Fer. VI. quatuor tēporum Septēb. olim ſtatio erat ad S.Clementē, quæ exoleuit,& nunc eſt ad SS.Apoſtolos.

*STATIONES ANTIQVAE, QVAE noſtris temporibus exoluere.*

Dominica prima poſt octauam Paſchæ ſtatio ad S.Petrum.

Dominica II.poſt octauam Paſchæ, ſtatio ad SS.Coſmam,& Damianum.

Dom.infra VIII. Aſcenſio.quę de Roſa dicebatur,ſtatio ad S.Mariā Rotundā.

Dom.I.poſt Trinit.ſtatio ad S.Laurēt.

Dominica II. poſt Trinitatem ſtatio ad SS.Apoſtolos Philippum & Iacobum.

Dom.III.ſtatio ad SS.Ioannē, & Paulū.

Do.VIII.ſtatio in Baſilica Cōſtātiniana

Dom. poſt feſtum,S.Calliſti mēſe octobris ſtatio,ad S Mariā Tranſtiberim.

Dominica XX.ſtatio ad S.Clementē.

Pridie Kal.Decembris die S. Andreę ſtatio ad S. Andream in Exquilijs.

Pridie Kal. Ianuarij die S. Silueſtri ſtatio ad S. Silueſtrum.

XIX.Kalend. Februarij ſtatio ad S.Felicem in monte Pincio.

XIIII.Kal.Febr.ſtatio ad S. Sebaſtianū.

XII.Kal.Februarij ſtatio ad S.Hagnem.

IIII.No-



IIII.Nonas Februarij die Purificationis B.Marię Virginis collectio ad S.Hadrianum,ſtatio verò ad S.Mariā Maiorē.

VIII. Kal. Aprilis die Annunciationis ſtatio ad S.Mariā Maiorē.

V.Non. Maij ſtatio ad S. Crucē in Hieruſalē.

III.Idus Maij ſtatio ad S. Mariā ad Martyres, aliàs Rotundam.

IIII.Idus Maij duplex ſtatio ad S. Pācratium,& ad SS.Nereum,& Achilleum.

IIII.Nonas Iunij ſtatio ad SS. Marcellinum,& Petrum, via Labicana.

VIII.Kalend.Iulij ſtatio in Baſilica Cōſtantiniana.

III.Kal.Iulij ſtatio ad S.Petrum.

Pridie Kal.Iulij ſtatio ad S.Paulum.

VI.Nonas Iulij ſtatio ad SS.Proceſſum, & Martinianum.

IIII. Idus Auguſti ſtatio ad S. Laurentium extra muros.

XVIII.Kalend.Septembris die Aſſumptionis ſtatio ad S.Mariam Maiorem.

XVI.Kal.Septēb.ſtatio ad S. Mammā.

VI.Idus Septemb.die Natiuit. B. Mariæ Virginis ſtatio ad S.Mariam Maiorē.

XVIII.Kal. Octobris die exultationis S. Crucis collectio ad Baſilicā S.Laurētij in Pallatio, quæ dicitur Sancta ſanctorum, ſtatio Laterani.

XV.Kal.Nouēb. die S. Lucæ ſtatio Laterani.

V.Idus Nouemb.die Dedicationis Baſilicæ S. Saluatoris, ſtatio ad Baſilicam Lateranenſem.

XIIII.Kal.Decembris die Dedicationis Baſilicarum SS. Petri & Pauli, ſtatio ad vtriuſque Baſilicas.

IX.Kal.Decemb.ſtatio ad S.Felicitatē.

*STATIONES QVAE IN SINGVLIS Baſilicis exoleuerunt.*

*In Baſilica Conſtantiniana, Die Paſchæ ad Veſperas.*

*Feria II. Paſchæ ad Veſperas. Feria V. poſt Paſcha.*

*Dominica in Albis. In Letanijs maioribus collectio.*

*In Letanijs minoribus feria II. Dom.VIII.poſt Trinit.*

*In die S.Ioannis Euangeliſtæ. In Inuentione S.Crucis.*

*In Feſto S.Ioannis Baptiſtæ. Die exultatiōis S.Crucis.*

*Die S. Lucæ. Die dedicationis Baſilicæ S.Saluatoris.*

Ad S. Petrum.

*Dom. II. Aduent. Domini. Dom.III. Aduent. Domini.*

*Die Natalis Domini ad Miſſam maiorem.*

*Dominica in Sexageſima. Sabbato de Paßione.*

*Dominica prima poſt octauam Paſchæ.*

*Die Dedicationis Baſilicarum Apoſtolorum.*

Ad S.Paulum.

*Feria III.Triduanarū. Die cōmemorationis S. Pauli.*

Ad S.Mariam Maiorem.

*Feria II. Triduanarum collectio.*

*Die Purificationis*
*Die Annunciationis*
*Die Aſſumptionis.*
*Die Natiuitatis*
} *Beatæ Virginis.*

Ad S.Laurentium extra muros.

*Sabbato poſt IIII.Dominicam Quadrageſimæ.*

*Sabbato quatuor temporum Pentecoſtes.*

*Dominica prima poſt S.Trinitatem.*

*Feria IIII. Triduanarum. Die S.Laurentij.*

Ad S. Martinum in Montibus.

*Feria V.poſt IIII.Dom.XL.eam reſtituit Paulus IIII.*

Ad S.Anaſtaſiam.

*Feria IIII. Cinerum collectio.*

Ad S.Sabinam.

*Feria III. Triduanarum collectio.*

Ad SS.Nereum, & Achilleum.

*Feria II. maioris hebdomadæ.*

*Die eorum ſolennitatis IIII. Idus Maij.*

Ad SS.XII. Apoſtolos.

*Dominica II.poſt S.Trinitatem.*

Ad S.Euſebium.

*Feria* IIII. *Triduanarum collectio.*

Ad SS.Marcellinum, & Petrum.

*Dominica* III. *Aduentus Domini.*

Ad S.Clementem.

*Feria* III. *quatuor temporum Septembris.*

*Dominica XX.poſt Trinitatem.*

Ad S.Crucem in Hieruſalem.

*Feria* IIII. *Triduanarum collectio.*

Ad SS.Ioannem,& Paulum.

*Dominica* III *poſt S.Trinitatem.*

Ad SS.Coſmam, & Damianum.

*Dominica* II *poſt octauam Paſchæ.*

Ad S. Hadrianum.

*Collectio in die Purificationis.*

Ad S.Ioannem Baptiſtam.

*Sabbato quatuor temporum Aduentus.*

Ad S. Mariam Rotundam.

IIII. *Idus Maij, Dies Dedicationis eiuſdem, à Bonifacio* III. *Papa.*

*Dominica infra octauam Aſcenſionis, quæ de Roſa dicebatur.*

*Die S. Andreæ Die S. Silueſtri. Die S. Felicis.*

*Die S.Sebaſtiani. Die S. Agnetis. Die S.Pancratij.*

*Die SS.Proceßi,& Martiniani. Die S.Mammæ.*

*Die S.Felicitatis.*

*Exoleuerunt ſtationes, quæ erant in earundē Baſilicis, tempore S. Gregorij Papæ, vt ex indice homiliarum ab eo, in ijſdem Baſilicis ſtationum diebus editarum, & Ioanne Diacono in eiuſdem vitæ lib. II. liquet.*

BONI.

# BONIFACIVS VIII. PAPA OMNES STATIONVM INDVLGENTIAS A PRAEDECESSORIBVS SVIS CONceſſas confirmauit, vt ex hoc eius diplomate conſtat.

BONIFACIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriã. Sublimi ſedis apoſtolicæ ſolio diuina diſponente clemẽtia præſidẽtes. Et ſi de cunctis orbis eccleſijs, iuxta noſtri officij debitum, indefeſſo ſollicitudinis ſtudio cogitemus, ad earũ ſtatũ votiuũ & proſperũ intendendo: de illis tamen, quæ almæ Vrbis latitudo ſinuoſa cõplectitur, eò propẽſius cogitare nos cõuenit, & ad ſtatus & honoris earũ incremẽta felicia, opem, & operã, efficacius impartiri, quo noſtris humeris illarũ cura dignoſcitur ſpecialiùs, & principalius imminere. Sanè frequenti conſiderationis indagine perluſtramus, & infra clauſtra pectoris ſolicita meditatione diſcutimus, qualiter doctor optimus eccleſiæ ſanctæ lumẽ, B. Gregorius, dum adhuc in terris gereret vices Chriſti, patriarchalibus, & quãpluribus alijs eiuſdẽ Vrbis eccleſijs, primò, prout tradit antiquitas, & alij poſtmodũ Romani pontifices prædeceſſores noſtri, ad honorẽ Dei, & ſalutem animarũ fideliũ, quorũ ad Vrbẽ ipſam de vniuerſis ferè orbis prouincijs innumera confluit multitudo, de apoſtolicæ ſedis liberalitate munifica, diuerſorum tenorum ſtationarias indulgẽtias conceſſerunt. Nos igitur prædeceſſorum ipſorum veſtigijs præ ſollicitudinis ſtudio inhærentes, & crebrius reuoluentes in intimis, quod in eadem Vrbe nõ ſine ſupernæ diſpoſitionis arbitrio glorioſorum Principum orbis terræ, ac aliorum innumerabilia ſanctorum veneranda corpora requieſcant: Et propterea nõ indignè volentes, ob diuinam, & Principum ac ſanctorum reuerentiam prędictorum, eccleſias ipſas, nec non, & eandẽ Vrbem, vtpote ipſius Romanæ eccleſiæ filiam ſpiritualem, & ad eius beneplacita exequenda diſpoſitã, quam infra ſacrarium pectoris gerimus prædilectã honoribus condignis attollere, vberibus proſequi gratijs, & præcipuis fauoribus confouere, ac animarum fidelium prouidere profectibus eorundem, vniuerſas ſtationarias indulgẽtias ſupradictas eiſdem eccleſijs ſub quacunq; forma continentia, ſiue modo eis à prædeceſſoribus ipſis conceſſas, auctoritate apoſtolica, & ex certa ſcientia confirmamus, eaſq; obtinere volumus perpetui roboris firmitatẽ, & vt paternæ dilectionis affectum, quem ad Vrbem gerimus prælibatam, per effectũ operis euidentius oſtendamus: ac ipſam, & eaſdem eccleſias honoris, & gratiæ potioris impendio proſeqnamur, & ſaluti prouideamus vberius fidelium prædictorum. Nos de omnipotentis Dei miſericordia, & eorundẽ Principum beatorum Petri, & Pauli apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus & confeſsis, qui ad prædictas eccleſias à die Cinerum, vſq; ad feſtum reſurrectionis Dominicę incluſiuè, ex tunc proxime ſequuturũ, venerabiliter viſitauerint, annuatim vnum annũ & quadraginta dies, ac illis etiam, qui in ſtatu huiuſmodi exiſtentes ad recipiendũ benedictionis munus per ſummum põtificem, qui pro tempore fuerit à prædicto die Cinerũ, vſq; ad feſtum ipſius ſimiliter incluſiuè ſuper peregrinos, prout moris eſſe dignoſcitur, faciendę, deuotè acceſſerint, ſeu aliàs illi contigerit intereſſe, præter alias indulgentias conſuetas, centum dies de iniunctis ſibi pœnitentijs miſericorditer relaxamus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, & relaxationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum prædictorum ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani VIII. Idus Aprilis, Pontificatus noſtri, Anno Tertio.

DIVO

# DIVO SIXTO PONT. MAXIMO BAP. PLATINA S D.

DIci non poteſt, beatiſsime Pater, quàm vehemẽter interdum ſim admiratus hominũ diuerſa ſtudia variaq; ingenia, quòd omiſſo philoſophiæ ſtudio, quæ certè eſt (vt ait Marcus Tullius) vitæ humanæ dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, ad inanes curas & cogitationes ſe transferant. Hũc enim videmus pecunijs & opibus ſtudere, illum ambitioni & potẽtiæ: alium voluptates omni ſtudio & diligentia conquiſitas amplecti. Horum ſtudia quàm ſint inania, declarant nõ modò philoſophorum ſectæ, (Epicuri diſcipulos ſemper excipio) verumetiam Saluatoris noſtri doctrina & vita, qua certè cohortamur, admonemur, cogimur caduca illa ac fragilia, vt falſa bona & nuſquam conſiſtentia, contemnere: Religionem verò, pietatem, humanitatem, gratiam, hoſpitalitatem, miſericordiam, virtutem denique omnem, vt vnicum & verum bonum, amplecti. Hæc eſt certè vera philoſophia, quæ non in opinione, vt de ſectis omnibus cenſebant Academici noui, ſed in veritate ipſa fundata eſt. Tota enim Chriſti vita, vnicum virtutis exemplar habetur. Hanc profectò ſi intueri & imitari voluerimus, quòd certè tum ipſius gratia, tum noſtra cauſa facere debemus, non erit cur Numæ Pompilij religionem, Scipionis pietatem & modeſtiam, fortitudinem Catonis, Reguli conſtantiam, & iuſtitiam Ariſtidis, Fabricij & Curij paupertatem, ſapientiam Socratis, & Lælij clementiam, ac Cæſaris benignitatem requiramus. Veruntamen ne quicquam nobis ad benè beateq; viuendum deſit, repetita illa vetere philoſophia, ac verè noua, cuius author Chriſtus eſt, vtpote ſanctiſſima, in ſocietatem, & tutelam noſtram omninò aſcita, animorum noſtrorum morbos, ſumpta inde quoad fieri poteſt medela, curare debemus. Etſi enim variè de bonorum & malorum finibus ab ipſis philoſophis diſceptatum ſit, multa tamen ex eorum ſcriptis ad rem noſtram pertinentia excerpi poſſunt: nec eſt cur vereamur dum ea legimus & intuemur, in errorem aliquem dilabamur, cùm religionis Chriſtianæ doctores iam pridem ſapientiæ cribro bonum à malo, veluti triticum à lolio ſecreuerint. Hac verò admiratione vel meditatione potiùs, quantum boni conſecutus ſim, dici non poſſet, beatiſſime Pater. Nam dum à Paulo pontifice in carcere & compedibus detinerer, dumque & amiſſam libertatem flerem, & eas facultates mihi vi ablatas lamentarer, quas mea induſtria, meis pecunijs in vrbe pepereram, Pij pontificis beneficentia adiutus, tandem benignitate Dei & philoſophiæ gratia animum à perturbationibus & ſenſibus, ad dignitatem ſui ipſius reuocans, ita appoſitè mecum philoſophatus ſum, quemadmodum in libello meo ſcriptum apparet: quem quidem ideo ſanctitati tuæ dedicaui, quòd & ſummus philoſophus es, & eius vicarius, meritò certè, qui nos non verbis tantùm, vt vani philoſophi ſolent, ſed doctrina & exemplo inſtruxit: vnde falſum à vero bono ſeiungeremus, quo & in vita felices, & in morte beati æuo frueremur ſempiterno. Tum ſic mecum locutus eſt mei conſolandi cauſa Rhodoricus Calagoritanus Epiſcopus, arcis Romanæ præfectus, vir certè bonus & doctus, in illa noſtra prima calamitate, quæ profectò ſecunda cauſa fuit: imbecillium namque animorum eſt, eos ſemper velle perſequi & maleficio opprimere, ne ad vindictam reſpirent, quos inſigni aliqua iniuria & calamitate affecere.

(.·.)

a BAP.

# BAP. PLATINAE DE FALSO ET VERO BONO DIALOGVS.

## RHODORICVS, PLATINA.

QVid agis Platina? quid eſt quôd ita mœſtus & abiectus iaces? PLATINA. Quid agam quæris? Quaſi neſcias ab eo agi nil poſſe, qui omni actione humana priuatus eſt, niſi fortè actionem exiſtimas, lugere ac mœrore affici: quibus perturbationibus nil certê ineſſe video, quod vel eum qui luget, vel eos quorum id cauſa fit, iuuare poſsit: cùm omnis vera actio exercitatioque humana, finem ſibi aliquem vſui hominum accommodatum præſcribat: quam ob rem quærendum fuit potius cur non agerem, quàm quid agerem. RHO. Siccine te abijcis Platina? ſic à te ipſo diſcedis, vt nullum tibi in fortitudine & conſtantia præſidium colloces? ſecùs mihi tecum profectò loquendum eſt, quâm cum homine agreſti & indocto: illum vtpote minus docilem, quibus poſſem verbis conſolarer: te verò nòn admonebo ſolùm, ſed etiam reprehendam, ne teipſum ob tantulam miſeriam proſternas, & deijcias. Quid egiſti quæſo in vita, ſi neque doctrina, neque experientia humanos caſus æquo animo ferre didiciſti? veniat tibi in mentem, quot homines in vita fuere, qui maiorem quàm tu, paſsi ſunt calamitatem. Omitto reliqua miſeriarum genera, quę turmatim, vt Heſiodus poeta ſcribit, homines quotidie inuadunt. Ad captiuitatem venio, de qua in præſentia nobis eſt ſermo. Quot inquam homines, vel nobilitate generis, vel magnitudine imperij, vel diuitiarum & patriæ ſplendore, vel eruditione & doctrina, vel rerum geſtarum gloria, vel ſanitate vitæ præcellentes, moleſtiam carceris perpeſsi ſunt? Crœſus ille Lydorum rex, qui templa oraculorum omnium, quæ tum fuere, multis & magnis muneribus ornauit, quique in lateres aurum & argentum fudit, à Cyro Perſarum rege bello captus, quod reliquum ætatis ſuperfuit, in ſeruitute vixit. Exulauit autem apud Epaminundã Thebanum Philippus Magni Alexandri pater. Perijt in carcere Pauſanias Lacedæmoniorum rex. Seruiuit barbaris Aeſopus fabulator ille è Phrigia. Sunt qui affirment, eandem quoque ſortem & Platonem philoſophorum principem ſubijſſe. Sumpto veneno Socrates in carcere vitam finiuit. Cruciatus omnes & pœnas M. Regulus à Carthaginenſibus captus, & in vincula coniectus, conſtanti animo tulit. Venditus à fratribus Ioſephus, cùm Pharaoni aliquádiu ſeruiuiſſet, in vincula ob ſuſpicionem ſtupri conijcitur. Et ne ſanctorum nouæ legis exempla declinemus, addo Petrum, addo Paulum, addo Iohannem Baptiſtam, innumerabileſque alios, qui martyrij coronam aut in ipſis vinculis, aut è carcere educti ſubiere. Non dico quot reges hodie, quot principes in vnoquoque genere virtutis præſtantes viri, aut vinculis ſeruiant, aut extrema quæque in carcere patiantur. Trahit ſecum Turcus iſte, qui noſtra ætate ferro ac flamma Chriſtianũ nomen inuaſit, multis catenis & compedibus reuinctos, quos prælio, fraude, vi, in direptione vrbium cepit: modò eos intelligat, vel diſciplina rei militaris, vel vetuſtate generis, vel regnandi, aut imperandi authoritate apud ſuos multum valuiſſe. Nouos autem cruciatus, nouas pœnas reticeo, quas barbarus ille ſæuus & truculentus quotidie excogitat, ad explendam crudelitatis ſitim, qua certè iam diu in ſanguinem Chriſtianorum exarſit. Præterea verò quot ſunt in hac atque item in reliquis Italiæ vrbibus, qui & tetriore & fœdiore quàm tu, carcere detinentur? Deſino commemorare, quos illi plerumque cuſtodes habeant, quàm aſperos, quàm immites, quàm crudeles. Horum tibi nihil adhuc contigit. Nam locus iſte in quo nunc reſides, nullam habet carceris formam, egregiè cameratus eſt. Vides orientem ſolem, vides occidentem, vides ſeptentrionem, & quoquô te verteris, libertatis potius quàm captiuitatis facies, ſi verum fateri vis, tibi ſeſe offert. PLATINA. Illud Terentij vna re dictum, multis certè accõmodari poteſt: Facilè omnes cûm valemus, recta conſilia ægrotis damus: reliquum conſultò prætereo, ne videar tuæ virtuti & conſtantiæ diffidere: eô enim ętatis rectè & honeſtè agendo deueniſti, vt iam nauigare in portu merito tuo dici poſsis: ad me redeo. Collegiſti tu quidem memoriter multorum exempla, qui eadem calamitate, qua ego, ac maiore fortaſſe vexati fuere. Sed iſtud ad rem nihil, pace tua loquar: conſolari me certè hac ratione inſtitueras, quod contrâ accidit. Neque enim amaritudine amaritudo fugatur, ſed dulcedine: vt nigrum albo, à contrarijs opprimũtur, vt in acie milites ſolent, qui facto globo, aduerſariorum impetum frequenter ſuſtinent: quôd ſi ab ordine diſceſſerint, oppreſsi ſtatim in fuga concidunt. Alia tibi inueniend a fuit via, qua me conſolarere, hanc medicinã nõ admitto. RHO. Vulnus hoc tuũ altiùs inſedit quàm putaram, ſi hoc pharmacũ nil proderit, tibi certè maiora pręſtabũtur remedia. Legiſti credo libros Ciceronis de philoſophia, refertos exẽplis eorũ, qui forti ac cõſtanti animo, patrię, parẽtum, filiorum, coniugum, fratrum mortem & interitum ęquo animo tulere, quique fortunarum, dignitatum, honorum amiſsionem tanti fècêre, quanti maximè à bonis & conſtantibus viris fieri debet: hos tanquam fortiſsimos athletas contra humanos caſus crebrò in certamen vocat Cicero, vt iſtorum exemplo & virtute eorum animi ad fortitudinem excitentur, qui aliquo incommodo afflictati





ſunt: quod certè non faceret vir ille acutiſsimus, ſi vt paulò antè dixiſti, calamitoſorum exempla nõ lenirent eorum miſerias, ſed augerent, qui aliqua inſigni calamitate premuntur. Quis eſt enim adeò rationis & conſtantię expers, cui non moueantur affectus, quos Græci ta pàthi vocant, vbi vel conſtanter aliquid vel iuſtè, vel modeſtè, vel prudenter factum intelligũt? Leguntur in gymnaſijs poemata, leguntur hiſtoriæ, leguntur orationes, vt adoleſcentium animi pulchritudine honeſti, quæ quidem ex aliorum rectè factis elicitur, ad virtutem & laudem excitentur. Tanti nimirum Alexandrum feciſſe lectionem Homeri ex Plutarcho nouimus, quem in manibus crebrò habebat, vt Dario regno ac vita ſpoliato, dum eius deliciæ ſpoliorum nomine attrectarentur, ciſtella pretioſiſsima ac pulcherrima in medium ſit delata: qua viſa, cûm qui aderant principes ad ſeruandas ſmaragdos, iaſpidas, ſapphiros dicerent eſſe accomodatam, reſponderit rex ille præſtantiſsimus, nil in eam commodiùs, & honeſtiûs. quàm Iliadem Ephodiontis Aretis, id eſt, commeatum virtutis, vt ipſe appellabat, reponi poſſe. Inde enim multa percipiebat, quæ bellicam virtutem adiuuarent, cùm Achillis, Hectoris, Neſtoris, Vlyſsis, Agamemnonis cæterorumque heroum res fortiſsimè ac ſapientiſsimè geſtas, ad imitandum legeret. Canere ſiquidem fidibus carmina ipſa in bello poetæ ſolebant, quò animos militum audita maiorum laude, ad benè de patria promerendum adhortarentur. Idem de annalibus & hiſtoria licet dicere: quę adeò conſcripta eſt, & in ærario diligenter aſſeruata, vt haberent reges & populi, vnde calcaria ad virtutem ſumerent, ne eſtu, ne frigore, ne vigilia, ne fame, ne ſiti perterriti, rebus ſuis publicis in maximis periculis deeſſent. Quem animum quæſo nõ excitat ad ad virtutem fortitudo Romuli? religio Numæ Pompilij? audientia Bruti illius, qui Tarquinium ab vrbe expulit? modeſtia Camilli? Quinti Mutij charitas erga patriam? continentia M. Curij? parſimonia Fabricij? Fabij Maximi perſeuerãtia? Pauli illius patientia, qui duos conſulares filios continuatis propè funeribus ſine lachrymis & gemitu extulit? M. Catonis ſeueritas? M. Reguli conſtantia? P. Scipionis integritas & modeſtia? nobis profectò adhuc pueris memini dum iſta in ſcholis legerentur, animos ad laudem vehementer incendi, cùm hunc filiorum mortem conſtanter, illum fortiter pro repub. periculum, alium patienter carcerem, vincula, cruciatus omnes honeſti cauſa tuliſſe audiebam, quæ concitatio adeò menti meę inſedit, vt crebro quantum profeſsio mea patitur, hiſtorias repetam & legam. Neque enim prophana ſtudia theologicis & ſacris ſunt preferenda, cùm nil excogitari poſsit ad benè beateque viuendum, quod non in his, vtpote diuinitus ſcriptis, hûberiùs & meliùs quàm in illis inueniatur. Lautus ſiquidem cibus eſt, qui ex lectione ſacrarum litterarum percipitur, ſiue humanas res, ſiue diuinas comtemplari velis: ſed in ſtudijs fit, vt in cibo ſolet: Delectatur enim guſtus epularum varietate: vnde pro ſecunda menſa gentilium ſtudia mihi interdum apponi non recuſo, vt varietate delectetur, & recreetur animus. Verùm autem laudationes, quas Græci epitaphius logus, nos non ineptè funebres orationes appellabimus, ad hoc inuentę ſunt, vt hi qui fortiter aliquid & conſtanter in vita egiſſent pro patria, pro liberis, pro parẽtibus, meritam laudem apud poſteros conſequerentur: & ij qui adhuc in ſtadio & theatro relicti eſſent, æmulatione glorię excitati, nullum in vita pro honeſto & recto laborem ac periculum recuſarent. Leguntur & crebrò quidem à viris religioni deditis vitæ ſanctorum patrum, leguntur actus apoſtolorum, leguntur martyrum res geſtæ. Quibus fit, vt plerique dum eorum vitam & mores imitari ſtudent, quorum anteactã vitam cum admiratione legunt, in ſanctos referri mereantur. Alius deligit ſibi quem imitetur Paulum, alius Petrum, alius Hieronymum, alius Auguſtinum, alius Ambroſium, multi Franciſcum: nec deſunt, qui inediam, ſitim, frigora, æſtus, calumnias, cruciatus, tormenta, mortem denique, quamuis aſperam, conſtanti animo ſint ſubituri, ne ab eius inſtitutis & pręceptis diſcedant, quem tantopere amant & ſequuntur. Hæc fieri ab hominibus ſine mente diuina vt credam, certè adduci nullo modo poſſum. Res enim que ſine ratione & Dei nutu inſtituuntur, vtpote fragiles & caducæ, citò euaneſcant & intereant neceſſe eſt. Quare ſi ſapis Platina, & ſi non omninò ob vnam hanc vel leuiſsimam plagam à ſede rationis conſternatus es, confiteare oportet, exempla ipſa ad perſuadendũ valere plurimum. Quòd ſi ſecùs egeris, imbecillem te atque infracti animi prædicabo, qui ſic abiectè ſenſum guſtus ob tantulam ægritudinem amiſeris. Agè, excita animum, & mentem à ſenſibus reuoca, ne tibi dici poſsit, Salmati, da ſpolia ſine ſudore & ſanguine. PLA. Acer profectò es ad perſuadendũ Rhodorice: ita enim inſtas & vrges, vt quò me vertam neſciam. Vnus aliquis mihi certè videris ex his, qui nuper ex gymnaſijs dialecticorum & rhetoricorum prodeuntes, eruditionis & audacię pleni, acutè nimiùm de rebus propoſitis diſſerunt & perſuadẽt. In te quidem & doctrinam & ſingularem video ſapientiam eſſe, qui ita aptè, diſtinctè & acutè ad perſuadendum locutus es: quare fit, vt tibi rerũ etiã humanarum nõ ignaro & debeam & velim credere. RHO. Fugere quidem iſtud eſt, nõ verũ fateri. Tuam hanc technam optimè noui. Demulcere mihi aures laudibus inſtituiſti, quò tibi faciliùs hanc confeſsionem euadere liceat, hirudo ſum, non effugies, niſi priùs hoc tibi perſuaſum apertè intellexero. Ironia illa certè fuerit, non confeſsio, quid taces? PLA. Iube hos quieſcere qui eiulant, qui flẽt, qui lamentantur. Hoc vnum ad culmen noſtræ miſeriæ deerat, vt hos miſeros & ærumnoſos ſocios mihi adderetis. RHO. Sentis tu contrà ac reliqui ſolent. Nam qui aliqua in calamitate ſunt conſtituti, eam certè leuiùs ferre dicuntur, ſi doloris ſocios habuerint. PLA. Mallem herclè ſolus eſſe, quàm cum hominibus calamitoſis & indoctis eadem miſeria premi. Neque enim hi me propter inſcitiam, neque ego hos viciſsim propter dolorem conſolari poſſum. RHO. Mitte tandem has querelas, atque agè dic quod rogo, ſi feſſus es, recumbe paululum in dexteram. PLATINA. Quid ego in dexteram

recumbam? qui ſiue dexter, ſiue ſiniſter, ſiue pronus, ſiue ſupinus iaceam, hac compedum moleſtia continuò crucior. Satis nimirum vobis eſſe debebat, comprehenſum in carcerem trahere, & non me, qui mihi ac ſeptuaginta ſocijs meis illatam à Paulo pontifice iniuriam queſtus ſum, tanquam proditorem, craſſatorem, furem, latronem, grauiſsimis etiam compedibus reuincire. Putaſtis credo me alterum Dædalum eſſe, qui ſumptis alis ex hac celſa & munitiſsima turri in terram libertatis cauſa deuolarem. RHODORICVS. Non vlla profectò alia cauſa eſt, quare huius nobiliſsimę arcis præſidium mihi commiſſum doleam, niſi quod & homines in carcerem trudere, & eoſdem pōtificis mandato plerumque vinculis & compedibus vincire cogor, quod certè ab ætate & profeſsione mea alienum eſt. Multis enim prodeſſe & neminem lædere, meum ſemper fuit inſtitutum. Quare & tibi & mihi, quod ſumma poteſtas imperat, ęquè ferendum eſt. Sed propediem hac moleſtia, niſi verò aliud mihi fuerit imperatum, te liberabo. PLATINA. Tum demum hoc fiet credo, vbi crura circunquaque exederit moles iſta grauiſsima. RHO. Ah Platina humanitati & pontificis clementię diffidere videris. Deſine malè ſperare, & eò tandem reuertere vnde noſtra defluxit oratio. PLA. Ne te diutiùs morer, tua iſta ampla & magnifica exemplorum poſitio, nobilium Gallorum ferculis, pauperum maximè mihi videntur eſſe ſimilima. vt enim in illis ſola magnificentiæ & liberalitatis ſpecies apparet: ſic & his nihil mihi præter inanem verborum pompam ineſſe videtur. Suadent hæc quidem aliquantulum, ſed non mouent. RHO. Videbar ego anteà & vultu & verbis ironicè loqui. Sed quæ, rogo, fuit cauſa cur ſecùs ac ſentires, loquerere? Leuis nimirum atque inconſtantis viri eſt, quę paulò antè affirmaueris, mutata ſententia refellere. PLA. Cēſent eum ſanum eſſe, qui in mœrore ac luctu vitam degit: vt enim corpus inęqualitate & ſuperfluitate humorum, febribus quatitur: ſic animus perturbationum multitudine à ſede plerumque ſua dimouetur. RHO. In hoc mihi ſapere potius, quàm deſipere videris, quòd ea quæ dico, niſi placeant, vt vnus aliquis è ſchola Philoſophorum, appoſitè nimiùm confutas: quod fieri profectò nullo modo poſſet, niſi mente & animo conſiſteres. PLA. Indignantium mos eſt, rectè dicta peruerſe ac ſtolidè dictis, quaſi* vatis cuiuſdam, miſcere. Videmus pueros, videmus inſanos, ſententias, & eas quidem pręclaras, nonnunquam efferre. RHODORICVS. Non negauerim ego quidem iſtud perſæpè accidere: ſed coniungere ſequentia antecedentibus, & quędam refellere, quędā approbare, non demētis certè, ſed benè ſani eſt propriū. Verùm hęc tandē omittamus. Agè dic, quare aliter ac ſentiebas, in meam ſentētiā venire te dixeris? PLA. Eam ſiquidem moleſtiam percipiebam eiulatu iſtorum & cruciatu compedum, vt neque docentem, neque admonentem patienter ſatis audire poſſem. Demum verò me recreaſti, quòd hos iuſſeris tacere, quodque etiam mihi ſpem dederis, te propediem his compedibus me ſoluturum. RHO. Mollis nimium & delicatus es Platina, qui rebus aduerſis ſic frangeris: ſed illa, vt video, indiges medicina, quam ego bonos imitatus medicos grauioribus ægritudinibus adhibere ſoleo. Hæc ſi nihil proderit, te ſtatim miſſum faciam. PLATINA. Quale ſit iſtud antidotum, audire cupio: illud, niſi amarum fuerit & ſtomachum faciat, bibere profectò non recuſabo. RHO. Quaſi verò & ſtomachus & aluus dilui poſsint, niſi contrarium quoddam ingeratur, quô pituita quæ inteſtinis adhæret, inde auellatur. Vt enim pudor petulantiæ, pudicitia ſtupro, fides fraudationi, pietas ſceleri, conſtantia furori, honeſtas turpitudini, continentia libidini, æquitas iniquitati, [illegible]perantia luxuriæ, fortitudo ignauiæ, prudentia temeritati, copia egeſtati, mens ſana amentiæ, bona ſpes deſperationi rerum omnium opponitur, ſic bona ratio falſæ opinioni aduerſatur. Quæ quidem tibi non mediocriter ægrotanti pro medicina adhibebitur, ſi rectè admonenti parere non recuſaueris. PLA. Sine me colligam aliquantulum, & animum ac corpus ad audiendum diſponam. Integere etiam pedes ſatius eſt, ne frigorea docilitate remouear: tu dicis, & ego interim mentum demulcebo, quò mens ſit ad audiendum pronior: barba enim inſuetis potiſsimûm neſcio quid moleſtiæ affert, niſi crebrò fuerit demulſa & attrectata. RHO. Coget me certè hæc tua attentio longius fortaſſe progredi quàm inſtitueram, ſi in ea te (vt par eſt) perſeuerare intellexero. Primùm hoc confiteare oportet, Deum ipſum ita creaſſe hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, vt meritò à Græcis mycrocoſmus, à Latinis verò paruus ſit mundus appellatus: in eo enim ſphæræ multæ ſunt, ineſt mēs, quæ ad ſimilitudinem illius qui hunc mundi globum regit, ſubiectum mouet. Verùm hanc philoſophandi rationem, vtpote minus Chriſtianam, prætermittamus. Hominem conſtare ex materia & forma non ignoras. Omitto item materiam illam primam, quam Ariſtoteles tanquam chimæram quandam proponit. Ex quatuor autem elementis compoſitum hominem, tum demum eſſe & viuere dicimus, vbi ei addita eſt forma & indita, ad cuius integritatem quinta profectò illa eſſentia neceſſaria eſt, quam endilichian ille, nos verò intellectum continuò mouentem debemus appellare. Quatuor illa ſunt nobis certè cum brutis omnibus communia: hoc vero ſolo quo intelligimus, ratiocinamur, progreſſus & anteceſsiones rerū non ignoramus, ab eiſdē differimus: eſſentijs ſeparatis quantū nobis per imbecillitatem humanæ naturę licet, perſimiles. Diſcurrit enim mens iſta mira celeritate (animantium duntaxat datum) per elementa omnia, per ſuperiores circulos: & adeo eſt intelligendi auida, qualia ſint quæ in mundo habentur, vt Dei etiam ipſius qui à nobis omninò comprehendi non poteſt, rationem & magnitudinem audacter nimium inueſtigare conetur. Nullam diſciplinarum relinquit intactam: non grammaticam reliquarum doctrinarum fundamentum: nō dialecticā, qua verum à falſo diſcernimus: non rhetoricam, vnde rationem perſuadendi ac diſſuadendi ſumimus: non arithmeticam, ad reliqua methemata gradum perneceſſarium: non geometriam, ad diſtin-

*veris quibuſdam.

Hæc ſuperflua apparent.

guenda



guenda climata, demenſurandumque hoc immenſum terrarum ſpatium, non inutiliter inuentam: non muſicam, cuius harmonia corda hominum demulcentur: non aſtrologiam, qua cœlos ſcandimus. De his diſciplinis ita diſſerit, vt verum à falſo, congruum ab incongruo acutiſsimè ſeparet: falli, decipi, errare circa earum cognitionem, turpe ac dedecus exiſtimat: proinde die ac nocte inuigilat, ne in errorem aliquem inſcitia dilabatur. Quos videt hominum in his præcellere, eos, vtpote diuinæ eſſentiæ magis ſimiles ac propinquos, diligit & imitatur. Ignorantiam & ſtultitiam, tanquam duo magna præcipitia, ſtudioſiſsimè vitat. Verſari in cognitione rerum maximarum & admirabilium, quibus tanquam gradibus perneceſſarijs, ſeipſam poſteà intelligat, ſummum bonum eſſe exiſtimat. Fieri enim nullo modo poteſt, vt quis ſui ipſius perfectam rationem habeat & cognitionem, niſi per diſciplinas, tanquam humanæ cæcitatis expiatrices, diſcurrerit. Indè quippe ad ſui ipſius cognitionem conuerſa mens, cæcitatis latebras facilius explorat. Neque velim exiſtimes, id vno tantùm actu fieri: Habitus enim, vt Ariſtoteli placet, & frequentatis actibus comparantur. Ad hoc namque ſæpius reuertitur, & quaſi apum diligentiam & ſolicitudinem imitata, inde ad cellulam ſuam recentem primò & inornatam, floſculos, quos paſsim ex florido illo atque amœniſsimò doctrinarum campo decerpſit, ſecum defert, eoſque ita aptè collocat, vt deinceps ſpeciem ſimul cum iucunditate præ ſe ferant. Neque antè cœpto deſiſtit ſi generoſa eſt, quàm viderit domicilium in quo habitat, fugatis vitiorum ſordibus, virtutum omnium pulchritudine redimitum: tunc quieſcit, tunc parto vt formicæ ſolent, ſæuientibus etiam vitiorum procellis, cùm ſecuritate & quiete fruitur: labores, vigilias, æſtus, ſolicitudines, quibus ferè tanquam inſtrumentis tantam felicitatem adepta eſt, delicias quaſdam putat. Pro iuſtitia, temperantia, fortitudine, modeſtia, nullùm laborem recuſat, in his verò dum ſe exercet multos iuuando, neminem lædendo, incommoda pro vtili & honeſto fortiter patiendo, modum in rebus ſeruando, libidines coërcendo, vitam ſibi beatam putat, otium & inertiam tanquam pernitiem humani generis deuitat: docet, admonet, caſtigat, reprehendit, neminem errare, quantum in ſe eſt, patitur. Si quem videt dolore, inopia, timore, ſolicitudine, vana ſpe circunuentum, eundem conſolatur, iuuat, & in viam rectam deducit. Regibus, principibus, nationibus, populis, ciuitatibus ius faſque præſcribit. Reſpublicas in ordines inter ſeſe conuenientes diſtinguit. Domos vni matronæ & patrifamilias committit, quę deinceps propagatæ, vicos in vrbe faciant. Affinitates, connubiaque proponit, quibus ciuitas, in vnum corpus tandem redigatur, & ad externam vim propulſandam, & ad bellum his inferendum à quibus fuerint iniuria laceſsiti: & ne in tanta cōcitatione animornm contra æquitatem aliquid fieret, ius feciale conſcripſit, quo admonemur & docemur, pro rebus repetitis & non redditis bellum hoſtibus inferre. Seruare item aduerſus hoſtes modum quendam admonet. Clientelas, hoſpitia, ſodalitates, amicitias optima ciuitatum vincula commendat. Quid plura? conatur profectò quoad fieri poteſt, vt idem ordo, eademque iuſtitia, & conſtantia in terris ſeruetur, quam eſſe apud ſuperos contemplatione & ſapientia nouit. Hæc itaque Platina, & plura alia cùm vides ab hominibus, ſapientibus potiſsimùm, ad benè beateque viuendum eſſe excogitata & inuenta, ratione ne, an temeritate factū dices? PLA. Ratione profectò: ſeruari enim tāta decentia in rebus humanis ſine mēte & cōſilio, nullo modo poteſt. RHO. Rectè ſanè. Cùm igitur mens hominis benè inſtituta, tot acies, tot oppida, tot præſidia contra ignorantiæ & vitiorum omnium arma & machinas fortiter ac conſtanter expugnauerit, ab eadem ne vnam vel minimam quidem perturbationum quę in vita accidunt, vinci poſſe abnues? PLATINA. Minimè. RHODORICVS. Ergo & tu, ſi non omninò te deſeris, ſique teipſo vti voles, hunc dolorem quem ex carcere percipis, ratione & conſilio perfacilè mitigabis. PLA. Eò certè me tua dicendi copia perduxiſti, vt quę affirmes & comprobes, tibi negare non auſim: ſed vnum velim conſideres, animos noſtros rudes adhuc & indoctos, omnes diſciplinas planè arduas, faciliùs diſcendo percurrere, quàm vitiorum labem & perturbationum agmina à ſeipſis dimouere: id vel in multis mea quidem ſententia videre licet, qui etſi docti & eruditi ſunt, tamen cupiditatum nexibus irretiti, vitam agunt intemperantem & flagitioſam. RHO Hoc quod dicis, rationi certè conſentaneum eſſe videtur: faciliùs ſiquidem à familiari inimico (vt aiunt) quàm ab externo ſuperamur. Vnà enim cū homine vitiorum & cupiditatū ſemina naſcuntur, creſcuntq; indies, & augentur magis, niſi fuerint ratione cognitionis ſuppreſſa, quę (vt anteà dixi) magno ſtudio & longa exercitatione comparatur. Neque certè vllam aliam ob cauſam doctrinę inuentę ſunt, niſi vt his labe omni expiati animi, ęuo fruantur ſempiterno. Vt enim ſtrenui imperatoris eſt, videre priùs, qua in re potiſsimū ab hoſte lædi poſsit, ne ab eodem dum manus conſeritur, meatus opprimatur: ſic boni ac docti viri proprium eſt, vigilare continuó, ne in culpam aliquam vitiorū illecebris dilabatur, vt Herculem virum fortem, ac conſtantem feciſſe legimus, qui vno exciſo lerneæ beluæ capite, aliud ſtatim aggrediebatur, ne ſi quid de virtute, timore, vel ignauia remiſiſſet, à tanta ac tam immani hydra abſumeretur. Quòd ſi quid docti videtur, vt ais, qui flagitioſe ac intemperanter viuant, eos ego non doctos, ſed fures ac latrones appellabo, qui rei accomodatę vſum longè aliter percipiant, quàm fruendum ac vtendum acceperant. Quę enim doctrina poteſt eſſe in his, qui nullum ſcientiæ apud ſe locum reliquere? Caſtos amat, & ſanctos muſa (vt ait ille) poetas. Præterea duo contraria in eodem eſſe ſubiecto nullo modo poſſunt: quare nec auarum ego, nec libidinoſum, nec furibundum, nec turpitudinib. omnibus & dedecori ſeruientem, ſapientem vnquam aut doctum appellabo, cùm nihil ſit tā cōtrarium virtuti, quàm vitioſitas ipſa. Iuuenes ait Ariſtoteles, non eſſe idoneos auditores philoſophię

a 3 moralis,

moralis,quòd hi ob ætatem magis æſtuent cupiditatum procellis, quibus certè vetamur earum rerum cognitionem habere,quæ ad virtutem ducunt.Coërcendę ſiquidem libidines ſunt,refrenanda auaritia,& cæteræ animi labes expellendę,ſi boni & docti, quę duo ſimul conſpirarunt, haberi volumus.Vnde Maro poeta bonum pro docto,non incongruè poſuit,Eloga V.

*Cur non Mopſe,boni quoniam conuenimus ambo,*
*Tu calamos inflare leues,ego dicere verſus,*
*Hic corylis mixtas inter conſedimus vlmos?*

PLA.Venio ego in hanc ſententiam pedibus & manibus, ſed id mihi mirum videtur,quòd acutè diſſerant,aptè loquantur,non incongruè philoſophentur,ſi docti non ſunt.RHO. Eadem ratione doctas appellabis picas,pſitacos,monedulas,quòd interdum humanam vocem imitatæ,appoſitè aliquid exprimant.PLATINA. Habentur tamen hi apud vulgum in pretio.RHO.Quid? nónne equi,aſini,& cętera iumenta apud vulgum in pretio ſunt? PLA.Minimè verò eadem ratione.Hos enim veneratur,hos ad ſummos honores & magiſtratus prouehit, hos muneribus, hos donis afficit. RHODORICVS.Quod imperitum vulgus facit,ferendum potiùs quàm laudandum cenſeo.Quid, ſi tibi oſtendero ætate noſtra ignauos & rudes,non bonos & eruditos,in pretio eſſe? Vacet honor,vacet alicuius dignitatis locus,quis ſufficitur? Leno,nebulo,adulator,paraſitus,delator,ſicarius,craſſator,fur,ſacrilegus,& qui propè nihil habet hominis in ſe,præter materiam,& eam quidem ſatis rudem.Boni verò,prudentes,docti,eruditi,ac rerum humanarum non ignari, tanquam manci & inutiles omittuntur.PLATINA.Plerunque etiam videmus bonos in imperio alijs præeſſe, ne dicas eruditos ſemper excludi. RHO. Id ſi interdum fit, non per ſe certè, ſed per accidens (vt aiunt philoſophi) contingit. Verùm prætermittamus tandem queri hanc communem vbique gentium calamitatem,exiſtimemuſque viros ſapientes, etiamſi nullo honore ac pręmio fuerint affecti,beatos & felices eſſe. Sola enim virtus (vt Stoicis placet) ex ſeſe ad benè beatéque viuendum ſat eſt.Nã qui virtutẽ adeptus eſt,ei certè ad ſummã felicitatẽ deeſſe nil poteſt.PLA.Hoc tamẽ Peripateticis non placet, qui nil præclarum ab eo fieri poſſe oſtendunt,cui ad magnificentiam & liberalitatem facultates & copiæ deſunt.RHO.Sẽtio & ego cum illis, ſi ad felicitatem ciuilem reſpicis: loquebamur ſanè, ſi benè meminiſti de homine ſapiente & perfecto, cuius certè tota felicitas in contemplatione rerum occultarum & admirabilium repoſita eſt.PLATINA.Quid? iſte ſapiens,num comedit,num veſtibus & latibulis ad frigora æſtuſque vitandos indiget? Omitto quæ ad ſpeciem & ornatum ſunt pernecessaria, vt argentum, aurum, egregiam librorum vtenſiliumque omnium ſuppellectilem.RHODORICVS. Hæ profectò eò faciliùs à ſapiente comparantur, quòd paucis minimiſque contentus eſt. PLATINA. Facis tu quidem hunc hominem à mendico nihil differre.RHO.In vnum tantùm differunt,quòd hic coactus,ille libens,oſtiatim,etiamſi oportuerit,panem mendicat.PLA.Non vtique hoc liberi hominis officium eſſe puto, cum ſine rubore & dedecore fieri non poſsit.RHO.Imò liberrimi,qui extrema quæque pati mauult, quàm delicijs aliorum iniuria partis affluere. PLATINA. Quaſi verò facultates comparari non poſsint iuſtè & honeſtè.RHO Difficile hoc quidẽ eſt,& vnum ex his quæ fieri poſse vix puto:bilancem ſemper in manibus habere oportet, & diligenter attendere, ne examen in hanc magis quàm in illam partem flectatur: quod quidem fieri cupiditates noſtrę non ſinunt. Sumus enim fato neſcio quo ad rem auidi,& ita accuratè diuitijs ſtudemus,ac ſi annos Mathuſalẽ victuri eſſemus.Hinc nẽpe rapinę,hinc latrocinia,hinc ſacrilegia,hinc peculatus,& infinita mala naſcantur oportet. Quare vir ſapiẽs, & benè natura inſtitutus, has tanquam improbiſsimas dominas dedecoris & turpitudinis declinat,adhęretque innocentiſsimę ac ſanctiſsimæ paupertati,cuius adminiculo adiutus,otio & ingenio ſuo liberrimè fruitur.PLA.Non abhorrent à vero quę dicis:quid alijs contingat neſcio,ſed hoc vſu euenire mihi ſolet, vt facilè ab omni ſtudio & cogitatione retrahar,vbi me paupertate & inopia cicunuentum video.RHO. Hoc eſt ſignum ægrotantis animi,& virtutis antidoto nondum benè purgati:deeſſe tibi profectò nil poteſt Platina,ſi munerib. à natura datis vti volueris,& ſi diligenter conſideraueris,vnde in lucem veneris,& quò tibi redeũdum decurſo vitæ tuæ ſpacio.Nudum primò natura te produxit.Huic tuo corpuſculo animum Deus & mentẽ indidit,quã tibi ad virtutem parares omnia.In lucẽ prodiẽs,lacte primò,mox pane fuiſti cõtentus. Vita qua fruimur, breuis eſt,& quidã quaſi ſomnus.Moriendũ eſt poſtremò,vt depoſitum reddamus:nec timendũ eſt, quod euitare non poſsis.Tã ſtultũ eſt,vt ait Baſſus,mortẽ timere,quàm ſenectutẽ:vt enim ſenectus adoleſcentiã ſequitur,ita mors ſenectutẽ:quanquã ſi verũ intueri volumus, non mortem timemus,ſed cogitationem mortis ipſius.Plus enim mali eſt in opinione quàm in re.Vera quidem ex parte Epicuri ſentẽtia eſt, qui affirmabat ſe parum admodũ doloris in illo extremo halitu videre: quod ſi quis eſſet, breuitate ipſa fieri leniorẽ:diuturnus enim eſſe dolor nõ poteſt,qui magnus eſt:quod ſi quis dolor ineſt,facillimè tollitur,ſi benè mori didicerrimus.Benè aũt moritur,qui in vita philoſophatur.Tota enim philoſophorũ vita,vt ait Cicero,cõmentatio mortis eſt:nã quid aliud agimus,cùm à voluptate,id eſt: à corpore & omni negotio ſegregamus animũ? quid inquã tũ agimꝰ,niſi animũ ad ſeipsũ aduocamꝰ, ſecũ eſſe cogimus,lõgeq; à corpore abducimꝰ? Secernere aũt à corpore animũ,nil aliud eſt,quã emori diſcere.Quæ cauſa igitur eſt,ſi principiũ,ſi mediũ,ſi finẽ humanæ vitæ inſpexeris, cui paupertatẽ deteſtãdo diuitias quæras? quaſi vero cõparãdũ viaticũ ſit,quo poſteà apud inferos nobis ſit vtẽdũ: ſtolidũ ſiquidẽ humanũ genus eſt, & brutis animãtibus hac in re deterius. Naturæ enim illa ſeſe cõ-





mittunt,& eo cõtenta ſunt quod dies queq; ſuggerit.Non negauerim ego hominib. longè aliter viuendũ eſſe quàm brutis,quippe quibus à natura alia viuendi ratio ineſt.Sed hæc immenſa habendi cupiditas,humani generis hoſtis acerrima,omninò certè reijciẽda & deteſtãda eſt.Cõparari diuitiæ & opes non poſſunt ſine multorum iniuria:ex quo fit vt prouinciæ nonnunquam & ciuitates funditus deleantur,cũ ij rapere,illi quę ſua ſunt reuocare conantur.Nõ eſt igitur timenda paupertas. Nã qui ad naturam viuit,nunquam pauper eſt:qui ad opinionem,vt ait Seneca,nunquam diues. Natura enim parũ deſiderat,opinio verò multũ ac propè infinitũ.Neq; enim pauper eſt qui paucis indiget,& paruo contentus eſt.Satis eſt autem non algere,non eſurire,non ſitim vltra modum pati.Cibus parcus famẽ ſedat,potio etiã diluta ſitim extinguit,veſtis frigus arcet,domus imbres, æſtus grãdines,niues,ventosq; propulſat.PLA.Abſit vt ego velim,nedũ cupiã diuitias cũ aliorũ iniuria partas.Sẽper certè hoc meũ fuit inſtitutũ,manus abſtinẽtes habere:atq; vtinã herclè ſic me natura à reliquis vitijs retraxiſſet,quemadmodũ hoc libẽs & ſpõtè deuito.Cupere aũt diuitias honeſtè & rectè partas,quibus poſsis te ac tuos paſcere,nõ ita mihi videtur à ratione alienũ. RHO. Si ad neceſsitatem cupis,& non ad affluentiã,laudo:ſed vereor,ne eas tanquã voluptatũ omniũ miniſtras & adiutrices,deſideres.PLA.Non,ita me Deus amet. Ad quietem potius, & liberale otiũ diuitias cupio, quàm ad flagitium & dedecus.Hoc vel ex mea anteacta vita colligere potes,in qua ſic vixi, vt nullũ mihi inſigne facinus aſſcribi poſsit. Sed dic quęſo,quare vereri te dixiſti, ne ad voluptatem reſpicerem? RHO.Conſentaneum eſt,eum qui ab vna perturbatione vincitur, ab alijs quoque ſuperari poſſe.Ratio nimirum ad omnes affectus,diuerſis tamen modis eadem eſt. Quòd ſi moleſtia carceris,qua vehementer cruciaris,quæque ad tempus eſt,leuare te non poteſt, multò minùs à voluptatę retrahet, quæ eadem ſemper conſtanſque habetur, in iuuentute præfertur.PLATINA.Exacerbaſti profectò vulnus noſtrum hac recordatione,cuius dolore eram aliquantulum tuo eleganti ac docto ſermone leuatus.RHO. Vulnus appellas quod vix pellem perfricuit.PLATINA.Pellem inquis? Vtinam non etiam præcordia traieciſſet.RHO. Cupio ex te audire,quid incommodi ex carcere patiaris.PLA. Libertatem amiſi:qua quidem ſublata, non video cur amplius in vita eſſe velim.RHO.Quam appellas libertatem? PLA. Poteſtatem eundi videlicet quò velis, & redeundi vnde digreſſus ſis.RHODORICVS.Quid ſi hæc non libertas eſt, ſed ſumma plerumque ſeruitus? Nónne itur ad ſtupra,ad furtum,ad incendia,ad rapinas,ad inceſtus,& ad cætera flagitia? Vtinam verò genus humanum catenis & compedibus tum reuinciretur, non videremus certè tot mala,quot indies cernimus.PLA.Itur etiam ad templa,ad phana,in forum,ad amicos officij cauſa:hoc ſi facere non liceret,non Deum certè,non ſanctos ex mandato adoraremus,precaremurque: non amicis fraude & iniuria circunuentis ſubueniremus:non patriæ conſulendo vel agendo auxiliaremur: nõ ad affines,ad cognatos,ad parẽtes ex officio viſendos proficiſceremur: non publica & priuata negotia obiremus.RHO.Duplicem eſſe ſeriem rerum non ignoras, mali & boni. Ad malũ natura humana inclinata & prona eſt:ſi ad bonum itur,id ex mandato ſummi Dei & ratione fit. Quare ad quod proniores natura ſumus,cùm id maximè periculoſum ſit, ab eo magis minis & pœnis omnibus coercere debemus Nã ſi ſecus fieret,omnes profectò licẽtia deteriores eſſemus. PLATINA. Ex te audire cupio,quæ ſit vera libertas.RHO.Sanctè ac iuſtè viuere,multis prodeſſe,neminem lædere:ea demum eſt vera libertas:hac verò quicunque eſt præditus, ſeruus vel captiuus dici nullo modo poteſt,etiamſi teterrimo carcere & grauibus catenis detineretur. Cupiditate enim & turpitudine non alia vi, libertate ſua priuatur animus. Hinc illa certè perpetua concertatio inter hæc duo contraria oritur tanquam inter hoſtes acerrimos, cùm voluptas trahere in partes ſuas appetitum viribus omnibus nititur: contrà verò animus rationi benè conſentaneus,eundem ad ſe reducere & emendare conatur. PLA. Sit ita ſanè,vt dicis:multis tamen commodis priuatur ad benè viuendum,qui tanta miſeria premitur.RHO.Quænam ſunt iſta commoda? PLA. Conſuetudine & familiaritate amicorum vti.RHO.Qui ſunt autem quos amicos vocas? PLA. Qui æquè me diligant ac ſeipſos.RHO.Erras Platina,& quidem vehementer,ſi tales hac ætate habiturum te exiſtimas:quis enim iſtorum fuit,quos tibi amicos putas,non dico qui ſanguinem, ſed qui vel minimam quidem fortunarum ſuarum partem pro tua ſalute ſponte obtulerit? PLATINA. Non ſit? de iniuria mihi à Paulo illata quæſtus ſum,redimere me tanquam bello captum, aliorum pecunia debui.RHO.Eſt ita ſanè,vt dicis,quod tua atque omnium literatorum cauſa Pius ſecundus inſtituerat,hic doctorum omnium hoſtis reſcidit & abrogauit,gloriæ Pij non minus quàm vtilitati tuæ aduerſatus: ſed quis iſtorum te inuiſit? quis tibi ad victum & cultum corporis neceſſaria obtulit? PLA.Primum fieri,timor fortaſſe vetuit: Secundum tua munificentia & liberalitate eis præripuiſti ne facerent.Omnia enim mihi ad traducendam vitam neceſſaria, abs te ſuggeruntur. RHO. Qualem eum in grauiſsimis periculis futurum exiſtimamus,qui vel leui timore ab officio remouetur? PLA.Nemo eſt enim qui vel in principijs huiuſcemodi perturbationum non moueatur. Ad ſe verò vbi redijt homo,in officio,ſi verus eſt amicus,remanet.RHO.Ex hoc autem cernere licet, horum neminem tibi amicum eſſe, quòd neque ad ſe,neque ad te adhuc redierit nemo. Vtinam verò fuerint tibi non inimici.Vereor enim ne ſui purgandi cauſa in te vnum fabam omnem cuderint. PLATINA. Quam fabam? Hoc ſolum deferre potuerunt me acerbè nimium fortaſſe queſtum eſſe,id mihi vi ablatum,quod ego pecunijs & induſtria mea pepereram. Nullum inſigne facinus mihi impingi poteſt, non furtum, non ſtuprum, non latrocinium,non incendium,nõ prophana-

tio templorum, non homicidium, non proditio. Hoc autem ita eſſe, ex mea anteacta vita comprehendi poteſt. RHO. Res profectò perinde ac ſunt, non ſemper accipiuntur. Hoc tamen vnum fateare oportet, amicum te nullum habere. PLA. Fortaſſe. RHO. Quid fortaſſe? Oreſtis ne & Pyladis atque aliorum, quos poetæ & oratores laudibus in cœlum tollunt, ſimilem te amicum inuenturum exiſtimas? Vera eſt illa Theophraſti certè ſententia, qui præpoſterè officia permiſceri ab his cenſet, qui cùm amauerint iudicant, & non amant cùm iudicauerint. Hoc enim ſapientis eſt proprium, qui etiam ſe ipſo contentus eſſe poteſt, non vt amico carere velit: ſed ſi id acciderit, ferre æquo animo ſciat & poſsit. Neque mea quidem ſententia audiendus eſt Epicurus, qui nil boni obijcit, quòd dicat ſapientem ſe ipſo contentum. Scipionis & Lelij amicitiam laudo, non eorum beneuolentiam, quę cùm fortuna ſtat & cadit. PLATINA. Nollem ego tam obſtinatos amicos. RHO. Vtinam quidem inuenias, qui pro libertate tua quadrantem, nolo dicere aureum nummum, pollicerentur: diffugere omnes paſsim, vt vides, qui te in carcerem coniectum intelligunt: & quos amicos putabas, ingens circa te ſolitudo indicat. Quid, quòd ne nomen tuum quidem efferre audent, ac ſi Dianæ Epheſiæ templum incendiſſes? PLA. Mihi tamen eſt periucundum eorum conſuetudine frui: loquimur ſimul ad voluptatem & vtilitatem multa: de rebus præterea quæ quiſque legerit, audierit, commentus fuerit, in medium veri inueniendi gratia, confert. RHO. Si docti, ſi prudentes, ſi boni, fateor eorum conſuetudinem tibi iucundam videri. Verùm hæc rara eſt auis, nigroque (vt ait poeta) ſimillima cigno. Pauci ætate noſtra ſapientiæ ſtudent, quòd eam nullo in pretio eſſe vident. Prudentiam verò & probitatem tanquam duo grauiſsima paupertatis ergaſtula deuitant, quòd cernant diuitias, honores, imperia, magiſtratus, poteſtati improborum & imprudẽtium ſubijci. PLA. In omni quidem virtutum præclariſsimarum ſeria (vt video) paucos bonos reperies: pauci ſunt iuſti, pauci conſtantes, pauci continentes, pauci prudentes, pauci ſapientes ac docti. RHO. Paucos vocas? imò fermè nulli ſunt. Quis enim omnium eſt, qui vel ex alieno rapere, vel voluptate & libidinibus frui non gaudeat? Quis itẽ adeò fortis & prudens eſt, qui non aliquando timiditate & imprudentia de gradu deijciatur? Quis poſtremò eſt ita laborum & vigiliarum patiens, vt reiectis voluptatibus, omni velit doctrinam & ſapientiam ſolicitudine ac ſtudio complecti? PLATINA. Vnde iſtud dic quæſo? RHO. Duæ nobis de ratione viuendi deliberantibus viæ offeruntur: quarum altera ad voluptatem, altera ad virtutem ducit. Prima verò lata eſt & prona, voluptatumque omnium illecebris vndequaque ſepta, cuius finis, humani generis calamitas & pernicies eſt. Eò namque maxima pars hominum deuoluitur, cupiditatibus & libidinibus allecta, quibus ineſſe vltimum bonorum omnium finem exiſtimat. Hinc infinita mala naſcantur oportet: rapinæ, vt habeant ad voluptatem inſtrumenta: ſtupra, inceſtus, adulteria, ne titillatione libidins careant: fraudes, periuria, doli, proditiones, calumnię, maledicentiæ, vt indolentia careant: ſtultitia, timiditas, iniuria, malitia, ne quid eis ad id quod ſummum bonum falſo putant, in vita deſit. Tu verò cũ humanum genus tot improbis dominis & tyrannis dedecoris ac turpitudinis obtemperet, mirabere ſi vt in cloacam pręcipitium vitiorum omnium deferatur? Secunda autem quæ ad virtutem ducit, ardua & aſpera: cuius quidem latera confragoſis rupibus & altiſsimis ſcopulis ſunt munita, ne per diuerticula degredi ab honeſto vllo modo liceat. Hæc nobis vigilias, ęſtus, frigora, ſitim, famem, continentiam, integritatem, & labores ferè infinitos proponit: quibus ſuperatis, quod paucis admodũ contingit, in arcæ verę, conſtantis & perpetuæ felicitatis nos collocat. Vnde certè cũ tranquillitate & otio ea licet intueri, quę nobis quidem duriſsima videbantur. Hac qui proficiſcantur, vt ait poeta Heſiodus, pauci ſunt. Sumus enim neſcio quo fato, à laboribus ad libidinem proni. Hinc eſt autem quòd poſthabita virtute, ſqualoris & ſudoris plena, voluptatem fuco illecebrarum omnium ornatam ſequimur & amplectimur ferè omnes. PLATINA. Philoſophantem te ac diſſerentem profectò libenter audio, quòd in te eſſe ſummã doctrinam, ſingularemque ſapientiam intelligo. Verùm in deligendo qui meipſum amet, ago vt queo, quando vt volo non licet: modò enim habeam quo cum de rebus meis aliquando loqui poſsim, vt mecum æquo animo fero, ſi non Patroculum & Achillem inuenio. RHODORICVS. Vtinam non ſæpe de rebus alienis loqueremini. Nam ſi deambulatis recreandi animi & corporis gratia, totus ſermo veſter in maledicentia conſumitur. Hunc abſentem carpitis, illum tranſeuntem deridetis. ignauum docto, ſtolidum prudenti, libidinoſum continenti, auarum liberali, falſo iudicio ſæpe præfertis. Ad templum ſi vobis ire contigerit, quòd perrarò, niſi pluuia (vt aiunt) ingruerit, fieri ſolet, non rei diuinæ, religioſe, ſanctè ac caſtè vacatis, vt vobis quidem Dei mandato imperatum eſt: ſed aut procamini, ſi puellæ & matronæ adſunt: aut canentem vel legentem ſacerdotem, vtpotè ineptum & rudem, ſubſannatis. Si quem verò intentiùs orare videtis, hominem hypocriſi notatis. Cogitabundum autem & curis oppreſſum, & ob eam rem minus attentè quod legitur audientem, phanaticum & hæreticum appellatis. Itur in forum iudiciale. Eò certè vbi ventum eſt, non prætoribus, non iudicibus, non cauſidicis, non patronis, non clientibus parcitis. Quid plura? nil fermè videtis cui à vobis nota aliqua non inuratur. Non dico quot mendacia, quot tabellas ad fallendum & deridendum fingatis. Demum inde redeuntes, conuiuia ad crapulam & ebrietatem celebratis: quibus certè fit, vt libidine incitati, ea flagitia cum magno veſtro diſcrimine committatis, quæ ego præ pudore & ſtomacho nominare non audeo. Hęc autem non ideo tibi à me dicta ſunt Platina, quòd exiſtimem te morbo maledicentię & dicacitatis laborare, ſed vt minus moleſtè feras talium amicorum con-

ſuetudine



ſuetudine priuari: ea enim in te ſunt ingenij & doctrinæ ornamẽta, vt tibi ipſi vel legendo vel ſcribendo aliquid memoria dignum poſsis eſſe voluptati: & quidem magnæ, cùm hi quos legis, iuſsi tacere taceant. Quod certè non idem tibi cum ſocijs contingeret, qui plerunque adeo proterui & loquaces ſunt, vt cum beluis malim quàm cum his verſari. PLATINA. Rectè ſanè: at ego talium virorum amicitiam, vt teterrimam quandam peſtem vitaui ſemper, delegique quoad fieri potuit, qui earundem rerum mecum ſtudioſi eſſent. Illæ verò comeſſationes lautæ, quæ libidinum maximarum fomenta ſunt, nunquam mihi vel naturâ vel inſtituto placuerunt: lædere quempiam vel dicto vel facto, niſi laceſsitus, caui ſemper. RHO. Serpunt (vt noſti) contagia: difficilè ſiquidem eſt in piſtrino verſari abſque farinæ contactu. PLA. Leniuiſti tuis verbis aliquantulum hoc deſiderium, quo ego ardebam videndi amicos: non tamen omnino mihi perſuaſiſti, vt malim carcere detineri, quàm quò velim, & officium meum exigeret, abire. RHO. Quod vocas officium? PLATINA. Maiores natu, & qui in aliquo præclaro & excelſo dignitatis gradu ſunt conſtituti, ſalutare & venerari, æquales diligere & amare, inferioribus bene conſulere, eoſdemque quibuſcunque rebus poſſis iuuare. Quod fieri niſi ab homine libero non poteſt. RHO. Si monſtra hominum ſalutas, ſi eos diligis, qui vel maximo odio digni ſunt, ſi illos iuuas, qui ita viuunt, vt nullum auxilium ſint meriti, officio te functum dices, cùm officium ſit, quicquid hominem decet? PLATINA. Nimium hæc ad viuum reſecas Rhodorice, imbecillitati hominũ ſiquidem ignoſcendum eſt. Non enim cum bonis ſemper & planè ſapientibus viuitur. Præterea vt illi meas ineptias plerunque tolerant, ſic ego viciſsim illorum mores & naturam ferre debeo. RHODORICVS. Placeret mihi hoc tuum de tolerantia reſponſum, diceremque te iam ad ſanitatem redijſſe, ſi moleſtiam carceris, qua maximè te perturbari video, patienter & ęquo animo ferres: ſed cùm fruſtra adhuc noſter hic ſermo ſine vllo emolumento ſit conſumptus, tandem ego te miſſum faciam: functus ſum (vt arbitror) officio meo, tu tuum facies, ſi teipſum ratione & patientia conſolabere. PLA. Cruciat me profectò hic tuus diſceſſus. Conſpectu enim tuo ſuauiſsimo & graui recreabar mirificè. Sed vnum te rogo, vt ad me cras, ſi tibi per otium licet, redeas, aut ſaltem aliquid conſolatoriè ſcribas, quo minus doleam, tua dulciſsima conſuetudine caruiſſe. RHO. Primum ego tibi affirmare non auſim, ſecundum me facturum repromitto. Apertiùs enim mecum epiſtola loquerere quàm adhuc coràm feciſti, verecundia aliqua fortaſſe detentus.

# DE FALSO ET VERO BONO
## LIBER SECVNDVS.

ARriſtippum philoſophum Socraticum, beatiſsime pater, ferunt aliquando ad Rhodienſium littus graui naufragio eiectum fuiſſe, ibique dum non ſine magna ſolicitudine cogitaret, quanto in diſcrimine fuiſſet, vidiſſe in arena figuras quibuſdam geometricas, atque ita ad comites, mœrore poſthabito, hilari vultu exclamaſſe, bene ſperandum eſſe, nam & hîc quoque hominum veſtigia cernimus. Is Rhodum profectus, cùm publicè in gymnaſio doctè & acutè diſputaſſet pluribus muneribus donatus eſt, quibus & ſuam & ſociorum iacturam magna ex parte leniret. Cùm ij verò deſiderio ſuorum redire in patriam ſtatuiſſent, rogarentque Ariſtippum, conductum pretio Rhodi manſurum, nunquid vellet: Tum ille: dicite, inquit, ciuibus meis, Nullam maiorem hæreditatem tradi à parentibus filijs poſſe, nullum maius viaticum, quo etiam in naufragio ſint tuti, quàm ſi eos honeſtis artibus optimiſque diſciplinis imbutos reliquerint. Verum eſt certè quod Theophraſtus ait, ſolum ex omnibus doctum, neque in aliena patria peregrinum, neque amiſsis familiaribus & comitibus, carcre amicis poſſe: quos etiam nobis, licet incognitis, virtus ipſa cõparat, nõ pecunijs, nõ opibus, nõ potẽtia, non armis, ſed doctrina & cognitione rerũ munita. Hęc enim ſola quocũq; ierimus, nos comitatur, nos reducit. In periculis quoq; veluti clypeus, hoſtiũ & aduerſariorũ venientes in nos ictus propulſat. Ad fortitudinẽ cohortatur: docetq; nil in vita tã graue homini vel calamitoſo eſſe, quod ferri cõſtanti animo ſuo adminiculo non poſsit. Hęc Socrati fortitudinẽ in moleſtia carceris & mortis pręſtitit. Hęc patiẽtiam regulo dũ cruciaretur à Pœnis: Hæc Senecę, hæc Boëtio, dũ mors eis proponeretur, cõſtantiã attulit. Pleni ſunt maiorum exemplis præceptis: quibus certè ita ad virtutẽ incitamur, vt iã maiora calcaria habere nõ poſsimns. Omitto Platonis amplitudinem & vim, qui immortalitatem animorum ita expreſsit, & mortem laudauit, vt Theombrotus cupiditate æternitatis lecto Phædone, è mœnib9 vrbis ſe in mare præcipitem dederit. Illud dico, Socratis, Zenonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Senecæ, Pauli, omniumque doctorum noſtrorum præcepta, ita

nos

nos continuò ad virtutem animare, vt verè (Deo ipſo excepto) his magis quàm parentibus noſtris debeamus: ab his enim vt eſſemus, ab illis vt bene viueremus, accepimus: quanquã verò & ab ipſis, Athenienſibus plurimum laudis parẽtibus illis tribueretur, qui curarent vt filij optimis imbuerentur artibus. Quamobrem beatiſsime pater, illis multum me debere profiteor, quorum opera hoc parum eruditionis conſecutus ſum. Hac enim fideliſsima comite & adiutrice, fortunis omnibus ſpoliatus, & moleſtiam carceris, quæ diuturna fuit, & cruciatus pedum ac brachiorum, & minas crudeliſsimorum carnificum, mea etiam innocentia fretus, conſtantiſsimè tuli, arbitratus id quod eſt authoritate Senecæ comprobatum, Maiori mihi laudi hanc calamitatem aliquando fore, quàm illi fuerit ſua felicitas, ſi licentia peccandi dici poteſt, cuius arbitrio torquebar & cruciabar. Venerat tum ad me Theodorus Gaza, doctrina & moribus philoſophus inſignis, cuius erudito ſermone mirificè ſum delectatus.

## THEODORVS, PLATINA.

VBI nam es Platina? PLA. Hem Theodore, quid huc veniſti relicto gymnaſio tuo, in quo certè nulla mœroris, nulla calamitatis facies ineſt? THEODORVS. Vt te viderem & conſolarer, quem ex Rhodorico intellexeram aduerſam fortunam ferre nullo modo poſſe. Is enim, vt ab eo accepi, totum heſternum diem, vt te cõſolaretur, fruſtra inſumpſit. Tentare volui, poſſet ne mihi vſu venire, quod pleriſque medicorum ſolet, qui vna vel leui medicina ægrotos, aliorum tamen cura & diligentia bene prius curatos, plerunque ſanant: vnde fit, vt ex aliorum induſtria laudem ſibi cum emolumento pariant. Scio Rhodoricum virum quidem optimum atque eruditum, nil prætermiſiſſe quod fidem tibi hac in re faceret. Verùm plus in vno plerunque felicitas valet, quàm in altero induſtria & doctrina, vt de imperatoribus dici ſolet, à quibus felicitatem magis quàm rei militaris ſcientiam deſideramus. PLA. Multum tibi Theodore debeo, qui pro humanitate & gratia me omnium qui viuunt, miſerrimum adire conſolandi cauſa volueris, cùm nulla mea erga te præceſſerint merita. Rara eſt profectò hæc miſericordia: Gradus enim nullus ab hominibus noſtrorum temporum excogitatur, nedum fit, in quo ſpectata vtilitas nõ ſit. THE. Neque ego quidẽ domo pedẽ efferrẽ, niſi mihi propoſitum pręmiũ viderẽ. Non eſt fraudandus quiſpiam mercede laboris, ne ſegnes ad res agẽdas ingratitudine fiamus. PLA. Quorſum eas, intelligo: viſere infirmos, ſolari calamitoſos, errantes in viam rectam deducere, famelicos paſcere, nudos veſtire, præmium illud æternum quærere eſt, non hoc fragile & caducum. THE. Ita eſt ſanè, ſed dic quæſo cur in hunc angulum ſeceſſeris? PLA. Vt horum qui mecum eadẽ miſeria premuntur, eiulatus & querelas vitarem. Sed mihi certè contigit, vt nauigantibus in freto Siculo, qui dum Scyllam vitare cupiunt, in Charybdim vi tempeſtatum & procella deferuntur. Nam cum mecum tacitus mente reuoluo, in quantam inciderim calamitatem, ita plerunque mente & animo crucior, vt vitam mihi acerbam putem. THEODORVS. Crediſſem ego te profectò ob eruditionem & doctrinam, vtranque fortunam conſtanter & pulcherrimè laturum. Sed quid inter te & hos differat non video, niſi quòd docilitatem quandam natura tua magis præ ſe fert. Agè verò dic, quem voces calamitoſum. PLA. Omnium miſeriarum cumulo oppreſſum. THE. Quas vocas miſerias? PLA. Inopiam, captiuitatẽ, vincula, tormenta, cruciatus, minas, valetudinem, extorrem domo ac patria eſſe, & quæ hæc ſequuntur, vt ſitim, famem, frigus, à fratribus, à cognatis, ab amicis omnibus deſeri, & animo ac mente angi: his certè qui premitur, nõ video quid habeat cur in vita eſſe velit. THE. Nimium te abijcis Platina. Dic obſecro, cur literis te & philoſophiæ addixiſti? PLA. Vt ſcirem certè. THE. Imò vt conſtanter & cum virtute viueres. Vt enim ad ſananda corpora ægrotantium medicina inuenta eſt: ſic philoſophiæ præcepta illa à ſapientibus tradita ſunt, quibus animorum noſtrorum ægritudinibus & perturbationibus mederemur. Quod fieri certè ſine doctrina non poteſt: nam vt ager ſine cultura infructuoſus eſt: ſic ſine doctrina animus. Cultura autem animi philoſophia eſt, quæ omnium artium mater & donum deorum, (vt ait Plato) vitia è mentibus hominum radicitus extrahit, & præparat animos ad habitus bonorum ſuſcipiendos. Hoc vnum ſtudium certè liberale eſt, hoc eſt homine libero dignum, cætera verò puſilla & quodammodo puerilia ſunt: hæc enim bonorum malorumque delectum præſtat. Hæc vetat ſuperbum eſſe, auarum, libidinoſum, intemperantem, contumacem, perfidum, crudelem, mendacem: hæc eadem docet quid quoque tempore ſit agendum, quaque ratione futuris pręterita ſint annectẽda: quod quidem fieri ſine cognitione multarum rerum non poteſt, quæ meritò doctrina vocatur. PLA. Quid? philoſophari igitur nil aliud erit, quàm in carnificina quadam calamitatum omnium verſari? THE. Ita ſanè. PLA. Hinc fit vt ego parentum meorum ſtultitiam mirer, qui me ad ſtudia cum diſpendio etiam rei familiaris, tanquam ad ergaſtulum miſeriarum omnium miſere. THE. Ad labores quidem mi Platina, non ad delicias, nati ſumus. In vitam enim tanquam in theatrum quoddam deſcendimus, vbi nobis continuò luctandum eſt: nec aliquid de virtute remittendum pręmiorum & glorię cupidis, quę nobis profectò vitam in cœlo ſempiternam parant. Multi ſunt enim circunquaque hoſtes, multi latrones, multi graſſatores: quibus omnibus ea profectò men-





te obuiam eſt eundum, vt malis fortiter & conſtanter mori, quàm vel turpitudini, vel iniquitati, vel ignauiæ, vel timiditati, vel deſperationi cedere. Legimus heroas, Herculem præcipuè ac Theſeum, labores ſibi maximos & periculoſos in vita delegiſſe, quibus certè & gloriæ benè de humano genere meriti conſulerent ſuæ, & præmium non fragile ac caducum, ſed perpetuum & immortale apud Deum conſequerentur. Nam qui vitiorum agmina in nos continuò ruentia propulſat, quique ſpem, metum, inanem lętitiam fugat, is deo ſimilis, quoad fieri poteſt, euadit. Contrà verò qui vitijs ceſſerit, quiq; vitam egerit intemperantẽ & libidinoſam, is tandem in pręceps deuolutus, vel ignauiſsimis etiam hoſtibus triumphum de ſe cum perpetua ignominia relinquet. His rationibus parentes tui fortaſſe moti, te ab adoleſcentia eò miſere, vnde virtutem & ſapientiam reportares, arma certè ad expugnandum humani generis hoſtem acerrimum, & in perniciem noſtram ſemper aliquid molientem. PLA. Licèt ne mihi Theodore liberè tecum loqui? THE. Licet profectò. PLA. Videntur mihi deterioris eſſe conditionis, qui docti ſunt & contemplatione rerum delectantur, quàm qui rudes, & animum rarò ad cognitionem rerum traducentes, muneribus à natura datis fruuntur, de futuris parum admodum ſoliciti: Suo enim contenti & paruo. Ij minùs ſentiunt corporis moleſtias, vt ſitim, famem, frigus, calorem, laborem, defatigationem, minus etiam angores animi & curas: vt ſpem, metum, gaudium, lætitiam, non quid ſibi conueniat, neque quid alijs debeatur, multum curantes. At verò qui liberalibus diſciplinis ſunt imbuti, contrarias qualitates acutiſsimè ſentiunt. Eſt enim eorum ſubiectum delicatius & mollius, & ſenſus habent ad cognitionem rerum promptiſsimos. His nempe tanquam inſtrumentis quibuſdam animus contemplatione agitatus continuò vtitur, quibus album à nigro, amarum à dulci, frigidum à calido, conſonum à diſſono ſeparat. Hac mentis & corporis continua motione fit, vt miſerrimam vitam agere videantur, cum perſæpè etiam intelligant, ijs ſe ludibrio eſſe, à quibus honorem mererentur. Fieri quidem non poteſt, vt ignarus & rudis ſapientem ac doctum diligat & obſeruet, cùm nihil tam ſit contrarium doctrinæ, quàm inſcitia & ignoratio: nõ dico certè quòd dolore animi angatur, cum videt amentem prudenti, intemperãtem modeſto, timidum forti, iniquum iuſto, inertem laborioſo, petulantem pudenti, ſceleratum pio, in honore & emolumentis præferri. Quare fit vt nonnunquam vicem meam doleam, quòd meo marte id expugnauerim, quod poſtea mihi detrimento futurum eſſet. Satius nimirum fuiſſet quietè vitam agere quàm tãto ſtudio & labore inueſtigare, quo poſtea cruciarer adepto. Ruſticos quidem & plebeios iſtos cernimus, qui procul ab omni ambitione ſunt, quique pręſentibus quibuſcunque vtuntur, de futuris parum ſoliciti, ſolida ac integra habere corpora, venatu, aucupio, labore exercitata: quibus poſtea ſi opus fuerit patriæ ad propulſandos hoſtes, amicis ad negotia obeunda, domeſticis ad ea comparanda quæ vſui hominum ſunt accommodata vtuntur. Nos verò ſtudioſa turba, quę nobis ad voluptatem, vt mihi videtur, miſerias & calamitates confingimus & proponimus, adeo ſumus otio & vmbra remolliti, ac imbecilles facti, vt quinto quoque die ſumere pharmacum in choleram, in pituitam, in melancholiam oporteat. Frequenter enim laboramus catharro, laterum & ſtomachi dolore, podagra: qui quidem morbi ſolent ex nimio otio exoriri, cùm corpus, exercitatione & labore ſemoto, exhalare ſuperflua non permittitur. Hinc (vt ait poeta)

*-ſubeunt morbi, triſtisq́; ſenectus.*
*Et labor, & duræ rapit inclementia mortis:* *Virg. in Georg.*

quibus fit vt neque reip. neque noſtris, vbi & quando oporteat, auxilio eſſe poſsimus. THE. Si putarem te ex animo loqui, dicerem id certè tibi contigiſſe, in alia re tamẽ, quod Neroni aiunt. Quem accuſare diſciplinas ſolitum ferunt, quòd ab his vnde humanitas continuò fluit, crudelior & immanior ſit factus. Manauit certè inaudita illa & efferata iniquitas ex inſcitia potiùs & ſtultitia, quàm ex eruditione & doctrina. Fieri ſiquidem non poteſt, vt malum per ſe ex bono oriatur, neque viciſſim ex malo bonum. Malum enim non ex bono, & bonum non ex malo ſuopte ingenio naſci videmus. Legerat ille credo ex Homero & Marone Troianum incendium: ex tragicis crudelitatem Atrei, Herculis, Aiacis, Athamantis furores, Achillis iram & crudelitatem, Vlyſsis malitiam, Oedipi inhoneſtum, Sinonis fraudem, quæ omnia à poetis ea mente perſcribuntur, vt legentium animos à vitijs certè & crudelitate, quam ipſi deteſtantur, remoueant, & ad virtutem quàm tantopere extollunt, adhortentur: tota enim poëſis nil aliud eſt, quàm laus ipſa virtutis. Proinde ſeipſum immanis illa belua, & non eruditionem accuſare debuit, quæ bonum, meliorem ſemper fecit: malum verò, ſi non poteſt in rectam viam traducere, vt inutilem à ſe reijcit. Te verò ea mente tantummodo loqui exiſtimo, vt ex me boni aliquid elicias. Propoſita enim deſperatione, arbitraris me nonnihil medelæ tuę ægritudini ſtatim inuenturum. Faciam ego verò tibi hac in re, quoad potero, ſatis. Primùm igitur ex te quæro, putes ne hanc ſciendi cupiditatem humano generi fruſtra innatam eſſe? PLA. Minimè verò, cùm omne quod eſt, ad aliquid factum eſſe videatur. THE. Rectè ſanè, ſi ita eſt, quarum rerum cauſa inuentam doctrinam putabis? PLA. Earum certè, quę vtiles ſunt & neceſſarię in vita. THE. Quę ſunt iſta vtilia & neceſſaria? PLATINA. Parentes iam grandes natu paſcere, filios nutrire, amicis prodeſſe, iuſtitiam colere, fortitudinem retinere, modeſtia vti, prudẽtiam ſequi, patriam quibuſcunque rebus poſsis iuuare. Rem familiarem ita procurare, vt & tuis ſatisfacere & in alios munificus eſſe ac liberalis poſsis. THE. Eſt & hoc quidem aliquid quod dixiſti. Sed alia quædam maior cauſa ſubeſt, quare tot clariſsimæ diſciplinę ſint inuentę. Meminiſti credo dicti illius Socratici, quòd è cælo deſcendiſſe quaſi rem diuinam ſcribunt poetæ, Cognoſce

teipſum.PLA.Memini.THE. Cognoſcere ſeipſum qua ratione quis poterit, ni fuerit diſciplinarum omnium ſacris initiatus? Ex his enim vnde in lucem veneris, & ad quid veneris, & quò tandem rediturus ſis, apertè intelligis: quod non faciunt ij, qui doctrinarum & eruditionis expertes, vitam agunt in terris propè magis beluarum quàm hominum more. Quibus hoc certè à natura datum eſt, vt eò mentem perſæpe flectant, vnde id habuere, quo à cæteris animantibus diſtarent. Quare non ineleganter Naſo poeta, quid brutis, quid hominibus conueniret, diuinis illis carminibus oſtendit:

Metam. 1.

*Pronaq; cùm ſpectent animantia cætera terram,*
*Os homini ſublime dedit, cælumq; videre*
*Iuſsit, & erectos ad ſidera tollere vultus.*

Primùm conſideret homo neceſſe eſt, quibus ex rebus conſtet, quod fieri ſine philoſophia non poteſt. Vnde virtutis ſtudium naſcitur, quod animis medetur, vt ait Cicero, inanes ſolicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Quare bene à Socrate dictum eſt, inter baiulum & Alcibiadem ſummo loco natum, nullam eſſe differentiam, ſi virtus abſit. Deinde conſiderandum eſt, quis ſit author tot rerum pręclariſsimarum, quot in mundo ſunt: eò quidem mens noſtra nunquam conſcendet ſine gradibus mathematicarum diſciplinarum. Inde rediens, cognita illius loci excellẽtia, in quo habitãt, qui, dum in vita erant, cõtemplatione rerum ſunt delectati, quique integrè, caſtè ac ſanctè vixerunt, abſterſa omnium flagitiorũ macula, ita virtuti te addicis, vt maximos etiã labores honeſti cauſa magnis voluptatibus ſine controuerſia anteferendos cenſeas: quod profectò non faceres niſi plus emolumenti ex honeſta vita ſumpturum te, quàm ex flagitioſa & intemperanti arbitrareris. Non ſunt, mihi crede, ſpernenda munera nobis à natura data. Ad cognitionem ſiquidem rerum maximarum & admirabilium, non autem ad otium & ſegnitiem, nati ſumus. Eneruati corpora ſtudioſorum nunquam ego moleſtè tulerim, modò animo & mente ad contemnendam mortem, ad tolerandos dolores, & ferendas æquo animo calamitates, quæ indies humanum genus inuadunt, conſtantes ſint & fortes. Hæc eſt, mi Platina, vera fortitudo, non illa gladiatoria, qua plebeios & ruſticos in venatione & aucupio vti dicis: fortem ego dixerim Socratem, Zenonem, Camillum, M. Regulũ, Curiũ, Fabricium, Catonem, qui neque minis, neque tormentis, neque pollicitationibus adduci vnquam potuerunt, vt à recto & honeſto diſcederent. Non negauerim ego robur corporis ad res agendas quàm maximè neceſſarium eſſe: & ne à Cicerone diſſentiam, excitandum etiam corpus affirmauerim, vt conſilio & rationi poſsit obedire. Sed omnis noſtra cura circa emendationem appetitus & cupiditatum noſtrarum habenda eſt, ne ſi eum vagari latiùs ſiuerimus, multitudine voluptatum obruatur animus. Benè agere præterea & philoſophari, tantum iucunditatis in vita affert, vt docti ac ſapientes minus certè moleſtè ferant, ignauos & rudes tanquam rerum omnium inopes & minus viatici habentes, *ſibi in honore* & fortunæ bonis præferri. Sed dicant ij vt Agamemnon apud Homerum,

Iliad 1.

παρ' ἔμοιγε ἄλλοι, οἵ κευε τὶ μήσουσι μάλισα ῇ μητίετα ζεύς.

Virtus enim (vt Stoicis placet) ſola per ſe beatum hominem facit. Quòd autem ſtudioſos ægritudinum variarum agmine dicis quotidie inuadi ſolere, ex te velim ſcire, cum improbis ne inducias habeant. Quos certè, ſi diligenter animaduertis, vtpote intemperantes & immodeſtos, frequentiùs cruciant: ſed hoc ideo minus apparet, quòd ignobiles ſunt, quodque etiam ſuo merito affligi putantur. Bonis autem qui rari habentur, ſi quid acciderit, dolemus, quód ea calamitate minimè dignos exiſtimamus. Verùm ij quoque varia morborum genera incurrunt, cùm quia & ipſi inæqualitate humorũ laborant: tum vel maximè, quòd poſthabita huius fragilis & caduci corporis nimia cura, ſeſe totos ad cultum animi transferunt. Malunt enim caſtigato corpore cum Deo ſentire, quàm ipſis voluptatibus cum dedecore & detrimento obtemperare. Robur illud ruſticum contemnunt, & pro nihilo habent, quòd animis noſtris ad cognitionem rerum maximo ſit impedimento. Eſt enim corpus (vt Platoni placet) σῆμα τῆς ψυχῆς, id eſt ſepulchrum & carcer, vnde anima per ſenſus tanquam per feneſtras rerum naturam contemplatur & cernit. Hoc faciliùs nimirum in illis corporibus fit, quæ vrbana ſunt & ciuiliter enutrita. Nam molles carne, aptos eſſe mente ſcribit Ariſtoteles. Dices fortaſſe eos minus ſentire contrarias qualitates, & ob eam rem minus dolere: non eo inficias. Minus etiam ſentiunt quid honeſtum ſit, & quid deceat in vita. Collige itaque te, Platina, & benè tecum actũ puta, quòd ita inſtitutus ſis, niſi teipſum deſeris, vt perfacilè omnes fortunæ ictus ferre ac propulſare poſsis. PLA. Quid enim me colligam? quia ita malignitate fortunæ opprimor, vt vix queam reſpirare. THE. Quos vocas ictus fortunæ? PLA. Inopiam, captiuitatem, vincula, tormenta, extorrem domo ac patria eſſe. THE. Quare inopem quęſo te exiſtimas? PLA. Quia omni humana ac diuina ope careo. Nullum eſt mihi patrimonium, & ſi quod eſt, id eſt perexiguum, nulla priuata pecunia, non domus, non ſupellex, tum librorum, tum rerum vtenſilium, rara veſtis, & quidem attrita. Hinc oritur vt nemini charus ſim, & quod peius eſt, ab omnibus fermè irridear: tanto enim ętate noſtra pecunię in honore ſunt, vt pro monſtro habeatur, qui ſpretis fortunę bonis, virtuti ſe & cognitioni rerum addixerit: hũc vt phanaticum, vt prophanum contemnunt, deuitant, inſpuunt omnes: diuitem verò ſalutant, comitantur, reducunt, circunſtant officij cauſa. THE. Aut enim pauper, aut in magnis opibus natus es: ſi pauper, nil tibi fortuna abſtulit, cum nihil habueris: ſi diues, id ſuo iure repetere potuit, quod vel tibi vel parentibus tuis ad tempus commodauerat. Sed quid habeas cur de fortuna queri poſsis, non video, cùm nihil tibi in vita adhuc defuerit, quod vel ad neceſsita-

tem



tem corporis, vel ad ingenij cultum pertineat. Nullum eſſe tuum patrimonium dicis: Agè dic quæſo, vnde vixiſti? Nullam pecuniam: vnde tibi neceſſaria in vita vſque ad hanc ætatem comparaſti? Nullam domum: vbi habitaſti? ſub dio' ne an ſub tecto? Nullam ſuppellectilem: non Diogenico more vixiſſe te, tuus iſte nitor vrbanus oſtendit. Nullos libros: vnde literas didiciſti? diuinitus' ne? veſtẽ raram: ſatis eſt ſi pluuiã & imbres propulſat. Quid, fortunæ ne debere te plurimũ negabis, quę ex patrimonio & pecunia aliorum ſubtrahit, quod tibi condonaret? Vixiſti profectò, ſi verum fateri vis, ſuo beneficio ſine vlla animi moleſtia. Diuites enim & præpotentes (vt Ciceroni placet) non ſolùm libidine augendi ea quæ habent cruciantur, ſed etiam amittendi. Fondum itaque familiarẽ qui diligenter colant, omni cura exquiruut, grandinem, intempeſtiuum rigus, nimiam ſiccitatem, vehementes & longos imbres continuò timent: de ſerui furacitate & fuga; deque ruſtici negligentia, de boum & pecorum interitu, de incendio villæ continuò ſoliciti. Si bellum autẽ exortũ fuerit, incurſiones hoſtium veriti, triſte aliquod nũcium ſemper expectant. Pecuniam magno labore partam, varijs inſidijs ab omnibus concupitam, magno vident eſſe in diſcrimine, ſiue eam domi cuſtodierint, ſiue aliorum fidei commiſerint, cùm nec ſerui, nec filij, nec cuiuſuis alius exploratam habeant fidem. Expilant nanque ſerui, dilapidant filij intemperantes, ac perfidi decoquunt atrienſes. Domini inde reſpicientes, eam vel augere vel reficere pro dignitate magna impenſa nonnunquàm coguntur. Suppellectilem verò domi & diuitijs congruentem, ſuis vident perneceſſariam eſſe. Hoc emunt, illud permutant: Multa reficiunt negligentia & ſtultitia ſeruorum conquaſſata & diffracta. Veſtire familiam, paſcere ſeruos, enutrire filios, cum magno diſpendio coguntur, præſertim ſi bellũ & annonæ caritas, duo grauiſsima mala ingruerint. Soluere autem tributum, pendere vectigal graue & oneroſum plerunque impelluntur. Omitto cõmemorare quot periculis continuò caput obijciant, cum hunc à latronibus, illum à furibus, multos à ſeruis domeſticis, pleroſque etiam à coniugibus et liberis veneno et ferro interfectos ob diuitias ſciamus. Horũ periculorũ beneficio fortunę nullum capiti tuo imminet. Dormis ad multam noctem ſine cura, iter quo places, ſecurè carpis. Legis, ſcribis, nec de tuo, nec de alieno ſolicitus. PLA. Hominem pingis Theodore, qualẽ adhuc vidimus neminem. Quòd ſi quis eſt qui ſe fortiorem in contemnendis fortunæ bonis oſtendat, eum certè fatebor aliqua ex parte occultare poſſe animi ſecreta: paupertatem verò quã tantopere laudas, probare ex animo nullo modo poſſe. Ego (vt de me loquar) nunquam adeo ſum curis & ſolicitudinibus vacuus, quin totus à me ipſo diſcedam, vbi eius mihi in mentem venit: nõ legere, non ſcribere quicquam poſſum memoria dignum, quandoquidẽ omnia ad victũ neceſſaria mihi deeſſe video. Dices, ſat ſcio, me tamen vſque ad hanc ætatem vixiſſe, etſi nihil habuerim: at ego arbitror ſatius eſſe ſemel mori, quàm oſtiatim panem mendicare. Toties enim qui hoc agit, iugulatur ſi homo eſt, quoties id ei facere contigit. Quare paupertatem cuiuis laudato, mihi profectò nunquam perſuadebis, vt eam exiſtimẽ opulentiæ anteferendam eſſe, cuius vel horrido nomine perſæpè ſomno excutior, ac totus contremiſco, ne dicas me dormire vſque ad multam noctẽ, & litteris ſecurè operam dare. THE. Neque hoc quidem ex animo te loqui putarim vnquã. PLA. Non aliter certè ſentio ac dixi. THE. Quid ſi tibi probaro, paupertatem diuitijs meritò anteferendam, & omnium bonorum quæ in vita fiunt, cauſam eſſe? PLA. Agè dic quæſo, hoc eſt quod ex te ſcire cupio. THE. Artium omnium tam liberalium, quàm mechanicarum inuẽtrix & autor paupertas eſt. Quis impulit Hierodianum, Apollonium Phocam, Apollodorum, Ariſtarchum, Palæmonem artis grammaticæ: Lyſiam, Gorgiam; Protagoram, Empedoclem, Agrigentinum, Alcidamantem, Polycratem, Socratem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Hermagoram, Marcum Catonem, Marcum Tullium rhetoricæ: dialecticæ ac Philoſophiæ Parmenidem, Meliſſum, Platonem, Socratem, Ariſtotelem: arithmeticæ Hiſmachum, Dinocratem: geometrię Archimenidem, Euclidem: muſicæ Architam; Ariſtoxenum, Amphionem, Boëthium: aſtrologiæ Periclem, Beroſum, Ptolemęum 'præcepta' tradere? paupertas. Quis ſutorem ſuere, architectum ędificare, fabros denique omnium artium ex induſtria aliquid agere? paupertas. Arare profectò, agrum fodere, ſerere, inſerere, repaſtinare, & cętera ruris officia nobis obire neceſſe eſſet, ni ruſticos hoc agere paupertas cogeret. Prętereà domos augeri, vicos cõponi, reſpublicas exiguis incrementis conditas, labore & ciuium induſtria extolli videmus, quod non fieret (adeó eſt humanum genus à labore ad otium & quietem pronum) niſi ad id paupertate impelleretur. Mercatura certè, quæ prouincijs & ciuitatibus neceſsaria eſt ad importandas exportandaſque res vſui hominum accommodatas, paupertatis inuentum eſt. Adire profectò tot labores, tot pericula; quot nobis in vita ſeſe offerunt, non facilè inuenitur qui velit, niſi coactus. Militiam pariter rerumpublicarum neceſſarium & maximum propugnaculum, qua infinitis propè laboribus & periculis vexamur, quiuis amplecteretur, niſi id facere cogeremur? Poſtremò quis Deum coleret, quis Sanctos, ſi nuſquam paupertas eſſet? Hęc nos religioſos, hęc fortes, hęc induſtrios, hęc agiles, hęc ſanos & benevalẽtes facit. Contrà verò diuitię ipſę homines reddunt intemperantes, libidinoſos, inertes, ſegnes, pingues, podagroſos, valetudinarios, hebetes, ingratos, deorum atque hominum contemptores. PLA. Adde etiã iſtud ſi placet, paupertas reddit homines fures, latrones, graſſatores, periuros, mendaces, inſidiatores, debitores, deos atque homines ſpernentes. THE. Hoc profectò non ageret ſancta paupertas: ea eſt enim deſperatio, & ſtultitia quędam. PLA. Paupertatis nimirum conſanguinea. THE. Deſine Platina maledictis paupertatem laceſſere. PLA. Hanc certè qui laudẽt multos, qui vero ſequantur paucos admodum vidi. Verbis tantùm magnificis & ſeueris philoſophamur

b Theodore,

Theodore, opera autem cõcidimus. Cernere licet ętate noſtra multitudinem propè infinitam eorũ, qui Chriſti paupertatẽ & vitam imitaturos ſe voto & ſacramento polliciti ſunt: ex his certè paucos inuenies veræ paupertatis amatores. & ſi diligẽter eorum manus obſeruaueris, profectô videbis eos ſub hoc paupertatis nomine, magnas ſibi quotidie parare diuitias. Crebras adeunt morientium hæreditates: fundos, villas, iumenta, ad augendas opes magnis pretijs emunt & conducunt. In petẽdo effuſi, in erogando verò parciſsimi ſunt. Quòd ſi beneficium aliquod, vt ipſi appellant, paulò opulentius vacauerit, quanta ambitione & cupiditate id petant, tu ipſe qui noſti auaræ Babylonis conſuetudinem, non ignoras, quique huius qui rerum potitur, rapacitatem & habendi ſitim etiam in quauis re minima quotidie vides. THE. Eos profectô decet, qui aliquo in pretio apud ſuos cenſentur, diuitias & opes ſibi congruentes, honeſtè tamen ac iuſtè parare, ne contemptui hominibus ſint. PLA. Nónne igitur malum inopia eſt, quæ ridiculos (vt ait Satyrus) facit homines, eos etiam qui in magiſtratu ſunt conſtituti? THE. Hos verò ſolum, non etiam priuatos lædit? PLA. Sit ita ſanè vt dicis, tu profectô ſi hic ſis, aliter ſentias, vt Comici verbis vtar. Vnum te rogo, ne de paupertate verbum vllum amplius facias Audire eius nomẽ qua frequẽter opprimor, & propè enecor, ſine magno mœrore nõ poſsũ: ad reliqua ſi placet, pergamus. THE. Qui ingeniũ tuũ nõ noſſet, ex animo credo te loqui putaret. Sed dic quæſo, quid aliud eſt quod te premat? PLA. Captiuitate (vt vides) ac vinculis crucior. THE. Quid tibi verò ob tantulam calamitatem accidiſſe putas? PLA. Omni libertate ſpoliatum me video, qua certê nil poteſt eſſe homini benê inſtituto vtilius ac grauius. Quid enim habet cur in vita eſſe velit is, cui libertas ſublata eſt? Videmus profectô animantia omnia hanc permaximè expetere. Quòd ſi cui in vinculis & cauea eſſe contigerit, vnde poſsit in libertatem prodire & erumpere, omni conatu experitur & tentat. Hoc verô ſi tanquã munus diuinũ bruta mentis & ingenij expertia, tantopere expetunt, idẽ non faciet homo, cui ob dignitatẽ excellentiæ cuncta animalia parẽt & obſequuntur? THE. Homini profectò conſtanti & forti ſatis eſt libertate animi vti, id eſt, honeſtè & cũ virtute viuere, quod fieri etiam in Phalaridis boue (vt ait Epicurus) à quouis homine benè inſtituto poteſt. Aerumnoſum quidem M. Regulum, dum à Pœnis cruciabatur, fuiſſe dicimus. Idem dici de Catone poteſt, dum in carcerem duceretur, de Socrate, de Seneca dum ad mortem obeundã tyrannorum iuſſu cogerentur. Idem de Laurentio, Stephano, ac cęteris martyribus dicendũ cenſeo, quorum de numero nonnullos etiã in ipſo cruciatu Deũ hymnis & cãtu laudaſſe intelligimus, quòd poſt illos cruciatus magnam ſibi propoſitã felicitatem & gloriam cernebãt. PLA. Separas tu quidẽ, vt video, ærũnoſos ab infelicib⁹. THE. Quid ni ęrumnoſos dicimus, calamitatibus oppreſsos, quôd quidem ad corpus & bona fortunæ ſpectat? Infelices verò eos, qui animi morbo aliquo laborant, vt contrà felices vocamus, quorum animi ſecundum virtutem in vita perfecta à ratione nunquam diſcedunt. PLA. Virtutis (vt ait Cicero) laus omnis in actione conſiſtit THE. Ita ſanè. PLA. Agere ſecundum virtutem quónam modo poterit, qui vinculis & carcere detinetur? Prodeat in publicũ neceſſe eſt, quem liberum volumus, vt oppreſſos potentum vi adiuuet, ignaros doceat, delinquẽtes caſtiget, errantes in viã rectã perducat: ſi parentes habet, eos paſcat: ſi filios, enutriat: amicis benè cõſulat: patriam quibuſcunque rebus poſsit iuuet, tum conſulendo, tum magiſtratus ſibi commiſſos iuſtè, modeſtè, conſtanter obeundo. Arma in hoſtes, ſi bellum illatum fuerit ſumendo, vigilando, cohortando de virtute, timore & ignauia nil remittendo. Hæc profectò niſi ab homine ingenuo & libero, fieri nullo modo poſsunt. THE. Ergo ſenatus ille, cuius conſilio, nõ manu & opera pop. Rom. vtebatur, fruſtrà à Romulo primùm inſtitutus, poſteà à conſulibus auctus eſt, ſi nihil fieri ſecundum virtutẽ poteſt, niſi ab eo qui viribus & corpore integer eſt, quique proficiſci quô velit poſsit? Minûſne Appiũ Cœcũ, Scipionẽ valetudinariũ, Catonẽ ſenẽ, ac pleroſque alios vulneribus, podagra, paralyſi, ſtupore membrorum occupatos, profuiſſe reip. exiſtimamus, quod his ægritudinibus grauiûs etiam quàm carcere & vinculis premerentur? Non profectò. Sedebat ſenatus ille auguſtiſsimus in curia & conſilio, & qua ratione totum orbem populus Romanus occuparet, oſtendebat: quo tempore reſpublica illa florẽtiſsima imperio rerum potita eſt: vbi verô ambitione & temeritate quorundã contemni & extingui tantum lumen cœptum eſt, imperiũ illud patrum ac ſenũ humeris fundatũ & retentum, penitûs corruit. PLA. Hæc tua dicendi copia adeò me certè inuoluit, vt quæ ſentiã, liberè loqui mihi nõ liceat. Vnaquæq; ætas ſuũ ꝓfecto munus habet: Adoleſcẽtes, quorũ vita omnis ad virtutẽ dirigẽda eſt, doctrinæ & eruditioni operã dẽt oportet. Iuuenes, & qui in media ætate conſtituti ſunt, agere ſecundum virtutem præceptis & inſtitutis cogũtur: Senum vero, quorũ ætas quietem & laborũ vacationem emerita eſt, cõſulere, docere, admonere propriũ eſt. Iuuenẽ me eſſe florẽtis ætatis vides, ad labores, ad vigilias, ad negocia ſatis aptũ. Hoc aũt ętatis flore quod mihi vti non liceat, vehemẽter doleo. THE. Id mihi quidem optare videris, quod multi omni ſtudio ac diligentia declinant. Quare id cupias, certè non ſatis video. PLA. Honoris hercle & gloriæ cauſa, ad quã natura ferimur omnes: ſed alius generoſior eſt alio magis. THE. Neque hoc quidem admodum expetendũ eſt, cũ ſine ambitione ac vitio non fiat: precari enim indignos cogimur, & largitione vti: qua ex re infecta propè mala naſcantur oportet, cùm ij, quorum in poteſtate magiſtratus ſunt, his tantum eos decernãt, qui enixiùs rogare, vel maiore largitione vti conſueuerunt. Hanc ob rem fit vt indigni bonis anteferantur, & ij qui alijs præeſſe cupiunt, ſpreta modeſtia & æquitate, ex alieno rapiãt, fraude, vi, dolo quod his largiãtur, quorũ opera & auxilio magni in rep. eſſe percupiũt. Hinc furtũ, hinc ſacrilegiũ, hinc depeculatus, hinc rapinæ, hinc cędes quotidiè naſcũtur, cũ maximõ rerump. detrimẽto &

*Terentius in Andria.*

interitu,



interitu. Sint nobis exemplo Romani, ſint Carthaginenſes, ſint Lacedæmonij, ſint Athenienſes: quorũ reſp. magnæ illæ quĩdẽ ac præclaræ, quæ nũquã finẽ habituræ videbantur, funditus ſunt euerſæ ciuiũ ambitione & auaritia. PLA. Nemo ergo tua ſententia ad magiſtratus & reſp. gubernandas accedet vnquã, & ob eã rem incuria & negligẽtia interibunt omnia. THE. Vt ad ſacra, ſic ad reip. & magiſtratuũ omniũ gubernationem expiatos homines proficiſci vellẽ, ſi fieri poſſet, diſciplinis omnibus & præſertim ciuilis virtutis ſciẽtia imbutos: quod ſi fieret, felices (vt ait Plato) reſpublicas haberemus. Tu verò ſi patriam habes huiuſmodi ciuibus præditã, & ſi teipſum talem præſtare potes, qualẽ ciuem reſp. benè inſtituta requiret, eò proficiſcare, nihil te moror. PLA. Hac tua ſeueritate Theodore quemuis etiam fortẽ & ciuili diſciplina mediocriter imbutum, ad deſperationẽ profectò reduceres. Non enim (vt aiũt) magiſtri naſcimur: paulatim nimirũ creſcunt habitus: & vt non vno ictu, ſed crebris ingens & valida exciditur quercus: ſic nõ vno actu ſtudioſo, ſed pluribus ciuilis gubernationis habitus comparantur. THE. Ego, vt antè dixi, cenſeo oportere ciues ad capeſſenda reip. gubernacula profecturos, inſtructos & præmonitos ire oportere, ne vnus multorum detrimento quod habeat diſcat. Actum ſiquidem eſſet de nautis omnib. ſi dum fluctib. & procellis agitantur, vnus aliquis ignarus, diſcendi cauſa ad apluſtre proficiſceretur. PLA. Nunquàm mihi certè perſuadebis, vt malim in vinculis degere, quàm ad honores & magiſtratus capeſſendos in publicum prodire. Hoc ſi nõ cõtigeret, liceret ſaltem eccleſiaſtica munera obire. THE. Quaſi verò faciliùs ſit cuſtodire â peccatis multorum animos, quam populos in officio ciuili continere. Quanto enim res præſtabilior eſt, tãto maiorem requirit ſolicitudinem nobilitate ſua & excellẽtia. Animum præſtantiorem corpore nõ negabis, cum eius forma profectior ſit: abeunte ſiquidem anima, intereat corpus neceſſe eſt. Maiore igitur ſapientia & doctrina indiget, qui eccleſiaſticos honores, quàm qui ciuiles deſiderat. Bene & doctè legat oportet, quod ſine exquiſita grammatica fieri non poteſt. Benè prædicet, quod abſque rhetorica, dialectica, theologia non fit, cũ perſuadere, probare ac refellere, docere diuinas humanaſque res neceſſe ſit. Benê cantet, quod muſicæ & harmoniæ ſcientiã requirit. Annũ appoſitè diuidat, & ieiunia, vigilias, dies feſtos & interdictos populo, ne per inſcitiam peccetur, indicet oportet, hoc ſine arithmetica & aſtrologia bene fiet nunquã. Poſtremò verò quod omnium maximũ eſt, maximeque neceſſarium, hũc quem ſacris præeſſe volumus, iuſtũ, modeſtum, cõtinentem, prudentẽ eſſe oportet, ne aliqua ex parte tanti myſterij excellentiã & dignitatem lædat, vtque ei errãtes admonere, reprehendere, caſtigare, docere liberè liceat: quòd profectò non fieret, ſi in alijs reprehenderet, quo ipſe meritò notari & argui poſset. PLA. Vtinã quotam partem iſtorum quæ enumeraſti tenerent ij, quibus animorum noſtrorum cura mandata eſt. THE. Nõ dico ego quales ſint qui ad ſacros ordines quotidie prouehũtur, auaritia & cupiditate quorundã, ſed quales eſſe oportet. PLA. Hęc omnia quãdo ita tibi placet, omittamus. Vnũ proponã, quod ſcio te mihi cõceſſurum. Eſt enim mediũ quoddã inter ſacrã rem & publicã. THE. Iſtud certè quale ſit, audire ex te cupio. PLA. Liceat mihi ſaltẽ munera iſta aulica, quę officia vocantur, obire. THE. Nõ abnuerim ego in his minus periculi eſſe. Difficilè tamẽ eſt, in tãta rerũ corruptela mediocritatem tenere, cùm nõ deſint, qui muneribus, pecunia, pollicitationibus quemuis etiã cõſtantẽ, corrũpere audeãt. PLA. Habet vnũ quodq; officiũ determinatũ prẽmiũ, quod nõ eos fugit, qui huc ex tota Europa negotiorum cauſa cõmeãt. Vnde fit, vt neq; decipere, neq; hi decipi vllo modo poſsint. THE. Vllo modo dicis, ac ſi profectò neſcires auaritiã & largitionem duo grauiſsima mala, in tanta colluuione hominum poteſtatis habere plurimũ. Multi enim ſunt, qui id impetrare pecunia tẽtãt, quod vel induſtria vel virtute cõſecuturos ſe nullo pacto vidẽt. Ij cõcurſant, orãt, inſtãt, obſecrãt, blãdiuntur, palpãt, circunſtãt, ducunt, reducunt, muneribus & pecunia pleroſque corrumpunt. Horum importunitatem effugere qui poſsint, pauci admodum inueniuntur, cûm omnes ad rem neſcio quo fato auidi & proni ſimus. PLA. Qua voracitate dij immortales in tãta largitione hi debent vti, qui huc profectò ad explendã auaritiæ ſitim vndequaquè venere? THE. Cõquirunt vbiq; magno ſtudio ſiccis faucibus tanquã rabidi canes, quos deuorent, & quorũ ſanguinem ſitibundi exugãt: proinde vt aliud genus viuẽdi tibi deligas probauerim ſemper, cum neque hoc quidem nequaquã ſatis tutum ſit. Cõflictare enim cum huiuſcemodi hominibus, neque corrumpi, difficilimum quidẽ mihi videtur, cùm nõ deſint qui te cõtinuò à recta via retrahere conentur, propoſitis voluptatum omnium illecebris, quibus certè ad vnum quodq; facinus, quamuis magnum, facilimè impelluntur. Nã qui ad voluptates ſublato pudore, omni impetu fertur, is pecuniã voluptatum inſtrumentum, quacunq; ratione poteſt, cõquirit: Subducit, furatur, ſubtrahit, expilat, decipit, neq; quicquã omittit, quod ad pecuniæ ſtudium pertineat. Hanc vltimã ac ſummũ & vltimũ bonorũ omniũ, viã perfectã exiſtimat, cùm honores, potentiã, gloriã, dignitates, voluptatem pariat. Sed falluntur miſeri: ſola enim virtus ad ſummũ bonum via eſt. Hoc Platina vt aliquãdo frui poſsis, inopiã, captiuitatẽ, vincula, tormenta, cruciatus, minas, valetudinem, mortem deniq;, ęquo animo feras, neceſſe eſt. Hi ſunt pulueres olympici, hi ſudores agonales, quibus poſt celebrẽ victoriã abſciſsis, felices ac beati ęuo poſteà fruimur ſempiterno. PLA. Eſt ne hoc illud viuendi genus, quod mihi paulò antè proponebas? THE. Illud ſanè. PLA. Non delicias mihi aut voluptates proponis.

*Hoc opus, hic labor eſt, pauci quos æquus amauit*
*Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus.* *Aeneid. 6.*

THE. Ad hanc felicitatem conſequendam nil tibi certè deerit, ſi ingenio & induſtria tua cõſtanter vti volueris. PLA. Diuinum profectò neſcio quid huic virtuti ineſſe debet, quam mihi tanto ſtudio

ad imitandum propõnis:eius enim vel ſolo nomine mirificê recreor. THE. Hanc ſi deguſtaueris Platina, laborib. te, vinculis, periculis, tormentis, minis, morti poſtremò honeſti cauſa ſpontè offeres. PLA. Fortaſſe. Sed dic quæſo, ſeparás ne virtutem à ſummo bono? THE. Quid ni: Eſt enim virtus ad ſummũ bonum via. PLATINA. At ego virtutem ipſam ſummũ bonum audieram. THE. Bonum eſt, non tamen ſummum. Vltimum enim bonorum omnium illud eſt, quod vbi quis adeptus eſt, nil amplius deſiderat. PLA. Iſtud quale ſit, ex te audire cupio. THE. Facerem ego id quidẽ haud grauatè, ſi mihi per occupationes meas liceret. Cras ſi potero, ad te reuertar. Interim vale, & teipſum ea ratione quam propoſui conſolare. PLA. Vt redeas, te rogo mi Theodore. Non enim parum me recreaſti tuo erudito & elegãti ſermone: & ſpero fore, ſi redieris, vt penitùs omni moleſtia craſtina diſputatione me liberes. THE. Faciam id ego, ac lubens, ſi mihi per otium licebit. Quòd ſi vſq; ad meridiem non rediero, id ab alio, eo die præſertim, exquirito.

# DE FALSO ET VERO BONO
## LIBER TERTIVS.

ALexander ille Macedo, etiam adoleſcẽs regnò potitus, beatiſs. pater, nil actum ſibi in tãto rerũ faſtigio putauit, niſi & philoſophos penes ſe haberet, quorum conſilijs & doctrina vteretur: & hiſtoricos ac poëtas, qui eius res geſtas ęternitati cõmẽdarẽt. Accitis itaq; magnis pręmijs ac pollicationibus philoſophis & doctis omnibus, cũ vetũ eſſet ad Diogenem illum Cynicum, qui ſpretis omnibus fortunæ bonis, dolio pro domo vtebatur, ſola rerum diuinarum & humanarũ cõtemplatione contẽtus, inſtarentq; legati vt ad Alexandrũ proficiſceretur, aut ſaltẽ eius dona acciperet, vtrũq; ſe facturũ renuit. Tum Alexãder, nec indignatus quidẽ ob talẽ cõtumaciã, ſumpto egregio comitatu, ad hominẽ nudũ & ſola cõtemplatione gaudẽtẽ, proficiſcitur. Sciſcitatus Diogenẽ, nũ quid à ſe vellet: Hoc tantũ, inquit, vt abſcedas, nec mihi vmbrã facias: in ſole enim nudus apricabatur. Indignantibus autẽ qui tum aderant, quòd nec regi aſſurrexiſſet, nec eos pluris quàm vmbras hominũ feciſſet, ita rex inquit: Nõ eſt cur Diogenẽ contemnatis: niſi enim Alexãder eſſem, perſonã Diogenis ſubire nõ recuſarẽ. Arbitratus philoſophũ ipſum, ſecundũ à ſe principẽ orbis terrarũ locũ obtinere, nec immeritò quidem. Didicerat credo à præceptore Ariſtotele, contemplãtes diuinã in terris vitam agere: eos enim feliciores putauit, & deo amiciſsimos eſſe, qui mentẽ à ſenſibus reuocãtes, diuinam intuerẽtur quoad fieri poſset naturã, quàm qui rebus humanis immerſi, actione ipſa delectarẽtur. Cùm enim diſciplinas omnes vt inuẽta philoſophorũ laudaſſet Plato, tres illas potiſsimũ cõmendauit, quæ nobis per cõtemplationem oſtẽdunt, quæ ſit rerum omniũ natura, qualis homo, & quẽ locũ in mundo teneat, & an Deo res humanæ cordi ſint. Quã quidẽ cognitionem phyſicẽ appellauit: huic addidit mathematicen, quã Pythagorici gradum optimũ ad cognitionẽ rerũ diuinarũ putarũt, cũ ab humanis ad diuina fieri tranſitus ſine theologia nõ poſsit. Hęc enim Platonicæ diuiſionis pars vltima, primarũ cauſarũ altiſsimarumq; rationem hominibus quoad fieri poteſt, præſtat. Nam arcana ſummi Dei, vt ait Lactantius, qui fecit omnia ingenio ac proprijs ſenſibus, integrè comprehẽdi nõ poſſunt: alioqui nihil inter Deũ hominemq; diſtaret, ſi cõſilia & diſpoſitiones illius maieſtatis æternæ cogitatu aſſequeretur humano. Cùm hæc in tanta calamitate, beatiſsime pater, mecũ ipſe reputarẽ, ſuperuenit M. Valerius Viterbiẽſis, philoſophus inſignis & phyſicus ſingularis, mei viſendi cauſa: nam & animi & corporis medicina tum indigebam: qui certè nõ prius à me diſceſsit, quã faterer optimis rationibus victus, ſummam felicitatem in Deo eſſe: quam adipiſci nemo vnquam poterit, niſi ſpretis fortunæ bonis, repreſsiſque cupiditatibus omnibus & perturbationibus, contemplationi rerum diuinarum ſeſe addixerit, vt ille Diogenes: vel melius, vt ſancti religionis noſtræ penè omnes fécêre, exiſtimantes hac vna ratione falſi ac veri boni, quod nunc quærimus, cognitionem haberi poſſe.

(.·.)





## MARCVS, VALERIVS, PLATINA.

ARcem profectò neq; munitiorem hac, neque magis pontificiæ dignitati conuenientem vſquam vidiſſe me memini. Eſt enim aptè poſita, & ad propulſandam vim externorũ hoſtiũ, ad cõtinẽdos in officio ciues, licet Hadriani imperatoris lõgè alia ſentẽtia fuerit. Is enim Aeliorum cineres & oſſa conſeruari hac mole voluit, non viuorum carcerẽ & ergaſtulũ fieri. Sed ita fit, quod ad rem vnã quæſitum eſt, in alios vſus perſæpè cõuertitur. Hi vero vt eorum vultus & impexa ac promiſſa barba oſtendit, captui eſſe videntur: atque inter hos fortaſſe erit noſter Platina, quem minus conſtãter ferre aduerſam fortunam intellexi. PLA. Non eſt cur fortaſſe dicas, noſti ingeniũ Pauli pontificis; noſti pertinaciã: non ita properè quos capit, & in carcerẽ etiam ob leuem ſuſcipionem trudit, dimittere ſolet, ob hoc credo, vt aut nil à ſe temerè factum vulgo oſtendat, aut ne illatã iniuriam queri vel propulſare quiſquã poſsit, quod certè timidi animi & abiecti eſt. MAR. O noſter Platina ſalue. Sed quid ita mœſtus & cogitabundus iaces? PLA. Rogas? quaſi neſcias qui in vinculis & carcere detinentur, eos continuò mœrore affici. MAR. Qui in carcerẽ truduntur, aut iuſtè, aut indignè hanc pœnã ſubeunt: ſi iuſtè, cũ carcer ad coercenda hominũ flagitia & petulantiam ſit inuentus, neceſſe eſt eos quibus hac pœna affligi contigerit, id æquiore animo ferre. Nam qui maieſtatem lædit, qui leges contemnit, qui principũ decretis, honeſtis præſertim, non obtemperat, is ſua & aliorum cauſa meritô puniendus eſt: Sua profectò, ſi dum in vita eſt, ei ſubterfugere pœnam humanarum legum contigerit, grauius ſupplicium poſt mortem & atrocius diuina iuſtitia continuô eſt paſſurus: aliorum verô, vt cæteris exemplô ſit, ne tale aliquid in vita agant, quo deinceps pœna carceris ſint puniendi. Sin iniuſtè, cùm nullã cõmiſsi criminis conſcientia ſubſit, eò æquiore animo ferre debes, quód in futurũ delicias Dei benignitate ſis conſecuturus, Chryſoſtomo teſte: Quicquid, inquit, à quouis hominũ iniuria paſsi fuerimus, id agit diuina iuſtitia, vt peccata noſtra deleãtur, aut amplior fiat mercedis retributio. Neceſſe itaq; eſt, vtrumlibet acceperis teipſum cõſolari, & Deo maximo gratias agere, qui certè nõ ſine cauſa voluit te hac moleſtia affligi: ſpero enim hanc pręſentis breuiſque doloris vmbram, magnam võluptatem tibi deinceps allaturam. Nam qui aliquid iniuſtè patitur, quique tyrannicam ſæuitiam æquo animo fert, is poſteâ & Deo & hominibus charior eſt profectô ac gratior, cùm fortitudinis & conſtantiæ laudem præ ſe ferat. PLATINA. Non dubito fore quin hanc laudem ſim conſecuturus, ſi corporis noſtri valetudinem, qua iam diu crucior, & animi morbos quibus angor, ob acceptum incommodum curare volueris. MAR. Quo incommodo quæſo afflictatus es? PLA. Num vides in pedibus hulcera ob magnitudinem compedum recrudeſcentia? Exeſa eſt caro, eliſi nerui, atque oſſa contuſa ſunt. Pręterea verò ne illa ex parte intactus â fortunæ ictibus dici poſsim; quod ego mihi apud Pium pontificem induſtria, labore, pecunijs denique comparaueram, hic ob auaritiam & largitionem, nolo dicere libidinẽ, alieni cupidus, me vita propè ac fortunis omnibus ſpoliauit. MAR. Ob tantulam rem ergò tãto mœrore afficeris? PLATINA. Non ob hanc ſolûm profectò, verumetiam propter alia grauiora, quæ hinc, vt in malis fieri conſueuit, ſecutæ ſunt. MAR. Mitte quæſo has querelas, ne mulieri quidem conuenientes, & de nobis benè ſpera, qui huc venimus, vt corporis & animi tui ęgritudinem leuaremus, qua te laborare, & quidem grauiter intellexeramus. Sed primùm dic quęſo, quid cauſę eſt quòd ita cogitabundus ac penê ſtupidus iaces? PLA. Dicam certè & breuiter: ab his enim qui philoſophi appellãtur, nihil video conſtanter dictũ. Vt enim cæteros omittam, qui de hac re ſcripſere, ab Academicis, â Peripateticis didiceram, virtutem eſſe ſummum bonum. MARCVS. Eſt id quidem ſummum bonum humanum, & via optima ad illud diuinum quod omnes appetunt. Hinc fit, vt felicitas in actionem cõtemplationemque diuidatur. Actio enim iuſtè, fortiter, modeſtè, prudenter agendo comparatur, non vno quidem, ſed pluribus & frequentatis actibus (vt Ariſtoteli placet) in vita perfecta. Contemplationem verò acquirimus, cùm mentem à ſenſibus atq; ab his terrenis cupiditatibus ad cognitionem rerum diuinarum & admirabiliũ crebrô reuocamus. Sed vnde, rogo, hoc tibi nunc in mentem venit? PLATINA. Fuit heri mecum Theodorus noſter mei conſolandi cauſa. Is enim collaudato vehementer ſummo bono, effecit vt miſerias æquiore animo, quàm anteâ ferrem, & animum oppreſſum curis ab his aliquantulum ad cognitionem veræ beatitudinis traducerem. Sed mihi in hoc accidit, vt famelicis in magna rerum penuria ſolet, quibus leni quidem prægustatione concitata appetentia, maior ſuboritur fames. Incendit ſiquidem me vehementer Theodorus ad cognitionem huius verbi, boni, & incenſum in medio curſu (vt aiunt) deſtituit. Hoc ne perficeret, retrahi ſe occupationibus quibuſdam dicebat. Rogàtus â me hodie, tamen rediturum ſe repromiſit. Quod nondum fecit, nec facturum eum ſpero. Iam enim ad veſperam ſol inclinat. Quòd ſi non antè meridiem veniſſet, hoc vt ab alio peterem, me admonuit. Melius autem quàm tu, qui mihi hac in re facere ſatis poſsit, cognoſco neminẽ, cùm in te virtus & doctrina propè ſingularis, hoc onus ne ſubterfugias mea cauſa, te rogo. MAR. Onus profectô eſt, aut Atlantis aut Herculis humeris dignum. Explicari enim naturam diuinam, niſi à philoſopho excellentis ingenij & doctrinæ, poſſe nullo modo video: ſed rogatus tibi certè negare non poſſum, quod etiam ex inſtituto cogar & profeſsione ſpontè facere, ſi in me illud ingenij lumen, ea doctrina ineſſet, quam tu opinione fortaſſe vana de me finxiſti. PLATINA. Nil de te mihi perſuaſi Marce, quod tu re ipſa præſtare facilimè non poſsis. Agè verô inuocata Vrania, dic aliquid te & tua ſapientia dignum. MARCVS. Abſit vt in tanta re figmentis poetarum vtar. Tu ſi ea

quæ dicam, intelligere vis, ab omni poëſi animum prorſus reuocato: non hæc theatri, non ſcenæ plauſum, ſed ingenij vim & acumen requirunt. PLA. Faciam vt iubes. MAR. Qui reponere nouum merum volunt, vaſa prius diluant neceſſe eſt, ne tetrofæculenti, ac marceſcentis vini odore nouum inficiatur. Idem quoque mihi faciundum eſt. Propoſita enim falſa bonorum ſpecie, eademq; tuo conſenſu confutata, tibi non ita multò pòſt veri boni ſanctiſsimam imaginem ante oculos ponam: qua viſa, certè ſcio te ab illis aliquando concupitis, ad hęc animum ſtatim traducturum. De bono quòd omnia appetunt, variæ philoſophorum extant ſententiæ: fuere enim qui ſpretis rebus omnibus, virtutem ſolûm eſſe bonum dicerent, quòd ei in quo virtus eſſet, nil deeſſe ad benè ac beatè viuendum affirmarent: hi Stoici ſunt appellati, quorum princeps Zeno habitus eſt. Inuenti ſunt item, qui ſummum bonum virtutem ipſam, & non ſolûm, vt Stoicis placębat, multis rationibus probare niterentur. Hi verò ſummum bonum dicentes, non excludebant à ſerie boni diuitias, potentiam, gloriam, bonam valetudinem, & quæ tum corporis, tum fortunæ bona vulgus exiſtimat, quòd qui ſecundum virtutem agit, his ad magnificentiam & liberalitatem, ad fortitudinem & conſtantiam indigeret: hos quidem Peripateticos, non multum ab Academicis diſsidentes, appellarunt, quòd inambulantes diſputarent, huius verò ſectæ Ariſtoteles author & princeps eſt habitus. Fuere prætereà qui frui bonis à natura datis, nec vllum adminiculum foris ad commoditatem vitæ quærere, ſolûm bonum eſſe dicerent. Hi quòd apertè in delinquentes clamarent, vel naturali deſiderio moti, in foro, in via, commoda ſua pudori anteferrent, Cynici meritò ſunt dicti. Cyna enim Græci canem vocant. Hi Diogenem autorem habuêre. Non defuere poſtremò qui in voluptatibus bonum reponerent: hi dolorem, vt ſummum malorum, omni vi fugientes, voluptatem ſummo ſtudio amplectebantur, quòd ea felices homines fieri putarent. Epicurei hi ſunt appellati, à primo tam ineptæ opinionis authore. Ariſtonis autem & Herilli ſententias, ab omnibus iam pridem exploſas, omittamus: In ſcientia enim ſummum bonum collocabant. Hi verò & eorum familiæ quaſi ſomniantes veram felicitatem inueſtigare ſunt auſi: quibus omnibus accidit quod ſagittātibus ſolet. Proponitur enim ſignum, quo parati certare ſagittam intendant. Tabulatum magno ſtudio feriūt multi, ſed qui medium illud omnino attingat, in quo victoriæ ſpes omnis reponitur, nemo vnus inuenitur. Datur tamen præmium ei qui ad ſignum acceſsit magis, quaſi ſit cæteris ſagittandi arte præſtantior. Idem contigiſſe his philoſophis dici poteſt. Accedit ad bonorum finem alius alio magis, ſed qui liquido (erroris * credo nebula) verum bonum inuenerit, nullus adhuc inuentus eſt. Veritati tamen Stoici appropinquare magis viſi ſunt, qui in virtute quæ ad felicitatem via eſt, ſolûm bonum collocarunt. Sed cùm via ad Athenas & Athenæ non idem ſunt, ſic quoque nec via ad bonum, & bonum idem erunt. Atqui virtutem eſſe viam ad felicitatē, ex hoc deprehendi poteſt, quod eos tantûm beatos dicimus, qui ſpretis cupiditatibus omnibus, iuſtè, prudenter, caſtè, conſtanter vixerunt, his quaſi ſemitis quibuſdam in cœlum profectos. PLA. Dic quæſo Marce, ſeparas'ne felicitatem à vero bono? MAR. Minimè quidem. Idem enim felicitas eſt & ſummū bonū. PLA. Perge, confundebar aliquantum immutatione vocabulorum. Rogabo ego te inter dicendum, ni moleſtè fers, vbi huiuſcemodi ambiguitate traduci videbor, ne quod dicis apertè intelligam. Habet enim hæc doctrina, vt arcana eſt, ita etiam vocabula & locos à communi conſuetudine nonnihil ſemotos. MAR. Moleſtè ferrem, ſi cognoſcerem te vel modeſtia vel pudore retineri, quô minus ex me quod ad cognitionem tantæ rei pertinet, ſciſcitarere. Docenti certè nihil eſt acerbius, quàm videre rem perinde ac ipſe docet, ab auditoribus non percipi. Proinde me, quoties placebit interrogato, ne fruſtra tantum laborem ſuſcepiſſe videamur. Virtutem præterea & ſummum bonum, non idem eſſe, ex hoc comprehendi poteſt, quòd illa actibus humanis comparatur ad felicitatem: hoc vero, ad quod omnia quæ in mundo fiunt, referuntur, adeo per ſeipſum bonum eſt, vt ab eo totius felicitatis integritas petatur, ne quærendum ſit extrinſecus, quòd tantam potentiam tamque diuinam efficiat. Poſtremò qui ſolûm dicit, nil ſibi relinquit, quod prætereà bonum dici poſsit: quo quid poteſt excogitari abſurdius, cùm in Deo ſummam & ſingularem poteſtatem videamus bonorum omnium copia refertam? Quôd ſi cui vnitatis nōmen eſt attribuendum, diuina potētia id tantûm ſibi vendicabit, ne dicant virtutem ſolûm bonū appellari. Duo ſumma bona à ſe inuicem diſsidentia, non appellatio ſolùm nominis, ſed etiam res ipſa dici vetat, cûm eius naturæ vnum non ſit, cuius alterum eſſe deprehendimus. Virtus enim celebris ac clara ſine actione humana eſſe nullo modo poteſt, cuius certè laus omnis in actione hominis conſiſtat. At Deus bonorum omnium fons, vera, ſimplex, ſinceraque felicitas eſt, nec certè cuiuſpiam actione & adminiculo ad ſui ipſius integritatem eget. Vnde meritò ipſum & non aliud quippiam ſolûm bonum appellabimus, cûm in eo ſumma ſint omnia; infinita potentia, ſingularis ſapientia, æterna gloria: non igitur ſolûm bonum, nec ſummum (vt Peripateticis placuit) virtus eſt: quorum ea certè fuit opinio, vt diuitię, potentia, dignitas, gloria, corporis robur, in numero etiam bonorum haberētur. Diuitias enim non ſolûm vt nullius rei indigerent, ſed ad magnificentiam & liberalitatem, ad copias, ad opes requirere videbantur, vt multis gratificarentur. Potentiam verô, vt rebus ſuis publicis cum imperio & poteſtate prężeſſent. Dignitatem ideô expectandam dicebant, quòd ea celeberrimum quenque apud ciues ſuos faciat. Gloriam, qua non apud ſuos modô, ſed etiam apud exteras gentes & nationes clariſsimum nomen conſequerentur. Corporis robur, quo cęteris valentiores haberentur. Vxorem quoque, liberos, amicos, nobilitatem, auram popularem, pulchritudinem, velocitatem,





& cætera id genus, ſummi boni, & non fortunæ membra dicebant, quos certè ratio ipſa vehementer improbat. Primùm, quî fieri poteſt, vt diuitiæ bona ſint? Bonum enim ſua natura tale eſt, vt extorqueri à poſſeſſore quauis arte & induſtria non poſsit. Atqui diuitiarum membra ita mutabilia ſunt, vt leui vento facilimè huc atque illuc impellantur: vnde non incongruè pilæ loco his fortuna vti dicitur, quo nil poteſt eſſe bono magis contrarium, cuius ea natura eſt, vt ſemper eodem modo ſeſe habeat. Non igitur diuitiæ bona ſunt: quæ quidem etiam longè alium ſortiuntur finem, quā quo ab hominibus deſiderantur. Ad tollendam ſiquidem indigentiam omnem, expeti videntur. Sed tantûm abeſt vt id efficiant, vt etiam ardentiorem ſitim poſsidèntibus excitent, quæ non ex inopia, ſed ex magna copia oriri videtur. Quanto enim quis plura habet, tanto pluribus indiget. Neque ſolùm (vt ait Cicero) libidine augendi ea quę habent, cruciantur, ſed etiam amittendi metu. Furum profectò, latronum, graſſatorum impetum continuo pertimeſcunt. Nec dici certè poteſt, eos ſitim, famem, frigus, quarum rerum cauſa pecuniæ tanto ſtudio comparantur, magis quàm pauperes & inopes ſedare. Ea ſiquidem habendi cupiditate feruntur, vt inediam, frigora, ſitim, ac vehementes æſtus vſque ad necem plerunque patiantur. Habet pręterea verum bonum modū quendam in ſe finitum & determinatum: quo quidem adepto, ac ſi in portu eſſemus, nulla amplius cupiditate iactamur. In pecunia verò nullus modus, nulla ſatietas eſt: vnde fit, vt eius ſtudioſi, continua ſolicitudine angantur. Poſtremò, ſi diuitię bona eſſent, vnumquemque poſsidentem meliorem profectò facerent. Talis eſt enim natura boni, vt eos, penes quos habitat, reddat pręſtantiores. At contrà vſu venire cernimus. Diuites enim, iniuſtos, intemperantes, mendaces, fallaces, violentos, libidinoſos, parricidas, flagitioſos, vt plurimum videmus, quòd ſecum totius libidinis & intemperantię inſtrumenta ferant. Quare diuitię nec bona dici, nec in ſerie boni collocari vllo modo debent: quę certè, quia fragiles ſunt & caducæ, & quia comparari ſine multorum iniuria non poſſunt, tanquam teterrima quædam peſtis ſunt fugiendę. Contenti enim noſtro & paruo eſſe debemus, cùm natura paucis ali ac foueri poſsit. Quare fit vt ſatis mirari non poſsim iſtorum ſtultitiam, qui nō ſecùs diuitijs & pecunię ſtudent, ac ſi ijs etiam poſt mortem vſuri eſſent. Potentia ſimiliter quid in ſe habeat, quod certè non fugiendū potiùs quàm expetendum ſit, minimè video, cùm eam inſidijs, proditioni, periculis omnibus ſubiectā cernamus. Eorū exemplis plena ſunt ſcriptorū monumenta, qui vitam & imperiū cum morte permutarunt, vt de Crreſo, Cyro, Xerxe, Dario, Alexandro, Pompeio, Cęſare legimus: quorum potentię nequanquam tantę fuère, vt eos à morte & interitu liberarent. Bonum ſiquidē potentia non eſt, cûm ſine multorum iniuria comparari ac retineri nequeat. Atqui ex bono melius ſemper naſcatur oportet, quod potentię omninò non contigit, vt Piſiſtrati, Phalaridis, Dionyſi, Tarquinij, Neronis tyrānides oſtendunt. Potentia igitur bonū dici nullo modo poteſt. Erūt fortaſſe qui potentū vitā ſecuriorē exiſtimēt, quòd magnā ſatellitū vim ad cuſtodiā corporis habeāt: quos quidē ego omniū hominū infeliciſsimos ac ſtolidiſsimos puto, quòd eos etiā mercede cōducant, à quibus perſæpè incauti opprimuntur: vt certè de multis legitur, qui vel familiarū inſidijs, vel prętorianorū militum vi & fraude perière. Quid? quòd ambitione & timore duob. maximis malis cōtinuò cruciātur, cū vel incrementū potentiæ cupiunt vel impendentē ruinā vitare ſtudioſiſsimè laborāt, vt Damoclis ſella indicat? Poſſum ego multôrū exēpla cōmemorare, qui magiſtratū depoſuère, quiq; deponere potentiā & tyrānidē voluiſſent, ſi eis per iniurias plurib. illatas id facere licuiſſet. Quod certè ab his nūquā concupitū diceremus, ſi in potentia ſummū eſſe bonum deprehēdiſſent: vt de Sylla legimus, qui dictaturam ſummū in Rep. magiſtratū, poſt longas bellorū ciuilium afflictiones & curas perſuadentibus amicis quibuſdā depoſuit, priuatus vt altū dormiret. Hoc quoq; malum non latuiſſet C. Cęſarem, quem vel Reip. componendę cauſa, vel nimia ambitio eo tandem perduxit, vt vitam cū potentia & imperio amitteret. Eadem fermè de honoribus & dignitatibus dici poſsunt: quæ ſi virtute & nō ambitione ac largitione quærerentur, in vita ciuili nō reprehēderimus. Sed neq; hæc quidē bona deberent appellari, cùm improbos ſepe ac dementes in magiſtratibus conſtitutos videamus, nec ab improbitate & ſtultitia ſua, boni dignitate & præſentia dimoueri vnquam poſſe. Nam vt malo contagione quodam malos fieri dicimus, ſic bono meliores effici neceſſe eſt. Verum tantum abeſt vt bonos magiſtratus faciant, vt etiam pleroſque ad ſupremam ſæuitiam, libidinem & auaritiam perduxerint: vt de Appio illo decemuiro, qui Virginiam Virginij filiam, ob magiſtratum & potentiam ſtuprare eſt auſus. Quid vero egerint duo Gracchi, quid Saturnius, quid Spurius Melius, quid Clodius, quid plerique alij apud Romanos in magiſtratibus cōſtituti, ex rebus eorū geſtis facilimè deprehendimus. Taceo C. Marij licentiam, L. Syllæ ſęuitiam, Verris auaritiam, C. Cęſaris dominatum, M. Antonij libidinem, Tiberij, Claudij, C. Caligulæ, Neronis crudelitatem & rabiem. Hi etſi naturâ mali erant, adeptis tamen magiſtratibus, licentia peſsimi ſunt facti: quod eis nūquam contigiſſet, ſi honores per ſe in bonorum numero haberi mererentur. Soleo ego mecum plerumque cogitare, vnde tanta ſtultitia hominibus inſit, vt id magno pretio nonnunquam parent quo adepto, & ludibrio ſint hominibus, vel in magnas calamitates perſæpè incurrant, vt Nonius ille Catuli, quē Strumam non hominem, in curuli ſedentem legimus. Quid eſt Catule, cur moraris emori? Sella in curuli Struma Nonius ſedet. Idem poëta neſcio quis, de ventidio Baſſo: Accurrite omnes augures aruſpicesque, monſtrum inuſitatum conflatum eſt recens: nam multos qui fricabat, conſul factus eſt. Noſtra quoque ætate videmus pleriſq; honores, tū prophanos, tū ſacros dedecori ac turpitudini eſſe, cùm vel ignaui ſint vel indocti, vel rerum humanarum imperiti habeātur. Satius nimirū fuiſſet

hos priuatê viuere,quàm eô velle conſcendere,vbi tanquam in ſpeculà quadam ab omnibus ignominia & ſocordia notarentur.Nota eſt Varonis plebei hominis audàcia & ſtultitia,qui conſulatum, onus quidem nequaquam humeris ſuis conueniens,contra patrum conſenſum adeptus, ad Cannas cũ Hannibale Carthaginenſium duce cõfligere eſt auſus,quo in prælio ad quinquaginta Romanorum Varonis ſtultitia cæſa traduntur.Idem de M. Craſſo, deque Quintilio Varo dici poteſt, qui pecunia & ambitione viam ſibi ad ignominioſam mortem fecêre. Alter enim bello Parthico, alter bello Germanico cum vniuerſo exercitu interijt. Omitto commemorare quot hominibus præclaris exilium ac perniciem cõcupiti magiſtratus iam pepererint:vt M.Camillo,Cn.Coriolano,Cincinnato,Scipioni apud Romanos:Soloni,Alcibiadi,Themiſtocli apud Athenienſes: Hannibali apud Carthaginenſes.Bonum itaque magiſtratus & honores non ſunt, cûm bonis plerumque obſint ac magnæ calamitati ſint. Gloria verò quam tanto ſtudio requirunt ij qui in vita & morte laudari cupiunt,quid in ſe boni habeat,certè non video,cùm non eadem ſemper ſit.Fallax nanque eſt,& ad inflandas hominum mentes aureſque permulcendas tantummodo videtur inuenta.Quid?quôd nõnullos hominũ eò inſaniæ vulgi opinione perducit,vt nil de ſe prædicari poſſe exiſtimẽt,quod ipſi induſtria & virtute ſua,cùm ſint,omnium ignauiſsimi, præſtari non poſsint:quos quidem detracto aliquando errore, proprijs laudibus erubeſcere neceſſe eſt,cûm cernant ſe eò cupiditate glorię profectos,vnde digredi ſine dedecore & ignominia non poſsint? Eſto magnitudine rerum geſtarum & non paruis meritis ſit acquiſita,quid boni viro ſapienti ac forti affert, qui non in voculis leuiſsimi vulgi,ſed in conſcientia tãtum rectè factorum ſuorũ merita reponi deſiderat?Vide quæſo quanta ſtultitia feramur in vita.Sũt qui ita gloriæ ſtudeãt,vt celebritate & fama nil putẽt eſſe melius.Nõ abnuerim ego hanc expetendam videri,ſi per omnes gentes & nationes extendi poſsit.Verùm cũ id fieri adhibito etiam omni ſtudio non vident,cumq; ciuibus ſuis vix ſe notos intelligũt, fit vt ex hoc quod ſummũ bonũ putabant,in grauiſsimos animi dolores cũ ignominia recidant, quibus eos infeliciſsimos fieri contigit,cùm inſpiciant ſe tot labores,tot vigilias fruſtra ſumpſiſſe:quare melius cùm his agitur,qui in Deo gloriam omnem ſuam collocant,in quo certè ſumma felicitas ac perfecta gloria repoſita eſt.Dicere autem,ex re imperfecta beatum ac felicem hominẽ fieri,abſurdum mihi ſanè videtur,cùm beatitudo ex ſummo ac perfecto bono naſcatur. At gloria, vel quôd non eadem eſt apud omnes,vel quòd opinione in ſiniſtram famam quandoque vertitur, adeò eſt manca & debilis,vt celebrem hominem, inglorium mutata ſententia quàm ſępiſsimè reddat.Eius enim maxima pars fortunę ſubiecta eſt,qua nil volubilius,nil denique fallacius dici poteſt. Nam quos in cęlũ vſque ſummo fauore,gloria & fama peruexit,eos plerumq; mutata opinione ita deprimit,vt nil vnquàm cõmercij cum ipſa gloria habuiſse videatur. Sed dic quęſo,quid dignitatis in ſe poteſt habere gloria, quę tota pendet ex arbitrio *imperitę multitudinis*? Cuius ea certè natura eſt illos tantum laudibus extollere,quibus *fortunam viderit arridere*.Aduerſi verò ſi quid acciderit, quod fieri crebro videmus,quos antea *ſapientes,fortes,prudentes* appellauerat,eos demũ mutata ſententia ſtolidos,imprudentes,*timidos*,reijciendos & contemnendos dicit.Non igitur gloria bonum eſt,quę nõ vero iudicio,ſed ſtultitia & voluntate hominum excitatur ac deprimitur.Eſſet aliquid, ſi à viris bonis & planè ſapientibus laudaremur: quanquã ne in hoc quidem ſit vera felicitas.Iudicio enim nil eſt fallacius,cùm aut odio,aut beneuolentia,aut alio aliquo affectu de rebus ipſis iudicare conſueuerimus. Iam verò viliſsimorum corporum noſtrorum quam fragilia ſint bona,videamus.Si robur inſpicis,à tauris & leonibus ſuperamur:ſi velocitatem,à ceruis,& tigribus:ſi formę ſpeciem, parum admodũ à vernis floribus diſtamus,quos vel paulò intenſior ſol,vel frigidior ſolito ventus facilimè enecat.Videmus & quotidiè quidem formoſiſsimos adoleſcẽtes & iuuenes, vel parua febricula turpiſsimos & informes cito reddi.Quod ſi diligenter contempta hac viliſsima ſpecie,quæ quidem pictura in ſuperficie corporis eſt,introſpiceremus, deſineremus vtique pulchritudinẽ iſtam muliebrẽ & vilem admirari, in qua vtinam non plus mali quàm boni eſſet. Prudenter enim hoc à Naſone poëta notatum eſt. Lis eſt cum forma magna pudicitiæ. Mallem ego deformitatem Therſitæ, quàm pulchritudinem Alcibiadis, ſi detrimento mihi & ignominiæ futura eſſet. Quod enim ad malum via eſt, id nequaquam bonum dici poteſt. At talis eſt forma, ad intemperantiam: ſiquidem ad libidinem,ad flagitium multos perducit:non igitur forma bonum eſt.At qui ſi certè volumus conſiderare,hanc in pleriſque multorum malorum cauſam fuiſſe deprehendemus.Quid bellum Troianum concitauit? Helenę forma. Quid Medeam fratrem Abſyrtum occidere & lacerare coëgit?Iaſonis forma. Quid Scyllam parentem cum regno Athenarum hoſtibus prodere impulit? Minocis pulchritudo & forma. Verùm nulla res profecto eſt, quæ nos falſo magis hęc inter bona adiudicare faciat,quàm oculorum noſtrorũ craſſus & obtuſus intuitus,quo turpes ac informes Veneri & Narciſſo plerumq; comparamus.Hinc fit vt matres inhoneſtos & turpes filios,pulcherrimos dijudicent.De his vero qui libidinoſe & intemperanter amant,non attinet dicere, cum neq; in hac quidem neque alijs in rebus vllo vero iudicio vtantur.Beſtijs enim perſimiles habenter,quę ſola voluptate & libidine ad res cõcupitas feruntur.Ex his itaq; cõprehendi poteſt,robur,formam,celeritatem corporis,inter bona cõnumerari nullo modo debere. Ad Cynicos venio,quorum ſecta ideo reprehendenda eſt,quod ſummum bonum,inurbanè & impudenter viuere, exiſtimarent. Frui muneribus à natura datis, non eſt alienum à ratione benè ac beatè viuẽdi,modo id fiat opportunè:ſed in foro mingere,coire,ac cętera huiuſcemodi agere, quorum etiam nomina palam enunciare na-

tura



tura ipſa vetat,alienum mihi ab omni felicitate prorſus videtur,in qua ſumma verecundia,ſummus pudor,ſumma dignitas ineſt.Sed dicant hi pertinaces philoſophi:ſi iſtas corporis partes vtiles quidem & neceſſarias,ſed turpitudinem & dedecus in decore ſi oſtendantur,præ ſe ferentes,natura ſagaciſsima in locis ſecretioribus occultauit,cur ipſi beſtias imitati,reiecto omni pudore, in foro, in ſcena,in theatro oſtendunt? Quòd ſi pueros, adoleſcentes, quibus ob tenellam ætatem & recentes animi vires minus cognitionis & pudoris ineſt, acuratè pudibunda corporis integrè videmus,cur non idem facient hi, quorum inſtituta ob ætatem in honeſtate & pudore, & non in canina impudentia fundata eſſe debent?Prætereà quid eſt quod in vita adminiculis his vti recuſent, quæ vel à Deo nobis data,vel ab hominibus excogitata & inuenta ad communem vtilitatem ſunt: vt tecto ad hyemem æſtumque vitandum:veſte ad imbres ventoſque propulſandos:pileo,ne caput nobiliſſima corporis pars aliqua intemperie lædatur:calceis,ne ſi nudis pedibus terram frigidam & frequẽti pluuia humectam conteramus,ſtomachus & reliquę corporis partes offendantur? carne ſimiliter, caſeo,lacte,vino & cæteris adminiculis ad alendum ſuſtentandumque corpus perneceſſarijs vti ſi nefas putant,diuinam prouidentiam nimirum accuſare videntur, quæ omnia ad vſum commoditatemque humani generis creauit. Mirari etiam ſatis non poſſum Pythagoræ illius Samij philoſophi,cæteris in rebus clariſsimi, pertinaciſsimum decretum, quo ſcelus eſſe & magnum quidem oſtendit,brutorum carnibus veſci.Sed vno & eo quidem perabſurdo dato, multa ſubſequi neceſſe fuit.Propoſita enim & affirmata tranſmigratione animorum, quæ ipſe metenphychoſim appellabat,cûm in brutorum corpora eos migrare diceret, accuratiſsimê vetuit domicilia (vt ipſe dicebat)noſtra ob voracitatem dentibus & morſu violari:ſed cùm nec Pythagoræ,nec Diogenis præcepta propter nimiã rigiditatem admodũ ſint ab hominibus approbata,cũque etiam plus ipſis inuẽtoribus tam obſtinata doctrina humano generi obfuerit,his tandem omiſsis,ad cætera pergamus. Epicurei veró poſtremi in ordine fuêre, quorum ſententiam exponeremus: horum opinio,Metrodori pręſertim ac Hieronymi,ab omni prorſus virtute remota fuit: cum brutis enim & nõ cum hominibus ſentire videntur.Nam illi rationis expertes, ad id quod adeſt, modò ſentiant in eo eſſe aliquid quod delectat,appetitu feruntur,de futuris nihil ſolicitæ:ſic hi reiecta continentia & poſthabita vera felicitate,voluptatem vt ſummum bonum amplectuntur,nec dici poſſet, quàm diligen ter & accurate vallo ac foſſa(vt dici ſolet)ſeſe defundunt.Non fruſtrà,inquiunt, naturà dolorem vt ſummũ malum declinamus,& voluptatẽ vt bonum appetimus.Nec id ſolùm ab hominibus fieri cernimus, verumetiã à cæteris animantibus.Videmus,inquiunt,beſtias diminutas etiam,& quibus minus animæ ineſt,vel fugere vel cõtrahere ſeſe,vbi moleſti aliquid,& quod nociturum ſit,ſenſerint:progredi verò,& omni conatu ad id quod iucunditatem voluptatemque præ ſe tulerit, deferri.Horum pueriles rationes quàm facilè confutari poſsint,attende. Primùm, quid poteſt eſſe ſtultius, quàm aſſerere id rectè fieri, ad quod plura appetitione ipſa feruntur? Quod enim multi appetunt,hoc eſt furari,latrocinari,mœchari,ſtuprum & adulteriũ cõmittere,vino & crapula repleri, ſomno & otio vti.Hæc ſi rectè & honeſtè fiunt,quid rectum certè ſit,non video:mea quidem immô bonorum omnium ſententia,rectum id dicetur, quod cum virtute fit,cui certè nil poteſt magis eſſe contrarium, quàm flagitioſe & intemperanter viuere.Hac via,quôd laborioſa,quodque difficilis,pauci admodũ ad virtutem: illa, quôd prona & lata, multi ad voluptatem proficiſcũtur. Non igitur quod à multis falſo,ſed à paucis vero iudicio approbatur,id profectò ſequi & amplecti debemus. Malè enim cum humano genere actum eſſet,ſi in rebus agendis multorum opinionem & non paucorum, eorumdẽque bonorum,ſequeremur.Hinc eſt quòd in optimis rebuſp. pauci deliguntur, quorum conſilijs cætera multitudo,imperita quidẽ ac ſtolida,obtemperet.Auocandi prętereà,inquiunt,& reuocandi ſunt ad voluptatem animi.Hoc enim dicto tollunt prudentiam & modeſtiam,quarum altera prępteritorum reminiſci iubemur, ne ſtultitia & ſocordia aliquam calamitatem incidamus:altera verò frenare cupiditates,& libidinem coërcere,ne ingenio ſimul & corpori immoderata libido officiat. Sed vide quæſo quantum abſit,vt in voluptate ſummum bonum dici poſsit. Ex bono enim nil niſi bonum oritur.At verò ex hoc bono,quod profectò malorum omnium fons eſt,pœnitentiã,ſatietatẽ dolorem,morbos,ęgritudinem,eneruationes corporum,ignauiam,timiditatem,negligẽtiã,nequitiam denique omnem exoriri oportet,cùm qui ſe huic ſectæ addixerit, nil quod ad corporis aut animi vtilitatem pertineat,excogitare poſsit,adeô eſt libidinum omnium agmine circumuentus. Voluptas igitur non modô bonũ eſt,ſed malorum omnium caput.Ex ea enim petulantia, laſciuia,turpitudo,iniquitas,amẽtia,ſcelus,egeſtas,ignauia,fraudatio,deorũ atq; hominũ contemptus cõtinuò quaſi fons quidam irriguus manat.Quid plura? ex hominibus certè intemperãtes ac ſæuiſsimæ fiũt beluę.Sed hos tandẽ miſſos faciamus,& cõfutata falſa beatitudinis ſpecie,quę vera ſit atq; perfecta, niſi quid ad hæc dicere volueris,tandem explicemus.PLA.Nefas certè putarem,ea velle defendere, quę tu falſo à philoſophis tradita multis ac maximis rationib.oſtẽdiſti, neq; hoc quidẽ ad rẽ meã faceret,qui deſiderio incredibili iamdiu ardeò ex te audire, quod verũ ſit ac ſummũ bonũ quãdo nec diuitijs rerum neceſſariarum abundantiam, nec imperio & regnis potentiam, nec magiſtratibus venerationem,nec gloriæ & famæ veram celebritatem, nec voluptatibus conſtantem lætitiam ineſſe video,vt ex tua doctiſsima ac veriſsima diſputatione intelligi poteſt. Perge itaque ſi placet, & me qui inſcitia & errore multum de via flexeram,ad veri perfectique boni cognitionẽ tãdem perducito.MAR.Si feſſus es audiendo mi Platina, requieſce paululum. PLA. Quaſi verò quies vlla ma-

ior

ſor dolori meo afferri poſsit, quàm te cuius aſpectu mirificè recreor, admonentem docentemque intueri & audire. Idem mihi certè vſu venire ſentio, quod inferis accidiſſe poëtæ ſcribunt. Vt enim illis omni pœna tamdiu caruiſſe contigit, quandiu Orpheo cithara & fidibus pro ſalute Eurydices deprecari licuit: ſic mihi certè intermiſsio quędam fit dolorũ & calamitatum mearum, audita tua elegáti ac docta oratione. MAR. Reuocáda nunc quidem mẽs eſt ab omni ſenſu & cupiditate, & ad veri ac ſummi boni cognitionem traducenda. De rebus enim magnis ac diuinis agitur. PLA. Agè dic quæſo, reflexi mentẽ in ſeipſam, vt nil excidat, quod à te dicetur. Viribus enim & firmo pectore nũc opus eſt. MAR. Ita eſt vt dicis. Contrahe paululum pedes, atque audi. PLA. En cõtraxi, & totũ meipſum collegi. MAR. Omne profectò qualecunq; id ſit, quod veri perfecti denominationem accepit, ita quidem dictum ob falſum imperfectumq; nemo eſt qui ambigat. Nam qui albũ in ſubiecto videt, eidẽ quoq; ineſſe poſſe eius contrarium, quod nigrum vocamus, deprehendit. Contrarijs ſiquidem contraria dignoſcimus, vt album nigro, dulce amaro, verum falſo, perfectum imperfecto. Cum igitur falſorum bonorum multiplices eſſe formas oſtenderimus, quæ tandem vera ſit ac perfecta, declaremus oportet. Ea nimirum in ſolo deo rerum omnium principe meritô collocabitur. Deo ſiquidẽ nil potentius, nil melius, nil perfectius, nil copioſius, nil glorioſius, nil quod magis animos noſtros delectet, inueniri excogitarive poteſt. Hunc certè ni talem eſſe contigerit, rerum omniũ patrem nullo modo appellaremus, cùm bonum aliquod eo pręſtabilius reperietur. Perfecta namque minus integris nobiliora eſſe comprehenduntur. Hęc enim ab illis, vt à potioribus, principium & augmentum accipiũt At verò tale aliquid de deo cogitare, nefas putandum eſt, cum omne quodcunque in rerum natura eſt, ita rectè egerit, diſpoſuerit, ordinauerit, vt in eo ad integritatem nil vlterius requiri poſſe videatur. Eſt igitur in deo ſummi perfectiq; boni copia maxima, quæ nec continuo vſu diminuitur, nec extrinſecus alicuius ope augetur. Diminui enim, quod infinitum eſt, nõ poteſt. Alterius deinde egere auxilio eũ qui omnib. adminiculò eſt, nequaquá certè cõſentaneũ videtur. Deus enim ſemper idẽ eſt, nec vllo modo diminutus, aut à ſe diuerſus dici poteſt. Summũ náq; dicere, cui deeſt quod ab altero accipiat, demẽtia profectò videtur. Pręterea nil eſt quod magis diminutũ aliquid aut imperfectum arguat, quàm aliquando à ſe diuerſum eſſe, vt ex illis fallacibus bonis deprehenditur, qui à nobis paulò antè multis rationib. ſpreta ac cõtempta ſunt. Deus itaq; ſumma, cõſtás, perpetua, integra beatitudo & felicitas eſt: hunc qui intelligit, eundẽ cõtemplatur, adorat, diuitias, potẽtiam, gloriam, honores, voluptates facilimè cõtemnit. Beatus enim & felix ſummum bonũ adeptus, quid amplius requirat non habet. PLA. Beatos igitur eos ſolos dicis, qui ſpretis fortunæ bonis, vnica cõtẽplatione delectantur? MAR. Quid beatos, immô deos: vt enim iuſtos iuſti participatione dicimus, ſapientes ſapientiæ, fortes fortitudinis: ſic diuos adepta diuinitate homines vocabimus: quod etiam dei ipſius voce in Pſal. confirmatur: *dixi enim vobis dij eſtis*: Nõ igitur à ratione alienum eſt, beatos

*Pſalm. 8.* homines participatione *diuinitatis deos haberi*. PLA. Magnum eſt certè quod bonis ac ſanctis viris tua *pollicetur oratio* Sed dic quęſo, iſtud quod ſummũ bonũ vocas, partibus ne & mẽbris cõſtat, an totũ idẽ eſt? MAR. Caue exiſtimes tantũ bonũ, táque excellens mẽbris cõſtare. Omne profectò quod partib⁹ cõſtat, integrũ dici nullo modo poteſt, cũ partibus plerunque magna diſcrepantia inſit. Nõ enim mẽbra omnia ad idẽ ſemper cõcurrunt: inter quę plerunque tanta cõtentio oritur, vt totũ corrumpi neceſſe ſit: atqui in Deo omnia ſunt idem, quem quidẽ partibus conſtare minimè dici poteſt. Omne ſiquidẽ quodcũque eſt, tádiu integrũ & perfectum remanet, quamdiu eſt vnũ. Nã quod partibus cõſtat, partiũ corruptione & interitu diſſoluatur oportet: vt in corporibus animantiũ cernere licet, quę animæ ac indiuidui iunctione vnũ, quamdiu poſſunt, eſſe nituntur. Vbi verô mors interuenerit ſeiunctione partium, ſtatim dilabuntur & intereunt. Conantur illa quidem naturali deſiderio ſubſiſtere, & quoad fieri poteſt, eius naturá imitari, vnde originem habuêre, nimirũ id quod eſt cernantia, verum ac perfectum bonum dici nullo modo poſſe, quòd non conſtans, vnum, integrũ, ſimplex, ſincerumque ſit. Hanc appetitionẽ vnitatis & diuturnitatis cùm videas naturaliter animátibus omnibus & plantis ineſſe, nõ eſt cur ambigas, Deum vnũ atque idẽ ſemper exiſtere, ad quẽ certè táquá ad arcem ſummi boni, naturaliter, cuncta feſtinát. Quẽ igitur rerũ omnium cõiectura bonũ eſſe comprehẽdis, ob eamque rem ab omnibus expeti, integrum, verum, vnum ac ſimplex bonum fateare oportet: quo cognito & adepto, nil erit profectô, quod amplius requiras cùm in eo ſingularis potentia & vnica ſapientia inſint. Hunc enim mundi globum, quem ex tam diuerſis contrarijſque rebus conſtare vides, ipſe in ſphæricam formam redegit, nullius adminiculo vſus, eique immobilis ipſe perpetuum quendam motum & ordinem aſſcripſit, quo regi omnia inferiora ac gubernari miro ordine cernimus. Neque quicquam eſt, quod hác diuinam diſpoſitionem queat infringere: adeô eſt potentiæ & ſapientiæ vinculis connexa, vt ſolis, lunę, reliquorumque planetarum perpetui motus, & eodem modo ſemper ſeſe habentes oſtendunt. Hoc itaque tantum, tamque excellens bonum qui iuſtè, fortiter, prudenter ac ſanctè viuendo conſecutus eſt, quid amplius ſibi velit non intelligo. PLATINA. Nunc demum verum fateor, falſi boni ſpeciem me hactenus inſcitia & errore ſtolidè nimium concupiuiſſe, cùm ſit quoddam æternum, diuinum, conſtans & perpetuum. Sed Deo gratiæ ſunt habendæ, qui te hodie diuinitus, certê huc miſit, vt haberem qui me doctrina & ſapientia ſingulari, non afflictum modó conſolaretur, verùm etiam grauiter errantem in rectam ſemitam reduceret. Sed dic obſecro, qua ratione hoc tantum, tamque expetendum bonum adipiſci quis poſsit. MARCVS. Diſciplinis primùm luſtranda mens eſt omni vitiorum

macula,



macula, deinde & artibus inſtruenda, quibus tanquam gradibus paulatim ſuperiora aſcendens, deſcendens rurſum rediensq; perſæpè cognita huius fragilis ac falſæ beatitudinis forma, veram illam & conſtantem totis viribus inquirat, complectatur. Hoc facere qui vult, omni prorſus vitio & concitato affectu carere debet, ne à tanta cognitione ancipiti cura diſtrahatur animus. Fortem eum & conſtantem eſſe oportet, ne laboribus & perturbatione aliqua vincatur: Temperantem, ne cupiditatibus & libidinum illecebris à recta via retrahatur: Prudentem, ne inſcitia et negligẽtia errorẽ aliquem incurrat. Habes nunc veri ac falſi boni ſpeciem ſatis dilucidè, vt arbitror, explicatam. Proindè cura, effice, enitere in vita rectè & honeſtè agendo, dolores & miſerias æquo animo tolerando, mentem crebrò ab his terrenis ſolicitudinibus ad rerum cæleſtium cognitionem traducendo, quo poſt mortem beatus ſummo illo & profecto bono cum tranquillitate vti ac frui poſsis. PLATINA. Nil eſt certè quod æquè facere cupiam & velim. Sed dic quæſo, quónam iturus es? adornare diſceſſum te video. MAR. Si bene pedibus vales, nil eſt quòd amplius operam meam requiras: iam enim ſedatis animi tui perturbationibus, delinitoque pedum tumore mea ac Theodori opera, functus officio meo videor, niſi quid præterea vis. PLA. Vt me ames volo, & ad me interdũ redeas, vbi tibi per otium licebit: noſti imbecillitatem naturæ humanæ. Variæ indies oriũtur ægritudines, tum animi, tum corporis: has, vt hydræ renaſcentis capita, abſcindas tua induſtria & arte oportet. MAR. Vbi te opera mea indigere cognoro, ſtatim ac libens reuertar, ſi mihi per arcis præfectum id facere licebit, qui non ita libenter accedentes admittit.

# BAP. PLATINAE DIALOGVS AD LODOVICVM STELLAM MANTVANVM CONTRA AMORES.

## STELLA.

SALVE Platina. PLA. Hem Stella, quonam & vnde? STEL. Domo, ad te. PLA. Quid cauſſæ fuit vt me adires? STEL. Amicorum (vt eſt Græcò prouerbio vſurpatum) omnia debent eſſe communia, ſiue illa quæ in vita contingunt bona ſunt, ſiue mala. PLA. Ita eſt: lætari enim ac dolore affici ex his quæ in vtramque fortunam amicò contingũt, ea demum eſt vera amicitia. Quare ſi quid habes, quod te coquat, mihi qui te chariorem habeo neminem, ediſſere. Vulneri enim tuo, niſi altius inſedit ac omnino letale eſt, nonnihil medelæ, cognita morbi cauſſa, fortaſſe adhibebo. STEL. Ex vultu, vt arbitror, deprehendiſti me aliqua perturbatione angi. PLATINA. Amor eſt mi Stella, qui te cruciat, quòd inceſſus tuus, nunc tardior, nunc concitatior, habitudo corporis præter conſuetudinem ad maciem tendentis, pallidula facies, mobiles oculi, mens varia, crebra ſuſpiria, cogitationes tuæ ſomniculoſę etiam te tacente, perfacilè oſtendunt. STEL. Neſcio ego, reprehenſioniſne plus an laudis merear, ſi apertè & ingenuè amare me dixerim. Nam quanti facis per DEVM immortalem adoleſcentem, qui nullo amoris ſtimulo ad ſolertiam & ſagacitatem excitus, vitam agit inertem & ſomniculoſam? PLATINA. Vellem mihi ac tibi dari otium hac de re diſputandi: cognoſceres profectô nullam peſtem ingenijs adoleſcentum periculoſiorem amore, & procacitate eſſe. STEL. Erit mihi otium, tamdiu certè, quamdiu per occupationes publicas à nobis aberit Franciſcus Gonzaga cardinalis inſignis & patronus noſter. Quare ſi vis, & ſi non omnino te ſolum amas, da te mihi hodie. PLATINA. Et hodie & cras, quando voles me habebis. Soleo ego, & id quidem perſæpè, amicorum commoda meis anteferre. Sed deligendus eſt nobis locus in ſolitudine, quo vtrique noſtrum ingenio & mente vti liceat. Ita nanque ruſticorum ſtrepitu, & clamoribus tum diurnis tum nocturnis offendor, vt non cum hominibus, ſed cum leonibus & aſinis habitare me exiſtimem: adeò ſunt ab omni humanitate & ciuilitate remoti. STEL. Deſcendamus, ſi placet, in hanc vallem, quę * marinum attingit. PLATINA. Rectè admones, erit hic locus & ingenio & corpori vehementer accommodatus: nam & liberius ratiocinabimur: & aſcenſu ac deſcenſu corpora noſtra exercebimus. Quod ante cibum maximè faciendum ad valetudinem & robur, cenſent medici. STEL. Hac facilius deſcendemus: te, ſi vis Platina, quia minus bellè pedibus vales, humero meo deſcendentem ſubleuabo. Sæuus nimirum fuit Paulus pontifex, qui te, etiam compedibus reuinctum in carcere detinuit, vnde ęgritudo iſta oborta eſt. PLATINA. Immô vt hoc facias, te rogo, ne cùm in vallem deſcendero, quod agitatione nimia fieri ſolet, tumore ac cruciatu pedum ab hac noſtra diſputatione auocer. De ſęuitia Pauli nullum verbum nũc facias. STEL. Retineo ego te, tu totus inhęreto humero ſiniſtro, vt dextra, ſi in pręceps deferor, me teque pariter à decliuitate defendam. PLA. Ad illa pręrupta ſaxa, quę è regione ſunt, velim proficiſcamur, adiuuabunt fortaſſe nonnihil nos vmbrę illę maiorum, quę olim his in locis obſeruatę ſunt. STEL. Eſtne illud quod video manu factum à natura? PLATINA. Manu certè & opera factum eſt. Ex hac enim conualle, vt videre licet, excidebantur ſaxa, quibus formas illas ingentes & regias extructas videmus, quæ Romam nobis proficiſcentibus ad dextrá relinquuntur. Ex hac enim materia ædificati ſunt, non hi modò aquæ ductus, ſed plurima etiam

in

in vrbe Roma atria, plurimi arcus triumphales, plurima tum publica, tum priuata ædificia. Extant
profectò adhuc ictus lapicidarum, extant ſemi exciſa ſaxa, & hic pons quem in ſaxo cõciſum cernis,
duabus rebus permaximè accommodatus eſſe debuit. Nam & exciſa de monte ſalius per fornicem
in conuallem deuoluebantur: & aqua iſta quæ nunc per infimam vallem delabitur, ſenſim ab ipſo
fonte per decliuia montis, & per hunc pontem ad formas, quæ in plano ſunt, deriuata, ad vrbem fa-
cilius perduceretur. Eò ſiquidem altitudinis conſcendit aqua, cuius ipſe, vnde deriuatur, fons eſt.
STEL. Hæc fieri ſine magna impenſa & multis opibus nullo modo potuêre. PLA. Quaſi verò his
defuerint opes & ſerui, qui prouincijs & nationibus omnibus imperitabant. Audiuiſti, credo, M.
Craſſum ciuem Romanum. Taceo Lucullum & innumerabiles alios, dicere ſolitum, eum ſolum di-
uitem ſibi videri, qui ſuis ſumptibus exercitum Romanum per annum alere poſſet. Quid? quòd &
quinque, & ſex millia ſeruorum priuatis ſumptibus plerique nutriuêre, nec tantis quidem opibus
impares eos habuiſſe animos cernimus, cùm in alienis elemẽtis, acſi in terris anguſtè habitarent, au-
ſi ſint ædificare: nam & plana montibus coæquarunt, & iactis inſanis molibus maria ſtrauêre, quod
nunc quoque tum in vrbe, tum in municipijs, tum in ſuburbijs, ex ruinis tot ac tantorum ædificio-
rum cernere licet. STEL. Facilè crediderim eos, & hæc quorum ruinas cernimus, & alia quæ ſitus
ac vetuſtas conſumpſit, ſtruxiſſe, cùm maria & terras virtute & tolerãtia ſuo adiecerint imperio. Sed
miſſa hæc faciamus Platina, in vallem deſcendimus, delige locum vbi mente & corpore quieſca-
mus. PLA. *Ad illam* quæ per aquulã ſaxa leuiter ſuſurrat, ſub opaca ilice optimè manebimus: nã *in illa, ubi*
& æſtum vitabimus, & ſitim, quæ ex nimio ſermone excitari ſolet, æſtate pręſertim, ſi opus erit, ſe- *aquula per*
dabimus. STEL. Locus eſt certè amœnus: ſed dic tandem, vnde medelam huic meo vulneri ſuſcipi-
as. PLA. Definiendum eſt primô quid ſit amor, ex cuius deſcriptione quæ ſint morbi tui latebrę, fa-
cilimè deprehendemus: deinde ſi non omninô ſalutem tuam aſpernabere, remedijs adhibitis ad ſa-
nitatem reduceris. STEL. Agè dic quid ſit amor. PLA. Amor duplex eſt, honeſtus ſcilicet & inho-
neſtus. Honeſtus eſt, qui oritur inter duos naturâ quoad fieri poteſt, & ſimilitudine bonorum mo-
rum perſimiles. Qualem fuiſſe Scipionis & Lælij accepimus. Inhoneſtus autem is dicetur, quo cor-
pore & animo ſtolidè quidem ad rem concupitam ferimur, nulla adhibita modeſtia. Hac perturba-
tione qui angitur, non video cur ſanus dici vllo modo poſſit, cùm dulci veneno, amaro melle, tri-
ſti gaudio, affectata deceptione delectetur. Vulnus enim (vt ait poëta) venis alit, & cæco carpitur ig
ni. Tanta ſiquidem huius morbi vis eſt, vt amantis, immô, vt veriùs dicam, amentis animũ cruciet,
corpus conficiat, mentẽ ita ſede rationis dimoueat, vt nil tandẽ pręter imaginem & ſpeciem (vnde
Zilotypia dicta eſt) amaſſe videatur. STEL. Pinxiſti mihi, vt vulgo dicitur, inferos. Malè profectô
mereris de amore, qui ſic eum, vt rem peſtiferam & pernicioſam, deteſtaris. Caue Platina iram tan-
ti numinis hac verborum licentia in tuam perniciem cõcites. Cum voluptate enim, vt arbitror, nõ-
dum in gratiam redijſti: proinde deſine eum maledictis inceſſere, cuius ſæuitiam & olim expertus
es, & in futurum fortaſsis experier. PLA. Dic meliora quæſo: quoduis enim ſupplicium pati malim,
quàm tot æſtibus, ac tanta Charybdi rurſum vexari. Fatebor ego ingenuè quidem, dum feruore ado
leſcentię ęſtuarem, amoris procella & tempeſtate diu vexatum, neque prius portum quietis attinge
re potuiſſe, quàm expiata mente amoris illecebris, philoſophię me totum ac negotio addixi. Adole-
ſcentibus enim nulla res otio, & quiete pernicioſior eſt. Vnde Naſo poëta hac peſte laborantibus re-
medium daturus: Si tollas, inquit, otio, periêre cupidinis arcus. Ea eſt enim adoleſcentiam
natura, is ætatis feruor, vt otioſi malè agere diſcant. Nec mirum, cùm in eos plus imperij ac po-
teſtatis habeat appetitus, quàm ratio. Agitantur ſiquidem infinitis propè cupiditatibus, non-
dum in diſciplina benè viuendi ob tenellam ætatem firmatis eorum animis, quod fieri ſine tempo-
re & longa exercitatione minimè poteſt. Quare ſi ſapis Stella, meo & aliorum exemplo edoctus, ti-
bi ab hac peſte cauebis. STEL. Non poſsum ego adduci, vt credam id eſſe malum, quod animanti-
bus omnibus vtiliter à natura datum eſt. Natura enim vt audiuiſſe â philoſophis me memini, nihil
agit fruſtra: deficerent profectò ſpecies animãtium omnium, niſi ab hac coëundi cupiditas, & amor
viuentibus naturaliter inſitus eſſet. Habet mea quidem ſententia, neſcio quid diuinum, cùm ad im-
mortalitatem formarum omnium proſpicere videatur. PLA. Amorem eſſe rem præclaram & diui-
nam non negauerim ego, cùm omne quod in mũdo mouetur & agitur, beneuolentia & amore quo-
dam moueatur. Nam ſuperiorum ſphærarum, & ſiderum, planetarumque curſus beneuolentia qua-
dam in inferiora agunt, cùm eodem modo ad* diuinandam genituram rerum omnium ſemper ſeſe
habeant. Rurſum ignis, aër, aqua, terra, ea beneuolentia ad procreationem rerum generabilium, & **deriuãda*
coruptibilium concurrunt, vt partem naturæ ſuæ indiuiduis addant. Verùm hic amor, vtpote diui-
nus, eodem ſemper modo ſeſe habet, non appetitu, non cupiditate, non licentia, non laſciuia, non
libidine, vt is quo te angi video, effertur. Quod ſi quempiam inuenero his cupiditatibus tãquam te-
terrima labe repurgatum ad procreandum, & cura eorum quæ procreata ſunt, ſancto, legitimo, ho-
neſto amore efferri, eundem caſtè, integrè, & ſanctè, amaturum dixero. STEL. Nimium reſecas hæc
ad viuum Platina. Nemo certè hac tua ſentẽtia honeſtè amabit: & quod deterius eſt, multos hac tua
verborum ſeueritate, à tanta tamque vtili & neceſſaria re auocabis. PLA. Didiciſti, ni fallor, à Stoi-
cis, nil eſſe vtile, quod non ſit honeſtum: proinde deſine neceſſarium id & vtile dicere, quod cum
turpitudine & flagitio fit: ſtuprum nanque committere, inceſtum, adulterium, ſacrilegium, ita per
ſe nefas eſt, vt honeſto & vtili contrarium nil magis videatur. Honeſtè enim, vt antè dixi, is amare
dicitur,



dicitur, qui ſpreta quoad fieri poterit, immoderata cupiditate, qua plerique omnes ferimur, coniun-
ctionem appetet, vt ſimile ſibi procreet, quo nihil poteſt eſſe homini bene morato & ciuili iucundius,
cum videt in filio honeſto & legitimo matrimonio nato, immortalitatem ſibi per ſucceſsionem ge-
neris quodammodo parari. STEL. Eadem ratio, & maior fortaſſe iucunditatis & vtilitatis in no-
tho eſt, quàm in legitimo, cum plus in illo creando amoris concurrit, quæ res diuina habetur, quàm
in hoc, quem facta neſcio qua ſeueritate procreari dicis. Quaſi vero generari quiſquam in quauis ſpecie
poſsit, niſi interuenerit titillans illa libido, quæ in generatione cum voluptate maxima ſentitur. Hanc
ego ita vtiliter animantibus omnibus à natura datam puto, vt hac ſublata, in contemptum venturam
generationem exiſtimem, quaſi hac vt illecebra quadam excitentur ad procreationem omnia. PLA.
Epicurus omnino es, vt mihi quidem videtur, qui voluptatem pluris quàm honeſtatem & vtilitatem
facis: deciperis profecto, cum ex non bona cauſſa tantam tamque præclaram rem oriri dicas. Non ne-
gabo ego titillationem tanquam inſtrumentum quoddam in generatione neceſſarium eſſe: non tamen
omnino dicam ex tam viliſsima re potiſsimum, amantium indiuidua procreari. Quid? putas ne eam
philoſophiam quæ de moribus eſt, fruſtra & inutiliter à philoſophis excogitatam eſſe? Hac retinetur
in officio corpus, multis ac maximis voluptatum illecebris tanquam peſsimis ſatellitibus obſeſſum:
hac ſenſus caſtigantur, hac appetitus obtemperare rationi cogitur: hinc tanquàm ex fonte honeſti,
quid deceat in vita quidque dedeceat, deprehenditur: hinc matrimonij ratio, qua vetamur tranſire li-
neam ad vtilitatem & dignitatem humani generis inuentam, cum hoc vinculo frena vaganti licentię
& libidini ſint iniecta. Taceo fortitudinem, temperantiam, iuſtitiam, quibus & tolerantiam rerum,
quæ in vita accidunt, perdiſcimus. Addo & abſtinentiam cupiditatum, quibus tanquam procellis ma-
rinis continuo vexamur: & ęqualitatem, ſine qua ſtare mundus, ne dicam ciuitates, vix poſſet. Hoc pul
cherrimum inuentum, hoc donum deorum contemnere omnino videntur hi, qui rapere ex alieno,
qui timide & inconſtanter agere, qui in appetendis rebus nullum habent honeſtum finem, nullam
cupiditatum & libidinum metam in aliena vxore appetenda, in vitianda virgine, in quouis inhone-
ſto & illicito concubitu. STEL. Iſtud tuum philoſophari Platina, ad rem noſtram nihil facit: aman
dum enim potius, quàm non amandum adoleſcentibus vtile & neceſſarium multis rationibus oſten
dam. Vtile id nunc ego exiſtimo, quod vulgus bonum expetendum dicit, ne rurſum me in nomine
polyſemo captes. PLA. Neque mihi quidem defutura argumenta arbitror, quibus oſtendam te errore
maximo detineri, qui tam obnixe pro voluptate certaturum te polliceris. STEL. Mecum agas ſyl-
logiſmo nullo modo velim. PLA. Ab vtili ſumentur argumenta. Sed vnum te monitum velim, ne de
amore, qui ad legitimum connubium reſpicit, verbum vllum facias, ne rem inhoneſtam ſancto tuea-
ris nomine. STEL. Nulla profecto res eſt, quę magis excitet adoleſcentes ipſos, ob tenellam ætatem
dormitantes, quàm amor ipſe. Viſa enim pulcherrima forma, auditoque dulciſsimo concentu, olfa-
ctu item ac tactu rebus ſuauiſsimis excitatis, animum adhuc recentem & ob eam rem bonarum igna-
rum erigit, applicatque illi rei maxime diuinitus credo, quæ ei & ætate & moribus & forma perſimi-
lis eſt. Hanc ſequitur, hanc diligit: huic vt placeat greſſus rudes, manuum ac totius coporis motum de
center componit, vt ciuis, & non ruſticus eſſe videatur. Verba idonea ad perſuadendum excogitat,
omnibus in rebus quærit ornatum: nitidus, mundus, terſus, ciuilis, comis cupit videri. Ruſticitatem &
moroſitatem tanquã res pernicioſas deuitat, maiores natu veneratur, æquales obſequio & vrbanita-
te ſibi deuincire ſtudet, gymnaſia virtutis cauſſa frequẽtat. Quid plura? Nil dicit, nil facit, ex quo non
eluceat pulchritudo quædam: dolet item ſi cui iniuria infertur. Magnificus & liberalis in eos eſt, quos
nouit de ſe bene meritos eſſe. Quod ſi quid ei dicto vel facto exciderit, vt adoleſcentibus nondum in
virtute bene firmatis contingere ſolet, erubeſcit, dolet, cruciatur, & demum quieſcit nunquam, donec
erratum virtute & induſtria emendauerit. Fortitudinem vero bellicam magnitudine rei delectatus
ita amplectitur, vt honeſtam mortem, quod mirum in adoleſcente videri debet, otioſæ & ignauæ vitę
anteferat: qualem fuiſſe Choræbum Migdonidem legimus, qui amore Caſſandræ incenſus, in armis
mori pro laude & gloria pulcherrimum exiſtimauit. Non dico quid egerit Tydeus ob amorem The-
bano, quid Achilles Troiano, quid Aeneas Latino bello. Quid item innumerabiles alij, qui dum om-
nibus placere ſtudent, maxime vero illi quam tantopere amant, nullum in grauiſsimis pręlijs, pro pa
tria, pro parentibus, pro cognatis, pro amicis periculum ſubire recuſarunt. Vnde quæſo poëſim
habemus virtutum omnium clariſsimarum præconium omnium optatiſsimum? ab amore. Quid
ingenium Orphei excitauit? Eurydice. Quis nobis Catullum poëtam dedit? Lesbia. Quis Flaccum?
Aſteriæ. Quis Naſonem? Corrina. Quis Gallum? Lycoris. Quis Anacreontẽ Lyricum poëtam? Batil-
lus adoleſcens. Quis Maronem deum poëtarum? Galathea nympha. Quis pindarum? Hearinus. *Qua mala*
PLATINA. Ex his mihi vnus videris eſſe Stella, quos Ariſtoteles parum idoneos ad philoſo- *adferat in-*
phandum oſtẽdit: Fieri enim minime poteſt, vt is recte de moribus & cauſis rerum dijudicet, qui per- *honeſtus*
turbationibus animi exagitatur. Vnde bene inſtitutum à Pythagoricis cenſetur, qui adoleſcen- *amor.*
tibus eorum gymnaſia doctrinæ cauſa frequentaturis, in quinquennium ſilentium indicebant, ne pri-
us hiſcere auderent, quàm recte agere & docte loqui didiciſſent. Senſus quidem dicis in adoleſcente
tenero adhuc & imbecilli ob amorem & cognitionem rerum excitari, quod contrà vſu euenire cer-
nimus: ad epulas ſiquidem, ad luxum, ad libidinem, ad otium, ſpretis legibus, ſpreta religione, ſpreta
diſciplina, incompoſitis & diffluentibus ſenſibus, omni impetu feruntur: non formis rerum delecta-
ri ad quarum cognitionem intellectus noſter, dum perfici ſtudet, ſenſibus tanquàm feneſtris & in-

ſtrumentis quibuſdá vtitur. Nil enim in intellectu eſt, quod nō prius fuerit in ſenſu. Hinc ſapiens quo animū paſcat, continuò ſumit, bonum à malo ſeparans, dulce ab amaro, vtile ab inutili. At adoleſcens qui nō iudicio, ſed libidine cuncta metitur, mulierculárum illecebris & fucato colore captus, diuinum neſcio quid in eis eſſe falsò exiſtimans, quam amat, hanc ſequitur, hanc cupit, hanc probat, in hac bona omnia eſſe putat: eius oculos, faciem, manus, inceſſum motumq; ſic intuetur & admiratur, ac ſi inde elici ſummum bonum poſſe exiſtimet: ad huius verba, ad cantum non ſecùs flectitur, ac nauigantes in freto Siculo, vt ſcribunt poëtę, ſi quando inſcij & incōſtantes Syrenarum cantibus delectati, de nauigatione flexiſſent. Dices fortaſſe hac voluptate non adoleſcentes tantùm, qui magis ſequuntur affectus, cruciari, verumetiam ſenes, in quibus cupiditatum fomenta ob ſenectutem extincta eſſe deberent: hoc ego non negauerim in quoſdam cadere, qui vel naturâ viuaciores ſunt, vel minus bellè in vita voluptatibus obſtitere, vt de Salomone & Dauid legitur. Flexit item pulchritudo Helenę apud Homerum ſenes Troianos, qui ſcæam portam conſcenderant, Paridis & Menelai ſingulare certamen inſpecturi: eò nanq; cùm mulier tanti certaminis pręmium aſcenderet, elegantia formæ adeò mentes ſapientiſsimorum virorum primò cepit, vt tantum bellum eius cauſa meritò dicerent eſſe concitatum: addidere tamen prudentiſsimi ſenes, ſuorum credo cladibus admoniti & ab appetitu ad rationem reuocata mente: verùm habeat, quanquam pulchra potiùs, quàm patriæ noſtræ pernicies ſit. Non idem etiam contigit his, quos Meduſa incredibili ſua pulchritudine partim in ſaxa, partim in bruta conuertit? Saxei nimirum fiunt homines, & in brutorum tranſeunt naturá, qui mulierculárum forma & illecebris capti, vitam agunt intemperanté & libidinoſam. Nec excitantur, vt dicis, adoleſcentes ad virtutem ob amorē, cùm nihil ſit tam virtuti contrarium, quàm flagitiosè & intemperáter viuere: quanquam non conſtanti & ſuo, ſed alieno, vt amantes, ſolent pendere arbitrio. Igitur in fabulis Iouem quoq;, Martem, Mercurium, cęteroſq; deos puellarum amore exarſiſſe, quod ideò certè ſcribunt poëtæ, vt oſtendant viros etiam ſapientes & fortes, quos vel deos vel ſemideos, vt Herculem, Theſeum, Perithoum vocamus, perturbationibus, & quidem vehementibus interdum commoueri: ſed eos virtute & continentia detentos, à tanto dedecore & turpitudine tandem redimi. Præterea quid eſt quod tam auocet mentem amantium à ratione bene viuendi, quàm amor ipſe? Vnde certè omnes animi perturbationes oriuntur: crudelitas, vt de Medea legitur, quæ vt Iaſonem quem deperibat, tutius ſequeretur, Abſyrtum fratrem in itinere lacerauit, quò patrem inſequentem dolore, quem de morte filij capturus erat, remoraretur. Eadem quoq; ira percita, quòd nouos amores ſuis pręferri videbat, duos filios ex Iaſone ſuſceptos, diſcerptos in ora patris coniecit. Quid Prognes ſtuprata ſorore? Nónne patri Tereo ob vindictam Itym filium epulandum appoſuit? Atreus item ſimulata reconciliatione cum fratre, qui eius vxorem inceſtaſſe dicebatur, Thyeſtæ filios epulandos appoſuit. Coniurauit Clytemneſtra cum Aegyſto adultero in perniciem mariti Agamemnonis: quo interempto, Oreſtis furor in matrem concitatus eſt. Donauit Scylla Niſi, Minoi regi, cuius amore tenebatur, ſublato furtim crine aureo, vitā & imperium patris: huius aūt tanti facinoris meritam poſteà mercedem ſcelerata filia cōſecuta eſt. Decepit Theſeus Ariadnem, cui fidem coniugij dederat, pręlata Phędra. Hæc poſteà amore Hyppoliti incenſa, patrem Theſeum in perniciem filij concitauit. Ceſſauit à virtute Hercules amata Iole & Deianira, cuius gratia & tantum robur cecidit. Magnas clades Achillis ira Danais iniecit ſublata Bryſéide, quam mirum in modum amabat: hunc deinceps Polyxenæ nimius amor ad interitum perduxit. Demophoontis tardus reditus, amanti Phyllidi exitio fuit. Perijt in vndis Leander, dum Boſphorum noctu ad amicam natitat. Remorata eſt Vlyſſem Circe: retardauit Annibalem quo minus victoria vteretur, amor fœmellę Appulę. Tarquinio regi exitio fuit ſtuprata à ſexto eius filio Lucretia. Perijt in vinculis Claudius decemuir, quòd Virginiam Virginij filiam, ob amorē in ſeruam ſummiſsis falſis aſſertoribus, vindicare ſibi contra ius faſq; conatus eſt. Virtutem C. Cęſaris nonnihil retardârunt illecebrę Cleopatrę, quę poſteà M. Antonium minus certè conſtantem, omnino dedit peſſum. Quid memorem quæ ſcelera, quas cædes, quas proditiones ob amorem commiſerint, Claudius, Caligula, Nero, qui cognatarum & affinium nefandos concubitus non reformidârūt? Dicis pręterea adoleſcentes amore ad ſtudia bonarum artium, ad omnem deniq; virtutem excitari. Sed per Deum immortalem, quónam modo fieri poteſt, vt qui fluctibus perturbationum omnium vexatur, mentem alicui pręclaro negotio applicet? Amantium enim ij ſunt cruciatus, dolent quum alium vident ſibi in amore pręferri: gaudent ſi quid vel minimę ſpei redeundi in gratiam viderint: timent puellarum leuitatem: iraſcuntur cûm datam fidem falli vident. His affectibus fit, vt non ſolùm ſtudia diſciplinarum omittant, quę mentem quietam & omni prorſus perturbatione carentem requirunt: verumetiam patrimonia diſsipent, parentes decipiant, amicos poſthabeant. His autem erroribus plenæ ſunt comœdiæ poëtarum omnium. Conqueritur in Andria Simo de perfidia Daui, de contumacia filij Pamphili, aliam quàm ipſe volebat amantis. Cruciat Thraſonem Thais in Eunucho. Pellit in militiá durus pater Cliniam amantem, qua ex re, ἑαυτὸν τεὶς μερήμνεις Aeſchini, obiurgat Mitio Demeam fratrem, quòd in filios amātes nulla indulgentia vtatur. Elegia quęſo à poëtis celebrata, quid aliud ſibi vult, quàm vt aliorum malo & exēplo docti adoleſcentes, Charybdim amoris deuitent? Deſcribit affectus heroidum Ouidius, narrat miſerias ſuas Propertius. Maledicit nonnunquam amicæ, & lenam crebrò execratur iratus Tibullus: Ardet in Alexim Virgilius: inſanit ob amorem Archilochus: mœret & lachrimatur abſente Phaone Sappho. Non negauerim ego iſtorum ingenia indignitate rei mota, dignū aliquid excudiſſe: ſed perinde eorum dicta accipi debent, atque vatum inſanientium reſponſa: quæ ſi





quidem ad rationem benè viuendi pertinent, ſuſcipienda ſunt: quæ vero ſecus, cautè vitanda, ac ſi roſas è ſpinis deligeremus. Memini me vidiſſe in gymnaſijs Italicis adoleſcentes & quidem præſtantis ingenij, qui omnino ex amore perditi, otio & laſciuia florem ætatis conſumpſere, earum doctrinarum omnino ignari, quarum gratia à parentibus cum magno diſpendio rei familiaris ad pręceptores ſunt miſsi: hinc oritur deſperatio, ſera pœnitentia ſubeunda, cum vident ingenium ſimul cum re ſe amiſiſſe. Hinc furta, hinc rapinæ, hinc cædes, hinc contemptus deorum, atque hominum. Quid, quod in verbis, vultu, motu corporis, non ſanam mentem amantes præ ſe ferunt? Vt de Didone Virgilius:

*Incipit effari, mediaq; in voce reſiſtit.*

Non dormiunt noctu, ſurſum atque deorſum curſitant: vſque ad lucem vigilant, ſuſpirant, lamentantur, examinantur quauis minima ſuſpitione. Non leuantur hac cura publicis ſpectaculis, nō ludis, nō iocis, non venatione, non aucupio: faſtidiunt omnia, riſus quidem in eis Sardonius eſt. Videas plerūque hominem tremere, pallere, oculos retorquere, & omnino mente alienari, ac ſi morbo comitiali agitaretur: quærit rixas, quærit iurgia, quęrit lites: digladiari etiá nudus cum armato non recuſat, adeo demens & inſanus eſt: ſtare promiſsis neſcit. Si quid iuramento etiam promiſit, idem poſtea periurio negat, neque quod pollicetur putes eum præſtare. De rebus omnibus vitio mentis peruerſæ dijudicat, quod falſum eſt, affirmat, quod verum, refellit: ſi quid ei præter ſpem acciderit, non ignauiam, non ſtoliditatem ſuam accuſat, ſed cælum ac Deos. Hominem ad tempus, maxime autem vbi amica ei arriſit, ciuilem, comem, facundum putabis: mutata fortuna, inurbanum, contumacem, moroſum ac petulantem dices. Videas eum interdum ſqualidum, pallidum, macilentum, ac ſi ab inferis rediret: adeo eſt à corporis cultu & ornatu virili alienus. Interdum vero ita munditijs ſtudet, vt nihil niſi ſexu, à proſtituta differat. Iter ſi quo ceperit imprudens, facilè de via flectit. Inter loquendum, inter cœnandum, perſæpè ſedet cogitabundus, quònam pacto amata potiatur: hac cogitatione plurimum ſe oblectat, in hac quieſcit. Neque eſt cur in tanta animi & corporis perturbatione de eius ſalute queas ſperare, cum neque bene admonentium conſilia audire, neque amicorum remedia pati velit. Fortitudinem & modeſtiam non eſſe vllam in tam perdito adoleſcente quis non videt, cum ab improbis dominis dedecoris & turpitudinis facilimè & primo cōgreſſu ſuperetur? Hunc ego fortem in rebus bellicis credam, quem ſola muliercula reuinctum grauiſsimis catenis in triumphum ducit, quem verberatum tanquam nequiſsimum ſeruum expellit, reuocat pro arbitrio, quonam modo hoſtem armatum ferret, qui ne fœmellę quidem ſubiratę vultum ferre poteſt? ſub galea ne? ſub ſago? ſub aggere? ſub pellibus? Militares labores & vigilias patietur, qui ob intemperátem vitam effœminatiſſimus eſt factus? illum poſtremò liberalem in amicos exiſtimabo, qui neq; vnde ſuſcipiendum, neque cui dandum & quantum ſatis ſcit? Niſi forte liberalis is dici poteſt, qui & lenonibus & meretricibus & proſtibulis explendę libidinis cauſa, quod habet, inconſultè ac temerè effundit. Quid, quod morbus iſte eo dementiæ & deſperationis amantes nonnunquam perducit, vt ſibi manum injiciant? vt de Pyramo & Thisbe apud Ouidium legimus, de Didone apud Maronem, qui in ficta perſona amantis fœminæ, perturbationem mentis & rabiem appoſite & eleganter ſcribit. Libet hoc in loco vnum profiteri, nullam peſtem ac morbum concitationi amoris hominibus capitaliorem eſſe. Induſtrium ſiquidem, inertem & deſidioſum facit: fortem, imbecillem & effœminatum: magnanimum, timidum: liberalem, auarum, vt habeat pecuniam inſtrumentum libidinis. Modeſtum & intemperantem, incontinentem & voluptuoſum: prudentem, inſanum & ſtolidum: vrbanum, ruſticum: ciuilem & iucundum, moroſum ac difficilem: verum, mendacem, & fædifragum: humanum, crudelem: vt de Phineo legimus, qui filios proprios ob amorem *Harpalicis occæcauit. S T E L. Retexiſti profectò vulnus amantū: neq; me piget omnino tecum hac de re locutum eſſe: apertè enim video, quo errore ſim implicitus. Verum nihil abs te actum eſt, niſi addideris qua ratione mihi à tanto malo cauere poſsim. PLA. Si eius rei quam amas, naturam & mores inſpexeris, facilè à tam intemperanti & libidinoſa belua animum tuum reuocabis. S T E L. Scio adoleſcentes ætatis vitio libidine maximè agitari his ſi fœminarum concubitus interdixeris, in maius fortaſſe ac tetrius vitium prolabentur. PLA. Si erunt bene morati, & ſi flagitioſam pædiconum ac puſionum vitam inſpexerint, facilimè honeſtatem turpitudini anteponent Hoc enim vitio nullum poteſt eſſe turpius ac pernitioſius: derogare ſiquidē videntur ij, qui hoc fœdiſsimo morbo laborant, fœcunditati humani generis, cùm virili ſemine aliter vtuntur, atque vtendum à ſummo Deo accepère. Ducant vxores illi, qui minus conſtanter Veneri reſiſtunt, procreent ſibi ſimiles: hac propagatione faciát vicos, augeant ciuitates. STEL. Videris mihi inconſtanter loqui, qui in vno reprehendis, quod in altero probas: ducere vxorem, eandemque aſpernari, maximè mihi contraria videntur. P L A T I N A. Laudaui ego antè & nunc laudo amorem, vnde connubium oritur: Vituperaui itemque adulterium, inceſtum, ſtuprū, ac cætera flagitia, venerea præſertim. S T E L. Redi quæſo ad id quod inſtitueras, & qua ratione animum ab amore auocē, oſtende. PLA. Primùm cōſideres oportet, quanta ſit dignitas virilis, quòt præclara munera ſeorſum à fœmina ſunt data, tū ingenij tui, tum corporis quanta cōſtantia, quanta prudētia, quanta diuinarum humanarumq; rerum intelligentia, quantū robur in obeundis negotijs tum domi tum foris? Deinde oculum flectas ad hoc animal imperfectum, omnino imbecillitate ſua contemnendum: in quo certè ſi quid dignitatis & pulchritudinis ineſt, in totum viro eius gubernatori, tanquam rudis & compoſitæ maſſæ quaſi ſtatuario cuidam attribuendū eſt. Natura enim (vt Ariſtoteli placet) formis omnibus marem tanquam rem perfectam, ſpreta fœmina, nititur efficere: ad hu

*Remedia contra inhoneſtum amorem.*

ius verò integritatem omnes vires confert,huic ſe accomodat,in hoc ſe oblectat; quod amplitudinem ſuam ex perfectiore re extolli putat.Fœmellam autem ſi præter ſpem vel per accidens (vt philoſophi dicunt)creauerit,eam nobiliori cuidam annectit, emendatura quoad fieri poteſt, erratum ſuum.Hinc eſt quod hoc animal tam cupide virum appetat,ab eo accepturum quod ei naturâ quidem deeſt.Verùm tanta eſt imbecillitas & inconſtantia huius ſexus, vt virum non omnino ſapientem,è ſede plerunque ſua facillime dimoueat:huic autem periculo non obijcio ego, niſi viros probatos & conſtantes. S T E L. Mitte quæſo hoc tuum philoſophari, & vulneri noſtro iam diu detecto medere,ne continuo cruciatu peream. P L A T I N A. In muliere non caſta,nil boni eſt quare ſit appetenda, ſiue eius animum, ſiue corpus inſpicias.

*Incontinẽtis fœminæ vitia.*

Fallax ſiquidem & mendax eſt, ac rerum omnium turpiſsimarum affectatrix:non herbis, non venenis, non comitibus, non execrationibus parcit explendæ libidinis cauſſa:quod ſi dæmones rei ſuæ fauere exiſtimauerit, contempta religione,& ſpretis dijs immortalibus,eos colit,eos inuocat,illis ſe totam tradit. De crudelitate eiuſdem & pertinacia non eſt cur ambigas,cum tigride immanior ſit inuenta, vt de Medea & Agrippina legitur,quæ in multorum necem ob libidinem conſpirarunt.Nullum præterea bellum grauiſsimum exortum eſt,quod ex hoc malorum omnium fomento non ſit concitatum, vt Hælenæ,Iouis,Europæ hiſtoria indicat.Quot cædes,quot incendia,quot rapinæ,quot ſtupra,in tam grauiſsimis bellis ſint commiſſa,excidium Ilij perfacilè indicat.Nulla eſt in hoc ſexu conſtantia,nulla fides:in rebus autem turpibus,malitia & pertinacia vtuntur plus quàm dici poteſt: ſemper enim cogitat quomodo hunc expilet,illum circumueniat.Maritum ſi quæ habet, illi omnia de ſe bona pollicetur,illi blanditur,illum verbis Deum eſſe oſtendunt.Mœcho deinde oculis, vultu, manibus, execratione, vel ſigno aliquo concubitus ſuos pollicetur.Eſt præterea tantæ audaciæ & calliditatis,vt in crimine deprehenſa,ſumma cum pertinacia ſe rectè feciſſe audeat approbare: polliceri aliquid,& pollicitum negare,apud eam pro ludo habetur: adeo eſt fallendi cupida. Non dico quos gemitus,quas lachrymas,quæ ſuſpiria ſimulet decipiendi amantis vel mariti gratia. Si quid ei quod non placeat,fuerit imperatum,quale illud,& quomodo ſit agendum, ſimulata ignoratione neſcire ſe oſtendit.Facilimè vero ad oẽs affectus mouetur,nec ſecùs mobilis,ac frondes ſunt flantibus ventis.Inuida eſt,auara,vt Amphiarani Thebani vatis calamitas oſtendit:quem viſo Argiæ cœſto,quærentibus prodidit.Non,ſi poſſet, maritum vel amicum ex quouis grandi periculo vno quadrante redimeret: nullá pietate, nulla gratia,nulla miſericordia, nulla religione ad officium mouetur:non credit deos eſſe,non ſanctos:ſpectatum(vt inquit Naſo)vadunt,ſpectentur vt ipſæ. In inceſſu( dij immortales)quam pompam,quos faſtus oſtendit: vt canis rabida, vt tigris excandeſcit,ſi quis ei obiter ſtructuram palleoli vel rugam paulo indecentiùs mutârit. Quãto ſtudio faciem quærat ſpeculo,quibus medicamentis eandem liniat,qua arte crinem flectat,qua diligentia ſinus cycladis & rugas componat,norunt ancillæ coſmatæ,quas verberat, quas cruciat, ſi qua ruga paulò incomptiùs ab humero defluxit.In his nugis diem conſumunt,perituræ dolore & inuidia, ſi quam viderint ornatiorem ſe in publicum prodiſſe.Hinc eſt quod auerſæ cubant marito:hinc ſuppellectilia omnia reſupinant,hinc ſeruos eijciunt domo,hinc ancillas vſque ad necem verberãt: nec tantæ iræ modus vllus ineſt,donec maritum vel amantem impulerit, diuendito etiam patrimonio, ſericas veſtes & purpureas,ſapphiros,ſmaragdos,cryſolithos,margaritas, & quicquid gemmarum in pretio eſt,ſibi emere.Vult gregem ſeruorum,vult ancillas ex Scythia vſque & Aethiopia emptas.Quàm exquiſitis delectetur epulis, neque terreſtribus ſolum, ſed maritimis,non attinet dicere,cum tota voluptatibus ſit dedita.Vult hædulos lactentes adhuc,gallinam altilem,perdicem,ficedulas,anates,querquedulas elixas,turdum,turturem,fartum,leporem,altilia ex farina inuoluta, echinos,oſtrea,peloridas.Ex herbis,aſparagos,bulbos,erucas,& quicquid libidinem mouet. Vina nõ niſi pretioſa bibit:quibus adeo ſe ingurgitat,vt mariti ſinũ perſępè vrina & nauſea repleat:faſtidit menſam non magno apparatu poſitá.Vult myrrhina pocula,vult cryſtallina,vult pateras argẽto & auro cælatas.Hæc autem omnia quando placet, vel ſub haſta vendet, vel in pignus ponet, poſthabita cura rei familiaris. Balnea, porticus, theatra, ludos,choreas frequentat. His in locis quanta petulantia & procacitate vtatur,indicãt rixæ inter amantes ortæ, cùm non vnum, ſed plures meretricijs illecebris ad amorem ſui pellexerit. Lenas habent,quæ validos & membroſos mœchos magnis præmijs conquirãt.Adeunt tẽpla rem diuiná auditurę,vt ipſę ſimulãt,ſed vel deſidioſum monachum vel fratrem ſimulatorem ac diſsimulatorem, vel presbyterum intemperantem ad libidinem,oculis,lingua,labris,prouocat.His ſe totam tradit:ab his,vtpõte libinidinoſis & intemperantibus,eius libido aliqua ex parte lęnitur.Labra dices eas & ſupplicè quidem mouere.Quid aliud quęſo Deũ rogant,quá vt libidini ſatisfiat ſuę?Nõ pro ſalute mariti, vel filij,vel cognati, vel affinis vota ſuſcipiunt:ſed aut pro reditu mœchi ſi abeſt,aut pro valetudine lenonis ſi ægrotat. Si peregrinatio cum marito ſubeunda eſt,valetudinem ſimulãt,& languorem animi præ ſe ferunt: Si cũ adultero,nullum laborem,nullam peregrinationem, tum terreſtrem, tum maritimam recuſant. Eſt inſuper operępretium cognoſcere,quos amatores ſibi diligant tam libidinoſæ beſtię.Hæc enim aut luſcum aut lippum amat:illa aut claudum,aut varicoſum:alia aut ſtrumoſum, aut gibboſum. Nec expectant ſemper vt eas adulter adeat,ſed ipſæ furijs libidinum incenſę,tanquam rabidę canes, noctu ac die amatores inuiſunt:domum reuerſæ,ſi aut marito aut cognatis reddenda fuerit abſentiæ ratio,cauſantur officij gratia ſe vel cognatum ægrotantem viſendi ac conſolandi hominis cau-

ſa



ſa exiſſe,aut vicinam puerperam de more iuuiſſe.Deprehenſæ in aliquo crimine, & verberibus cæſæ,continuò fiunt peiores:adeò ſunt àd delinquendum pronæ:quid agant ipſæ inter ſeſe, ex Satyro cognoſce. Qui & equitare inuicem & lambere ſe oſtendit, præſertim cùm vel calones,vel lixas,vel polictores domi non habuerint.Non dico quibus conuitijs maritos abſentes lacerent, maximè verò ſi vel ob modeſtiam vel imbecillitatem naturæ,in venerem fuerint tardiores.Nolũt vllo modo hoc cibo defraudari ſæuiſsimę viperæ:quicquid cogitant,quicquid ſomniant,quicquid agunt, id totũ ad rem veneream ſpectat.De continentia,de modeſtia,de pudicitia nullum verbum.Illas felices ac fortunatas eſſe prędicant,quibus mariti vel adulteri intemperantes ac libidinoſi contigère,quòd crebrò cum eis congrediantur.Quæ conuiuia dij immortales?Quas epulas?Quàm exquiſitas celebrant inter ſeſe,vel cum amico,maritis abſentibus?quos certè verbis lacerant,quos ignominia potant.Dicit hęc ſuum vt ignauum & nullius pretij hominem,tota nocte ſtertere:illa ſuum nimis ſapere,quòd lunam, quòd eclipſes,quod motum aſtrorum etiam in re venerea obſeruet.Alia ſuum non plus mentulæ habere,quàm tenellum impuberem.Quos audiunt ob magnitudinem virilis membri cum Priapo certare,eos magnis pretijs conducunt,his beryllos,his phialas,his denique quicquid pretioſi habent cõdonant, filiorum & mariti immemores. Sunt etiam quæ in tanta rabie nimio viri ſui amore detineri ſe optimè fingant:nam & blãdis verbis & compoſito vultu venientem reſalutant: & ſi quando ob mœchum abſentem ſuſpirant,id eis nimio ſuorum deſiderio accidere oſtendunt. Pendet fallax & blanda circa mariti oſcula,quem in cruce,ſi fieri poſſet, deoſculari vellet. Illius vitam ſibi chariorem eſſe ſua,iureiurando affirmat,quam certè non redimeret anima catellæ ſi poſſet. Ad hæc animi vitia,quàm incõpoſiti ſint corporis,quàm putridi,quàm fœtidi,quàm cadauerosi,attende.Etſi enim naturâ ſint earum corpora noſtris corruptioni magis ſubiecta,tamen adeo libidinoſe & intẽperãter viuunt,vt cadauere ſint fœtidiores,cum & dentes nimio faciei medicamine marcidos habeant: lippientes oculos, fraceſcentem cutem, ſtillantem ſanie naſum,pendulas & libidinoſas aures,defluentes capillos,limoſa labra,venenoſas gingiuas,linguam fallatricem, irumatum guttur, anhelitum odore corrupti in ouo pulli tetriorem:vuluam omni ſentina, omni latrina, omni deniq; cloaca putridiorem:barathrum dices apertum & auerni clauſtra relaxata, vbi mephitim illam pernitioſam & peſtilentem exhalat.Hanc cum rabie mixtam & extinguat,imò vt aliqua ex parte leniat,nullam caſtam,nullum poſtibulum, nullum lupanar relinquit intactum, vt de Iulia & Agrippina libidinoſiſsimis fœminis in hiſtoria legitur:neque virili concubitu contẽtę,quaſi minus extinguatur tantum incendium,clunem brutis etiam & aſello & tauro ſummittunt:quod fallaciſsimæ Paſiphaes probatur exemplo,quæ non contenta Minoë rege clariſsimo,ſuſcepta vaccea forma, taurum cuius amore æſtuabat,in coitu decepit:Huius tantummodo ſexus quanta ſit rabies,menſtruo ſanguine à genitalibus per crura labente deprehẽdi poteſt,quo muſta aceſcunt,plantæ moriuntur,fructus immaturè decidunt,ſpeculorum diluciditas tollitur,ferri acies hebetatur,eboris nitor infuſcatur,aër inficitur,apũ aluei necantur,canes in rabiem vertuntur,pueri faſcinantur.Hoc animal tam pernicioſum, tam fœdum,tam deteſtabile amabis Stella?& nõ teipſum ratione & conſilio à tam callida & immani lupa vendicabis? S T E L.Dij veſtram fidem,nunquam ego putaſſem tot vitia in hunc ſexum cadere poſſe.Deterruiſti me Platina,ne mentiar,ab amore.Sed mihi crede accidet, vt morbo aliquo graui laborantibus ſolet,qui non ſtatim quantum accepta medicina profuerit,ſed aliquot pòſt dies decedẽte valetudine,& accedentibus paulatim viribus,ſentiunt.Cogitabo ego ſępe mecum quo in diſcrimine verſer,& paulatim animum meum ab hac inani ſolicitudine ad meliora ſtudia traducam.PLA.Hoc ſi feceris,non exiſtimabo hæc mea verba omnino mihi excidiſſe:ſin verò ſecùs, cùm, vt Cato cenſebat,reddenda mihi temporis ratio ſit,cruciabor miſer hoc temporis fruſtra inſumpſiſſe. S T E L. Dabo operam te artificem,vt arbitror,non ignauum tui operis & induſtriæ pœniteat.P L A. Hoc vt facias,& meus erga te amor,& res tua tibi perſuadet.Sed eſt ne hic patronus noſter, quẽ ab vrbe redeuntem video? STEL.Is eſt profectò,opportunè hanc noſtram cõfabulationem tranſegimus:præcedam ego,ne mei abſentis requirat operam.Mihi ignoſces ſi non eò te reduco,vnde deduxi. P L A. Facit mihi ſatis voluntas erga me tua.Reducet me hoc baculum,quo pedem alterum intumeſcentem à labore interdum ſubleuo.Sed vnũ te rogo, vt ruſticos portarum cuſtodes admoneas, ne ſi tardiùs rediero,clauſis portis me ab ingreſſu caſtelli prohibeant.S T E L.Faciam hoc,& quidem ſedulò.

# BAP. PLATINAE DE VERA NOBILITATE AD AMPLISSIMVM VIRVM IOANNEM VRSINVM ARCHIEpiſcopum Tranenſem,

## PRAEFATIO.

MIrari ego perſępe mecum ſoleo ampliſsime pater,quid eſt quòd ita genus humanũ erroribus ducatur, vt de rebus ferè omnibus falsò dijudicet: diuitias alij ſummum bonum,potẽtiam alij,honores quidam exiſtimant.Sed quónam pacto bona illi dici poſſunt, quæ nuſquam

conſiſtunt, tranſferenturque ex libidine fortunæ ac hominum arbitrio? Nunc hodie alterum Craſſum ob magnitudinem facultatum vidimus, vel Crœſum potius. Cras eundem, alterum Codrum & Diogenem dices. Magna fuit Perſei Macedonum potentia: ſed quis eo miſerior tum eſt habitus, cum à Paulo Aemilio in triumphum duceretur? Summo in pretio & honore C. Marius & Cn. Pompeius apud Romanos & gentes omneis tũ fuere, cùm pro magnitudine rerum geſtarum meritò triumphabãt. Verùm vbi fortuna rerum domina immutata eſt, nihil Mario miſerius, dum Minturnarum cœno oblitus, è tetro carcere, vbi ad pœnam ſeruabatur, in Africam paruo nauigio confugit. Quàm turpe ſpectaculum & horrendum fuerit, videre Magnum Pompeium, cuius nutu totus ferè orbis terrarum ad arma commouebatur, eunuchorum & ſeruorum manibus trucidari, poſt acceptam bello Pharſalico cladem? Dicere illud Virgilianum ei licuit, Iacet ingens littore truncus, Auulſumque humeris caput, & ſine nomine corpus. Quorſum hæc dices? vt intelligant omnes, illud eſſe ſummum bonum, quod ſemper eodẽ modo ſeſe habet, quodq; fortunæ procellis impelli huc & illuc non poteſt. Hoc certè in ſola virtute tanquam in munitiſsima arce repoſitũ eſt: quæ quidem, vt Zenoni, Cleanthi, Chryſippo placet, beatos nos facere poteſt. Eſſe enim miſer ille nuſquam poteſt, qui virtute munitus ſit, cùm ſcutum habeat in omnes cupiditates, vnde infinita mala naſcuntur. Eſt autem virtus animi quædam inſtitutio, ita conſtans & conueniens, vt laudabiles eos efficiat, qui rem tam diuinam amplexi fuerint: hæc nimirum illa virtus eſt, quam tanti fecit Critolaus, vt cùm in altera lance collocaret animi bona, in altera corporis & externa, tantum* perpendere in illam boni lancem putat, vt terram & maria pondus ſecum deprimat. Ipſius autem virtutis habitus comparari certè ſine ſapientia nõ poſſunt, quæ nos à libidinum impetu, à vano terrore, à fortunæ iniurijs nõ modo liberat, verũ etiam omnes vias docet, quæ ad beatitudinem ducunt. Ad illã, inquam, beatitudinem, quæ in Gorgia laudatur à Socrate: nam cùm interogaretur, Archelam Perdicæ filium, qui tum fortunatiſsimus putabatur, beatúm ne exiſtimaret, haud ſcio, inquit: cum homine enim nunquam locutus ſum. Inſtabat idem vt ab eo ſciret, quid de rege Perſarum arbitraretur, tum ille: Quónam pacto id ſcire poſſum, cùm ignorem* ac doctus ſit quã bonus, quod ex ipſa actione cõprehenditur: ad quã certè ſi bene inſtituti ſumus, naturâ impellimur. Nã vt ad curſum equus, ad arandũ bos, ad indagandas feras canis natus eſt, ſic homo (vt Ariſtoteli placet) intelligendi & agendi cupidus, humanam naturã adminiculo virtutis cum diuina cõmutare nititur. Vt igitur particulã aliquã diuinitatis aliquando attingamus, virtuti nobis danda opera eſt, enitendumq;, vt bonis corporis ad vtilitatẽ cõmunem, bonis fortunæ ſi adſunt, ad liberalitatẽ & magnificẽtiã ita vtamur, ad hæc adminicula quædã eſſe felicitatẽ ciuilẽ arbitremur: quæ ex virtute omnino naſcitur. Vnde verã nobilitatẽ duci philoſophi omnes exiſtimãt. Nullã eſſe differẽtiã inter baiulũ & Alcibiadẽ ſummo loco natũ, meritò dixit Socrates, ſi virtus abeſſet. Hanc itaq; poſthabitis cupiditatibus omnibus amplectamur, hãc vt vitæ humanę ducẽ optimã ſequamur, vt in tãta hominũ multitudine veri nobiles, ingenui ac generoſi haberi poſsimꝰ. Philoſophari tecũ hactenus Vrſine, vt vides, mihi libuit, nõ quod te his pręceptis indigere exiſtimem; quippe qui ob doctrinã & cognitionẽ rerũ humanarũ, docere ipſe alios & monere meritò poſsis: ſed vt tua autoritate eos ad virtutẽ incitaremus, impelleremuſque qui ex nobilitate laudẽ quærunt. Nõ enim parũ ad legendũ incitãtur, qui vidẽt de nobilitate ad virũ illuſtrẽ ſcriptum eſſe, tum ſic mecum exorſus es in Varrone tuo, dum ſimul in illa cõualle eſſemus, quam rapidus Anio interſecat.

## BAP. PLATINAE DE VERA NOBILITATE DIALOGVS.

### VRSINVS.

QVid circumſpicis quæſo Platina? Quid eſt quòd ita cælum hoc noſtrum miraris? PLATINA. M. Varronem diuinum illum virum certè admiror & laudo, qui ſibi hunc locum, quò æſtate ſecederet, ad habitandum non ſine cauſa delegit. Quid hoc Aniene æſtate

frigidius



frigidius eſt? Quid his collibus, quos non ſine voluptate inſpicimus, ſalubrius? Quid hac tua villa vel ara potius, decentius & ad incolendum cõmodius? Qua ſuperiori ęſtate ita percõmodè & ſplendidè põtificẽ Sixtũ cum toto cardinalium ſenatu, magnaq; aulicorũ multitudine ſuſcepiſti, vt ad liberalitatem tuam & ſplendorem nil addi potuerit. Omitto quòd ędes has tuas egregiè cameratas & diſtinctas, ita pictura, laquearibus auretis, peripetaſmatibus, aulæis exornaſti, vt omnibus admirationem inieceris. VRS. Sequutus hac in re Ariſtotelis philoſophi autoritatẽ, paraui ædes diuitijs noſtris congruentes. Sed dic quęſo, cur Varronis potius, quàm Vari vicum hunc fuiſſe cenſeas? Nam M. Cicerone teſte, Varro ipſe villam in Caſsinate habuit. PLA. Varum Quintilium egregium bello ducem, foris potius quàm domi vitam duxiſſe conſtat, belloq; Germanico cum tribus legionibus, legatisq; omnibus & auxilijs cõmunibus cæſum: qua clade percepta, ferunt Auguſtum Cęſarem, cõcuſſo in parietem capite, ſępius exclamaſſe: Vare Quintili, redde legiones. Excubias quoq; in Vrbem induxit, ne quis tumultus ob acceptam cladẽ excitaretur. Cum Virgilio tamen, quo cũ mira beneuolentia coniunctus erat, Syronem ſectæ Epicureæ philoſophum audiuit, ne bellicis rebus hominem tantummodo vacaſſe exiſtimes. Sed illa ætas (vt noſti) vtrunque laudis genus complexa eſt. De Varo tamen nil aliud legiſſe memini. Quòd autem dicis, Varronem in Caſsinate villam hubuiſſe, nequaquam tollit, eundem quoque in hac via Valeria, quæ ad Marſos ducit, villam ædificaſſe, cùm tantæ fuerint Romanorum opes, vt diuerſis in locis & in elemento alieno villas & ædes ſtruere ſint auſi, vt de Cicerone potiſsimũ & Lucullo legitur, qui villas in Tuſculano, Phormijs, Puteolis eodẽ tempore habuere. Vnde illud argutum reſponſum à Lucullo in Pompeium prodijt hominem accuſantem, quod villam in Tuſculano miro ſumptu ædificaſſet, villam inquam ob ventos & frigiditatem æſtate tantummodò commodam, non etiam hyeme. Tum Lucullus imitatus ſe aues quaſdam reſpondit, vt hirundines, grues, ciconias, quæ pro anni tempore loca de induſtria mutant. VRS. Sit ita ſanè, vt dicis. Nil tamen habemus quò Varronis magis quâm Vari hanc villam eſſe exiſtimemus. PLA. Eſt quidem vt dicis, ſed Varronis diuini hominis authoritate moti, eius hunc vicum eſſe exiſtimemus. Hic eſt ille Varro, quem omnium facilè acutiſsimum & ſine vlla controuerſia doctiſsimum, Aurelius Auguſtinus appellat: quique tam multa legit, vt aliquid ei ſcribere vacaſſe mirum ſit: tam multa ſcripſit, quàm multa quenquam legere potuiſſe credamus, ne Lactantij laus illa de homine vana eſſe credatur. Neminem enim hoc vno vnquam doctiorem, nec apud Gręcos quidem fuiſſe affirmat. Quare meritò viuenti ſtatua poſita eſt in bibliotheca illa, quæ prima de manubijs Romæ publicata eſt ab Aſinio Pollione Auguſti Cæſaris imperio. VRS. Facilè potior hanc illius fuiſſe villam, quandoquidem talis fuit, qualem optare mortales vix poſſunt. PLA. Quantum verô laudis huic tribuat M. Tullius in philoſophia ſua, audi quæſo: Sunt, inquam, iſta Varro: nam nos in noſtra vrbe peregrinanteſque tanquam hoſpites tui libri quaſi domum deduxerunt, vt poſſemus aliquando, qui & vbi eſſemus, agnoſcere. Tu ætatem patriæ, tu deſcripſiones temporum, tu ſacrorum iura, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem locorum, regionum, tu omnium diuinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti. Plurimum quidem poëtis noſtris omninoque latinis & literis luminis & verbis attuliſti: atque ipſe varium & elegans omni ferè numero poëma feciſti, philoſophiamque multis locis inchoaſti ad implendum ſatis, ad edocendum parum. Idem quoque Cicero dum Caſsinatem hominis ſanctiſsimi atque integerrimi prophanatum, à M. Antonio commemorat, ita eum laudat, vt maiore præconio laudari nemo poſsit: Quàm multos, inquit, dies in ea villa ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur. O tecta ipſa miſera, quàm à diſpari domino, quanquam quomodo iſte dominus? ſed tamen quàm à diſpari tenebantur. Studiorum enim ſuorum M. Varro voluit illud eſſe, non libidinum diuerſorium. Quæ in illa villa antè dicebantur? quæ cogitabantur? quæ literis mandabantur? iura populi Ro. monumenta maiorum, omnis ſapientiæ ratio, omniſque doctrina. VRS. Quid cauſę fuit, cur M. Antonius in Varronis fortunas tantoperè ſæuiret? PLA. Fecere id ſtudia patrum: bello enim Piratico cum Pompeio egregiè militauit, bello item ciuili eundem ſecutus eſt ducem, vnde in fortunas hominis debacchatus eſt M. Antonius, aduerſante etiam Cæſare & ſæpius eum admonente, vt vni Varroni propter virtutem parceret. Verûm cùm poſtremò vt bonus ciuis & Reip. amantiſsimus, triumuiratũ improbaret, proſcriptione notatus, in M. Caleni amici optimi villam confugiens, ad pœnas perſæpe à M. Antonio quæſitus eſt. VRS. Doleo ego vehementer M. Varronis calamitatem, ſed quando ita accidit, illam Varronis villam in Caſsinate, quam hanc quæ nunc noſtra eſt, malo inquinauerit M. Antonius ebriorum vocibus, ſcortis vndique accitis, pueris meritorijs, & quouis genere flagitij. Non deerant ſua monſtra (vt video) illis temporibus, neq; homines nobilitas generis à facinoribus retrahebat. PLA. Imò verò neſcio quo fato plerique iſtorum, quos nobiles vulgus appellat, in omnem turpitudinem prolapſi ſunt. Quem enim ſæuitia anteponis Syllæ ex gente Cornelia? quem libidine P. Clodio ex gente Claudia? quem ſeditione & libidine dominandi Catilinæ ex gente Sergia? fuêre & alia monſtra, quæ maioribus ſuis talem immisêre notam, vt non inde nobilitatem deduxiſſe, ſed eo potius tranſtuliſſe turpitudinem videantur. VRS. Non eſt igitur (vt video) illa vera nobilitas, quam Ariſtoteles in libro de Rep. probat. Dicit enim eoſdem ſibi videri nobiles, quorum maiores virtute & diuitijs aliquando floruerunt. PLATINA. Non eſt certè. Nam vera nõbilitas non aliundè quàm ex ipſa virtute oritur, ne partem aliquã in opibus & facultatibus colloces. VRS. Cuperem ex te audire vnde vera nobilitas oriatur, ſi vacat & placet.

*Nobilitate ſua abutũtur multi.*

Locus enim iſte te admonet,& ad dicendum inuitat.Nihil hic ſtrepitus, nihil tumulti. Suſurrus iſte præterlabētis Anienis,alni folia ventis circumacta hoc vt facias,te inuitant:ſi ęſtu premeris,pulchrè in herba recumbes,ac pedes recenti vnda continuò refrigerabis. P L ATINA. Quod velle te video, mihi facere neceſſe eſt,& quidem breuiter,ſi conſequi potuero. Nam pluribus verbis id agere neceſſe non eſt:præſertim hoc anni tempore,quo æſtu ac ſiti continuo premimur. Sed priuſquam dicere incipiam,ex te audire cupio,quid de nobilitate ab alijs acceperis, & ne oratione continua hoc tibi faciendum exiſtimes,ego te, vbi opus erit,interpellabo:quod tibi quoq;, cùm ego contrà exordiar,facere ſi voles licebit.V R S. Placet hoc quidem,ne quicquam intactum prætermittamus, quod etiam Dialogi ratio expetit.Putaui ego ſemper illam eſſe veram nobilitatem, quam quis ex illuſtri maiorum ſuorum origine traxiſſet,quaſi hæreditarium munus ab illis accipiens. Ab illis, inquam, quì ſummos honores maximoſque magiſtratus in ſuis ciuitatibus, diſciplina moribus, virtute adepti fuerant.Multũ enim generatio ad nobilitatē facit, quo etiam in quibuſdam animalibus cernimus,vtpote in equis,canibus,bubus.Hæc enim bruta empturi,gregis, nobilitatem prius ſciſcitamur & inſpicimus:quanquam in homine longè alia ratio inſit. Nam præter ingenia,quæ penè eadem ex parentibus ducimus,ex educatione & domeſtica conſuetudine,ex dictis factiſve ad gloriam capeſſendam vehementèr incitamur,quod eſt maximum nobilitatis ſpecimen. Quid enim (præter gloriam parentum & genium quendum domeſticũ)Camillos,Fabios,Aemilios,Catones,Scipiones ad bene de Rep.merendum excitauit? collocari maiorum ſtatuas in foro pro templis veteres illi Romani voluêre,titulis rerum geſtarum in baſi poſitis:quibus viſis & perlectis æmulatione gloriæ excitata iuuentus,nullum laborem,nullum periculum pro ſalute & dignitate patriæ recuſarent. Mouent quidem homines ſimulacra, vt vides,mouent triumphi & monumenta maiorum:ſed nihil eſt quod ęquè excitet dormientes etiam,quàm glorię cupiditas,quę à maioribus non ſine cauſa transfertur in poſteros.Vides profectò multis etiam exemplis parentes benè inſtitutos,nil aliud cogitare & moliri,quâm vt filios ſui ſimiles patriæ relinquant, quorũ opera cũ domi tum foris parēs illa cōmunis pro arbitrio ſuo vtatur.Quā voluptatē percipere credimus eos, qui vita exceſſere,ſi quis ſenſus ſupereſt,ex liberorum rebus fortiter ac conſtanter geſtis? Magnam certè,cum cernant in filijs nō paruam ſui partem relictam eſſe.Hinc ille in filios parentum amor,illa nutriendi cura,ille ardor cōcitādi eos ad laudem capeſſendā,vt ipſi quoq; tantæ glorię participes ſint.Victuros enim ſe diu in filiorũ & nepotum vita arbitrātur,ſi eos bene inſtitutos,, & rebus à ſe præclarê geſtis in pretio reliquerint. Expetebat hoc à filio M.Cato,hoc Cicero:ad hos enim iure hæreditario magnā partem gloriæ ſuæ peruenturam dicebant,vt eos à libidinibus,ad quas adoleſcentes naturâ & ætatis vitio feruntur, ad virtutem reuocarent,cōmemoratione laudum ſuarum.Ex genere igitur nobilitas duci videtur:nam cũ maiorũ noſtrorum egregia facta cōmemorauimus,nil nobis meritò negari poſſe arbitramur. Suffragata enim multis apud Romanos in petitione magiſtratuum nobilitas eſt,cum illud diceretur:date hoc parenti,date generi bene de Rep.merito.Non enim alios nobiles vulgus appellat, quàm quos præclari parentes genuêre.Senatorij ſiquidem ordinis eos Romani appellabant,qui ex ſenatoribus nati erant.Præterea verò ne vulgum me ſequi tantummodo exiſtimes,& ij qui literarũ ſtudioſi ſunt, viuere nobiles generoſos appellant,quòd in his ſit nobilitatis copia. Hoc etiam nomine in dialogis ſuis perſæpè vtitur Plato,dum amicos ad laudem cohortatur:O generoſe,inquit,ſic eſt agendum,ex genere nobilitatem animi excitans. Verùm ne hæc nobilitas manca videatur, quidam adijciunt facultates & opes: quibus & domeſticus ſplendor conſeruatur, & amicis, quorum frequentia nobilitas indiget & gratia retinentur. Hinc clientes quaſi patronum colentes appellauêre antiqui.Hinc illa matutina ſalutatio,patroni in clientes ſportula vel cōgiaria beneficentia,qua certè vti non poſsũt,quæ fortunæ bonis carent.Magna enim nobilitatis pars,beneficentia eſt,qua in alios vti nequaquā poteſt,qui nō habet vnde domeſticis ſatisfaciat.Eum igitur quem liberalē volumus,fortunæ bonis abundare opòrtet.Impoſsibile nanq; eſt(vt Ariſtoteli placet)præclarum aliquid ab eo fieri,cui deſunt facultates.Totus enim nobilitatis ſplendor ſolo paupertatis nomine plerunque inficitur,quum ſæpenumerò in eos liberalis eſſe non poſsit,quorum frequentia in dignitate retinetur. Verum eſt certè quod Satyrus dicit:

*Haud facile emergunt,quorum virtutibus obſtat*
*Res anguſta domi,ſed Romæ durior illis* *Conatus.*

Quôd enim doctiſsimi viri ob inopiam rerum ſpreti & abiecti vitam miſerè traduxêre,vt de Plauto & Lactantio legimus: quorum alter, Hieronymo teſte, ita pauper fuit, vt neceſſarijs plerunque indiguerit rebus,nedum delicijs:alter verò difficultatem annonæ & inopiam rei familiaris, vbi à ſtudio vacabat,quod temporis ſupererat, molas truſatiles in piſtrino cibi gratia ducebat. Facultates itaque expetendæ ſunt ad ſplendorem nobilitatis,ne à rebus gerendis inopia rerum omnium retrahamur. Potuiſsètne populus Romanus orbem terrarum ſuo adijcere imperio, niſi pecunias belli neruos habuiſſet? concionabundus in Philippum Demoſthenes pecunijs, inquit,ad tantam rem cōficiendam opus eſt. Non habuiſſemus certè tot præclaros viros in familia noſtra, ſi maiores noſtri hanc facultatem contempſiſſent. Potuiſsèt ne exercitus ſuos contra hoſtem alere Paulus Vrſinus? Potuiſſet Petrus,iam Paulus,dum vel pro patria dimicant,vel aliorum ditionem mercede cōducti cōſtanter tutati ſunt? Fugauit ex vrbe noſtra Ladiſlaũ regem Paulus.Fugauit Nicolaũ Picęninum ad Aglare Petrus, iam Paulus,Florentinorum auſpicijs militans. At verô Iordanus Vrſinus eccle-



ſiaſtici exercitus dux inclytus,pulſo vici præfecto,eius ditionem pontifici ſubiecit. Franciſcus item è gente Vrſina miles egregius,Senenſium ditionem conſtanti animo tutatus eſt. Non eſt habitus hoc inferior Franciſcus Vrſinus vrbis præfectus,qui pulſis in Foroliuij Vngaris, rem Venetam bello penè oppreſſam reſtituit.Militauit Alphonſi regis auſpicijs & opibus adiutus Vrſus Vrſinus tanta cum laude, vt addubitatum plerumque ſit,manu ne plus & animi magnitudine,* quàm conſilio valeret.Demum verò Raymundus Baucio è gente noſtra,domito & interfecto tyranno quodam,regnum Cypri reginæ iam pridem pulſæ reſtituit,Tarētinusq; princeps ob res in bello egregiè geſtas creari meruit.A nudo certè duce & inermi fieri nil egregium poteſt. Proinde hæc nobilitatis adminicula vt contemnam,adduci nullo modo poſsum.Quid,rogo,continuit Paulum pontificem, quò minus nobis Vrſinis,quibus inimicus ac propè hoſtis fuit, bellum inferret? Noſtræ profectò opes,quibus ſuffulti fratres mei,hominem minis,tantummodò coēgere æquas pacis conditiones non aſpernari.Sumus,vt vides,in prætio ob vetuſtatem familiæ, facultateſque partim à maioribus noſtris relictas,partim verò noſtra induſtria & armis partas.Ab hac autem opinione nequaquā diſſentire diuinus ille Plato,quem Cicero Homerum philoſophorum meritò appellat. Nam cùm veram nobilitatem quadrifariam diuiſiſſet,primam illorum eſſe ait,qui bonis, iuſtis clariſque parentibus ſunt orti:ſecundam eorum,quorum parentes principes extitēre: tertiam, cùm maiores noſtri fama ac rebus bello geſtis in pretio fuêre: quartam eorum,qui præclara aliqua doctrina excellunt. In hac diuiſione nil certè eſt,quod nos à nobilitate ſecludat.Nam ſi principum huius noſtrę ciuitatis vitā & mores inſpicimus,ſi dignitatem familię,ſi gloriam,ſi ingenium,fatebere certè nos inter nobiles cēſendos eſſe:neque nos reijcies,quòd opes præſtare aditum ad veram nobilitatem dixerim. Vnde enim magnificus,vnde liberalis & beneficus ille nobilis,quem volumus,in quempiam eſſe poteſt, ſi ei facultates deſunt? Nam cûm magnifici propriũ ſit,ædes egregias,templa,porticus,oppida ſtruere:cumque item liberalitas circa dandas pecunias verſetur,quomodo id ab eo fiet, quem liberalem appellamus,ſi nihil habuerit quod donet,ſiq; ei potius aliorũ benignitas expetenda fuerit? Meo itaq; iudicio eos nobiles appellandos cēſeo,quos & genus antiquum,& diuitiæ bene partę à maioribusq; relictæ commendant.Hæc eſt ſententia noſtra,niſi quid ad hæc dixeris. P L A. Antequam dicere incipiam quid hac de re ſentiam,mutemus locum,ſi placet. Pellit hinc nos ſol, vt vides ad veſperam iam inclinans. In illo Anienis flexu optimè manebimus, vnde vides vmbram ſub ſub ſpecu elici. Traijciendus eſt amnis quod fieri hoc anni tempore vado percommodè poteſt.V R S.Traijciamus, me ſequere qui vadum noui.Sed heus tu frigidus es Anio æſtate etiam feruida? P L A. Ita eſt certè vt dicis. Retinere in flumine pedes ob frigiditatem vix poſſum. Hanc ob rem exiſtimo Anienis veteris aquam potui minus ſalubrem fuiſſe propter frigiditatem: & quia ſemper adeò rapax eſt,vt ſemper aliquid ſecum ex ripis trahat,quo etiam ſereno cœlo turbetur.Frigiditatem autem contrahi arbitror ex montibus(vt vides)cœlo vicinis & niuibus ſemper opertis.Influunt etiam hinc dextra, hinc ſiniſtra Sublacum proficiſcentibus continui fontes, quorum aqua deguſtari ob frigiditatem vix poteſt:quò enim penitioribus ex locis & magis ſaxoſis aqua egreditur,eô frigidior eſt,ęſtate prę cipue,qua frigidum & humidnm propter contrarias qualitates ad tartara (vt dicitur) confugit. V R S.Ad quem igitur vſum has aquas in vrbem veteres introduxêre tanta cum impenſa? P L A.Vt eſſet vnde irrigationi hortorum,balneis, fullonibus,reliquiſque fœdis miniſterijs ſatisfieret:concipiebatur autem ſupra Tibur extra portam Cartanam viginti millibus paſſuum. Verùm poſteri mutata ſententia,vt aquam clariorem haberent,omiſſo flumine,ex Sublacenſi Neronis villa meliorem duxêre.Huius autem aquæ ductus caput pridem magna cum voluptate inſpexi, dum videndæ antiquitatis ſtudioſus, Marſos & Pelignos inuiſo. V R S. Ad ſpecum iam venimus: ſed dic quæſo vbi conſederis,& crura & pedes ſiccaueris,vnde duci exiſtimes illos aquæ ductus,qui mille paſsibus ſupra Tibur apparent,partim arcuato opere,partim effoſſo monte.P L A. Nimis vetuſtatem amas, vt video.V R S.Immò verò nihil eſt quod æque mirer,& laudibus extollam.P L A.Recte ſane, Romanus es, tuos magis quàm alienos amas:non ſine cauſa, cùm vrbi Romæ par nihil vnquā fuerit,& nihil ſecundum. Ad formas illas redeo, quarum amplitudinem vetuſtas nondum exedit. Altera autem duci aquam Martiam ad vrbem Valeria via exiſtimo:altera verò Claudiam,ſumptam ex fontibus duobus ampliſsimis, eadem via ſcaturientibus in Sublacenſi. Sed quæ fuerit Martia & quæ Claudia, haud ſatis conſtat, conſumptis præſertim inſcriptionibus, euerſiſque tantarum rerum monumentis. Inſpexi ego nuper ex Sublacenſis rediens amœnis dextra ac ſiniſtra, qua duci aquas videbam,& nil quo certior hac de re fierem vidi.Ex hac autem diligentia hoc conſecutus ſum, vt repente in ſummũ mœrorem inciderim,cùm paſsim cernerē egregia illa opera diſiecta & neglecta iacere.VRS.Vnde quęſo Martiam & Claudiam aquam appellas? PLA.Ab his qui aquas duxêre publico ac priuato ſumptu,vt Appiam & Iuliam dicimus:viarum quoque ſtratarum eadem ratio eſt, quibus ex rebus pleræque familiæ magnum conſecutæ ſunt nomen.V R S.Tandem verò,vt video,paulatim fatebere, nobilitatem ex vetuſtate generis & magnis facultatibus oriri. P L A. Nobilem igitur hac ratione C. Caligulam dices,qui Puteolanum ſinum ponte iunxit: Nobilem Claudium, qui Fucinum magna impenſa emiſit,qui portum Romanum extruxit:Nobilem Neronem, qui dum auream domum,dum thermas & theatra,dum portum Antiatum extruit,populi Romani vires contriuit: Nobilem item Herodem,qui Romanorum hac in re magnificentiam imitatus,portus, vrbes, theatra,aquæ ductus in Syria miro ſumptu excitauit. Sed his monſtris,quæ fera vnquam immanior

*an

nior fuit? Nil enim in ſe habuêre, quare homines, non dico nobiles, dicerentur. VRS. Contrahe pedes, ſi placet, & dic tandem quos eſſe nobiles cenſeas. PLATINA. Nobilitas enim, vt Stoicis placet, eſt ſplendor*quidem non aliunde veniens quàm ex ipſa virtute, qua bonum à malo, dignum ab indigno ſecludimus. Si animi noſtri bonis artibus & diſciplinis imbuti, ſeruare iuſtitiam, pietatem, conſtantiam, prudentiam rebus in omnibus didicerint, quonam pacto fieri poteſt; vt is nobilis cenſeatur, qui ſine doctrina & eruditione, intemperantiæ ſe, iniuſtitiæ, impietati & nequitiæ addixerit? Immò verò hunc non modò ignobilem, verumetiam ſcurram & nebulonem improbum appellabimus. Idem quoque ſentire Q. Cicero videtur: ſcribens enim ad M. fratrem de petitione conſulatus, cùm Antonij & Catilinæ mentio haberetur: Nequaquam ſunt, inquit, ij tam genere inſignes, quàm vitijs nobiles. Nobilitatis enim proprium eſt recta ſequi, gaudere officio, cupiditatibus imperare, auaritiam coërcere. Hoc qui facit, etiamſi ex infima ſorte hominum natus fuerit, is merito ſuo nobilis haberi & dici poteſt. Neque eſt cur parentē rerum omniū naturam (vt quidam improbi faciunt) reprehendamus, quòd hos nobiles, illos verò ignobiles faciat. Aequale ſiquidem omnibus temperamentum præſtat, non genus, non potentiam, non opes inſpiciens. Eadem enim*quò ad animum pertinet, naſcendi ratio in priuatorum hominum filijs eſt; quæ in principum ac regum natis, licet ij in purpura & magnis domibus, illi in centonibus & caſulis plerunque naſcantur. Virtutes certè & vitia faciunt, vt alter altero nobilior ſit. Seneca ex Stoicorum ſecta philoſophus inſignis, ad Lucilium ſcribens: Non fuit inquit, Socrates patritius, non eques Romanus, quem tamen philoſophia non accepit, ſed nobilem reddidit. Hunc item quo nemo vnquā mortalium doctior aut ſapientior Appollinis oraculo iudicatus eſt, mater, obſtetrix & pater marmorarius in lucem edidit, vt eſſet qui ſua doctrina multos ad nobilitatem traduceret. Seruius quoque Tullus in ſeruitute natus atque educatus, regnum ſua virtute adeptus, & de hoſtibus tertium egit triumphum: & vrbem Romam ita auxit, vt nil ei ad ſummam nobilitatem defuiſſe videatur. Idem dici de Tullo Hoſtilio poteſt, qui humili tugurio natus, paſtor primò, deinde Romanorū rex meritò creatus eſt. Fuêre ij quidem nobiles Vrſine, ſi verum intueri volumus, nō illi qui ob maiorum virtutē & merita nobilitatem in deſidia collocârunt. Nihil enim agere, in purpura non ſine crapula & ebrietate viuere, ſericatas & coccinatas habere veſtes, aurea calcaria, gemmatos digitos, vnguenta ſapere, in ſumma nobilitate ponūt. Quæ omnia ita certè generoſitati cōtraria ſunt, vt virtuti vitiū, & ſolertiæ ignauia. Vide quæſo quantum à cæteris differam. Soleo ego ac meritò profectò illos irridere, qui aut equeſtrem ordinem, aut inſignia alicuius doctrinæ vel præcario vel ambitione & largitione ſibi emunt, vt ignauiæ ſuæ argumenta circunferre impunè poſsint. Concedatur id benè meritis, vt olim apud Romanos fieri conſueuerat. Equites enim propter rem in bello egregiè geſtam, annulo, fibula & armilla aurea donabantur, virtutes, non ignauiæ, pignore. Concedatur & noſtris temporibus, vt ij qui in gymnaſijs publicis aliqua doctrina excellunt, aurum in baltheis & calcaribus circunferant, quo à cœteris differre videantur. Si quis autem præterea eſt, qui alia ratione nobilitatem ſibi vendicet, ſciat is ſe alienam, non ſuam perſonam gerere. Iactare item maiorū res geſtas, atria imaginibus diſtincta, porticus ſignis ac tabulis ornatas, ſuperbas ædes, plus certè admirationis in ſe habet quàm nobilitatis. Neque hæc nobis adiumento eſſe poſſunt, ſi illorum virtutem omittamus, quorum imagines verborum magnificentia collaudamus. Immò verò ſi rectè intueri volumus, illa virtus huic ignauiæ dedecori, ac turpitudini eſt. Talem autem nobilitatem irridens Diogenes ille Cynicus, qui omnia contemnebat, malitiæ dixit & ignauiæ velamen eſſe. M. certè Catonem priſcum illum, quem meritò Cenſoriū vocârunt, non genus, non diuitiæ, (Tuſculi enim natus eſt obſcuro genere, tenui cenſu) ſed prętantes eximiæq; virtutes poſteris cōmendârunt. Idem quoq; de C. Mario dici poteſt, qui mihi vnus omnium prętantiſsimus viſus fuiſſet, ni ad extremum veram gloriam libidine dominandi cum ſæuitia commutaſſet. Neceſſe eſt autem vt aut nuſquam nobilitas ſit, aut illi verè nobiles ſint, qui ingenio, doctrina, induſtria, magnitudine animi, fortitudine, prudentia in omni vita excellunt. Oriri autem nobilitatem ex virtute, hac ratione comprehendi facilimè poteſt, quod ij qui ex claris maioribus orti ob vitia degenerârunt, inglorij & degeneres ſunt habiti: vt ſuperioris Africani filius, qui bello Aſiatico ab Antiocho turpiter captus, vitam præcario præter Romanum morem ab honeſte impetrauit: de paulò pòſt L. Scipio patruus egregium illū ducturus erat triumphum. Filius autem Q. Fabij Allobrogi, à patre degenerans, adeo libidinoſe & intemperanter vixit, vt exhæredatum eum à Q. Pompeio prætore, nemo ægre tulerit. Parentis enim amplitudo & turpitudini filij nil profuit. Nollem Q. Hortenſij oratoris clariſsimi nepotem in tantum dedecus prolapſum: qui dum popinas & lupanaria circuit, domeſticum ſplendorem prope extinxit. Quis eſt autem rerum humanarum adeo imperitus, qui hos cenſeat nobiles appellandos quorum vita quo turpior fuit, eò citius ſuorum nobilitatem extinxit? Solent ij quidem maiorum ſuorum res geſtas commemorare, ſed verum eſt quod ait Naſo poëta:

*quidam

*Quid vera nobilitas.*

*Et genus & proauos, & quæ non fecimus ipſi, Vix ea noſtra puto.*

Sunt quidem noſtra, ne mentiar, ſi eos imitati fuerimus: ſin ſecus, non magis noſtra ſunt, quâm illorum, qui Sienen habitant. Immo vero ſi quis ſenſus apud vita functos ſupereſt, ſiue quid apud nos agatur ſentiunt, dolent & quidem vehementer, talem de ſe prolem reliquiſſe, quæ adeo culpabilior videtur, quo plures habuit maiores, quorū virtutē & res geſtas imitaretur. Quod ſi mortuis quibuſ-

dam



dam redire in vitam liceret, eā profectò cenſura in filios degeneres vterētur, qua Brutus ille primus libertatis vindex, qui conſcios coniurationis filios, virgis cędi ac ſecuri percuti iuſsit. Eandem quoq; ſeueritatem imitatus Caſsius, filium ſuum pop. Roman. imperium affectantem necari iuſsit. Torquatus item, cùm filius eius D. Syllanus, à Macedonibus repetundarum accuſaretur, ſolus concedente ſenatu cognitionem cauſæ ſuſcepit. Cognito autem re diligenter excuſſa filij crimine, ita iudicauit: Quum Syllanum filium meum immeritam pecuniam deripuiſſe conſtet, non iniuriâ paternis laribus, & Reip. munere, ac omnium ciuium ſocietate eum indignum iudico. Abiens itaque à conſpectu patris filius, deſperatiōe motus, laqueo ſtatim vitam finiuit, cuius funeri vt indigni filij pater intereſſe noluit. Non poſſunt certè parentes optimi flagitioſos filios diligere: quin veteres illi Romani imperio & gloria digni, filios interdum exhæredârunt ob flagitia & turpitudinem, aliosque, quorum ſpectata virtus erat, per adoptionem in familias ſuſcepere, ne ob ignobilitatem filiorum, agnationis nomen interiret. Rogatus ab vxore Socrates, vt propter filios in vita remaneret, nequaquam id ſibi integrum eſſe reſpondit. Tum illa, cui filios commendas? Nemini, inquit. Nam ſi mei ſimiles erunt, nulla indigebunt commendatione: Sin ſecùs, nolo filij Socratis dicantur, non enim merentur. Quanta autem moderatione vſus ſit, dum filium ſenatui commendat, Antonius ille Philoſophus, quem mirari, vt aiunt ſcriptores, quàm laudare facilius eſt, eius verba perfacilè oſtendunt: Filium (inquit) meum commendo, ſi vobis & dijs immortalibus dignus erit. Modeſtè ſanè, ne ſi ſecùs quàm vellet, accidiſſet, principatus ſui gloria aliquo filij vitio contaminaretur. Quid ſibi velint iſti, qui ex maioribus ſuis nobilitatem aucupantur, certè non video. Quemadmodum enim ſplendor in obſcura ſpeculi parte nuſquam apparet: ita neque gloria maiorum in minoribus flagitioſis eluceſcere poteſt. Vnde Satyrus ad Ponticum ſcribens, inquit:

*Stemmata quid faciunt? quid prodeſt Pontice longo*
*Sanguine cenſeri, pictosq; oſtendere vultus*
*Maiorum, & ſtantes in curribus Aemilianos*
*Et curios iam dimidios, naſumq; minorem*
*Coruini, & Galbam auriculis naſoq; carentem?*
*Quis fructus, generis tabula iactare capaci*
*Fumoſos equitum cum dictatore magiſtros,*
*Si coram Lepidis malè viuitur? effigies quò*
*Tot bellatorum, ſi luditur alea pernox?*
*Ante Numantinos ſi dormire incipis ortus*
*Luciferi, quò ſigna duces & caſtra mouebunt?*
*Cur Allobrogicis & magna gaudeat ara,*
*Natus in Herculeo Fabius lare, ſi cupidus, ſi*
*Vanus, & Euganea quantumuis mollior agna,*
*Si tenerum attritus Catinenſi pumice lumbum,*
*Squalentes traducit auos, emptorq; veneni*
*Frangenda miſeram funeſtat imagine gentem.*

Meritò poſt tot flagitia, idem poëta ſubiungit:

*Tota licet veteres exornent vndique ceræ*
*Atria, nobilitas ſola eſt atq; vnica virtus.*
*Paulus vel Coſſus, vel Druſus moribus eſto,*
*Hos ante effigies maiorum pone tuorum,*
*Præcedant ipſas illi te conſule virgas.*
*Prima mihi debes animi bona: ſanctus haberi,*
*Iuſtitiæq; tenax, factis dictiſq; mereris.*

Tunc addit: Agnoſco procerem, vt intelligerent omnes in ſola virtute nobilitatem collocatam eſſe. Fruſtrà igitur nituntur, qui omiſſa virtute, nobilitatem tanquam hæreditarium munus à maioribus expetunt. Quis enim generoſum hunc dixerit, qui indignus genere & præclaro nomine tantùm inſignis? Nobilitas enim virtutis ſocia & comes, proprio labore quæſita, non alieno, cum vitijs ſtare nullo modo poteſt. Vnde verum illud Senecæ tragici eſt: Quí genus iactat ſuum, aliena laudat. Gloriari quidem poſſumus, nos à claris maioribus ſanguinem, artus, viſcera accepiſſe; nobilitatem verô nequaquam, quæ tota ex animis noſtris pendet, & non aliunde venit, ne ignarum vulgus ſequamur, qui perſæpè in maximos errores dilabitur, cuiuſque opinio rarò cum ſapientia conuenit. VRS. Mutare ſententiam cogor, vt video. Sed nil mihi durius videtur, quàm vt exiſtimem paupertatem iungi cum nobilitate poſſe. PLAT. Cùm diuitiæ, fortunæ bona ſint, non eſt cur eas cum nobilitate coniungas, quæ tota in virtute fundata eſt. Quanquam haud ſcio quid in paupertate ſit, quòd ita eam aſpernêre. De mendicitate

*Paupertas cum nobilitate.*

dicitate

dicitate non loquor, quæ turpis eſt, cum petere oſtiatim panem neceſſe ſit: Magnę, inquit Seneca, diuitiæ ſunt, lege naturę compoſita paupertas. Lex autem naturæ eſt, non eſurire, nõ ſitire, non algere vt famem ſitimque depellas. Non eſt neceſſe ſi paupertatem amplexus fueris, potentum aſsidere liminibus, nec ſupercilium graue & contumelioſam etiam humanitatem pati. Honeſta quidem res eſt lęta paupertas: nec paupertas quidem dici poteſt ſi læta. Nam cui cum paupertate cõuenit, diues eſt: non enim qui parum habet, ſed qui minus cupit, diues haberi debet. Si enim ad naturam viues, nunquam pauper eris: ſi ad opinionem, nunquam diues. Parum eſt quod natura deſiderat: quod opinio, immenſum illud quidem. Adhortatur nos idem Seneca, vt nobis paupertatem familiarem faciamus: Securius (inquit) diuites erimus, ſi ſciuerimus quàm non ſit graue pauperes eſſe. Imo vero alius alio nemo dignior, quàm qui opes contemnit: & eas ſi habet, intrepide vbi opus eſt, patiatur. Non enim diuites naſcimur, in lucem prodeuntes, cibo & potu contenti eſſe debemus. Sine cupiditatibus deus nos creauit, ſine timore, ſine ſuſpicione, cęteriſq; peſtibus, quę nos quotidie cruciant. Falſa autem opinione imbuti, paupertatem ſummum malum exiſtimamus: quod non putarunt Romani illi veteres, qui non minus laudis ex paupertate conſecuti ſunt, quàm ex imperio & rebus pręclarè geſtis. Caruiſſet honore ſepulturæ, adeo pauper Menenius ille Agrippa, ſenatus ac populi Romani in componenda pace arbiter, niſi collatis in capita ſex tantibus funus ductum more maiorum fuiſſet. Valerio quoque Publicolæ, qui tertium conſulatum geſsit, ob inopiam rei familiaris funus ex publico exhibitum: nil enim præter gloriam in morte ſibi reliquum fecit. Cincinnatus autem ab aratro ad dictaturam accitus, plus glorię ex paupertate quàm ex ſuperatis hoſtibus populi Romani conſecutus eſt, ſeptem iugeribus agri contentus, quem ipſe colere ſolebat, vbi ſe magiſtratu abdicaſſet. Quàm glorioſa autem fuerit Attilij Serani paupertas, non attinet dicere, cum omnes hiſtorici huius clariſsimi viri nomen celebrent. Is enim quem à ſerendo cognomentum duxiſſe arbitror, dari ſibi in Africa ſucceſſorem poſtulauit, ne villæ ſuæ pauca quædam iugera peſſum irent, mortuo villico, cuius induſtria vxorem & liberos alere conſueuerat. Senatus itaque ne inchoatum bellum omitteret, operam dedit vt ager eius coleretur, & vxori ac liberis publice alimenta præſtarentur. Miſeróſne igitur & ignobiles hos præclariſsimos viros dicimus, quorum tantus virtutis ſplendor in paupertate reluceat? Petijt Cn. Scipio in Hiſpania ſucceſſorem ſibi dari, quia filiam nuptui ſua induſtria daturus eſſet. Senatus autem ne tanto duce careret, dotem xl. millium æris virgini dedit, ac marito locauit: glorioſus ſenatus, qui ciui ſuo cauit: glorioſior Scipio, qui ex paupertate tantum nominis conſecutus eſt, quantum nullus anteà ex diuitijs. Fuit olim Reſp. Romana apud omnes gentes & nationes magno in pretio, dum Romani ciues paupertate gloriabuntur: Opes enim publicas oportere eſſe & non priuatas, cenſuere veteres illi, qui legem de repetundis ac de peculatu tulêre. Verùm vbi, hac mutata ſententia, ex publico & priuato rapere impune cœpêre, poſthabita glorioſa paupertate, nulla deinceps religione, nulla pietate, nulla modeſtia vſi ſunt, adeo eos auaritia & habendi cupiditas de via retraxit. Hinc ortæ ſunt in tanta ciuitate ſeditiones, orta bella ciuilia, cum opes orbis terrarum in vnam vrbem congeſtæ, victorum præmia eſſent: proſcripti certe in triumuiratu plures ſunt propter facultates & diuitias, quã propter ſtudia partiũ. Quos enim vel natura vel ratio à tanta pernitie retrahebat, eoſdẽ diuitiæ in diſcrimen vocabant. Secura eſt vbiq; paupertas, non latrones, non veneficos timet. Etſi qui vere nobiles habẽdi ſunt, ij certe pauperes erũt, qui ſpretis fortunæ bonis omnes cupiditates perfacilè vincunt. Neque eſt Vrſine, cur quiſquam putet pauperis nullam omnino liberalitatem eſſe, quod facultatibus careat, vnde beneficentia oritur. Mira enim liberalitate vtebantur viri illi clariſsimi, de quibus paulò ante mentionem fecimus, dum patriam tuebantur, dum imperium augebant, dum munera Reip. caſtè ac ſanctè obibant. Benignitatis muneri vti quadrifariam ſecundum Platonem poſſumus: pecunijs, opera, diſciplinis, oratione pro circunuentis in iudicio, quod eſt ſummum liberalitatis genus. Exhauriri enim interdum ea beneficentia poteſt, quæ pecunijs & opibus exercetur, quantum enim ex pecunijs dando imminuitur, tantum ex ardore bene agendi detrahitur. At verò qui in priuatis publiciſque rebus opere, conſilio, officio prodeſſe nititur, eo liberalior indies fit, quo ſua authoritate de pluribus bene merentur, nulla ſublata benè agendi, hac in re præſertim, facultate. Quantum autem profecerint in iudicijs oratores & cauſidici circunuentis aduerſariorum potentia & malitia, declarant Ciceronis, Hortenſi ac Demoſthenis orationes, qui perſæpè à faucibus potentum inopes ſubtraxere. Doctrina prætereà & eruditione comparari ingens benignitatis nomen poteſt, quòd ea ſemper animis noſtris inſideat, comiteturque nos vſque ad extremum vitæ ſpiritum. Transferuntur perfacilè & amittuntur pecuniæ, mutantur honores & dignitates pro arbitrio potentum. Cadunt conſilia ſocordia interdum & ignauia. Contemnuntur orationes: ſola verò ſapientia firma ac ſtabilis habetur. Eſt enim earum rerum, quæ ſecundum Ariſtotelem ſemper & vbique eodem modo ſeſe habent. Vera nanque virtus, vera nobilitas, nulli caſui ſubiecta eſſe debet, ex qua fit animus liber & ingenuus, nulli vnquam flagitio, nulli turpitudini deditus. Qui igitur de nobilitate loquitur, de virtute ſe loqui intelligat neceſſe eſt: adeô ſimul hæc duo connexa ſunt. VRS. Non improbat, vt video. Plato partem illam beneficentiæ, quæ circa dandas pecunias verſatur. Pecunias autem dico more maiorum, quarũ æſtimatio menſuratur nummo. PLA. Non improbat certè cùm dicat, hac nihil hominum naturæ accõmodatius. Sed inſpicere diligenter oportet quemadmodum vtamur, cùm non in omnes, nec ob leuem cauſam, ſed erga bene merentes, & ob ſingularem aliquam virtutem beneficos nos eſſe oporteat: hoc velle iuſtitiam in partiendis rebus, hoc poſcere æquitatem.

*Pauperum liberalitas.*

*Quomodo pecunia vtendum.*



æquitatem. Ea prætereà liberalitate vti iubemur, quæ proſit de nobis benè meritis, & nemini noceat. Quare tyrannorum quorundam, vt olim L. Syllæ, C. Marij, Cinnæ, Lepidi, M. Antonij, pecuniarũ & bonorum translatio à veris dominis ad iniquos ſatellites & ſeruos nequiſsimos, non debet liberalis videri, cùm auferantur vnde non oportet, & his dentur, quibus ob flagitioſam & ſceleſtem vitã negari aër, nedum victus, deberet. Admonet nos quoque M. Tullius, ne maiore vtamur benignitate, quàm facultates noſtræ requirunt: néue ita rem familiarem claudamus, vt eam liberalitas aperire nõ poſsit, quæ profectò omni oſtentatione & vanitate carere debet. Hoc autem prudenter fiet, ſi tempus conſiderabimus, ſi cauſam benignitatis, ſi rationem, ſi dignitatem tum noſtram, tum eorum erga quos liberales eſſe debemus. Nam qui ſine vitio vel menſura, quodam animi impetu, liberales videri magis quàm eſſe volũt, argui leuitatis nõ ſine cauſa poſsũt. Viro enim bono nil turpius eſt, quàm aliquid facere, cuius probabilis ratio reddi non poſsit. Tenẽda igitur mediocritas quędam eſt, ne ſi omnia temere effuderimus, prodigi: ſi vbi dandũ eſt non dederimus, auari & maligni videamur. More autem Chriſtiano, paruulos nutrire, pupillos tueri, virgines inopes cõnubio locare, viduas defẽdere, nobiles paupertate & valetudine oppreſsos iuuare: eſurientes paſcere, algentes veſtire, captiuos redimere, nexos ęre alieno ſoluere, ſua pecunia & impenſa nobilis ac liberalis viri propriũ eſt. Quod etiam Fabium illum maximũ, qui cunctando rem Romanã reſtituit, feciſſe legimus. Captiuos enim ab Hannibale redempturum ſe pollicitus ſenatu recuſante, vt id quod inſtituerat, ſua impenſa faceret, fundum vendidit. Laudatur & liberalitate Gillus Agrigentinus. Is enim quingentos equites Gelenſium vi tempeſtatis in fundum ſuum compulſos, magna impenſa aliquandiu aluit. Omitto dicere quàm liberalis fuerit in edendis ſpectaculis, in curanda annona, in epulis apparandis, cùm omniũ, qui vnquã fuere, liberaliſsimus ſit habitus. VRS. Splẽdidè ſanè. Sed dic quæſo, ſeperáſne magnificẽtiã à liberalitate? PLA. Imò verò, Ariſtotelem ſecutus. Hæc enim in dandis pecunijs, illa verò in magnis ſumptibus, vnde nomen accepit, verſatur. Proprium nanq; magnifici viri eſt, theatra, templa, fora, porticus, ædes ita ædificare, vt & ciuitatis dignitas requirit, & eius qui extruit, facultas & amplitudo. VRS. Pinxiſti iam mihi, vt arbitror, illum quem nobilẽ dici & haberi vis. PLA. Ducta ſunt certè vera nobilitatis lineamenta, ſed nondum planè neruos & colores ſuperinduximus. VRS. Perfice quæſo, vt tandem gloriari poſsim me illius nobilitatis quã quærimus, verã imaginẽ vidiſſe. PLA. Ita enim iuſtitia in humana ſocietate neceſſaria eſt, vt in animãte anima. Huius enim motu cietur corpus ſi inſit: ſin abſit, continuò riget & diſſoluitur. Quis eſt enim qui vt Deum quendam cælitùs miſſum, iuſtum hominem non admiretur? Huic vt vides committunt homines fortunas ſuas, committunt liberos, coniuges, humanaq; omnia: nec immeritò quidem, cùm ipſa iuſtitia ſit, vt Ariſtoteli placet, non pars quædam virtutis, ſed tota virtus. Vt igitur perpetuam commendationem & famam veræ nobilitatis conſequamur, ipſam iuſtitiã amplectamur oportet, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. Camillus dictator Romanus Phalarios, quos vi nõ poterat, iuſtitia & clementia in deditionem accepit, remiſſo pædagogo virgis cæſo ab eiſdem pueris, quos transfuga ſecum per fraudem in caſtra hoſtiũ duxerat. Magna eſt & Ariſtidis laus, qui iuſti cognomentum conſecutus eſt, quòd Themiſtoclis conſilium de incendenda Lacedæmoniorum ad Cithieũ claſſe, vtile certè, nõ tamẽ iuſtũ, improbauerit. Hanc aũt iuſtitiã rectè obſeruabimus, ſi cõmunibus pro cõmunibus vtemur. Cõmunia autem ſunt, errantes admonere, ignaros docere, aut vt erudiantur curare, aquam non prohibere, pati ignem ab igne ſumi, conſulentibus fidele conſilium dare. In hac aũt ſocietate humana gradus diſtinguere ſuperuacaneũ mihi videtur. Nemo eſt enim qui neſciat, plus ſe patriæ, parentibus, liberis, propinquis, ciuibus debere, eiuſdẽ nationis, eiuſdẽ lingue, quã peregrinis & externis. Nõ eſt etiam alieũ ab officio pręſtantis & iuſti hominis, curare vt in patria ſua leges, iura, ſuffragia, conſuetudines ſeruentur: vtque ciues ſui in dictis pactis datam fidem præſtent. Quod feciſſe M. Regulum legimus, vnicum inuiolatæ fidei exemplum. Is enim Carthaginem ad certam pœnam redire maluit, quàm datam fidem violare. Hæc autem Vrſine qui diligenter obſeruat, non modo ingenuus, verum etiam illuſtris mihi videtur. VRS. Probê quidem omnia pingis: ſi quid habes ad hæc, perge quæſo. PLA. Fortitudo, vt mihi videtur, omnium virtutum quaſi robur quoddam, viro inſigni pernceſſaria eſt, ne iuſtitia vlla ex parte labefactetur. Verùm vt fortitudo ſine iuſtitia iniquitatis aſylum eſt, cũ validior imbecilliorem opprimat: ita iuſtitia ſine fortitudine, eos plerumque deſerit, quos tueri meritò deberet. At vero cum fortitudo in res bellicas & domeſticas diuidatur, ſuperius illud Neapolioni equiti & fratribus tuis, qui militiam ſequuntur, omittamus, amplectamurque potius domeſticam illam fortitudinem, quæ animi magis quàm corporis viribus comprehenditur. Vera autem fortitudo eſt, primò ſeipſum vincere, iram cohibere, nullis illecebris capi, aduerſis non perturbari, nec extolli ſecundis, & quaſi vẽto huc & illuc impelli: nã qui cupiditatibus vincitur, qui metu frangitur, qui ira perturbatur, vti certe conſilio non poteſt. Is autem quem magni excellentiſque animi eſſe volumus, nihil admirari in rebus humanis, nihil magni facere præter virtutem debet. Honores prætereà, vt Ariſtoteli placet, non quoſcunque nec à quouis oblatos ſuſcipiet, ſed illos tantùm quos eſſe dignos illuſtri viro arbitrabitur. Præterea verò ita dignitatem animi ſui in vtraque fortuna ſeruabit, vt à ſeipſo diſcedere nuſquam videatur. Contuliſſe in benemeritos beneficia lætabitur, feretq; moleſte ſi ipſe ab alijs acceperit, nec plura ſtatim reddiderit, Heſiodi præcepto, qui maiore mẽſura reddi mandat. Alienum verò ab eius natura eſt, quem magni excellentiſq; animi eſſe volumus, beneficia in alios collata commemorare: accipientis certè hoc propriũ eſt, non aũt dantis. Quamuis

*Magnificẽtia quomodo differat à liberalitate.*

*Iuſtitia ad nobilitatẽ requiſita.*

*Fortitudo.*

*Magnanimitas.*

enim Lacedæmonij ab Athenienſibus beneficia accepta cõmemorant, ſua tamen in eoſdem collata verecũdè retinẽt. Excellere item in omni virtute mauult, quàm videri, quod eſt vani hominis proprium. Apertè aũt loqui, amare, odiſſe, magni animi proprium exiſtimat: timentis namq; eſt occultare ſententiam. Sit motus ipſius quem nobilem quærimus, tardus inceſſu, vox grauis, ſermo ſententijs plenus. Prorſus autem vera animi magnitudo ſine ingenti virtute conſtare non poteſt. Cauenda eſt tamen nimia gloriæ cupiditas. Nam dum magnitudine animi pręſtare omnibus quærimus, æquitatem interdum ob ambitionem cõtẽnimus, qua nullo publico ac legitimo iure vinci nos deinceps patimur. In rebus aũt agẽdis magnum animum, magnam ſpem præ ſe ferre debet, qui alios excellere cupit. Quod feciſſe ſecundo bello Punico Scipionẽ ferunt. Is enim cœtum ingreſſus deliberantiũ de relinquenda Italia poſt cladem Canẽſem, ſtricto enſe mortem his cõminatus eſt, qui talem approbarent ſententiam. Nam vt boni medici proprium eſt, vultu ac verbis bonam valetudinem ægrotantibus polliceri: ita illuſtrem virum decet deſperationi hominum fiduciam & bonam ſpem obijcere: quod Aeneam feciſſe Virgilius ſcribit, vt illud:

*Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.*

Non eſt aũt viro ingenuo vllo modo trepidandũ, nec de gradu cõſtantiæ, vt dicitur, cadendũ: quo nihil poteſt eſſe viro ampliſsimo indignius, qui ad vnam fortitudinem pro vtilitate communi natus & educatus eſt. VRS. Indigètne alio adminiculo is, quẽ cęteris nobilitate animi pręeſſe vis? PLA. Imò verò, & quidẽ magno. Neceſſe eſt autem vt in eo homine prudentia ſit ad bonorũ malorumq́ue delectum, quem iuſtum & cõſtantem volumus. Prudentia enim cæterarum virtutũ magiſtra itá eſt ars viuendi, & medicina valetudinis, nauigationis gubernatio. Vnde hac in re nequaquam laudandus eſt Theophraſtus, qui in Calliſthene ſuo vitam noſtram & regi fortuitò dixit, quo nihil poteſt eſſe languidius, cùm vſu & doctrina cõpertum ſit, cælum & homines ſapientia gubernari. Sapientia enim, vt philoſophis placet, nil aliud eſt, quàm diuinarum humanarumq́ue rerum cognitio: quam quidem M. Tullius prudentiam interdum, ſapientiam nonnunquam vocat: Hanc qui aſpernatur & contemnit, quid à brutis differat nõ video, cùm virtutũ omniũ princeps ſit & magiſtra quædam, vnde omnis bene viuendi ratio colligitur. Quare ſanctè à Platone ſcriptum eſt, tũ demũ beatas fore reſp. ſi eas docti & ſapientes regerent: bene ſiquidem cõſultum ciuitatibus cenſuit, ſi is qui ſummá poteſtatem haberet, ſtudiũ omne ſuũ in virtute collocaſſet. Quales fuiſſe Romæ P. Scipionẽ, C. Lælium, M. Catonẽ accepimus, Spartæ Lycurgum, Athenis Solonẽ. Illa enim pars, quæ vt M. Tullio placet, in veri cognitione verſatur, maximè naturam attingit humanam. Is etiam meritò prudẽtiſsimus haberi debet, qui in quauis re videre & explicare poteſt, quid verũ, quidue falſum ſit. Quare bene reſpõſum ab Ariſtotele eſt: interrogatus enim quid differrent docti ab indoctis, quo (inquit) viuentes à mortuis. Eſt autem ſapientia recta ratio rerum gerendarum, quæ & voluptatibus modũ imponit, & animi fortitudinem regit. Transfert hæc eadem ſe nõ modò ad remp. verumetiam ad familiarẽ: resq́; omnes non temerè, ſed cõſideratè agendas. Sumendum eſſe tempus in deliberatione oſtendit, re autẽ deliberata aliquid agendum, poſthabita ſocordia & ignauia. Huius enim virtutis tota laus in actione conſiſtit. VRS. Miror ego hæc duo nomina, videlicet ſapientiæ & prudentiæ, omnino confundi, cùm Peripatetici longè aliter ſentiant. PLA. Eſt ita ſanè vt dicis. Vt enim ſapientia principiũ eſt cognoſcendi res omnes exactiſsimè cõtemplãdas: ita prudẽtia quid expetendũ fugiẽdũmue ſit, nobis oſtẽdit. Verùm ſi rectè intueri volumus, parũ admodũ inter ſe differũt, cum res ipſa cõſiderata & perſpecta, quod ex ſapientia oritur, ad actionẽ nos perducit, in qua felicitas humana repoſita eſt. VRS. Non diſplicet hoc quidem. Habeo iam vt arbitror illũ, quem verè nobilẽ quęrimus.

*Tẽperãtia.* PLA. Vnũ adhuc ſupereſt, quo veluti cõdimẽto hęc noſtra cõfabulatio vel diſputatio potius ſapidior fiet. VRS. Quid id quæſo eſt? PLA. Temperãtia, quá interdũ modeſtiá, nõnunquá etiá moderationem appellare ſolemus. Cuius virtutis proprium eſt, appetentis animi motus ſedare ac regere, ſemperq́; aduerſantem libidini moderatam in omni re ſeruare conſtantiá. Intemperantia enim omnem animi ſtatum perturbaret & inflãmaret, niſi huic vitioſitati illa virtus obſiſteret, cuius beneficio ægritudines omnesq́; animi perturbationes ſedãtur. Animis noſtris atq; naturæ vim duplicem ineſſe M. Tullius affirmat; quarũ pars vna in appetitu repoſita eſt, hæc ὁρμὴ Græcè dicitur, quæ hominem huc & illuc impellit: Altera verò in ratione, quę docet & aperit quid faciendũ fugiendumq́; ſit. Ita fit aũt vt ratio pręſit, appetitus verò obtemperet, in homine potiſsimum benemorato, cuius fũdamẽtum ipſa verecundia erit, quæ non ſine cauſa prudentiæ adiuncta, ſoliq́; homini data, oſtendit aliud quidem iuueni conuenire, aliud ſeni. *verecũdia.* Saltauit (vt aiunt, qui veteris teſtamenti hiſtoriá ſcripſere) Dauid rex, non autem Samuel: & vt nec ille reprehẽſus, ita iſte magis laudatus eſt. Abſtinuit fidibus ob verecundiam credo Themiſtocles ille Græciæ princeps, quòd eas dignitati ſuæ nequaquá cõuenire arbitraretur. Scribunt & poëtę, Mineruam tibias abieciſſe, quôd dum eas inflaret, indecorem genarum in fronte perſpexerit, Deæ minimè conuenientẽ. Continentẽ & abſtinẽtem eum eſſe oportet,

*Cõtinentia* quem nobilem quærimus. Horum autẽ alterum in rebus eſt, alterum in moribus. Africanus ille Scipio, qui nobis multis in rebus exemplo eſt, eximiæ formæ puellá in bello captá, ac ſibi in Hiſpania voluptatis cauſa oblatam, conſtanter renuit, eamq́; inuiolatam marito reſtituit. Cato aũt in Epiro, Achaia, Cycladibus, Veneris à lucri copia abundás, cõſtantiſsime, Numatio Ruffo teſte, tantá turpitudinem reiecit. Scitum ſane illud Fabricij eſt in Cineam apud Pyrrhũ voluptati omni tribuentem:





Vtinam, inquit, talẽ habeant mentem omnes populi Romani hoſtes. Quàm turpe autem ſit diffluere luxuria, Sardanapali error nobis oſtendit, qui incidi iuſsit in ſepulchrum ſuum: Hoc habui, quod edi, quodq́; exaturata libido hauſit. Quid aliud, Ariſtoteles inquit, in bouis, non in regis, ſepulchro inciderес? Rebus autem in omnibus tenenda mediocritas eſt, quæ ad valetudinem quoque pertinet. Eſt aũt in deſiderio, non in ſatietate, iucunditas victus. Ille igitur quem nobilem & illuſtrem quærimus, omnes libidines coërceat, ægritudines animi ſedet, comprimat iracũdiam, vnde propè infinita mala naſcuntur. Præterea verò prudentia vtatur in bonorum malorumq́; delectu: Iuſtitia, vnicuiq; quod ſuum eſt tribuendo: Fortitudine, labores conſideratos periculaq́; obeundo: Temperantia, vt dixi, voluptates omnes prætermittendo. *Epilogus.* Hoc qui conſtantiſsmè facit, etſi ruſticis parentibus ignobiliq́; loco ortus eſt, nobilis tamen & ingenuus haberi debet. Hæc habui de nobilitate quę dicerem. Sed iam finem, ſi placet, faciamus, niſi quid aliud vis: Nam cœnæ tempus inſtat, & traiecto flumine, nobis per aduerſum collem in vicum Varronis ſubeundum eſt. VRS. Satisfeciſti mihi abundè, & iam tandem ſolos eos nobiles exiſtimo, qui aliqua ſingulari virtute præditi ſunt: non autẽ illos, qui bene loti & pexi & ſericati coccinatique accipitrem circunferunt, in ipſa ignauia, non in ſolertia, vt par eſſet, nobilitatem collocantes. PLA. Rectè ſane. Conſcendamus, ſi placet. VRS. Quid ita quæſo acceleras? veniemus tempori. Non eſt quòd ita properes. PLA. Facit pulchritudo & magnificentia harum ædium, quas nuper magna cum arte & miro ſumptu ędificaſti, vt eò faciliùs proficiſcar. Quid enim illis ędibus decẽtius reperiri poteſt, ſi trabes auratas, ſi parietes bene pictos inſpicis? Quid commodius, ſi ampla cœnacula, ſi porticus faſtigiatas, ſi cubicula venuſta, ſi hortos egregiè cultos intuemur? VRS. Gaudeo ſane vicum hunc noſtrum ita tibi placere. Curaui ego hanc ædificationem non magis mea quàm hoſpitum cauſa, nec priuatorum hominum ſolùm, verumetiam pontificum ac regum, vt ſi quando eis hac iter facere contingeret, meo beneficio percommode recipi poſſent. PLA. Indicauit id modo pontificis Sixti aduentus, quem ita magnificentiſsimè accepiſti, vt à nemine melius aut lautius accipi potuiſſet, quod viri ſplendidi & illuſtris proprium eſt. VRS. Putaui ſane hoc eſſe magnifici hominis officium. Sed tectum quæſo iam tandem ſubeamus, ne humiditate nocturna lædamur: nos præſertim, qui ob difficilem collis aſcenſum nonnihil ſudamus.

## BAP. PLATINAE DE OPTIMO CIVE AD LAVRENTIVM MEDICEM

### procemium.

QVi vitam ciuilem Laurenti ſibi deligêre, ij mihi nimirum pręter cęteros ſapere viſi ſunt. Laudent quantum velint Druidas ſuos Galli, laudent Gymnoſophiſtas Indi, nec ſuos Eremitas improbent Chriſtiani. Ego enim ſic exiſtimo, hunc mũdum quem colimus, quemq́; tã ornatũ quodãmodo pictum cernimus, nullã ſpeciẽ habiturũ, niſi à ciuilibus hominibus incoleretur, ij ſunt profectò, qui prouincias diuisêre, qui vrbes ſuis locis, qui pagos, qui villas, qui oppida condidêre, qui homines in vnũ cõgregatos, per tribus & vicos diuisêre, qui patremfamilias ſuis pręeſſe voluerê. At vero, vt ij in vnũ congregati, benè ac ſanctè viuerent, ſuis legibus vita ciuilis deſcripta eſt, tum ab illis priſcis legumlatoribus, Solone, Lycurgo ac Dracone, tũ vel maximè à Platone & Ariſtotele, quorũ libri, de moribus pręſertim, ciuili diſciplina referti ſunt. Laudant ij certè priuatam vitam, contemplandiq́; rationem, & in ea ſolidã voluptatem collocant: ciuilem autẽ ita amplectuntur, vt in ea laudanda magna volumina conſcripſerint, quod certè non feciſſent, niſi hanc vitam fructuoſiorem, illi inerti ac deſidi pręferẽdam multis rationibus intellexiſſent. Nam qui vitam in ſolitudine ducit, quiq́; rerũ ac deorum naturam contẽplatur, is certè cùm ſolicitudines humanas ſubterfugiat, ac ſanctã ſocietatem deſerat, ſibi magis quàm alteri natus eſſe videtur. Magnũ eſt profectò deos cõtemplari, eoſdemq́; nobis propicios reddere precibus ac votis. Sed illud quoque maximũ eſt, ad quod natura rerũ omniũ parens impellit. Non enim ſolùm nobis nati ſumus, vt ait M. Tullius, verùm ortus noſtri partem patria vendicat, partem amici, quibus certè ſatisfacere illi nequaquã poſſunt, qui in ſolitudinẽ ſecedẽtes, ſeſe ab hominibus vt à toto corpore ſepararũt. Delectati quidẽ multi cùm ex Græcis tum ex Aegytijs contẽplatione ſunt, multaq́; ad cognitionem rerum occultarum & admirabilium pertinentia conſcripſere, quod quidem ad paucos pertinet. Sed ego potiſsimùm Romanos laudo & admiror, qui poſthabita priuata commoditate, & voluptate animi, de legibus & moribus ſcribentes, communi hominum vtilitati ſemper conſuluêre. Hac itaq; ratione motus Laurenti, ne mihi tantummodo natus eſſe videar, ſcribere aliquid ad te de op-

timo ciue inſtitui, quò mihi & tibi pariter ſatisfacerem. Multũ enim patriæ iſti tuæ florentiſſimæ debeo, quæ me, licèt externum, tot annis non modò aluit, verumetiam erudiuit. Multum præterea auo ac patri tuo, viris certè clariſsimis, quorũ benignitate & gratia in clientelam familiæ veſtræ ſuſceptus ſum. Verùm quia auus tuus Coſmus remp. Florentinam ſemper coluit, proq; ea tuenda maxima bella & grauiſsimas inimicitias plerumq; ſuſcepit, eundem quoque non modò tecum, ſed etiam cum reliquis ciuibus, quibus omnibus bene conſultum vult, loqui puto. Eius enim perſonam loquẽtem feci, quò tibi ac ciuibus tuis autoritate tanti viri maior ardor concitaretur, ad benemerendum de rep. quam nobis amplam & ſplẽdidam ſua induſtria & animi magnitudine reliquit. Neq; eſt certè Laurenti, cur hoc noſtrum munuſculum aſpernere, quòd paruulũ ſit, quodq; etiam peregrinus ad ciuem ſcribat. Scribant alij magna volumina ad otioſos & inertes. Scribo ego ad te, cuius tota vita in actione repoſita eſt, quique ciuitati tuæ conſulis, de tuo etiam, ne his grauiſsimis temporibus fame laboret, quæ grauiter quidem, neſcio quo fato, omnem Europam nunc vexat. Quòd autem peregrinus ad ciuem Florentinum de gubernanda repub. ſcribam, non eſt cur quiſpiam miretur, cùm multi ante me id fecerint: cumq; etiam eiuſdem ciuitatis meritò ciuis appellari poſsim, in qua annis aliquot vixi, in tanta ciuiũ charitate & beneuolentia, vt facilè dignoſci non poſſet, ciuiſne an peregrinus eſſem. Sed hæc quæſo tandem omittamus, atque auum tuum Coſmum, quid optimum ciuem facere oporteat, diſſerentem audiamus: abs te tamen, vt à tyrone, res prius inchoabatur, vt Velites & Rorarij apud Romanos in prælijs ſolebant. Tibi enim primæ partes attribuuntur, qui ſic Platinam Carigium veſtrum adeuntem alloqueris.

## BAP. PLATINAE DE OPTIMO CIVE LIBER. I.

Laurentius, Platina, Coſmus.

HIc eſt Platina, ni fallor, quem ad nos venientem video, quid ſibi velit in Carigio noſtro, haud ſatis ſcio, relicta præſertim Florentia, vbi Veneres omnes & blanditiæ inſunt. PLA. Quaſi verò pluris blanditias & voluptates faciam, quàm otium & quietem. Seceſsi paululum ab vrbe mi Laurenti, donec ludi iſti veſtri theatrales & mimici efferueát. Quieſcere enim interim nõ licet aut ingenio frui, dum Florentinus populus ad ludos natus, vocibus & clamoribus omnia cõplet, clamat, proſtrepit, explodit, laudat. Tubis præterea, tibijs, fiſtulis, cornibus adeò cælum frangunt populares, vt nil excogitari viro dignum tũ liceat. LAV. Qui de rep. ſcripſere, probarúntne ludos? An hæc conſuetudo vt alia permulta irrepſit, vimq; legis in ciuitatibus cepit? PLA. Philoſophos domi habes, & ex me peregrino quęris, quid ad ciuitatẽ pertinet? Auum tuum Coſmũ virum ſapientiſsimũ ſciſcitare, qui, vt arbitor, vſu, ætate & experientia neminem ſuperiorem, nedum parem habet, quòd etiam ipſo tacente reſp. veſtra florentiſsima indicat, quam & ab externo hoſte & à ſeditioſis ciuibus ſæpius exagitatá ac penè oppreſſam, nõ modò liberauit, verùm etiam legibus & inſtitutis fortunatam reddidit. LAV. Nollẽ auo meo moleſtus eſſe, qui nunc in ripa Tertiolæ in viridi opacoq; loco ſub quercu illa animi & vitandi æſtus cauſa reſidet: Parcendum eſt eius ætati, qui per ſe morbus eſt, vt ait Cicero: parcendum valetudini, qua perſæpè afflictatur. Adde quòd ciuilibus negotijs & procellis exagitatus huc ſeſe vt in portum recipit. PLATINA. Quaſi vero à ſene bene inſtituto, beneque de republica merito quicquàm fieri iucundius poſsit, quàm aut quid ſit agendum in vita ad benè beateq; viuendum cõmemorare, aut ſuos edocere, quo pacto ciuitatem iuſtè ac ſanctè gubernent. Hoc vno ſiquidem modo omnem ei leuabimus ſenectutis & valetudinis moleſtiam. Ab his enim ad meliorẽ cogitationem animũ eius traducemus, ex qua profectò non minorem ipſe quàm nos, voluptatẽ capiet, cùm docentis æquè ac diſcentis par voluptas ſit. Sed accedamus propius, & dum in vita eſt, quicquid poſſumus, ex eo tanquá ex vberrimo fonte hauriamus, quod tibi ac tuæ reip. proſit, omiſsis ludis illis, de quibus paulò antè diximus. Ego enim viciſsim hominem interrogabo, tu quæ dicet, notabis & ediſces. COS. Quid huc quæſo Platina? Carigiúmne viſurus & Tertiolæ riuum, & quercum hanc frondoſam, an æſtus vrbaniq; tumultus vitandi cauſa huc veniſti? PLA. Vt te viderẽ & ſalutarẽ Coſme, vtq; aliquid à te perdiſcerem vnà cum Laurentio nepote tuo, ad quem Florẽtina reſpublica poſt te ventura eſt. Ná Petrus filius adeò podagra & articulari morbo laborat, vt nõ longior ei vita futura videatur: hanc ob rem exiſtimo Laurentiũ noſtrũ tibi ac patri breui ſucceſſurũ, recepturumq; ab vtroq; rempublicá bene veſtris artibus ac labore inſtitutá. Quare vt auo ac patre dignus videatur, ediſſere, & quidẽ breuiter:





nolumus tibi diu moleſti eſſe, quid optimum ciuem in gubernanda ciuitate deceat, vt tanquam optimus poëta, hunc extremum vitæ laborem* actum bene & vtiliter tranſigas. Hoc eſt munus tuum, hoc à te expectatur, non à riuuli ſuſurro, non ab his virgultis & arboribus, quæ, vt Socrati placet, nil habent in ſe quod homines doceant. Quam ob rem aggredere quæſumus, da hoc nepoti, da patriæ, vt quæ ornata per te eſt, eadem quoque in futurum conſilio tuo per nepotem ſalua & aucta videatur. COS. Nõ poſtulatis à me hoc, vt video, ſed flagitatis. Faciá ergo vobis, vt potero, ſatis, quanquá hoc ſit philoſophi doctiſsimi ac ſapientiſsimi munus: à me autem hæc habetote, vt ab homine potius ætate & rerum humanarum cognitione perito, quàm doctrina & arte imbuto. Interim verò vacuum tempus & liberum mihi dari peto. Nam qui rem tantam ſuſcipit, cura certè & negocio vacare debet. Abigitote quæſo ruſticos iſtos à me, ne nos à republica ad rem ruſticá traducant. Importuni profectò ſunt: & quod volũt, nimis volunt, quippe qui affectus ſedare vſu vel arte nequaquam didicêre. LAV. Hoc meum erit negotium, meo iuſſu cõticeſcent omnes: quieſce, ſi placet, & in hoc ceſpite recumbe, ac pedes contrahe, ne aqua ſubluti articulari morbo vexentur, quod in frigidis podagris accidere ſolet. Quæret ex te Platina aliud ex alio, & ego quod diſſeres tamquam ex oraculo percipiam & ediſcam PLA. Quia verò, vt ait Maro, non omnia poſſumus omnes, ob eam rem, ſi quid mihi exciderit, aut prætermiſſum à me fuerít, tu ſtatim ad quem pertinet, id ſuggeſſeris, facieſque auum tuum rogando ad dicendum alacriorem, cùm te ex ore ſuo tanquam ab hubere pendentem videbit. LAV. Faciá ergo verò quod velle te videro, & innueris. PLA. Conticeſcamus, dicturus eſt aliquid auus tuus, mentum attrectat, & barbam mulcet. COS. Ego verò cùm ſæpe alias, tum vel maximè nunc cogitabam, multum homini naturâ tributum eſſe, in eoque mentem ipſam magnam vim rerum optimarum continere: hinc faciendi quod honeſtum, & vitandi quod turpe eſt, rationem colligimus, cũ natos eſſe nos, in lucem editos ad decus & honeſtatem cernimus. Hoc etiam naturalis ſocietas, hoc hominum coniunctio inter ipſos expetere videtur: qua ex re, illa quam quærimus, reſpublica naſcitur: quæ eſt, vt Ariſtoteli placet, eorum qui in ciuitate degunt, inſtitutio, cuiuſque finis eſt bene viuere. Sed quoniam res tanta gubernari bene ſine parente & ductore omnium non poteſt, ab eo, ſi placet, exordiamur. Deo enim duce errare nemo poteſt. Præterea verò ingrati videremur, cũ poëtæ fabulas narraturi, vana numina inuocent, ſi nos Dei optimi maximi nomen præteriremus: nos, inquam, quos prouidos, ſagaces, acutos, memores, plenos rationis & conſilij fecit. Solus enim homo ex tot animantiũ generibus atq; naturis, rationis particeps & cognitionis eſt, ob eáque rem Deo propiùs accedit. Quare ſi placet, & ni aliud vultis, hinc exordiamur. PLA. Rectiſsimè equidem, iſto enim duce errare nemo poteſt. Sed vocẽ attollas oportet Coſme: concentu enim auiũ, ſtrepituq; fluminis non bene quę dicis percipimus. COS. Accumbite quęſo, vt quæ dicturus ſum, cõmodiùs intelligatis: mihi enim per ætatẽ vocẽ attollere non licet, nec arteriem defatigare. LAV. Accubuimus tua & noſtri cauſa, ne quicquam ex ore tuo excideret, quòd non perciperemus. COS. Principio quidem comparádæ authoritatis, cõſtituẽdæq; reip. ſingulare fundamentũ religio eſt. Nõ enim *Religio.* parum fidei apud ciues ſuos ille ſibi cõparat, qui & Deum immortalẽ eſſe, & omnia poſſe exiſtimat: putatque quicquid humanum genus prouidum, acutum, in ſe præclarum & excelſum habet, nõ propria induſtria & ſagacitate, ſed diuini numinis gratia obtinere. Vt igitur vnus Deus ex inſtituto Chriſtianæ religionis in ciuitate noſtra piè ſanctęq; colatur & adoretur Laurẽti, curandũ tibi potiſsimũ eſt. Hoc enim à nobis ſuo merito vult Deus, qui patriæ noſtrę hanc remp. tá amplá tamq; florentem pręſtitit. Pręterea verô, cùm fieri non poſsit, vt in magnis vrbibus inter ciues ipſos æmulatio interdum non oriatur, pietas iſta ad tutelá tui ipſius & munimentũ, non parum roboris tibi præſtabit: minus enim (vt Ariſtoteli placet) reformidant homines, quem religioni & pietati deditũ viderint, minuſq; contra illum ſeditioſi audebũt, quem dij amicũ perſpexerint. Cyro quidem ad auum Aſtyagen ituro, hæc in primis mádata dat pater Cambyſes, vt eſt apud Xenephontem ſcriptum. Hęc à me diſcas fili, quæ habentur maxima: nihil à te vel publicis vel priuatis in rebus agendum, niſi ſacris peractis, deorũq; voluntate augurijs perſpecta & cognita. Humanum enim genus erroribus plenum eſt: at dij cùm ſemper fuerint, cumque omnia norint, pręſentia, pręterita ac futura, inuocati adſunt conſultationibus hominum, quibus propicij ob pietatem fuerint, ſigniſque oſtendunt, quid agere, quibúſue abſtinere oporteat. Quòd ſi noluerint omnibus conſultum eſſe, nil mirum videri debet: nulla enim neceſsitate vrgentur, vt quæ nolint curent. Hoc autem ſanctiſsimo mandato permotus Cyrus, nil vnquam priuatim ac publicè egit, quod ad regem pertineret, quin prius litaret, comparataq; victoria ſacrificando dijs gratias ageret. Tátum præterea benè inſtituti regis exemplum valuit, vt gẽs Perſarum, ferox antea & indocta, ad boná frugẽ breui redigeretur. Nunquam verò bella ſuſcepit Dauid ille fortiſsimus, qui & Goliam ſingulari certamine ſuperauit, & finitimas gentes Iudæis infeſtas domuit, niſi prius ſacrificia Deo Maximo exhibuiſſet. Parta autem victoria, hymnos ſtatim cecinit, eidem gratias agens, vt oſtenderet Dei benignitate & gratia, non ſuis meritis, tantam felicitatẽ ſecõſecutum fuiſſe. Ad Antipatrum autem ſcribens Ariſtoteles, hominem certè rogat, vt Alexandrũ Macedoniæ regem moneat, ne tot victorijs elatus, quot in Aſia adeptus fuerat, Deum contemnat, cuius nutu omnia mouentur: qui fortaſſe diutius in regno tot laboribus parto vixiſſet, ſi præceptoris ſapientiſsimi monitis obtemperauiſſet, nec coli vt Hamnonis filius & more Perſarũ voluiſſet. Quanta autem ſit religionis vis, & obſeruattio humanæ pietatis erga Deos, ex hoc maximè comprehendi Laurenti poteſt, quòd gentium quoque homines deos qualeſcunque colentes, feliciores ſunt habiti.

Tantamq́ue apud ciues ſuos authoritatem hac vna re compararunt, vt populos quoquò voluerint facile impulerint: vt de Numa Pompilio legitur, qui populum ferocem Romuli imperio, religione iniecta, ad meliorem cultum redegit, depoſita ſæuitia illa & ruſticitate. Teſtantur hoc ancylia, & ſacra quædam regni pignora, Ianus ſcilicet bifrons, belli & pacis arbiter focus Veſtæ virginibus creditus, pontifices, augures, ritus ſacrorum, feſti dies. Ante Numam hæc omnia incognita fuere. Verùm his acceptis, haud difficile factu viſum eſt, populum licentia bellica efferatum in officio continere. Senatus verò Romanus ad hanc rem ſpectans, decreto inſtituit, vt ſingulis quibuſque annis decem patriciorum filij ad noſtros ſacrorum peritos mitterentur, qui Hetruſca imbuti diſciplina, in patriam redeuntes, dijs ſuis ſacra ritè exhiberent. Adducere tibi exempla multorum in medium profectò poſſem, cùm eorum, qui ob pietatem etiam apud hoſtes tuti & in pretio ſunt habiti, tum illorum qui ſpreta religione, ſacrilegij & impietatis ſuæ pœnas tandem, & quidem graues dedêre. Sed omiſsis his falſorum deorum opinionibus, ad religionem noſtram caſtam ac ſanctam redire placet: quæ etſi neceſſaria ſit, tamen ſi qua in re ab aliquo non bene inſtituto ambigeretur, propter honeſtatem & vtilitatem humani generis recipienda eſſet. Non enim ſuperſtitionem habet, vt Iudaica: non aniles fabulas, vt Gentilis: non turpitudinem, vt Machometana. Ad iuſtitiam nos impellit, ad fortitudinem, ad modeſtiam. Pudorem nobis proponit, pudicitiam, fidem, conſtantiam, honeſtatem. Contrà verò, petulantiam vitare, ſtuprum, fraudationem, ſcelus, furorem, turpitudinem, libidinem, iniquitatem, luxuriam, ignauiam, temeritatem nos admonet præceptis & inſtitutis: quare mi Laurenti hanc religionem, cuius characterem à teneris annis in fide parentum ſumpſiſti, conſtanter amplectere, noſtramq́ue ciuitatem tuo exemplo in hac fide contine, Chriſtum vnici Dei filium colendo, cum patre ipſo ac ſpiritu ſancto regnantem: neque enim decet te ac reliquos Chriſtianos vnum Deum in Trinitate perſonarum adorantes, & Trinitatem in vnitate diuinitatis agentibus, religione & pietate ſuperari, maximè verò cùm illorum religio vel ſuperſtitio potius fabulis (vt dixi) nitatur: noſtra verò ſanctiſsimis inſtitutis ac infinito propè martyrum ſanguine probata & confirmata tot annis ſit, tot doctiſsimorum virorum præceptis, quot Eccleſia Romana in pretio habet, & vt de hominibus bene meritos colit. Multum profectò Deo noſtro debemus. Inſpicienda igitur ſunt eius merita erga patriam noſtram, quam toties ab hoſte & quidem grauiſsimo tutatus eſt, quamq́ue etiam à peſte & fame perſæpè liberauit. Nec minus certè quid noſtra familia ei debeat conſiderandum: quam quidem tumultu militari & ſeditionibus interdum exagitatam, in ciuitate, vt vides, cum dignitate retinuit. LAVRENTIVS. Ego verò Coſme, quod velle te video, quodq́ue etiam ratio dictitat, libenter faciam: ſed dic quæſo quæ ſit iſta ſuperſtitio, quam toties commemoras? COS. Dicet hoc Platina, ad quem pertinet: Nam hæ ſunt eius partes. PLATINA. Ego verò dicam, quod Cicero ſentit: Maiores noſtri, inquit, religionem à ſuperſtitione ſepararunt: nam qui totos dies precabantur & immolabant, vt ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati, quod nomen poſtea latius patuit. Qui autem omnia, quę ad cultum deorum pertinent, diligenter tractarent, & tanquam relegerent, ſunt dicti religioſi, vt eligentes ex eligendo, tanquam à diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes: his enim verbis omnibus ineſt vis eligendi eadem quæ in religioſo: vnde alterum vitij nomen eſt, alterum laudis. Eſt autem religio veri Dei cultus: ſuperſtitio falſi, vt qui ſuperſtitem memoriam defunctorum colunt tanquam Deos. Cur autem Lactantius religionem potius dictam velit à religando, non hercle ſatis intelligo: Fuit biduo apud inferos Chriſtus, inquit, hoc vinculo pietatis obſtricti Deo religati ſumus, vnde religio nomen accepit. Verùm cùm ante Chriſtum ipſum deorum quoque metus eſſet, cuius ſanguine & pietate religati eramus? Nullum certè tum erat vinculum, imò titubabant, & ſoluta erant omnia. Venit qui nos redimeret, & cuius pietatem ac miſericordiam religeremus tantorum beneficiorum memores. Vter verò melius ſentiat, aliorum ſit iudicium. Perge Coſme, niſi quid ad hæc requiris. COS. Altè verò, & vt oportuit, à capite repetiſti omnia. Aniles igitur ſuperſtitiones otioſorum quoruudam vitabis Laurenti, ne fruſtra tempus in nugis teras, & ea timeas, quæ oſcitantes quidam aucupij gratio confingunt & ſomniant. Non eſt cur ſacerdotes roges, quod irridendo Socratem feciſſe aiunt, vt Aeſculapio pro te gallum immolent: Sanctitatem verò, quæ eſt (vt ait Cicero) colendi Dei ſcientia, amplectere: Hypocritas fuge, ne te ſuis artibus ſuperſtitioſum reddant. Eſt enim genus hominum pernicioſum & maleficum: hos quidem vt rerum omnium ſimulatores ac diſsimulatores, ſaluator ipſe in Euangelio deteſtatur & accuſat. Occultum quippe ſcelus eſt, nec vt alia vitia facilè dignoſci poteſt. Virtutis enim ac ſanctitatis nomina ſemper in ore habent, contemnere omnia videntur, ſaluatoris & ſanctorum ſimulachra publicè magis quàm priuatè venerãtur & adorãt, obtorto ambulant collo, demiſſo vultu, ſqualida barba & veſte: atque ij quidem magna ex parte ignaui, rudes, ſordidi, ſola oſtentatione & vultus pallore cõſpicui hominibus, tanquam inutiles fuci, & alienis laboribus inſidiantes, infeſti ſunt. Quare bene à M. Tullio dictum eſt, nullam capitaliorem peſtem eſſe, quàm eorum qui cùm mali ſint, id tamen agunt, vt boni viri eſſe videantur. Ad Lucillium vero ſcribens Seneca, hominem monet, nequid hypocritarum more agat, qui non perficere quod oſtentant, ſed conſpici cupiunt. Cautè igitur cum huiuſcemodi hominibus viuendum eſt, ne circunueniaris, neũe in aliquam ſuperſtitionem eorum fraudibus incidas: qui certè etiam in crimine deprehenſi, puniri non poſſunt, quod eorum vitia interpoſito religionis nomine obteguntur. Dubitant enim homines, rectène ij an perperam agant: fugiendi itaque ſunt tanquam inutiles fuci, & ci-

*Superſtitio*





& ciuitati graues. Sed his omiſsis, ad alia, ſi placet, pergamus. LAVRENTIVS. Quid ſubijcias ſecundo loco, expecto. COSMVS. Stoicorum quidem mos fuit, vbi de religione diſſeruiſſent, ſecundo loco charitatem patriæ, diſceptandi & veri inueniendi cauſa proponere: quod certè non ab re factum eſt. Nam cùm omnia (vt ait M. Tullius) ratione animoq́ue luſtraueris, omnium ſocietatum nulla eſt gratior, nulla charior, quàm ea quæ cum rep. eſt. Vnicuique noſtrûm chari ſunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares: ſed omnes omnium charitates patria vna complexa eſt, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Quò eſt deteſtabilior iſtorum immanitas, qui lacerant omni ſcelere patriam, & in ea funditus delenda occupati ſunt. Augeri enim patriam imperio, agris, honeſtis vectigalibus, optimi ciuis eſt proprium, qua ex re certè magnam apud omnes bene ſentientes ij nanciſcuntur gloriam, vt Curio, Fabricio, Catoni ſeni obtigit. Contra verò in vitio ſunt, qui poſthabitis commodis ciuium, explendæ auaritiæ & voluptas cauſa exigunt, extorquent quicquid in mentem venit. Potuitnè vox vlla ſceleratior videri, quàm illa Catilinę ob auaritiam & imperandi cupiditatem? qui dicente Cicerone, incendium ab eo excitatum, Sentio inquit, & illud quidem ſi aqua non potero, ruina ſaltem extinguam, patriæ excidium minatus. Sed hunc certè idem exitus manſit, ac meritò profectò, qui L. Saturninum, Sp. Melium, duos Gracchos tyrãnidem ad exitiũ patriæ appetentes. Quantò autem laudabilior Brutus ille primus cõſul poſt exactos reges, qui neque filijs quidem in coniuratione deprehenſis, neque ſibijpſi pepercit, dum ſtudio tuendæ patriæ, quam è Tarquinij manibus vendicauerat, collatis haſtis cum Arunte Superbi filio congreditur. Cecidêre quidem ambo mutuis vulneribus, ſed diuerſo nomine: laudatur Brutus vt optimus ciuis, & bene de patria meritus: improbatur Aruns vt nequiſsimus patricida. Laudanda eſt & Deciorum charitas: quorum alter bello Gallico, alter bello Latino pro ſalute patriæ ſeſe deuouêre. Iniecit ſe in lacum Curtius armatus, adoleſcens ſanè nobilis, equo calcaribus in voraginem adacto. Intellexerat enim vatum reſponſis hiatum terræ coire non poſſe, niſi ea re iniecta, qua populus Rom. plurimum valeret. Hoc autem Curtij factum ita laudauere ciues, vt in eundem locum ſinguli quique honoris gratia quadrantem coniecèrint. Non caruêre hac etiam laude Romanæ fœminæ: Nam captis Veijs, cùm aurum mittẽdum eſſet Delphico Apollini propter decimas, quas in bello Camillus vòuerat, nec facultas in publico eſſet, ornamenta ſua matronæ in ærarium detulere, patriæ magis quàm ſuis commodis conſulentes. Idem quoque fecere, cùm vrbs à Gallis redimenda eſſet. At verò cum Traſybulus parua manu triginta tyrannos Athenis deijcere conaretur, vni ex conſcijs dicenti, quantum tibi Traſybule debebunt Athenæ, reſpondit: Dij faciant vt quantum patriæ debeo, tantundem exoluam. Themiſtocles verò ne patrię bellum inferret, inſtante Xerxe Perſarum rege inſtituto ſacrificio, patera exceptum tauri ſanguinem hauſit, atque hoc pacto mori maluit, quàm patriæ aliqua ex parte nocere. Hoc idem ſi Coriolano, Mario, Cinnæ, Carboni propoſitum fuiſſet ante illarum patriæ bellum, gloriam certè multis laboribus partam, non vnà cum vita turpiter amiſiſſent. Hoſtes enim patriæ iudicati, in cuius ſinu educati fuerant, ſuorum ſcelerum pœnas tandem dedere. Deflet ante omnia interitum patriæ apud Virgilium Aeneas his verbis:

*O patria, ô diuum domus Ilium, & inclyta bello, Mœnia Dardanidum.*

quòd nobis (Deum ſemper excipio) nil patria charius in vita eſſe debet, aut dulcius, vt Græci aiunt. Idem quoque poëta hoſtes patrię carpit, potiſsimum verò Curionem, vt quidam volunt:

*Vendidit hic auro patriam, dominumq́; potentem*
*Impoſuit, fixit leges pretio atque refixit,*
*Gallorum captus ſpolijs & Cæſaris auro.*

Vt Lucano placet. Grauiſsimum quidem hoc crimem eſt, cùm Ariſtotelis ſententia, amare patriam naturâ cogamur. Quid enim ſibi vult illud, quòd Vlyſſes ad Ithacæ ſaxa illa quidem parua & ignobilia, non ſecùs redire feſtinat, atque Agamemnon nobiles Mycenas? Amor patriæ id quidem facit, quam velim ita amplectare, vt bonorum exemplo eam opibus, authoritate, dignitate, imperio, quoad fieri poteſt, augeas. Sed quoniam naturâ libertatem omnes appetunt, quæ eſt poteſtas viuendi vt velis, curandum tibi erit, ne patria noſtra à tyrannis opprimatur. LAVRENTIVS. Quónam tandẽ id fiet modo? COS. Si popularẽ remp. qualis noſtra cuiuſq; propoſitũ eſt: nemini ſubeſſe velle in æqualitate & officio cõtinueris. Tria aũt ſunt ad id permaximê neceſſaria, libertas ſcilicet, diuitię, virtus. Libertatem diximus, poteſtatem viuendi vt velis, quod nequaquam ſeruis contingit. Huic verò duo genera hominum inſidiantur, quorum alterum domi interdum magna impenſa nutritur: alterum foris, vel ſimulatione amicitiæ, vel fraudibus, vel vi rebuſpub. ſemper aduerſatur. Domeſticos tyrannos eos appello, qui propter ingentes diuitias, quibus ad largitionem vtuntur, in ciuitate ſua primò quidem principatum obtinent, mox diſcordias ſerendo, eò multitudinem traducunt, vt opera ſua contra nobilitatem vtantur. Sumptus itaque armis ac pulſis optimatibus, tyrannidem occupant: Veluti Philon apud Argos * Planctius in Leontinis, Cypſelus Corinthi, Pyſiſtratus Athenis, Dionyſius Syracuſis, Phalaris Agrigeni. Hoc autem ne contingat, bono ciui curandum eſt. Bonum aũt ciuem eum appello, qui periclitanti patrię conſilio & manu opitulatur: ceu Hala Seruilius, P. Scipio Naſica, qui omnium ſcientia ſapientiſsimus & optimus eſt habitus: maximus enim (vt ait Ariſtoteles) honos habetur, nõ ei qui furem occiderit, ſed qui tyrãnum vt publicum hoſtem, quippe qui vt dominatum malis artibus partum retineat, potentiores expellit, ſapientes necat, com-

*Pietas in patriam.*

meſſationes & ſodalitates vetat. Tollit gymnaſia, & quicquid tale eſt, vnde oriri inter ciues intelli-
gentia & fides poteſt. Sua enim intereſſe putat, vt ciues inter ſe quàm maximè diſiuncti ſint: nam
cognitio fidem generat. Id autem ne fiat, delatores ſubmittunt, qui clanculùm excipiant, quid à ciui
bus in coronis dicatur, vt Hieron Syracuſis feciſſe dicitur: & noſtra ętate Lodouicus Melioratus, qui
ex arce Firmanos ſagittis inceſſebant, ſi eos quaſi coniuratores in corona conſpexiſſet. Præterea ve-
rò potentes cum pauperibus committunt, diſcordias ſerunt, populoſque in continuis ſumptibus
& laboribus continent: quod Romæ Superbum Tarquinium, Athenis Piſiſtratum, in Samo Poly-
cratem, feciſſe legimus. Ciues enim ſuos occupari continuis negotijs volunt, ne de libertate cogitet.
Ne igitur patria noſtra talia monſtra aliquando ſuſtineat, Laurenti caue, maloſque ciues & tyranni-
dem affectantes, ab vrbe pelle more patrio. Nolo quenquam interficias, Naſicam imitatus, niſi aper-
tè in coniuratione deprehenſus fuerit. Ciuitas enim noſtra Athenienſium morem imitata, domina-
tum affectantes, aut in exilium mittit, aut ad tẽpus relegat. Legibus itaq; noſtris & moribus tibi vtẽ-
dum cenſeo, ne ſi ſecùs feceris, & degenerare à maioribus noſtris, & infamiam crudelitatis ſubire vi
dearis. Externos autẽ tyrannos à ceruicibus patriæ facilè remouebis, ſi eorum concilia quàm diligẽ-
tiſsimè obſeruabis. Simulata enim amicitia, inito fœdere, eò plerunque populos deducunt, quibus
natura hoſtes ſunt, vt vel ſpõtè vel coacti iugo ſeruitutis colla ſubijciant. His igitur tantùm fidei prę-
ſtabis, quantũ vita tyrãnica exigit, inuigilabiſque ne ciuitatem noſtram imperatam offendãt. Id au-
tem percommodè fiet, ſi populos finitimos, ſi principes fœdera & amicitia patriæ deuinxeris,
ſiue milites paratos ad omnes caſus habueris. Ad hanc verò rem pecunijs opus eſt, quæ (vt Demo-
ſtheni placet) reip. nerui ſunt: vt Ariſtoteli autẽ, ita neceſſariæ, vt euerti popularis reip. ſtatus neceſ-
ſe ſit, niſi ciuitas ſuos prouentus, ſua vectigalia habuerit. Facultates habeant ciues oportet, vt ſit vn
de reſp. opportunè vires ſuſcipiat. Hanc ob rem fortaſſe Carthaginenſium conſuetudo improbanda
non eſt, qui aliquem è populo ad prouincias gubernandas obeundoſque magiſtratus ſemper mitte-
bant: qui ditior factus, & cum reliquis ciuibus in pace viueret, & haberet vnde rempublicam iuua-
ret, quod ego cum reliquis ciuibus perſæpe feci, dum grauiſsimis bellis nunc à Vicecomitibus, nunc
ab Alphonſo Ferdinandoque regibus multis annis premerentur. Virtutem autem his rebus coniun-
ctam eſſe oportet, ſine qua certè integra felicitas haberi non poteſt: de qua etſi vbique dicitur, tamen
ſuis locis & oportunè ratio habebitur. Sed ad inſtituta, ſi placet, redeamus, niſi quid ad hæc vultis.
PLA. Tu quem voles ordinẽ teneto, nos attẽtè quod dicturus es expectamus. COS. Putare profectò
(vt ait Plato) vnuſquiſque debet, omnia quæ poſsidet, eorum eſſe qui nos genuêre, quique educa-
uêre: ſecundo loco, eorũ quibus cũ geniti & educati ſumus. Nam ſi contentio quędam & comparatio
*Pietas in parentes & propinquos*
fiat, quibus plurimum debeamus, poſt Deum & patriam ſequentur parentes, quorum beneficijs, &
quidem grauiſsimis, aſtricti ſumus: ſequentur liberi, fratres & benè conuenientes propinqui. Hoc eti
am in mandatis habemus, quò diutius viuas, patrem honorato & matrem. Præterea verò, qui dixe-
*Exod. 20.*
rit fratri ſuo racha, reus erit gehennæ. Virtutum enim omnium, charitas ipſa (vt Ambroſio placet)
*Matth. 5.*
fundamentum eſt: quæ certè dirimi inter parentes & natos, fratrumque inter ſeſe ſine nefario ſcelere
non poteſt. Nam cùm à Pomponio tribuno plebis dicta Manlio Torquato dictatori dies eſſet, quòd
occaſione benè gerendæ rei exceſsiſſet imperij obtinendi legitimum tempus, & quòd optimum fi-
lium ab hominibus relegaſſet, & rure habitare iuſsiſſet, filius adoleſcens prima luce Romam venit ad
Pomponium, vbi negotium exhiberi patri intellexit, à quo ſtatim intromiſſus, quia exiſtimaret cõ-
tra patrem aliquid afferre, remotis arbitris, gladium ſtrinxit, Pomponiumq; iurare coēgit, ſe patrẽ
miſſum eſſe facturum. Plus enim mouit adoleſcentem pietas in patrem, quàm in ſe patris moroſi-
tas & iniuria. Coriolanum quoque, quem nec Dij, nes homines dimouere ab obſidione vrbis pote-
rant, ſola mater lachrymabundum etiam auertit. Laudatur apud Maronem Aeneas, quôd patrem An
chiſen humeris ſuis ab incendio liberauerit. Nec improbatur Scipio ille, cui poſteà Aphricano cog-
nomentum fuit, qui patrem apud Ticinum in prælio vulneratum ab hoſte ſeruauit. Prætor item mu
lierem ingenuam capite damnatam, & ob eam rem necandam, in carcerem cõiecerat: pietate motus
cuſtos, non modo ſtatim eam non necauit, verumetiam filiæ, diligenter tamen excuſſæ, ne quid cibi
ad matrem ferret, aditum præbuit, futurum exiſtimans vt ſine ſua noxa mulier inedia conficeretur.
Viuebat tamen illa vberibus filiæ alita: qua rè cognita, liberata mater, filiæ pietati condonata eſt.
Carpitur autem Neronis vita multis in rebus, ſed illud inter cætera ſcelera crimen ei obijcitur, quòd
poſthabita pietate, matrẽ Agrippinam interemit, à qua procreatus, nutritus, & in tãta imperio col-
locatus fuerat. Meritò igitur ſceleratus homo, patriæ quam omni flagitio contaminauit, & matri cõ-
tra quam vnicè impius fuit, pœnas tandem, & quidem graues dedit. Poſt parentes vero ſecundo lo-
co fratres habebis, tertio propinquos. Qui enim te ſaluum in omni fortuna, quique dignitatem tuam
augeri malit, quàm frater Iulianus adoleſcens inſignis, inuenies neminem: & ob eam rem eum cæte
ris anteferendum arbitror, Scipionis exemplo: qui, cùm prouinciæ conſulibus decernerentur, maluit
L. Scipioni fratri quàm Lælio amiciſsimo Aſiam committi: neque hoc quidem contentus, ſe ei cùm
anteà imperator fuiſſet, legatum præſtitit, quò victor cum triumpho in patriam rediret. Quantum
amauerim ego fratrem Laurentium, cuius tu nomen obtines, ciues omnes optimi ſunt teſtes: quanta
item beneuolẽtia cõiuncti fuerint inter ſe, pater patruuſq; tuus, filij mei dulciſsimi, te certè nõ latet,
qui eos in vita vidiſti. Fratrẽ itaq; imitatione noſtri amato, propinquos nõ modo in pretio habeto,
verùm eos quoque conſilijs tuis priuatis ac publicis adhibeto. Veriſimile enim eſt, eos tibi melius
conſilium



conſilium daturos, quàm illos qui nulla tibi affinitate coniuncti ſunt. LAV. Sunt tamen qui amici-
tiam cognationi anteferendam cenſent. COSMVS. Dicat Paltina, rectène ij ſentiant an ſecùs, ego
interim in ſiniſtrum latus recumbam, cubitoque initar. PLA. Vulgaris hæc quidem opinio eſt, & ab
omni ratione remota. Quî enim fieri poteſt, ſi naturæ vim inſpicimus & contemplamur, vt cuipiam
charior ſit amicus quàm frater benè conueniens? Ex eodem vtero natus, eiſdem vberibus alitus, ea-
dem diſciplina imbutus, non antefertur ſocio & amico. Fruſtrà nos quidem germanos conſuetudo
appellaſſet. Fruſtrà fratrem quaſi ferè alterum M. Varro dictum putaſſet, ſi non pluris fratrem quàm
amicum faceremus. Vnius P. Scipionis & quidem ſapientiſsimi exemplum, ſat tibi eſſe debet, qui
vt auus tuus paulò antè dixit, fratrem in honore C. Lælio antepoſuit. Sed perge Coſme, ſi percom-
modê iaces. COS. Quoniam de Lælio nuper mentionem feciſtis, videatis quæſo quanti faciendam *Amicitia*
amicitiam ſentiat: Quid, inquit, ſtultius eſt, quàm vt plurimum copijs, facultatibus, opibus valeas, *cũ ciuibus.*
cætera parare quæ parantur, pecuniam, veſtes, famulos, gloriam, vaſa pretioſa, amicos non parare,
optimam & pulcherrimam vitæ ſuppellectilem? Vita enim inculta & deſerta ab amicis, non poteſt
eſſe iucunda. Tibi igitur Laurẽti, quærenda ciuium omnium charitas eſt, humanitate, manſuetudine,
comitate, & gratia. Tot enim oculos, tot manus, tot animos habebis, quot amicos. Rerum autem om
nium (vt ait Cicero) nec aptius eſt quicquam ad principatum inter ciues tuendum atque tenendum,
quàm diligi: nihil alienius, quàm timeri. Vnde præclarè ait Ennius: Quem metuunt, oderint: quem
quiſque oderit, perijſſe expetit. Neque certè vllius tantæ ſunt opes, quæ odijs multorum poſsint obſi-
ſtere. Malus enim cuſtos diuturnitatis metus eſt, vt idem M. Tullius affirmat, contraq; beneuolẽtia
fidelis. Nam mutua ſint oportet beneuolentia & odium, & eos timere à quibus metui volumus, ne-
ceſſe eſt: quòd Dionyſij ſuperioris, Alexandri Pheræi, Phalaridis Agrigentini vita oſtendit, qui tan-
dem oppreſsi, vitam meritò cum tyrannide amiſere. Quis autem nõ cenſeat C. Caligulam, Neronẽ,
Domitianum portenta illa imperij Romani, iure cæſos, cùm eorum vita tota tyrannica eſſet, in qua
nulla fides, nulla charitas, nulla ſtabilis beneuolentiæ poteſt eſſe fiducia? His autẽ ſuſpecta ſunt om-
nia & ſolicitudine plena, cùm nullus apud eos ſit amicitiæ locus. Dices tamen eos ſoli ſimulatione
duntaxat ad tempus. Verùm ſi fortè, vt perſæpè fit, de gradu ceciderint, intelligẽt quàm fuerint in-
opes amicorum: quod Tarquinium Superbũ dixiſſe ferunt, tũ cum exul eſſet, ſe intellexiſſe quos fi-
dos amicos habuiſſet, quoſque infidos, cùm iam neutris parem gratiam referre poſſet. Verùm qui ad
amicitiá fortunati ciuis multi confluere ſolent, deligendi à te ſunt, qui ob ſapientiá, virtutem & in-
tegritatem, amicitia tua digni habeantur, quique meritò boni viri appellari poſsint. Neq; enim aliter
verá amicitia dici poterit, niſi fuerit in virtute, conſtantia ac perpetuitate fundata: qualis fuit in illa
Scipionis & Lælij, Oreſtis & Pyladis, ac duorum Pythagoræorum Damonis & Pythiæ. Hos verò ſi
nimium exactæ amicitiæ reconditæque exiſtimas, delige ex ciuibus tuis, qui ob virtutem firmi ami
ci, ſtabiles & conſtantes futuri ſint: tales autem ij erunt, quorum vita omni ex parte probata fuerit,
ne eos amicos exiſtimes, qui voluptatum inſtrumenta ſunt, quiq; meritò ob flagitia omniũ ſeruorũ
turpiſsimi ſunt vernæ. Prius aut ex Iſocratis ſententia diligenter ſcrutabere, qualis exiſtimationis a-
pud bonos & rerum humanarum gnaros ij ſint, quos in amicitiam recepturus es. Nam eius ingenij
perfacilè iudicabere, cuius illi fuerint quos tibi familiaritate & amicitia adiunxeris. Præterea verò ſi
boni erunt, horum integritati te ac rempub. noſtram tutiſsimè committes: ſi mali, in te vnum omnis
ferè culpa vertetur, maximè verò ſi quid detrimenti patriæ noſtræ iſtorum culpa acciderit. Bonos
igitur delige ex omni numero, potiſsimùm autem ex nobilitate, & eos quidem doctos ac rerum hu-
manarum peritos, vt dixi. LAVRENTIVS. Ego verò ex te libenter audirem, quos nobiles &
viri boni amicitia dignos cenſeas. COSMVS. Scribens ad Q. Fratrem Cicero de petitione con- *Nobilitas.*
ſulatus, cùm de Antonio & Catilina loqueretur: Nequaquam ſunt (inquit) ij tam genere inſignes,
quàm vitijs nobiles. Eſt enim nobilitas ſecundum Stoicos, ſplendor quidam ex popria virtute pro-
ueniens, cui omnis generoſitatis palma tribuenda eſt. Quare mirari non ſatis poſſum, quòd Ariſtote-
les homo omnium qui vnquam fuere ſapientiſsimus, in libro de repub. eos nobiles ſibi videri dicat,
quorum maiores virtute & diuitijs aliquando floruerint, cùm vera nobilitas non aliunde quàm ex
ipſa virtutè oriatur: alioquin piratæ & latrones ob diuitias hac ratione nobiles haberentur. Præterea
verô non eſt cur eos nobiles cenſeas, qui nobilitatem in deſidia collocant. Nil enim agere poſt cra-
pulam & ebrietatem, in purpura autem & ſubſellijs viuere, ſericatas ferre veſtes, aurata calcaria,
gemmatos habere digitos, comam benè pectere, accipitrem circumferre, vnguenta ſapere, in nobi-
litate ponunt, quo certè nihil eſt à generoſitate magis alienum. Apud Romanos olim mos fuit, vt e-
quites propter rem in bello egregiè geſtam annulo, fibula, & armilla donarentur, virtutis, non au-
tem ignauiæ, monumenta & pignora. Iactare item res geſtas maiorum, atria imaginibus refer-
ta, porticus ſignis ac tabulis ornatas, ædes conſtructas oſtentare, plus admirationis, quàm nobilita-
tis in ſe habent. Erunt tamen hæc nobis adiumento, ſi maiorum noſtrorum virtutem & animi
præſtantiam imitati fuerimus: ſecùs verò, dedecori ac turpitudini. Huiuſcemodi autem nobilitatem
irridens Diogenes ille Cynicus philoſophus, malitiæ & ignauiæ velamen eſſe dicebat. Quare MAR-
CVM Catonem priſcum illum, quem Cenſorium vocarunt, non genus, non diuitiæ (Tuſculi
enim natus eſt obſcuro genere, tenui cenſu) ſed eximiæ pulcherrimæque virtutes nobilitarunt.
Idem de C. Mario, Seruio Tullio dici poteſt. Ipſam quidem nobilitatem quadrifariam di-
uidit Plato. Primam autem ait eorum eſſe, qui claris, bonis, iuſtiſque parentibus ſunt orti. Secun-
dam

dam eorum, quorum parentes aliquando principes extitêre. Tertiam, cûm maiores noſtri fama & rebus bello geſtis, vel publicis certaminibus parta corona claruerunt. Quartam eorum, qui præclara aliqua doctrina & animi magnitudine excellunt. Hos autem vt verè nobiles, cæteris omnibus philoſophus anteponit. Platonem verò Ariſtoteles ſecutus, eoſdem ſcripſit ſibi videri nobiles & virtutis ſtudioſos, in ſola virtute nobilitatem collocans. Seneca quoq; ad Lucillium ſcribens, idē ſentire videtur: Nō fuit, inquit, Socrates patritius, non eques Romanus: hunc tamen & Platonē philoſophia nō accepit, ſed nobiles reddidit. Sola enim virtus eſt, quę nobiles facit, quęq; poſteros in nobilitate cōtinet. Ex his igitur vt ex generoſa ſtirpe tibi amicos delige, quorū opera & præſentia ad virtutem excitare. Habes Donatum Acciolum, habes Alemannum Renocium, alioſque complures, quorū doctrina & peritia publicis priuatiſque in rebus vti pro arbitratu tuo poteris. L A V. Non eſt, vt video, præcipitandum in deligendis amicis, adeò ad viuum omnia reſecas. C O S. Imò verò cauendum ne circumueniare adulatione, blanditijs, aſſentatione quorundam leuium hominum atque fallacium, nil ad veritatem, ſed ad voluptatem omnia loquentium, qua peſte nulla certè maior adhiberi poteſt, his præſertim, qui plurimum opibus & dignitate in aliqua præſtanti repub. valent. Nam quodcunq; dixeris feceríſue, ſine diſcrimine laudant, & aſſentando extollunt, vultum fingēdo & nutum, vt ait M. Tullius, non autem mentem & voluntatem obſeruando. Legiſti credo Eunuchum Terentij, aſtat turba Gnathonum: ait quis, aiunt: negat quis, negant: is quæſtus apud quoſdam non benè inſtitutos eſt multò vberrimus. Hoc autem facit aſſentatio illa pernitioſa, vt cûm poſteà verum quis dixerit, id audire fortunati iſti nolint. Illo enim veneno imbuti, cûm ſe plus quàm cæteri ſapere arbitrantur, benè admonentium conſilia & ſententias contemnunt, coruis (vt aiunt) oculos etiam in vita præbentes. Aſtant illi, aſſentantur, aſsident, mirantur, nec verbum vllum profers, quod non ponderetur ab ijs, vt lucrum faciant. Præterea verò quæſtus gratia omnes animi affectus, quod quidem difficile videtur, inuertunt, vt Satyro placet: rides, maiore cachinno cōcutitur: flet, ſi lachrymas conſpexit amici. Aſſentatores enim (vt Ariſtoteli placet) ſordidi, humiles, ac ſeruilis conditionis ſunt. Tu verò Laurenti, vt benè inſtitutum ciuem decet, ab his illecebris animum ad rationem traducens, ex Thaletis Mileſij ſentētia teipſum cognoſce. Hac enim ratione perfacilè intelliges, verûmne ſit quod iſti de te prædicant. At verò ſi mihi obtemperaueris, illos potius amplectere, qui cûm erraueris, monere te prudenter & modeſtè audent. Hac autem libertate loquendi fiet, vt ſi quando quicquam in conſulationem venerit, habeas qui tibi ac reipub. intrepidè ſententiam explicent. Pręterea verò ſi viros præclaros & veridicos habueris, adulatores ipſos ignominia notatos, in malá rem ſtatim abiges. LAV. Rectè admones Coſme, neque hoc genere hominum noſtra ciuitas caret. Ad cætera, niſi quid ad hæc vult Platina, pergamus. PLA. Eſt aliud genus hominum huic haud multum diſsimile, hominum genus dico execrandum & bonis pernitioſum, cuius fallacijs & maledicentia in maximum diſcrimen adductus interdum ſum. Hos delatores vulgus appellat. C O S. Benè admones Platina, & ita eſt vt dicis. Inſerunt ſeſe pernitioſi delatores in turbam hominum, benignè primò vnumquemque alloquuntur, & tanquam aucupes verbis quibuſdam homines in eos ſermones alliciunt, vnde calumniæ colligi poſsunt. Quid quiſque dixerit obſeruant, nonnulla ſpontè ſciſcitantur, veluti rerum ignari, quò mentes hominum & conſilia exactius percipiant, ac talium rerum ſtudioſis deferant. Hinc autem ciuium ſimultates, odia, diſcordiæ, tormenta, ſupplicia, cædes, exilia oriūtur. Hinc rapinæ ex damnatorum bonis, hinc poſtremo vrbium interitus, bonorum omnium calamitas, adeo hoc venenum percommodè auribus hominum inſtillant, eoſque quoquò volunt impellūt. Apud Hadrianum imperatorem, alioquin bonum principem, adeò valuêre delatorum voces, vt quoſdam amicos ad dignitatem anteà euectos, deinceps hoſtium loco habuerit. Vendidit Platonem Dionyſius, hominem ſane diuinum, concitato delatoribus odio. Mori à ciuibus ſuis coactus eſt Socrates malorum calumnijs, vir autem doctiſsimus atque innocentiſsimus. Boëthius, Theodorici regis iuſſu, inſtigantibus delatoribus, patria ac vita priuatus eſt. Domitianus vero inter imperij monſtra connumeratus, hac in re ſolùm ſapere viſus eſt, quod delatores contempſerit, & ab vrbe expulerit, hanc vocem frequenter vſurpans: Delatores qui nō caſtigat, irritat. Quales igitur ęſtimandi ſunt ij, quos etiam ſceleſtus imperator odio habuit? Ac merito quidem. Contra ſuperbos enim, iracundos, violentos, fures, prædones, ſicarios, inuidos ſunt nobis inuenta remedia: contra hos verò nullum, cûm verſuti quidem, vafri, ſubdoli, fallaces ſint, ac priùs te opprimant, quàm tale aliquid tibi euenturum ſuſpicari poſsis. Qui locus innocentiæ, vbi iſti regnant feris peiores, cûm ſocietatem humanam, qua nihil in vita melius eſt, maledicentia tollunt? Detrahere enim (vt ait Cicero) aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Contemnendi ergo & pellendi ij ſunt, vt ſacrilegi & pernitioſi, vt furiæ Phlegetontis, & quid quiſque dicat conſiderandum, de quibuſuè dicat. Hac enim ratione ciuitatis noſtræ quieti & incolumitati conſules. L A V R E N T I V S. Multum tibi debeo Platina, qui auum meum admonuiſti, vt mihi antidotum daret contra venenatas delatorum voces. P L A T I N A. Omitte iſta Laurenti, nil mihi ob hanc rem debes. Debebis tamen, ſi mandata Coſmi obſeruaueris: debebunt & ciues tui, ſi per te hac peſte caruerint. Sed audi quæſo, quod auus deinceps dicturus eſt. Vultum, vt mihi quidem videtur, compoſuit, hilariorque quàm vnquam anteà factus eſt. C O S M V S. Quaſi vero ſoli poëtæ, & non etiam reliquum genus hominum,

*Adulatores cauēdi.*

*Delatores nō audiēdi*

*Boethius.*

*Apophthegma Domitiani.*



hominum, vultum rebus, de quibus dicturi ſunt, accommodent. De humanitate dicturus, comitatem fronte oſtendere neceſſe fuit. PLA. Rectè ſanè ex Horatij ſententia. Sed perge, nam & nos quoque frontem porreximus, adeò tui ſtudioſi ſumus. C O S. Scribens ad Q. fratrem Cicero, hominem admonet, vt in gubernanda prouincia ante omnia facilitate vtatur in adeundo, lenitate in reſpondendo. Nihil eſt enim quod æquè ciuem charum omnibus faciat & popularē, quâm ipſa comitas, cui nō ſine cauſa bonitas, liberalitas, & amicitia connexa ſunt: quibus profectò ex rebus conciliari hominum beneuolentia ſolet, vt cōtrà moroſitate, duritate & acerbitate amittitur. Verum eſt certè quod Cyrum dixiſſe aiunt, iucundiora multò acceptioraque hominibus videri in optimo viro humanitatis, quàm belli opera. Bella enim plurimum mali intuliſſe mortalibus, humanitatem verò plura bona importaſſe. Aetate quidem noſtra plurimum bello & gratia valuit Franciſcus Sfortia Mediolani dux: ſed eum plum iuuit ad principatum comparandum humanitas, quâm bellum: qua in re ego quoque, imô reſp. noſtra hominem iuuit, partim eius comitate mota, partim ne Tráſpadana Italia in poteſtatem Venetorum cum noſtro magno malo deueniret. Nam ſi Inſubriam occupaſsēt, in nos quoque aliquando arma mouiſſent, adeò naturâ ſunt dominandi cupidi. Hoc igitur patriæ magis quàm Franciſco tribui. Tantæ verò humanitatis fuiſſe C. Cæſarem legimus ante principatum, vt & ipſe ciues in conuiuium ſæpiùs adhibuerit, & inuitatus, illorum menſas non ſit aſpernatus. Laudat comeſſationes publicas Plato, ad conciliandam hominum beneuolentiam inter ſe: cuius quidem præcepta pleriq; imitati, adeô multitudinem hac comitate deliniuêre, vt eius opera poſteà in maximis rebus atque optimis ſint vſi, vt intelligas, totam hanc popularitatem ad vtilitatem reip. non ad priuatum commodum ſpectare debere, licet ipſe C. Cæſar longè aliter ſenſerit, regnandi cauſa. Quam quidem cupiditatem ita velim à te reijcias Laurenti, vt pernitioſam & teterrimam peſtem, ne te aliquando inficiat. Principum exēpla de humanitate tibi propono, quô ciuibus tuis charior ac gratior ſis, maximè verò quando magiſtratum in ciuitate adeptus fueris, qui ipſe per ſē hominibus terrori eſſe ſolet. Memineris quæſo vocis illius diuinæ, qua vſum Titum imperatorem ferunt, velle quidem ſe talem priuatis exhibere, quales ſibi priuatos habere cuperet. Vt enim nihil pernitioſius eſt, quàm odio haberi: ita nihil vtilius, quàm diligi & amari. Quod certè humanitate, lenitate, facilitate comparatur. Nam vt ſuperbia remp. labefactat, ita humanitas labefactatam aliquando cōfirmat, ac hominum contumaciam ita interdum frangit, vt ad ſanitatem malè ſentientes traducat. Blandè quidē poſt iniurias acceptas tumultuantē populū & ſeditioſum Moyſes appellabat, in laboribus ſolabatur, delinibat oraculis, rebus fouebat, & ob eam rem poſteà ſupra omnes homines ſapere exiſtimatus eſt. His enim artibus plebis Iudaicæ mentes adeò ſibi deuinxerat, vt eius amplitudinem magnitudinis gratia plus diligerent, quàm pro rebus geſtis admirarentur. Dauid autem ob placabilitatem iuuenis etiam ad gubernandum populum vno omnium conſenſu electus eſt, adeò vt parentes eum filijs ſuis, filij parentibus in amore præferrent, cùm ad vtilitatem hominum potius, quàm dominādi cupiditate ſumpſiſſe regnum videretur. Nam tumultuante populo, cędem veritus ob ſæuitiá Saul, maluit in Hebron exulare, quàm Hieroſolymis imperare: tanti faciebat populi ſalutem, cuius gratia regna & magiſtratus inſtituti ſunt. Quantum verò magnis ciuibus ſuperbia interdum nocuerit, M. Druſi tribuni plebis impotentia declarat, qui L. Philippo conſuli quod ſe concionantem appellauerat, adeò collum intorſit, vt multus è naribus eius cruor eruperit. Idem quoq; cûm ſenatus ad eum mitteret, vt in curiam veniret: Quare non potius ipſe, inquit, in curiam Hoſtiliam propinquam roſtris, id eſt, ad me, venit? Tu itaque bonos viros imitatus, facilem te accedentibus præſta, dicentes benignè audi, interrogantibus comiter reſponde, petentibus, honeſta præſertim, obtempera. LAV. Quod de humanitate dixiſti, admodum laudo: & ita, vt iubes me facturum repromitto: ſed vereor ne interdum ob facilitatem contemnar. C O S. Ego vero huic tamen facilitati grauitatem adiunctam velim, propter temeritatem & ambitionem quorundam, omnia ſibi licere ſine diſcrimine arbitrantium. Hos autem cupiditate & appetitu omnia metiētes, facilimè propelles, ſi ea in te fuerint ornamenta quæ in optimo ciue eſſe debent: præeſſe namque ciuibus ſuis non debet, qui non didicit prius, qua id ratione fiat: quod quidem ſtudio, diligentia, doctrina, vſu comparatur, vt intelligas te non ad otium, ſed ad negocium: non ad ſomnum, ſed ad ſolertiam: non ad voluptatem, ſed ad modeſtiam & cæteras animi virtutes ſpectare oportere. Facilè nimirum contemnuntur, qui nihil virtutis, nihil animi, nihil neruorum habent, quique nec ſibi, nec alteri proſunt, vt dicitur. Contrà vero in admiratione omnium ſunt, qui anteire cæteros virtute putantur, atque his vitijs carere, quibus alij non facilè poſſunt obſiſtere. Hos præterea admirantur populi, hos amant, hos colunt vt ſemideos: fieri enim non poteſt vt eum quis contemnat, quem viderit curare eniti, vt omnes ciues quàm beatiſsimè viuant. Nam qui dat operam vt ex æquo & bono ſuum quiſque teneat, quique omni diligentia & ſtudio curat, vt ciuitas moribus, induſtria, gloria, facultatibus augeatur, is certè admiratione omnium & laude dignus eſt. Graue enim pondus eſt, quod optimus ciuis humeris ſuſtinet, florentem ſcilicet ſecunda fortuna ciuitatem conſeruare: & ſi quando acciderit, eiuſdem calamitates atq; pericula ꝓpulſare. Hác itaq; ob rē (vti dixi) fuere qui hos ſemideos appellarēt. Quid enim vtilius dari ciuitati poteſt? Quid fructuoſius quàm ciuis benê inſtitutus? Qui ſciat omnia prudenter ac modeſtè agere, iuſtitiá colere, liberalitate vti, circūuentos defendere, opem amicis ferre, præmia virtuti tribuere, prodeſſe quàmplurimis. His autem virtutibus qui ſeptus eſt, non vtiq; à ciuibus cōtemnitur, non à flagitioſis iniuria afficitur. Nam cùm Metellus repetundarum accuſatus, cauſam diceret,

*Humanitas.*

*Cum grauitate.*

diceret,& tabulæ adminiſtrationis inſpiciendę iudicibus traderentur,omnes certè qui tum aderant,
auertere oculos, indignum rati chartæ,& non integritati eius fidem præſtari,cui popul.Rom. tantá
prouinciam commiſiſſet.Tutam autem eſſe virtutem & integritatem,nó modô apud ciues , verum-
etiam apud hoſtes,declarat P.Africani maieſtas: ad hunc enim viſendum cùm prædones quidam
Linternum veniſſent,poſitis armis,virtutis eius admiratores,non vt hoſtes ſe acceſsiſſe dixerunt,
quibus certè Africanus facilem ſe præbuit.At illi venerati limen domus tanquam aram,& deoſcula-
ta manu Scipionis,poſitis ante veſtibulum donis,læti diſceſſerunt. Hac itaque ratione Laurenti co-
mitatem,ad quam te prius adhortatus ſum,tutiorem grauitas & conſtantia reddet.PLA. Rectè ſanè
admones.Sed dic quæſo, num hæc maieſtas reſpicit. C O S. Contra ambitionem & arrogantiam
duo grauiſsima mala,plurimum certè valet:iuſtitiam ſiquidem & fidem è medio tollit nimia prin-
cipatus ambitio:vnde præclarê ſcriptum eſt apud Platonem,ſimiliter facere eos, qui inter ſe con-
tenderent, vter potius rempublicam adminiſtraret,vt ſi nautæ in periculo certarent,quis eorum po
tiſsimùm gubernaret. Quid ſi imperia non ſunt expetenda,vt ait Cicero,aut potius non accipienda
interdum,aut deponenda nonnunquam? Vel ſi tantum pondus ſuſcipitur,omnis ambitio & arrogã-
tia vitanda eſt,ne ſi elati nimiũ videbimur ob delatos honores, beneuolentiam omnem ex animis
hominum abradamus,quæ non imminuenda faſtu,ſed augenda eſt clementia & humanitate.Extant
autem ſenatus verba ad Auguſtum Cæſ.per virum illuſtrem Valerium Meſſalam : Quod bonum,in-
quit,faſtumque ſit tibi domuique tuæ Auguſte,ſenatus conſentiens cum pop.Rom.te patrem patriæ
conſalutat.Hanc verò glorioſam ſalutationem Auguſtus nequaquam inſolenter accepit,ſed illachry
mans ob pietatem & gratiam ſenatus erga ſe,reſpondit : Compos factus votorum meorum Patres
conſcripti,quid habeo aliud quàm deos immortales precari, vt conſenſum veſtrum ad vltimum vi-
tæ finem mihi perficere liceat? De hac item re ſcribẽs ad generum Auguſtus,Vides,inquit, mi Agrip
pa,communem ſeniorum omnium conſenſum erga nos:tertium & ſexageſimum annum euaſimus,
deos oro,vt quantum mihi temporis ſupereſt,id ſalubriter ducere liceat in ſtatu reipub.feliciſsimo.
Nondum enim ad vnum omninò imperium Rom. venerat.Hinc cœpit initium.Maluere enim ciues
ad vnum deferri omnia,quàm toties bellis ciuilibus, & quidem cruentis vexari. Continuit itaque
hac ratione multos in officio Auguſtus,adhibita etiam maieſtate, ne ambitione & arrogantia quic-
quam pręter honeſtum ſibi licere arbitraretur. Eadem quoque modeſtia, vſus eſt M.Antoninus,quẽ
mirari(vt aiunt ſcriptores)quàm laudare facilius eſt.Hic enim filium ſenatui commendans, omiſſa
arrogantia & elatione:Cõmẽdatur,inquit,ſi vobis & dijs immortalibus dignus erit. Ob modeſtiam
verò(vt in antiquitate Iudaica legimus)præfecturã recuſabat Moyſes,at eam dominus ſuſcipere coẽ
git.Saul quoque regni gubernacula abnuebat, demùm verò ſubmittere collum iugo cogitur.Horum
autem admodum diſsimilis fuit Abſolon,Dauid regis filius,qui ambitione & largitione potentiam
quærens,patri etiam arma palàm intulit.Ad compeſcendam aũt hãc immanẽ beluã,quæ fratrẽ in fra-
trẽ concitat,filium in parentem,cognatos & affines inter ſe digladiari facit,legem ambitus,quæ po-
ſteà amiſſa libertate reticuit,Romani veteres ſanxere,qua certè ardor ille imperandi mentibus ho-
minum inſitus comprimeretur,primumque locum in libera repub.ille obtineret, qui ſciret cupidita
tibus ſuis imperare,refrenare libidines,ſpernere voluptates,iracundiam tenere, auaritiam coërcere,
cęteraſque animi labes repellere.Reticuit poſteà ſanctiſsima lex dum ad vnum omnia referuntur.Tu
verò Laurenti grauitate tua & conſtantia ſi voles(velle autem debebis)vbi ad ætatem veneris,ita pe
tulantium & ambitioſorum audaciã comprimes,vt non magnoperè lex de ambitu deſideranda ſit.
LAV.Credo herclè ita eſſe, & huic mandato facilè aſſentior. Sed dic quæſo,ſi hoc agam, quid præmij
magis erit mihi in libera ciuitate,quàm cuiuis è populo? CO S. Si cuiuis bono de referenda gratia co
gitandum eſt,non eſt fraudandus ſuo merito bonus ciuis,& ille potiſsimùm,qui nõ de vno tantùm,
ſed de pluribus benemeritus eſt: Huius autem præmium non erit aurum, non gemmæ,non puellæ
captiuę,vt eſt apud Homerum,ſed vera & integra gloria,quę eſt(vt ait M.Tullius)conſentiens laus
bonorum,incorrupta vox benè iudicantium excellente virtute. Quòd autẽ frigora,calores,inedia,
vigiliæ, laboreſque cæteri non æquè graues his ſunt, qui rem optimè gubernant,ac priuato homini
facit ipſa gloria,qua maximè boni ciues alendi ſunt.Hãc autem ob rem trophea, triumphi, ſtatuæ,
coronæ, laudationes tum in vita,tũ in morte ſunt inuẽtę.Addo etiã hiſtoriam & poëſim ac Muſicã,
qua in conuiuijs ad cytharã heroũ pręclaræ res geſtæ canebantur:heroũ dico,quorũ tota vita in vir-
tute & non in oſtentatione locata erat.Præclaræ certè ſocietates hanc viam ad gloriam proximam
& quaſi compendariam ducebant,ſi quis id ageret,vt talis eſſet qualis haberi vellet:quòd ſi qui ſimu-
latione,& ficto non modò ſermone,ſed etiam vultu ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe rentur,ve-
hementer errant:nam vera gloria altè radices agit,atque etiam propagatur,ficta omnia celeriter tã-
quam floſculi decidunt,nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum.Teſtes ſunt autem Saturni-
us tribunus plebis,Sp.Melius.Gracchi duo,M. Druſus, quorum vita in oſtentatioue fundata erat.
Aliud enim præ ſe ferebant vultu ac verbis,aliud fixum in mente gerebant. Vera certè fuit L. Bruti
gloria,Q.Fabij Maximi,Pauli Aemilij,P.Scipionis,qui nihil aliud cogitarunt in vita, nihil egerũt,
niſi quod præclarum & laudabile pro ſalute omnium & dignitate patriæ videretur,pro qua bonus
ciuis ſi opus fuerit,non dubitet mortem oppetere.Is igitur ſit vnicus benemeriti de repub. cibus,
quo velim ita paſcere,vt in vita ciuili nil maius aut amplius tibi ſit requirendum.PLA.Benè hercle
ſuades Coſme.Laurentium enim ad laudem adhortaris,optima ad capeſſendam virtutem calcaria.
Verùm

*Ambitio et arrogantia grauiſsima mala.*



Verùm ſi quid habes vlterius quòd adoleſcenti profuturum cenſeas,id quoque ediſſere.COS.Habeo
certè nõnulla,quę etſi parua videbuntur,ac priuata magis quàm publica, tamen contemnenda non
ſunt.Pertinere enim ad dignitatem præclari & excelſi ciuis crediderim,laxiùs & magnificentiùs ha
bitare.Nam ſi magnifici ciuis eſt,muros vrbis,naualia,ductus aquarum,theatra,porticus,phana,om
niaq; omninò quæ ad communem vſum ciuitatis pertinent ſtruêre,quid eſt cur ædes ſibi magnificẽ
tiſsimas in præclaro ciuitatis loco non ædificet,præſertim cùm id etiam ad ſplendorem & dignita-
tem ciuitatis pertinet? Cn.quidem Octauio, qui primus ex illa familia conſul factus eſt,honori fuiſſe
M.Tullius refert,quôd præclaram ædificaſſet in palatio & plenam dignitatis domum,quæ cûm vul
go inuiſeretur,ſuffragata domino nouo homini ad conſulatum putabatur.Ornanda eſt item(vt idẽ
ait)dignitas domo,non tota tamen ex domo quærenda,ne in cæmente & lapidibus veram gloriam
repoſuiſſe videamur.Sit laxa & ampla,vt priuati ac publici hoſpites magnificè & honorificentiſ-
ſimè ſuſcipi poſsint:quod ego quoq; feci,nõ in vrbe ſolùm, verumetiam in agris,vt videtis. His ta-
men ſumptibus modus quidam imponendus eſt,ne ſi laxiùs ædifices, ſuſpicionẽ affectati principa-
tus inijcias:ſi anguſtiùs,aut viliùs,auaritię ac quidem ſordidę crimen incurras.Domus autem ſplen-
didi viri ſecundum Homerum non ex auro,ebore,argentóue,ſed hoſtium ſpolijs ornanda eſt.Illa e-
nim ornamenta deliciarum & muliebris laſciuię plena ſunt,â quibus certè quàm â Sireneis ſcopulis
bonum ciuem declinare oportet.Exornat idem Homerus mollis & effœminati Menelai domum ex
animi eius ſententia.Deſcribit pręterea hortos Phęacum,Calypſus domum ac Circes,vt ex tam ac-
curata pictura mores quoque incolentium comprehendi poſsint.Boni igitur ciuis ædes ita magnifi-
cæ & ſplendidæ ſunt,vt nil effœminatum,nil muliebre præ ſe ferant. P L A.Magnam certè laudem
hac in re Coſme cõſecutus es:nemo enim nõ dico in vrbe tua, verùm in tota Italia magnificentiùs te
ac ſplendidius ædificauit:cernuntur tot tẽpla,tot monaſteria,tot bibliothecæ,tot ædes tua impenſa
ædificatæ & ornatæ,vt nil vlterius ad hanc magnificentiã operũ addi poſſe videatur. COS. Feci id
quidem , vt dicis,tum ad ſplendorẽ vrbis,tum etiam vt rem diuinam excolerẽ.Hoc autem noſtrum
inſtitutum velim imitari Laurenti,& ſi quid inchoatum à me eſt, nec perfectum,id tandem abſol-
uas.LAV.Faciam id quidem.Sed ne excidat,quod anteâ propoſuiſti, quænâm quæſo illa ſunt quæ
parua eſſe dixiſti? C O S.Quærens Lycurgus omnia,quę ad mores Laconum pertinerent,primus ex
Creta,vel vt alij volunt,ex Ionia,Homeri poëſim in Græciam detulit,cuius exemplo tum multa,tũ
conuiuia,quę illi phiditias cœnas vocant,inſtituit,nõ diffluentes varietate & luxu, ſed moderatio-
ne & mediocritate conditas,victum cultumque corporis non ad voluptatem, ſed ad valetudinem
& vires referendum eſſe.Nam qui naturę humanæ dignitatem & excellentiam conſiderat,intelligit
quàm turpe ſit,diffluêre luxuria & delicatè ac molliter viuere:quamque honeſtum,parcè,continẽ-
ter,ſeuerè ac ſobriè.In ea verò diſceptatione,quam inter Alexandrum & Diogenem aliquando or-
tam ſcribit Dion,vexari humanum genus ab aliquo quatuor dęmonum oſtendit,quorum illũ certè
ſecundum appellat,qui voluptati ſacrificia defert,& deam ipſam colit odoribus varijs ac ſaporibus
gaudentem.Hic autem dæmon,vt idem affirmat,auditum,guſtum,tactum,quouis modo poteſt, mi-
rificè delectat,balnea frequẽtat,molles veſtes & laboratos accubitus amat,muliebres amplexus ex-
pectat.Hæc dea nimirum eſt ipſa Circe,quæ ſocios Vlyſsis in porcos mutat:ij verò deinceps,vt timi
di & infracti animi,publicis ac priuatis in rebus inutiles habentur.Seruanda eſt igitur in victu cultu-
que corporis mediocritas ob modeſtiam & valetudinem:quî enim fieri poteſt, vt delicijs aſſueti ci-
ues,vbi opus erit,famem,ſitim,frigora,æſtus,atque incommoda pro republica patiantur? Conci-
dant certe animis & corporibus in quouis etiam paruo negotio oportet,qui Sardanapalos,Antoni-
os,Heliogabalos,Caracallas,Othones diffluentes libidine & luxuria imitantur.C.vero Cæſaris mo
deſtia & ſobrietas,vt noſti,ab hoſtibus etiam laudatur.Hic enim in ordinanda ciuitate legem ſump-
tuariam tulit, ne ciuium mores nimio luxu corrumperentur.Videbat ènim vir ſapientiſsimus, nihil
eſſe quod animos hominum æquè fatigaret,quàm libido & circumſedentes vndique voluptates.Ab
his igitur vt ab improbis dominis dedecoris & turpitudinis,ſe vindicent optimi ciues neceſſe eſt,vt
cùm libidinibus ipſi parere deſierint,præeſſe alijs meritò videantur. Nihil eſt autem quod magis au-
thoritatem boni ciuis augeat,quàm ſi oſtenderit ſe nil minus quàm de voluptate cogitare.Eius enim
mens tota in virtute collocata eſſe debet.PLA.Vt mihi quidem videtur,nil otij,nil quietis Laurentio
noſtro relinquis:adoleſcens eſt, quieſcat interdum oportet. C O S. Dormiendum non eſſe niſi cor-
poribus labore & ſolicitudine defatigatis ad recuperandas vires cenſuit Socrates: & ſi alicui parum
dormire licet,cui magis id conueniat quàm optimo ciui nõ video.Ariſtoteles autem in libro, quem
de moribus ſcripſit,bonos à malis,miſeros ab infelicibus in dimidio vitæ propter ſomnum nihil
differre oſtendit,cûm felicitas hominis in actione,non aũt in otio & ſomno repoſita eſt.Volo quieſ-
cat,non marceſcat otio.Volo dormiat,non ſtertat ad multam noctem.Præterea verò ludos decen-
tes & liberales animi gratia poſt cibum ei concedo:& quando ad hæc parua deſcendimus, non pu-
deat dicere quod ſentio:Ludus ſit teſſera,chartæ pictæ,latrunculi,alueolus:ſed abſit inter ludendum
omnis fraus & auaritia,qua fieri indecens ludus conſueuit,& ita interdum concitari ludentium ani-
mos,vt ex ludo ad conuitia & contumelias tranſeant.Omnem enim aleatorem, mendacem,periu-
rum,alieni appetentiſsimum,ſui prodigum eſſe oportet:qua ex re in furta plerunque & rapinas paſ-
ſim dilabuntur.Hos autem quanti fecerit Chilon Lacedęmonius,attende.Is enim iũgendæ ſocietatis
cauſa Corinthum miſſus,cûm principes ciuitatis in alea occupatos inueniſſet,ſtatim infecto negotio

*Aleator.*

c redijt,

redijt, dicens, ſe nolle gloriã Spartanorũ tũ quidẽ clareſcentẽ, ea maculare infamia, vt diceretur, Spartanos cũ aleatoribus ſocietatẽ inijſſe. Hac verò in re ideo longior fui, quod noſtra ciuitas, vt mihi videtur, hac infamia non caret. Quàm feruent interdum gymnaſia ludentium varijs in locis, non ſine ſtomacho loqui poſsũ. Verùm tu Laurenti, quod ego ſæpe conatus ſum, ſi tibi licebit, interdicto & lege hanc corruptelã è rep. auferes, ne aliquando ciuitas noſtra hac ignominia, vt Corinthus à Chilone notari poſsit. Iocus poſtremò, qui in verbis eſt, modo careat ſcurrilitate & rũſticitate, cõditusq́ue ſit facetijs & ſalibus, inter amicos præſertim, non erit improbandus. Is enim iocus qui non illiberalis eſt, non mentem ſolùm recreat ac reficit, verumetiam ad dicendum & reſpondendum ingenium acuit. Auguſtus Cæſar, ſeruato ſemper maieſtatis pudore, iocis ipſis mirificè delectatus eſt. Vt illud in Vatinium podagræ morbum diſsimulare conantem, aſſerentemq́ue ſe iam mille paſſus per diem ambulare: Minus (inquit) mirum eſt, cùm iam dies longiuſculi eſſe incipiant. Nomencletori cuidam naturâ obliuioſo in forum ituro, percontanti, num quid in foro agi vellet. Cõmendatitias, ait, litteras tecum perfer, notum enim ibi nullum habes. Cùm verò idem forũ extrui iuſsiſſet, architecti tarditatem accuſans, quòd eodem tempore à Caſsio Seuero plurimi accuſati abſoluerentur: Vtinam (inquit) forum meum accuſaret Caſsius, citius enim abſolueretur. Hoc autem genere vrbanitatis non caret noſtra ciuitas, quod certè ingenuè & liberaliter efferri poteſt, ſi tempore & remiſſo fiat animo. Scurras verò, gnathones, mimos, omninò abs te reijce, cùm dignitatem optimi ciuis obſcœnitate verborum & turpitudine indecentes motus ac geſtus dedecorent: Quæ potiſsimum ad optimum ciuem pertinere mihi viſa ſunt, hactenus ſcripſiſſe ſat erit, deinceps verò & cras, ſi vultis, quid bonis ciuibus cum populo conueniat dicatur. PLA. Copioſe ſanè & grauiter omnia dixiſti. Sed vno ſermone, ſi potes, hoc præſertim die, omnia abſolue. Idem enim Plato fecit. Nam omnem orationem de legibus vno æſtiuo die perorauit. COS. Sequar ego, vt vultis, diuinum illum virum.

## BAP. PLATINAE DE OPTIMO CIVE LIBER SECVNDVS.

### PLATINA, COSMVS, LAVRENTIVS.

SED viſnè, quoniam iam adueſperaſcit & valetudini ac ſenectuti tuæ cõſulendum eſt, locum mutemus, ne riuuli humiditate lædare, quod fieri veſperi conſueuit? COS. Volo ſanè. PLA. Ad illam porticum proficiſcamur, quæ ad orientem ſolem vergit, reſpicitq́ue colles iſtos vitibus & oleis conſitos. COS. Sanè quidem: illa enim porticu libẽtiſsimè vti ſoleo, ſiue quid ipſe mecum cogito, ſiue cum alijs de rebus magnis loquor: adde quòd etiam villa propinqua eſt, vnde acciri ſerui percommodè poſſunt, ſi eorum opera indiguerimus. LAV. Viſnè antequam iam ventum ad porticum eſt, aliquid tibi ſubſterni, vt commodius iaceas? Non enim hic herba eſt vt in ripa Tertiolę. COS. Si vis aliquid de me, te ac repub. noſtra dignum audire, fac vt commodè iaceam. LAV. En tibi pulchrè pauimentum inſtrauimus, lecticamq́ue compoſuimus. Conſidamus, ſi placet, atque ad eam partem ſermonis, à qua digreſsi ſumus, reuertamur. COS. Præclarè exigis Laurenti: ordiar ego, tu audi, ſi quid exciderit, in mentẽ reducet Platina. PLA. Faciam id quidem ac libens. Ita Laurentium noſtrum tua oratione perdoctum fieri cupio. COS. Fieri omnia fortuitò & temerè Democritum philoſophum, eiuſq́ue imitatorem Epicurum aſſeruiſſe, mecum ſæpè mirari ſoleo: maximè verò, quòd intelligo ipſum Pythagoram, vnde & philoſophorum ſectæ manarunt, deos anteà in dubium vocaſſe: hunc autem poſteà ſecutus eſt Diagoras atheos, qui omninò eos excluſit, ſpontè omnia fieri confirmans. Sed quónam modo fieri poteſt, vt philoſophiam profitentes, in tantos tamq́ue manifeſtos errores incidant, cùm eorum proprium ſit rerum cauſas & rationes afferre? Quantò melius ſenſère Stoici, qui vt in alijs cauſas proponunt, ſic quoque nec fieri mundum potuiſſe affirmant, nec conſtare poſſe, niſi ſumma ratione regeretur? Vnam mentem præeſſe mundo, qua gubernentur omnia, teſtatur Plato, qui plura vidit, quàm illi hallucinantes philoſophi. Ad hanc autem opinionem ſeſe vertens humanum genus, nihil agere tentat ſine ratione, modò ſit aliqua prudentia imbutum, quæ eſt, vt idem Plato in legibus ait, cęterarum virtutum magiſtra: hac verò qui munitus eſt, non ſatellite indiget, non armis. Vera eſt profectò illa Bionis ſententia, prudentiam ipſam tantũ differre à cęteris virtutibus, quantũ viſus à reliquis ſenſibus. Quid autem deeſſe poteſt homini, in quo ſit prudentia, ad bonorum malorumq́ue delectum? Hæc enim ita eſt ars viuendi, vt medicina valetudinis, nauigationis gubernatio. Vexatur ac meritò quidem Theophraſtus in libris & ſcholis omnium philoſophorum, quòd in Calliſthene ſuo illam laudauerit ſententiam, Vitam regit fortuna: negant enim ab vllo philoſopho quicquam dictum eſſe à vero longius, cum conſtet cęlum & homines ſapientia regi. Eſt autem ſapiẽtia, vt veteribus philoſophis placet, diuinarum humanarumq́ue rerum cognitio: quam quidem Cicero nunc prudentiam, nunc ſapientiam vocat. Hanc itaque ſapientiam qui aſpernatur, quid à brutis differat nõ video, cum ſapientia ipſa virtutum omnium princeps ſit, & quidam quaſi irriguus fons, vnde omnes benè viuẽdi rationes manant. Hinc orta eſt Platonis ingenij atque doctrinæ principis, diuina illa ſententia: Tũ denique beatas fore reſpub. ſi aut docti & ſapientes homines eas regere cœpiſſent, aut ij qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina & ſapientia collocaſſent. Hanc coniunctionem videlicet pote-

*Prudentia & ſapiẽtia*





ſtatis & ſapientiæ, ſaluti cenſuit ciuitatibus eſſe poſſe, ſi is ſummam poteſtatem haberet, qui in doctrina, virtute, prudentia ſtudium omne ſuum collocaſſet: qualem fuiſſe Romę P. Scipionem, C. Lęlium, M. Catonem accepimus, Lycurgum Spartæ, Solonem Athenis. Pythagoras etiam, qui primus philoſophi nomen inuenit, Crotonẽ legibus optimè inſtituit. Viris enim fortitudinem propoſuit, mulieribus pudicitiam & connubij fidem, pueris verecundiam & litterarum amorem, omnibus frugalitatis ſtudium. Thebanum quoque Epaminundam ad hos vſus erudijt Lyſias Pythagoræus, Syracuſanum Dionẽ Plato, multiq́ue multos: tãtum valet ſapientiæ ſtudium, quàm Aphranius vſum eſſe memoriæq́ue filiam oſtendit his verbis: Vſus me genuit, mater memoria peperit: ſophiam vocant Graij, nos ſapientiam. Interrogatus autem Ariſtoteles, quo differrent docti ab indoctis, quo (inquit) viuentes à mortui? Philoſophiæ igitur danda opera eſt, qua nil optabilius, nil præſtantius, nil melius eſſe homini poteſt, cùm eius cuſtos ſit, & naturæ humanę comes, adiutrixq́ue. Verum eſt certè, quod M. Tullius ait, ex quatuor locis honeſti, illum, qui in veri cognitione conſiſtit, maximè naturam attingere humanam. Omnes enim trahimur ad cognitionis ſcientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus: labi autẽ, errare, neſcire, decipi, malum & turpe ducimus. Vt enim quiſque maximè proſpicit, quid in quaque re veriſsimum, quique acutiſsimè & celerrimè poteſt videre, & explicare rationem, is prudentiſsimus & ſapientiſsimus ritè haberi ſolet. Nam ſicuti prudentia facit, vt res omnes expetendas & fugiendas cognoſcamus: ita ſapientia, ne omninò idem eſſe cum prudentia videatur, principium eſt cognoſcendi res omnes, exactiſsimè contemplandas, ſecundũ Peripateticos. Nam ſi in vita rebusq; agendis laudatur vir prudens, cur ſapiens rebus contemplandis propria laude carebit? quòd ſi in actionę prudentiæ felicitas humana repoſita eſt, cur ſapientem beatiſsimum nõ appellabis in contemplatione viuentem? nec in quauis, ſed in ea qua Deo, quoad fieri poteſt, perſimilis fit, cùm res diuinas reuocato à ſenſibus animo intueatur & reſpiciat? Ad prudentiam redeo, ſine qua ciuitates benè moratæ nullo modo eſſe poſſunt. Eſt enim recta ratio rerũ gerendarum, quæ voluptatibus modum imponit, fortitudinem animi regit, liberalitatis officium diſponit. Transfert hæc eadem ſeſe non ſolùm ad rempublicam, ſed etiam ad familiarem, & ad res omnes non temerè, ſed conſideratè agendas. In deliberatione ſecundum eſſe tempus re deliberata, omni ſocordia & ignauia remota, agendum aliquid ordine & conſtantia offendit, vt honeſtatẽ & decus conſeruare poſsimus. Ipſius enim virtutis tota laus in actione conſiſtit. At verò in omni deliberatione ſuſcipienda, illud maximè curandum eſt, ne incognita pro cognitis habeamus, hisq́ue temerè aſſentiamur: quod certè non fiet, ſi adhibebimus ad res conſiderandas tempus & diligentiam. Verùm non vſqueadeo tamen immorandũ eſt, quod quidam hebetioris ingenij & moroſi faciunt, vt occaſionem & opportunitatẽ rerum bene gerendarum amittamus. In omni autem conſultatione, publica præſertim, videndum eſt, fieri ne poſsit quod proponitur, facultates ne habeamus & adminicula: aliter enim inanis noſtra omnis cogitatio eſſet, veniremusq́ue ad id, quod à ſapienti viro longe remotum eſſe debet, vt dicendũ ſit, non putaram PLA. Non potuit hercule ſapientis ac prudẽtis officium exactiùs explicari, quàm à te nuper eſt ante oculos noſtros poſitum. Verùm cùm Laurentius noſter adoleſcens ſit, & prudentia ac ſapiẽtia non niſi aſſuetudine comparetur, quónam fiet modo, vt nepos te auo in gubernanda republica dignus eſſe videatur? COS. Quaſi verò Laurẽti noſtri cauſa hoc tantũmodo dictum ſit. Ciuibus meis omnibus bene conſultum volo, quorum de numero cùm multi boni ſint & ſapientes, eos velim obſeruet, eorumq́ue cõſilia imitetur, donec gubernare tantam nauim prius ipſe didicerit. Fieri enim non poteſt, vt ex iuuene ſententia optima eliciatur, cùm in prudentem cadat præteritorum memoria, cõſideratio præſentium, intelligentia futurorũ, quæ haberi non poſſunt, niſi doctrina & aſſuetudine comparentur. Mirum illud in Salomone atque Ioſepho adoleſcentibus videri poteſt, vt certe eſt: diuino enim numine, non humana ſapientia & induſtria, factum putarim, vt illi præter ætatem tantum ſaperent. Senes igitur humanarum rerum periti, in conſilium adhibẽdi ſunt. Nam ſenatus Romanus, quem totus orbis terrarum conſulebat, à ſenibus certe, nõ à iunioribus nomen accepit. Probati ſunt ij, quorũ ſententiam reipub. cauſa imitaturus es. Nihil habeant ficti, nihil ſimulati, nihil fallaciæ. Aperti ſint & veri. Plurimum autẽ in conſilijs dandis accipiendisq;, valet integritas vitæ. Non poteſt eſſe conſilio bonus, qui ita vixit, vt ab omnibus malus haberetur. Voluptates ſiquidem reijciat, auaritiam compeſcat, affectus deniq; ac perturbationes ſedet, qui tibi ac reip. vtile cõſilium daturus eſt. Nam qui aurum contemnit, qui munera ſpernit, qui patriæ dignitatem & ſalutem cæteris rebus anteponit, facilime contemnet hominum cupiditates, & honeſtum ac rectum ſeruabit. Corrumpi à Pyrrho muneribus & pollicitationibus Fabricius non potuit, vt in ſenatu cenſeret contra dignitatẽ patrię, regi pacẽ concedendã eſſe, antequã ab Italia diſcederet. Abiêre quidem re infecta Samnitum legati, fruſtra Manlium Curium auro & argento impellere conati, vt dandam Samnitibus pacem in ſenatu cenſeret, cùm illi toties violati fœderis nondum iuſtas pœnas dediſſent. Vt enim ſapientes & bonos dixi in conſultationem adhibendos eſſe, ita verſutos & callidos reijciendos cenſeo: qualis fuit Themiſtocles, cuius profectò conſilium de frangendis Lacedæmoniorũ opibus, incenſa clanculùm ad Cytheum eorũ claſſe, Ariſtides dixit perutile quidem, ſed minime honeſtum eſſe. Ij autem eò tibi ac reliquis ciuibus inuiſiores eſſe debebunt, quò plura ſapere videbuntur, detracta opinione probitatis. At verò ſi prudentiæ & ſapientiæ coniuncta iuſtitia fuerit, nihil erit quod tu ac reliqui ciues his authoribus non poſſe conſequi arbitremini. Tollendę igitur aſtutiæ ſunt, eaq; malitia, quę vult quidẽ videri prudentia, cum abſit ab ea, diſtetq; pluri-

mum. Mentiri enim emolumenti ſui cauſa, criminari, fallere, præripere, in bonum virum cadere nõ poteſt: ſagaces eos ſanè velim, non tamẽ aſtutos & callidos. Eſt enim ſagacitas (vt Ariſtoteli placet) rerum agendarum ſcientia circa principia: eoſdem enim vt ſagaces & bonos dicit: Si, inquit, in deliberando intentio ſit honeſta, vis illa laudabilis eſt: Sin improba, aſtutia nuncupatur. Fieri ergò non poteſt, vt quiſpiam prudens ſit habendus, niſi idem ſit bonus, cùm virtus ſit habitus ratione determinatus, & ipſa recta ratio prudentia nuncupetur. Conſiderandum eſt ergo & circumſpiciẽdũ, quid quiſque ſentiat ac dicat, ne fallare. In corde enim noſtro in ambitione tanquam in ampla domo Dauid propheta nos docuit: & cùm eo tanquã cũ bono contubernali verſari, vt & ipſe diceret ac loqueretur ſecum. Scribens ad Curionem Cicero, Te, inquit, in conſilium adhibe, tecum loquere, te audi. Nolebat adoleſcentem circunueniri aliorum conſilijs. Audienda ſunt aliorum conſilia, & penſitanda priùs, quàm aliquid pro repub. aggrediare: Bibe, inquit Salomon, de tuis vaſis & puteorum tuorum ſcaturitionibus, hoc eſt, conſilio tuo vtere, re etiam prius à bene ſentientibus perſpecta ac cognita. Hac item agitatione mentis tibi ac reliquis bene inſtitutis ciuibus prouidẽdum eſt, ne quid ciuitati in futurum ſiniſtri accidat, ne bello, ne ſeditionibus, ne caritate rerum, ne incendijs, ne rapinis, ne peſtilentia populus opprimatur.

*Locus obſcurus.* *Pouerb. 5.*

In conſilio nanque (vt ait Plato) præteritum tempus nobis exẽpla ſuppeditat, cùm attenditur, quid, cur quæque gens paſſa ſit, vt caueamus: aut quid prudẽter egerit, vt imitemur: præſens, vt annoſos muros & rimoſos inſpicimus, homines timidos & imbelles, annonæ (vt antè dixi) charitatem: futurum, vt ne quid fiat temerè, vnde infinita mala oriuntur. Hoc autẽ ſi feceris Laurenti, & patriæ noſtræ bene conſules, & tibi felicitatem cum gloria comparabis. PLA. Cùm te audio Coſme, minus certè Platonem ipſum, minus Ariſtotelem, & ſi qui de repub. ſcripſere, deſidero: adeò rem ipſam ante oculos ponis. Sed ego multum hac in re cognationi tribuo, quę te cogit patriæ & poſteritati tuæ his præceptis conſulere. COS. Ita eſt profectò vt dicis. Nemo enim omnium eſt, cui velim magis conſultum, quàm patriæ meæ, quàm agnationi & gentilitati, familiæ noſtræ, quæ meum nomen, me etiam mortuo, aliquando celebratura eſt. Quare niſi quid aliud vis, ſine pergam vt cœpi, quando quidem Laurentium noſtrum attentè omnia auditurum video. LAVRENTIVS. Vereor equidem Coſme, ne tibi contingat, quod aiunt cygno morituro, tum demum ſcilicet auem ipſam optimè canere, vbi mortem ſibi adeſſe ſentit. Superaſti certè teipſum: & quaſi vltimos conatus ingenij tui editurus ſis, mirabilis hodie mihi viſus es. COS. Sit ita ſanè, ſi non doctrina, ſaltem authoritate, quòd maximè cupio, apud te valebo. De morte aliàs dicetur latius, quam nec formido, nec opto. Sed ad inſtituta pergamus. Non apud Medos ſolùm, vt ait Herodotus, ſed apud omnes gentes iuſtitiæ gratia delecti ſunt, qui præeſſent. Acciti etiam quidem externi ſunt ob inſignem iuſtitiam, qui ciuitates regerent, vt de Numa legimus. Nam cùm premeretur inops, multitudo ab his qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugere neceſſe erat virtute præſtantem, qui ſummos cum infimis pari iure retineret. Eadem etiam cauſa conſtituendarum legum fuit, quæ cum omnibus vna atque eadem voce loquerentur. Aurea profectò videri debet (vt certè eſt) illa doctoris veſtri Argyropyli ſententia, qui aſſerit ita iuſtitiam in humana ſocietate neceſſariam eſſe, vt in animante animam. Atque vt ſi inſit illa, corpus interno motu cietur: ſin egreſſa fuerit, riget continuò, diſſoluitur atque putreſcit: ſic ſi iuſtitia adminiſtretur, ſocietas conſtat: ſi poſthabita fuerit, langueſcit & exhalat. Nemo eſt enim qui vt Deum quendam, iuſtum non intueatur & admiretur. Huic homines ipſi committunt fortunas, liberos, coniuges, atque humana omnia: & meritò quidem, cùm iuſtitia ſit (vt Ariſtoteli placet) non pars quædam virtutis, ſed tota virtus, vt iniuſtitia tota vitioſitas eſt. Fundamentum ergo perpetuæ commendationis & famæ iuſtitia erit, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. Camillus dictator Romanus, remiſſo pædagogo virgis ab eiſdem pueris cæſo, quos ſecum transfuga in caſtra hoſtium duxerat, Phalerios, quos vi non poterat, iuſtitia & clementia in deditionem accepit. Laudatur & Ariſtides, ac Iuſti cognomentum conſecutus eſt, cùm in omnibus, tum vel maximè, quòd Themiſtoclis cõſilium (vt antè dixi) vtile quidem, non tamen honeſtum & iuſtum, apud populum improbauit. Primum autem iuſtitiæ munus eſt, vt ait Marcus Tullius, ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria: deinde vt communibus pro communibus vtatur, priuatis vt ſuis, quemadmodum legibus deſcriptum eſt & iure ciuili. Communia autem ſunt, errantes admonere, ignaros docere, aut vt erudiantur curare, aquam non prohibere, pati ignem ab igne capere, conſulentibus fidele conſilium dare, quod ad communem vtilitatem pertineat. In hac autem ſocietate humana gradus diſtinguere, ſuperuacaneum quoddãmodo mihi videtur. Quis enim eſt qui neſciat, plus ſe patriæ, parẽtibus, liberis, propinquis, ciuibus debere, eiuſdẽ nationis, eiuſdem linguæ, quàm peregrinis externis? Multa ſunt enim ciuibus inter ſe communia, vt ait Cicero, quæ ſocietatem humanam confirmant, forum, phana, porticus, viæ, leges, iura, ſuffragia, conſuetudines, præterea & familiaritates, addo etiam connubia & affinitates, quibus tanquam firmiſsimis nodis ciuitas inter ſe colligatur. Hinc eſt propagatio ſobolis & origo ciuitatum, cuius procuratio non aliena eſt ab optimo ciue, quo magis ſimul nectantur voluntates ciuium, quoque numeroſior noſter fiat populus. Sed quoniam nulla ſocietas præſtantior, nullaque firmior eſt, quàm quæ cum bonis viris comparatur, curandum tibi erit ac reliquis ciuibus, vt moribus, doctrina, eruditione, ſi fieri poterit, imbuantur omnes. Hac enim ratione & de patria noſtra bene merebere: & tibi, niſi omnino fuerint ingrati ciues noſtri, aliquando parem gratiam referent. Præterea verò eos vtpote ratione imbutos, quoquò volueris, pro vtilitate reip. facilè impelles, quod non

adeo



adeo fit in hominibus litterarum & doctrinæ ignaris. PLA. Addisnè huic virtuti aliud? COS. Addo certè. Nam cùm totius iuſtitiæ fides ipſa fundamentum ſit, curandum erit Laurenti, tuo potiſſimùm exemplo in dictis pactiſque eam ſeruent ciues noſtri. Standum ſiquidem promiſsis eſt, & id faciendum quod iuſtitia & ratio exigit. Hanc enim ob rem fidem ipſam Stoici dictam putant.

*Fides in promiſsis.*

At verò ſi ſecùs feceris, ſtatim diſſoluetur ea pars iuſtitiæ, quæ in ſocietate humana repoſita eſt. Seruandam quoque fidem peregrinis & hoſtibus illud declarat, quòd dij ipſi qui voluerint longè ac latè diffundi, ipſam virtutem & iuſtitiam, vinculum ipſius fidei, interpoſita authoritate nominis ſui, annecti paſsi ſunt. Eſt enim iuſiurandum affirmatio religioſa, tota quidem ad iuſtitiam & fidem pertinens. Vnde præclarè ait Ennius: O fides alma apta primis, & inſiurandum Iouis. Cùm itaque iuſiurandum violatur, fides violatur, quam in capitolio vicinam Iouis optimi maximi Romani eſſe voluerunt. Quod enim iuratum eſt, & mens concepit fieri oportere, id obſeruãdum eſt. M. Regulus vnicum certè inuiolatæ fidei exemplum, maluit ad certam pœnam redire, quàm datam fidem violare. Superatis autem in Sicilia Carthaginenſibus, cùm Amilcar & Hanno de pace acturi eſſent, veriti primò adire conſules ſunt, ne ipſi quoque fidefragi in vincula conijcerentur, quemadmodum à ſe olim Cornelius Aſina contra ius gentium coniectus fuerat. Verùm Hanno conſcius Romani animi, conſules adijt, apud quos cùm de finibus ageretur, dixere quidam, poſſe ei meritò euenire, quod Cornelio per ſuos acciderat. At verò impoſito à conſulibus ſilentio, Te, inquit, Hanno fides ciuitatis noſtræ hoc metu liberat. Seruandum ergo ius gentiũ eſt, ſeruanda fides, non dico prędonibus, aut piratis, qui communes omnium ſunt hoſtes, non perduelles. His autem ſi pactum pro libertate & capite pretium ciuis Florentinus non attulerit, nulla fraus ineſt, ne ſi iurari quidem id non fecerint. Nam falſum iurare non peierare eſt: ſed quod ex animi tui ſententia iuraueris, ſicut verbis concipitur, id non facere, periurium eſt. Scitum eſt certè illud Euripidis, Iuraui lingua, mentem iniuratam gero. Reguli quidem periurium fuiſſet, niſi fidem datam ſeruaſſet. Hanc verò tanti ſemper fecit populus Romanus, vt etiam præclaros viros hoſtibus dediderit, vt de T. Veturio & Sp. Poſthumio, ac C. Mãcino legitur, quòd iniuſſu ſenatus cũ hoſtibus fœdera inijſſent. Poſt Cannenſem pugnã decẽ captiuos ad ſenatũ miſit Hãnibal iuratos ſe in caſtra redituros, ſi de redimẽdis captiuis non impetraſſent: nouem ex his re infecta redijſſe conſtat, vnum verò ex decem, qui paulò poſt quàm erat ingreſſus, è caſtris redijſſe, quaſi aliquid eſſet oblitus, Romæ manſiſſe: reditu enim in caſtra, liberatum ſe eſſe iureiurando interpretabatur. Sed hunc quidem veteratorem & callidum, vinctum ad Hannibalem ſenatus remiſit. Nullum enim vinculum ad colligendam fidem iureiurando arctius putandũ eſt. Id indicãt leges, indicãt fœdera, indicãt pœnę irrogatæ à cẽſoribus, his potiſsimùm aut fidem violarunt. Curato igitur tuo etiam exemplo, vt eam ſeruent ciues cùm inter ſe, tum cum peregrinis: vtque in emendis vendendiſque rebus in contrahendo, locando, conducendòue nulla fraude vtantur, nullo dolo malo. LAVRENTIVS. Non eſt ſatis Coſme, dicere hoc vel illud agendum, niſi doceas, qua id ratione fiat. COS. Probè quidem ſentis. Et quoniam vt corpus membris, ita etiam ſuis magiſtratibus ciuitas conſtat: videndum profectò quàm diligentiſsimè erit, quos potiſsimum ex ciuibus ad gubernandam remp. deligatis. Niſi enim paterfamilias, qui interdum eius vices gerat, habuerit, nulla erit proculdubio œconomiæ ratio: quod certè multo magis in ciuitatem cadet, quæ pluribus curatoribus indiget: qui non ex quouis genere hominum, licet popularis ſit ſtatus noſter, ſed ex vera nobilitate, de qua antea diximus, deligendi ſunt: conſentaneum namque eſt, ex melioribus ortos, meliores futuros, tum ad imperãdum, tum ad parendum.

*Qui ad magiſtratum eligendi.*

Optimus enim gubernator legibus ipſis plerunq; antefertur, quòd non vniuerſa tantum vt leges, verumetiam partes inſpiciat. Hos eſſe bonos & peritos legum, ſi fieri poteſt, oportet, vel conſuetudinis patriæ & rerum humanarum gnaros: quod certe non continget, niſi grandiores natu fuerint. Quæ quidem ætas potiſsimũ magiſtratui conuenit, cum ſenes ob ætatem verecundiam populis inijciant. Pręterea vero nemo pręſertim benè inſtitutus, indignatur ſenioribus propter ætatem parere, quando & ipſe quoque cum ad id ætatis peruenerit, ſciat ſe tale præmium recepturum: cumque intelligat, eum poſtea rectè alijs imperaturũ, qui prius modeſtè ac conſtanter alterius imperio obtẽperauerit. Sint igitur quos deligetis ad magiſtratum obeundum, legem quidem loquentem, vt ait Cicero, boni, modeſti, continentes, iuſti, fortes, prudentes, abſtinentes, & à quouis flagitio alieni, teneantque dijudicandi & imperandi modum. Tueri enim debent (vt ait Plato) cõmoditatem ciuium: & quicquid agunt, ad eam referre, obliti commodorum ſuorum. Totum præterea ciuitatis corpus curare debent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. Nam qui parti ciuium conſulunt, partem negligunt, rem ſanè pernitioſam in ciuitatem inducunt, ſeditionem atque diſcordiam. Eorum enim munus eſt intelligere ſe ad commoditatem ciuitatis natos eſſe, debereque eius dignitatem & decus ſuſtinere, ſeruare leges, iura deſcribere, tuerique ea, quæ eorum fidei commiſſa ſunt: quod profectò quàm diligentiſsimè facient, ſi intelligent, ab optimatibus iuſtitiam & pietatem coli, eorumque cenſuræ aliquando ſtandum eſſe. Magiſtratuum aũt animaduerſio omnis & caſtigatio cõtumelia vacare debet, neque ad ſe qui punit aliquem aut verbis caſtigat, ſed ad ciuitatis vtilitatem referre debet. Cauendum eſt etiam, ne maior ſit pœna quàm culpa, neue ad iudicandum iratus accedat, quia mediocritatem illam teneri non poterit, quæ eſt inter nimium & parum. Sint autem qui iudicant & ciuitatem gubernãt, ſi fieri poteſt, legum omnino perſimiles, quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur. Hãc ob rem Plato Xenocrati ad ſe accidenti, vel vt alij volunt, Speuſippo: Cęde, inquit, hũc puerum:

e 3 mihi

mihi enim, quod iratus ſum, id nequaquam integrum eſt. Eadem quoq; ratione vſum ferunt, Architam Tarentinum, infenſum villico, quòd agros negligenter coluiſſet. Hæc etſi priuatorum hominũ exempla ſint, publicæ tamen animaduerſioni accõmodari poſſunt. P L A. Poſſunt certè, & optimè quadrant. COS. Imò verò magiſtratibus, & his qui cùm imperio cæteris præſunt, curandum erit, ne plus ſeueritatis quàm clementiæ præ ſe ferant: propenſiores ad dandam veniam, quàm ad ſumendas pœnas eſſe illi quidem debent. Proprium enim magiſtratus eſt, non tam pertinaci ſeueritate & acerbitate, quàm lenitate & clementia, adhibito conſilio & maturitate, populos in officio continere. Hinc eſt autem quòd clementes Deo ſimiles exiſtimamus: contrà verò, crudeles & immites deteſtamur & abominamur, vt inimicos & hoſtes humani generis. Quis non leget magna certè cum indignatione, L. Syllam dictatorem gloriari ſolitum, ſe à nemine vnquam crudelitate victum, quatuor legiones ex Marianis militibus in campo Martio trucidari iuſsiſſe, Tyberim cadaueribus repleuiſſe, quinque millia Præneſtinorum interfici, ac per agros ſpargi mandaſſe, quatuor millia ciuium & ſeptingentos proſcripſiſſe? De crudelitate Marij, Hannibalis, Mithridatis, pleni ſunt libri tum poëtarum, tum hiſtoricorum. Doleo quidem Athenienſes, vnde vrbanitatis & humanitatis nomen venit, Aeginenſium iuuentuti pollices abſcidiſſe, ne à maritima ciuitate aliquando bello opprimerentur. Quid tibi Mezentium, Capaneum, Buſirim, Proclum, Phalarim, Piratas, Cyclopas, Læſtrigonas commemorem, cùm Tyberij, C. Caligulæ, Neronis, Domitiani recentior ſæuitia ſit? Horum nomina ita profectò nefanda ſunt habita, vt crudeles & immanes noſtra quoque tempeſtate iiſdem nominibus tanquam notis Threicijs compuncti vocentur. Quàm verò ſit dirum, aſperum, & immite crudelitatis nomen, aliorum exemplo vides. Contrà verò, quàm ſuauis, quamque iucunda ſit omnibus ſanctiſsima clementia, ex his intelliges, quorum nomina ob placabilitatem & lenitatem adhuc in pretio ſunt. P. Aemilius, captiuum Perſeum Macedonum regẽ procumbere ad genua ſua volentem, dextera manu ad ſe traxit, laterique ſuo aſsidere ac menſę voluit. Eadem quoque clementia vſum ferunt Cn. Pompeium erga Tigranem hoſtem, Armeniæ regem: iuſſum nanque ſurgere, & diadema quod ad miſericordiam mouẽdam abiecerat, ſumere, in regnum & priſtinam ſedem reſtituit. De C. Cæſare, cuius diuinam virtutem ſola clementia, qua omnes ſuperauit exornat, reticere inſtitui, cùm omnibus ſit nota: ex hac enim plus propè gloriæ, quàm ex imperio conſecutus eſt. Tu igitur Laurenti tot clariſsimos viros imitatus, magiſtratus ipſos in puniendis delinquentibus ad clementiam adhortabere, vt citra ſeueritatem potiùs pedem retrahãt, quàm vltrà progrediantur, ne ob atrocitatem pœnarum tu vnà cùm ciuibus noſtris crudelitatis notã incurras, qua nihil poteſt eſſe in bono ciue aut deteſtabilius, aut pernicioſius. Verùm quoniam ex æquo & bono plerunq; iudicare in ciuitatibus neceſſe eſt, compeſcenda erit audacia cauſidicorum, qui iudicijs cauillationes interponunt, quo diutius lucri gratia cauſæ ipſæ protrahãtur. Iure enim gentium & ciuili cautum eſt, ne cui quis detrahat ſui cõmodi cauſa. Quid quòd etiam tanta eſt eorum audacia, vt cauſas iniquas ſpontè ſuſcipiant, & *ſuſpectas magnis acclamationibus defendant? Quo enim quiſq; maximè clamat, eò ſapientior & honeſtior in cauſa putatur. Scribẽs ad fratrẽ Heſiodus, eũ admonet, vt voraciſsimas eorũ fauces deuitet. His ego addiderim aduocatos & tabelliones, niſi eorũ vita probata & perfecta fuerit. Benè profectò inſtituta eſt à legũ latoribus pœna temerè litigantibus, ne iniuria quiſpiam ob aduerſariorum potentiam circumueniatur. Rectè præterea condita eſt lex Cornelia de falſis, qua qui deliquêre plectantur. Quis enim pupillus, quæ vidua, quis inops, quis peregrinus rapidos iſtorum dentes aufugiet, niſi fuerint tua ſeueritate coërciti, & intra proprios finis retruſi? Videat prætor, penes quem omnis publici priuatiq; iuris poteſtas eſt, cuiq; licet ius condere, ac vetera reſcindere, ne cuiquam fiat iniuria. Caueat iudex, aliter iudicet, quàm legibus & moribus, aut cõſuetudinibus proditum eſt. Idem faciant tabelliones, ne corrupti pecunia aut teſtamenta ſupponãt, aut in empto, diuendito, locato, conducto, falſo authoritatem ſui nominis interponant. PLA. Nil certè omittis, vt video, quod ad iuſtitiam pertineat. COS. Ego verò ad hanc quoq; rem pertinere arbitror, quęſtorum, publicanorum, ac fœneratorũ cupiditatẽ coërcere. Quęſtores publicę pecuniæ quęrẽdæ prępoſitos eſſe, nemo eſt qui ambigat. De quæſtoribus maleficiorũ non eſt nunc dicendi locus. Verũ quæſtores publici prouentus, apud Romanos partim ærario vrbano, partim vectigalibus prouinciarũ exigendis præficiebãtur. Hos quidẽ habere manus abſtinentes oportet: ſatis enim eſt publicũ in ęrariũ referre, nedũ priuata expilent, nõ publici certè cõmodi, ſed priuati cauſa. Multos enim vidimus in ciuitate noſtra, qui breui, quod ſine rapina fieri non poteſt, ingentes ſibi facultates compararunt, aut accipiendo vnde non oportet, aut non reddendo quibus oportet. Hos tu Laurenti, vt vniuerſę ciuitati pernitioſos, lege Iulia de repetundis ac de peculatu coërceto. Bonis etiam ciuibus cauẽdũ eſt, ne noua vectigalia imponãt. Quòd ſi bello vrgẽte id facere interdũ neceſſe fuerit, pace parta Iuſtiniani ſententia tollendum omnino erit, vt quod belli timor introduxerat, hoc pacis bonitas cõſopiſcat. Publicani autem quorum illiberales & ſordidi quæſtus odia hominum facilè incurrũt, obſeruari quàm diligentiſsimè debent: ex his enim, quos tantoperè laudat Cicero, graues controuerſiæ, multæ iniuriæ, magnæ contentiones plerunque naſcuntur. Nam conductis ingenti mercede portorijs & vectigalibus, cùm poſtea ſoluendo non ſunt, ex alieno rapiunt & extorquent, nec à ciuibus tantummodo, verumetiam à peregrinis, mercaturæ aut negotij cauſa ad vrbem noſtram accedentibus. Quod cùm inutile ſit, tum vel maximè ciuitati turpe & indecorum eſt. Horum audaciam & temeritatem compeſcendam cenſens Vlpianus iureconſultus, edictum propoſuit, quo quicquid

*Nimia ſeueritas ſeu crudelitas cauẽda.*

*Clementia in prinçipe*

*Cauſidici et aduocati.*

*Quæſtores et fœneratores.*



quid illicitè, publicè, vel priuatè extortum eſt, tantundem & eô amplius iniuriam paſſo exolui mandat. Per vim enim extortum, cum pœna dupli reſtituitur: & qui tale facinus commiſere, extra ordinem plectuntur. Alterum enim vtilitas priuatorum, alterum publicæ diſciplinæ ratio poſtulat. Abſtinentes habeant manus oportet, ſciantque ſibi non plus licere quàm cuiuis è populo. Compeſcendi ſunt etiam fœneratores, qui certè deteſtabiliores ſunt habendi, quàm aut fures, aut latrones, aut piratæ. Ij enim magna diſcrimina ſubeuntes, ſitim, famem, æſtus, frigora patientes, vnde viuant conquirunt, maximis interdum acceptis vulneribus. Illi verò tecto & vmbra gaudentes, tanquam fœdiſsimæ harpyiæ, & ne minimum quidem incommodum ferentes, non acceptis, ſed illatis ex fœnore vulneribus, hominum ſanguinem exugunt, carnem exedunt, oſſa corrodunt. Quid de hoc genere hominum ſentiat Cato ille ſenex, audi quæſo. Nam cùm ex eo quæreretur, quid maximè in re familiari expediret? reſpondit, bene paſcere. Quid ſecundum? ſatis bene paſcere. Quid tertium? bene veſtire. Quid quartum? arare. At verò cùm idem quæſiſſet, quid fœnerari? Tum Cato, Quid hominem, inquit, occidere? Ex quo intelligi poteſt, hos vt parricidas, ſi in tali crimine deprehenſi fuerint, vltimo ſupplicio Catonis ſententia affici debere. P L A T I N A. Rectè perfectò admones: ſunt enim maiore odio digni, quàm qui apertè latrocinantur. C O S M V S. Sunt quidem humani generis domeſtici hoſtes. Verùm quoniam in emendis vendendiſq; rebus fraus permagna ſubeſſe interdũ ſolet, deligendi è numero bonorum ciuium erunt, qui ne annona, vinum, carnes, eſculentaq; omnia vitioſius aut carius, quàm ipſa anni tempora requirunt, vendantur: vtque emptori ſuccurratur, ſi iumentum aliquod morboſum pro valido ſanoque, ſiue quid vitioſum pro ſincero, fractum pro integro emerit, quod apud Romanos ædilitio edicto cautũ erat. Aediliũ quoq; munus putabatur curare, vt fora, vici, ſtratæ, viæ publicæ, cloacę, & aquęductus, cęteraque ędificia lauta, munda, integra, expeditaq; aſſeruarẽtur, tum ad vtilitatem, tum ad ſalubritatem ciuiũ. Verùm ne quid ciuitati noſtræ deſit, quã optimã & feliciſsimam eſſe cupio: cenſores adſint oportet, qui videant, rectène an ſecùs vixerint, egerintue qui in magiſtratu fuere: facilè enim in officio omnes continebuntur, ſi rationem anteactæ vitæ habiti magiſtratus ſibi reddendam aliquando putarint. L A V R E N T I V S. Munus ergo cenſorium erit cogere nolentes etiam, iuſtè, modeſtè, integrè ac ſanctè viuere? C O S M V S. Erit ſanè. Sed quoniam apud philoſophos definitum eſt, iuſtitiam eſſe æqualitatem vnicuique quod ſuum eſt reddentem, pertinentemque maximè ad ſocietatem hominum inter ſe: quæ rurſum in æquitatem & beneficentiam diuiditur, quam eandem & liberalitatem & benignitatem vocamus, non erit à re tua alienum exprimere, quid potiſsimum ipſi æquitati obſtet. Ea profectò auaritia eſt, qua nil poteſt eſſe pernitioſius, in his præſertim, qui rempublicam gubernant. Nam cùm duæ humani generis peſtes incumbant, luxuria & auaritia, malorum omnium fundamenta, pernitioſior tamen auaritia habetur, quôd omninò contra naturam ſit, quodque item mala omnia ſuadeat. Vtinam, inquit C. Pontius Samnis, ad illa tempora fortuna me ſeruaſſet, & tunc eſſem natus, quando Romani dona accipere cœpiſſent, non eſſem certè paſſus eos diutiùs imperare. Eſt enim auaritia quædam vehemens habendi ſitis: quæ vt in hydropico continuo hauſtu, ita in auaro frequenti etiam rapina extingui non poteſt. Verum eſt profectô quod dici ſolet, Tam deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet, cùm ob animi anguſtiam parto etiam frui non audeat. Tollit præterea amicitiam & ſanctam ſocietatem auarus, cum nemini proſit, & multis noceat: pauperes enim violat, diuitibus inſidiatur, ſocios expilat, ignotos & peregrinos vexat, publicus omniũ hoſtis, aqua certè & igni interdicendus, cum inutilis ſit ciuitati, reip. pernitioſus, ſibijpſi demũ hoſtis acerrimus. Ij certè ſunt illi dęmones auari, triſtes, obſcuri, ſqualidi, ſordidi, quos Diogenes cum Alexandro diſſerens, in primo loco ponit. Hos autem pecuniam pluris facere, quàm patriam aut parentes aut cognatos oſtendit. Propinquorum enim mortes expectant, explendæ ob hæreditatem auaritiæ cauſa: nunquam rident, omnes ſuſpectos habent, nemini credunt, inimicitias, odia, maledicta nihil curant, modò rem faciant, magneti perſimiles: vi enim ille ferrum trahit, ſic ij aurum & argentum vndiq; & quouis modo rapiunt. Omni certè tyranno ſęuior eſt pecuniæ cupiditas, quam nemo ſapiens (vt ait Criſpus) vnquam concupiuit. Ea quaſi malis venenis imbuta, corpus animumq; virilem effœminat, neq; copia vnquã neq; inopia minuitur. Hanc ob rem Stoici mentes hominum ab hac peſte dimoturi, dixere nequaquam ſe adduci poſſe, vt quæ modo huc, modò illuc transferuntur, in bonis rebus ſint habenda: idque etiam Biantis authoritate confirmant, qui in direptione patrię admonitus vt aliquid de ſuo opportaret: Facio id quidem, inquit. Solam enim virtutem, non autem diuitias, bonum putauit. Verum cum turpe ſit omnibus auaritię morbo laborare, tum vel maximè optimatibus & bonis ciuibus turpiſsimũ, in quibus nihil poteſt eſſe immanius, nihil peruerſius. Nullæ enim ab auaris ciuibus ſeruãtur leges, nulla iura, nulla iudicia. Erunt ſcelera omnia impunita, ſi redimuntur auro. Veri ciues ſpeculatores ſunt, & procuratores publici commodi eſſe debent, non autem priuati: congerere pecunias, quę ad vſum populorum ſunt conflatę, nihil aliud eſt, quàm cibum famelicis auferre, quod hoſtes patriæ & humanum genus peroſi facere conſueuerunt. Quare in eos meritò lata hęc lex eſt, Auari in vrbe ne ſunto: ſi fuerint, publico edicto eijciantur. Hác autem eſſe ciuitatum labem nouit Iugurtha ille barbarus Numidarum rex. Diſcedens enim ab vrbe Roma, quę tum flagrabat auaritia, reflectenſque oculos, O vrbem venalem, inquit, & citò perituram ſi emptorem inuenerit. In ea enim ciuitate, in qua regnat auaritia, nulla poteſt eſſe religio, nul-

*Mercatores.*

la virtus,nulla charitas,quæ omnino tanto vitio contraria eſt . Apud Xenephontem Cyrus Pheraulã
optãtem diuitias, haud rectè ſapere oſtendit:Mihi,inquit,neq; cibum,neq; potum,neq; ſomnũ dul-
ciorem in opulentia rerum ſenſi,quàm dum in egeſtate fui.Hoc autem ex diuitijs cõſecutus ſum , vt
pluribus in laboribus verſarer,addito amittendi metu.Satius eſt igitur mediocritate vti , quàm vel
ex alieno rapere,vel raptum cũ ignominia & cruciatu animi retinere.P L A. Ego verò ita facien-
dũ cenſeo.Sed dic quæſo,cùm Laurentius noſter,cumque permulti ſatis amplum habeãt patrimoni-
um,quònam modo eo vti debent? C O S. Benê rogas.Audite quæſo,repurgato prius animo à fœdiſ-
*Liberalitas* ſima auaritiæ labe,facilius erit liberalitatem,quam iuſtitiæ coniunctam eſſe diximus,inducere.Hanc
verò cęteris virtutibus gratioſiorem,quadrifariam diuidit Plato.Fieri enim pecunijs,opera,diſcipli
nis,oratione pro circumuẽtis in iudicio oſtendit.Quintam ego,niſi temerè id facere videar, addide-
rim,honoris ſcilicet diſtributionem,quod eſt magnum virtutis præmium.Honos enim( vt ait Cice-
ro)virtutes alit. Nemo profectò eſt,ſanæ mentis præſertim,qui non bene mereri de patria & ciui-
bus ſuis ſtudeat,vbi intellexerit operam ſuam apud bene memores collocari.Quid enim ſibi volue-
re tot labores ciuium Romanorum,tot pericula adita,tot vulnera in prælijs ſuſcepta? Honores certè
& magiſtratus,maxima & pulcherrima virtutis præmia.Omitto pecunias, agros, iumenta, arma ex
hoſtibus capta,in quibus parum certè momenti ad virtutem eſt.Indignatus C.Cęſar, vt noſtis,quòd
ſibi meritos honores negari quorundam maleuolentia & liuore cernebat , arma ſumpſit,æmulos &
inimicos è rep.deiecit. Quoties tumultuarunt Romani exercitus , iuſto honore fraudati ? Quoties
plebs à patribus ſeceſsit, vbi denegari præmia bene merentibus vidit? Ne igitur patria noſtra ingra-
titudinis arguatur,cuius acerrimi vltores Perſæ habebantur,curandum erit tibi Laurenti , ac reli-
quis ciuibus, vt dignitates,honores,magiſtratus ijs commitantur,qui ſibi nobilitatem manu & inge-
nio peperêre.Hac enim ratione & bene merentibus gratiá referetis, & alios æmulatione honoris ac
gloriæ ad virtutem excitabitis . Verùm hac in re tenenda mediocritas eſt , ne quorundam ſtultitiam
imitemini,qui infimæ ſortis homines maximis honoribus & præmijs extollunt.Eos volo,qui inge-
nio,moribus,induſtria,ſolertia,manu,opera reip.profuêre,ac prodeſſe deinceps poſſunt:non autem
lenones,ſcurras,gnathones,aſſentatores:quorum ingenia voluptatibus & libidinibus,non amplitu-
dini & modeſtiæ ſunt dedita.Conſilio quoque & oratione bene mereri de noſtris ciuibus poſſumus.
Nam qui in conſultatione cùm publica tum priuata,de rebus dubijs & incertis veram ſententiam af-
fert,beneficus meritò & liberalis haberi debet, & eò magis,quòd hoc genus beneficẽtiæ,non ad vnũ
tantùm,ſed ad plures extenditur.Oratio item in iudicijs habita pro reo,in hoc quoque genere habe-
tur : reum voco, accerſitum in iudicium more cauſidicorum.Qui ergo circumuentum inimicorum
calumnijs iuſtè defendit,meritò quidem benignitatis nomen adeptus eſt.Doctrina pręterea & con-
ditione comparari liberalitatis nomen poteſt,cùm ij habitus animis hominum imprimantur . Quæ
nam poteſt eſſe maior beneficentia , quàm ea donare,quæ nunquam ab hominibus auferri poſſunt?
Transferri perfacilè & amitti pecunias videmus,defloreſcunt honores & dignitates , excidunt cõ-
ſilia,obſoleſcunt orationes: ſola verò doctrina firma ſtabiliſq; habetur,cùm ſit earum rerum( vt Ari-
ſtoteli placet)quæ ſemper eodem modo ſeſe habent , cumque etiam in proſperis rebus magnum ſit
ornamentum,in aduerſis verò vnicum refugium.Quare ſi ſapis Laurenti,eos ſemper in pretio habe-
bis,qui te ac ciues noſtros hoc ornamento inſigniores reddere poſſunt. Sed veniamus tandem ad il
lud genus liberalitatis,quod circa pecunias verſatur:pecunias autem dico, quarum æſtimatio men-
ſuratur nummo.His autem ad liberalitatem vtendum eſt,qua nihil habetur naturæ hominum accõ-
modatius.Verùm quemadmodum vtare,diligenter inſpicere oportet . Non enim in quemcunque &
ob omnem cauſam liberalitate vtendum eſt, ſed erga bene meritos, & propter aliquam inſignem
virtutem quouis præmio dignos:quod profectò maximum iuſtitiæ fundamẽtum eſt. Ea etiam libe-
ralitate vti debemus,quæ proſit amicis,nemini noceat.Quare L.Syllæ,C. Marij,Cinnæ,M. Lepidi,
M.Antonij pecuniarũ & rerum translatio à iuſtis dominis ad alienos,non debet liberalis videri.Ca-
uendum eſt etiam Ciceronis præcepto , ne maior ſit benignitas quàm facultas,néue res familiaris
ita claudatur, vt eam liberalitas aperire non poſsit:quæ certè omni oſtentatione & vanitate carere
debet.Hoc autem fiet,ſi cauſam,ſi tempus,ſi rationem,ſi dignitatem,tum noſtram,tum perſonarum
in quos liberales eſſe debemus,conſiderabimus. Qui verò ſine iudicio vel modo in omnes quodam
impetu animi incitati , beneficentia vtuntur , temeritate quadam moti potius quàm iudicio videri
poſſunt:quàm certè leuitatem omnino vitare debemus , cùm nihil turpiùs ſit bono ciui , quam ali-
quid facere cuius ratio reddi non poſsit.In hoc autẽ genere prodigalitatis duo mala inſunt: & quòd
his rebus carent benè meriti vel propinqui vel cognati,in quos propenſiores eſſe debemus : & quòd
noſtra prodigimus cum dedecore & ignominia:Conſulendum profectò eſt famæ rebus in omnibus,
non dedecus quærendum etiam cum diſpendio rei familiaris.Nam qui flagitioſis hominibus ſua lar-
gitur,is certè cum magna iactura ſibi quærit infamiam. Tenenda igitur in hac re vt in cæteris virtu-
tibus mediocritas quædam eſt,ne vel prodigi videamur,ſi omnia ſine ratione effuderimus: vel aua-
ri,ſi ad viuum liberalitatis officium reſecabimus. Paruulos autem nutrire , pupillos tueri, virgines
pauperes connubio locare,nobiles paupertate & valetudine oppreſſos iuuare,viduas defendere, er-
rantes docere,eſurientes paſcere,algentes veſtire,captiuos redimere,nexos ære alieno ſoluere , pa-
rentibus liberos,parentes liberis reddere ſua pecunia & impenſa, boni ac liberalis ciuis propriũ eſt.
Fabius ille Maximus,qui cunctãdo rem Romanã reſtituit,captiuos ab Hánibale acceptos, redẽpturũ
ſe



ſe pollicitus,ſenatu recuſante, vt id de ſuo faceret,fundum vendidit.* Gillas verò Agrigentinus om
nium qui vnquam fuere liberaliſsimus,ſpectacula edẽdo,epulas apparando , annoná in caritate rerũ
ſubminiſtrando,virgines dotando,domũ propriam adeò liberalitatis officinæ aſſcripſerat, vt quin-
gentos equites Gelenſium vi tempeſtatis in prædia ſua compulſos,propria impenſa aluerit.Multos
etiam captiuos ex vaſtitate Illyrij & Thraciæ redemptos Eccleſiæ impenſa, refert Ambroſius : quo
genere liberalitatis vtinam ſacerdotes noſtrorum temporum aliquando vterentur , nec pateras au-
reas & argenteas ita ſtudioſe conſtruerent,cum quibus fortaſſe( vtinam falſus ſim vates ) aliquando
Turcæ illi bibent,qui Græciam,Epirum, & Illyricum bello vexant.Ad liberalitatem redeo , quæ ita
à magnificentia diſtinguitur, vt hæc circa dandas pecunias quales & quantumuis verſetur : illa circa
magnos ſumptus & fortunato ciui conuenientes.Magnifici namque eſt, theatra,fora,templa,porti-
cus,ædes pro dignitate ita extruere,ne plus minúſue impenſæ fiat,quàm bonum & magnum ciuem *Magnificẽ*
decet.Ad quam certę laudem te anteà meo etiam exemplo adhortatus ſum , cùm ad ſpeciem vrbis, *tia.*
tum vel maximè ad cõmoditatem ciuium PLA.Nihil certè omittis,quod ad optimũ ciuem inſtituẽ
dum pertineat.Sed quid huic diuinę virtuti ſubijcias,audire cupit Laurẽtius noſter.LAV.Eſt ita her
clè vt Platina dicit.COS.Ne autem iuſtitia ipſa,de qua diximus, vlla ex parte labefactetur , ſtatim *Fortitudo.*
fortitudo omnium virtutũ robur & vallũ,ſubiungẽda fuit. Vt enim fortitudo ſine iuſtitia iniquita-
tis materia eſt,cùm validior imbecilliorẽ opprimat:ita iuſtitia ſine fortitudine terga nonnũquã ver-
tit,atq; eos deſerit, quos tueri deberet. Sed cùm fortitudo in res bellicas & domeſticas diuidatur,ſu-
perius illud omittamus,amplectamurq; nunc domeſticã fortitudinẽ , quæ animi magis quàm cor-
poris viribus comprehenditur. Vera enim fortitudo eſt , primò ſeipſum vincere,iram continere,
nullis illecebris capi,aduerſis nõ perturbari,nec extolli ſecundis, & quaſi vento huc & illuc impel-
li.Non debet certè vinci cupiditatibus vera fortitudo,non frangi metu,non iracũdia, quæ omnino
conſilium tollit.Præclarum eſt etiam,ita animum informare, vt neq; diuitias , neque voluptates ita
in maximis rebus conſtituat , vt in his omne ſuũ ſtudium conferat:quo nihil poteſt eſſe turpius, & à
claro viro magis alienum,cùm huius ciuis,quem optimum volumus,propriũ ſit,pro religione , pro
patria,pro iuſtitia & honeſtate omne diſcrimẽ ſubire,ac pericula,conſiderata pręſertim,cõtemnere.
Hunc autem magni excellentiſq; animi eſſe oportet. Nihil in rebus humanis admirari,nihil magni-
ficare præter virtutem.Honores etiam nõ quoſcũq;,nec à quibuſuis oblatos ſuſcipiet, ſed illos tantũ,
quos eſſe dignos optimo ciue arbitrabitur.Ita quoq; dignitatem animi, vt diximus,in vtraq; fortuna
ſeruabit, vt ab aſtu naturæ diſcedere non videatur,ſi vel fortuna ſæuierit, vel ei blandiùs arriſerit.
Beneficia verò contuliſſe lætabitur,feretq; moleſtè ſi acciperit,nec plura ſtatim reddiderit. Ab eius
natura ſit alienũ,cõmemorare beneficia,quę in alios contulerit:accipientis enim hoc propriũ eſt,nõ
aũt dantis.Vt enim ſua beneficia in Athenienſes reticent Lacedæmonij,ita ab illis accepta cõmemo
rãt peropportunè.Superior item in omni virtute mauult eſſe, quàm videri:nec id quidem inter hu-
milis fortunę homines,ſed inter optimates exoptat.Palàm aũt loqui,amare,odiſſe,ſui ipſius propriũ
exiſtimat:timentis eſt aũt occultare ſententiam . Motus verò ipſius tardus eſſe debet, & vox grauis:
ſermo quoq; interuallis longioribus diſtinctus,grauitatẽ quandá ampliſsimo ciue digná præ ſe fert.
Omninò aũt vera animi magnitudo ſine magna virtute conſtare nõ poteſt, vt intelligas Laurenti,
enitendum tibi & vigiládum eſſe,ſi fieri poteſt, vt in omni genere virtutis excellas, ne ſub pondere
reipub.noſtrę imbecillis cõcidas.Vnum tamen vitádum erit,quod plerũq; magnis ingenijs nocuit,
ne cùm magnitudine animi præſtare omnibus quæras,æquitatẽ cõtemnas:qua certè ſublata,nec diſ-
ceptatione à ciuibus,nec vllo publico ac legitimo iure vinci patieris.Refelli enim in ſententijs dicẽ-
dis,nõ eſt alienũ à rep.cùm in diſceptatione res propoſita dilucidior fiat.Cauẽda eſt etiá nimia glorię
cupiditas,quę cęteris ad virtutẽ aditũ obſtruit,cũ viderit ſolũ ciuẽ tot pulcherrima pręmia,quot è re
pub.veniunt,cõcupiſcere.Sed inter cętera hoc à te maximè obſeruádum erit,ne in reb.agẽdis,cũ do
mi,tũ foris,vllá timiditatis ſpeciẽ prę te feras.Vt enim medici eſt , vultu ac verbis boná valetudinẽ
ægrotãtib.polliceri:ita quoq; optimũ ciuẽ decet,deſperationi hominũ fiduciá & boná ſpẽ obijcere.
Bello Punico ſecũdo,Cánenſi accepta calamitate cogitantib.quibuſdá, Metello duce Italiam relin-
quere,Scipio adoleſcẽs cœtũ ingreſſus,nudo enſe mortẽ tale aliquid deliberantib.cõminatus eſt.At
verò Hánibale circũſedente Collinã portá, & ſupplementũ in Hiſpaniá à Romanis miſſũ eſt, & ager
vbi hoſtis ipſe cõſederat,haſtę ſubiectus emptorẽ inuenit:voluit cõtrà Hánibal fiduciá imitari,ſubie
citq; haſtæ argentarias vrbis tabernas,nec ſector inuẽtus eſt.Hác ob rẽ ita animo cõcidit Hánibal, vt
tum demũ potiundę vrbis ſpẽ anteà conceptá depoſuerit . Malè profectò cũ rep.noſtra actũ fuiſſet,
niſi regi Alphonſo & Philippo Inſubrię duci & Venetis,grauiſsimis bellis nos plerũq; adortis,con-
ſtãtiſsimis animis reſtitiſſemus,incõmoda quæq; pro libertate paſsi. Nõ igitur trepidãdum eſt & de
gradu conſtantiæ cadendum, vt dicitur,quo nihil poteſt eſſe optimo ciue indignius, qui ad vnã for-
titudinem pro rep.natus eſſe videtur.Sed neſcio quo pacto à fortitudine domeſtica ad bellicá deſcẽ-
derim,quam vrbana quidá certè maiorẽ putauere.Laudatur Themiſtocles,ac iure quidẽ , Salamina
victoria clarus:laudatur & Solon,cuius cõſilio ac legib.victoria illa parta eſt.Habẽt & Lacedęmonij
Lycurgum ſuum,quem Lyſandro obijciant rebus bellicis claro.Eadẽ quoque de Romanis licet dice-
re:Nõ enim minus iuuit armis remp.cõſilio M.Scaurus,quàm C.Marius armis:non Q.Catulus, Cn.
Pompeio:nõ M. Cicero,C.Antonio bellum foris gerẽte.Omninò autem illud honeſtũ,quod nunc
quęrimus,ex animo excelſo magnificoq; oritur,non corporis viribus. Exercendum tamen corpus
ipſum

ipſum eſt(vt ait M.Tullius)& ita afficiendum, vt obedire conſilio ac rationi poſsit, non autem delicijs vacandum.Nihil eſt enim quod æque animos molliat corporaque effœminet atque eneruet, quàm delicijs affluere:quas velim te non ſecùs declinare,ac quōdam ferunt Syrenum voces cantusque Circes ſapientiſsimum Vlyſſem.PLA.Pręclarè hercle & exactè auus tuus Laurenti omnia diſſerit,id facit amor,qui vt philoſophis placet,ad poſteros reſpicit, in quibus ſe fore immortales aui ac parentes arbitrantur.LAV.Prorſus ita eſſe, vt dicis,haud equidem aſſentior.Plus enim patrię,quàm cognationi auus meus ſemper tribuit.Sed hominem hac dicendi moleſtia liberemus,niſi quid aliud habet,quod exiſtimet ad me pertinere.COS.Habeo ſanè totius noſtræ collocutionis temperamentum quoddam,& veluti in comœdia extremum actum:quo quidē expleto,ab hac ſcena ad ludos vrbanos vobis proficiſci licebit. Hoc autem tale eſt,quod Stoici magnis etiam contentionibus affirmant,omnium ſcilicet perturbationum fontem eſſe intemperantiam,quæ eſt à tota mente & à recta ratione defectio,ſic auerſa à pręſcriptione rationis, vt nullo modo appetitiones animi,vel regi,vel contineri queant.Huius certè contrariam virtutem μεσότητα Græci vocant,quam nos quidem,cùm temperantiam,tum moderationem,nonnunquam etiam modeſtiam appellare ſolemus: cuius certè proprium eſt,motus appetentis animi ſedare ac regere, ſemperq; aduerſantem libidini moderatam in omni re ſeruare conſtantiam.Continuò namq; intemperantia huic inimica,omnem animi ſtatum inflāmat & perturbat.Hinc verò ęgritudines & metus ac reliquę animi perturbationes gignūtur,ad quas certè ſedādas,vna modeſtia adiūcto decoro inuēta eſt. Duplex eſt enim(vt ait M.Tullius) vis animorum atq; naturæ,quarum pars vna in appetitu poſita eſt:hæc ὁρμὴ Græcè dicitur, quæ hominem huc & illuc rapit:altera in ratione,quæ docet & explanat,quid faciendū fugiendumq; ſit.Ita fit enim vt ratio præſit,appetitus verò obtemperet,in homine potiſsimùm benè morato:cuius fundamentum ipſa verecundia erit,quæ non ſine cauſa prudentiæ adiuncta,ac ſoli homini data, oſtendit aliud iuueni cōueniri,aliud ſeni.Saltauit quidē ante arcā Domini Dauid rex,nō aūt Samuel,& vt nec ille reprehenſus, ita iſte magis laudatus eſt.Themiſtocles verò princeps ille Gręcię,quia fidibus neſciuit,indoctior eſt habitus.Abſtinuit ob verecūdiam vir ille clariſsimus à cithara,quòd eam dignitati ſuæ nequaquam conuenire arbitraretur.Mineruam quoq; tibias abieciſſe ſcribunt poētę,quôd dū eas ſupra fontē inflaret,indecorum genarum tumorē inſpexerit, minimeq; deæ conuenientem, cōtra quorundam opinionem, qui neminem ſatis vrbanū putant,ſi fidibus vel tibijs aut fiſtula neſciat canere.Idē quoq; comati & benè ad ſpeculū pexi,tanquā inuerecūdę mulieres,per ora hominū ferūtur.Hos tu Laurenti tuo exemplo,iniecta verecundia,ab inceſſu cultuq; muliebri coērcēs, ad dignitatem virilem cohortare.Continentes quoq; & abſtinentes eſſe bonos ciues oportet: quorum alterū in rebus,alterum in moribus eſt.Scipio ille Africanus,qui totius virtutis vnicum exemplar fuit,eximiæ formæ puellam ſibi in Hiſpania voluptatis cauſa oblatam conſtanter renuit: parentibus verò accitis,aurum pro redimēda puella doti addidit,eamq; inuiolatam marito reſtituit.In Epiro, Achaia,Cycladibus M.Cato veneris & lucri copiā habens,cōſtantiſsimè â tanta turpitudine abſtinuit,Numatio Ruffo teſte.At verò cùm C.Fabricius populi Rom.legatus audiuiſſet,Cyneā Atheniēſem apud Pyrrhū voluptati omnia tribuentem:Vtinā,inquit,talem habeāt mentē omnes pop.Rom.hoſtes.Superior aūt ille Cato vir ſanè illuſtris,pellibus hœdinis pro ſtragulis eſt vſus,triū quoq; ſeruorum comitatu contentus,Hiſpaniam gubernauit,eodē vtens cibo,eodemq; vino quo ſerui & nautæ, vt cæteris hac ratione frugalitatis exēplum daret.Cùm Pericles haberet collegā in prætura Sophoclē,ijq; de cōmuni officio cōueniſſent,& caſu formoſus puer præteriret,dixiſſetq; Sophocles:O pulchrū puerū Pericle:tū Pericles,Prętorē,ait,Sophocle decet,non ſolùm manus, ſed etiam oculos abſtinentes habere.Magna profectô fuit Xenocratis in victu continentia.Is enim cùm miſſa ſibi ab Alexādro talenta intellexiſſet,legatos ad exiguum apparatum inuitauit,cumque ab his quæreretur,cui numerari talenta vellet,Nônne(inquit)*externa cœna intellexiſtis Xenocratē huiuſcemodi muneribus minimè indigere?Natura enim(vt ait Philoſophus)paucis minimiſq; cōtenta eſt.Ad valetudinē quoq; & appetentiā pertinere hâc in victu modeſtiā intelligemus,ſi rerū iuſti æſtimatores fuerimus. Nā cùm Darius rex multis anteà epulis & poculis faſtiditis,aquā turbidā & cadaueribus inquinatam in fuga bibiſſet,negauit vnquam ſe bibiſſe iucundius,nunquam enim ſitiens biberat.Nec eſuriēs vnquā Ptolemæus ederat:cui cum peragranti Aegyptum comitibus non conſecutis, ſordidus panis datus eſſet, nihil eſt viſum illo pane ſuauius.Excitanda ſiquidem fames eſt motu & exercitatione,non autem cōdimentis,cum deſidioſè vixerimus.Ferunt Socratē cum is vſq; ad veſperum cōtentius ambularet, quæſitumq; ab eo eſſet cur id faceret,reſpondiſſe,ſe quô melius cœnaret,obſonare in ambulando famem.Quid victus Lacedæmoniorū in phiditijs?Vbi cū tyrānus cœnauiſſet Dionyſius,negauit ſe iure,quod cœnæ caput erat,delectatum:Tum is qui illa coxerat, Minimè inquit,mirum,cōdimēta certè ei defuere,labor in venatu,curſus ab Eurota fames ſitis.His enim Lacedæmoniorum epulæ condiuntur.Victus quoq; Perſarum à Xenophonte exponitur,quos negat ad panem adhibere quicquam præter naſturtium,quanquam etiam quædam ſuauiora natura deſiderat.Adde ſiccitatē, quæ ſequitur hanc continentiam in victu.Valetudinis quoq; integritatem adde.Confer ructantes,ſudantes, refertos epulis tanquam opimos boues.Eſt enim in deſiderio,non ſatietate,iucunditas victus.Ferunt Timotheū clarū Athenis hominem & principem ciuitatis,cum cœnauiſſet apud Platonē,eoq; conuiuio admodū delectatus eſſet,vidiſſetq; eū poſtera die dixiſſe:Veſtræ quidē cœnæ non ſolum in pręſentia, ſed etiam in ſequenti die iucundæ ſunt. Mouere te nimirum ac reliquos ciues noſtros tot exempla poſſunt:

*Tēperātia cū ſuis partibus.*



poſſunt:ſed nihil eſt quod æquè te ad frugalitatem adhortari debeat,quàm domus noſtræ parſimonia,& perpetua in victu continentia.Nihil enim à plebeijs differunt menſæ noſtræ: qua ex re & valetudini & ciuitati hactenus conſuluimus. Quid quòd ne mente quidem vti pōſſunt, multo cibo & nimia potione repleti?Extat Platonis pręclara quidē illa Epiſtola ad Dionis amicos,qua diſplicuiſſe ſibi oſtēdit,quòd Itali & Syracuſani bis in die ſaturi fierent, nec vnquā pernoctarēt ſoli. Quàm turpè ſit etiā diffluere luxuria,Sardanapali error nobis indicat,qui incidi iuſsit in ſepulchrum ſuum:

*Hoc habeo quod edi,quodq; exaturata libido Hauſit.*

Quid aliud(inquit Ariſtoteles)in bouis,non in regis,ſepulchro incideres? Hæc autem omnia eô tendunt Laurenti, vt intelligas,tibi ac reliquis ciuibus,ſi vultis honeſtè ac rectè viuere, ſeruandam eſſe mediocritatem in victu cultuque corporis.Quid Xerxe ipſo libidinoſo turpius? qui refertus omnibus præmijs doniſque fortunæ,non equitatu,non pedeſtribus copijs, non nauium multitudine, non infinito auri pondere contentus,pręmium propoſuit,ei qui nouam inueniſſet voluptatem,qua tamen ipſa non fuit contentus. Neq; enim vnquam finem inueniet libido.Sedandę igitur ſunt omnes libidines cupiditateſq;,ſedandæ ægritudines,comprimenda eſt iracundia,vnde propè infinita mala oriuntur,cùm ratio omnis ſubeunte illa inſania,è mentibus noſtris deturbetur.Hac autem ratione Laurenti ſi vixerimus,& prudentia in bonorum malorumque delectu, & iuſtitia ſuum cuiq; tribuendo,& fortitudine in laboribus periculiſque obeundis,& demum temperantia in prętermittēdis voluptatibus conſtantiſsimê vtemur.Quas quidem virtutes etſi in omnibus meis ciuibus ineſſe cupio,in te tamen,ad quem hęreditas noſtri nominis ventura eſt,elucere peculiariter velim, vt habeat ciuitas noſtra quem imitetur, Platonis ſententia, qua admonemur, tales ſolere eſſe reliquos ciues, quales ſunt qui rempub.gubernant.Sed iam finem ſi placet,faciamus:inclinat iam ſol, niſi quid præterea vobis in mentem venit,quod mihi exciderit.LAV.Nihil prorſus habeo quod amplius velim.PLA.Abundè ſatisfactum eſt omnibus.Reducamus Coſmum,atque deinceps ad vrbem proficiſcamur.Quieuiſſe iam ludiones arbitror,quorum petulantia hodie ſum conſecutus, vt alterum Socratem me audiuiſſe exiſtimem.Dixit multa Coſmus,ne mentiar, Socraticam grauitatem redolentia. LAV.Cœnabis apud nos Platina,atque deinceps ſimul ſine ſole ad vrbem proficiſcemur,adeò propinquum hoc noſtrum rus eſt.PLA.Benè admones,modô cœnæ veſtræ breues ſint, & mihi appetētiam relinquant in ſequentem diem.LAV.Credis auum aliter viuere,quàm prædicat? Platonis cœnā tibi appoſitam putabis,vel ex lege ſumptuaria compoſitam, non ſecùs certè ac ſi cenſores affuturi eſſent.PLA.Eſt igitur quod hac quoque in re à Coſmo perdiſcam. Diſcumbant omnes, ne quid incommodi mei cauſa familia capiat.Iube aliquid Coſmo ſubſterni,quò recumbat commodiùs:hominem vt arbitror longo ſermone defatigauimus,ſi tamen docere,& aliquid grauiſsimo viro dignum explicare,labor potiùs quàm voluptas eſt.

## PLATINAE PANEGYRICVS IN LAVDEM AMPLISSIMI PATRIS BESSARIONIS EPISCOPI Sabini,Cardinalis Nicæni,& patriarchæ Cōſtantinopolitani.

SI vnquam tempus fuit Quirites,quo veterem Græcorum morem, Latinorum propè nouum repeteremus,id certè hac miſerrima tempeſtate faciendum eſt,qua vel maxima quæq; virtus,candidiſsimum quodque ingenium, excellens quantumuis doctrina & eruditio,emergere ex tanta caligine & ignorantia vix poteſt: tolerabilius profectò videretur,ſi virtuti à paucis cognitæ, ſi in arcanis & penetralibus, quia tutò vagari non licet,cultæ,ſaltem quieſcere ſine iniuria liceret,non etiam quorundam hominum liuore & maleuolentia opprimeretur.Inſtant dolo,fraude,malitia,vique poſtremo,quando hoc occultè moliri*conari non licet:ſpargunt inuidentiæ ſuæ ōpacas vmbras, conceptum rubiginem circumquaque fundunt,quo ſuauiſsimas herbas & feraces plantas occupent atque enecent, ne ſi expectatos odores & ſuauiſsimos fructus aliquando ediderint,ipſi tanquam infructuoſæ & infelices arbores excidantur.Nos itaque, ne Beſſarionis diuini hominis ſapientia, virtus, amplitudo aliqua ex parte lædatur( opprimi certè cùm tanta ſit,tamque excellens, nullo modo poteſt)Iſocratem magnum oratorem & perfectè dicendi magiſtrum,& noſtratibus Plinium,Genethliacū Mamertinum,Nazarium Latinum quoad fieri potuit imitati,conſuetudinem tum vtilem, tum neceſſariam multis iam ſeculis intermiſſam,reuocabimus.Hac enim ratione ad æmulationem gloriæ excitantur,qui magni ad virtutem,erectique ſunt animi,cùm veram & integram laudem his propoſitam vident,qui ſapienter, honeſtè iuſteque vixerunt, quorumque vita omni ex parte humano generi & vtilis fructuoſa eſt habita.Contrà vero à vitijs deterrentur ij,non prorſus virtutē aſpernantur, qui effrenata cupiditate ducti, petulanter, audacter, proteruè ad flagitia declinarunt, cùm perpetuas notas dedecoris & turpitudinis frontibus ſuis inuri ab his vident, qui ſcriptis rerum geſtarum ſeriem,qui mores & vitam hominum memoriæ poſteritatis ad vtilitatem humani generis commendant.Verùm hoc loco Quirites,cùm vires ingenij mei conſidero,quàm paruæ,quamq; exiguæ ſint,non poſſum cognita amplitudine conſpectus veſtri non commoueri,& eò maxime, quod mihi de eo viro dicēdum ſit,qui ob magnitudinem rerum geſtarum quantumuis magnū oratorem, nedum meipſum inter ſtudioſos bonarū artium vix numerādum,deterrere à dicendo poſſet: recreat me tamen ac reficit, hortaturque ad dicendum humanitatis & pietatis veſtræ vulgata opinio:qua quidem

quidem fretus,iamiam Beſſarionis diuini hominis laudes dicere aggrediar:quem qui laudat, virtutē extollit:parui enim refert,Beſſarionēmne an virtutem laudes,nec mirum id quidem.Is enim ex vetere Græcia oriundus,natuſque in Aſia,vtrimque collegit generoſi ſpiritus ſemina. Trapezus Sinopenſium Colonia,huius patria eſt:Sinopem condidere Mileſij,Miletum Athenienſes: ex his vt à parentibus,auis,abauis nobilitatem referens,redundantiam Aſiani ingenij frugalitate Attica compeſcuit:nec tantùm Diogenem admiratus eſt,Timotheum,Deiphilium poëtam, Thalem , Anaximandrum,Anaximenem,Hæcateum hiſtoricum,Aeſchinem rhetorem illum,qui in Pompeium inuectus eſt,licet ij agnationis iure propinquiores eſſent,quin obſeruauerit Socratis lepôrem,Platonis copiam & amplitudinem,Ariſtotelis acumē,Iſocratis lenitatem & numeros,vim Demoſthenis.Ab omnibus enim gentilitatis iure quod probabile,quodque optimum eſſet accepit,hæres tot ac tantorum ingeniorum.Ex his igitur Beſſarion animos ſumens, vbi primùm è pueris exceſsit,cura parentum Byzantium tranſmittitur , celebrem quondam vrbem , & doctiſsimis hominibus liberalibuſque ſtudijs affluentem.Grammatica celeriter ob acumen ingenij & poetica imbutus,poſthabita cura rerum humanarum,qua impediri contemplatio diuinarum ſolet,totum ſeſe religioni addixit.Chriſti namque militiam ſecutus,vt veram gloriam,veroſque triumphos pariturum,Doſitheo archiepiſcopo Dorienſi vnici exempli moribus & ſanctitate viro,in primo tyrocinio tantæ expeditionis duce vſus eſt:cuius virtutem,religionem,doctrinam adeò imbibit,vt idem breui factus videretur.Beſſarionis ingenium & mentem propè diuinam ad cognitionem rerum occultarum & admirabilium vir ſanctiſsimus contemplatus,adoleſcentem ipſum ad archiepiſcopum Sylembrienſem virum optimum atque doctiſsimum miſit,vnde & oratoriá artē & philoſophiam perdiſceret. Sub quô certè tantum profecit,adhibita omni ad imitandum hominem cura,ſtudio ac diligentia , vt iudicare poſteà difficilis fuerit,meliórne Beſſarion an doctior haberetur.Poſtremò autem ne aliquid tanto ingenio deeſſet,Platonem quem alij Gemiſto vocant,doctiſsimum præceptorem,& quem omnes ſecundum à Platone vocant,in Peloponneſo,quô ſe contulerat,doctrinæ cauſa nactus , mathematicis accuratè imbuitur.Vulgari tum demum tanti hominis nomen eſt cœptum,vt quò proficiſceretur famam expectatio,expectationem eius optatiſsimus aduentus admiratioque ſuperaret. Exiſtimabant tum homines eam demum ciuitatem beatam fore,ad quam veniſſet Beſſarionis diuina virtus.Hunc itaque omnes certatim vt cognitione & hoſpitio dignum ſuſcipiebant,venerabantur,obſeruabant.Conciones & quidem frequentes atque elegantes ad populos habuit ( has Græci homilias vocant )tanto concurſu,vt templa ipſa permagna tantam multitudinem vix caperent. Populos ad religionem,ad iuſtitiam,ad æquitatem, ad modeſtiam hortabatur,bonis præmia,malis pœnas propoſitas oſtendens:& quos mouere integritate vitæ, rationibus, & exemplis nō poterat,eoſdem obteſtationibus, precibus,lachrymis,vt vagos & errantes in viam ſalutis reducebat.Multos inter ſe ciuilibus & inteſtinis odijs diſsidentes,aut coràm oratione,aut abſens epiſtolis ſapientiſsimè & elegantiſsimè ſcriptis ad concordiam reuocauit.Hac tanta virtute moti imperatores duo Conſtantinopolitanus & Trapezuntius,hunc vltrò citroque legatum frequenter mittentes,vtriuſq; imperij vires concatenabant,quò fortiùs & conſtantiùs propulſare Turcarum impetus poſſent , qui tanquam rabidi lupi inter vtrumq; poſiti occaſionem vtriuſque imperij diripiendi expectabant: quòd poſteà accidit cum magno totius reip. Chriſtianæ dedecore ac detrimento.Sublatis enim duobus clauſtris, nunc ſeſe in Aſiam,nunc in Europam grauiſsima illa Turcarum procella nemine obſtante effundēs, longè ac latè omnia vaſtat,obterit,conculcat,diripiuntur vrbes quantumuis magnæ, incenduntur villæ,necantur homines.Quòd ſi aliquibus fortuna belli pepercit , ij vnà cum pecoribus eò terrarū abiguntur, vnde nunquam in patriam ſint redituri . O miſeros & infortunatos Græcos. O infelices & calamitoſos.O etiam ipſorum crudeliſsimorum hoſtium lachrymis deplorandos. Dediſtisnè omnibus nationibus ac gentibus doctrinam & ingenium,vt ipſi conſilio careretis?Dediſtis arma, vt ijſdem poſteà corrueremini?Conſtans eſt certè Quirites,omnium benè ſentientium opinio,& eorū maximè,qui ſuo periculo iſtarum calamitatum gnari ſunt, duo illa imperia nunquam fuiſſe corruitura,ſi Beſſarion magni animi atque conſilij vir,illis in locis tum fuiſſet , cùm tempeſtas illa contra non Græcos tantùm,ſed humanum genus exorta eſt . Excitaſſet enim vir omnium vigilantiſsimus dormientem Græciam,armaſſet nimio otio languentes animos, ire in hoſtem ſuos,& à ceruicibus tantam calamitatem auertere,quantam paſsi ſunt,ſpe veræ & integræ laudis propoſita compuliſſet. Verùm eo abſente,cùm nemo eſſet,qui monendo,conſultando,docendo, cohortando Græcos in officio contineret,capta ac direpta à Turcis Conſtantinopolis eſt,cæſa multa ciuium millia, obtrūcatus imperator:idem accidit Trapezuntijs,idem Mitylenęis,idem Peloponneſiacis principibus & ciuibus:idem reliquæ Græciæ , idem Baſsinenſibus, qui & regem & patriam & vitam vno ſæuiſsimi hoſtis impetu amiſere,Beſſarione ipſo calamitate ac perſæpè Romanos pontifices admonente, vt Macedonibus,Dalmaticis,Illyrijs,Pannonijs hoſtium impetum ægrè ſuſtinentibus auxilio eſſent, ne refractis clauſtris,illinc ſæua illa & immanis belua Eridano violentior Italiam inundaret: quod propediem( vtinam falſus ſim vates )futurum videmus,niſi huic ſapientiſsimo viro tanquam è ſpecula omnia cernenti , clamanti, admonenti inſtare magnam pernitiem aliquando fuerit obtemperatum.Multum certè huic ampliſsimo patri debemus,ad cuius res egregiè geſtas,ne in hanc calamitatem veniremus,libenter accedo.Is enim re Conſtantinopolitana nondum profligata , orientalem Eccleſiam in ſententiam occidentalis redigere conatus , non priùs deſtitit rogando,monendo im-





peratorem ac principes Græcię, quàm eos impulerit grauiſsima oratione habita,in Italiam ad Eugenium pontificem maximum contendere:venêre primò Venetias,atque inde Ferrariam,vbi pontifex erat,ibi grauem & elegantem orationem Beſſarion ad ſuos habuit,eos adhortatus , vt cognita frequentibus diſputationibus controuerſiæ cauſa , quæ Latinos inter & Græcos quingentis iam annis ſerpſerat,poſita omni ſimultate,in eandem ſententiam omnes tandem venirent:hac vna oratione aſſerens,ea demū recuperari poſſe coniunctis copijs collataque impenſa,quæ & Turci quondā & Saraceni,& Arabes Chriſtianorū diſsidijs magis quàm animis & armis proprijs freti , occuparāt. Dicebat enim quod veriſsimū eſt, Mahometanam perfidiam latè creuiſſe, dū religionis noſtræ capita inter ſe diſsident,procedatnè ſpiritus ſanctus à patre tantùm , vt Græci, an â patre & filio , vt Latini volebant: his enim controuerſijs factum , vt ad Mahometanos partim vi,partim ſpontè deficerent populi,dum Chriſtianæ religionis principes,quid potiſsimùm teneant, incertos vident: hinc amiſſam eſſe Antiochenam Eccleſiam,hinc Hieroſolymitanam, hinc Alexādrinam, hinc denique omnem fermè Aſiam & totam Africam hanc peſtem occupaſſe , & quod grauius eſt , Europæ quaſdam partes iamiam infeciſſe,ac longiùs euagaturam,ni properè ſublatis tam pernitioſis controuerſijs,ac pulſis Chriſtianæ reipub.hoſtibus,in poſſeſsionem veterem,labore,vigilijs ac ſanguine martyrum cōparatá,armati cū vexillo crucis peruenerint. Permouit tanti viri authoritas totū concilium,permouit religionis honeſtiſsima cauſa,permouit etiam imminens ceruicibus omnium periculum.Diſputari tum acriter inter vtriuſque Eccleſiæ theologos eſt cœptum.Aſſeuerebant Græci,Epiſcopo Epheſino,Pletone Scholario,Dionyſio Epiſcopo Sardenſi grauiſsimis authoribus,ſpiritum ſanctum à Patre tantum procedere.Inſtabant contrà Latini , à filio quoq; idem fieri authoritate veterum theologorū,maximè verò Hieronymi,Auguſtini & Athanaſij id cōprobantes. Re autem ipſa adhuc pendente,Florentiam proficiſci pontifici & curiæ viſum eſt . Ibi cùm de re ambigua aliquandiu diſceptatum eſſet, venêre tandem Græci ratione ac Beſſarionis authoritate moti , in ſententiam Latinorum.Is enim etſi acriter ſuos primô tutatus eſt,tandem vęritate illuceſcente, in Orthodoxam Eccleſiæ Romanæ non ſolùm deſcendit,verumetiam ſuos vt idem facerent , ad ſalutem diſputationibus & graui oratione adhortatus eſt.Vnum tandem animum, vnam mentem,idem ſpiritus ſanctus,pro quo diſceptabatur,omnibus dedit.Ventum tandem in concordiam , & ſymbolum Romanæ Eccleſiæ ab orientali publicè decantatur. Soluto demum conſilio, imperator Conſtantinopolim cum ſuis reuertitur.Eugenius autem pontifex cognita Beſſarionis ſingulari virtute & doctrina,hominem licet abſentem ex ſententia fratrem in numerum cardinalium cooptat.Accerſitur in curiam Romanam vir ampliſsimus,vt vnus aliquis Quirites Romæ eſſet è Græcia ingeniorū altrice,doctrinarum inuentrice,quem admiraremini,quiq; viciſsim hanc veſtram ciuitatem dominam quondam rerum, nunc collapſam magna ex parte ac propè dirutam, in meliorem formam redigeret,homo certè Romani nominis amantiſsimus.Accepto autem de more galero inſigne cardinalatus,ita breui homo ingenioſus & acutus Latinorū mores & literaturam imbibit , vt ex noſtratibus vnus,& non alibi natus videretur.Frequentabant tunc quoque eius domum plenam religione, comitate & gratia,plenam ingenijs,tum Græcis, tum Latinis,viri ex tota curia doctiſsimi : hos vel inter ſe differentes,vel aliquid quod ad cognitionem linguæ pertineret laudantes( vt fit )refellētesue,ita attentè audiebat , vt ex abundantia ingenij animique perſpicacia, diſceptantium arbiter propemodū fieret.His artibus & ea vigilantia,qua maximè omnes excellit,breui effecit,vt quod Græcè antea in quouis genere doctrinę perceperat,id Latina lingua aptè,diſtinctè & ornatè efferret ac ſcriberet.His ſtudijs vehementer delectatus,nunquam tamen quicquam omiſit,quod aut publicè ex officio,aut priuatim agendum eſſet:ad omnia promptiſsimum ingenium,dexterrimam mentē ita circumferēs,vt nil à bono patrefamilias & ab optimo principe differret.Hac tamen inſigni virtute & magnitudine animi permotus Nicolaus V.in locum demortui Eugenij pontifex maximus ſuffectus, Beſſarionē ad res agendas aptiſsimū,& ad omnia mala pręcauenda vigilantiſsimū, Bononiēſibus iá pridem ſæuitia partium inteſtino bello laborantibus,legatum cum ſumma authoritate pręficit.Is eò proficiſcens,effuſa obuiàm vrbana multitudine,non aliter ab omnibus inſpicitur,ac ſidus benignū & ſalutare à periclitantibus nautis & penè naufragis,inſpici ac conſalutari ſolet. Quanquam hominis huius Quirites maior ſit laus,quàm ſideris:illud enim duas tresúe & eo amplius naues benigno intuitu conſeruat:hic tantam ciuitatē pręclará,quondá Romani populi coloniá,hominū ad arma & literas altricē,oculis omnia circumſpiciens,mente præuidens ac diſponens,lingua admonēs deterrensûe,manu inſanabile vulnus & contagioſum abſcindens , ab interitu & propè ab inferis reuocauit.Notę ſunt ciuitatis clades pluſquam ciuiles,dum factio Bentiuola & Cenedula de principatu cōtendit,alentibus ſeditionem hinc Philippo vicecomite,hinc Venetis,hinc principe Ferrarienſi : inſtantibus etiam duabus militaribus factionibus,Brachiana & Sfortiana : quæ dominatū appetentes, hanc ciuitatem veluti arcem Italiæ occupare armis ac fraude perſępe conati ſunt.His enim ac tantorum malorum authoribus ad id ſæuitiæ ventum eſt,vt eodē die & Hannibal Bentiuolus, & Baptiſta Cenedulus cum multis vtriuſque factionis tota vrbe tumultuante vno impetu cæderentur,nullo nō crudelitatis genere adhibito:& ne vlla requies calamitoſis daretur, ſuperuenêre ſæpius externi hoſtes,vbem oppugnaturi,ni Beſſarionis ſapientia ciues ad concordiá reuocans,externum hoſtem rabidum & voracem, à viſceribus ciuium Bononienſium propulſaret.Reſpirāte deinde paulatim( tātum mali inerat )ab externa vi inteſtinoque malo ciuitate,totum ſeſe vir optimus ad componendos

mores ciuium licentia bellica corruptos & labefactatos vertit: quem certè hac in re nihil æquè iuuit,
quàm eius religio,pietas,iuſtitia,cõſtantia,abſtinentia,grauitas comitate condita. Hac enim ratio-
ne ſine vlla vi quorundam hominum arrogantiam repreſsit,libidines extinxit,cupiditates refrena-
uit,cùm fieri haud grauatè conſueuerit, vt eos mores imbibant homines, quos in principe tanquam
in ſpeculo totius ciuitatis viderint.Hunc enim omnes non priuatas commoditates quærentem, ſed
publicas: non otio,ſed negotio deditum:non ſomno,ſed vigilijs,ita cum admiratione intuebantur,
vt beatos ſe demùm fore arbitrarentur,ſi aliqua ex parte Beſſarionis integritatem attigiſſent.Ad hu-
ius itaq; mores ſeſe effingentes,ex calamitoſa felicem breui ciuitatem reddidere.Sublatis enim ſedi-
tionibus,extinctis incendijs,furtis, rapinis,homicidijsq́; repreſsis,perfacile fuit viro huic grauiſsi-
mo adhibita facilitate in audiendo,lenitate in dicendo,diligentia in ſatisfaciendo,populũ Bononiẽ-
ſem ad bonam frugem reuocare.Quem enim videbant iuſtiſsimum,quem modeſtiſsimũ, hunc tan-
quam de cælo miſſum,ea præſertim tempeſtate venerabantur,colebant & obſeruabant.. Huic tantæ
autoritati magnum additamẽtum doctrina eius ſingularis erat,qua perbeatas fieri poſſe reſpub.Pla-
to ingenij ac ſapientiæ facile princeps exiſtimauit. Doctrina enim poteſtati adiuncta, vel vitioſiſsi-
mam quanque naturam mutare poſſet, nedum bonam ad bene de omnibus promerendum impel-
lere.Hæc enim facit, vt prouinciarum præſides vrbiũq́; non ſolùm ſe faciles præbeant in cognoſ-
cendis cauſis,hominibus audiẽdis,admittendisq́; maiorum exemplo, quorum res geſtas legere,ve-
rumetiam eoſdem admonẽt,vt cùm ipſi ſint optimi,ſuorum cupiditates refrenent, petulantiam re-
primant,auaritiam coërceant: quod quidem Beſſarion maximè obſeruauit toto quinquennio, quo
Bononienſi vrbi præfuit,ne ſuorum licentia & cupiditas,quod perſæpe multis accidit,tantæ ſapien
tiæ & integritatis laudem commacularet.Compoſito hunc in modum ciuitatis ſtatu, quo iam Bo-
nonia xx. ann. feliciſsimè vixit & nititur,gymnaſium vetuſtiſsimum negligentia & ſeditionibus
ciuium penè intermiſſum & collapſum, non modò ædificijs, verumetiam inſtitutis & melioribus
ſalarijs inſtaurauit ac reſtituit,conductis quamuis grandi pretio liberalium diſciplinarũ doctoribus.
Excitabat adoleſcentes ad ſtudia bonarũ artiũ,propoſita præmij atq; honoris ſpe:multos ob inopiá
à ſtudijs defecturos,liberalitate & munificẽtia ſua iuuit, & in inſtituto continuit.Quid plura de am-
plitudine huius optimi patris dicá. Quirites? quàm iuſtè , quàm prudenter, quàm modeſtè, quàm
clementer coloniam veſtram Bononienſem gubernauerit,erexerit,in pace retinuerit, ex hoc de-
prehendi poteſt,quòd poſteà more maiorum Bononienſium patronus apud pontifices ſemper eſt
habitus.Illius enim ciuitatis legati huc venientes,hunc hominem ante omnes adeunt,ſalutant, con
ſulunt,comitantur,reducunt,quod eſt maximæ integritatis & continentiæ ſignum. At Beſſarion,
mortuo Nicolao V. cùm in locum eius ſuffici alterum pontificem neceſſe eſſet,Romam veniens, la-
chrymantibus Bononienſibus quaſi â patre deſtitutis,conclaue ingreſſus, quorundá patrum & opti-
morum ſuffragio pontifex deſignatur: quantum verò obſit maximis imperijs, prouincijs & ciuita-
tibus liuor atq; inuidia,comprehendi certè hoc loco poteſt: quidam enim ſtatim ſuborti ſunt leues
& voluptuoſi,qui Beſſarionis integritatem & modeſtiá veriti,dicerent ſuffragia vitio inita, denuô
repetenda eſſe. Non obſtitit vir optimus quò minus id fieret, exiſtimans quod verum eſt, pontifi-
catum ſua perſona plus indigere quàm ſe pontificatu,ad integram gloriam,qua profectò carere iam
poteſt: eò enim exiſtimationis & famæ vir ampliſsimus deuenit,vt nulla ei vlterius dignitas ad ve-
ram felicitatem ſit requirenda. Dolere noſtram vicem & totius reipub. Chriſtianæ,non eius debe-
mus,quòd tali caruimus principe,hac potiſsimûm tempeſtate,qua præter externum hoſtẽ , qui cer-
uicibus noſtris armatus continuô imminet,auaritia,libido,ignorátia Dei atq; bonorum hominum
contemptus,inteſtina & grauiſsima mala nos vrgent,opprimunt, enecant, nemine iuuante. Hoc
pontifice indigebat religio Chriſtiana lacerata,non minus à vitijs noſtorum,quàm ab externo ho-
ſte,vt aliquando reſpiraret: hunc pontificem mores noſtri requirebant omni ex parte labefactati:
huius pontificis opera indigebant bonarum artium ſtudioſi,& in quauis facultate induſtrij, qui nũc
tanquam prophani contemnuntur,reijciuntur,eliminãtur.Non deſtitit tamen Beſſarion Calliſtum
monere & hortari,vt interpoſita authoritate pontificatus,ſæuientem hoſtem à ceruicibus Chriſtia-
norum propulſaret.Ad hoc quoque bellum adhortatus eſt Alphõſum Arragoniæ regem,dum à bal-
neis Puteolanis,quæ adierat valetudinis cauſa,Neapolim proficiſcitur.Ad cryptam Neapolitanam
rex magno comitatu honoris cauſa Beſſarioni fit obuiam,eumq́; nullo non comitatis & beneficen
tiæ genere adhibito,in vrbem ducit,acceptum lautè & magnificê abeuntemq́; eodem ſemper & ve-
neratus & proſequutus eſt vultu.Mortuo deinde Calliſto,Pius ſecundus in eius locum ſuffectus,cõ-
uentum Mantuanum adhortante Beſſarione,Chriſtianis omnibus ad certam diem decreuit,quô om
nium principum & populorum conſenſu bellum Turcis indiceretur.Conuenere eô principes mul-
ti aut legati regum aut principum,quos Beſſarion poſt Pium pontificem ad tantum & tam neceſſa-
rium bellum eleganti oratione, quam in manibus habemus, adhortatus eſt. At verò cùm huic tanto
apparatui Germanorum principum inter ſeſe bella obſtarent,eò mittere Pius Beſſarionẽ virũ gra-
uiſsimum legatum inſtituit,qui rebus in Germania compoſitis, imperatorem Fredericum ac reli-
quos principes ad bellum Turcis indictum adhortaretur.Vadit optimus, licet valetudinarius, eti-
am hyeme inſtante,quò Pius imperat.Venetias Pado amne primùm delatus, ducem ac ſenatum ad
ſuſcipiendum tantum bellum adhortatus,in Germaniam honeſto magis quàm lauto &eleganti co-
mitatu flectit iter. Sæuiebat tum hyems Februario menſe in Germania potiſsimum,quæ regio frigi-
diſsima



diſsima eſt.Vexatus itaque cum vẽtis, tum imbribus,tum niuibus ac propè continuis,nullum diem
intermiſit quo vlterius non proficiſceretur:& cũ ſtare pedibus equi prę glacie vix poſſent,vehiculo
Germanorũ(quod trahá vocamus)non vectus ſed tractus eſt. Tandẽ verò poſt labores propè infi-
nitos Norimbergam venit,obuiam prodeunte honoratiſsimo quoque ciue,prodeuntibus Epiſcopis
ac toto clero.Vrbem ingreſſus,litteris ſtatim ac nuncijs principes Germaniæ ad ſe vocat,populum
quoq; Norimbergenſem vt idem faciat,longa ac graui oratione adhortatur,id velle oſtendens Deũ
optimũ maximũ,id Piũ põtificẽ,id res Chriſtiani populi afflictas prope ac profligatas.Superuene-
re autẽ non ita multò pòſt,authoritate ſedis apoſtolicæ & tanti viri fama permoti principes multi,
vel principum oratores:hos enim in conuentu audita controuerſiarum cauſa , ad pacẽ & concordi-
am multis ac maximis rationibus reuocare ſępenumerò conatus eſt. Quid non cogitauit,quid non
egit,quid non dixit Beſſarion Quirites,quò pacem inter diſsidentes componeret?Aderant principes
multi,aderat cardinalis Auguſtenſis , aderant epiſcopi quidam, aderat Albertus Brandiburgenſis
marchio,aderant legati Baiouariæ ducis:hos duos principes inter ſe maximè diſsidentes odio pro-
pè ingenito,& monere & rogare & obſecrare vir optimus non deſinebat,copioſa & graui oratione
de pace habita,quam paulò antè cum admiratione legimus,vt depoſitis ſimultatibus & odijs,de bel-
lo Turcis inferendo vnà cum pontifice & imperatore cogitarent.Ecce dum in conſultatione eſſent,
literæ ei à legato Pannoniæ ſancti Angeli cardinali redduntur, quibus fit certior,pugnatum cum
Turcis eſſe,& Pannonios graui prælio ſuperatos ceſsiſſe, periculumq́ue imminere , ne hoſtes victo-
ria elati,longe ac latè omnia occupent,vaſtent ac diripiant. Tum Beſſarion lachrymabundus ac
vicem Chriſtianæ reipub.gemens,breuiter clades omnes noſtris illatas commemorat, imminens
periculum oſtendit,pacem & concordiam proponit, quô liberius & tutius coniunctis armis & co-
pijs ire in hoſtem ferocem & recenti victoria exultantem liceat.Cùm autem Norimbergæ nil fieri vi
deretur,quòd eô propter diſtantiam proficiſci Rhenani principes grauarentur,maximè verò Pala-
tinus comes,transferre conuentum Vuormatiam legatus inſtituit,ne quicquam intentatum relinque-
ret,quod ad ſedandas lites pertineret. Ventum eſt tandem pòſt multa & grauiſsima pericula Vuor-
matiam:neque enim peragrare Germaniam ſine præſidio militari licet,quòd apud eos ( tantum va-
let conſuetudo)rapinæ & latrocinia quodammodò cõceſſa videntur.Suſceptus benignè á Vuorma
tienſibus Beſſarion,legatos tum imperatoris tum aliorum principum ad ſe vocat,quid ſit agendum
proponit.Diſceptatur,nec ſemel tãtum,ſed iterum ac tertiò.Mittit Epiſcopos viros grauiſsimos &
optimos,quos ſecum habebat,ad vicinos principes,ne quid omitteretur,quod ad concordiam face-
ret.Vbi autem nihil fieri tanta ſolicitudine videretur,monendo,rogando,obſecrandoq́ue,Viennam
proficiſci ad imperatorem inſtituit,omnes adhortatus,vt eò ſe properè conferant, arbitratus Cęſa-
ris pręſentia & authoritate rem optatam ex ſententia confici poſſe.Magnis quidem atque aſperis iti-
neribus eò tandem ventum eſt.Fit obuiam Beſſarioni imperator ad mille paſſus, eumq́ue nullo non
adhibita honoris genere in vrbem ducit.Data eſt tãtummodo dies quieti: Poſtera vero cùm legatus
ad imperatorem,contrà imperator ad legatum proficiſci honoris cauſa contenderet, peruicit impe
rator ad Beſſarionem pergens,quo cum & de pace componenda inter Germaniæ principes, & de
bello Turcis inferendo longiſsimus & grauiſsimus ſermo eſt habitus. Cùm itaque principes &
legati multorum veniſſent, de eademq́ue re quàm ſæpiſsimè omni conatu fruſtrà tractatum eſſet,
propoſito ipſius prouinciæ emolumento & honore, redire tandem in Italiam lucem feliciſsimam
legatus inſtituit,ne fruſtrà & tempus & corpus valetudinarium frigoribus & labore itinerum ac tæ
dio animi conſumeret.Inter exteras gentes Græcis ac Latinis naturâ infeſtas,periclitatum eſt ſæpi-
us,dum temulenti & armati non ſolùm in agris,ſed in vrbibus graſſantur,Viennę autem potiſsimũ,
vbi gymnaſtici quauis licentia & petulantia vtuntur.Redijt tandem poſt biennium Beſſarion veſter
Quirites,vt quem abſentem Roma deſiderabat,cupiebat,& votis optabat,præſentem denique intue
retur,admiraretur,venerareturq́ue vt Eccleſiæ Romanæ vnicum columen,& patriæ veſtræ paren-
tem.Non deſtitit tamen vir optimus & ſapientiſsimus Pium pontificem hortari, vt pijſsimum bel-
lum iam antè contra impios decretum, amplecteretur.Hanc ob rem cùm Pius Anconam, vnde mo-
turus erat in hoſtem,proficiſci inſtituiſſet,ibiq́ue claſſem vndique venturam à Chriſtianis expecta-
ret,Beſſarion ad Venetos properè contendit ſedis apoſtolicæ legatus,cuius authoritas tãtum valuit,
vt & ducem & ſenatum ad id bellum impulerit.Paratę triremes à Venetis ſunt,dux claſsi pręficitur,
nauigat Anconam,eò & Beſſarion ſenex ac imbecillis ob valetudinem cum triremi ſua impenſa ſtru
cta & armata,contendit.At verò in tanto apparatu Pio pontifice mortuo , cùm omnes paſsim dila-
berentur,ipſe quoque Romam ad ineunda pro nouo pontifice ſuffragia reuertitur : quo creato,cùm
omnia ad otium ſpectarent,ingenio ſuo & doctrina fretus,quicquid otij à rebus publicis dabatur,to
tum id ad ſcribendum contulit,homo omnium ſolertiſsimus.Cùm prodeſſe coram amicis aut peri-
clitantibus non poſſet,eos literis pietatis & humanitatis plenis admonuit,erudijt,à malo deterruit,
ad officium ſi qua in re delinquerunt,reuocauit:harum extat numerus propê infinitus , tum Græcè
tum Latinè ſcriptarum . Duas ſcripſit duorũ locorũ laudationis,& patriæ Trapezundos & Iſthmij,
adeò eleganter & abſolutê,vt prouinciæ ipſæ & benignitate cæli & hubertate frugum omnium &
portuoſitate littorum,atque hominum ingenioſorum & fortiſsimorum copia,cuiuis prouinciæ cõ-
ferri poſſe viderentur.Non dico,quàm doctè,quàm memoriter horum locorum reſp.& quicquid in
his tum bello tum pace geſtum ſit,commemoret,deſcribat,notet: facit id quidem adeò ingenioſe &


accuratè

accurate, vt res ipſæ non deſcriptæ, ſed ab eodem inſtitutæ & geſtæ videantur. In conſolationibus triou., quas ad imperatorem Conſtantinopolitanum in morte vxoris habuit, ad conſtantiam & fortitudinem hominem ipſum pluribus rationibus reuocat, verbis grauiſsimis & ſententijs oſtendens, nil noui eius maieſtati accidiſſe, cùm mors omnibus ſit, non dico commune malum, ſed receptaculum à malis, ſi bene ac conſtanter vitam duxerimus, quemadmodum reginam ipſam vixiſſe oſtendit.

Confutauit acerrimè graui & copioſa oratione eos, qui pertinaciter nimis aſſeuerant dictum illud Iohannis de Petro, *ſic eum volo manere, quid ad te?* cùm dicendum ſit, *ſi eum volo manere, quid ad te?* Hoc autem probat & doctiſsimorum hominum authoritate, & græca littera, qua Ioannes euangelium ſcripſit, & latina locutione, à qua modus ille dicẽdi longè abhorret. Sed adeò copioſe in aduerſarium ſurgit Quirites, vt nullum propè erratum aut vitio interpretum commiſſum, aut negligentia librariorum, aut incuria legẽtium, in tota ſcriptura ſacra prętermittat. Aperit omnia, diſputat, refellit, docet. Eodem dicendi ac diſputandi torrente Epheſini Epiſcopi opinionem, aſſerentis ſpiritum ſanctum à patre tantùm prodire, acerrimè confutat. Sancti Beſſarionis, vnde ipſe nomen accepit, patrię, parentis, ac patroni vitam diligenter ac copioſe ſcripſit. Sancti Franciſci ordinem, cuius patronus habetur, conſtanter ac ſapienter tutatus eſt. Non eſt paſſus quempiam bene de genere humano meritum, maledicentia poſt mortem lacerari. Vnde acerrimè in calumniatorẽ Platonis inſurgit eo volumine, & quidẽ diuino, quod nuper magna cum veſtra expectatione edidit. Quàm grauis ſit in laudando, acerbus in vituperando, in ſententijs argutus, in diſſerendo ſubtilis, in confutando acer, ex hoc libro comprehendi poteſt, in quo rerum omnium diuinarum atque humanarum ſcientia tanquam in ſacrario repoſita videtur: hinc eſt certè quod hauriant theologi, philoſophi, mathematici, oratores, dialectici, & quoduis genus hominũ ciuilium ac ſtudioſorũ. Nullá ſectam philoſophorum prętermittit, quam non notet: quid quiſq; dixerit, quod probari improbariue poſſet, oſtendit: vt Pythagoræorum nimiam pietatem, Cynicorum ruſticitatem, Stoicorum auſteritatem carpit: ita Peripateticorum & veterum academicorum mediocritatem laudat: extollit Ariſtotelem, Platonem philoſophorum principem facit, quò cum plura Chriſtianis oſtendit conuenire, quàm cum aliquo philoſophorum: neque id quidem theologorum noſtrorum authoritate tantummodo probat, verumetiam ſyllogiſmo & rationibus, quibus aduerſarium ita circumagit & opprimit, vt neque quò ſe recipiat calũniator diuini Platonis habeat, neq; quid reſpõdeat obrutus argumẽtis ſatis inueniat. Hunc ſiquidem homuncionem vir ampliſsimus ita interdum deridet, ſeruata grauitate dignitatis, vt fateri cogat, ſe non modò non intellexiſſe Platonis mentem, quem hic nouus Carneades imperitiæ, turpitudinis, inconſtantiæ arguit: ſed ne linguæ quidem Græcæ proprietatem tenuiſſe, cùm ipſe Græcus ſit, & Platonis leges non latinas facere, ſed deprauare conatus, philoſophi ſententias euerterit, & obſcuriores reddiderit. Quanta fuerit huius audacia Quirites, animaduertite quæſo. Hic enim acſi in quauis ſcientia, doctrina & antiquitate ſolus doctor gentium & magiſter haberetur, ſolus peragraſſet orbem terrarum diſcẽdi cauſa, quicquid vbique arcanũ & reconditum eſt, vt Platonẽ & Pythagoram feciſſe intelleximus, ſolus in publicis Europæ gymnaſijs Gorgiæ Leontini & * Archelai morem à Socrate deriſum vſurpaſſet, quæſtionem ſcilicet in conuentu & corona hominum poſcendi, & iubere dicere qua de re quiſque vellet audire: non eò temeritatis progredi certè debuiſſet, vt doctiſsimum Ariſtotelem cũ diuino Platone, diſcipulum acutũ cum ampliſsimo præceptore conferret ac committeret: huius tamen audacia nil nobis obfuit Quirites, imò vehemẽter profuit: & ſi cui licet optare vt aliquis peccet, id certè nobis adeò precibus expoſcẽdũ fuit. Hac enim indignitate concitatus Beſſarion, omnem omnium philoſophorum qui vnquam fuere, ſententiam explicat, & quod maximè optandum erat, doctrinam & mentem Platonis à nemine ferè iuniorum cognitá, ita explicat & aperit, vt perfacilè appareat, omnes ſectas quæ ſanum aliquid ſapere videntur, ab ipſo Platone tanquam perenni & huberrimo fonte manare. His rebus quæ grauiſsimæ ſunt, & totum hominem propè requirunt, intentus pro tempore Beſſarion, nil tamen vnquam omiſit, quod ad officium cardinalatus pertineret. Rem diuinam & domi & foris nunquam intermittit. Senatum frequentat, in quo ſecundus à pontifice habetur. Sententiam in conſultationibus grauiter, & conſtanter in repub. Chriſtiana tuetur, clientibus & familiaribus apud pontificem patrocinium ſuum præſtat. Circumuentos malorum fallacijs adiuuat, bonos & doctos ad meliorem fortunam & honeſtiorem dignitatis gradum commendationibus ſuis grauiſsimis ac proprijs facultatibus interdum erigit, familiam domi alit, in vtraque lingua eruditiſsimam, & in quauis facultate doctiſsimá. Veſtri illi maiores Quirites, viros doctiſsimos in contubernium ſuum recipiebãt diſcendi & philoſophãdi cauſa, vt Scipio Africanus Ennium poëtam, Panætium philoſophum, Polybium hiſtoricum, Luculli, Catones & Hortenſij Archiam poëtam, Cicerones Cratippum philoſophum, Cn. Pompeius Lenæum Libertum, Auguſtus Cæſar Apollonium Pergamenum: multos qui id fecere non de Romanis tantum, ſed etiam de externis, commemorare poſſem. Hæc autem Beſſarionis ſit præcipua laus, quòd ſuos non religione tãtùm & moribus ad benè viuendum inſtituit, verumetiá litteratura, eruditione, doctrina ita imbuit, vbi à negotijs publicis vacat, vt inde quemadmodũ quotidie cernimus, multi & quidem docti, tanquá ex equo Troiano (vt de Iſocrate ait Cicero) cõtinuè prodeát, ac plures propè quàm ex reliqua Romana curia. Quid deeſt Nicolao Perotto archiepiſcopo Sipõtino, quod ad mores & doctriná faciat? Grauis pro dignitate, comis & humanis, ſcribit ac dicit elegãter & copioſe:



ſed qui Græca Latina melius faceret, nemo adhuc ætate noſtra inuentus eſt. Quanta ſit Theodori Gazæ viri optimi doctrina & eruditio, tum Græca, tum Latina, ex hoc vel maximè deprehendi poteſt, quòd omnes bonarum artium ſtudioſi de aliqua re ambigentes, hunc adeunt ex tota ciuitate, vt oraculum totius eruditionis ac diſciplinæ. Hic etſi Gręcus ſit, ita latinè ſcribit, vt nullam hoſpitis ſpeciem præ ſe ferat. Non eſt omittendus Iohannes Gattus theologus philoſophusque inſignis, non Valerius Viterbienſis, eruditione, doctrina cum quouis optimo ætatis noſtræ medico cõferendus: non Andronicus Græca & Latina lingua apprimè eruditus. Sunt & in eius contubernio, qui pontificum ac ciuile ius, quique mathematica optimè teneant. Subſequuntur & iuuenes quidam, qui validiores facti, tanquam generoſi pulli & ex optima prole ſumpti, non tubam aut campanam reformidabunt. Hi fructus oriuntur vndique ad hubertatem non minus ciuitatis, ſed totius prouinciæ, Beſſarionis opera & impenſa, qui non vna in re tantùm liberaliſsimas manus, ſed in pluribus circumfert. Miſeratus Græcorum calamitatem, multa nummûm milla aureorum pro redimendis captiuis expendit, puellas multas inopia parentum marito carentes, ære proprio dote facta nuptui collocat. Inopes & valetudinarios cõtinuò iuuat: ædes ſacras aut inſtituit, aut collapſas vetuſtate reficit: quod indicat templum Apoſtolorum in vrbe, vbi ſacellum ſibi condidit, & ſeceſſus cryptæ ferratæ beatæ Virgini dicatus. Domum quoque ſibi parauit, ita dignitati & facultatibus congruentem, vt neque melius quiſquam, neque modeſtiùs in vrbe habitet. Accedentes & quidem frequenter, libenter admittit, audit & quod fieri ab eo amicorum cauſa poteſt, doctorum præſertim, quorum patronus eſt, id ſe libenter facturum repromittit. His verò de ſuo tantum interdum donat, quantum ei per domeſticas impenſas licet. Bibliothecam Græcam triginta millibus nummûm aureorum emptam, Venetijs extruxit, ne omninò Græca literatura deficeret. Vidit enim eam vrbem propter vicinitatem & nauigationem Græcis à barbaris vexatis eſſe percommodam. Ornabit & hanc veſtram ciuitatẽ latina ſuppellectile, ſi ei aliquádiu viuere licuerit. Hunc itaq; hominẽ Quirites, qui ob ſuam ſingularem ſapientiam, conſtantiam, fidem, pietatem, fortitudinem, humanitatem, gratiam, eruditionem, doctrinam, facit quò minus Socrates, Platones, Ariſtoteles, Gracchos, Numas, Varrones, Brutos, Sulpitios, Catones veſtros deſideretis: hunc inquam omnium hominem benè de optimo quoq; & induſtrio meritum, colite, obſeruate, ac frequentibus laudibus & celebrate. Hac ratione (tanta eſt authoritas veſtra) & bonorum ingenia ad virtutem excitabitis propoſita gloria, optima ad excitandos homines calcaria, & malos à vitio deterrebitis, cùm à vobis poſthaberi ac notari flagitioſos dedecoris ac turpitudinis nota videbunt. Ego verò maximas vobis gratias ago, quòd me audire quouis modo loquentem volueritis, maiores tamen habiturus, ſi vos quoque Beſſarionem patrem ampliſsimum, quouis præconio dignum, laudibus veſtris, quæ grauiſsimæ ſunt, celebraueritis.

## BAP. PLATINAE AD PAVLVM II. PONT. MAX. DE PACE ITALIAE COMPONENDA, ATQVE de bello Turcis indicendo, oratio.

SI cui vnquam pro conſeruata vna atque item alia ciuitate gratiæ ſunt actæ, ea hoc potiſsimùm tempore PAVLI PONT. MAX. laus eſt, qua vel laudatiſsimum quemq; iure ac meritò antecellat. Is enim conſilio, quo valet plurimum: prudentia, qua cuncta moderatur & regit: conſtantia, cuius adminiculo vt firmiſsima ancora non ſolùm Petri nauiculam à procellis & fluctibus tuetur, verumetiam vitam omnium noſtrum, bona, fortunas, parentes, liberos, domicilia, ciuitates, Italiam totam, Europam ex flamma, ferro atque omni genere crudelitatis & ſæuitiæ vna denunciatione pacis eripit ac conſeruat. Ardebant cuncta bello, ſolicitabantur pollicitationibus in partes principes ac populi: noui conſcribebantur exercitus, veteribus ſupplemẽta addebantur, commeatus omnifariam ad tantum bellũ iam parati erant. Verùm Paulus diuino nutu collegio cardinalium adiuuante, auditis perſæpè partiũ legatis, æquas pacis conditiones in medium ponit, auerſurus à ceruicibus Italiæ, à viſceribus ciuitatum, ab euerſionibus vrbium noſtrarum omnem vim in immaniſsimum Turcam. O mentem hominis propè diuinam, ô ſingularem ſapientiam, ô charitatem erga Chriſtianum genus inexplicabilem. Quòd viuimus, quòd ſpiramus, quòd fruimur pace ac liberiore vita, tuo id munere fieri nemo eſt qui ambigat. Tibi deinceps quicquid nobis fortuna aut induſtria dederit, id omne merito tuo referemus acceptu. Vilior erit poſthac annona, liberior mercatura mari ac terra, amplior ac copioſior agricultura, quoquò voluerimus aut negotij, aut animi cauſa ſine hoſtili metu migrare nobis licebit. Egiſti nimirum Paule, quod pontificem decet. Curanda eſt tibi creditarum animarum ſalus. Curanda populorum ac principum concordia. Retinendi admonitionibus & cenſuris in officio ſunt, qui aut ſuperbia, aut auaritia, aut cupiditate dominãdi melioribus vim inferre, ac iniuriá facere tenuioribus conãtur. Tu vnicus diuino nutu ac patrũ omniũ cõſenſu ex ordine cardinaliũ delectus es, qui Chriſtianá remp. regeres ac gubernares, qui leges, qui plebiſcita, qui mores prouinciarũ ac populorũ ęqua láce tẽperares. Ad ſummá laudẽ Paule nil tibi pręter bellum Turcis indictũ ac cõfectũ, deeſſe video. Hinc enim omnis tua laus tanquá ex optimo gymnaſio æternitatẽ capiet. Graue eſt fateor hoc bellũ & periculoſum, ſed multò grauius, vt incendiũ inter cõdenſa tecta futurũ eſt, ni obuiá ſęquienti hoſti terra ac mari itũ fuerit. Is enim ſedẽtibus Chriſtianis ſocordia & auaritia principũ, in Europam cum magno exercitu traijciẽs, capta Cõſtãtinopoli ac direpta, magná partẽ Thraciæ, Macedoniá, Theſſa-

liã,Boetiam,Achaiã,& totã fermè Epirũ,addo etiam Peloponneſum,vi cæpit præter pauca oppida, & ea quidem maritima,quæ à Venetis fortiter & conſtanter ſunt defenſa.Reticeo mortes duorũ imperatorum,Cõſtantinopolitani ſcilicet & Trapezuntij:taceo regis Boſsinę,ducis Seruię,ac multorũ Chriſtianę religionis principũ,vnà cũ populis & nationibus interitum.Is occaſionibus illectus homo omniũ crudeliſsimus ac dominãdi cupidus,Pannonias magnis inuicẽ illatis acceptisq; cladibus, cũ ingenti exercitu ſæpè ingreſſus eſt:reſtitẽre fortiter ac conſtanter Vngari. Idẽ fecere Epirotæ & Illyrij:idem poſtremò Veneti terra mariq;. Quibus bellis declaratũ eſt, plus ſpei hoſtẽ in diſcordia Chriſtianorum,quàm in virtute & fortitudine ſuorũ repoſuiſſe.Excitare hæc profectò animos hominũ atq; inflãmare potius,quàm deterrere,ad tantũ bellũ, tamq; neceſſariũ debent. Diutiùs tamen differendũ nõ eſt,ne qui vſq; ad hęc tempora cum magno ſuorũ interitu,barbarorum impetus ſuſtinuere dimicãdo & ſua tuendo,nunc demũ derelicti,Vngarorũ exemplũ imitati,Turcis ſe ſuaq; omnia dedant.Cõqueruntur tum deniq; homines*liberè,& tranſitionis, quando à vobis deſtitui videbuntur,honeſtiorem viam putabunt: tantũq; quod etiam atque etiam conſiderandũ eſt,additamẽti hoſtibus potentiſsimis accedet,quantũ vobis ademptũ fuerit,Adde quòd hoſtibus audacia & vectigal,noſtris timiditas & inopia creſcet.Omitto vtilitatẽ, quæ quàm magna futura ſit,negotiantes & mercatores Europæ,qui cõmigrare emolumẽti cauſa ante hoc grauiſsimũ bellũ ſolebant, cũ gemitu cõmemorant,& ſpe pleni loca illa amœniſsima & fructuoſiſsima,in poteſtatem Chriſtianorum aliquando ventura vtilitatem exoptatã expectãt.Omitto inquam vtilitatem,quę etiamſi nulla extaret debellato hoſte,ad delendã tamen ignominiam ſuperioribus negligentia & auaritia eorum ad quos maximè attinebat acceptam,bellum ſuſcipiendũ eſſet:præcipuè verò cũ hæc immaniſsima belua,nõ in homines,ſed in Deũ Opt.Max.quem meritò colimus vt verũ Dei filiũ,vt redemptorem humani generis,vt verę ac ſanctæ religionis fundatorem,arma ſumat,ſpurcam,ſordidam,inhoneſtam,inceſtam Mahometanã perfidiã verbis ſtolidis & impudica actione iactitãs. Poſſum cõmemorare ob leues cauſas,ſi ad has reſpicimus,quę grauiſsimę ſunt,multos quondã populos,multos principes bella periculoſiſsima ſuſcepiſſe,vt Romanos Achaium & Tarentinum,Gallos Romanũ, Lacedæmonios Atticum.Omitto Romanos bella propè infinita cum finitimis & externis geſsiſſe, ob res quãtumuis paruas repetitas & non redditas,ob violatum ius gentium,& læſum aliqua ex parte fœdus. Vos autẽ tot vrbibus direptis,euerſis atq; incẽſis,tot deuaſtatis prouincijs,tot regibus,tot principibus,tot populis Chriſtianis varijs cruciatibus necatis,tot puberibus partim ſtupratis,partim in grauiſsimã ſeruitutem abactis,à vindicanda tanta iniuria ſuperſedebitis? Moueat ſaltẽ vos,ſi hæc nõ ſatis magna videtur,ſpreta religio,prophanata tẽpla,expoliata ſacraria,cõminuta ac diffracta Dei ſanctorumq; omniũ ſimulachra.Quid martyrũ reliquiæ?nónne per cõtemptum ex abditis & ſacrarijs auulſæ paſſim per vias,per cõpita & immũda loca proiectę iacẽt? Audire eorũ voces nũc certè videor obſecrãtiũ vos per ſanguinẽ eius,qui nos redemit,per matyria ſua ad ſalutem cõmunem tendentia, vt bellũ animo conceptũ,tandẽ ſuſcipiatis, habituri ducẽ Chriſtũ ipſum , ac ſanctorum opera & auxilio pro cẽturionibus & ſigniferis vſuri.Vnũ tantũmodò vereor,ne vos deterreat res toties infeliciter tẽtata. Sed quo cõſilio,per immortalẽ Deũ,quibus copijs,quàm diſiũctis & inęqualibus bella inchoata nec perfecta. Nollẽ id factũ,cùm ob eã rẽ reſederit Chriſtianorũ ardor.Collectæ pecuniæ quauis arte & acerbitate ſunt,conſcripti milites,cõparata claſsis,nec tamẽ quicquã dignum memoria geſtum eſt. Imperatorẽ,& quidem præclarum,veteranum & firmum exercitum,non collectitium,ęrarium ſolidum,non mẽdicatum tãta moles bella exigebat. Viouada duce clariſsimo Vngari non propulſarũt modò numeroſum hoſtẽ & ferocẽ,verùm etiã ingẽti illata clade eum cedere ẽ finibus coẽgẽre.Quãtillis copijs magnos hoſtium fudere exercitus Illyrij & Epirotæ,ducum ſuorum imperio ac conſilijs in prælio retenti.Parua manu iã quinquẽnio Veneti magnas Turci tum terra tum mari detinuere copias:congredi nauali prælio nunquã cum Venetis eſt auſus,cõtentus Boſphori Propõtidisúe limites tanquã tutiſsima effugia tueri.Coniectari ex his licet,hominem plus fortunæ & diſsidio Chriſtianorum,quàm virtuti fidentẽ,pelli ex Europa in latebras Aſiæ poſſe,ſi cõſilio tuo & mandatis Italiæ populi obtemperauerint . Armauit Vrbanus ſecundus Pont.Max.conuentu Chriſtianorum ad Clarũ montẽ habito,trecenta millia hominum in Saracenos recuperandæ Hieroſolymæ cauſa: hæc tanta multitudo Chriſti ſigno notata,Cõſtantinopolim primò diuerſis itineribus perueniens , ducibus & quidem clariſsimis Gotifredo,Euſtachio,Balduino,Raymundo,Boëmundo vſa,in Aſiam traijciẽs, Græcis ipſis,maximè verò Alexio imperatore Conſtantinopolitano aduerſante,qui malignè commeatus ſubminiſtrabat,oppida multa,Nicæam,Antiochiam,Hieroſolymam, Heracleam , Tarſum, multis millibus Saracenorum & Turcorum cæſis,occuparunt . Deſerentibus deinde tantam expeditionem quibuſdam,deletis etiam paulatim Chriſtianorum exercitibus, nullo ſubminiſtrato ſupplemento,vt decebat,ad Saracenos & Turcos tandem recidere omnia . O bellum ſanctiſsimum & annalibus aureis notandũ, ſi id retinere Chriſtiani principes adnixi fuiſſent,quod multo ſudore ac ſanguine noſtri pepererant.Nónne ad aſtra Vrbani nomen fertur,qui iam pium ac iuſtum bellũ cõcitauit? Laudatur & Bernardus Clareuallenſis Abbas , qui hortatu ſuo & ſanctitate qua celebris tum habebatur,multos principes ad tantum bellum tamq; neceſſariũ impulit:in primis Cõradum Sueuũ, cuius exercitũ dum Iconij eſſet,nõ Barbari , ſed Emanuelis Cõſtantinopolitani imperatoris fallacia deleuit,mixto gypſo cum farina,quę cõmeatus nomine ſubminiſtrabat . Deficientibus enim hãc ob rem militibus(nã varijs affligebantur morbis)cedere retrò Cõradus coactus eſt.Repreſsit ferociam





Saladini viri fortiſsimi Balduinus quartus Hieroſolymorũ rex,fugatis eius ad Aſcalonẽ copijs.Quo poſtea mortuo , idem Saladinus victis ingenti clade Chriſtianis, omnia facilimè in poteſtatem ſuam redegit.Defuere illis ſeculis pontifices,qui & vellent,& poſſent tantum bellum ſuſtinere.Velle te nemo eſt qui ambigat,cùm pacem Italię,quietem Europæ accuratiſsimè quęſieris.Vt etiam poſſes,fecit tua non in quærendis modò pecunijs ſolertia,ſed etiam in conſeruandis parſimonia. Delegiſti item,& quidem prudenter ex militia Italica Bartholomæum Bergomatem veteranũ ducẽ, cui tuas ac reliquorũ ſociorũ copias meritò cõmitteres:in eo enim ſunt quę in duce optimo ineſſe oportet:ſcientia rei militaris,quã à teneris annis propè in caſtris enutritus,ſub Brachio duce pręſtãtiſsimo contra acerrimas hoſtium copias dimicans imbibit. Duxit deinde per multos annos ordines.Libertatem Italiæ,dum Mediolanenſes varijs bellis diſtraherentur,ſuis copijs contra Gallos fortiter dimicans,tutatus eſt.De labore hominis in bellicis negotijs,de fortitudine & conſtantia in adeundis periculis,de conſilio in prouidendo,re militari ita exigente,non attinet dicere,quòd cùm ſemper aliàs,tùm verò vel maximè pręterita æſtate maximos ductauerit exercitus,nullo incõmodo à magnis hoſtium copijs accepto.Adde quòd gloriæ cupidus,antequã è vita diſcedat,relinquere de ſe monumẽtum cogitat,quod poſteri fama celebrẽt:offerri viro nulla certè maior occaſio potuit:bellum habet honeſtiſsimum,pro pijs contra impios,pro iuſtis & bonis contra iniuſtos & malos , pro modeſtis contra immodeſtos & intemperantes:pugnaturus nimirum eſt Deo ipſo duce,quem ſpernũt hoſtes,quem negant,quem tollunt è medio quoad fieri poteſt,Mahometum perfidæ ſectæ & ſpurcę authorem ſequentes.Inchoare tãtum bellum difficile videtur , quòd longè ab Italia ſit eundũ,quòd in aliena prouincia ſit dimicandum,& contra eos qui immanes & crudeles in prælijs habẽtur. Adeóne remollitos & effœminatos Italorum animos putabimus , vt cùm Romani olim belli gerendi cauſa extremas orbis terrarũ partes peragrauerint,maria nauigauerint,alpes aditu difficiles ſuperauerint,non ſint futuri,qui noſtra ætate nomina dent ad tranſeundum in Epirum,in Macedoniam,in Græciam? Ego verò ſic exiſtimo,propoſito die, quo ad danda nomina,ad tam ſanctam militiam ſit eundũ,innumerabiles propè tum equites,tũ pedites eò properè ituros:abundat milite & quidẽ exercitatiſsimo Italia,ſed paupere ob auaritiam principum & diuturnam pacem . Cõfluere eò tanquã ad epulas putabis,vincendi ac pręd andi cauſa.Pertinebit & hoc ad cõmunem Chriſtianę reip. vtilitatẽ, & quòd aberit ſuſpicio conſpirationis,intento ad res agendas milite:& quòd bellum in terra hoſtili motum,eorũ cõmeatus,animos, vectigalia diminuet,ac noſtris audaciã faciet. Continebitis item in fide hoſtium finitimos,qui vel feſsi diuturnitate belli,vel aliqua opportunitate illecti,nõ ita conſtãtes futuri videntur.Omitto oblatã vobis occaſionẽ recipiendi eos in fidẽ & amicitiã,qui crudele ſeruitutis iugũ à collo ſuo reijcere iãdudum cogitãt. Timorẽ obijcitis noſtris militibus? magisnè reformidant vulnera & fuſum cruorem Europei quàm Aſiani? vnde quæſo robur militię & conſtantia ac contemptus vitæ in prælijs eſt habitus,ſi non hanc fortitudinem Europa habuit, quæ homines ad labores,ad frigora,ad ęſtus,ad famam & ſitim tolerandam,ad ſuſtinenda vulnera,ad tingendas cruore manus producere atque alere videtur? Hinc orti ſunt,præcipuè autem ex Italia, qui orientem , qui meridiem,qui denique totum orbẽ terrarum,Romanorum imperio ſubiecere. Obſtinaciores in pręlio futuros noſtros putarim,quòd non pro libertate tantùm,ſed etiam pro religione & immortali Deo dimicaturi ſunt. Terret quoſdam multitudo hoſtium,quòd ad ducẽta millia hominum eadem caſtra plerunque habeant . Nuſquamnè auditum aut lectum eſt , magnam multitudinem , & eam quidem inconditam,ſeſeq; ſua numeroſitate impedientem,à paruis exercitibus fuſam? Superauit Melciades Athenienſium dux in campis Marathonijs cum decem millibus militum , adiuuãtibus perpaucis Plateenſibus , centum millia Perſarum in Gręciã à Dario miſſa,occupatis anguſtijs Thermopilarum.Leonidas Spartanorum rex,cum quatuor millibus militum ita Xerxis copias terris etiã graues pugnando defatigauit,vt non victi Lacedæmonij,ſed hoſtes cedendo defatigati potius concidiſſe dicãtur. Superauit Themiſtocles Athenienſiũ dux,in anguſtijs Salamini freti ingentẽ Xerxis potentiſsimi regis claſſem cũ paucis nauibus, ſi numerum Perſarum inſpicimus. Hac pugna Xerxes perterritus,in regnum omiſſa Gręcia trepidè ſeſe recepit.Quoties parua manu Darium aut pręfectos eius magnorum exercituum duces,fudit Alexãder magnus? Quoties Cęſar? Quoties Scipio? Quoties Hannibal? Quoties Pyrrhus? Et ne veteris teſtamenti hiſtoriã pręteream us,Saul res ſolus vno pręlio mille,Dauid decem millia Philiſtęorum ſuperauit.Non fraudetur ſua laude Iudith fœmina illuſtris, quæ Holophernem interfecit,ac patriam graui obſidione liberauit.Factum hoc auxilio Dei , qui iuſtam ſemper cauſam fouet,nõ negauerim.Tuebitur & nos idẽ Deus,qui Pharaonẽ iniuſtè populum eius perſequẽtem,vndis rubri maris ſubmerſit,qui Boëmundũ quondã,Euſtachium,Gotifredũ,Balduinũ,noſtra ætate Sigiſmundũ imperatorẽ Eugenio põtifice , Viouadã Nicolao quinto, Matthiã regẽ Vngarię Pio ſecundo inſtãte,magnis illatis crudeliſsimo hoſti & impio cladibus,tutatus eſt.Erũt quos fortaſſe impenſa bellica deterreat,quod ſine ingẽti armorum,cõmeatus, pecuniarum vi & numero tantum bellũ ſuſtineri nequeat,quippe cum aduerſus totã Aſiã ac magnã partẽ Europę ſit dimicãdũ. Eſt quidem hoc bellũ(vt verum fatear)magnum,nõ tamẽ adò magnum , vt ſuſtineri ab Italia nõ poſsit.Et vt à teipſo Chriſtianorum principe Paule incipiã,tui prouẽtus diuturni & perẽnes,tua vectigalia,vnde impenſæ bellicę ſatisfieri poſsit,nõ ſunt contẽnenda.Sub ditione tua Picenum habes patrimonium,maritimã orã,feraciſsimas Italię partes,vnde nauibus facilimè comportari ad noſtros in Epirum , in Peloponneſum , in Illyricum commeatus poſſunt.Quid quod tibi facultas data

eſt exigendi decimas ac trigeſimas quidem alias à ſecularibus, illas à præsbyteris, ſi ita reſpub. Chriſtiana exigere videbitur? hinc enim grandis pecunia ex tota fermè Europa colligeretur, qua vel diuturnum bellum ſuſtineri poſſet. Omitto ſcribere, quos theſauros quadriennio iam paraueris, ad hos credo vſus. Eſt enim hæc conſtans omnium opinio, magnam vim ſignati auri apud te eſſe, quo & exercitus Chriſtianos ſuſtinere & te ac tua, ſi qua vis ingruerit tueri poſsis. Non deerit tanto bello Ferdinandus Neapolitanus rex, qui pacato iamdiu ab externis hoſtibus regno, glorioſius nil aut ſanctius agere poteſt, quàm vnà tecum hoſtes Chriſtiani nominis à ceruicibus noſtris remouere. Habet militem exercitatiſsimum & veteranum, habet triremes, abundat omnifariam commeatu, habet portus ad traijciendum in Epirum & Gręciam accommodatos. Hinc quantum ſpei concipere poſsis non ignoras, cùm mandatis tuis obſequentiſsimus iuturus ſit ſemper. Florentinos item pollere terra ac mari tua oſtendunt decreta, cùm belli partem eis deſignaueris. Senenſes, Lucenſes, Ferrarienſis Marchio, additamenta ad hanc rem non parua videntur. Ducem præterea Mediolanenſium Galeatium vicecomitem potentem milite, commeatu, pecunia facilè in ſententiam tui deduces, modò bellum ſuſceptum inchoetur. Venetos florentes copijs & opibus tantum ad bellum cæteris promptiores cognoſcimus, & quòd hoſtes quibus cum quinquennio varijs caſibus bellum geſſere, finitimos habent, & nuſquam maiorem opportunitatem augendi rem & gloriam Venetam hac habituros ſe ſperant, maximè autem ſub tuo hoc feliciſsimo pōtificatu, quo omnia ad pacem populorum, ad concordiam principum & regum ſpectare videntur. Multa ſunt beatiſsime pater, quæ te ad hoc bellum debēt impellere, honor Chriſti, pro quo & mors eſt obeunda, cùm ipſe qui Deus erat & homo, pro noſtra ſalute grauiſsimos cruciatus vſque ad interitum eſt paſſus: periculum quod imminet ceruicibus Chriſtianorum omnium, ſæuiente illa immaniſsima beſtia: charitas patriæ tuæ, quæ propè in faucibus barbarorum eſt poſita, qua ſublata tanquàm refracta porta, huc hoſtes humani generis vt rabidæ tigres ſunt deuolaturi, ad explendam ſitim, quam de ſanguine Chriſtianorum cōcepēre. Retinendi ſunt Veneti in angulo Italiæ, quorum nulla maior aut ſanctior noſtra ætate reſpub. eſt. Fouendi atque iuuandi omninò ſunt. A nobis enim exteras gētes & barbaras ſuo ſudore, ſuo ſanguine, reijciunt. Mare Hadriaticum, Ionium, Aegæum tutum nauigantibus præſtant, prouinciam huberem & abundantem rerum omnium copia faciunt, libertatem Italicam tuentur, Tyrannorum quorundam ſæuitiam cohibent, facta populis ſpe ad eos tranſeundi, ſi grauiùs & iniquiùs opprimerentur. Bello nauali, quo ipſi ſoli plus penè poſſunt, quâm reliqui, qui nauigatione vtuntur, Turcá adoriantur. Centum enim triremium claſſem, omitto onerarias, quarum magnus eſt numerus, inſtruere poſſunt, qua hoſtem vel intra anguſtias Helleſponti & Boſphori perſequantur. Bello terreſtri tu cum reliquis ſocijs adiuuantibus eiſdem Venetis hoſtem aggrediare, inſta, vrge: ac demum Epirum, Macedoniam, Peloponneſum, Atticam, Bœotiam, Thraceam, & Conſtantinopolim caput orientalis imperij è faucibus rabidi lupi eripe. Subſequentur authoritatem tuam Germani, ſubſequentur Galli & Hiſpani, ſubſequentur denique omnes Chriſtiani nominis, qui nihil aliud expectare videntur, quàm vt abs te ſignum crucis, ſanctiſsimum vexillum efferatur, accenſus pulcritudine gloriæ, qua te celebrari imperator audiet, pariet tandem quod iam diu parturit, tot conuentibus ob hanc rem in Germania habitis, te ſolùm omnes intuentur & inſpiciunt ituri quoquò imperaueris. Tolle itaq; vexillum ſanctiſsime pater, & vt optimum ducem par eſt, in hoſtem ſigna moue. Hoc vt facias, te Deus ipſe adhortatur, monet, impellit: hoc pietas, hoc religio, hoc humanitas, hoc denique illorum calamitates, qui dominatum & potentiam crudeliſsimorum barbarorum tot annos patiuntur: videor audire eorum gemitus, videre lachrymas, ſupplices manus ad te porrectas, vt eos à pœnis, à cruciatibus, ab omni genere ſæuitię, à ſeruitute ipſa morte grauiore tandem pro tua miſericordia & pietate liberes. Hoc bellum etiam Chriſtianam rempublicam penè labantem confirmabit beatiſsime pater, & tibi gloriam cum æterna laude pariet.

(.·.)

IN BAP.



# IN BAP. PLATINAE PARENTALIA DIVERSORVM ACADEMICORUM Panegyrici.

PROSPER SPIRITVS VITERBIENſis in mortem Platinæ Epigramma.

*QVires pontificum ſacras & geſta piorum,*
*Quiq; ducum vitas nobile fecit opus,*
*Quiq; modum docuit, quo laudet honeſta voluptas,*
*Et quo ne iuuenes torqueat acer amor,*
*Pluraq; quæ longum eſt properans cenſere viator,*
*Omnia ſidereæ pignora mentis erant.*
*Viuit adhuc Platina, & quanquàm conceſſerit orco,*
*Ius habet in vatem Parca ſeuera nihil.*

PROSPER SPIRITVS VITERBIENſis ad Demetrium Platinæ funus curantem.

*Concordes homines vterq; doctus,*
*Sed Demetrius eruditus à te,*
*Eſt vates Platina, tuis alumnus*
*Formatus digitis bonus ad artes.*
*Vidi verticis omnium ſororum,*
*Qui curat tibi buſta diligenter*
*Tyronis pia laureaq; culta:*
*Nunquam prodidit elegante lingua,*
*Mens tantum ſapientiam patroni,*
*Quantum mi Platina tuus miniſter*
*Cælo laudibus imminens ſupremis.*

ANGELVS CAMPANVS IN PARENtatione Bap. Platinæ.

*DVcere ſi longæ didiciſſent ſtamina vitæ,*
*Parcere vel cuiquam fata ſeuera nimis,*
*Nobiſcum Platina plures victurus in annos*
*Manſiſſet, noſtro gratus & vſq; Ioui.*
*Nunc illum Eſquiliæ, nunc illum deſlet ademptum*
*Cuſtodem Sixti bibliotheca ſuum:*
*Viuet inextinctum nomen dum Roma manebit,*
*Dum Papæ ſedes, dum caput orbis erit.*

CAROLVS BERARDVS CAESENAS EPItaphium B. Platinæ

*ROmanum (heu dolor) eloquiū, muſæq; Latinæ,*
*Quo Platina, hoc paruo condita ſunt tumulo.*

CONSOLATIO AD AMICOS.

*Quid Platinam pia turba gemis tibi nuper ademptū?*
*Non obijt, cuius nomen honosq; manent.*
*Parte ſui Platina eſt multo meliore ſuperſtes:*
*Fama viget terris, ſpiritus aſtra tenet.*

MANILIVS RALLVS.

*DEmetri lachymas piosq; fletus,*
*Nec non triſtia iuſta, quæ merentis*
*Patroni parat oſſibus, iuuato*
*Spectator gemitu nouoq; planctu,*
*Doctæ quo Platinæ excitentur vmbræ.*
*Res hæc officioſa, nec pudenda,*
*Quam cum fœnore poſtulant ſepulchra,*
*Vſtis quam cupit oſſibus referre,*
*Quicunque ad ſtygias vocatur vmbras,*
*Quòd ſi fleueris hæc dolenda iuſta,*
*Degas ſecula longiora iuſto.*

Platinæ bibliothecæ præfecto, Sixto quarto pōtifici maximo ob eximiā vtriuſq; linguæ eruditionē, cæteraſq; perſpicuas animi & corporis dotes in primis charo, qui cûm maximê viuere debuiſſet, fatis iniquis pręreptus eſt, Demetrius Lucenſis, alumnus patrono B.M. parentauit.

BARTHOLOMAEVS ARISTOPHILVS in parentalibus Platinæ.

B. Platinam excellentis ingenij virum, & qui literas à ſitu plurimum vindicauit, quàm diu vixit, ita colui atque obſeruaui, vt meritò me redamauerit. Igitur vbi hominis mortem reſciui, vt filium decuit, dolore confectus ſum. Bibliothecæ pontificiæ, cuius ille curam modeſtiſsimè geſſerat, mox præfecit me pontifex Sixtus. Idem mihi cubiculum eſt, quod illi antè fuerat. Id egò cum primum ingreſſus ſum, quodam horrore obrigui: lectus, libri, & vniuerſa ſuppellex eius memoriam excitabat: denique, quocunque aciem dirigebam, illius maieſtas oculis obuerſabatur. Itaque dolor vires, quas mora minuerat, iterum aſſumpſit, & recrudeſcebat vulnus, quòd nondum cicatricem obduxerat. Inualuerat mœror, & maiore impetu indies ſæuiebat. Senſere id manes pientiſsimi, & priſtinæ charitatis non obliti, ſæpius aſſumpto corpore auguſtiore forma, non conniuenti, verum ſentienti, & intuenti apparuêre, triſtitia confectum ſolati ſunt: & quo dolendum non eſſet, apertiſsimis argumentis & rationibus comprobarunt. Quoniam vero non minore deſiderio vos tabeſcere planè intelligo, eadem vobis qui iuſta perſoluiſtis cōmunia eſſe volui. Verùm quo maiorem authoritatem habeat oratio, Platinam ipſum conuiuas alloquentem fecimus: neque verò cuiquam mirum videatur, ſi quod in vita fortaſſe non conſueuêrat, heroicos canter. Id enim in Eliſijs dum Orpheum & veteres poëtas æmulatur, in præſentiarum ſæpius vſurpat. Sed iam ipſum ſuam ſententiam explicantem audiamus:

*Qui modo grata meo cineri pia thura dediſtis,*
*Et dulces lachrymas, multoq; natantia fletu,*
*Faucibus in medijs verba interupta dolore,*
*Saluete ô proceres, & noſtri nominis vſque*
*Turba memor, quæ nil melius fundata Quirino*
*Roma iugo, quanta eſt ſeptemplice martia ſeruat,*
*Eliſij memores ſedes, camposq; virentes,*
*Quos gratæ ſuperis animæ, quos turba piorum*
*Incolit, & niueæ laudis quos perculit ardor,*
*Deſerui triſtes, quò vos & fata quærentes*
*Alloquar, & dulces præſens ego ſoler amicos:*
*Si pro me gemitus, ſi pro me pectore toto*
*Luctus & inſanæ feriunt pia numina voces,*
*Deſinite innumeris fata incuſare querelis:*
*Deſinite, hoc vnum mihi numinis inſtar amici*
*Extremum munus concedite, ponite vanos*
*Vſque metus, flendi ceſſet miſeranda voluptas.*
*Eſt mihi certa quies: nemo eſt felicior: atqui*
*Pellar ab Eliſijs, ſi me mors terruit ipſa:*

Stamina

Stamina ſi vitæ mihi ſunt truncate dolori,
Si grauius quicquam quàm ſi fata impia forſan
Me remeare velint humana in pectore rurſus,
Arte Machaonia vel ſi mihi vita ſtetiſſet,
Non me deprendit ſupremo in limine vitæ
Atra dies pauidum, dubióue in turbine rerum
Huc modò, mox illuc ferri, ſed pectora firmo,
Spemq; metusq; omnes ſpernentem humanaq; paſſim
Exemptum curis, ridentem gaudia, paſſim
Ridentem humanos caſus, & abire paratum.
Mox vbi ſupremum tenui cum murmure tempus
Affuit, inq; leues ſeceſſit ſpiritus auras,
Non me Theſiphone horrendum ſerpentibus atris
Cincta caput, flammasq; ferens armata flagello
Terruit, atq; Charon nigrantis nauita cymbæ:
Non me ter gemino latrauit Cerberus ore:
Non ego tartareas ſedes, ſceleratáq; vidi
Limina, non ſontes animas, numeroúe malorum
Additus inſpexi Tityon, fœcundaq; pœnis
Viſcera, perq; nouem diſtentum iugera corpus:
Quæq; habitant miſeri loca furua & plena doloris
Audiui gemitus & verbera, turba nocentum
Quæ patitur: verùm inde abij, læuaq; reliqui.
Mox ingreſſus iter, qua dextera ſemita ducit,
Et qua lege Deum ſolis datur ire beatis,
In nemus Eliſium veni: qua culta locorum
Splendeſcit facies, qua non violentior auſter
Intonat, & dulces ſpirant clementius auræ:
Qua non ſtridet hyems, non æſtas torrida candet,
Autumnusúe nocens pallenti ſæuit hiatu:
Nam zepheri molles, æternaq; tempora veris
Floribus exornant colles & amœna vireta,
Nubibus & cælum nunquam prætexitur atris.
Gramine vernat humus, veſtitur frondibus arbor
Semper, & alta comas non ponit populus vnquam.
Garrula tum dulces profert philomena querelas,
Et volucris molli ſi qua eſt quæ gutture cantet.
Non deſunt fontes quibus exundantibus amnes
Prata rigant, blandoq; fluunt cum murmure riui:
His natura locis ſoluto mage, prodiga & ipſam
Se ſuperans, larga & facili dedit omnia dextra.
Viſitur hic quicquid fas eſt ſpectare theatris,
Quodq; placet forma, doctáue probatur ab arte.
Hic Decij bello inſignes, geminiq; coruſcant
Scipiadæ, & patriæ quicunq; accenſus amore
Occubuit, pulchra pro libertate cruentus:
Qui genus humanum ſibi deuinxere merendo,
Improba quos neq; ſpes torſit, neq; dira cupido:
Qui ſanctam coluere fidem, qui iura piumq;,
Inq; nefas nullum maleſuada potentia adegit,
Quis rerum cauſas quis cæli noſcere motus
Cura fuit Phœboq; cohors ſacrata poëtæ.
Tum pater Arpinas terras auditus in omnes,
Poſt quem noſtra manus pede libera, Graiaq; longè
Subſequitur, linguæ celebrat quos fama diſertæ.
Quos inter Leonardus erat, mihi cognitus olim:
Quiq; iocaris adhuc dictis & ſcommate Poggi,
Guarinus, centumq; alij, quos dicere longum eſt,
Obuia fit nobis manus hæc: effuſaq; plauſu
Excipit, & magnis exceptum laudibus ornat.
Pontifices ſacros recolunt, queis noſtra perenne
Lingua dedit nomen, quæ non damnanda voluptas,
Quodúe bonum vero eſt, quod falſo nomine dictum,
Quicquid & à noſtro manauit fonte, priuſquam
Deficeret curſu vena interrupta peracto.]
Tum medium excipiunt, & per iuga conſita multa
Arbore, perq; nemus, per prata virentia ducunt.
Dum loquimur, tardoq; gradu per læta vagamur
Gramina, deuentum eſt lethæi ad fluminis vndas,
Qua volucres animæ rediture in pectora rurſus,
Huc illuc volitant, atque ipſo in gurgite pronæ,
Protenſo latices & lethen gutture potant.
Tum comitum è numero qui me deduxerat vnus,
Bis ſummúmue, inquit, ter pleno Cynthia cornu
Quantus erat fratrem formoſo reddidit ore:
Ex quo potus aquas, atq; ipſo gurgite lotus,
Hinc iuuenis forma egregius, cui plurima vultu
Gratia, cui nuſquam liuor, neq; menda, tuoq;
Sanguine concretos artus, infectáq; membra
Ingreſſurus abit, nil his quos vndiq; ſpectas
Par fuit in campis illi: non indole quiſquam
Floruit æquali, nullíue modeſtia maior
Atq; pudor, præcox erat hæc tua poſthuma proles
Te referens, grauis inceſſu, quin littus oberrans
Velle videbatur blæſis proferre labellis
Literulas, tenerosq; apices, & murmure primas
Balbutire notas, abeuntem turba ſecundis
Plauſibus, & multo conſperſum flore ſecuta eſt,
Hunc, poſtquam exultans in lucem venerit aluo
Proditus, excipient chari tua turba ſodales,
Nec cedent in amore tibi, ſed ſanguinis omne
Officium implebunt animóque & mente parentes:
Præcipuè hunc dulci clarus pietate fouebit,
Te recolens nomenq; tuum Gonzigius heros,
Purpura puniceo cui tempora velat amictu.
Huius ope altiloqui noſcet diuina Maronis
Carmina, & Aonidum Parnaſſi in vertice fontem.
Hac ope cognoſcet Romanæ flumina linguæ,
Et quicquid cantat bene conſcia Græcia rerum:
Moribus & vita te reddet deniq; talem,
Vt patre ſi dignus ſis, tali tu quoque nato.
Dixerat, & rata ſunt: nam poſtquam ſtamina rupit
Athropon, inſontes animæ non fallimur, atri
Corporis exemptæ laqueis & carcere cæco.
Cauſa igitur nulla eſt, cur quiſquam noſtra ſequatur
Funera cum lachrymis, feriat ſeu pectora planctu
Me propter: mihi certa ſalus & plena voluptas,
Viuo ego, & algenti poſitis cum corpore curis,
Docta per ora volar virtutum fama ſuperſtes:
Hoc probitas, hoc ſancta fides peperêre laborq;,
Et ductæ inſomnes interq; volumina noctes:
Hoc Plato facundus, dedit hoc mihi muſa Menandri,
Et quæſita diu geminæ faſtigia linguæ.
O decus æternum muſarum, & præmia vatum
Humanis maiora bonis, ô pectora multum
Artibus ingenuis exculta, negauerat vllus
Vos procul humanis caput exeruiſſe ſuperbum,
Dum ſuperum penetrare domos, dum ſidera noſſe.
Atq; vices anni cura eſt, lunæq; labores.
Aſtrorum & varios curſus variosq; receſſus:
Cur glaciem Saturnus agat, cur claſſica Mauors
Concitet, aut nubes depellat Iuppiter aſtro,

Cur



Cur genus omne colat Venerem, quidq; erigat altè
Oceanum, quiduè ſagax natura recondit:
Ignauo neque vult cuiquámue pateſcere regni.
Vos ne homines? potiuſuè abſtruſos corpore dicam
Eſſe deos? veſtrum in nomen mors improba nullum
Ius habet, atq; auidè correptum mordicus vnum
Oſſibus & putri terra quod conſtitit, aufert:
Victura æternum contempta morte ſuperſunt
Carmina, & ingenij ſemper monumenta legentur.
His igitur quicquid vulgus miratur amatq;
Cedat, & antiqui vincatur pompa triumphi.
Cedat Erithræis quod concha recondit in vndis,
Nauta vel Aeoo quod geſtat auarus ab orbe,
Hæc eadem moneo docti mea turba ſodales,
Hæc animis eadem fortiq; capeſſite dextra:
Orbita ſit veſtris eadem contrita quadrigis,
Quadrupedum curſu non diſpare meta caleſcat:
Eſte viri fortiq; animo, maleſana voluptas
Frena pati diſcat, vitiorum ſemina paſſim
Obruta diſpereant, & germinet antea virtus:
Sanctus amicitiæ nexus ſeruetur amorq;.
Sic vbi feſſa ratis portus intrauerit, & mors
Pallida non pauido penetrauit ad intima greſſu,
Fas erit antiqui titulos æquare decoris,
Sic deſiderium noſtri quo pectora tabent,
Alterna vice ſermonum ſatiare licebit,
Et ſimul æternûm cælo meliore fruemur.

ANTONIVS MILITIANVS IN parentalibus Platinæ.

HIccine ſunt cineres, hæc noſtri funera vatis?
Hoc tegitur duro Platina ſarcophago?
Heu mala ſors hominum, miſerisq; obnoxia fatis,
Quam fugere in nulla conditione licet.
Nec quenquam ſplendor, nec gloria læta tuetur,
Sanguiſue, aut partum dura per arma decus.
Huic etiam regum eſt ſubiecta potentia letho,
Et ditum menſas mors violenta rapit.
Saltem virtuti ſacrasq; colentibus artes,
Debuerant tracta parcere fata manu.
Heu potuit Lacheſis tam clarum abſcindere filum,
Taliaq; in ſæuo ponere membra rogo?
Hoc hoc flete nefas, & tundite pectora palmis,
Laurigero quiſquis cingitis orbe caput.
Plangite vos mœſtæ toto Libethrides antro,
Et ſimul abſciſſis exululate comis.
In luctum & lachrymas, in flebile carmen Apollo
Vertere, & è fronte laurea ſerta cadant:
Lamentis, gemituq; per omnem Platina ſyluam
Quæratur, vatem fraxinus alta fleat.
Gorgoneuſq; latex hæc triſti lata ſuſurro
Eiulet, & lachrymas Pegaſus ingeminet.
Sed quæ mœſta parens, quæ tam facunda dolorem
Exprimet in tanta præfica mœſtitia?
Non quæ fleuit Ithim, non cerula mater Achillis,
Non quæ luxerant Memnona, vel Priamum.
Non Phaetontiades Niobe quoq; clamet ademptum,
Nænia par tantò nulla futura viro eſt.
Nec tetricæ curant lachrymas, nec vota ſorores,
Et ſtygium ſuperat victima nulla Iouem:
Atq; ideo potius tumulo pia thura feramus,
Spargentes albis lilia marmoribus.
Pinguibus aut genium dapibus, manesq; beatos
Placemus, tales hic petit exequias:
Certatimq; viri celebremus carmine laudes,
Et quæ tam claræ ſint monumenta togæ.
Pluris erit, quàm ſi dent Cares mauſoleum,
Deq; ſuis vnum barbara Memphis opus.
Vel ſi fingat eum fuluo Lyſippus in ære,
Phidiacáue gerant marmora culta manu.
Hæc Platina ætherei cùm ſit nouus incola regni,
Improbat, & pompæ ſyrmata quæq; negat,
Ac prohibet noſtras in fletum ducere voces,
Et ſua percuſſo plangere fata ſinu.
Iucundoq; ſuos cultu ſolatur amicos,
Atq; ita de cæli vertice lætus ait:
Crœſus, Alexander, Xerxes, Darius, Mithridates,
Fœmineisq; Carus occidit inſidijs,
Arſacidæ cuncti, Perſes, Maſiniſſa, Tygranes,
Seleucus mortem ſenſit & Antiochus,
Adraſtiq; duces, geminiq; in Pergama fortes
Atridæ, mecum turba ſepulta iacet.
Quicunque Aeneadæ capitolia celſa triumphis
Ornarunt, quos nunc longa referre mora eſt,
Felices animæ bello cum prole, domoq;
Extremum, vt ſcitis, oppetiêre diem.
Hannibal & genitor cecidit, ceciditq; Moloſſus,
Atq; alij quotquot barbara terra tulit.
Legibus ijs etiam virtus, ſapientia, Pallas
Fatorum ſerie ſubdita iura tenent.
Draco, Solon vbi ſunt? vbi morum norma Lycurgus?
Gorgias, Plato, Xenophon & Socrates?
Defuncta ſeptem Graiorum lumina, ſectæ
Quatuor, & quotquot Græcia ſuſtinuit.
Splendor & Auſonij Cicero ſermonis ademptus,
Varroq; ſic latiæ conditor hiſtoriæ.
Si quos ſepoſuit terræ mors æqua rependam,
Quorum ſcribuntur nomina, veſper erit.
Denique nullius capiti Proſerpina parcit,
Audax è cæli vertice ſumma rapit:
Exitus hic idem magnas quoque conficit vrbes,
Atterit & valida pegmata pulchra manu.
Carthago, Babylon, Numantia, Troia, Corinthus,
Triſtibus exemplis cognita fata docent.
Quis non Roma tuas ploret collapſa ruinas?
Quam iuncto paſtor findit aratq; boue.
Exciſa eſt moles venerabilis amphitheatri,
Et tua Pompei porticus ampla ruit:
Templa, domos, arcus, ſcenas, capitolia, thermas
Cernite, ſi fati noſcere vim cupitis.
Quis tot aquæductus, diſiecta tot atria, quæſo
Non doleat, ſiccis aſpiciatq; genis?
Deijcit è ſolio populos, & ſceptra potentum
In cineres hominum publica iura trahit:
Aſſyrij, Perſæ, Medi, Lacedæmones huius
Fecerunt ſortis commeritiq; fidem.
Cecropidæ quoque ſunt teſtes, Pœniq; ſuperbi,
E quorum faſtu nil ſupereſſe vides.
Et quandoque viro potior regnauit Amazon,
Nunc iacet, & regni pœnitet Hippolyten.
Roma iterum atq; iterum lachrymis venit obuia no-
Flebilis, & pullo conſpicienda ſinu. (ſtris

Quacunq;

*Quacunq; exoriens cælo ſol aſpicit vſque*
*Extremas Gades, Herculeumq; fretum,*
*Quaq; timet gelidis mergi Cynoſura ſub vndis,*
*Et tepidi perflat leniter aura nothi,*
*Innumeras gentes victumq; ſubegerat orbem*
*Neptuno, & cunctis ſola videbat aquis.*
*Perdidit infelix conuerſis omnia fatis,*
*Et nil tam magno reſtat ab imperio.*
*Quid tibi Paule fuit iecisse in uincula Perſen?*
*Et quid Iugurtham uincere Sylla tibi?*
*Perdere tot captos reges, tot in æquore claſſes,*
*Hoſtibus innumeris impoſuiſſe iugum?*
*Et mouiſſe parum eſt extremas arma per vndas,*
*Horum ſi tandem finis habendus erat?*
*Humanis igitur quæ ſit fiducia rebus*
*Pendite, nil firmi Cypthia ſubter habet.*
*Occidit omne quod eſt quocunq; autore creatum,*
*Omnibus eſt finis, metaq; principijs.*
*Ergo quid à vobis tam triſte Platina fletur?*
*His ego quid lachrymor ſubditis auſpicijs?*
*Natus homo moriturus eram, calcandaq; lethi*
*Semita, Styxq; mihi prætereunda fuit.*
*Huc ſemel à cunctis ex mundi luce migratur,*
*Hos mane, hos ſero, veſpere nauta uehit.*
*Gratia dijs, aliquot ſpatijs vitæq; diebus*
*Functus, ad has vndas & vada nigra feror.*
*Mercurij quòd eram cultor Phœbiq; ſacerdos,*
*Vixi magnatum clarus amicitijs.*
*Sumq; per Auſonias fama notiſsimus vrbes,*
*Atq; aliquot ſtudij ſunt monumenta mei.*
*Conſilio, vt potui, multos opibusq; iuuaui,*
*Exijt à factis læſio nulla meis.*
*Me non ambitio fuſcoſaq; gloria rerum,*
*Sed ſancta tenuit in probitate pudor.*
*Sic mihi fatalem ſecuit bona Iuno capillum,*
*Et cecidi iamiam ſorte iubente ſenex.*
*Et quod ſingultus lachrymaſq; in gaudia vertat,*
*Aeterna cæli luce domôq; fruor.*
*Ambroſia felix, dulci quoq; nectare veſcor,*
*Eſſe quid hac maius conditione poteſt?*
*Gratia ſidereo patri, qui talia reddit*
*Præmia, & humanis aſtra dat officijs.*
*Hæc monuit ſacra venerandus Platina voce,*
*A ſolio meritis conueniente ſuis.*
*Nos ideo comites, fletu lachrymiſq; remiſsis,*
*Spargamus ſacris thura merumq; focis.*
*Soluamusq; Deo grates, quem Platina cultum*
*Ex animo lætus ſuſcipit & fruitur.*
*Vtq; viri ſecum manes ſuper axe quieſcunt,*
*Vmbraq; vti ſacris gaudet in Eliſijs:*
*Sic lapis iſte precor feliciter obtegat artus,*
*Et ſit coſumptis oſſibus vrna leuis.*

## IOANNES BAPTISTA ALMAdianus Viterbienſis.

Agitur nunc annus ab hinc ferè tertiusdecimus, ex quo ego Platinam colere incepi: ventitabat enim ipſe frequenter ad ædes Beſſarionis, vbi ego tunc ſtudioſior litterarum morá trahebam: atque in illa doctiſsima academia, de litteris, quæ egregij illius cardinalis voluptas erat, ac bonis artibus facundiſsimè ſemper diſſerebat. Cœpi ergo ex illo protinus hominem ſuſcipere: & quod contrà euenire ſolet, poſtquàm penitus inſpexi, indies magis ſum eius ingenium ac facultatem admiratus: quę obſeruantia eatenus perſeuerauit, quatenus ipſe vita defunctus eſt: quo tempore, profitebor enim ingenuè animi mei in amicorum caſibus imbecillitatem, tanto ſum dolore affectus, vt nunquam æquè aliâs, atque idcirco in eum monodiam conſcripſi, in qua remotis arbitris, hoc eſt, veris lachrymis, dolori concepto, laxatis frenis indulſi: hanc noſter Demetrius Lucenſis, qui non mediocre in me habet imperium, iubet edere: cui fuiſſem certè refragatus, niſi iniquum cenſerem non ei obſequi, qui omnibus eſt obſequentiſsimus. Adeſte igitur animis obſecro, & fauete.

## IO. B. ALMADIANI VITERB. in Platinam Monodia.

*ACcipe deſerti ſupremum munus amici,*
*Muſarum linguæq; parens tibi carmine triſtes*
*Exequias pius ante rogos, ac flebile præſto*
*Officium, demens habitet mea pectora quamuis*
*Luctus, & inſano perculſa dolore tremiſcant*
*Corda licet, crebriſq; mihi ſingultibus ora*
*Impediant lachrymæ, tamen in tua funera mœſtus*
*Debita iuſta pater, mea dona nouiſsimo ſoluo.*
*Non tibi Apollinea feſtus de more ſacerdos*
*Fronde comam nectens, hederisúe ſequacibus adſto,*
*Sed mihi taxus iners, buſtiſq; decora cupreſſus,*
*Triſtia ferali prætexunt tempore ſexto:*
*Non ego amicleos numeris imitabor olores,*
*Nec ſolito clangore canam, ſi quando potentum*
*Faſta virûm, ſuperumq; libens præconia luſi:*
*Sed ſtrigis infauſtos meditabor pectine cantus,*
*Mœſtaq; diſcordi ſtridebit nænia chorda,*
*Flebilibus ſine more ſonis, & Apolline nullo*
*Conquerar ô quondam vatum tutela piorum*
*Phœbe pater, quænam fortuna inimica maligno*
*Eripuit ſacris tua numina vatibus auſu?*
*Non poteras herbis, ſi te facit eſſe potentem*
*Turba, ſalutiferamq; tenes clementior artem,*
*Aonium ſeruare virum, qui Delphica ſemper*
*Carmina, qui lauros pius & pæana canebat?*
*Qui ſi te forſan ſuperum reſponſa ferentem,*
*Inſtabilis Delos, ſeu te Parnaſia rupes,*
*Aut tunc Euboicæ tenuit Cortyna Sibyllæ.*
*Non potuit medica ſerpens Epidaurius arte*
*Adueniens, natusq; patris mandata faceſſens,*
*Delatas implere vices? & ſtamina vati*
*Longa vel indociles fletu mulcere ſorores?*
*Quò pæan, quò priſcus amor? iam nulla tuorum*
*Cura ſubit, linguiſq; ſacros auerſa poëtas?*
*Proh dolor, & notæ ceciderunt pectori lauri?*
*Occidis ergo pater? iam te Platina inclyte rapto*
*Heu quid agam? quò me crudelia numina vertam?*
*Iratus Muſis, etiam me iam piget æui,*
*Iam ſine te nil vita iuuat: properate miniſtri,*
*Deuotum vittate caput: date manibus amplis*
*Inferias, nil fata moror ſtimuliſq; vocatæ*
*Mortis agor, ſanctoq; velim comes ire parēti.*
*Siccine me miſerum vita digniſsime vates*
*Aſpicio impoſitum pheretro? heu tua pallida texit*
*Ora lues, vbi grande decus? vultusq; ſereni*

Dignus



*Dignus honos? & quæ quondam venerāda decensq;*
*Canities inhonora manet, iuuenilibus annis*
*Calliope merita quam cinxerat enthea lauro?*
*Infelix, tua Phæbeo radiata tenore*
*Lumina perpetuis clauſerunt fata tenebris?*
*Num frontis vigor iſte tuæ? grauitaſq; modusq;?*
*Ingenuusq; pudor, oris facieſq; verendi,*
*Gratia & in toto digniſsima corpore membra*
*In cineres abitura iacent? ô ſæua Tonantis*
*Numina: luxiſſes vtinam mortalibus vnquam*
*Atra dies, Pyliam meritum ſuperare ſenectam*
*Opprimis? & latum fama qui peruolat orbem,*
*Anguſto clauſum ſpatio breuis vrna tenebit?*
*O Superi, Iſmarias potuit quæ viribus amplis*
*Eloquij mulcere feras, Erebiq; miniſtros*
*Flectere, lingua ſilet? quænam tibi Parca loquendi*
*Nectareum præcluſit iter? quis preſſit & ora,*
*Vnde faui dulces & hymettia mella fluebant?*
*Præterea tua certa fides, nec fallere docta,*
*Recta animi requies, atq; inconſueta nocendi*
*Corda, ſed vna fauens cunctis & amica voluntas:*
*Affectusq; boni, vel quæ fugit inclyta terras,*
*Iuſtitiæ ſpectatus amor, rectiq; cupido,*
*Cautaq; ſimplicitas, caſtæq; modeſtia mentis,*
*Et nunquam magno conſtantia victa timore,*
*Quam nullo valuit confringere fulminis ictu*
*Fortunæ variantis opus, ſeu carceris atri*
*Pedor iners, minitanſq; trucis vox dira tyranni.*
*Quid referam pectusq; memor, quo cuncta tenebas*
*Priſcorum monumenta virûm, quos barbara tellus*
*Argolicùmue ſolum genuit, ſeu mitia rura*
*Falcifero regnata ſeni, quæ ſidera cœlo*
*Fixa manent, & quæ conuerſa lege vagentur?*
*Quur mare non auſit metas tranſcendere, vel quur*
*Pharraſis occiduo nunquam cadat vrſa profundo.*
*Tu terras ſpatiumq; maris, tu flumina noſti,*
*Aeoliaſq; domos, tu conſeris vtile honeſto,*
*Et Latio doctus, veteres oſtendis Athenas.*
*Ingenij doteſne querar? te Græca putaſſent*
*Ora ſuum, tua Mœonio quum ſcripta cothurnò*
*Contegis, aut docta tibi vox fluit Attica linguæ,*
*Noſceris inq; vicem latio de ſanguine, quum tu*
*Andinos imitêre ſonos, & carmina condis*
*Laurigero diſcenda Deo, pedibus ve ſolutis*
*Dicendi ſublime genus ſectaris & artes.*
*Conſulis Auſonij veneratur maximus orbis*
*Ingenij monumenta tui, quæ clara vigebunt,*
*Dum linguæ latialis honos, dum littora Tibris*
*Lida pater ſubeat, dumq; inclyta Roma manebit:*
*Doctorumq; oculos, aureſq; moraberis, & te*
*Poſteritas ventura colet: meliore tuiq;*
*Parte ſuperſtes eris: nec te libitina rogusq;*
*Opprimet, æternumue decus tua nomina condet,*
*His tibi pro meritis, quantos Franciſcus honores*
*Progenies Gonzaga dedit, quæ maxima floret,*
*Italiæ præclara domus, qua Mintius ampla*
*Mitis arundinea complectitur arua corona.*
*Is tibi parua licet priſcæ propè culta Cremonæ,*
*Tecta forent, natale ſolum tamen illa ferebat*
*Te conſanguineo ſolitus conferre Maroni*
*Magna Bianoreæ ſuperaſſe cacumina terrǣ:*
*Is tibi primus opem placidi quoq; dona fauoris,*
*Ac ſtudijs fomenta tulit non pauca benignus,*
*Atq; iter ad titulos, & nomina clara parauit,*
*Quum ſubito maiora ferunt tibi numina: namq;*
*Florentem ſtudio, Muſiſq; Helicona cientem*
*Pontificis te cura vocat: tibi protinus ingens*
*Aula patet, magniſq; habitas in ſedibus hoſpes*
*Grandior, auguſtiq; colis faſtigia tecti.*
*Mox tibi Pontificum vitas ac geſta recenſens*
*Das ſtudij documenta tui, tibi quæritur ingens*
*Gloria, mirantur iuuenes tua ſcripta ſeneſq;*
*Certatim, & magno paſsim celebraris honore.*
*Ecce autem infeſto properans Rhamnuſia vultu,*
*Atra genas, oculoſq; gerens immane micantes,*
*Parcarumq; colus, & magni ſtamina vatis*
*Occupat, & manibus facinus crudele nefandis*
*Importuna ſecat: mox vt vaccinea languent*
*Immiti proculſa noto, ſeu vulnere pandi*
*Vomeris, & flexa terram ceruice tuentur:*
*Sic prius abrupto defecit ſtamine vates*
*Protinus: & fundit dum verba nouiſsima ſenſim*
*Palluit, æternoq; rigat ſuo membra ſopore.*
*Tu ne igitur vento flarent dum fata ſecundo*
*Dum melior fortuna redit, propiusq; veniret*
*Lætior hora, cadis? magno quem perdis alumno,*
*Heu quantum tibi Roma perit: peperere triumphos*
*Antiqui Latij proceres, ac barbara colla*
*Romano preſſere iugo: maiora fatendum*
*Munera: quis tantum, ne tu, licet hoſte ſubacto,*
*Barbara Roma fores? dedit hoc tibi Platina donum*
*Hoc Platinæ doctrina dedit: lugete Quiritum*
*Docta caterua virûm, lamentaq; triſtia ſæuis*
*Verberibus perculſa ſonent: ferus inuidet Orcus*
*Munera tanta tibi: latialis gloria linguæ*
*Occidit, aſſertorq; bonus: date pectore queſtus,*
*Et mecum largos oculis rorantibus imbres,*
*Magne parens: nam triſte chaos, neq; tetra videbis*
*Tartara, tergeminiue reus canis ora timebis:*
*Tu pius Elyſijs potius ſpatiabere campis.*
*Inſignes inter cuneos, ac docta parentum*
*Agmina: & egregios animis heroas, & inter*
*Inſontes animas venerabilis vmbra ſedebis:*
*Siue, quod ipſe reor, meritò ſua ſidera iuſtus*
*Dat tibi pacta Tonans, liquidumq; per æthera Diuus*
*Scandis ouans, & morte carens, qua lactea cæli*
*Orbita, ſidereum penetrat ſublimis ad axem.*
*Vnde hominum mortale genus, miſerabile vulgus*
*Deſpicis, & curas & inania pectora rides*
*Sis felix proſperq; precor, ſupremaq; triſtes*
*Quæ tibi iuſta damus, cælo ſtellatus ab alto*
*Reſpice, & affectus ne dedigneris amicos*
*Sic leuior te terra tegat, defletaq; buſto*
*Leniter oſſa cubent, & conclamata quieſcant.*

## P. FRANCISCVS AMERINVS in parentalibus Platinæ.

*AD tua nos ergo pater optime funera mœſti*
*Conuenimus, ſacris & dare thura focis.*

g Quaque

Quæq; tuas ageret laudes, niſi fata vetarent
Carmen ad exequias flebile Muſa mouet.
Sed mecum ad lachrymas vatum pia turba venite,
Laurea de comptis ponite ſacra comis:
Tempora vel taxus cingat, vel dira cupreſſus:
Nil culti poſcit, cuncta ſed atra dolor.
Fletibus interſit noſtris excitus Apollo,
Migret & ad lachrymas ex Helicone chorus.
Rerum prudentes veniant cum Pallade docti
Adſit & officijs vtraq; lingua pijs.
Scilicet iſta viros tangit iactura Deosq;,
Arte trahunt ſi qui nomen ab ingenua.
Nec tam doctrinæ, quæ ſumma probatur in illo,
Quàm vitæ cunctos publica damna mouent.
Heu vbi iucundi ſeruato pondere mores,
Summus amor recti, cum probitate pudor?
Otia cum magno qui ſemper honore ſecutus,
Noluit externis viuere conſilijs.
Tempora perpetuo traduxit tuta tenore,
Solicita viuens ambitione procul:
Eſtq; Palatinas ex omnibus vnus ad ædes
Accitus ſummi principis imperio.
Bibliotheca illi mox eſt commiſſa, locoq;
Inde tamen maior, quàm ſibi, creuit honos.
Hæc quoq; cum tota librorum mœſta corona,
De trucibus fatis eſt modò viſa queri.
Depictumq; illo te deplorare videtur,
Pro deſiderio vultibus orba tuis.
Heu pater ex auro totus, ſi gratia magnis
Par meritis eſſet, conſpiciendus eras.
Vt ſummis gratus, ſic iſte minoribus æquo,
Obliqua vixit liber ab inuidia.
Fortunæ nunquam, virtuti ſemper adhæſit,
Profuit hic, libuit ſed nocuiſſe nihil.
Sed quid Muſa paras? lachrymis hæc tēpora dātur
Non laudes tantas enumerare vacat.
Nec potes ipſa quidem, vires metire puſillas:
Nam non ingenium, ſed dedit iſta dolor.
Sat tibi, communis fueris quod conſcia luctus,
Communi in luctu nec tacuiſſe ſat eſt.
Sed quæ digna poteſt pro re ſatis eſſe querela?
Aut quis pro damnis ſufficit in lachrymas?
Nemo putet poſt hac placari numina poſſe,
Eſt precibus flecti neſcia Parca pijs.
Dignior aut quiſquam ſeruari, vel fuit alter,
Pro quo plura queant vota precesq; dari?
Ceu mandata forent, perierunt omnia vento,
Nil tua vel virtus, vel valuere precis.
Tène pater nobis prima fraudate ſenecta,
Mors dignum, ſemper viuere dira rapit?
Nil agit hæc, citra famam conſiſtit, & illa
Surgit ab inuita nunc tibi maior honos.
Qui ſemper vatum memori tibi carmine creſcet,
Sed plus in ſcriptis panditur ille tuis.
Illa legent cuncti nil con cedentia priſcis,
Textáue compoſito, ſeu pede laxa uago.
Præferri Platinam ſibi iam Verona videbit,
Proxima nec multè Mantua maior erit.
Vtraq; præclaros potuit ✱ ditare poetas,
Es patriæ orator parq; poeta tuæ?
Hactenus extinctum fas ſit luxiſſe parentem,
Aeternùm Platinæ purior vmbra. Vale.
Mores, uita, decus partum, ſolantur amicos,
Et vitæ ſimilis mors in honore tua,
Oſſa leuis ſemperq; virens hæc excipe tellus.
Pro meritis animæ nam patuere poli.

## SIGISMVNDVS FVLGINAS
Secretarius Apoſtolicus in exequijs Platinę.

VAtis ad exequias vatum pia turba venite,
Et vos Pierides ex Helicone deæ:
Nec lachrymas tumulo vanos aut thuris honores,
Facta ſed in laudes carmina pura date.
Nam quamuis meritò Platinam lugemus ademptū
Et deſiderio tangimur vſq; pio:
Ipſe tamen nos flere vetat, mandataq; linquit,
Qualia diuinus Ennius antè dedit.
Ne quiſquam lachrymis decoret, ne funera fletu.
Faxit, quòd volitat docta per ora virum.
Docta per ora virum volitas ſanctiſsime vates,
Aeternusq; tui nominis extat honos:
Nec quicquam morti de te concedis auaræ,
Oſſa niſi & tenuem, quæ tegit oſſa, cutem.
Quippe iſta vixiſti, ſtudiorum ea cura tuorum
Mors in te vt iuris poſsit habere nihil.
Non petere ignotas infida per æquora merces,
Non animam lucro vendere cura fuit.
Nec ſæuas pugnas aut claſsica dira ſequutus
Sanguinis alterius prodigus atq; tui.
Attonitum nec te traxit popularibus auris
Plauſus, ab infido pectore proſiliens.
Ingenuæ placuere artes, præceptaq; diui
Socratis, & Samij ſcripta verenda ſenis.
Quæ penitus tu noſſe volens, de fonte petiſti,
Graiorum, gemino nobilis eloquio.
Hæc fines animo certos peperere modùmq;,
Hæc ſanctos mores ingenuere tibi.
Harum ope & auxilio viuis poſt fata ſuperſtes,
Has per mortales effugis ipſe rogos.
Harum præceptis vitio ſubmotus ab omni,
Calcaſti ſæuam largus auaritiam.
Cùm tibi ſe largam præberet dextera Sixti,
Impleretq; tuos aura ſecunda ſinus.
Contentus modico, nil vltrà poſcere certus,
In tenues vſus ſponte tua redigis:
Vtq; magis miſera procul ambitione maneres,
Et ſtudijs eſſet gratior ora tuis.
A Vaticano collem tranſcendis in illum.
Cui nunc Phidiacus nomina præbet equus.
Hic Muſis dilecta domus fundataq;, culta eſt,
Extremum uitæ tempus ad vſq; tuæ.
Hic magno ingenio longum transfundis in æuum,
Acta, & ſummorum nomina pontificum.
Hic etiam æternus liber eſt de principe natus,
Dux Vrbinatum quem Fredericus amat,
Hicq; voluptates iuſtas condire laboras,
Et quicquid ſcriptis panditur vſq; tuis.
Proh ſuperi ignorant homines ſit quanta voluptas
Artibus his quanta & gloria, quantus honos.
Mitiùs his igitur ſtudijs fœcunda iuuenta,
His oblectatur cana ſenecta bonis.





Hæ poſſunt artes res exornare ſecundas,
Aduerſis eadem pandere perfugium.
Delectant foris atq; domi, perq; omne periclum
Noctes atq; dies dant tibi ſe comites.
Atq; etiam poſt fata iuuant, nomenq; latere
Cultorum ac laudes poſſe perire vetant.
Adde quòd hinc pendent reges populiq; ducéſque,
Qui geſtis rebus nomen habere volunt.
Tanti etenim virtus cuiúsq; & vita putatur,
Egregijs quanti fertur ab ingenijs.
Hortor & admoneo colite has Romana iuuentus,
Appetite has toto pectore & ingenio:
Si patriæ vultis, ſi vobis viuere chari,
Si poſt exequias nomen habere iuuat.
Aſpicite vt Platinæ totum cicumuolet orbem
Viuat & in noſtris gloria pectoribus.
Cuius nos animam grata pietate colentes,
Quos cupit & ſperat eſſe ſui memores.
Annua ſoluamus tumulo ſolennia ſancto,
Carmináq; in laudes dicere plura iuuet.

## LIPPVS BRANDVLINVS DE
morte Platinæ.

ERGO etiā ſanctos terris mors improba vates,
Inuidet? & nobis optima quæq; rapit?
Quid non in Muſas auſuram & magna putemus
Numina? iam dubitem numina & ipſa mori?
Suſtulit è medio Platinam ſæuiſsima noſtrum
Hiſtoriæ Platinam Pieridùmq; decus.
Cur tantum Lacheſi ſinis in tua iura licere
Phœbe pater? magnos iam petet illa Deos.
Fruſtra igitur colimus cunctis tua numina templis
At nihil in Lacheſim tu quoq; iuris habes?
At te quæ rabies tam clarum extinguere lumen
Compulit? ingluuies ſic ſaturanda fuit?
Nonne humili de plebe aliquis ſi dira vorandi
Vexabat rabies, qui raperetur erat?
Non tamē es contenta, doles quoq; viuere quenquā
Et noſtris inhias nocte dieq; malis.
Nec turbæ nocuiſſe ſatis, petis ardua ſemper:
Nec niſi de ſummis acta ruina placet.
At poteras ſæuosq; duces auidosq; tyrannos
Perdere, ſi tituli te capiebat honos:
Quòd ſi diuitias fuerat captare libido,
Rex Mida non vnus qui moreretur erat.
Quæ verò extincto parta eſt tibi gloria vate,
Compulit ad tantum quæ rogo cauſa nefas?
Non habuit quas quæris opes, quos quæris honores,
Contentus Muſæ vixit honore ſuæ.
Quæ tandem cauſa eſt? noſtras extinguere laudes
Vis? puto te Platinæ gloria parta mouet.
Non licet, hoc fruſtra tentas, nil iuris in illam
Eſt tibi, laus auidos effugit vna rogos.
Nil illi nocuiſſe potes, quin profuit eſſe
Extinctum, à tumulo gloria maior adeſt.
Nec tamen extinctus, mortales exuit artus:
Viuit, quaq; decet parte carere, caret.
Corporeis liber vinclis & carcere cæco,
Incolit ætherei ſpiritus aſtra poli.
Spiritus aſtra tenet, viuit ſua gloria terris,
In ſedes redijt Corpus inane ſuas.
Viuit inextinctus vates, viuetq; per æuum:
Nil agis in vates, nil tibi Parca licet.
Ergo non celebret lachrymis hæc funera quiſquam?
Carmina ſunt doctis vatibus apta magis.
Fundite pro lachrymis doctiſsima carmina vates,
Officium (viuit) ſentiet ille pium.
At cineri date thura ſacro, date myrrhea dona,
Aſſyrio totus fragret odore locus.
Luceat incenſis circum funalibus vrna,
Carmine ſignetur, qui tegit oſſa, lapis.
Sum Platina, hiſtorias ſcripſi Sixto auſpice ſacras
Erecta eſt ſtudio bibliotheca meo.

## LODOVICVS IAZARELLVS
in exequijs Platinæ.

AOnij montis quæ nunc iuga ſancta refertis
Exquiliæ, & ſacri fontis habetis aquas,
Cernitis vt coëant ſanctiſsima turba poetæ,
Vt reſonent elegi omnia plena ſonis.
Si mens cuncta replet, mundi ſi infuſa per artus
Quicquid vbiq; agitur, conſcia facta videt:
Conuentus cauſam ſacri docet, ecce queruntur
Nunc vates vatis ſtamina trunca ſui.
Dicite vos, vbi nunc effundit Platina cantus,
Hic hic aſſuetus flectere voce feras:
Qui geminæ cùm ſæpe lyræ data fila moueret
Marmoreos dulci carmine mouit equos.
Hic fuerat claros vates non vltimus inter,
Huc qui Pegaſeo fonte tulere choros.
Nos igitur quoſcunq; ſimul dolor iſte coegit,
Ad mœſti querimur funeris exequias.
Laurea ſerta comis excuſſa mœſta eſt cupreſſus,
Deuouet & fatum ferrea fata chorus.
Sed cùr terra tremit? quæ vox modò fertur ad aures
Audite, ô paulum deſinat iſte dolor.
Non Phœbi oraculum eſt mōtis, mens ipſa querelas
Nobiſcum & gemitus iungere fortè cupit:
Quid fletis vates nomen quòd mortis inane eſt?
Principium ad vitæ mors potioris iter.
Decipiat reliquos occulta ſcientia fati,
Vos tamen hic vates ne malus error agat:
Quotidie ſacra ſenſus Heliconis ab vnda
Ducitis, abſceſsit non tamen vmbra retro:
Vos etiam ignari fallit ſententia vulgi:
Qui mortem rerum creditis eſſe aliquid.
Nil manet in mundo: vinclis in prima ſolutis
Orſa redit rerum quod viget omne genus:
Corpoream hāc molem ſub prima elementa reſolui
Quis dubitat? mentis ſors tamen eſt varia.
Ingenijs doctis reditus patet æthera ad altum:
Ignauos animos Tartara cæca trahunt.
Qui ſapit, is bonus eſt: ignauus quiſq; malignus:
Hic petit vmbrarum, lucis at ille domos.
Hoc fatum, hic ordo eſt, fati quodcunq; neceſſe eſt
Eueniat, mundum legibus ordo regit,
Mercurium ô vates in carmina ſæpe vocatis,
Cur tamen illius dogmata non legitis?

Noſcetis liquidò, doctrinæ ſi qua manebit
Cura, perire nihil, viuere cuncta Deo.
Platina ſidereis igitur nunc ſedibus hymnos
Dulciſonos cantat commodiore lyra.
Quanq; huius mundanus homo ſtet conditus vrna,
Quam ſibi viuenti ſtruxerat æde ſacra.
In ſenſu vitæ rediit melioris ad aſtra
Totus, & inſanus deſpicit has lachrymas.
Compatitur vobis, veſtris felixue querelas
Arguit, & tales fundit ab ore ſonos:
Quid ne meam petitis gemitu turbare quietem?
Viuo ego, non perij, vita mihi melior.
Libera mens cælo eſt, quam nuper carcer habebat:
Merſa prius tenebris, luce redempta videt.

C. LAVRENTII EVSTOCHII SECRETARII reipublicæ Venetæ Elegia in funere Platinæ.

FErales amplexe faces triſtimq; cupreſſum,
Huc ades, & pullos dilaniata ſinus:
Tu dea, tu querulis euictas vocibus aures
Quæ rapis ad ſtygias & ſine luce domos.
Hoc funus celebrare tuum eſt, tuus vritur igni
Platina, Romanæ ſidus academiæ.
Obſtupuit, facileſq; modos oblita retorſit,
Annuit indigno pectora mœſta rogo.
Obſtupuit tantis elegia victa procellis,
Mœſtaq; in aduerſa lumina fixit humo:
Diua quid attonita es? vanos heu ſcinde Corymbos,
Nunc licet in teneras vnguibus ire genas.
Spargantur laceri per eburnea colla capilli,
Turgeat & lachrymis lumen vtrunq; ſuis.
Interit, ah durum eſt tantos meminiſſe dolores,
Platina Pomponi maxima cura tui.
Huc redeat gelido quicquid reſupinus in Hæmo
Dixit ab amiſſa Thracius Eurydice.
Quicquid & ad nigri, paſſo furibunda capillo,
Memnonis exequias addidit alma parens.
Quod Venus, horrendo cum vulnere fuſus Adonis
Occidit, in cineres & pia iuſta dedit.
Deniq; ſi quid habet luctus caua machina mundi,
Hoc petat immites, deuoueatq; rogos.
Quid non flamma rapit? quid non mortalia carpunt
Fata? quid in toto non terit orbe dies?
Ite procul fragiles calami, fuge Muſa poëtas,
Quia potes & vati carmen inane tuo.
Quid mihi vos optem, ſi mors extrema rapacem
Vnca manum, fidibus non ſinit eſſe locum?
Eſt tamen, eſt aliquid, rapias licet omnia paſſim
Improba mors, homini quod queat eſſe ſuper.
Nomina ſurripimus flammis, non fama ſepulchro
Conditur, hic nullum eſt ius tibi ſumma dies.
Aeterna eſt clari ſublimis fama Tibulli:
Aeternúmq; viuit gloria, viuit honos.
Hoc tibi non Lacheſis potuit, non ſumma ſororum
Platina ſollicita ſurripuiſſe manu.
Vrna tegit quodcunq; poteſt, tamen indice ſaxo
Litera cælatas prodet amica notas.
Exquilijs iacet ille ſuis, gratiſſima ſedes
Hæc fuit, hic mollem repperit vrna locum.
Confluat huc quicquid ſacro de colle Quirini,
Quicquid Auentina cernere ab arce poteſt.
Huc pallata ſimul properet Romana iuuentus,
Icta ſonet media pectora mœſta via.
Eiulet hic gemitus, gemitus quoq; funera poſcunt,
Ille comam digitis appetat, ille genas
Hic ferat in cineres quodcunq; è valle Sabæa
Mittit Arabs, violet ille, vel ille ferat.
Ingeminent planctus tremulis ſingultibus aer
Intonet, & magnos vox petat illa deos.
Aſpice vt obſcuro fundantur ab æthere nimbi,
Deplorentq; tuum Platina magne rogum:
Liquitur in gelidas commixta grandine lymphas
Iuppiter, & cineri dat ſua dona tuo.
Grando coacta graui glaciem cepiſſe dolore
Creditur, & tantis obſtupuiſſe malis.
Quid facient homines? quid tu Romane pararis?
Ecce dolent nubes, lux adoperta dolet:
Roma gemit, fontes lachrymis auxiſſe putatur:
Aſpice virgineam qui furor vrget aquam,
Vos quoq; Romulidæ ſæuos date munus in ignes,
Et ſonet extremum ter pia linga Vale.
At tu ſeu cælo ſablima tecta tonantis
Sedibus Eliſijs, ſeu uaga regna tenes,
Sis fœlix: nos quippe tui repetita quotannis
Heu dabimus cineri februa mœſta tuo.

C. LAVRENTII EVSTOCHII SECRETARII reipublicæ Venetæ, tranſlatio Platinæ in cælum.

OCyor Aeolijs rapiunt qui nubila ventis,
Ocyor excuſſo librata fulmine dextra,
Fama pijs elapſa locis, vbi ſumma potentûm
Atria compleuit, totum diſcurſibus orbem
Sollicitat, ſpargitq; cauo quod nuper Auerno
Extulit, & patulas implet rumoribus auras:
Platina Romanæ fato prô Iuppiter atro
Raptus academiæ, placida mox ſede receptus,
Lethæas dum ſpectat aquas, dum murmura captat,
Et luſtrare cupit mediæ telluris hiatus,
Res nulli conceſſa prius, iactanda per orbem
Accidit, vt furui raperentur ad æthera manes.
Namq; vbi in excultos deſcendit Platina campos,
Subiecitq; oculis quicquid Plutonia vaſto
Regna tenent Erebro: tranſuerſo in limine mutus
Hæſit, & arenti concreta eſt lingua palato.
Ingreditur tamen arua ſacro circumdata muro,
Et modò per colles longè lateq; vagatur
Elyſios: modò per ſegetes & amœna patenti
Gramina proſpectu, varijs & diſcolor ambit
Floribus in gyrum, maculiſq; intincta coruſcis
Linea, temperiem vernam, nullumq; laboris,
Iudicium, & lucem medijs miratur in vmbris.
Vndiq; circunſtant animæ fœlicia quondam
Numina, nunc lætos paſſim vaga turba per agros.
Olli fidus adeſt lateri comes omnia vati
Mantua quem genuit ſimilis, meminiſſe iuuabis.
Quin potius magno fuerit comitatus Homero.
Viuit enim rurſumq; Ioui, rurſumq; Camœnis
Redditus, has carpit membris ſpirantibus auras.
Lumine qui quondam captus, nunc lumine captus
Lippus ad Auſonias reparat ſua carmina neruos.
At mens hic nitidas facili comitante caterua
Circunſpectat aquas, & nullo vomere tactam
Cernit humum, nullo taurorum condita tergo.
Semina iam canas meſſes, iam poma rubenti,
Hinc ſuffuſa nota pallenti, hinc æmula ceræ
Mitiaq; & grandes curuantia pondere ramos.
Erranteſq; videt capreas, ceruoſq; fugaces,
Et lepores, aproſq; truces, rigidoſq; leones,
Et quæ præterea vaſtis animalia terris
Sparſa terunt ſyluas, & inhoſpita luſtra tuentur.
Nec minus alpinos detrito tergore mures,
Dentibus armatos glires, hirtaq; ſciuros
Inſignes cauda: quos inter muſculus olim
Euganeo prognatus auo, ſibi credita curat
Iugera, ſementeſq; auium cuſtodit ab vmbris.
Obſtupuit primo, greſſuq; immotus in ipſo
Subſtitit, & quæ ſunt animæ ſimulacra ferarum
Iſta precor, dixit, ſunt ne & regione ſub ima
Quæ ſuperis natura dedit? num corpora cerno,
An tenuet, tactuq; hominum membriſq; ſolutæ
Occurrunt vmbræ? ſunt ne hæc genitalia rerum
Semina, quæ terras, quæ cælum & flumina cōplent,
Oceanumq; patrem? vel ſi quid fortè ſub hiſce
Hæret imaginibus: ſit fas arcana Deorum
Diſcere, & ignotas rerum cognoſcere cauſas.
Tum vates, placidis quem Mintius abluit vndis,
Hæc contra: Regnis hoſpes modò reddite noſtris
Vicino mihi iuncte ſolo, dum vita manebat,
Accipe quæ tigres, quæ ſint hæc mōſtra per vmbras
Sparſa, ſub æthereis quicquid mortale procellis
Aut raptare ſolet, pedibúſue inſiſtere terræ,
Aut vacuas tentare vias, quaſſoq; lacerto
Auia ſecuris volitare per aëra pennis,
Quicquid & in media pulſatur fluctibus vnda,
Communes animas alternaq; iura tuetur.
Ergo vbi ſupremos Lacheſis defluxit ad annos,
Feſſaq; iam nullo perduxit brachia filo,
Quam tenuit vitæ formam, quo corpore clauſus
Quiſq; fuit, retinet ſpeciem vultuſq; priores.
Atq; hinc ad Lethen longo pòſt tempore fatis
Raptus, in æthereas iterum tranſmittitur auras.
Et modò qui fuerat pecudis ſeu triſtis aſelli
Spiritus, humanis infunditur artubus: inde
Tarda ſubeſt agili mens obſopita cerebro,
Et ſtupet, & ſtertit, veteres imitata figuras.
Interdum volucres humani corporis vmbra
Ingreditur, ſic quem ſeptemfluus attulit alueo
Nilus, habet priſci monumenta inſignia fati
Pſittacus: hic verbis hominem, bleſaq; canorus
Voce refert, quaq; ipſe poteſt ſub iura retentat,
Et picas quandoq; leues ſubiere priorum,
Ac nimium faciles animæ petulantia picis.
Hinc trahitur vocis q; ſonus, fandiq; cupido,
Stultaq; garrulitas, hinc ebria verba procaci
Ore vomunt, referuntq; humanæ murmura linguæ.
Sic rerum ſeries, & inexorabile fatum
Inſtituit, ſic penſa trahunt alterna ſorores.
Tu quoq; ſi manes, quos aurea ſuſtulit ætas,
Necdum longa dies Lethæa merſit in vnda
Vera ferunt, ſuperas ter iam dimiſſus in auras
Huc redis, armigeræ tellus ſacrata Mineruæ
Prima tulit puerum nullo tum preſſa Tyranno.
Mox vbi corripuit funeſta Piſiſtratus arma,
Iniecitq; manum patriæ, ſolioq; ſuperbus
Inſilijt, veterum ſparſos ſine more libellos
Colligere, & gemmis ornare aggreſſus & auro,
Primus Cecropiam Muſas perduxit in arcem,
His datus eſt cuſtos, rurſum poſt funera Lethe
Mergeris, & varios animam traducis in artus.
Hic quoq; iam laceris immenſa volumina chartis
Sedulus inſtauras, regumq; hoc munere munus
Accipis, Auſonia quo te modò Sixtus in vrbe
Extulerat: nunc Elyſijs iam reddite campis,
Quid facies? num te quartum mortalia poſcant
Pectora? quæ tandem fato vexatus iniquo
Præmia digna feres? vel quæ tibi meta laborum?
Sit ſatis, æternùm noſtris te fata reponant
Sedibus, aut ſummi rapiant ad ſidera cæli.
Hæc Maro: tum crines hedera redimitus & auro
Threicius vates: hem quò Cyllenius, inquit,
Quò properat? properabat enim: miratur euntem
Turba Deûm, rapidis hic Tartara præterit alis,
Conciliumq; petit vatum, mox talia fatur:
Felices ſaluete animæ, Ioue miſſus ab ipſo
Huc venio, iuſſit placidis hæc nuncia dictis
Verba feram, ſedes veſtras, & regna beatis
Circumſepta iugis fatorum lege teneri.
Nec minus atq; Iouem, quanquā ſuprema tenentē
Sceptra manu, quanquā Diuumq; hominū potentē
Hic nouus Elyſios modò qui deſcendit in agros
Platina debetur Superis, hunc fata repoſcunt
Ipſa ſibi, tuq; ô grauibus defuncte periclis
Linque nemus roſeum, & cælo ſuccede patenti.
Bibliotheca Iouis nullo cuſtode tot annos
Sparſa fluit, repares: diſiectos fata libellos
Ecce petunt, vtq; in terris Sixtina miniſtrum
Bibliotheca ſuis habuit celeberrima libris,
Sic cæli regione manet diuina nitentem
Bibliotheca animam: non hic tibi cura laborum,
Sed requies ſemel ipſe tuos vbi forte libellos
Ordine diſponas, ſatis eſt Superiſq; Ioniq;.
Nomen idem cælo teneas, quod munere Sixti
Ceſſerat in terris viuo: cape protinus haſtam
Hanc tibi: cæleſtes mecum conſcende penates.
Aſſenſere pij multo conamine vates
Et ſummum dixere vale: totidemq; recepit
Verba chorus: vatem caducifer arripit aura
Par celeri, patrioq; refert ſublimis Olympo,
Nubibus effractis, Iani penetralia tandem
Attigit, & comitem cæli ſubduxit in arcem
Talia diuerſas iactat dum fama per vrbes,
Huc quoq; Tyrrheno diuertit ab æquore curſum
Mœrentiq; rogis, & acerbo Platina fato
Aſtitit, & mæſtas impleuit protinus aures,
Eſte igitur læti, planctus lachrymaſq; Quirites
Soluite, iam tremulis ſingultibus ora quieſcant,
Pullatiq; humeris paſſim lacerentur amictus,
Platina quem luctu Romanæ turba repoſcit
Triſtis academiæ, fatalia dona ſequutus,
Aſtra tenet, curaſq; virûm nunc ludit inanes.

FINIS.

# RERVM VERBORVMQVE IN PLATINAM, ET ONVPHRIVM DE VITIS PONTIFICVM INDEX COPIOSISSIMVS,

*ſtudioſiſsimè fideliſsimeqúe iam collectus.*

## MEMINERIS AVTEM CANDIDE LECTOR IN CONTINVA NVMERORVM SERIE OPERARVM NEGLI-

*gentia aliquantum aberratum eſſe :atqui non grauaberis à folio 236. vſq; ad 241. rectam & continuam porrò reponere numerorum aſsignationem, ne quærenti tibi aliquid moleſtiæ ſuboriatur.*


Abagarus Rex Edeſſæ 175
Abbas Ioachim hæreticus 192
Abimelech Admiratus Sarracenorum 92
Abderamannus Rex Sarracenorum 114
Abdiſu peritiſſimus Aſſyriæ, Chaldaicæ, & Arabicæ linguæ, limina bb. Apoſtolorum deuotè viſitat, fidem Romanam profitetur, iuramentum pręſtat, & à Pio. 4. in Patriarcham Chriſtianorum orientalium confirmatur, & decreta Conſilij Tridentini ſibi tranſmitti poſtulat 413
Abrogationis pontificiæ forma 154
Abundius 55
Acacius Monophthalmus 47
Academicorum nomen ſuſpectum 312
Acacius Epiſ. Conſtantinop. 61
Accon capitur 166
Acephalorum hæreſis 59.83
Acherontia obſidetur 85
Acianorum Vbaldinorum arx 223
Acies igneæ cælo viſæ 71
Adalbertus Epiſcopus Martyr 139
Adauctus cum totius vrbis populo martyrio plectitur 35
Adaliuda vxor Othonis 136
Adelaus Subaudiæ comes 155
Adelphonſus Aſturiæ & Galliciæ rex 110
Adeoboldus Epiſ. Vltraiect. 141
Adeodatus 1. Papa 82
Adolphus Heſſus ab Alberto Rodolphi filio occiditur 217
Adoaldus rex Longobardorum 80

| Adrianus | | Papa | |
|---|---|---|---|
| | 1 | | 106 |
| | 2 | | 125 |
| | 3 | | 127 |
| | 4 | | 177 |
| | 5 | | 210 |
| | 6 | | 344 |

Adrianus 1. Carolo Magno dedit poteſtatem eligendorum Epiſcoporum 113
Adrianus 6. longiori vita dignus olim Caroli 5. Præceptor, Hiſpaniæ Gubernator abſens eligitur 344.345
Adrianus Imperator 15
Adrianus abbas 86
Adriani moles, arx Creſcentij quare dicta 142
Aedificiorum veterum ratio 75
Aegyptus ferè tota in errorem Dioſcori labitur 61
Aegyptiæ idola ceciderunt 4
Aegypti Heliopolis, vndè ſic dicta & eius ſitus 292
Aelius pertinax Imper. 22
Aemilianus Imperator 30
Aenaria inſula 330
Aeneas Syluius laurea poëtica donatur 294. animat principes Chriſtianos in Turcas 207
Aetius patritius 56
Aetius ambit imperium 56
Africanus hiſtoriographus 26
Afrorum rex fulmine necatus 131
Agabus propheta 6
Agapetus 1. Papa 68
Agapetus 2. Papa 136
Agapetus martyr 32
Agareni vnde ſic dicti 82
Agatha virgo martyr 34
Agatho 1. Papa 87
Agilulphus Longobardorum rex 75
Agnus Dei in miſſa cantandum 92
Agrippa cognomento Caſtor 16
Agrippa Iudææ præficitur 6
Aiſtulphus Longobardorum Rex 100. Romanos vexat, vrbem obſidet 102 moritur 103
Alalchis dux Tridentinus, dux fit Brixianorum 89
Alani placantur Hono.io 55. à Turcis ſuperantur 102
Alaph Turcus 175
Alaricus rex Gothorum 53
Alba vrbs 165. capta diripitur 180. 272
Albericus Eſtenſis qualis miles 246 248. Italos bella gerere docuit 248. Anglicos, Britones & Teutones expulit Italia 246
Alberini ædes euertuntur, & bona confiſcantur 306
Albertus Imperat. 219. occiditur 222.223
Albertus magnus & opera eius 202
Albertus Scotus Guelphorum dux 224
Albertus rex Italiæ 136
Albertus Epiſcopus Alatrinus 164.
Albericns Etruriæ comes captus. btruncatur 134
Albini Imperatoris edacitas 26
Albi nouam ſectam, & qualem, introducentes 249
Albo abbas Floriacen. 141
Alboinus Longobardorum rex. 70 71. Italiam inuadit 71
Alcoaſiani monaſterij abbas moderator militum Chriſti 227
Alcoranus liber Mahometi 81
Aldeprandus Longobar. rex 100
Aldegiſius Filius Deſiderij fugit Conſtantinopolim 107
Alemannus Ademarius Cardinalis 261
Alemanni Francię regno adiunguntur 97. ab Henrico 3. deficiunt 155

| Alexander | | Papa | |
|---|---|---|---|
| | 1 | | 15 |
| | 2 | | 152 |
| | 3 | | 178 |
| | 4 | | 199 |
| | 5 | | 255 |
| | 6 | | 328 |

Alexander epiſc. Alexandrinus 40
Alexander Cappadociæ epiſc. 29
Alexander de Hales minorita Summam in Theologiam ſcribit 199
Alexander Farneſius Auenionis legatus 370
Alexander epiſcopus Hieroſolymita, bibliothecam conſtruit 26
Alexander magnus Scythas montibus Hyberboreis incluſit 102
Alexander Imperator Conſtantinopolitanus 127
Alexander imperat. Chriſto templum conſtruere, & cum inter inter Deos recipere voluit 27. eius laudes 26
Alexander Medices dux Florentinus per inſidias occiſus 367
Alexandro Medici, filia Caroli 5. imp. Margareta nubit 357
Alexandria capitur 81. capta diripitur 35
Alexandria Aegypti obſidetur 179. diripitur 16. euerſa, impenſis Adriani reſtaurata 16.
Alexandria Italiæ 181. epiſcopos accipit 181
Alexandrinus Patriarcha ſedi Apoſtolicæ obedientiam defert 382
Alexius Conſtantinopolitanus imperator Chriſtianos Conſtantinopoli abire cogit 161. cogitur Francis tranſitum præbere 166
Alexius Mega dux 156
Algeriana expeditio infauſta 370
Alidulphus rex Angliæ 120
Alleluia canendum in miſſa 74







Allobroges bello vexantur 381
Allocephalis eccleſia Rauennas 87
Almericus rex Hieroſolymltanus 181. moritur 181
Almericus hæreticus exuſtus 192
Alouiſius rex cum duce Burgundiæ bellum gerit 307.308. titulum regni Neapolitani à pontifice conſenſu omnium cardinalium conſecutus 266
Alouiſij patriarchæ cadauer erutum, & ornamentis ſpoliatum 82
Alphonſus Boria in dicendis in ſenatu ſententijs grauis 289
Alphonſus Caraffa Cardinalis pecunijs mulctatus dimittitur 412
Alphonſus Hiſpaniæ rex moritur 177
Alphonſus Neapoli rex coronatur 258
Alphonſus Arragoniæ rex pontifici infenſus 266. captus Mediolanũ perducitur 272. liberatus Caieta potitur 272. Mediolanum ſibi iure hæreditario deberi dicebat 284. votum procraſtinat 292
Alphonſus Petrucius iuſſu papæ, Aethiopis Orlandi manu ſtrangulatur 342
Altus patria Nahum prophetæ 382
Amadęus abdicato pontificatu, cardinalatu & legatione potitur 284
Amalaſiuntha Gothorum regina 66.68
Amandus epiſc. Traiecten. 79
Ambertus archiepiſcopus Rhemenſis 174
Ambroſius Alexandrinus auditor Didymi 54
Ambroſius epiſcopus creatur 51
Ambroſius minatur obſidentibus Mediolanum ni diſcedanr 146
Ambroſius monachus 249
Amorreus Sarracenus Hiſpanię rex 99
Amphilochius 55
Amphitheatrum à Veſpaſiano factum 12
Anabaptiſtæ Monaſterien. ad internecionem ferè trucidati 363
Anacletus 1. Papa 13
Anacletus antipapa 173
Anagniæ S. Clara canonizatur 201. Innocentius 4. creatur pontifex 197. Adrianus 4. moritur 178

| Anaſtaſius | | Papa | |
|---|---|---|---|
| | 1 | | 51 |
| | 2 | | 62 |
| | 3 | | 133 |
| | 4 | | 177 |

Anaſtaſius pontifex dicitur Acaciũ reuocaſſe, & fœdè perit 63
Anaſtaſius imperator Eutychianis hæreticis fauens, & Ro. Eccleſiæ legatis iniurius, fulmine perit 64. excommunicatus 62.63
Anaſtaſius bibliotecarius 126.127
Anaſtaſius Arthemius cogitur ſacris initiari, ne imperium repetat 95
Anaſtaſius monachus martyr 79
Anaſtaſius patriarcha Conſtantinopolitanus hæreticus 98
Anathema quoddam, non niſi à Pontifice ſolubile 212
Anatolius Laodicen. ſpiſ. 33
Ancona obſidetur 211. capitur 179. à Sarracenis capta & direpta 118
Anconæ Pius 2. moritur 298
Anconitani Ro. Pontifici ſe dedunt 107
Andreas Vngariæ rex in Palæſtinam proficiſcitur 192
Andreas Nolanus 316
Andreæ oſſa Conſtantinopolim transferuntur 12
Andronicus tyrannus necatur 185
Andros iniula occupatur 171
Angelus Politianus Leonis 10. præceptor 340
Angelicus Pontifex 90
Angelus epiſcopus Florentinus 232
Angelotus Cardinalis Romæ à cubiculario ſuo vita & fortunis ſpoliatur 278
Anglia ex vrbe doctores recipit 85 credit 74. Romanæ eccleſiæ vectigalis efficitur 191. ab hæreſi conuertitur 386. in hæreſim recidit 405. Vectigalia ſoluit 120
Anglici reges titulum regni Hieroſolymitani ſeruant 189
Anglici oratores Pontifici obedientiam præſtant 386
Anianus S. Marco ſuccedit 7
Anicetus 1. papa 20
Anima Benedicti 8. equo nigro inſidens epiſcopo cuidam apparet 146
Anima Benedicti 9. poſt mortem apparet 147
Anima Dagoberti regis 87. martyrum Dionyſij, Mauricij & Martini confeſſoris auxilio à manibus dæmonum liberatur 87
Anima Theodorici Regis in ignem Lipareum mittitur 66
Animę Deo poſt mortem commendantur 123
Anio fluuius 326
Annatarum vſus 147
Anni ſecularis origo 231
Anniculus Conſul 16
Anno archiepiſcopus Colonien. 152.
Annonæ copia Romæ 114. caritas 255.
Anſelmus archiepiſcopus Cantuarienſis 167
Anſelmus epiſcopus Lucen 167
Anterus 1. Papa 26
Anthimus epiſcopus martyr 35
Anticardinales duo pertinaces, in carcerem coniecti 267
Antichriſtus natus dicitur 155. de eius aduentu error 23
Antipapa Nicolaus 5. 226. Clemens 7. 240. Benedictus 13. 159. plura ſchiſmata ob plures pontifices 259.274
Antiochia, quæ & Reblata dicitur, ciuitas capitur 161. 162. capitur à Sarracenis 82. prima ſedes Petri S. Hieroſolymitano regno adiungitur 172
Antiochia Mygdoniæ veteris nunc Niſibi dicta 393
Antiochenæ ſedi ſubijciuntur eccleſiæ 360. 162
Antiochena ſynodus 31
Antoninus archiepiſcopus Florentinus canonizatur 849
Antonius Caracalla 24
Antonini Commodi vitia in Eleutherio Pontifice 22
Antoninus martyr 36
Antonini Pij, laudes & ſtudia 18
Antonius Eremita 43
Antonius Leua præfectus Inſubriæ 365
Antoninus de Padua canonizatur 195
Antonius Adurnus Genuenſium dux 246
Antonius epiſcopus Conſtantinopolitanus hæreticus pulſus 26
Antonius Triultius ſeditioſos opprimit, & pacat 375
Apelles hæreticus 21.29

| Aphrica | |
|---|---|
| à Mauris vaſtatur | 69 |
| à Chriſtianis capitur | 380 |
| à Vuandalis vaſtatur | 56 |
| à Sarracenis inauditur 90.92. occupatur | 93 |
| à Beliſario recuperatur | 93 |

Apollinaris Aſiæ epiſcopus 19
Apollinaris hæreticus 53
Apollonius orator martyr 22
Apologeticus Innocentij 4. de authoritate Pontificis & iuriſdictione imperij 199
Apoſtatæ quamuis ob cauſam ad monaſteria ſua redire coguntur 403
Apoſtatarũ edictum moderatũ eſt

| Apoſtolus | | |
|---|---|---|
| | Parthorum Thomas | 5 |
| | Aethiopũ Matthæus | |
| | Indorũ Bartholom. | |
| | Scythiæ Andreas | |
| | Aſiæ Ioannes | |
| | Græciæ Petrus | |
| | Gentium Paulus | |

Apoſtolorum capita diu quęſita ab Vrbano 5. inuenta ſunt, & locellis argenteis recondita 237. tranſlata in capſulis argenteis comitante populo in templum reſtituuntur 211
Apoſtolorum petri & Pauli corpora transferuntur 29
Apoſtolis diuiduntur prouinciæ 15
Apparatus Innocentij 4. Bernardi Parmenſis & Compoſtellani 199
Appellat rex Franciæ ad ſedem Romanam & futurum Concilium 220.221
Appion doctor 23
Apulia bello vexata 27. occupata 89. tranſit ad Normannos 145
Aqua baptizante Arriano, euanuit 63. vino miſcenda in miſſa 16
Aqua luſtralis inſtituitur 16
Aquarum inundatio 73
Aquæductus Alſietinus & Sabatinus reſtituitur 109
Aquæ ductum Romæ Claudius perfecit 6

Aquila vrbs obſidetur 266
Aquila ſecundus Interpres legis poſt 70. 17
Aquila & Priſcilla 17
Aquileia capitur 58
Aquileiæ ſchiſma 75
Aquinum capitur 198
Aquiſgranum ciuitas 112. capitur 191.
Aquiſgrani conuentus fit 112
Aquitaniam Sarraceni occupare conantur 97
Aquitani à Carolo Magno in poteſtatem rediguntur 106
Arabianus 23
Arach, quæ & Edeſſa 175
Arachius gener Deſiderij Regis Longobardorum 107
Arator ſubdiaconus Rom. 66,
Arbia flumen 199
Arbogaſtus & Eugenius à Theodoſio ſuperati 53
Arcadius & Honorius Theodoſij Imperatoris filij 52
Archiepiſcopi, Primates non dicuntur 20
Arduinus abbas Cluniacenſis 235
Arelate à Veſogothis liberatur 99
Argenta vrbs capitur 228
Ariminum à papa occupatur 355
Ariminenſe Concilium 45
Arioaldus rex Longobardorum 81
Aripertus Longobardorum rex 83
Ariſtides librum pro Chriſtianis Adriano porrexit 15
Arithperti donatio 94
Ariſprandus Longobardorum regnum occupat 95. potitus moritur 95
Ariſtarchus comes S. Pauli Romam miſſus 8
Ariſtides Chriſti diſcipulus 15
Ariſtobulus & Hyrcanus fratres ob principatum digladiantur 3
Armenia olim Cilicia 217
Armeniæ maioris patriarcha Catholicus Romam venit, ac fidei Romanæ conſentiens, honeſtatus donis, ad ſuos remittitur 379
Arnaldus Brixianus hæreticus 177
Arnifices ducis Lupi filius 86
Arnoldus dux Bauariæ 134
Arnobius præceptor Lactantij 37
Arnulphus rex Italię 130
Arnulphus Ariolæ comes 170
Arnulphus epiſcopus Remenſ. 140
Arnulphus epiſcopus ſanctitate preſtans Francorum regem in officio continet 79
Arnulphus imperator efficitur 128. pediculari morbo perit 129
Arnulphus prtriarcha 163
Arnulphus predicator inſignis interficitur 173
Arrius & Arriani 39.40.44
Arrius ab exilio reuocatur 43, moritur 44
Arriani pulſi reuocantur 65
Artemon hæreticus 31
Aſcalon capitur 164. 175. reſtauratur 189
Aſcanius Columna arcibns priuatus Proregis iuſſu captus, filium ſibi rebellem vlciſci nequit 365
Aſia minor Turcis ſubijcitur 102
Aſinius orator iuſſu Tyberij necatur 5.6
Aſſur quæ & Muzal iuxta Tygrim Chriſtianorum Metropolis 7
Aſterius Philoſrphus Arrianus 46
Aſſentatores à ſe remouere boni principis officium eſt 302
Aſtorgius Mamfredus 238
Aſtrologi Marcellum II. Pontificem futurum prædicunt 388
Aſtures Sarracenis reſiſtunt 93
Athaulphus rex Gothorum 58
Athanaſius Alexandrinus 44. 45
Athanaricus rex Gothorum 50
Atheſis fluuius 146.274
Athimus rex Sarracenorum 99
Attila & Belda Hunorum Reges 56
Attila Beldam fratrem obtruncat 53. flagellum Dei, moritur 58
Auares populi 128
Auaritia in viris Eccleſiaſticis eſt deteſtanda 91
Auditoribus ſacri Palatij ſalaria inſtituuntur, ne muneribus corrumpantur 234
Audoënus archiepiſcopus Rothomagen 91
Aueniun capitur 99. à Rom. Pont. emitur 233
Auerſa vrbs 164.232
Auerſani eum arcibus ſuis capiuntur 306
Aues domeſticæ in ſilueſtres mutantur 159
Auful rex Gallæciæ 159
Auguſta Hiſpaniæ diripitur 108
Auguſtæ conſtitutiones, quæ INTERIM appellantur, publicantur 377
Armenij ad fidem conuertuntur 72 nobiſcum in fide cõueniunt 275. à Turcis ſuperantur 102
Arpinum occupatur 93
Arretium à Florentinis emitur 243
Arretij moritur Gregorius x. 208
Auguſtinus Hipponen 54. moritur 56. eius corpus Papiam delatũ 99
Auguſtus Chriſto nato noluit ſe dominum vocari 31. maluit Herodis porcus eſſe quàm filius 4. eius virtutes 3
Aurea S. Virgo 80
Aurelianus Clodoueo autor fuit, vt Chriſtianiſsimus fieret 62
Aurelianus Imperator Chriſtianorum hoſtis de cælo tactus occiditur 33
M Aurelij Antonij Heliogabali vitia
Authares rex Longobardorum 73
Authenticæ, quas Hoſtienſis citat ab Innocentio IIII. compoſitæ 199
Authoritas Pij II. in omnes 299.
Auximates romano pontifici ſe dedunt 107
Auxona fluuius 140
Azimo pane offerendum eſt 18

B

Babylonia nunc Bagdat dicta 383
Babylas martyr 29
Babylæ martyris ſepulchrum Apollinis oracula facit ſilere 48
Baccurius rex Iberorum, cohortatur ſuos omnes ad Chriſti fidem amplectendam, & perſuadet 43
Bætica, quæ dicta ſit antiquis 227
Bætica prouincia tempore Platinæ Sarracenis erat ſubdita 93
Bætis fluuius 106
Bagelardus comes Calabriæ 151. 152
Bagnacauallum arx 238
Bailus mercatorum prætor 237
Baiacetes Turcarum imperator 328
Baianus Bulgarorum princeps magus 139
Balahac Parthorum rex 171
Balduinus Bolionius Galatiæ Comes ad expeditionem Hieroſolymitanam cum fratribus ſuis proficiſcitur 160. rex Solymorũ conſtituitur 164. capitur 171. redimitur 171. multa prælia gerit 172. moritur 175
Balduinus Conſtantinus imperator, lanceam & ſpongiam Chriſti Venetis vendit 196. Imperium cogitat relinquere 196. à Friderico II. impetrat Cardinalitium, è carcere liberatur 197
Balduinus comes Flandriæ in Palęſtinam proficiſcitur 190
Balduinus leproſus Hieroſolymorum rex 181. Sarracenos ſuperat, moritur 186
Baldus iuriſperitus 137
Baleares inſulę 167
Balthaſar Coſſa ſe pontificatu cogitur abdicare 263. Martinum canonicè electum, pontificem ſalutauit, & moritur 265
Balthaſar Aufidus 271
Bambergen. epiſcopatus fundatur 146
Bandereſij, qui 237
Baptiſterij deſcriptio 41
Barbas epiſcopus Arrianus, dum baptizat illegitime, aqua diſparuit 63
Barnabas & Galeatius hæredes Mediolani
Bardeſanis in Marcionem 22
Barnabas Cyprius ante Petri paſsionem cognominatus Leuites Ioſeph, obijt 7
Barnabæ Apoſtoli geſta 8
Barnabæ corpus cum Euangelio eius manu ſcripto repertum 61
Bartholomæus in Decretales 20
Bartholomæi corpus transfertur 140
Bartholus Saxoferatus 236
Barum obſidetur à Sarracenis 145
Baſilienſes pontificem citant 274. Amedeum Sabaudię ducem pontificem creant, eumq; Felicem vocant 274
Baſiliſcus ſerpens, oratione Leonis IIII. fugatur 1.8
Baſilius epiſcopus Ancyranus 45
S. Baſilius 51. doctiſsimus & ſanctiſſimus 80
Baſſarinus Bonacoſsius 2.8


Baſſus




Baſſus falſus delator exulat 57
Bauarię regnum 113
Bauari ab Henrico Caroli magni præfecto ſuperantur 110. Franciæ regno adiunguntur 97
Bauarorum dux Taxillo, Pipino ſubijcitur 104
Bebrignanus vicus vnde dictus 91
Beda venerabilis 93
Beliſarius inſignis dux 66
Bellum inter Florentinos & Medicæos acerrimum 308. inter Alfonſum Venetos cum Franciſco Sfortia Florentinis & Gallis 285. 286 inter Cæſarem & Gallorum Regem 366. 374. inter Carolum V. & Ioannem Fredericum ducem Saxoniæ & Philippum Lantgrauiũ Haſsiæ 375. inter Chriſtianos 334. inter Turcas & Venetos 367
Bellum inualeſcit in Italia 283.284
Bellum ob hæreſim indicitur 84
Bellum Paulus 4. cum Philippo Hyſpaniarum rege ſuſcipit 397
Bellum Senen. cum Florentinis 294
Bello ſe apparando optimæ rationes 119
Bella inteſtina Chriſtianorum 297
Benedictio frugum, vini, & fabarum 33
Benedictio Rom. Pontificis 160

| | | | |
|---|---|---|---|
| Benedictus | 1 | Papa | 72 |
| | 2 | | 89 |
| | 3 | | 123 |
| | 4 | | 131 |
| | 5 | | 137 |
| | 6 | | 139 |
| | 7 | | 140 |
| | 8 | | 145 |
| | 9 | | 147 |
| | 10 | | 151 |
| | 11 | | 221 |
| | 12 | | 230 |

Benedictus XII. Caietanus in iure ciuili peritiſsimus Bonifacius VIII. vocatus 218
Benedictus II. inter beatos poſt mortem cenſendus 90
Benedictus XIII. Antipapa deponitur 259
S. Benedictus Nurſinus 66
Benedicti corpus in Galliam transfertur 94
Beneficia vnde comparata 80
Beneficia non conſanguineis, ſed idoneis conferenda 348. 349 plura habenti quid mandet Clemens 4. 206
Beneficiorum adipiſcendorum abuſus tollitur 349. conferendorum optima ratio 267
Beneficiati ad eccleſias ſuas iubentur proficiſci 234

| | | |
|---|---|---|
| Beneuẽtum | capitur | 130. 196 |
| | incenditur | 140 |
| | diripitur | 196 |
| | obſidetur | 85 |
| | corp. S. Bart. danatur | 115 |
| | Rom. pont. donatur | 149 |
| | terræmotu cõcutitur | 141 |

Benno epiſcopus canonizatur 349
Benacus fluuius 274
Berẽgarius de Euchariſtia primum dubitauit 141. poſteà errorem reuocauit 151
Berengarius I. quando regnauerit 132
Berengarius III. imperator 134
Berengarius 4. exulat 137
Berflauardus Britannorum epiſcopus 92
Berillus ab Origine conuerſus 27
Bernardus abbas Clareuellen. 167 principes in Turcas animat 174
Bernardus rex Italiæ necatur 113
Bernardus Corius hiſtoriographus 406
Bernardus comes Barchionen. 114
Bernardus patruelis Caroli magni 107
Bernardus Pictauienſis 128
Bernardi Parmenſ. ſcripta 199
Bernardinus canonizatur 288
Bertha Carolomanni defuncta vidua, filijs ſuis regnũ abiens dedit.
Berytum vrbs capitur 166
Beſſarion Cardinalis Nicenus 312
Bethleem locus munitiſs. 189
Bibliotheca S. Petri reſtituitur 101
Bibliotheca Gordiani Imperatoris 62000. librorum habuit 28
Bibliotheca Romæ fulmine conflagratur 22
Blbliothecarum ædificatio 59-323
Biorgus Alanorum rex 59
Bireta coccinea præter Cardinales nemo geſtare debet 313
Blaſtus & Florinus hęretici 22
Bohemiæ dux Spirinæus fidem recipit 135
Bohemiæ rex ſchiſmaticus 288. hæreſeos ſuſpectus à Rom. pontifice citatur 298
Bohemiæ regis perfidia iuſſu Pauli II. coërcetur 305
Bohemi hæretici catholicis damnum inferunt 266
Boemundus Apuliæ dux ad terram ſanctam proficiſcitur 160. Antiochiæ præficitur 163. captus 166. liberatus moritur 166
Boethius 64.65.66
Boleſlaus Bohemiæ rex 135
Bombardæ primus vſus 241. 242
S. Bonauentura canonizatur eius ſcripta 296
Bononiæ inter Leonem x. & Franciſcum I. Franciæ regem pax icta 341

| | | | |
|---|---|---|---|
| Bonifacius | 1 | Papa | 55 |
| | 2 | | 66 |
| | 3 | | 77 |
| | 4 | | 78 |
| | 5 | | 80 |
| | 6 | | 129 |
| | 7 | | 139 |
| | 8 | | 219 |
| | 9 | | 245 |

Bonifacius comes Montis ſerrati in Paleſthinam tendit 190
Bonifacius epiſ. Moguntinus 90
Bonifacius monachus Germanos ad fidem conuertit 96
Bonifacius comes Piſanus 229
Bonitium oppidum in valle Helſæ ſitum Florentinis venditur 200. 205. & eo demolito Poegium Bonitium exſtruitur 205
Bono epiſcopus Lauicanus 164
Bononia capitur 337. in eccleſiæ poteſtatem redacta 264. pulſis eccleſiæ magiſtratibus in libertatem ſe vendicat 263
Bononiæ Ioannes 24. eligitur 257 Carolus 5. coronatur 357
Bononienſis ſchola Patauium transfertur 186.197
Borbonium capitur
Borſius Eſtenſis dux Ferrariæ creatur 312. Mutinæ creatur
Boſsina capitur 291
Boſsinæ regnum obtruncato illius rege à Turcis occupatur
Brachiani 248
Brachiani milites vnde originem traxerint 246
Brachius ad pedes Martini prouolutus veniam petit 264
Brachij cadauer in loco profano ſepelitur 266
Brigida Scotiæ 66
Brigida Suetiæ princeps Romam voti cauſa venit 237
Briſagus regius dux 381
Britannia ad Chriſtum conuertitur 22. à Lodouico I. vaſtatur 114. à Pictauis, Scotis & Anglis occupatur 56. à ſummo pontifice epiſcopo donatur 56.92
Brixia vaſtatur 224. pontificis decreto Philippo adiudicatur 262
Brixia & Cremonenſium oppida, & Bergomum venetis ex fœdere cedunt 262.263. aput Brixiam pluit ſanguis 126
Brunduſium occupatur 89
Brunduſium conueniunt Chriſtiani ad expeditionem Hieroſolymitanam profecturi 194
Buhaganus Græcorum dux 146
Bucalinus Auximus tyrannus à Pontifice expugnatus ad Ludouicum Sfortiam mittitur 327
Buda à Turcis occupatur 355
Bulgaria ad fidem Chriſti conuertitur opera Nicolai Pontificis 124
Bulgari Rom. eccleſiæ ſubiecti Latinos ſacerdotes eijciunt, & Græcos introducunt 126. Romanos vaſtantes commendantur 87. Pannoniam inuadunt 114
Burdegalenſis Synodus 53
Burdinus Antipapa 171
Burgundia prouincia imperialis 146
Burgundiones capiuntur 99
Buxeti conueniunt Pontifex & Imperator 373
Byblum vrbs capitur 186
Byzantij natus puer quadrupes 76

C.

Cacannus rex Auarorum, reges Longobardorum ſuperat 78
Cadauer Syluestri II. ab equis ſua ſponte euntibus ad baſilicam Lateranen. defertur 143


Cęle.

Cælestinus 1 Papa 56
Cælestinus 2 Papa 175
Cælestinus 3 Papa 188
Cælestinus 4 Papa 196
Cælestinus 5 Papa 217
Cæleſtinus V. vt ſe pontificatu abdicarit 218, ſanctus, ſimplex, miracula facit 218. 219. canonizatur 225
Cæleſtinus hæreticus 52
Cælius mons 97
Cæſarauguſtana eccleſia Metropolitana fit 227
Cæſar Borgia fratrem necat 321. depoſita Cardinalatus purpura vxorem ducit 330. & Italiam funeſta internetione regulorum occupat 330. capitur inglorius, moritur 336
Cæſaria Cappadociæ, antea Mazaca dicebatur 51
Cæſaria Regina Perſarum baptizatur 85
Caius hiſtoricus 8
Caius I. Papa 34
Caipha vrbs capta 164
Cairum, olim Cares dicta, obſide. 179
Calabria Græci expelluntur 150
Calabrię magna pars ab Afris capta 131
Calamitas Eccleſiæ & Rhodiorum 346
Caleſium oppidum 233
Calices primum lignei, poſt vitrei, demum argentei & aurei 24
C. Caligulæ vita 6
Calliſtus 1 Papa 24
Calliſtus 2 Papa 170
Calliſtus 3 Papa 289
Calliſtus 3. centum & quindecim milia (150000.) aureorum in vſus belli Turcici pararant 292
Calliſtus & Concordius falſi teſtes B Damaſi 49
Callinicus patriarcha Conſtantinopolitanus effoſſis oculis Romæ exulat 94
CaloIoannes Imperator Conſtantinopolitanus 234.279.242
Camelantum 95
Cameraci fœdus exitioſum Venetis inter reges Francorum, Hiſpaniarum, imperatorem & Rom. Pont. initum 336
Camerinum Eccleſiæ oppidum beneficiarium 369
Camerinum eccleſiæ reſtituitur 378
Campana meridiè pulſanda quando & cur inſtitutum 291
Campanas Eccleſiarum Hieroſolymis Turcæ deijciunt 187
Campania Eccleſiæ ditioni reſtituitur 299. redigitur 272. vaſtatur 93
Campani olim Hernici dicti 199.272
Candidus Hexaemeron fecit 24
Canonici regulares in Lateranen. Eccleſiam remiſſi 277
Canonizatio 36.181.193.194.195.198. 201.216.219.221.225.226.227.279. 302.322.343.249
Canoſſi ſupplex à Gregorio VII. veniam petit Henricus III. Cæſar 155
Cantabri Sarracenis reſiſtunt 93
Cantus eccleſiaſticus ordinatur 86
Capua obſidetur 150. capitur 145. 160. terræmotu concutitur 141
Caput S. Andrææ 299.302
Caput humanum in poculum redactum 71
Capita Apoſtolorum à Rom. Pontifiee in ſupplicatione deferuntur 211.237
Capitanei qui 223
Capitolium Romæ vna cum Bibliotheca conflagratur 22
Caraffæ capiuntur, damnantur 411
Carbunculum 6000. aureorum ex tiara pontifex amittit 222
Cardinalis creatus fuerat Gregorius XI. Vix. 17. annum attingens 237
Cardinalis Rebiba captus 412
Cardinales ab Egidio creati ſponte ſe Cardinalatu abdicant 267
Cardinales à Friderico II. capti, non potuerunt eligere papam 196
Cardinales galero rubro vtuntur 198.313
Cardinales in conclaui electuri pontificem Viterbij capiuntur 212
Cardinales legati prouinciarum reuocantur à Paulo IIII. 396
Cardinales 4. qui olim cum Petro Luna, adulterino Pontifice ſenſerant, cum Martino redeunt *in* gratiam 264
*Cardinales qui concilium Piſanum inſtituerant* tanquam rebelles priuantur 337
Cardinales ſex inquiſitionis iudices lecti 402
Cardinales XX à Paulo III. lecti pontificatu digni 362
Cardinalium collegio boni & docti tantum cooptandi 215
Cares olim Cairum, obſidetur 179
Carmelitarum ordinem non ſatis concilijs probatum, mutatis pallijs nigris in alba Honorius 4. confirmauit 215
Carolomannus Marcelli filius monachus efficitur 101. in monaſterium Viennenſe ablegatus moritur 102
Carolus Borbonius transfugit ad Cæſarianos 354. Romam inuadit, & traiectus pila tormenti occumbit 356
Carolus Caraffa Cardinalis creatur 396. vrbe pellitur 403. moritur 411
Carolus Francorum rex octauus in regnum Neopolitanum expeditionem parat, & Romam venit 329.339
Carolus Gonzaga capitur 274
Carolus Lanoius 354
Carolus magnus quare ſic vocatus 102. domat Vaſcones ſuperatis Aquitanis 106, Deſiderium Longobardorum Regem ſuperat 107. Romam veniens Pontificis pedes exoſculatur 107. inungitur imperator 111. moritur 112
Carolus 2. imperator moritur 126
Carolus 3. imperio priuatur 128
Carolus quartus Bohemius imperator 233
Coronam ferream Mediolani accipit, Romæ à duobus Cardinalibus coronatur 235
Carolus V. imperator deſignatur 342. coronatur Auguſtus 357. Viennam obſidione liberat 358. regem Gallorum ad ſingulare certamen prouocat 366. eundem bello capit, biduo cum eo colloquitur 368. ab eodem magnificentiſſimè Pariſijs excipitur 370. Pacificatur eidem 375. Clementem priori dignitati reſtituit, & in amicitiam recipit 357. maximi & fortiſsimi cognomine à Paulo tertio, donatur 376. in conuentu Auguſtano conſtitutiones (quas Interim vocant) publicauit, quod pontifex ægrè tulit 377. ei bellum Pœnis inferens pontifex tredecim triremes duce Virgineo Vrſino ſubminiſtrat 364. victori gratulatur 365. imperium tradit per manus fratri ſuo Ferdinando 402. in Hiſpanijs moritur 405
Carolus Malateſta totius exercitus dux capitur 264
Carolus Martellus Sarracenos ſuperatos fugat 97. regnis filijs diuiſis moritur 101
Carolus *rex Hieruſalem, & Siciliæ* à Cardinalibus declaratur 204 magna potitus contra Manfredum victoria 204. & rurſum alia 205. Romæ omnia pro arbitrio agebat 210
Carolus rex Siciliæ 213. capitur, moritur 214
Carolus Sfortia Lombardiæ prior à rege Francorum alienatus 397
Carolus Valeſi comes 220
Carolus Vrſinus Rhodiorum magiſter 308
Carolus Zenus 241
Carolo patri ſuccedũt Carius & Numerianus filij 34
Carthago capitur 56.57
Carthuſienſis ordinis initium 162
Carthuſienſibus thermæ Diocletiani donantur 458
Carus probo ſuccedit in Imperio 34
Caſſianus rex Antiochiæ 162
Caſſinates mons 101
Caſſinenſis monaſterium ſpoliatur 196
Caſſiodorus ſenator 66.71
Caſſiopa inſula 159
Caſtellana vrbs 165
Caſtellæ rex capitur 213
Caſtrucius vir nobilis 227
Caſtrum Felicitatis 175
Caſtrum nouum Turcæ capiunt
Catalogus librorum prohibitorum publicatus 402
Cataphrygæ hæretici 20.21.52
Catina occupatur 215
Catharina Senenſis in Sanctas relata 299.302

Catha



Catharina vicecomes captiua ad Alexandrum ducta 231
Catholicorum perſecutio 62
Cauenſe monaſterium 172
Cecilia virgo 26
Cecilius presbyter Cyprianum conuertit 30
Cellis pagus 316
Celſus Epicureus 28
Cenſura Romana quantæ autoritatis olim fuerit 132
Ceperamum capitur 204
Cephyſus fluuius Pontem ab Adriano reſtitutum inundans alluuione diſſoluit 16
Ceraſulana pugna cruenta 374
Cereus benedicendus ſabbatho ſancto 54
Ceruiæ magnum ſalis vectigal 207
Ceſenna vrbs 238
Chares Lyſippi diſcipulus coloſſum Rhodium conſtruxit 84
Cherinthi dogma 31
Cherſonneſus Ponti 92
Childebertus Francorum rex 92
Chiliaſtæ hæretici 31
Chium diripitur 171.233
Chriſma ab epiſcopo tantum conficitur 40. quotannis renouandum 28
Chriſtophorus I. Papa 132
Chriſtus ſine dolore matris natus 3. quo tempore & ætate mortuus 5. S. Petro in via Appia apparet 8. in forma pauperis Ro. Pontifici apparet 149
Chriſti genealogia 3
Chriſti morte ſigna facta 5
Chriſto naſcente oleum ex fonte in Tyberum fluit 3. ſumma pax vbique 4
Chriſtum cum diſcipulis nil proprij habuiſſe dicentes hæretici 227
Chriſtiana claſſis re infecta in gloriadomum ſe recipit 369
Chriſtiani gentilibus vendi prohibentur 101. gentilium ſtudia tractare prohibentur 48. apud Aſſyrios dicuntur Neſtoriani, Moronitæ, Iacobitæ, Cophei 382. qui Hieroſolymis manſerint 187. qui ad expeditionem Hieroſolymitanam profecti 160.161.187.195.
Chriſtianorum diſſidium terram ſanctam perdit 186. Sarracenos iuuat 216.217. Turcarum vires auget 291
Chriſtianorum 20000. captiuitate Tuneti liberantur 365
Chriſtianus princeps 189
Chryſoloras Byzantius in Italiã Gręcas literas rurſum introduxit 249
Ciborium argenteum 64
Cincius Fregepanis homo factioſus 169
Ciniſius mons 107
Cintius ciuis Romanus Pontificem Romanum ſtrangulat 139
Cyprus inuaditur 188.237
Cyprignius in Apocalypſim 66
Cyrus epiſcopus Alexand. hæreticus 81
Ciſtertienſis ordinis initium 162
Ciues Veneti inſulas occupant 191
Ciuitas beata vbi Philoſophi imperant 19
Ciuitas Caſtelli 175
Ciuitates quædam libertatẽ emunt ſibi 215
Clara canonizatur 201
Claromons vi capitur 104
Claudius martyr 36
Claudius imperator aurea ſtatua donatur 32
Claudus hypodiaconus martyr 32
Clauium & literarum Apoſtolicarum authoritas cur elauata 249
Clemens 1 Papa 12
Clemens 2 Papa 148
Clemens 3 Papa 187
Clemens 4 Papa 203
Clemens 5 Papa 222
Clemens 6 Papa 231
Clemens 7 Papa 352
Clemens à S. Petro ſummus Pontifex conſtituitur 12. cur voluerit Linum & Cletum præcedere, ex Diui Hieronymi teſtimonio 10
Clemens Alexandrinus 12
Clemens 7. Cęſarianis ſe dedit 357. Paulum III. Pontificatu dignum iudicat 361
Clemens IIII. optio quam dedit nepoti ſuo, tria beneficia habenti 206
Clementinæ eduntur 225. confirmantur 227
Clericus de laicis quæſtionem habere non poteſt 310
Clerici barbam & comam nutrire prohibentur 14.20. in commune viuunt 32
Clericorum accuſatio 32.37.40
Clericis palam bibere interdicitur 54
Clerus Rom. Pontificem creat, non expectata Imperatoris confirmatione 125
Cleri Romani zelus 84
Cletus alius ab Anacleto 14
Cletus 1. Papa 13
Cliſſa Dalmatiæ oppidum, necato regulo, à Turcis occupatur 367
Clodonæus rex Franciæ 84
Clodonæus à diui Remigio baptizatur 61
Clodonæus hæreticos regno ſuo pellit, Chriſtianos vero reducit 93. moritur 66
Cluniacenſe monaſterium cõſtruitur 128. in eo moritur, & ſepelitur Gelaſius 170
Cochobas dux, Chriſtianos perſequitur 16
Codex Iuſtiniani componitur 67
Cæmiterium Calliſti 25
Cæmiterium Priſcillæ 56
Cæmiterium reficitur 71.81. dedicatur 80
Cæmiteria exornantur 94
Cognatis & affinibus quam cuiuis bono, non plus ſe debere arbitrabatur Nicolaus IIII. 216
Cognatis quam parum Clemens 4. tribuerit 205
Colchi à Turcis vincuntur 102
Colloquium Pontifex cum Cæſare de ducatu Mediolanenſi, de pace & Turcico bello 373.374
Colonia Agrippina obſidetur 191
Coloſſus ſtatua 70. cubitorum à Sarracenis deſtruitur, & eius ære 900. Cameli onerantur 84
Columba Fabianum Pontificem aſſumendum ſignificat 29
Columbanus abbas 78
Columna porphyretica ad portam D. Ioannis Baptiſtæ 167
Columna arx 165
Columnenſes Romani inuadunt 269
Columnenſes ditione ſua ſpoliantur 356
Columnenſium familia ſciſchmatica habetur 219
Columnenſium & Vrſinorum factio ſedata 290
Comaclum capitur 106
Comaclum expugnatũ incenditur 136
Comes Buranus per medios hoſtes, cum copijs ad Cæſarem in Germaniam peruenit 376
Cometa apparet 44. 76. 86.96.141. 220.245.228. crinitus & rubeus 291
Communione ſacrà, Romani ad bellum ſe preparant 119
Compoſtellani ſcripta 199
Conciliabulum Mediolanenſe 47
Concilium Claromontanum 160. Lateranenſe 105.171.164.182.191. 196.337. Mãtuanum 157. Sinueſianum 35. Piſanum 174. Vercellenſe 150. Rauennæ 63. I. Nicænum & eius decreta 40. II. Nicænum 108. Conſtantienſe 259. & quæ ibi acta ſint 259. Tyri aut Leodienſes.
Conſilium Lateranenſe Iulius 11. indixit, vt Piſanum quorundam principum & Cardinalium opera inſtitum deſtrueret 337
Concilium à Felice 2. coactum 47
Cõcilium ob ambitionem Alphonſi regis à põtifice diſſoluitur 266
Concilium Bononia Tridentum transfertur 380
Concilium Tridentum bello ſoluitur 382
Concilium Ferrarienſe confirmatur 273. Baſilienſe confirmatur 266.272
Concilium indicere Romani pontificis eſt 44.179
Concilium Chalcedonẽſe ſub Martiano imperatore ſexcentorum triginta epiſcoporum legitimũ fuit 58
Concilium 6. Conſtantinopolitanum confiirmatur à Leone 11. 89
Concilium decimo quoquo anno celebrandum 262
Concilium Epheſinum, cui præſedit Dioſcorus Epiſcopus Alexan. fuit hæreticum 58

Conci.

Concilium Florentiæ in Eccleſiâ cathedrali habitum. 275. apud Trecas habitum 126
Concilium Francorum & Germanorum Epiſcoporum 108
Concilium Lugdunenſe, in quo Græci in ſententiam Ro. Eccleſiæ rurſum perducti. 207. multa bona ſtatuit 207
Concilium Mantuæ primùm, dein de Vicetiæ, tandem Tridentum transfertur 366
Concilium Papiæ inchoatum ob peſtem Senas transfertur 266
Concilium quatuor conuentus cõtinens 294
Concilium tempore Victoris in Palæſthina habitum 23
Concilium Tridenti celebrandum à Pontifice indicitur, & ab omnibus principibus ratum habetur, & fœliciter conſummatur 416
Concilij decreta à Rom. Pontifice confirmantur 47
Concilio Carthaginenſi interſunt legati Ro. Pont. 54
Concilio clericorum, laicorum nullus intereſſe debet 125
Concilio generali omnes Epiſcopi intereſſe debent 47
Concilia à Rom. Pontifice conuocanda & confirmanda 77
Concilia iniuſſu Ro. Pontificis celebranda non ſunt 51
Concilia generalia enumerãtur 88 Vide etiam Synodus
Confeſsio in principio miſſæ dicenda 51
Coniuratio Smalcaldi Saxoniæ oppido contra Cæſarem acta 365
Coniuratorum exercitus diuiſus ac diſſolutus 376
Conon 1. Papa 90
Conradus 1. imperator coronam imperij ſuſcipit. 175. in Aſiam tendit. 175. reuertitur 176
Conradus Monteferratus occiditur 189
Conſaluus magnus dux aut interemptis aut eiectis Gallis, Regnũ Neopolit. Hiſpanis tradit 330
Conſtantia Moguntinæ prouinciæ ciuitas 258
Conſtantia Pij II. 301. in ægritudine 298
Conſtantiæ concilium quatuor annis durauit, & probatur 261
Conſtans cogit Conſtantium recipere D. Athanaſi. & moritur. 44
Conſtantinus Sarracenis deuictis Romam redit 87
Conſtantinus in Antipapatum conſecratur, manus Epiſcopi conſecrantis areſcunt 104
Conſtantinus Epiſ. Conſtantinopolitanus martyr 104
Conſtantinus 1. Papa 94
Conſtantinus 11. Papa in pontificatum ingeritur. 104. Pontificatu ſe abdicat, victurus in monaſterio oculis priuatur, eius decreta abrogantur 195
Conſtantinus 1. Imperator Romæ cum Criſpo filio baptizatu. 143. & an leproſus fuerit. 43. Maxentium ſuperat. 38. eius laudes. 38
Conſtantin. Imp. multas baſiliſcas ædificat & magnificentiſsimè dotat 40.41
Conſtantinus iij. Heraclij filius à nouerca interficitur 88
Conſtantinus iiij. 89
Conſtantinus v. Imperator hęreticus cum Sarracenis fœdus init. 104
Conſtantinus vj. cum matre Irene imperat, celebrato concilio in hæreſim incidit, & imagines ſanctorum demolitus, ancillam vxoris ſuæ ducit. 18. excœcatus in carcere moritur 110
Conſtantinus imperator Leonis filius 129
Conſtantini ſanctio de Pon. Romano. 89
Conſtantini ij. iunioris mors 45
Conſtantinopolis ex Byzantio ędificatur. 39. à Sarracenis obſidetur 97. capitur 190.278
Conſtantino polim legatus cardinalis mittitur 265
Conſtantinopolitana v. ſynodus in Vigilio. 69. vj. ſinodus in Agathone 88
Conſtantinopolitanus patriancha Roma. Pontifi. officio priuatur 98
Conſtantinopolitanus imperator à Turcis obtruncatur 287
Conſtantinopolitani ad Eccleſiam Romanã redire cupiũt 265 ῥωμαίοι dicuntur 77
Conſtantinopolitana ſuburbia incenduntur 176
Conſtantius & Galerius Diocletiano & Maximiniano ſuccedunt in Imperio 37
Conſtantius 1. Pater Conſtantini in Deos refertur. 36
Conſtantius 2. filius Conſtantini hæreticus, non Conſtantinus pater. 47. ab Euſebio baptizatur ibi in deos refertur 46
Conſtantius 3. Imperator hæreticus. 83. eius ſcelera & mors. 84. 85.86.
Conſtantia Rogerij regis Siciliæ filia Deo dicata, diſpenſatione Romani pontificis nubit 188
Conuentus Norinbergeſis. 347. 371. Guardaſtallanus. 165. Vvormatieſis, cui Lutherus interfuit. 371. Ratiſponenſis. 370. 375. hęreticorũ impudentiam, & coniuratorum contumaciam irritus 371
Corbanes Princeps militiæ Regis Perſarum in defenſione Antiochiæ amittit. 100000. militum, Camelorum. 15000. præter reliquas exuuias 163
Corbaria vallis 99
Corcyra recuperatur. 176. à Venetis occupatur. 191
Cordirius muros Solymorum diruit 192. 193
Corinthus recuperatur 176
Cornelius 1. Papa 29
Cornutus Philoſophus 9
Corona imperij Romæ accipitur 207. aurea Romæ ſolet accipi 226. ferrea Mediolani accipi iolita. 224.228.235
Coronam ferream accipere de more debet imperator 224. 228
Coronatur imperator à tribus Cardinalibus. 225. à duobus. 235
Coronum à Venetis occupatur. 191
Corpora trium Regum Coloniam delata 179
Corporale é panno lineo texendũ 17
Corpus Bartholomæi transfertur. 140. S. Nicolai Barum transfertur. 150, S. Marci Venetias tranſfertur. 115. Theodori martyris Venetias transfertur 171
Corſi patria expulſi Leoninam inhabitare iubentur 119
Corſorum obſeruantia in Romanũ Pontificem. 165. 170. de Corſicæ poſſeſsione contentio 214
Corrona in ciuitatem erigitur 228
Coſdroas Rex Perſarum Palæſthinam diripit, crucem Domini tollit, Epiſcopum Hieroſolymitanũ abducit. 78. ſuperatur 79
Coſmas martyr 37
Coſmus Medices Florentiæ Dux cum vxore & duobus filijs à Pontifice magnifice excipitur 451
Cremona in poteſtatem ducis Mediolanenſis venit 263
Crepini pax icitur 374
Creſcentius martyr 32
Creſcentius conſul Rom. 141
Creta Bonifacio Marchioni Montisferrati datur. 190. Venetis venditur. 190. in coloniæ formam redigitur 191
Crocildis vxor Clodouei 62
Crux domini inuenitur, Conſtantinopolim defertur 82
Crux in cælo Conſtantino viſa 39
Crux aurea magni ponderis D. Petro à Ludouico 1. donata 113
Crucis cruentæ ſignum in multorum veſtibus apparet 137
Crucis Dominicæ lignum in Perſidem defertur 78.79
Crucis dominicę pars inuenitur 92
Crucis lignum Chriſtiani à barbaris repetunt 189
Crucis pars à Sarracenis reperitur 214
Crucis ſignum dæmones fugat 84
Crucis ſigno Benedictus exercitus hoſtium ſuperat. 119. incendium reſtinguitur 118
Crucis ſupplicium prohibitum 41
Crucem Dominicam quantum Tyberius 2. Imp. ſit veneratus, & ex tali veneratione, quantum emolumenti ſit aſſecutus 72
Cruce ſignatus Lodouicus rex Francorum in Aſiam proficiſcitur 176
Cubicularij qui olim 59
Cultus diuinus auctus 211
Cumana arx recuperatur 97
Cumitus rex Anglorum 147. Romam voti & religionis ergo venit 147
Cyprianus martyr 29
Cirus Abbas fit Patriarcha Conſtantinopol. 94. exulat 95
Cyrillus epiſcop. Hieroſoly. 53
Cirillus Alexandrinus 56
Cyrinus martyr 35


## D.


DAcia imperio ſubijcitur 14
Dæmones ſepulchrum Martyris metuunt 48
Dagobertus rex Francorum 79. moritur 87
Damaſcus à Sarracenis capitur 82
Damaſci initium & ſitus 176
Damaſus 1. Papa 48. competitorem habuit 49
Damaſus 2. Papa 149
Damianus epiſ. Ticinenſis 88
Damianus Archiepiſcopus Rauennas 92
Damianus & Fugatius Anglorum Apoſtoli 22
Damianus martyr 37
Damiata Aegypti obſeſſa 193. capta reſtituitur 193
Dani ad Palęſthinam proficiſcuntur 187
Dantes Aldegerius vernacula ſua lingua inſignis poëta 220
Dauidis poſteri necari iubentur 12
dearchones qui dicti 138
decius imperator mouet perſecutionem in Chriſtianos 29
decreta aliquot Pauli iiij. à Pio iiij. reuocata 410
decretales Epiſtolæ ab Honorio iij. compilatæ 193. eas compilauit Alexander iiij. 201
decretales Gregorij ix 196
decretalium apparatus compoſuit Innocentius iiij. 198. liber ſextus à Bonifacio viij. conſcriptus 219
deditionis ſignum 107
defunctorũ in miſſa cõmemoratio.
degradatur Epiſcop. 226
delmatius Cæſar 44
delatores ex aliorum infamia præmium captant 309
demetrius Epiſ. 67
dertona ſolo æquatur 179
deſiderius Longobardorũ rex 103. 106. exulatum mittitur 107
deuotio Nicolai iij. inter ſacrificandum 311.212
deuſdedit I. Papa 79
deuſdedit abbas 115
dexter 55
diabolus perſonam Moyſi indutus multos Iudæos decipit 56
diaconus dalmatica vti debet 40
diaconi 7. Epiſc. prædicantem cuſtodiunt 15
dialogorum libri D. Gregorij à Zacharia Pontifice in linguam Græcam transferuntur 101
Didacus Hurtadus Mendocius 384
Didymus cæcus inſignis Theologus 50
dies cinerum 219





Digeſta componuntur 67
Dignitates ex hominibus authoritatem capiunt 132
Diocletianus & Maximianus imperium deponunt 36
diocletiani arrogantia 35
diodorus Tarſenſis 54
diomedis inſula 108
dionyſius Abbas 67.71
dionyſius I. Papa 32
D. dionyſius animam Dagoberti liberat 85
dionyſius Epiſcopus Corinth. 21
dioſcorus Epiſc. Alexand. Hæreticus 58
diſſenſio inter Auerſæ comitem & Neapolionem 290
Doctrina & virtus { Pij 2. 300. 301 / Sixti 4. 316 / Adriani 6. 352 }
domaielus monachus 136
dominica & Feria 5. non ieiunandum 38
dominicus 191. 192. hæreſim apud Toloſam compeſcit 191. moritur 193. canonizatur 195
dominicus Cardinalis ſanctæ Crucis ſapientiſsimus 293
dominicani Chriſtianos in Turcas animant 195
domitiani vitia 12. idem muſcas ſtilo configit, & poſteros Dauid perſequitur 12
donatus hæreticus 46
donatiana hæreſis 46
dona Eccleſijs à Conſtantino data 40. 41
donatio Arithperti à Luithprando rege confirmatur 96
donatio Pipini & Caroli magni 107
donus { 1 Papa 87 / 2 Papa 139 }
dorothea virgo martyr 38
dorotheus martyr 35
dorotheus præceptor Euſebij 34
dorotheus iuriſperitus Iuſtinianum in digeſtione librorum iuris iuuat 67
drogo Epiſcopus Meten. 117
druſus veneno ſublatus 6
dulcinus nouus hæreſiarcha Nouarien. vna cum vxore laceratur, exuritur 222
dulcini ſecta 225
dux Amalphitanus nepos Pij II. 301
dux Burgundiæ Leodum vaſtat & Epiſcopos liberat 313
ducis Mediol. copiæ, poſt tertiam pugnam ſuperantur 264
duces Cæſariani inſcio Cæſare Romam captam inuadunt 356. 357
duella execrata 457
dyrrhachium obſidetur 155. 166


## E.


Ebion hæreticus 50
ebionitarum hæreſis 13
eccleſia ſeditione liberatur 284
eccleſia Mediolanenſis Romanæ reſtituitur 150
eccleſiæ ab epiſcopo tantum conſecrandæ 61
eccleſiarum prouentus 116
eccleſiaſticos ordines inter ſe diuiſit Nicolaus 3. & quid cuique conueniret oſtendit 211
eccleſiaſticorum vita ſit alijs exemplar 234
ecelinus multas Italiæ vrbes occupat 195. moritur 200
eclipſis ſolis & lunæ 307. ſolis maxima 196.236
edeſſa Meſopotamiæ vrbs capta diripitur 176. à Thadæo ad fidẽ Chriſti conuertitur 176
edimundus Archiepiſcopus Cantuarienſis Confeſſor canonizatur 198
edimundus Cantuariẽſis epiſcopus canonizatur 198
ediſius Frumentius & Iulianus tempore Silueſtri innumeros gentiles ad Chriſtum conuertunt 43
edmundus rex martyr 290
S. Eduardus Angliæ rex 139
Eduardus rex Angliæ 215. eiuſdem bellum cum Philippo Francorum rege 217. 231
egeſippus hyſtoricus 20
egeſippus alius ſcriptor 63
egidius Abbas 98
egidius Munio dictus Clemens 8. antipapa 267
egidius à Martino epiſcopus Maioricenſis declaratur 289
elbo comes Pictauiæ 128
electionis Pontificiæ Rom. forma 153
electionis vis 358
electores imperij 142
eleutherius 1. Papa 22
eleutherius patricius, dum ſe Italiæ regem creat, occiditur 80
de eligendo Pontifice Gregorij conſtitutionem in meliorem formã redigere voluit Adrianus 5. 210
eliſei oſſa Alexandriã tranſlata 61
elizabeth canonizatur 195
elogium Adriani 6. 352
elpiades Pipini pellex 93
emanuel imperator Conſtantinop. Latinis victoriam Turcicam inuidet 171. à Rom. Pontifice petit, diuiſum imperium vnicum reddi 180
emanuelis 2. Imp. Conſt. in Chriſtianos fraus 175.176
emaus poſteà Nicopolis 26
encratitarum hæreſis 20
epheſina ſynodus 56,59
ephrem diaconus Edeſſenus 52
ephiphanius epiſc. Salaminæ 52
epiphanius epiſc. Tycinenſis 62
epiſcopatus Belgiæ 18. ſunt Iuris patronatus Philippi filij Caroli v. 404.405.
epiſcopus à tribus Archiepiſ. totius prouinciæ conſecrandus 20. ante diem tertium poſt obitum præcedentis non eligendus 77. non ſua ipſius cauſa ſe ad alium Epiſcopatum transferre poteſt 28
epiſcopus Oſtiẽſis, à quo Ro. Pontifex conſecratur, pallio vtitur 44

epiſcopatus in Abbatias mutantur, & contrà 227
epiſcopi à ſynodo damnantur 113
epiſcopi conſecrantes annulos in manibus habeant 116
epiſcopi duo in eadem vrbe feruntur 82
epiſcopi quidam deſtituti 299
epiſcopi electio à quibus fienda 77
epiſcopi, Diaconi, & Presbyteri à Conſtantinopol. initiati, denuò conſecrantur 105
epiſcopum duo Presbyteri, tres Diaconi vbique comitari debent 30
epiſcopum Tycinen. Romanæ ſedi, non etiam Mediolanen. obtemperare debere, decernitur 96
epiſcoporum eligendorũ poteſtas Imperatoribus conceſſa, Romano Pontifici reſtituitur 113
epiſtolarum S S. Petri & Pauli numerus 8
Epitaphium Eugenij 4. 280
Epitaphium Gregorij 1. 76
Epitaphium Innocentij 7. 252
Epitaphium Pij 2. 299
Epitaphium Nicolai v. 288
equites aurati ab Imp. creati 285
equus æneus Ticino Papiam aduehitur 97
equo albo Pontifex ad Lateranum initio Pontificatus vehi ſolet 164
eremitarum Ordo Pariſijs improbatus confirmatur ab Honorio 4. 215
etruſci, moneta Lucenſi tantum vtuntur 185
euagrius 54
euangelium Aeternum dicebatur peſtifer quidam liber ab authoris ſectatoribus 201
euangelium dum legitur ſtandum eſt 51
euariſtus 1. Papa 15
euariſtus martyr 15
euboia capta recuperatur 176
eubolus Sophiſta 48
euchariſtia veneno illita interfectus dicitur imperator 225
eucherius epiſcop. Lugdunen. 58
eudo Aquitaniæ Dux 97
eudoxius epiſcopus Arrianus Imperatorem Valentem peruertit & baptizat 50
eudoxia opprimitur, & in Aphricam captiua cum filia, vnà cum multis abducitur 58
eudoxæ peregrinatio & mors 61
euentius diaconus martyr 16
Eugenius 1 Papa 84
Eugenius 2 Papa 114
Eugenius 3 Papa 176
Eugenius 4 Papa 268
eugenius 4. cardinalis creatur 259
eugenius ſublatis vectigalibus honorificentiſsimè à Romanis ſalutatur 277
eugubium capitur 106
eulalius electus Pontifex Roma pellitur. ſuccedit Bonifacius, poſt Bonifacij mortē in vrbē reuocatur 55
eunomiana hæreſis 47
euſebius Cremonen. diſcipulus S. Hieron. 58
euſebius 1. Papa 37
euſebius ob amorem Pamphili martyris optat dici Euſebius Pamphili 37
euſebius Emiſſenus 46
euſtachius abbas 80
eutropius epiſc. Valentinus 78
eutropius hiſtoricus 55
eutyches abbas Conſtantinopolitanus hæreſiarcha 58
eutychiana hæreſis 58
eutychianus 1. Papa 33
eutychius eunuchus ad Longobardos à Leone 3. mittitur, vt eos à ſocietate Ro. Pontificis auocaret 98
euzoius epiſcopus Cæſaræ Palæſthinę biblrothecam Origenis reſtaurat 53
exarchas dux Romanus 75
exarchatus Italiæ à Nauſete principium, in Aiſtulpho finem, (cum duraſſet 170. annis) habens, donatur Romanis 103
excæcandi nouus modus 181
excõmunicantur qui largitionibus ad epiſcopatum perueniunt 77
excommunicantur Veneti, Florentini & Lucenſes 223
execratio pontificis in Henricũ 157
execrationes in Cœna domini 221
exequijs epiſcopi, presbyteri, aut diaconi, Pontifex vnà cum clero intereſſe debet 123
expeditio in terram ſanctam ſuſcepta deſcribitur 160. 161. 162. 176. 187. 188. 192. 193.


F.


FAbianus I. Papa 28
fabianus Montis S. Sabini marchio 287
faces igneæ in cœlo viſæ 132
facundus ſcriptor 67
Falſarij ſcribæ Apoſtoloci ſuſpenſi & exuſti 327
Famaguſta vrbs 237
Fames 68. 72. 79. 94. 97. 141 145. 159. 177. 287. Romæ cogit quoſdam humanis carnibus veſci 70
Farfenſi in monaſterio Eugenius 3. Papa conſecratur 176
Farneſia familia virtutis cauſa ciuitate donatur 359
Farrum torrens 330
Fauentia capitur 106. Ro. Pontifici traditur 103
Fauorinus rhetor 16
Fauſtinus epiſcopus 54
Fauſtus epiſcopus 63
Felix 1 Papa 33
Felix 2 Papa 46
Felix 3 Papa 61
Felix 4 Papa 66
Felix in Liberij abſentia epiſcopus Romanus conſtitutus 47
Felix 2. dicitur ab Acacio pontifex conſtitutus 47
Felix inſtante Frederico imperatore Pontificatu ſe abdicat 284
Felix epiſcopus Taruiſius 71
Felix Archiepiſcopus Rauennas excæcatur, in pontum exulatum mittitur, 69. Eccle. ſuæ reſtituitur 96
Felix doctiſsimus à Condipertho rege Longobardorum baculum auro & argento inſignitum gratiã virtutis accipit 90
Felici Feſtus, Feſto ſuccedit Albinus præſes Iudææ 7. 8
Feliciana hæreſis 10
Feliciſsimus martyr 32
Ferdinandus Alphonſi filius in regno Neapolitano confirmatur 327
Ferdinandus omnes ferè Neapolitanos ſuæ ditioni ſubijcit 326
Ferdinandus rex Hiſpaniarum 177
Ferdinandus rex Neapolitanus Gallos ex Neapolit. regn. profligat 330
Ferdinandus Conſaluus 338
Ferdinandus frater Caroli V. Aquiſgrani Ro. Rex coronatur 358
Ferdinandus Deiphobi hoſtis 306
Ferdinandus rex Arragonum Mauros ſuperat 194
Ferdinandus Arragonẽſis Siciliam pontificis auxilio recuperat 220
Ferdinandus tributum Eccleſiæ ſoluere promittit cum perpetua obedientia 354
Ferdinãdi Cęſaris imperium à Paulo 4. improbatum, à Pio 4. ratum habetur 410
Ferraria capitur 196. Eccleſiæ donatur 167. traditur Rom. pontif. 103
Ferrariæ Vrbanus 2. moritur 187
Ferrũ haſtæ dominicæ Romam allatum 328
Feſta Apoſtolorum, Euangeliſtarũ, & doctorum quatuor 219. & omnium Sanctorum inſtituuntur 116
Feſulani montes 53
Filiæ regiæ Deo dicantur 104
Firmani ſeque ſuaque Rom pontifici dedunt 107
Flandris datur epiſcopus 126
Flandrenſes ad terram ſanctam proficiſcuntur 187
Flauia Domicilla martyr 12
Flauianus epiſcopus Conſtantinopolitanus 58
Flauius rex S. Egidium donat valle flauea 126
fliſca gens 215
florentia Archiepiſcopatu donatur 265. obſidetur 246
Florentię incendium maximum 167
florentini cum Mediceis belligerantur 357. ditionem ſuam augere ſtudẽt 244. piſas capiunt 253. interdictum tum incurrunt 223. 239 Lucam obſidione coguntur ſoluere 267. duos prælatos ſuſpendunt 320. Gallorum ſtudioſſimi 357
florianus Tacito in Imperio ſuccedit 33
floris monaſterium 185
Fodinæ aluminis apud Tolfam reſtitutæ 299
Fœminæ Aquileienſes ex ſuis capillis chordas arcuum parant 27
Foianum oppidum captum 385
fons aquæ ſub agni pede 13
fons in ſanguinem verſus 146





fores D. petri argenteæ 119. 120
Fores eccleſiæ vectibus obſignatæ, adueniente cadauere Gregorij 6. aperiuntur 14
Formoſus I. Papa 128. eius corpus è tumulo tractum Pontificali habitu exuitur 130. eius acta reſtituũtur 130. & rurſum reſcinduntur 132
Formula recens creandorum epiſcoporum 417
Formula abrogationis põtificiæ 154
Formula regij iuriſiurandi 155
Foroliuiani cædunt Bononienſes 207
Fortunæ ludibrium 276
Fortunatus S. Martini vitam ſcripſit 71. 72
Forumliuij capitur 257
Forum Cornelij & Imola vnum & idem eſt oppidum 319
Forum Iulij 107. 235. diripitur 78. 86
Forum Pompilij direptum ſolo æquatur 86
foſſæ marianæ 368
fregepanum familia 170
franci à franconia dicti 108
Francorum cum Romanis perpetuum fœdus 107
Franciſcus Aſiſinas 192. canonizatur 193
Franciſcus Baroncellus 235
Franciſcus Carrarius 251. necatur 251
Franciſcus Carmignola ęgreferens ducis Mediol. inſolentiam ab eo ad Venetos ſe recipit 263
Franciſcus Francorum rex 341. Mediolanum, Parmam, Placentiam occupat 341. in imperio repulſam patitur. Ticinum obſidẽs capitur 354. vicies centenis milibus aureorum redimitur 357. ducatus Mediolanenſis poſſeſsione priuatus, aduerſus Cæſarem arma mouet 365. moritur 378
Franciſcus Gonzaga 251
Franciſcus Maria à Rom. Pontifice ducatu exuitur 341
Franciſcus Petrarcha poëta 231
Franciſcus Sfortia Inſubriæ dominatum ambit 282. Papiam occupat 311. Genuam occupat 307. nouiſsimus dux Mediolanenſis moritur 365
Franciſcani in Turcas Chriſtianos animant 195
Franconia ſubijcitur 108
Fraticelli hæretici 222
Fredericus 1. coronatur, & obuius Rom. Pontifici deſcẽdit equo 178. eccleſiaſt. ditiones inuadit 179. in terram ſanctam proficiſcitur 188
Fredericus 2. Imperator electus, coronam imperij à Rom. Pontifice nequit impetrare, à Moguntino Archiepiſcopo Rex Germanorum coronatur 191. imperio deijcitur & excommunicatur 193. fraude Chriſtianos circumuenit 194. Pontificem decipit 194. fœdera violat 196. Sarracenis fauet, & ciuitatem donat: fratrem regis Tuneſij à baptiſmo ſuſcipiendo deterret 196. moritur 198





Fredericus 3. imperator cum Leonora vxore à Pontifice benedictione donatur, & imperij corona ornatur 385. regnum Vngariæ ſibi deberi prædicat 305. moritur 329
Fredericus Ferdinandi regis Aragonenſium filius aurea roſa donatur à Pontifice 306
Fredericus Ferdinandi filius, ducit filiam Franciſci Sfortiæ 306
Friſcus Azonis Marchionis filius 223
Friſones ad terram ſanctam proficiſcuntur 187
Friſones idololatræ opprimũtur 99
Frontinus rhetor 18
Fronto rhetor 22
Frugalitas Adriani 6. 347
Fulco Hieroſolymorum rex in venatione moritur 175
Fulgentius epiſcopus Rumpen. 63
Fulgineum occupatur 194
Funus Pij 2. Ancona Romam defertur 298


G.


GAbinius martyr 34
Gabriel Condelmerius Pontifex creatur Eugenius 4. dictus 268 269.
Gabrinus Fundulus 252
Gaifredus Luſignauus Sarracenis reſiſtit 287
Galba imperator à militibus creatus 10. Othonis inſidijs Romæ cũ Piſone iugulatur 7. menſe imperij ſui 10
Galbæ Auguſto Otho ſuccedit imperator 10
Galeaius legatum ſuum fines mandati excedentem, exilio mulctat 309
Galenus Bergamenus medicus 22
Galerus rubeus 221
Galero rubro Cardinales vtuntur 194
Gallea reginæ ac ducis Sabaudiæ ſoror, Franciſci Sfortiæ vxor 307
Gallia à locuſtis vaſtata 126
Gallia Narbonenſis 117
Galliæ Ciſalpinæ ciuitates duos ſibi eligunt capitaneos 223
Galli à D. Benedicto cupiunt vitam monaſticam edoceri 69. vino repleti, omnes proſternuntur 85. ſine ſexus diſcrimine cæduntur à Siculis 213. Genuenſibus cæſi 307 bellica virtute præſtant 329. repulſis Cæſarianis Ticinum tranſeunt 354. ducatum Mediolanenſem iure ſibi deberi aſſerunt 330. Florentinis bellum inferunt 385. Pontificem aduerſus Hiſpaniarum Regem adiuuant 399
Gallorum ſuperbia & libido 213 victoria 330
Gallis ex fœdere Genua in feudam datur 307
Gallicum nomen Italis exoſum 330
Gallinicus patriarcha Conſtantinopolitanus 92. in exilium mittitur 92
Gallæciæ rex cum tota diocæſi D. Iacobi à Romano pontifice excommunicatur 162
S. Gallus S. Columbani diſcipulus 80
Gallus cum filio Voluſiano Decio ſuccedunt 30
Gamaliel D. Pauli præceptor 7
Gandauenſium grauis rebellio 370
Gandulphum caſtellum 272
Garganus mons 143
Garglianus fluuius 133
Gaſto Foiſſeius 337
Garzias Toletanus 385
Gaza ciuitas ædificatur 175. reſtauratur 189
Gazis rex Turcorum capitur 171
Gelaſius 1. Papa 62
Gelaſius II. Papa 169
Gelaſius Cæſareæ Paleſthinæ Epiſcopus 55
Gelaſij papæ opera 62
Gemplacenſe monaſterium extruitur 135
Geminus presbyter Antioch. 18
Gemmarum vſus ſacerdotibus interdicitur, præterquam præſulibus dum ſacrificant 116
Gennadius Conſtantinopolitanus epiſcopus 60
Gennadius Maſsilienſis epiſcopus librum de dogmatibus Eccleſiaſticis D. Auguſtino attributum conſcripſit 64
Genſericus rex VVandalorum 52 perſequitur epiſcopos 57
Gentilis pictor 267
Gentilis Fulginates medicus 230
Genua à Sarracenis capitur 135. Gallis in feudum datur 307
Genuæ ſanguinis fons largiſsimè fluxit 135
Genuam Franciſcus Sfortiæ adipiſcitur 307
Genuenſes bello maritimo prælian tes 187. ciuitates aliquot Venetorum capiunt 241. à Gallis deficiunt 307. indignabundi à Philippo Mediolanẽ. duce deficiunt 272. Famaguſta pelluntur
Genuenſium contra Piſanos pugna 215
Genuenſium & Venetorum diſsidium 200
Genuenſibus archiepiſcopus præficitur 174
Georgius Fronſpergius 356
Georgius archiepiſcopus Rauennas 117
Georgius Patriarcha Conſtantinopol. 88. hæreticus conuertitur 88
Gepidi populi 128
Gerardus epiſcop. Canodienſis 146
S. Gerardus epiſcopus Vngarorum martyr 147
Germanus Altiſiodorenſis 59
germanus epiſcopus in Britaniam prædicaturus mittitur 56
germanus Epiſcopus Pariſiẽſis, ſuo exemplo regem Franciæ ſemper

in officio continuit 72
germanus episcopus Campanus 62
germanus patriarcha Constantinopolitanus in exilium mittitur 98
germani nouitatum cupidi 396. dicti neutrales 281. ad fidem conuertuntur opera Rom. Pontificis, cuius manu multi Romam uenientes ſunt baptizati 96. Pontificis imperium ægrè ferunt 396
germanis imperatoris electio permiſſa 142
apud Germanos mos eſt Epiſcopatus armis tueri 202
gerunda ciuitas dedentibus ciuibus à Rege Franciæ capitur 215
Gibellini 196. dicuntur Albi 220
gibertus Epiſcopus Rauennas Pontificatum ambit 153. prohibetur munere ſacerdotali fungi 156. priuatur dignitate 158
gibertus Epiſcopus Neumanenſis 126
gibertus gubernator Italiæ 151
gildo Aphricam inuadit 53
gilibertus cognomento vniuerſalis 174
gilimer Rex Vuandalorum à Beliſſario captus in triumphum abducitur 66
giſcalis ciuitas Iudææ, patria D. Pauli 7
giſulphus dux Beneuentanus 89. 93
Gloria in excelſis canendum in miſſa 64
Gordianus presbyter 63
gorgonius martyr 35
gothi regem ſuum nolunt literis erudiri 66. ſedibus pulſi 70. penitus delentur 99. ad vnionem Catholicæ Eccleſiæ redeunt 74
gotifredus comes 151
gotifredus Galatiæ comes ad expeditionem Hieroſolymitanam proficiſcitur 160 rex Hieroſolymorum creatur auream coronā reijcit 163. moritur 164
Granata à Ferdinando expugnatur 327
græca Eccleſia Romanæ ſubijcienda promittitur 190
græcas literas in Italiā rurſum aduexit Chryſolares 249
græci Calabria & Apulia eijciuntur 138. à fide Catholica deficiunt 217. ius Gentium violant 181. ob varias ſectas, & religionem & imperium amiſerunt 81. purgatorij locum eſſe credunt 274. in azymo corpus Chriſti conſecrandum eſſe fatentur 274. ſpiritum ſanctum à patre filioque procedere & homouſion eſſe fatentur 274. tertia decima vice in ſententiam Romanæ Eccleſiæ toties deficientes, in concilio Lugdunenſi pertracti 207. Rom. Pontif. verum Chriſti vicarium in Vigilio, legitimumque Petri ſucceſſorem 61
grauariolum arx 238
grandimontenſis ordo reformatur 227
gratianus compilator Decreti 192
gratiani Imperatoris laus 51
grauitas & cōſtantia Marcelli Ceruini 388
grauitas & ſeueritas Ioannis Petri Caraffæ Cardinalis 348

| | | | |
|---|---|---|---|
| Gregorius | 1 | Papa | 74 |
| | 2 | | 56 |
| | 3 | | 89 |
| | 4 | | 115 |
| | 5 | | 142 |
| | 6 | | 147 |
| | 7 | | 153 |
| | 8 | | 187 |
| | 9 | | 194 |
| | 10 | | 206 |
| | 11 | | 237 |
| | 12 | | 253 |

antipapa deponitur 259
D. Gregorius 1. adhuc Diaconus libros moralium Conſtantinopolim miſſus compoſuit 72. in Pelagio II. inuitus fit Pontifex 74. à calumnijs vindicatur 76. eius vitam ſcripſit Ioannes 9. 127
gregorius Bœticus 50
gregorius Cæſarienſis Epiſcopus 32
gregorius Lingonenſis 71
gregorius Nazanzenus 51
gregorius Nicænus 51
gregorius protoſecretarius Conſtantini Imperatoris 103
gryfo filius Caroli Martelli 101
grimaldus dux Beneuentanus 84 moritur 87
groſſoni gens Arabica Hieroſolymam capiunt 198
Guadius mons 166
gualterus Albanus Epiſcopus 144
gualterus Athenarum dux 232
gualfredus militiæ Princeps 165
guardaſtalanus conuentus 165
guarinus 249
guaſcones à Carolo Magno domantur 106.108
gubertus Epiſcopus Britannus 91
gubernatoris boni laudes 15
guelphi 196. ad ſupplicium vocantur 224
guelphorum & Gibellinorum ſeditio innouatur 248
guido Appius 213
guido Bonatus aſtrologiæ peritiſſimus 213
guido comes Montisfeltri ſuperatur 124.125
guido rex Hieroſolym. captus liberatur 186
guillermus Croius archiepiſcopus Toletanus cardinalis 350
guilielmus de S. Amore 201. libellos contra paupertatem edidit, qui & à Pontifice ſunt damnati 201. contra eundem Guilelmum librum ſcripſit D. Thomas 203
guilielmus Pius, dux Aquitaniæ 128
guilielmus Siciliæ rex ditionem Romanæ Eccleſiæ reſtituens rex creatur à Romano Pontifice, annonam præbet proficiſcentibus ad terram ſanctam 187
guiſcardus Apuliȩ dux liberato Pōtifice moritur 159
gundibatus Gothorum rex 61
guthet Epiſcopus Pragenſis martyr 146


## H


HAdrianus Papa, vide Adrianus
Hadriani Imperatoris laudes 16
hadrianus conſobrinæ Traiani filius in regno ſuccedit 15. in Chriſtianos beneficus, Pater patriæ dictus 15. Iudæis Hieruſalem adimit & Chriſtianis incolendam tradit ſuis ſumptibus ſplendidè reſtauratam, à ſuo nomine Aeliam appellatam 16
Hæreſis de cohabitatione marium & fœminarum 222
hæreſis non tantum verbis, ſed etiam armis impugnanda 191. Romæ peſte maxima & inundatione punitur 194
hæreſis Viglef 259
hæreticus Almericus Pariſijs cum ſuis ſectatoribus exuritur 192
hæreticus & Paganus Chriſtianum accuſandi poteſtatem non habēt 34
hæretici à Paulo iiij. puniti 402. exilio mulctantur 40.62.64.65. comburuntur 223.292.396
hæretici Gabriere & Mirandula Auenionenſis legationis occiſi 375
hæretici ſunt, qui ſeorſum ab Eccleſia pertinaciter ſentiunt 311
hæretici & Schiſmatici à ſeculari poteſtate coërceri poſſunt 70
hæretici aſſerentes Pontificem neceſſarium debere eſſe pauperem, capiuntur 308
hæretici Fratricelli armis oppreſsi 222
hæreticorum libri comburuntur 58. 62.63.65
hæreticos non rebaptizandos tota Eccleſia vbique agnouit 30. 31
hagnes Imperatrix dignitate priuatur 153
haldeberga caſtellum 259







haldebergæ Ioannis xxij. captus cuſtoditur 258.259
hannibal hæreticus 194
hannibalium familia Romana 212
hanno Memorantius rex Nauarræ vnà cum Gallorum rege captus 354
haydo 114
haymo frater venerabilis Bedæ 94
Hebionitarum hæreſis 50
helcheſaitarum hæreſis 28
helena 37.41.45. occiditur 45
henricus abbas Lobienſis 141
henricus rex Germaniæ Vngaros fundit
henricus Richardi comitis Cornubiæ filius ante aram interficitur 131
henricus Angliæ rex 204. Romano Pontifici obuiam venit 173. olim Lutheri oppugnator, tandem non conceſſo ſibi à Pontifice repudio ab eccleſia defecit, regnoque priuatur 363
henricus Alemaniæ rex promulgatur 193
henricus archiepiſcopus Treuirenſis 155
henricus Bauariæ dux 136
henricus Campaniæ comes 189
henricus Cardinalis Hoſtienſis, vir diuini humanique iuris peritiſsimus 201
henricus comes S. Pauli in Paleſthinam proficiſcitur 190
S. Henricus I. Imperator coronatur & moritur 145.146
henricus 2. Imperator 147
henricus 3. Cæſar creatur 150. coronatur 152. cum Pontifice in gratiam redit 152. Imperio deijcitur & excommunicatur 154. ſuppliciter petita venia rurſum in Pontificem inſurgit 155. denuò excommunicatur 157. Pontificem iniecto in calicem veneno necat 159. moritur apud Leodium 166
henricus 4. Imperator 166
henricus 6. Imperator Monialem ducit 188. moritur 190
henricus 7. Lucenburgenſis Imperator 223. coronam ferream Mediolani accipit 224
henrico filio Franciſci regis Franciæ Catharina Laurentij Medicis filia Maſsiliæ nubit 358. Metim occupat 384. pace cum rege Hiſpaniarum tranſacta, haſtiludio moritur 405. ſuperatur apud S. Quintinum 401
heraclea vrbs 61
heraclas epiſcopus Alexandrinus 28
heraclius 24
heraclius patriarcha Hieroſolymitanus 185
heraclius Imperator creatur 79. virtutes & vitia 79. in hæreſim incidit 79. moritur 83
herculanus epiſcopus Martyr 71
hercules Gonzaga legatus ad concilium Tridentinum mittitur 414
hercules Eſtenſis 321
hermanni cuiuſdam corpus pro ſancto habiti comburitur 220
hermes librum paſtoris ſcripſit 19
hermochildis à rege Gothorum patre ſuo ob fidem necatur 74
hermogenis hæreſis 18
herodes Athenienſis Rhetor 16
herodes filios ſuos laqueo perimit 4. Iudæorum genealogias incendit, & legiſperitos occidit 3. Lugdunum in exilium relegatur 6. eius mors 4
herodi alienigenæ regnum Iudæorum à Romanis traditur 3
herodianus Grammaticus 21
heros Arelatenſis epiſcopus 55
hexarchatus nomen ceſſat 103
Hibernia Romanæ Eccleſiæ voto vectigalis fit 191
Hieronymus Aleander 350
D. Hieronymus presbyter 53
Hieronymus de Praga Conſtantiæ exuſtus 259
Hieronymus Seripandus legatus ad Concilium Tridentinum mittitur 414
D. Hieronymi translatio recipitur 49
Hieroſolyma capitur 11. capitur à Sarracenis 82. capitur à Turcis 145. 146. occupatur 78. Sarracenis deditur 187. Aelia dicitur 16
Hieroſolymæ ſitus 163. eius muri diruuntur ſeruato templo Solomonis, ſepulchro domini, & turri Dauidis 193
Hieroſolymitanus patriarcha ab hoſtibus capitur 199
Hieroſolymitanum excidium 11
Hieroſolymitanum templum dum Iulianus reſtaurare nititur, magis euertitur 49
Higinius Papa 18
Hilarius Arelatenſis Epiſcopus 58
D. Hilarius Pictauorū epiſcopus 50
Hilarius Pontifex 59
Hildebertus epiſcopus Cinomanenſis 172
Hildebrandus archidiaconus Romanus 152
Hilminolinus Sarracenus Hiſpaniā ingreditur 191
S. Himericus regis Vngarorum filius 147
Hiſpania à Sarracenis occupatur 93. tota fidem Chriſti ſuſcipit 108
Hiſpaniæ ciuitates à Gothis imperio adimuntur 32
Hiſpaniæ magna pars ab Aquitaniæ præfecto occupatur 114
Hiſtoriæ laus 5

| | | | |
|---|---|---|---|
| Honorius | 1 | Papa | 81 |
| | 2 | | 172 |
| | 3 | | 192 |
| | 4 | | 214 |

Horæ in Eccleſijs diſtinguntur officij gratia 76
Horas Canonicas dum rex Robertus legit, oppidi quod obſidebat, mœnia corruunt 145. Pius 2. nec in ſumma quidem animi anxietate omiſit 298
Hormiſda Perſarum rex à Mahomete & regno & vita priuatur 82
S. Hormiſda 64
Hormiſdæ architecti dicta 47
Hoſpitale S. Spiritus Romȩ cōſtruitur 195
Hoſpitale D. Antonij Romæ extruitur 195
Hugo abbas Cluniacenſis 198
Hugo Arelatenſis comes 134
Hugo de Biliamo Cardinalis doctor egregius ordinis Prædicatorum 216. eius ſcripta 199
Hugo Caturcenſis epiſcopus 226
Hugo gubernator Hetruriæ 144
Hugo Moncata Prorex Neopolitanus
Hugo de S. Victore 172
Hunericus rex Vuandalorum Arrianus 61
Hunfridus rex Apuliæ 145
Hunni qui & Vngari 108
Hunni Germaniam vaſtant 128
Hidruns à Turcis capitur 320
Hyperboteis montibus Scythæ ab Alexandro incluſi 102
Hyppatus epiſcopus 67


## I.


IAcobus Picenninus aliquot prælijs debilitatus 291. Neapolim miſſus, in carcere detentus moritur 307. eius labor & induſtria 307
Iacobus Vermes 245
Iacobus Textor 316
Iacobus Sadoletus 343
Iacobi Cappocij in Romanū pontificem benignitas 195
Iacobi fratris domini vita ac mors 7
Iadera recuperatur 190. Venetis venditur 248
Ianuarius martyr 32
Ianus Parrhaſius 343
Iberorum gens à captiua muliere fidem intelligit 43
Ieiunium quatuor temporum 25. ſeptem hebdomadarum ante Paſcha 17
Ieiunijs et vigilijs impetratur à Deo bonus Pontifex 123
IESV Societas à Paulo III. approbatur 369
D. Ignatius epiſcopus Antiochenus beſtijs obijcitur 14
Ignatius epiſcopus Conſtantinopolitanus 125
Idericus filius Tranſamundi Rex Vandalorum, reuocat in regnum ſuū Chriſtianos à patre ſuo pulſos, donaque Romam mittit magnifica 65
Illyria ab Hunnis vaſtatur 56
Iula inſula 385

Imago S.Marci in Venetorum inſignijs 115
Imago D.Virginis aurea 100
Imago Chriſti & Abrahæ in Larario Alexandri imperatoris 27
Imaginem Antonini Veri qui domi non habebat, ſacrilegus diceba-tur 20
Imagines ſanctorum Formoſi corpus venerantur 132. in templis poſitæ 94 in templis ſeruandæ 105. non delendæ ſunt 97. ab hæretico impeatore deletæ reſtituuntur 95. renouantur 101
Imagines Apoſtolorum 92. ſaluatotis & apoſtolorum 99
Imaginum ab hæreticis demolitio 104
Imperator à Pontifice magna impenſa ſuſcipitur 311. exoſculatur Romani Pontific. pedes 95. 102. 107. 166. 181. à Rom Pontif. inungitur 126. à Rom. Pontif. coronatur 126. 139. 146. 148. 152. 178. coronatur à tribus Cardinalibus 225. à duobus 235. coronatus equites creat auratos in ponte Hadriani 385. à Rom. pontif. confirmatur 190. à Rom. Pont. excommunicatur, & imperio priuatur 191. de rege Gallorum conqueritur apud Rom. Pontif. 366. Robertum regno priuat 225 nullam habet poteſtatem creandi pontificis 149. 152. tum demum cenſendus, quando à Rom. Pontif. confirmatus eſt 142
Imperator Conſtantinopo. Emanuel à Romano Pontifice petit, diuiſum imperium vnum reddi 180
Imperator Conſtantinopolitanus Ferrariam venit 273
Imperator Fredericus 1. Romano Pontifici obuius equo deſcendens, vt verum Chriſti vicarium ſalutat 178. excommunicatur 179
Imperator Fredericus 2. imperio deijcitur 197
Imperator Henricus 4. Romani Pontificis pedes oſculatur 166. eundem capit & coronatur 167. coronatur ſecundo 168. cum perſequitur 169. pax componitur 170
Imperator hæreticus imagines demolitur 104
Imperator Iuſtinianus approbat Pontificum decreta, non ſecutus autem Conſtantini Pontificis conſilium cum filio interficitur 95
Imperator Lodouicus II. Romano Pontifici obuiam factus, ex equo deſcendens frenum equi Pontificis manu tenens, in caſtra eum perduxit 124
Imperator Otho 1. Romanos ſacramento adigit, ſe nihil mutaturos eorum, quæ ipſe in re Pontificia ſtatueret 137
Imperator Rodolphus ea conditione eligitur, vt ſequenti anno Romam petat coronæ accipiendæ cauſa 203
Imperatoris eligendi ratio à Gregorio V. Pontifice conſtituta 142
Imperatoris Lodouici ſuperbia, quod abſque authoritate Romanæ ſedis imperatorem ſe nominauerit 226
Imperatori hæretico parendum nõ eſt 98
Imperatori omnium rerum arbitrium à Petro Vinea abſcribitur, quem libro quodam confutat Innocentius 4. 199
Imperatorum officium 99
Imperium ad Francos transfertur 111. ad Germanos transfertur 137. ad Longobardos transfertur 129 132. à Palçologo deſumitur, quod Poſt annos à Latinis in Græcos rurſum translatum eſt 201
Imperij ciuitates in Italia 113
Imperij confirmationem petenti bis terue Alberto negat Pontifex 219
Imperij diuiſio 112
Imperij Occidentalis fines à Carolo magno conſtituti 112
Imperij vacatio 31
ob Imperium diſſidium 204
de Imperio magna apud Italos, Francos, Germanos concertatio 133
Imperia, Regna, & quicquid habere mortales poſſunt, Apoſtoli auferre & dare poſſunt 158
Incendium maximum Florentiæ 167
Incendium regiæ domus Chriſtianis imputatur 35. cuius Nero author fuit Chriſtianis imputatur 8
Index hęreticorum librorum à Paulo 4 publicatur 402
Induciæ decennales inter Cæſarem & Gallorum regem 367
Indulgentię parcius dandę 348. quare vileſcebant 249
Infidelibus arma dari prohibentur

| | | | |
|---|---|---|---|
| Innocẽtius | 1 | Papa | 25 |
| | 2 | | 173 |
| | 3 | | 190 |
| | 4 | | 197 |
| | 5 | | 209 |
| | 6 | | 234 |
| | 7 | | 250 |
| | 8 | | 394 |

Innocentius viij. merito ab vitæ innocentia dictus 324
Innocentij iiij. ſcripta 198.199
Innocentius martyr 32
Inquiſitio hæreticorum 402
Inſtitutiones iuris componuntur 67
Inſubrium planities 102
Inſulæ Orcadæ 6
Inſulæ Iouij & Aegei à Venetis occupantur 191
Inſulæ Tiberinæ figuræ 140
Interdicti pœna in Florentinos lata 207. abſoluuntur 209
Interdicti ſacris à Pontifice Peruſini 213
ab Interdicto abſoluendus laqueũ geſtat 213
Interim conſtitutiones Auguſtæ promulgatæ 377
Introitus in miſſa dicendus 74
Inuidi non niſi ignaui 130
Inundatio Tyberis
Inundatio aquarum pluuialium Lõgobardos ab obſidione Romæ pellit 73
Inundatio aquarum 71.73
Ioachimus abbas 185 201
Ioannes Antiochenus Presbyter 66
Ioannes archiepiſcopus Rauennas deponitur 124. aſſumitur ibid.
Ioannes baptiſta cæſus in caſtello Macherunta 5
Ioãnes Bergomatum epiſcopus 90
Ioannes Caſsianus 55
Ioannes Chryſoſtomus 54
Ioannes epiſcopus Alexandrinus 62. ab hæreticis pulſus, ad ſedem Romanam confugit 62
Ioannes Leidenſis rex Anabaptiſtarum captus 363
Ioannes Columna Cardinalis ad expeditionem terræ ſanctæ mittitur 192. Romam reuertitur 193
Ioannes Conſtantinopolitanus epiſcopus 74. vniuerſalem ſe dici iubet 75
Ioannes Damaſcenus 61
D. Ioannes Euangeliſta cur, & quãdo Euangelium ſcripſerit 13. eius mors ibid.
Ioannes Fredericus Saxoniæ dux à Cæſarianis captus 375
Ioannes Galeatius Florentinos vexat, moritur 248
Ioannes comes Troiæ 252
Ioanes archiepiſcopus Mediolanen. 233
Ioannes Gerundenſis epiſcopus 78

| | | | |
|---|---|---|---|
| Ioannes | 1 | Papa | 65 |
| | 2 | | 67 |
| | 3 | | 71 |
| | 4 | | 82 |
| | 5 | | 90 |
| | 6 | | 93 |
| | 7 | | 94 |
| | 8 | | 120 |
| | 9 | | 126 |
| | 10 | | 131 |
| | 11 | | 133 |
| | 12 | | 135 |
| | 13 | | 136 |
| | 14 | | 138 |
| | 15 | | 140 |
| | 16 | | 141 |
| | 17 | | 141 |
| | 18 | | 143 |
| | 19 | | 144 |
| | 20 | | 144 |
| | 21 | | 146 |
| | 22 | | 210 |
| | 23 | | 226 |
| | 24 | | 257 |







Ioannes Hus cum Hieronymo Pragenſi exuſtus 259
Ioannes imperator Conſtan. 174
Ioãnes Gualbertus author ordinis Vallis vmbroſæ 153
Ioannes monachus, cuius conſilio Theodoſius Imperator ſæpè vtebatur 52
Ioannes monachus patriarcha Conſtantino hæreſiarcha 95
Ioannes Montorij comes cum Alliſano & Cardine decollati fuerũt 411
Ioannes Moronus Cardinalis capitur 402. idem nonnulli alij omni & iniuria & ſuſpitione à Pio 4. abſoluuntur 410
Ioãnes patriarcha Alexãdrinus 76
Ioannes patricius Trebonianus iuriſperitus Iuſtinianum in digeſtione librorum adiuuat 67
Ioannes Petrus Caraffa Cardinalis apud Iulium III. & Marcellũ ſecundum ſummum dignitatis locum obtinet 395
Ioannes Platina exarchus 90
Ioãnes XXIIII. Põtificatu priuatur 258
Ioannes Prochita 213
Ioannes rex Hieroſolymitanus ius regni Siculis regibus donat, & in Franciã atque Galitiã ad D. Iacobum proficiſcitur, exarchus Rauennas conſtituitur 193.194
Ioannes Roffenſis & Thomas Morus Angli, itidem alij, religionis cauſa iniuſto ſupplicio affecti 363
Ioannes Scotus qui D. Dionyſij Hierarchiam tranſtulit 120.127
Ioannes ſenior, alius à D. Ioanne Euangeliſta 15
Ioannes Tyrannus 56
Ioannes Valeta Magiſter equitum Rhodiorum 461
Ioannes Viteleſcus hoſtes Eccleſiæ coërcet ac punit 272
Ioannis Mariæ Cardinalis laus 378
Ioannis Vuicleff hæreſis damnata & duo ſectatores eius exuſti ſunt in concilio Conſtantienſi 259
S. Iodocus regis Britonum filius 83
Iofredus 138
Ioppe expugnatur 164. & à fundamentis euertitur 190
Iordanus Campaniæ comes 170
Ioſephus Matathiæ filius 11. qui mortem Neronis & Veſpaſianũ imperaturum prædixit, ibi Ioſephi de Chriſto & Ioanne baptiſta teſtimonium 5
Ioſeph Eremita 50
Iotus pictor egregius 231
Iouis mons 107
Iouiniani Imperatoris laus 49
Irenæus 15
Irene imperatrix Conſtantinopolitana 108.110
Iſaac Conſtan. imperator 185. excæcatus moritur cum Alexio filio 190
Iſaatius patricius exarchus Italiæ 80. Baſilicam Lateranenſem theſauris exuit 82
Iſaris fluuius 101
Iſaurus fluuius 103
Iſidorus Cyprignius epiſcopus Hiſpanus 66
Iſidorus eremita 50
Iſidorus Hiſpalenſis epiſcopus 79
Italia bello vexatur 70. 71. 72. à Saracenis vaſtatur 126.326
Italiæ multæ ciuitates ab Imperio deficiunt 146
Italos quis docuit bella gerere 248
Iubilæus annus 131.284.322
Iubilæus inſtituitur à centeſimo anno in centeſimum 220 à quinquageſimo in quinquageſimum 284.231
Iubilęi anno eodem die multi in tãta frequentia obtriti & ſuffocati in ponte Hadriani 284
Iubilæo anno Nicolaus Põtifex ſtationes quotidie inuiſit 285
Iudas Cyriacus dictus, inuentor S. Crucis, baptizatur 37
Iudas chronographus 25
Iudæi ſupplicijs ad Chriſti fidem compelluntur 81. ingreſſu Hieroſolymorum prohibentur 16. iuſſu Iuliani templum Hieroſolymitanum reſtaurant, ſed horribili terræmotu & fulmine diruitur & cõflagratur 48 49. ex Frãcia expelluntur 222
Iudæorum triginta milia in portis Hieroſolomytanis tẽpli obtrita 6
Iudæorum auaritia à Paulo 4. coërcetur, ipſorumq; natio crocei coloris pileum ferre cogitur 306
Iulianus Aphicanus 26.28
Iulianus apoſtata 46. eius genus clericus fuit, & moritur 49
Iulianus impius ſigno Crucis dæmones fugat 48
Iulianus Iuriſperitus imperator 23
Iulianus Legiſlator 23
Iulianus dux nefariè necatur 352
Iulius Frontinus 26
Iulius I. Papa 44
Iulius 2. Bononiam eiectis Bentiuolis inſigni triumpho inuectus eſt 336
Iulius 3. Anglicæ conuerſionis nuncio apprime delectatus, poſteà febrè correptus moritur 386.387
Iulius Medices 342
S. Iuo presbyter canonizatur 234
Iurandi modus 162
Iuriſiurandi Henrici III. imperatoris formula 155
Ius ciuile ex varijs libris componitur 67
Iuſtina Arriana in multas calamitates filios ſuos Imperatores coniecit 51
Iuſtinianus epiſcopus Valentinus 66
Iuſtinianus I. imperator 65. doctrina eius & liber 66. 67. minatur Rom. Pontifici, moritur 68, 70
Iuſtinianus 2. imperator 90. Sergium Rom. Pont. Conſtantinopolim adduci iubet 92. in exilium mittitur 92. reſtituitur 93. in Cherſoneſo omnes pubertatem ſupergreſſos interfici iubet 94. eius ingratitudo in Trebellium, 95. & Romani Pontificis conſenſum petit in negotio fidei 95
Iuſtiniani Codex 67
Iuſtinus I. imperator Legatos Ro. Pontifi. honorificè ſuſcipit 65. pietas eius & mors 65.66
Iuſtinus 2. imperator ob flagitia in inſaniam vertitur 71
Iuſtinus Philoſophus martyr 17
Iuuenalis epiſcopus 55
Iuuencus Hiſpanus presbyter 44


K.


KYrieleyſon nouies in Miſſa cantandum 74


L.


LActantius Firmianus 15.37
Ladiſlaus Neapoli potitur 248. & Roma 252. regno priuatur 256
ladiſlaus rex Vngariæ ſine hærede moritur 305
lætitiam Pontificis publicam error occupat 309
laicus dum ſacra fiunt presbyterium ingredi prohibetur 118
D. Lambertus Leodiẽſis epiſcopus 92
lamellus inſula 215
lampades perpetuo accenſæ in Eccleſijs 76
lancea Chriſti Antiochiæ inuenta in bello loco vexilli pręfertur 163 à Venetis emitur 196
landulphus Beneuẽtanus princeps 133
landus Pontifex 133
lanfrancus ſcriptor 151
lannociatus Abbas Clodoueo author fuit, vt Chriſtianiſſimus fieret 62
lantgrauius Heſſię Brunduſij ad expeditionẽ Hieroſol. profecturus, moritur 197
laodicea capitur 166.186
lapis è cœlo decidit 157
lapis cui Chriſtus inſedit 171
lapuldus Germaniæ comes 146
laqueum in collo geſtare maximũ pœnitentiæ ſignum 213
largitiones pro impetrandis beneficijs à paulo ſublatæ 396
largitionibus non quærendus epiſcopatus 77
lateranenſis Eccleſia ſpoliatur 82
lateranenſe concilium, vide Concilium & Synodus
latinianus epiſcopus Carthaginenſis 76
latium vaſtatur 400
lauda à Venetis accepta 282
laurentius medicus
laurentius competitor Symmachi Papiæ epiſcopus Nucerinus 63
laurentius Leuita martyr 31.32

laurentius Medices dux Florētinus vnà cum fratre ſuo Iuliano dolo necatur 319.320
lauretum 146
laus Pompeia capta 355
laus Pij IIII. 414. Innocentij VIII. 325.326
Leander epiſcopus vel Toletanus vel Hiſpalenſis 72
legatus Rom. pont. Henricum III. Cæſarem creat 150
legati Rom. pont. conſilio interſunt 88. ad Henricum III. & Rodolphum mittuntur, iudicaturi vtri debeatur Regnũ 156. Henrico Anglorum regi pœnitentiam imponunt 180
legati ad concilium Tridentinum mittuntur 414
leges quæ in comitijs Rom. pont. ſeruari debent 208.209
lemungildus rex Luſitaniæ 78
Leo 1 Papa 58
Leo 2 Papa 88
Leo 3 Papa 110
Leo 4 Papa 119
Leo 5 Papa 131
Leo 6 Papa 134
Leo 7 Papa 135
Leo 8 Papa 138
Leo 9 Papa 149
Leo 10 Papa 339
leo abbas S. Aegidij 126
leo III. imperator Henricus imagines ſanctorum demolitur & incendit 97.98. à Gregorio & imperio & cõmunione fidelium priuatur 99
leodegarius epiſcopus Auguſtodinenſis martyr 91
leodij moritur Henricus 3. imperator 166
leodienſes epiſcopum ſuum & legatum capiunt 314
leonardus Aretinus 249
leonardus Aretinus, Carolus, Poggius Auruſpa, Trapezũtius, Blondus, viri doctiſſimi conſiliarij Eugenij 4. 279
leonina vrbs à Leone 4. Pon. ædificata 119
leontius imperium inuadit, & capitur 92. interficitur 94
leo I. Imperator 59
leo 2. imperator 60
leo 4. imperator gemmis delectatus templum ſanctæ Sophię ſpoliat, vt diadema ſuum gẽmis ornet, ac paulo poſt moritur 108
leo imp. Cõſtãtinus Baſilij filius, 127
leproſus mundatur 79.87.128
lesbus inſula 111
S. Leupoldus Auſtriæ dux miraculis clarus in ſanctos relatus 326
leuticorum motus 174
lex qua cauetur ne rex Neapolitanus in Cæſarem eligi poſſit antiquatur 342
Libanius Sophiſta 48.49
liberalitas Pontif. Anaſtaſij 4. 177. Alexandri V. 256. in pauperes & virtutes Nicolai V. 288. Pij 4. in pauperes
liberius I. Pontifex 45
liberium quidam volunt hæreticis conſenſiſſe 45
libertis Hieronymi Balbi Hungari erga Pontificem 349
libertas vera quæ ſit 220
libertatẽ quædã ciuitates emũt 215
libri hæreticorum, vide Hæreticorum libri
libri ſanctorum Patrum integrè denuo imprimendi 458
libri iuris ciuilis ad duo ferè millia fuerunt 67
liburnum captum euertitur 219
licinius apoſtata à Conſtantino ſuperatur 38
liguria inuaditur à Lõgobardis 84
S. Linus I. Papa 10. à Saturnino conſ. capitali ſupplicio afficitur 11
linus & Cletus D. Petro adhuc viuente ordinantur 8
litaniæ à S. Apollinari ad S. Petrum 81
litaniæ dicendæ, vide Supplicationes
litanias Mamercus Epiſcopus Viẽnenſis primus inſtituit 59
literæ apoſtolicæ Hadriani 6. ad Principes Germaniæ 347
literæ florent 288
literati quidam ad res agendas parum idonei 210
Loca ſancta viſuntur 160
locuſtæ galliam vaſtant 126
lodouicus Andegauẽſis in Italiam contendens moritur 243
lodouicus epiſcopus Toloſanus canonizatur 226
lodouicus Bauariæ rex 113
lodouicus I. rex Aquitaniæ 112 imperator Roman. Pontifici obuius fit, Britaniam vaſtat 113.114
lodouicus 2. Rex Italiæ decernitur 117
lodouicus Caroli filius in ſanctos relatus 216
lodouicus 2. imperator 120
lodouici Bauari imperatoris ſuperbia, quod ſine authoritate Rom. pont. imperatorem ſe appellarit 226. ferream coronam Mediolani accipit, Romæ coronatur, ſchiſma conatur introducere in eccleſiam, & Antipapam creat 228. factæ in eum cenſuræ confirmãtur 230
lodouicus rex Franciæ in Aſiã proficiſcitur, reuertitur 196
lodouicus rex Franciæ ex voto in Aſiam proficiſcitur 107.198. Damiatam expugnat, bello ſuperatus capitur & ſoluitur, & ſexto expeditionis anno in patriam reuertitur 198. canonizatur à Bonifacio 8. 219
lodouicus 12. rex Franciæ vi potitur Mediolano 330. edaci febre moritur 341
lodouicus princeps Tarentinus rex Neapolitanus declaratur 233
lodouicus Sfortia cum fratre ſuo Cardinale à Francorum rege captus obit in carcere
lodouicus Vngariæ rex interfectus 355. Sulmonem capit 233
lodouicus Sabaudiæ Comes in Palæſthinam proficiſcitur 190
lodouico rege, peſte cum minore natu filio ſublato, Philippus eius filius ſufficitur 205
longobardi multas vrbes Italiæ capiunt 73. regnum amittunt 108. ſolam Papienſem monetã admittunt 95. ſe ſuaq; omnia Rom. pontificis fidei committunt 107
longobardorum nomẽ ibi tantum remanet, vbi gens illa præcipuè ſedem habuit 111
longobardorum rex arma ſua templo D. Petri offert 98
longobardorum reges à Cacannio rege Auarorum ſuperantur 78
loquendi libertatem Romæ Pius 2. indulſit 300 (ſic dicta 117
lotharingia à Lothario imperatore in Lotharingia fons in ſanguinem vertitur 146
lotharius I. Imperator 113. patrẽ in vincula cõijcit 115. à fratribꝰ ſuperatur 117. monachus efficitur 120
lotharius 2. imperator 117
lotharius 3. coronatur 174
lotharius archiepiſ. Sinonen. 144
Lucas Euangeliſta 162
luca ciuitas multis præuilegijs ornatur, capitur 229
lucæ colloquium Pontificis cũ Cæſare habitum 370
lucenſes anathema & interdictum incurrunt 223
luceria vrbs capta ſolo æquatur 85
luchinus dux 213
luchinus Inſubriæ vicarius 231
lucianus Auria 241
lucia virgo martyr 34
lucianus presbyter, Antiochenus martyr 35.38
lucianus presbyter reliquias D. Stephani inuenit 55
lucina matrona 29. Eccleſiam reliquit hæredem 37
lucinij ſæuitia 38
lucifer Caralitanus epiſcopus 46
lucius Arrianus 54 eius ſæuitia 50
Lucius 1 Papa 30
Lucius 2 Papa 175
Lucius 3 Papa 185
ludi & pallia in præmia currẽtibus propoſita 309
lugdunũ à Carolo rege capitur 99
lugduni Concilium celebratur 228
luiſius Borbonius princeps Condæus 414
luithprandus diaconus ſanctus 128
luithprandus Lõgobardorum rex 95. moritur 100
luna ſanguineo colore videtur 96
lupus Foro iulianorum dux 68
lupus Tracaſenus 59
lutheri ſcripta impia ſuperioribus Concilijs damnata fuerunt 347
Lutherani Concilium quod antea poſtulauerunt, per friuolas excuſationes reſpuunt 375. Euangelicorum & Proteſtantium nomen ſibi vſurparunt 375





Lybia à Sarracenis inuaditur 90. occupatur 93
lyparea inſula 87
lyris fluuius, dictus Garиglianus 133

M.

MAcarius Antiochenus epiſcopus hæreticus damnatur 88
Macarij duo 50
macedoniana hæreſis 47
macereti balnea 225
magdalenæ caput in theca argentea conditũ 212. eius corpus & caput à Carolo rege Siciliæ maiori honore affecta 212
maginulphus Antipapa 165
magiſtratus niſi annuus eſſe, & peti non debet 211
magus martyr 32
mahometes vnde natus 80
mahometi vita 80.81. ſecta 82. mors 82
S. Maiolus abbas Cluniacenſis 139
maiorica inſula Mauris eripitur 194
malchion presbyter 31
malochus dux 145
mamas Aſſyriorum patriarcha 382
mamercus Veiennenſis epiſ. 59
mammæa Alexandri imper. mater fidẽ Chriſti ab Origene docetur 27
mammæus pons Romanus à quo ædificatus 167
manes hæreticus 33
manfredus Conradum veneno petijt & excommunicatur 198.199
manichæorum hæreſis 34
manſuetus archiepiſcopus Mediolanenſis 88
mantuæ principum Chriſtianorũ conuentus habitus de bello Turcis inferendo 297. dominus Marchionali dignitate ornatus 270. ſanguis Chriſti aſſeruatur 111
mantuanum concilium 153
maphæus Vicecomes 224
marcellinus Papa 35
marcellini, quod deos adoraſſet, pœnitentia 35
marcellus presbyter 36
marcellus Ancyranus epiſ. 45
Marcellus 1 Papa 36
Marcellus 2 Papa 387
Alexãdri Farneſij moderator 388
marcianus Barcilonæ. epiſc. 53
marcianus imperator 58
marcion hęreticus 20
marcioniſtæ 20
marcus Leuita Sacerni in Italia ſcripſit Euangeliũ, teſtimonio petri cõprobatũ in Aegyptũ mittitur, Alexandriã Eccleſiam cõſtituit 7. & tandẽ VIII. Neronis anno Alexandriæ moritur, cui ſuccedit Ananias 7
marcus Barnabæ comes 7
M. Annęus poëta Lucanus 9
marcus Bizantius rhetor 16
marcus primus ex Gentibus epiſcopus Hieroſolymorum 16
marcus I. papa 43
S. Marcus Euangeliſta 7
marcus martyr 37
S. Marci corpus Venetias trãsfertur 115
mareſcallus 204.205
mareſcalci tredecim in vrbe à Pontifice delecti 285
maria Arragonia Henrici octaui filia, Angliam ad priſtinam pietatẽ reduxit 386. Philippi Caroli 5. filio nubit, moritur 405
maris inundatio 165
mari Vngaros opprimunt 135
Martinus 1 Papa 83
Martinus 2 Papa 127
Martinus 3 Papa 135
Martinus 4 Papa 212
Martinus 5 Papa 261
S. Martinus 72. prædicit Maximo tyranno calamitatem 52. animam Dagoberti liberat 87
martinus Caſſinas 56
martinus Scotus 159
martinus à tota repub. Chriſtiana vna duntaxat paniſchola excepta Pontifex habetur 261
martini 4. miracula 214
martis templum 31
martyris ſepulchrũ dæmones metuunt 48
martyres ſine Dalmatica ſepeliendi non ſunt 33
martyrum geſta per regiones ſeptẽ diuiſas notarijs deſcribi iubentur 13.28.34. recondi præcepit Anterus 26. eorum hiſtoriæ in templis pingebantur 231
maſarquiuir arx
maſius mons 343
maſſilia à Veſogothis liberatur 99
matrimonium niſi ſponſæ benedixiſſet Sacerdos, legitimum non habebatur 21. contrahendum nõ eſt filio Patrini cum puella à Patre fonte leuato 79
matrimonia clandeſtina vetita 418
matthæus Langus Cardinalis 338
matthias Vaiuoda regnum Vngarię occupat 305
maunea Sarracenorum regina epiſcopum Catholicum petit 50. Romani exercitus domitrix Moſen genti ſuæ epiſcopũ extorquet 50
mauritius animam Dagoberti liberat 87. cum vna legione Thebæorum ad Rhodanum fluuium martyrio coronatur 37. Gallorũ partes fouens Cæſarem acriter perſequitur 382
mauritius Tyberij gener 73
mauritius epiſc. Portuenſis 164
mauritius archiepiſcopus Bracharenſis, Antipapa 170
mauritij imperatoris mala, & mors 74.75
maurus & placidus monachi 67
maurus diſcipulus S. Benedicti in Galliam mittitur 67.69
mauri Siciliæ magnam partem vaſtant 115
maxentius Chriſtianas pręgnantes ſcindit 38
maxentij & maximini magia & tyrannis 38
maximianus imperium recuperare ſtudet, ſed miſerè perit 37
maximilla Montanus, & priſilla authores Cataphrygarum 52
maximilla & priſcilla prophetides hæreticæ 20
maximilianus Sfortiæ dux 338
maximilianus imperator 329. moritur 342.345.
maximus Alxandrinus epiſc. 33
maximinus malorum pœnitentia ducitur & moritur 38
maximini imper. proceritas adagio celebratur 27
maximinus 55
maximus 24
maximus tyrannus 51.58
mazaca, quæ & Cæſarea Cappadociæ 51
Mecha ciuitas 82
mediolanum capitur 58.283
mediolanum obſidetur 146. ſolo æquatur 179. reſtauratur 179
mediolanenſe conciliabulum 47
mediolanenſis archiepiſcopus pallium à Rom. Pont. accipit 162
mediolanẽſis Romanæ eccleſiæ reconciliatur 150
mediolanenſis imperij dominatum ambire pontifex dicitur 373
mediolanenſium multæ ciuitates capiuntur 283
melchiades Papa 38
melita à Turcis oppugnata, ab Hiſpanis defenditur
melito Aſianus, Sardẽſis epiſcopus 18
melphia 145
melphi Synodus celebratur 160
melphis furto occupatur 160
menas epiſcopus Conſtant. 68
merlinus vates 60
meſana & Maritima templo S. martyrum Marcellini & Petri donatur 42
meſſana obſidetur à Carolo 213
meſſenis à Felice 3. vt ſimoniacus excommunicatur 61
metis obſidetur 384
mezentius Clodoueo author fuit, vt Chriſtianiſſimus fieret 62
mezentius imperator 86
mezelindis fœmina ſancta 87
Michaël palæologus Latinos perſequitur 201. imperium ſibi deſumit quod poſt annos 48. à Latinis in Græcos rurſum tranſlatum eſt 201. ad concilium Lugdunenſe profectus tertia decima vice in ſententiã Romanæ Eccleſiæ Græcos toties deficientes pertraxit 207
michael imperator ad Lodouicum 1. Legatos mittit, qui peterent quid de ſacris imaginibus eſſet faciendum, moritur 114
michael imperator Conſtatinop. ad Gregorium VII. confugit 155
michaël Theophili filius Conſtant. imperatoris Romam S. Apoſtolis dona mittit 124

militia S.Lazari reuocata 418
milites templarij 170
milites cruce ſignati ad expeditionem terræ ſanctæ mittuntur 185
milites Chriſtiani aquam diuinitùs ad ſedandam ſitim & victoriam impetrant 21
milites Brachiani & Sfortiani vnde originem habeant 246
militaris inſolentia quæ Romæ accidit reprehendenda 356.357
milo epiſcopus præneſtinus 164
milo monachus 127
mincius fluuius 274
miniates oppidum 213
minorum ordo inſtituitur 192. confirmatur 293
minucius Felix, cauſidicus 26
minucius Fundanus Aſiæ proconſul 15
mirandula expugnata 337
mirandula & parma obſidione liberantur 381
miſericordia in pauperes Pij 4.
miſericordia Pōtificis in pauperes 125
miſſa ter in natali Domini celebratur 17. quotānis in honorē Martyrū celebranda 33. dum celebratur laicus presbyteriū ingredi prohibetur 118. latinè celebratur Cōſtātinop. à legato Rom Pōtif & modus Romanus celebrādi à Græcis laudatur 88. in eccleſia tantum, extra neceſſitatem dicenda 33
miſſa quotidiana 100
miſſæ ſarrificium vt fuerit paulatim ceremonijs auctum 56.59.64 174
miſſam celebrat Pont. nocte Natalis Domini 154
mithildis comitiſſa 151. diuortium cū Azone fecit 158 moritur, ditionē Rom. eccleſiæ augens 164
mitra Pontificia varietate gemmarum augetur 34
Mitra Pontifex Silueſter vtitur 35
mitra S. Silueſtri è Vaticano ad Lateranum defertur 279
mitylene à Venetis capitur 171
Modeſtus in Valentinum 22
moguntinus archiepiſcopus cum Saxo duce in Palæſthinam pergunt 189
monachus ſtricto gladio Mauritio imperatori mortem prædicit 75
monachi ſacris initiari poſſunt 50
monachorū regulæ à Gregorio III. præſcribuntur 100
monachorū regulas Egeſippus cōpoſuit 63
monaſterium Virginum 89
de Monaſterio S. Sabæ contentio inter Venetos & Genuenſes 200
idem Monaſterium capitur 200
monaſteria conſtruūtur 59.100. malis clericis loca exilij 132.172
monothelicarum hæreſis 81.88
monſtra marina humanam ſpeciem præ ſe ferentia 76
montanus hæreticus 20
mons regalis 186
mons aureus, Malus Guadius idem eſt 166
monumenta veterum non deſtruxit D. Græg orius 76
mors Hadriani 6. deploratur 352
mortuorū in miſſa cōmemoratio 17
moſes heremita 50. à Lucio Arriano epiſcopus cōſecrari recuſat 50
motonium Veneti ſpoliant 171. à Venetis ſpoliatur, occupatur 191
Muardus archiepiſc. Remenſis 83
muleaſſes rex Tuueti regno exuitur 364. reſtituitur 365
mundus Iuſtiniani imper. dux Gothos ſuperat 67
muſanus contra hæreſes 20
muſonius Rufus ab exilio reuocatur 12
mutilati membris in Clerum non aſſumendi 51
mutronium oppidum capitur 204
mutina emitur à Leone X. 30 milibaur 341

N.

NArbonenſes bello vexati 453
Narbonenſis Gallia 117
narciſſus Hieroſolimitanus epiſcopus 23.29
narſes Eunuchus prius bibliopola poſteà dum inſignis 70. cōtumelia affectus Italiam moleſtat 71
nationes multæ Conſtantini tempore ad fidem Chriſti conuertūtur 43
Natiſo fluuius 86
Neapolis Aſſyriæ ſe Gotifredo dedit 163
neapolis Italiæ capitur 68, 70. 198. 248.277
neapoli Innocentius 4. moritur 198
neapolitani belli, quod accidit tempore Pauli 4. initium 399
Neapolitani religionis quæſtionē admittere noluerunt 397
nepotiana hæreſis 31
nerua imperator 13
neſtorius epiſ. Conſtantinopolitanus 56.58
neſtoriana hæreſis 56
neronis ſceleſti vita & mors 8. 49
neroni ſuccedit Galba 10
Nicæa obſidetur à Chriſtianis 161
nicæę colloquium habitum à Paulo 3. Cæſare, & Gallorū rege de pace & bello contra Turcas gerendo 368
nicænum concilium vide Conciliū
nicephorus imper. Conſtant. imperio priuatur 138. monachus fieri cogitur 156
nicephorus imperium Cōſtant. inuadit 111
nicephorium arx 171
niceta epiſcopus Conſtantinopolitanus hæreticus 104
Nicolaus 1 Papa 123
Nicolaus 2 Papa 151
Nicolaus 3 Papa 211
Nicolaus 4 Papa 216
Nicolaus 5 Papa 281
pacis amator 282. 283. & ſeq.
nicolaus Tolentinus in ſanctos relatus 279
Nicolaus Fortebrachius 267
nicolaus Picenninus 267
nicolaus Rentij 232
nicolai 3. deuotio inter ſacrificandum 211.212
S. Nicolai corpus Barum tranfertur
nilus inundans 193
Nomina Pontificum immutādi conſuetudo 116.117
noradius Princeps Sarracenor. 175. (176
norinbergenſis conuentus 347
normanni Galliam vaſtāt 126. Apulia potiūtur 145. fidē Chriſti ſuſcipiūt 126 Galliæ partē inhabitare permittūtur 177.128. q fuerint 130
normannorum obſeruantia in Romanos Pontif. 170
noruegia ad fidem Chriſti conuertitur 177
notarios & Tabelliones vtpote ſanguine pauperum & litigantium viuentes reijcit Nicolaus 3. 212
nouatiana hæreſis in Cornelio 28
Nuceria oppugnatur 204
Nuceria Sarracenorum 296
nuptiæ inter filium Ferdinandi & Franciſci Sfortiæ filiam 306

O.

OCtaua natiuitatis B. Mariæ celebranda inſtituitur 198
Octauius Farneſius fit dux Canterinus 398. Margaritam ab Auſtria vxorem ducit 369. prefectus vrbis creatur 369. præter voluntatem pontificis Gallica præſidia intromiſiſſe dicitur 380
octauius Farneſius & Alexāder Farneſius Cardinalis cū copijs Italicis ad Cæſarem in Germaniam perueniunt 376
octauio Farneſio vidua Alexandri Medicis Margareta Auſtr æ nubit 369
Oddo epiſcopus Oſtienſis 164
oddo Abbas Cluniacenſis 136
oderatus Perſas fundit, Syriam defendit, Meſopotamiam recipit 31
oderiſius Abbas 169
odilo Abbas Cluniacenſis 141
odium inter Patauinos & Vicetinos 251
odoacer Rauennæ regnat 60. filiā Clodouei regis Frācorum vxorē accipit 61. vnà cum filio à Theodorico Gothorum rege Rauēnæ interimitur 60
odoardus rex Angliæ 215. eiuſdem bellum cum Philippo Francorum rege 217.231
odoardus regis Angliæ filius ab Arſacida familiari vulneratus conualuit 206
Officium diuinum continenter in æde D. Petri celebratur 100
officium corporis Chriſti D. Thomas compoſuit 203. Eccleſiaſticum vetus D. Gregorius I. inſtituit 74
officia Romana & ſedi Apoſtolicæ oneroſa & offendiculis obnoxia
offo epiſcopus Nepeſinus 164
Oldericus rex Bohemiæ victus capitur 147
olympius exarcus Italiæ 84
olympius Artianus de cœlo tactus perijt 63

Opi.



Opitergini 86
oppianus Poëta 21
optatus epiſ. Mileuitanus 51
Orauium oppidum
oratio Pij II. pōtificis de bello Turcico omnes mirum in modum incendit 297
Ordo S. Benedicti 69.70
Ordo Carmelitarum 215
Ordo Carthuſianorum 162
Ordo Ciſtercienſis 162
Ordo Eremitarum 215
Ordo Grandimontenſis reformatur 227
Ordo Militum ibid.
Ordo Minorum 192.194
Ordo Pauli quarti 380.394
Ordo Prædicatorū inſtituitur 192. confirmatur 193
Ordo Templariorum 170
Ordo Vallis vmbroſæ 153
ordinum ſacrorum diſtinctio 34. 50
ordinantur denuò quos Formoſus ordinârat 131
oreſtes patricius 60
organa in Eccleſijs adhibentur 86
organa cantui coniuncta harmonię cauſa 86
origenes 24 25.27.28. Clementis Alexandrini diſcipulus 21. multa præclara geſſit 25. eius librarij 27
oriolum oppidum 272
orizæ ſaccus quantum equus ferre poteſt venit 3. Iulijs 383
oruietum vrbs 212
Oſculo Pontifex leprā curat 79.87
Ottho I. Imperator 135
ottho II. à pontifice in Italiam vocatur 135. coronam imperij recipit 137
ottho IIII. imperator electus à Romano Pontifice confirmatur 190
ottho Saxoniæ dux à quibuſdā Imperator eligitur, coronatur, imperio priuatur 191
ottho rex Germaniæ 136
ottho Burgundiæ dux in Palæſtinā proficiſcitur 187
otthoni in imperium ſuccedit Vitellus 10

P.

PAcianus Epiſcopus 53
Paganus Aurea dux 224
palæmon rhetor 16
palęologus orator Conſtant. Imperatoris 178
palæologus à pontifice excommunicatur 213. moritur, & extra locum ſacrum ſepelitur 217
palla ſacra à nulla Monacha contrectari debet 55
palladius in Scotiā epiſcopus mittitur 56
pallij vſus, vt etiam officia alia, ſine pecunia conferrenda ſunt 89
palumbara vrbs 290
pambo eremita 50
pampaluna diripitur 108
pamphilus martyr 34
pandectæ componuntur 67
pandulphus frater Honorij IIII. 214
panhormū à Saracenis capitur 114
pannonia Bulgaris traditur 87
pantheon plumbeo tecto reſtitutū 288
papia ad concilium celebrandum deſignatur 266. à Carolo Magno occupatur 107. obſidetur à Pipino rege 102. capitur 134. laudatur
papiam equus æneus aduehitur 98
papias Hieropolitanus epiſcopus auditor S. Ioannis 15
papias Lombardus 192
papienſis moneta ſolà apud Longobarbos recipitur 59
papienſis epiſcopus pallio & cruce à Romano Pontifice priuatur 181
paraſanus dux
pariſienſis gymnaſij inſtitutio 112
pariſiorum ciuitas caput regni conſtituitur 63
pariſiorū ſuburbia incēduntur 140
parma & Mirādula obſidione liberantur 381
parma obſidetur 197. emenda deditur 232. duci Mediolanenſi reſtituta 263
parma & Placentia Pontifici dedun tur 359
parmenſis belli occaſio 380
parſimonia Pij II. 299
paſchalis Archipresbyter pecunia pro pontificatu apud Exarchum ſolicitat 91. moritur 91.92
paſchalis I. 113
paſchalis II. Papa 162
paſchalis celebratio 23
paſtoris boni exempla 72
patauium capitur 224.225
patauij D. Antoninus de Paduà moritur 195
patauinū ſtudiū inſtruitur 196.197
patriarchæ loco Protoflaminum 22
patrimus & matrima 18
S. Paulinus Nolanus epiſcopus 59
paulus Apoſtolus 7
paulus diaconus in exiliū relegatus poſteà monachus efficitur 107.108
paulus Iuriſperitus 27
paulus patriarcha Aquileienſis 71
paulus I. 103
paulus II. 303 ad bellum Turcicum hortatur 305. duos ciues Romanos ad concordiā compellit 306. ſtatuarum antiquarum ſtudioſus 311. apoplexia moritur 312
paulus III. 359. maxima authoritate & ſapientia præditus 360 tā gratus omnibus fuit, vt paucarum horarum ſpatio poſt cōclauis ingreſſum pōtifex ſalutatus fuerit 362
paulus IIII. 393. initio pontificatus ſeueritatem deponit 395. primo quoque die menſis quoſcunque homines audire 403
paulus Samoſatenus 23
paulus Vrſinus 252
pauperes centum in atrio Lateranenſi quotidie paſcuntur 109
pauperes religioni deditos & eleemoſynis viuētes nō eſſe in ſtatu ſalutis, docebat Guilielmus de Amore 201
pauperum pedes in paſchate lauantur 109
pauperibus cum Hadrianus II. eleemoſynam largiretur, miraculum contigit 125
pax & tranquillitas Romana 265
pax in Miſſa danda 89
pax inter Venetos Genuenſes componitur 235. inter ducem Burgundiæ & Gallos compoſita 294 inter Venetos & Franciſcum Sfortiā & ab Alphōſo approbata 287 inter pontificem & Hiſpaniarum. regem 401. inter principes Italiæ 308. inter Venetos & Franciſcum ducem Mediolan. 287
pacem prouinciarum turbare capitale eſt 146
Pedes Romani pontificis antiquitus oſculabantur 118.123.181
pelagius I. papa 70
pelagius II. 72
pelagiana hæreſis 52
peligni populi 135
pera Conſtātinopoli vicina 242.287. 325. à Turcis capitur 287
peregrinatio ad loca ſancta 237.322
peregrinus Romanus in Galliam prędicaturus mittitur 17
perinus rex Cypri 237
perſę à Liberio ſecundo ſuperantur 81
perſæ à Turcis vincuntur 102
perſarum cum Chriſtianis aduerſus Turcos ſocietas 319
perſarum Rex cum 40000. militū baptizatur 85
perſecutio Chriſtianorum tempore Diocletiani omnium quæ fuerunt maxima 35
Perſecutiones Diocletiani cauſa 36
perſecutiones in Chriſtianos Decius imper. mouet 29
perthares Longobardorum regnū recuperat 87. eius probitas 89
Peruſium & alia oppida in poteſtatem Pontificis redacta 266
peruſium pontificali dignitati conueniens 218
peruſij gymnaſium extruitur 195. pontifex creatur Honorius IIII. 214. moritur Vrbanus IIII. 203. & Benedictus XI. 222. & Martinus IIII. 214. & Innocentius III. 193
peruſini contumaces domātur 369
peſtis 73. 88. 97. 141. 146. 180. 283. 194.225.266
peſtis in Italia adeo eſt graſſata, vt vix decimus quiſque ex mille ſit reſeruatus 233
peſtis vniuerſalis 145.225
petronius Epiſcopus Bononienſis 54
S. petrus quo tempore Romam venerit & quare 6. ſedē pontificiam relicta patria, relicta natione, volente Deo, Romæ collocauit 239. ſeptē annis Antiochię ſedit 5
petrus Apoſtolus Marcellinum ſepeliri iubet 36. claues dedit Romanis pontificibus 77
petrus Apoſtolorum princeps 117

petru:

petrus & Paulus imperia; regna, principatus inferre & dare poſſunt 157
petrus & Paulus Apoſtoli Attilę apparent 58
petrus & Paulus eodem die, ſed diuerſo mortis genere Romæ occumbunt 8
petrus Arragoniæ rex à Siculis recipitur 213. à pontifice excommunicatur 214 moritur 215
petrus admonetur à Martino, vt ſe pontificatu abdicaret 261
petrus Abelardus Periateticus philoſophus conuerſus monaſteriũ ingreditur 176
petrus Benibus
petrus Capporius Cardinalis Peruſij gymnaſium extruit 195
petrus Comeſtor 185
petrus Conſtan. imperat. Romæ cũ vxore ab Honorio 3. coronatur 192
petrus de Carbario Antipapa ab imperatore creatur 228. in carcerem coniectus à pontifice, moritur 229
petruș diaconus 174
petrus epiſcopus Alexãdrinus martyr 38
petrus epiſcopus Conſtantinop. hæreticus 84
petrus epiſcopus Illyricus templũ D. Sabinæ ædificat 57
petrus Eremita in terram ſanctam cum alijs Chriſtianis proficiſcitur & Nicæam obſidens fugatur, Hieroſolymam cuſtodit 161.165
petrus Hiſpanus Cardin. 243
petrus Luiſius Parmæ Placẽtiæ dux occiditur 377
petrus Luna Antipapa 246.253
petrus Toletus Neapoli prorex, Senas cũ exercitu proficiſcitur 384
petrus Veronenſis ordinis Prædicatorum martyr canonizatur 198
petrus Vinea Imperatori omnium rerum arbitrium & non pontifici aſſcribebat, contra quem libiũ conſcripſit Innocẽtius 4. 199
S. Petri patrimonium 151 165. 195. 220. 235. 336. verba ad Clementẽ 8
petri dignus ſucceſſor non eſt, qui plus cognationi quàm pietati aut Deo tribuit 206
petri apoſtoli ſedes 161
in Petri petra Chriſti Eccleſia fundata 154
petri cuiuſdam ordinis Minorum gloſſula damnata 227
S. Petro pallium auro intertextum obtulit Conſtantius Imperator 85
petro Luiſio parmam & placentiam pontifex in feudum concedit 377
Pharamia vrbs 198
phileas Thmuenus martyr 35
philelphus 249
D Philippus Apoſtolus moritur 12
philippus Archiepiſcopus Rauennas 200
philippus Atrabatenſis comes Frãciæ regis filius 214
philippus Burgundus ſanctæ militię votum procraſtinat 398
philippus D. Hieronymi diſcipulus 58
philippus dux Mediolanenſis pacẽ init cum Franciſco Sfortia 277. pontificis ditionem inuadit 271. moritur 282
philippus Mediol. Gabrinum tyrannum capitali ſupplicio affecit 263
philippus Franciæ rex in Palæſtinã proficiſcitur 188. redit, & in Angliam traijcit 189. moriens magiſtro templi Hieroſolymitani librarum argenti reliquit 193
philippus Cretenſis Epiſcopus 20
philippus Imp. eligitur 190. moritur 191
philippus imper. hæreticus 95
philippus Lantgrauius Haſſiæ Cæſari ſe dedit 376
philippus primus Chriſtianus Imperat. nunquam niſi confeſſus myſteria adire fuit auſus 28
philippo mortuo Veneti pacem nolunt 282
philo Iudæus 11
philomelium capitur 188
philoſophus quidam in Nicæna ſynodo ſubito ad fidem cõuertitur 40
philoſophiæ laus 1
phocas iuſſit Romana ſedes, quæ reuera prima, ab omnibus vt prima agnoſceretur 77
pholcaldus Abbas 103
S. Photinus Lugdunenſis epiſcopus martyr 18
photinus epiſcopus Gallogręciæ hęreticus 40
photinus hæreticus 50
photini hæreſis in Nicæna ſynodo damnatur 40
photius hæreticus 125
Picenninus cladem accepit 276
picentes in fide eccleſiæ confirmati 269. picentia à Pio 2. dicta 301
pietas in ægrotos Petri Barbonis 304
pilati mors 5
pinytus Cretenſis 21
pipinus Aquitaniæ rex 113
pipinus dux Auſtriæ aduerſus Francorum regem Theodoricum feliciter pugnat 92
pipinus rex Italiæ creatur 111. moritur 111 112
pipini Regis Francorum filij 97
piſani Archiepiſcopatu donantur à Pont. Rom. 174. bello maritimo potẽtes 187. Sarracenos ſuperant 167
piſanorum contra Genuẽſes pugnã 215
piſanum concilium 174
piſis Alexander V. põtifex eligitur 255
piſces magna ex parte pereunt 159
piſſia amnis 167
piſtorium capitur 229
apud Piſtorienſes nomina Guelphorum & Gibellinorũ inuenta ſunt 196
pius I. 19
pius II. 293. ſedis Apoſtolicæ & dignitatis pontificię defenſor 299. grauiſſimis bellis liberatus Chriſtianos Principes ad bellum Turcicum animat 298. eius religio & pietas 298
pius III. 334
pius IIII. 406
Placentia capitur 282. 283. à Cæſarinis capta 337. in fidem Venetorũ ſuſcipitur 282
placentia ſynodus 160
placidia magni Theodoſij filia Gothorum regis vxor, mariti animũ ab vrbis excidio auertit, pacemque conciliat Romanis 54
placidus diſcipulus S. Benedicti 67
platina à Sixto IIII. pontifice iuſſus hiſtoriam pontificum ſcripſit 1
platina in agro Cremonen. 90
platina innocens incarceratur 305
platinæ natale ſolum à platina Exarcho nomen habet 90
plato philoſophorum Deus 311
plinius II. Chriſtianos apud Imperatorem excuſat 14. incendio Veſuuij montis conſumitur 90
plutarchus Cheronæus philoſoph. 9 16
plutarchus martyr 24
pluuiæ magnæ 86
Poculũ ex capite humano paratũ 71
pœna eorum qui falſo accuſant 49
pœnitentia eorũ, qui corpus Chriſti negligentius tractant 19
poggium Bonitium extruitur 205
pola ciuitas capitur 189. incenditur 242
polycarpus Epheſiorũ epiſcopus 18. D. Ioannis Apoſtoli diſcipulus 18
poloni cum Vngaris de Bohemia decertant
polycrates 23
pontianus I. papa 26
pontifex bellis vexatur 178. ad pacẽ hortatur 284. Camerinum repetiturus, in ducem Vrbinatem arma mouet 369. duce Roberto Sanſeuerinate Ferdinandum ſuperando Eccleſiæ morigerũ reddidit 326. Franciſcum agri Piceni marchionem & dominum declarat 274. impeditus à Brachio Mõtonio tutò Romam venire nõ poteſt 264. Dalmatiæ & Croatiæ commeatum mittit 347
pontifex adulterinus 146
pontifex, Alouiſius rex & dux Modiol. ſocietatem ineunt 263
pontifex Calliſtus Chriſtianos in Turcos incitat 171
pontifex Romanus, vide Romanus
pontificis decretum 156. execratio in Henricum 157
ad pontificatũ niſi per gradus aſcẽdere nemo debet 105
pontificũ nomina immutandi cõſuetudo 116 117





Pontiæ inſulæ 480
Pontius abbas Cluniacen. 172
Pontius Cyprianus 30
Pontius pagus 83
Populus à clero celebratur diuiſus 67
Populi diuiſio ob electionem 91
Porphyrius 25
Porti ciuitatis Leoninæ benedicuntur 119
Portum Oſtienſem Claudius exſtruxit 6
Poſſidonius epiſcopus 54
Poſthumus poſt Valerianum & Galienum ryrannidem Imperij toto decennio occupat 31
Potamiena 24
Poteſtas libera eligendorum epiſcoporum paſchali data 113
Pragmatica in Gallia abrogata quando 299
Prædicatorum ordo inſtituitur 192 confirmatur 193
Prædicatores animos Chriſtianorum in Turcas animant 290
Præneſte funditus euerſa 272
Pratenſes initium defectionis ab eccleſia 238
Praxedis & Prudentiana ſorores ſanctæ 19
Presbyter celebraturus quibus veſtibus vti debeat 40
Presbyteris V. vrbs diuiditur 60
Primaſius in Paulum 54
Primates non dicuntur Archiepiſcopi 20
Princeps ſecularis conſilio Clericorum intereſſe non debet 125
Principis literati laudes, & illiterati vituperia 144.145
Principes electores 142
Principes tàm ſeculares quàm ſpirituales quomodo prçeſſe debeant 221
Principes omnes fœdere iuncti excepto Gallorum rege 350.351
Principatus vnus optimus 225
Priſcianus grammaticus 66
Priſcilla impulſu Marcellani martyribus cæmiterium ædificat 36
Priſcillina hæreſis 54
Proba matrona vxor Adelphi proconſulis Centonas Vergilij in laudem Chriſtianorum cõpoſuit 54
Probitas & doctrina Marcelli ſecundi 392
Probus Augſt. Imp. 34
Prodigia conſpecta 76. 137. 146. 159. 165
Prohæreſius tempore Iuliani doctiſ. palam Chriſtianam iuuentutem inſtituit 48
Proiectus martyr 87
Prophoia vrbs 164
Proſper Aquitanus 59
Protonotariorum munus 45
Prouinciarum mores, & ſenſus varij, & diuerſi ſine perturbatione ſubito tolli nequeunt 261
Pruſſia fides Chriſti prædicatur 139
Pſalmodiam Leo inſtituit 86
Ptolomais à Soldano capta deuaſtatur 217
Ptolomais & Tyrus vrbes opibus præpotentes 200
Ptolomaidis expugnatæ ob poſſeſſionem contendunt Chriſtiani 216
Ptolomæus Lucenſis 185
Ptolomæus ſcriptor ætate Cæleſtini quinti 218
Publicatio fœderis apud ſanctam Mariam Maiorem ſanctam 351
Pudentianæ templum 19
Puer quadrupes 76
Puerpera viſa ſibi infantem mitratum parere 303
Purgatorium Græci credunt 274
Pynitus Cretenſis orator 21
Pyrrhus hæreticus interficitur 83

Q.

Qvadratus Apoſtolorum diſcipulus pro Chriſtianis librum Adriano Imperatori porrigit 15
Quintilianus 10
Quintilianus rhetor repertus à Poggio 288
Quirinus præſens Syriæ 3
Quintillus mortuo fratri ſuo Claudio in imperio ſucceſſit 32
Quolitiani hæretici 22
Quolitiani in Blaſtum 22

R.

Rabanus monachus 116
Racherius epiſcopus Veron. 135
Rachis Longobardorum rex monachus efficitur 100
Rachiſius monachus regnum Longobardorum ambit 103
Rainaldus Cardinalis
Ramula vrbs expugnatur 164
Ratiſponenſis conuentus 370.375
Rauenna capitur 96. 103. à Frederico II. capitur 196. capta diripitur 97
Rauennæ regnat Odoacer, & perit 60
Rauennas Archiepiſcopus Michael à Romano pont. deijcitur, & Leo confirmatur 106
Rauennas Archiepiſcopus à Nicolao I. pontifice dignitate priuatus, eidem reſtituitur 124
Rauennas epiſcopus à Romano põtifice confirmatur 89
Rauennata eccleſiæ Rom. reconciliatur 87
Rauennates ditioni Romanæ obtemperant 106
Rauennati quædam ciuitates adimuntur 168
Rauennatibus à Rom. pont. epiſcopus datur 92
Raymundus Barchinonenſis adiutor Gregorij 9. in decretalium compilatione 196
Raymundus comes Trypolytanus 186.
Raymundus Ptolomæus 236
Rayno dux Apuliæ creatur 174
Reate D. Dominicus in ſanctos refertur 195
Reatini ſe ſuaq; omnia Roma. pont fidei committunt 10
Reblata quæ nunc Antiochia 176
Reformatorum Magiſtratus 236
Reges Hebræorum vnguento cæteris inſigniores habentur 4
Reges Longobardorum Flauij dicti 73
Regi Francię Rom. pont. reſiſtit 225
Regij iuriſiurandi formula 155
Reginaldus Polus Anglus Cardinalis legatus in Angliam mittitur 386. moritur 405
Reginaldi Poli opera Angli ad fidem Catholicam reuertuntur 386
Reginulpha Galla matrona 83
Regnum Franciæ Pipino datur 101
Regni Anglici titulus, & iura à Romano pontifice recognoſcuntur 181
Regni titulus à Rom. pontifice petitur 173.181
Religio à Paulo 4. inſtituta 394
Religioſi futuram calamitatem prçnunciant 283
Remigius epiſcopus Altiſiodor. 129
Renaldus epiſcopus Traiectenſis 83
Reliquiæ Anaſtaſij martyris Romã transferuntur 79. S. Theodori martyris transferuntur Venetias 171. D. Anſelmi epiſcopi Mantuam tranferuntur 167. S. Marci Venetias transferuntur 115. S. Nicolai Barum tranſlatæ 159. D. Auguſtini Hipponenſis epiſcopi transferuntur 99. D. Bartholomæi transferuntur 115. 140. S. Benedicti transferuntur 94. 140. S. Clementis transferuntur 125. B. Gregorij 1. transferuntur 116. D. Ianuuarij transferuntur 114. B. Leonis transferuntur 92. S. Petronellæ transferuntur 104. D. Vincentij transferuntur 120. B. Sebaſtiani & Tiburtij trànsferuntur 116. ſanctorum Vincentij & Anaſtaſij transferuntur 83. multorum ſanctorum transferuntur 117. 118. multorum ſanctorum tranſlatæ auro ornantur 113. ſanctorum Primi & Feliciani transferuntur, & auro atque argento ornantur 83. quatuor coronatorum inueniuntur: & aliæ multæ transferuntur 118. 119. Heliſei & D. Barnabæ Apoſtoli tum inueniuntur. tum tran. transferuntur 61. D. Pauli argenteis laminis includuntur 108. 109
Reliquiæ martyrum à Subdiaconis ſolis attrectandæ 80
Reliquiæ Diui Thomæ Apoſtoli in Edeſſa 175
Reliquiæ ſanctorum in templo ponuntur 100
Reliquiarum veneratio 103
In Reliquiarum D. Martini tranſlatione leproſus mundatur 128
Reliquijs ſanctorum procedunt Sacerdotes obuiam imperatori 166
Remenſis ſynodus 173
Remigius Altiſiodorenſis 129

Remigius episcopus Remenſis 61
S. Renaldus Traiectenſis episcopus 83
Reinaldus Alemannorum dux fidem Chriſti abnegat 161
Reſpub. Chriſtiana trifariam diuiſa 274
Rex Germanorum Aquiſgrani coronatur 358
Rex Polonus cum Iuliano Cardinali ab hoſtibus interfectus fuit 280
Regis titulus à Romano pontifice datur 265
Regium Nicolaus Eſtenſis feudi nomine tenet 26
Rhadagaſus Gothorum rex 53
Rhenus fluuius 97
Rhodelina pia regina 89
Rhodanus fluuius 117
Rhodus oppugnatur 320.321. à Sarracenis capitur 84
Rhodij ſeſe dedunt 346
Rhodij milites 222
Rhodiorum militia ad inopiam redigitur 308
Rhodoaldus Longobardorum rex in adulterio deprehenſus interficitur 85
Rodoaldus episcopus Portuenſis 123
Rhodus oppugnatur 320.321.
Rhomoaldus dux Beniuentanus 89
Rhoſimunda regina ex capite patris bibere iubetur, & moritur 71
Rhotaris Longobardorum rex Arrianus moritur 82. eius cadauer erutum, & ornamentis ſpoliatum 82
Rhothiſredus rex Sarracenorum ſuperatur, conuertitur, baptizatur 126
Richardus Angliæ rex in Paleſthinam proficiſcitur, rediens, & captus redimitur 188.189
Richardus Cluniacenſis monachus 178
Richardus de ſancto Victore 177
Richardus Hannibal abſoluendus ab interdicto laqueum collo gerens ante legatum pontificis proſternitur 213
Ricimer patricius 59
Robertus Apuliæ rex 150
Robertus Sanſeuerinas 326
Robertus Bauariæ dux imperator electus 247
Robertus episcopus Carnoſanus 142
Robertus comes Flandrię 160
Robertus Malateſta 321
Robertus Francorum rex ſequentiam compoſuit, Sancti ſpiritus adſit nobis gratia 142. laudatur, & Canonicas horas cum ſacerdotibus cantat 145
Robles dux nobilis 422
Rodolphus arciepiscopus Colon. corpora trium regum Coloniam transfert 179
Rodulphus dux Burgundiæ 146
Rodulphus archiepiſc. Colon. 179
Rodulphus Pius Cardinalis 373
Rodulphus Burgundiorum rex 134
Rodolphus imperator pecuniæ ſtudioſus 215. moritur 215
Rodolphus Saxoniæ dux 155. rex eſſe permittitur 157. moritur 158
Rogationes inſtituuntur 112
Rogerius Siciliæ comes Apuliam occupat 171
Rogerius Doria 215
Rogerius Siculus ædes imper. Conſtan. oppugnat 176
Rolandus nepos Caroli magni ex ſorore moritur 108
Rolandus clericus parmenſis 154
Rolandus episcopus Taruiſinus
Roma prima ſedes eſt 61. obſidetur 73.75.99.102. inuaditur 355. 356. capitur 53. capta incenditur 58. 70. delenda planè fuiſſet ab Adulpho, & alia vrbs eius loco conſtituenda, quæ Gothia dicetetur, niſi interceſſiſſet Placidia Thedoſij filia 54, reſtauratur 265 322
Roma abs terræ regibus magnificè donatur 65
Romæ duo annui conſules 136
Romæ qui ſenatorij, qui plebei ſint vix conſtat 233
Romæ corona imperij accipitur 270 207
Romæ fundamentum eccleſiæ vniuerſalis, fideique Chriſtianæ, iactum & auctum ad culmen eſſe 240
Romana curia in Gallias transfertur à Clemente v. 222. & reducitur à Gregorio xj. 238
Romana eccleſia omnium eccleſiarum parens 150. caput & mater omnium eccleſiarum 262. & in ea immortalis pontifex
Romanæ eccleſiæ ditio 94,100.103. 107.108.113.148.149.167.171.178. 181. 191. 233, 236. 247.264.266. 267.272.277.290.295.?99.307. 313.319.336.339.341.342.355.378.
Romanæ Eccleſiæ ditio aucta 113
Romanæ ſedis primatus probatur in Bonifacio 111.77
Abſq; Romanæ ſedis authoritate imperatorem ſe appellare ſuperbiæ notatur 226
Romanæ ſedi ab Arithperto quædam terræ donatæ dicuntur 94
Romana ſynodus 28
Romanæ vrbis adminiſtratio Pontifici relinquenda 200
Romanæ vrbis pulchritudo 46. in Romanæ vrbis obſidione magna inundatio aquarum obſidionem ſoluere cogit 73
Ad Romanam fidem & futurum concilium appellat rex Franciæ 221
Romandiola 213
Romanus oſtiarius martyr 32
Romanus I. Papa 130
Romanus pontifex Chriſti vicarius 153. vnicus Chriſti in terris vicarius 231. ſacrorum pater & rex 140. à nemine iudicandus III. vt petri ſucceſſor omnibus præeſt. 77. adorari ſolet 179. adoratur 123. paſtor vniuerſalis eccleſiæ à concilio vocatur 124. humeris omnium defertur 102. magna ſolennitate Conſtantinopolim introducitur 69. honorificè ab imperatore ſuſcipitur 95. ſuffragijs Cardinalium eligitur 212. à Clero creatur non expectata imperatoris confirmatione 125. pecunia, aut aliquo tumultu creatus, non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus cenſendus 151. electus cononari non vult in ciuitate, cui ſacris interdictum putat 212. quibus cæremonijs conſecretur 164. à quibus episcopus conſecretur 90. poſt conſecrationem à principibus omnibus ſalutatur 170.
Romanus pontifex coronatus omnem poteſtatem accipit, quam Chriſtus Petro reliquit 207. vniuerſales ſynodos confirmat 59. plenam delictorum omnium remiſſionem præſtat viſitationibus limina Apoſtolorum 220. 231. in fortunæ bona poteſtatem habet 155. imperatori regem Franciæ, & eius regnum ſubijcit 220. imperium à Græcis ad Francos transfert 111
Romanus pontifex regem Longobardorum interpoſita Saluatoris authoritate, compellit pacem cum Beniuentanis & Spoletinis inire 98. Apoſtatas ad ſua cœnobia redire compellit 403 Lutheraniſmum profligare nititur 347. vt conſtituere non poſſit, quod contra fidem ſit, Vigilij exemplum docet, qui electus vt Anthemum hæreticum in fide Conſtant. reſtitueret, hoc ipſum minis & ſupplicis coactus noluit 69. non vult Sion in ſanguinibus ædificare 348. imperatorem Conſtantinopolitanum excommunicat 213. episcopum Conſtantinopolitanum excommunicat 68. 69. Nicephorum Conſtantinopelitanum imperatorom excommunicat 157. regem Gallæciæ cum tota diocœſi Diui. Iacobi excommunicat 162. Brachium excommunicat 264. Imperatorem & reges excommunicat 62. imperatorem Henricum III. imperio deiectum excommunicat, & iuramento ſubditos abſoluit 154.157. Guilelmum Siciliæ regem excommunicat & ſubditos iuramento abſoluit 177. Leonem III. imperio ſimul & communione priuat 99. regem Neapolitanum excommunicatum regno priuat 327. episcopum Conſtantinopolitanum dignitate priuat 83. 84. Ladiſlaum regem regno priuat 256. Conſtantino imperatori excommunicationem minatur 104. Deſiderio Longobardorum regi excommunicationem minatur 107. imperatorem libere reprehendit 68. 75. imperatorem penes ſe citat pœna propoſita 197. Alberto petenti denegat confirmationem imperij 219. conſtituit ne Philippici imperatoris nomen publicis ſcriptis recipiatur 26. expeditionem in Sarracenos promulgat 229. Turcis bellum indicit 290. ſedecim triremes in Turcas mittit 290. xxiiij. triremes in Turcas mittit 318. Rhodijs obſeſsis ſubſidium, tardius tamen mittit 346. ingentem pecuniæ, frumenti, & tormentarij pulueris vim, Croacis & Dalmatis liberaliter ſubminiſtrat 347. Hiſpaniarum regi Philippo graue bellum infert 400. & tandem reconciliantur 401. abſoluere voluit Francos à iuramento regio propter regis inobedientiam 220. à iuramento ſubditos Petri Arragoniæ abſoluit 214. in Angliam prædicatores mittit 86. episcopos conſtituit 153.174. 181. episcopum Toletanum primatum Hiſpaniæ conſtituit 162. episcopos electos confirmat 77. episcopatus in archiepiscopatus mutat 174. nouos archiepiscopatus & episcopatus in inſulis Oceani & Indiæ & in Belgia condit 403.404 duas Eccleſias in vnam redigere cupit 273. ducem Apuliæ creat 174. ad electores mittit, vt Sigiſmundum I. imperatorem eligant 254. imperatorem imperij corona donat iij. 126. 178. regni titulum donat 162. imperatorem confirmat 190. 223. & coronam promittit 223. quam à tribus Cardinalibus accipit 226. regem creare ſolet 202. 204. Pipinum regem Italiæ creat iij. reges inungit iij. 113. 117. 126. regno reges priuat 256. Carolo Siciliæ regi ſenatoriam dignitatem reſtituit à prædeceſſore ei ablatam 212. venetorum ſenatum inſignibus quibuſdam ornat 281. poteſtatem elegendorum episcoporum imperatori Carolo conceſſam recipit 113. 114. Ferdinandum fratrem Caroli V. imperatorem non vult agnoſcere 402. imperatorem filium appellat 371 imperatorem deponens ab electoribus alium in Cæſarem deſignari fecit.
Rom. Pont. à Rege vt legatus Conſtantinopolim mittitur 56. 68. ab imperatore deceptus 195. ſemel hebdomodatim ius cuique dicere conſtituit 403. profligatas reginas & extorres deſpotas liberaliter ſuſtentat & elocat 322. aurea & argentea numiſmata ædificiorum fundamentis ſubijcit 311. gymnaſiũ inſtituit 343. libros pluris facit quàm ſaphyros & ſmaragdos 300. falſo accuſatus 70. ſuſpectus hæreſi 63. fugit 180. Roma fugere coactus 271. vrbem recuperat 271. 272. pontificatu ſe abdicat 284. capitur 31. 110. 126. 138. 139.140.154.169.258. fraude & iniuſtè capitur 110. captus in exilium mittitur 138
Romanus Pontifex Agalſo lepro ſum oſculo mundat 87
Romanus Pont. Bonifacius ix. anno ætatis 30. Pontificatum init 245
Rom. Pont. Cæleſtinus III. cum Moniale Deo conſecrata diſpenſat, vt matrimonium contrahat 188
Rom. Pont. D. Gregorius Aquileiæ episcopum conſtituit inuito Longobardorum rege 75
Rom. Pont. Leo III. iniquè accuſatus ſe purgat 111. & Paſchalis III. 113
Romanus Pont. Leo viij. ab imperatore inuitis Romanis creatur 137. 138
Rom. Pont. Lucius III. vrbe pellitur 185
Rom. Pont. Siluerius pontificatu ſe cogitur abdicare 96
Rom. Pont. qui coactus episcopos ſimoniacos confirmârat, confirmationem reuocat 167
Rom. Pontif. Silueſter II. dęmone adiuuante pontificatum conſecutus, pœnitentia ductus moritur 143
Romani Pontificis pedes oſculandi antiqua cõſuetudo 118.123. 141. 166,169. 181. eius pedes oſculatur imperator 95.102.107.160. & Carolus Magnus 107. eius electio vltra triduum non differenda 67. eius electio ad xxi. menſes ob Cardinalium captiuitatem differtur 196. eius electio ad Clerum & Rom. pop. pertinet 134. in eius electiõe execitus ſe immiſcet 89. eius electio ab imperatoribus non petẽda 127. in eius electione imperatorum authoritas interuenire ſolet 68. 74. eius electionem imperator ad ſe transfert 137. 138. 148. de eius electione Conſtantini ſanctio 89. & imperatoris ſanctio 142 eius confirmatio ab imperatore petebatur 116. eius electio ab imperatore, aut eius Exarcho confirmatus 82. eius coronatio 217. & de ruina muri tũ facta 222. eius diligentia 403. 405. eius liberalitas, maximè erga literatos 288. eius authoritate regnum Franciæ Pipino confirmatur 101. ſine eius authoritate decreta concilij minorem habent authoritatem 259. de eius authoritate & iuriſdictione imperij liber Innocentij IIII. contra Petrũ Vineam 199. eius eſt Cõcilium indicere 179. eſt episcopos confirmare eſt de rebus ſacris decernere 114. eſt prohibere ne noua vectigalia imponantur 207. eſt proprium regnum Siciliæ dare & adimere, non imperatoris 226. eius conſenſus ab imperatore in negotijs religionis petitur 94. eius opera pars Occidentalis ad fidem Chriſti conuerſa eſt 56. eiusque opera imperium ad Longobardos translatum 129. eius exercitus Brachium non longè ab Aquila ſuperat & interficit 266. eius benedictione accepta Galli, cruce ſignati digrediuntur 202. eius montis perterritus dux Beneuentanus, omiſſo bello, Beneuentum redit 93. eius legatus nouos magiſtratus Florentiæ conſtituit 221. eius legati ab imperatore honorifice ſuſcipiuntur 65.
Rom. Pont. Sixti manſuetudo, liberalitas 57.58
in Romani Pontificis Gregorij vij. electione quibus verbis vtebantur 153
Romano Pontifici etiam reges ſubiecti 154. 155. ei verè omnes Reges & principes obtemperare debent 254. Pipinus ei obuius procedens, eius pedes oſculatur, equi frenum manu tenens, pedes eum in ciuitatem introducit 102. ei Lodouicus imperator I. obuius factus ex equo deſcendit 112. ei formula obtemperandi mitti ſolet 55. ei ſuadetur vt ſe Pontificatu abdicet 218. licere ei, vt ſe Pontificatu abdicet.
Romanũ Pontificem quantum Iuſtinianus imperator ſit veneratus 67 eum Tiberius II. imperator mirum in modum obſeruauit 87. eum Luithprandus Longobardorum rex octo milliaribus pedes comitatur 100. eum decem eo loci reſidere, vbi Petrus ſedem Pontificiam Domino volente collocauit 239.240. ad eum Ioannes Alexandrinus episcopus confugit 62. ad eum vacante imperio omnis poteſtas imperatoris recidit 231. in eum coniuratur 97
Romanum Pontificem Martinum I. interfecturus cæcus efficitur 84
Romani Pontificis eligendi poteſtas quare fuerit Clero adempta 148.
à Romano Pontifice orthodoxæ fidei rationem petit Raſsianus rex 222. ab ipſo impetratur recuperatio imperij Conſtantinopolitani 220.
Romani Pontifices nomina mutant 119.117. ſibi ſucceſſorem deligere prohibentur 67
Romani pontifices Benedictus 9. & Silueſter 3. & Gregorius 6. pontificatu ſe abdicare coguntur 147
Romanorum Pontificum verorum exempla 103.104
Romani arcem ingreſſi per inſidias capiuntur 271
Romani arcem ſancti Angeli fruſtra oppugnant 271

in poteſtatem Pontificis veniunt 271.272. magiſtratum inconſulto Pontifice creant 202. Martinum V. honorificentiſsimè ſuſcipiunt, & diem aduentus eius in Feſtis annotarunt 265. mortem eius deflent 268. Martinum patriæ parentem appellarunt 265. à Paulo IIII. priuilegijs donati, eidem marmoream ſtatuā erigunt 397
Romani nobiles centum cuſtodiæ Pauli 4. aſsignati ibid.
Romanorum lætitia & gratulatio 284. mortuo Paulo IIII. immoderata in Carafarum nomen petulantia 406. cum Francis perpetuum fœdus 107
Romanis qui tempore Caroli Magni libertate vtebantur, magiſtratum delegit Lothorius 1. 114. ijs omnem inſolentiam commiſſam in Paulum IIII. Pius IIII. condonauit 410
romilda regina prodit Forumiulij 78
romulus Amaſæus 380
rothifredus rex Normannorum 126
rufinas tyrannum orientem inuadit
rubeus Anguillarius Hetruriæ comes 214
ruſtici viginti ſeditioſi laqueo ſuſpenſi 291
ruſticorum in Germania cædes 353. 354

S.

SAbaudienſes à Galeatio bello vexati, ad pacem Gallis commodam coguntur 308
Sabbathum ſanctum 86
Sabelliana hæreſis 31. 40. in Nicæna ſynodo damnatur 40
ſabina Romana martyr 16
ſabinianus 1. Papa 76
ſabinus Bulgarorum princeps 104
ſabinus Canuſinus 71
ſabinus Veſpaſiani frater cum Flauiana familia in Capitolio à Vitellio concrematur 10
ſacerdos & Leuitæ publicè ordinandi ſunt 23
ſacerdos apud eccleſiaſticum iudicem tantum cauſam dicere debet 45
ſacerdotes cum crucibus veniunt Lodouico obuiam 117. cum infulis, & reliquijs ſanctorum procedunt obuiam Imperatori 166. pretioſis veſtibus, aut ornamentis aureis vti prohibentur 116. poſt admiſſum crimen & pœnitentia peracta ad priſtinos honores redire poſſunt 25
ſacerdotum priuilegium 42
Sacramenta Eccleſiæ in extremo vitæ pontifex Paſchalis 2. accipit 168
ſacramentis omnibus Eccleſiæ acceptis moritur pontifex 210
ſacrilegi vbique anathematizandi 80
ſacrificabat religioſiſsimè Nicolaus 3. 211. 212
ſaladinus Sarracenorum rex terram ſanctam occupat 186. dolo Chriſtianos circumuenit 188. moritur & ſepelitur præcone ante funus clamante 189
ſalona vrbs 367
ſamos inſula à Venetis capitur 171
ſanantur cœci, muti & claudi ad ſepulchrum Martini 4. 214
ſancti ſpiritus adſit nobis gratia, &c. à quo compoſitum 142
ſanctorum veneratio 83. 87. inuocatio 154
ſanctorum omnium ſolemnitas inſtituitur 116
ſanctius rex Hiſpaniarum 177
ſanguis Chriſti Mantuæ aſſeruatur 111
ſanguinis fons Genuæ fluxit 135
ſanguinem pluit apud Brixiam 126
ſaphyra Antiochena martyr 16
ſapientia Peloponneſi promontorium 234
ſardinia templo ſanctorum martyrum Marcellini & Petri donatur 42. Frederico Siciliæ regi datur 222
ſarraceni occupata Lybia & Aphrica, Hiſpanias occupant 93
ſarraceni Aſiam occupant, & aditū Chriſtianis ad loca ſancta intercludunt 115
ſarraceni à Carolo funduntur 99. à Carolo Magno ſuperantur 106
ſarraceni à ceruicibus Gallorum & Hiſpanorum pelluntur 97
ſarraceni Italia pelluntur & Sicilia 126. 133. 145.
ſarraceni in Galliā ab Eudone euocantur 97
ſarraceni naufragiū patiuntur 118
ſarraceni à Romanis ſuperantur 133
ſarraceni permittuntur in Italia ſuis legibus viuere 204. vincuntur 87. 97. à Turcis vincuntur 102 vnde ſic dicti 81
ſarracenorum duces 81. 82. Admirati vocantur 90
Satellia capitur 191
ſaulus Iudæus, Alaricum regem Gothorum inſidijs petens, interimitur 53
ſauo fluuius 179
ſaxones ſuperantur 113. fidem recipiunt Sergij pontificis virtute & ſanctitate 93. Franciæ regno adiunguntur 97. 111. ab imperio deficientes ſuperantur 111. à Pipino in gratiam recipiuntur 104
Saxones idololatræ fidem ſuſcipere coguntur 108
ſaxonum duo reges voti cauſa Romam veniunt 96
ſaxonum rex Theodoricus in deditionem accipitur 101
ſaxum in Vaticano iuxta Pontificē cadens, vnum ex Heluetijs occidit 347
ſcabies elephantiæ ſimilis 79
ſcaldes fluuius 117
ſcaphuſa 258
ſcarparia arx 223
ſchiſma ob duos pontifices 63. 91. ob plures pontifices in Innocentio 173. 174. 259
ſchiſma à Martino prorſus ſublatū 266
ſchiſma maximum in Eccleſia tempore Vrbani 6. contra quem eligitur Clemens 7. 240
ſchiſmatici, & hæretici à ſeculari poteſtate coerceri poſſunt 70
ſclaui quando fidem receperint 138 ſuperantur 146
ſciarra vir inſignis 219
ſcotia à Romano Pontifice epiſcopum accipit 56
ſcluſæ 231
ſcripturæ ſacræ igne concremantur Diocletiani tempore 35
ſcultenna fluuius 84
ſchythæ Hyperboreis montibus incluſi 102
ſecularis anni origo 231
ſeculum quid dicatur 231
ſecuſa dolo capta diruitur 181
ſedes Petri Apoſtoli 161
ſedechias medicus Iudæus regem veneno tollit 126
ſedes apoſtolica omnium eccleſiarum caput 111
ſeditio apud Conſtantinopolim 135 in Germania ob plures Imperatores 190
ſeditio magna in Eccleſia Dei 274
ſeditio Rauennæ exorta 98
ſeditio Romæ 269. 271. 194. 286. 287
ſeditionis author Petrus pœnas luit 138
ſelymbria vrbs diripitur 201
ſelymus Turcarum Imperator occupat regna Syriæ & Aegypti 342
Seneca Neronis præceptor 9
ſenenſes à Cæſarianis duce Ioanne Iacobo, Mariani Marchione fame domiti, in ſeruitutem rediguntur 385. 386. periculo liberantur 291
ſenenſes præfecti ſeueritate moti, Cæſari rebellantes, Gallis ſe dedunt 384
ſenis eligitur Romanus pontifex 151
ſenogallia capitur 106
ſepelitur Imperator Conſtantinopolitanus extra locum ſacrum 217
ſepulchrum Alouiſij Cardinalis ſpoliatum 306
ſepulchrum alterum Hadriano 6. Cardinalis Enchauordius erexit 352
ſepulchrum Chriſti omni genere turpitudinis fœdatur 198
Sepulchrum Domini reſtituitur 150
ſepulchrum parentibus Pius 2. exſtruxit 301
ſequana fluuius 97
ſerapion ſcholaſticus 46





Sergius 1 Papa 91
Sergius 2 Papa 116
Sergius 3 Papa 132
Sergius 4 Papa 145
ſergius martyr 37
ſeuerinus I. Papa 81
ſeuerinus abbas 63
ſeuerus Aquilius 51
ſeuerus epiſcopus Aquileienſis hæreticus 75
ſeuerus ſcriptor 76. 77
ſeueri Imperatoris victoriæ in Calliſto 23. 24
ſeueriana hæreſis 20
ſeueritas Pauli 4. 396
ſextus Decretalium à Bonifacio 8. æditus 219
ſextus ſcriptor 23
Sfortiani 248
Sfortiani milites vnde originē habeant 246
Sicardus Beneuenti dux 115
ſicilia inuaditur à Sarracenis 85. à VVandalis vaſtatur 56. à Sarracenis occupatur 86. Romanæ eccleſiæ eſt 188
ſicilia comitatus 264
ſiciliæ magna pars à Mauris vaſtata ab ijſdem liberatur 115
ſiciliæ & Neapolitani reges regni Hieroſolymitani titulū vnde habeant 194
ſico Beneuenti dux 114
ſiculæ veſperæ prouerbium 213
ſiculi à Carolo rege ſuo deficiunt 218
ſidon capitur 166
ſigibertus Francorum rex 72. 73
ſigibertus monachus Gemblacenſis 168
ſigifridus archiepiſcopus Moguntinus 154
ſigiſmundus imperator pontificis rogatu eligitur 257. in imperatorem creari curatur à pōtifice 257. Romæ imperij corona donatur 270. concilio Conſtantienſi interfuit 258. pedes pontificis oſculatur 260. moritur 273
ſigiſmundus Malateſta 285
ſigna in aëre apparent 71
ſigna vrbs capitur 228
ſiluma vrbs capitur 187
ſimeon Cleophæ filius, Chriſti conſobrinus Hieroſymitanus epiſcopus, ſub Traiano principe crucifigitur 14
ſimonia auferetur 348
ſimonis Magi nequitia 7
ſimoniaci 7. 153. excommunicantur 153
ſimoniacorum pœna 153
ſimplicius I. Papa 60
ſimulacra Deorum in Aegypto cecidêre 4
ſinueſſanum concilium 35
ſion mons 163
ſirenes apparent 76
ſiſebutius Gothorum rex 79. 82. omnes Hiſpaniæ ciuitates Romano imperio adimit 82
ſiſinnius I. Papa 94
Smyrna capta 319
Sobal caſtellum Syriæ capitur 169
ſolomonis templum aqua roſacea lotum non prophanarunt Sarraceni 187
ſophia Iuſtini II. Imperato. vxor imperium gubernat 71
ſophronia 38
ſophronius 55
ſora ciuitas vaſtatur 196
ſoractes mons 167
ſoter I. Papa 21
ſozymus I. Papa 53
Spirenæus Bohemiæ dux 135
ſpiritus ſanctus rectè dicitur à Latinis, à patre, & filio procedere 174
ſpoletij D. Antonius de Padua in ſanctos refertur 195
ſpoletini ſe ſuaque omnia Romani pontificis fidei committunt 107
ſpongia Chriſti à Venetis emitur 196
Staniſlaus Cracouienſis epiſcopus canonizatur 198
ſtaniſlaus Hoſius legatus ad Concilium Tridentinum mittitur 414
ſtationum magnam partem D. Gregorius 3. inſtituit 74
ſtatua reperta in Apulia aurum eſſe occultatum ſignificabat 149
ad Statuas qui minxerant damnabantur 24
ſtellæ micantes in cœlo apparent 132
Stephanus 1 Papa 31
Stephanus 2 Papa 101
Stephanus 3 Papa 104
Stephanus 4 Papa 112
Stephanus 5 Papa 128
Stephanus 6 Papa 129
Stephanus 7 Papa 134
Stephanus 8 Papa 135
Stephanus 9 Papa 150
Stephanus Bauariæ dux 314
ſtephanus Corſius 165
ſtephanus martyr 32
ſtephanus Porcarius coniurationis Romanæ caput ſuſpenſus 286
S. Stephanus Vngarorum rex 147
S. Stephani prothomartyris reliquiæ inueniuntur 55
ſtrabo frater Venerabilis Bedæ 192
ſtudia humanitatis & linguarum per quos refloruerunt in Italia 249
ſtylus Romanæ curiæ emendatur 169
Sueui Franciæ regno adiunguntur 97
ſuffragia Cardinaliū libera eſſe debent 217
Supplicatio Romæ habita, & per totam Italiam 284
ſupplicationes celebrantur 70. 74. 112. ad abolenda prodigia Romæ habentur 413. pro victoria Turneta indictæ 365. pro concilio generali habitæ 413. triduo ante dominicam aſcenſionem celebrantur 112. Romæ habitæ reip. Chriſtianæ tranquillitati profuerunt
ſupplicationes maiores à D. Gregorio I. inſtituuntur 74
in Supplicatione nudis pedibus à Romano pontifice, & alijs omnibus itum eſt 105
ſupplicationum inſtitutio 59
ſuſanna neptis Gaij ex fratre martyr 34
ſutrium capitur 172
ſutrij Concilium celebratur 151
Syloe amnis 163
S. Syluerius I. Papa 68
Silueſter 1 Papa 39
Silueſter 2 Papa 143
Silueſter 3 Papa 147
Symbaticus prothoſpatarius 130
ſymmachus I. Papa 63
ſymbolum Athanaſij confirmatum 298
ſymbolum Nicænum poſt Euangelium cantatur 44
Symmachus 65
ſimon Magus præſtigijs ſuis Deus creditus; D. Petrum Apoſtolum Romæ miraculis prouocat, cuius oratione ex aere delapſus Simoniacæ ſectæ author moritur 7
ſimonetus monachus 287
ſimon Petrus Galilæus ex Bethſaida frater Andreæ, Princeps Apoſtolorum 5
ſimon S. Orientalis Aſſyriæ electus Patriarcha à Pontifice Romano confirmatus honorificè remittitur 382
Synodus Chalcedonēſis 58. Placetina 160. Romana 28. 77. Epheſina 56. 59. Florētina 150. VIII. Cōſtantinopolitana 125
ſynodus Tridentina indicitur 371. Bononiam tranſlata 376
ſynodus Romæ apud D. Petrū ſub D. Gregorio I. celebrata 74
ſynodus Conſtantinopolis habita, cui etiam Romani pontificis apocriſarius ſubſcripſerat, à Romano pontifice exploditur 92 quam Græci ſeptimā vocant abrogatur 105. 108
ſyracuſæ à Sarracenis occupantur & ſpoliantur 86
ſyracuſis Baſilica terræmotu corruens, omnes exceptis duobus contriuit 159
ſypontum quod & Manfredoniam nunc vocant 207
S. Syricius I. 49
Syxtus, vide Xyſtus

T.

TAbor mons à Sarracenis occupatur 169
Tacitus Aureliano ſuccedit 33

tamburlanus Turcas ſuperauit, & regem vinctum catenis ſecũ traxit 249
tancredus Antiochiam egregiè tuetur 166 rex Antiochiæ conſtituitur 169
tarentum occupatur 89
tartari Europam & Aſiam inuadũt 198. multas Aſiæ prouincias vaſtant 193
tarus amnis 180.197
tatianus hæreticus 20
Templum S. Mariæ rotundæ à Phoca imperatur 78
templum Conſtantinianum Romæ incenditur
templũ pacis Claudius cœpit, Veſpaſianus perfecit 11
templa à Conſtantino conſtructa & dotata 39.40.41
templa diripiuntur 85
ad Templa confugientibus parcendum eſt 80
ad Templa confugientibus in bello parcitur 54
templorum cõſtructio 39. 40.41.42 44.49.57.59.60.63.64.66 67.74 78.79.80.81.83.89.94.100 101.113 conſtructio & conſeratio 322. 328. 343. dona & ornatus 39. 40. 41. 42. 44. 49. 55. 56. 57. 59.61.65.66.67.74.89.92.96.99. 100. 112. 113. 114.118. 119. 343. reſtauratio 211
templarij Gazam inhabitant 175. ſuſtolluntur 222.225, ad Sarracenos deficiunt 222
Templarij milites 170
templariorum bona diripiuntur 196
templariorũ Magiſter capitur 186. moritur 187
tenedos inſula 239
terra ſancta à Saladino Sarraceno occupata 187
terræmotus 219. 283. 159. 193. 216
terræmotus Neapoli 291
terræmotus magnus 220
tertullianus 15
teſtamentum iuſſu principis vbique valet 80
Thadæus Apoſtolus Edeſſam Meſopotamiæ ad fidem conuertit 175
thealdum caſtellum 223
theate incenditur 111
thebæ captæ recuperantur 176
theſeſphorus I. Papa 17
themiſtius Philoſophus 50
Theobaldus Mediolan. archiepiſc. 154
theobaldus nobilis Francus 150
theodahatus rex Gothorum 66. cogit Clerum, vt Silucrium eligat in Rom. pont. 68
theodoricus Antipapa
theodoricus rex Gothorum extincto Odoacre dominatur Italiæ 60. bellum Francis infert 62
theodoricus Franco. rex moritur 92
theodoricus Hezius 346
Theodorus 1 / 2 Papa 80 / 130
theodorus archiepiſcopus 86
theodorus Calliopa exarchus Italię 83
theodorus exarchus 90
theodorus Hieracleæ epiſc. 45
theodorus presbyter 61
theodorus Syriæ epiſcopus 61
theodorus Martinum I. dolo capit 84
theodori martyris corpus Venetias transfertur 171
theodoſius ab ingreſſu Eccl. prohibitus 52
theodoſius Catholicus Conſtant. Imp. 96
theodoſius iunior 56
theodoſius imperator Hiſpanus 51
theodotion Tatiani diſcipulus 21
theodotus Coriarius hæreticus 23
theodulus diaconus martyr 16
theophanius Abbas, epiſcopus efficitur 88
theophilus Alexandrinus 54
theophilus Antiochenſis epiſ. 18
theophilus iuriſperitus Iuſtinianũ in compoſitione librorum iuris iuuit 67
theophilus Palæſthinæ epiſcopus 23
theophilus Patriarcha Alexandrinus agnoſcit Romanam Eccleſ. 350
theophylactus exarchus 93
thermæ Antonianæ 24
thermæ Diocletiani in Carthuſianorum cœnobium à Pio 4. conuertuntur 458
theſſalonica Macedoniæ capitur 185
theudelinda Lõgobardorum regina 74. moritur 81
thomas Aquinas Alberti diſcipulus, & eius opera 202. 203. canonizatur cum Thoma Herferdenſi 227
S. Thomas Cantuarienſis martyr canonizatur 181
thomas Morus martyrio coronatur 363
thomas Caietanus Cardinalis in Vngariam ſubſidij cauſa pecunijs onuſtus mittitur 348
thomas Cromenus archiepiſcopus Cantuarienſis hæreticus comburitur 396
Tiberianus 54
tiberias Galilææ vrbs Gotifredo ſe dedit 164
tiberis inũdatio 71. 96.124.194.212 265.358
tiberius ciuis Conſtantinop. imperator interficitur 94
tiberius Chriſtum in deorum numerum referre noluit 5
tiberij 2. Imperatoris laudes, liberalitas, religio, & aliæ virtutes, & opes 78
tiberij vita 5.6
tibur expugnatur 166. Hadriano cõſtruitur 16
ticinum capitur 56.97
ticinẽſis epiſcopus cui, vt obtemperet, decretum 96
tifernum ciuitas 175.216
timothæus 61
timotheus presbyter martyr 58
titus imperator 11. eius liberalitas 11. dictus amor & delitiæ generis humani ibid.
tituli in vrbe ab Euariſto diuidũtur 15
Toletanus Archiepiſcopus primus Hiſpaniæ à Rom. pont. cõſtituitur 162
toletum Sarracenis ereptum, Chriſtianis incolendum traditur 159
toloſana Eccleſia ad Archiepiſcopatum transfertur 226
tolpha à pont. emitur 313
tonitrua frequentia 86
tormenta inaudita Chriſtianorum 35
totila Gothorum rex flagellũ Dei, à B. Benedicto minis terretur 70
toto dux 104
Tragurium Veneti capiunt 171
traianus imperator 15
transfigurationis officium à Calliſto 3. dictatũ & promulgatũ 293
traſamundus rex Vuandalorũ Arrianus 62. epiſcopos ablegans in Sardiniam 63
tranſimundus dux Spoletinus clericus efficitur 100
trapezon interempto priùs imperatore à Turcis capitur 291
trebellius Bulgarorum rex Iuſtinianum reſtituit imperio, ab eodẽ bellum patitur 93
trecæ ciuitas 126
de Tributo ſoluendo contentio 307
tridentum muris cingitur 62. capitur 89
tridentina ſynodus, vide Synodus & Concilium
triphylius Ledrenſis 46
tryphon Originis auditor 26
tripolis Aſiæ ciuitas inſignis à Soldano Chriſtianis diſcordantibus euerſa 216
tripolitanus regulus Chriſtianos commeatu iuuat 163
troia ciuitas Apuliæ 146
Tuneſij rex tributum Rogerio Siciliæ comiti pendere cogitur 165
Tunetum Muleaſſi regi certis conditionibus interpoſitis reſtituitur 365
tunetum & Guleta Barboroſſa profligato capiuntur 365
tunica Chriſti inuenitur 74
turcæ capta Epiro in Illiricum iter parant 305. duce Ioanne Vaiuoda ad Bellogradum ſuperantur 291. ſuperãtur à Chriſtianis 175. quos vicerint 102
turcica claſſis Romanis terrorẽ incuſſit 374
turcarum rex catenis vinctus à Tãburlano 240

Turcarum



Turcarum triginta millia cæſa 164
Turinus qui munera acceperat fumo interficitur 27
Tuſculum Romano pontifici traditum diruitur 188
Tuſculi audiuntur Legati Henrici Angelorum regis 181
Tyberius priuignus & hæres Auguſti Cæſaris imperat variè viginti tribus annis 5
Tygris flumen 382
Tyrus occupat 171

V.

VAlachi populi olim Romani 190
Valdridus Bauarus ſanctus 128
Valens imperator ab Eudoxio Arriano baptizatur 50
Valens Arrianus Imperator ab hoſtibus exuſtus 50
Valentia vrbs Mauris eripitur 194
Valentiniana hæreſis 18
Valentiniani Imperatoris laus mors 57
Valentinianus iunior imperator 57
Valentinus 1. Papa 114
Valentinus Borgia Lucretiam Herculis Eſtenſis filiam vxorem ducit 331
Valentinus notarius 71
Valerianus & Gallienus Aemiliano ſuccedunt in imperio 30
Valerianus Imperator Perſarum regi ſcabellum quo equum cõnſcenderet efficitur 30
Valerianus & Tiburtius 26
Valerius Publicola inſtituit ludos ſeculares Romæ 28
Vallias rex Gotthorum 55
Vallis nebularum 267
Vaticani ſedes Longobardis ad inhabitandum conceditur 107
Vaſa ſacra niſi à miniſtris ſacrorũ tangenda non ſunt 17
Vaſcones prementes Carolũ Magnum ab eodem victi pęnas luunt 180. qui defecerant à Ludouico 1. in poteſtatem rediguntur 112
Vectigalia ciuitatibus pendi ſolitũ Eccleſijs, & clero donatur à Cõſtantino 42
Vectigalia noua prohibentur Exarcho 97
Vedaſtus Epiſcopus diſcip. B. Remigij 71
Velitris Benedictus 10 exulat 151
Vuenceslaus Imperator ob ignauiã abrogatur 247
Venenum mari immerſum piſces interimit 6
Venceslaus à fratre interfectus in ſanctos refertur 135
Veneno in calicem iniecto, Victor 111. dum ſacrificant, necatur 159
Veneris templum in monte Caluariæ ædificatum 41
Veneti à Græcis diſcedunt 181 cum Genuenſibus fœdera ineunt 195. cum Genuenſibus bellum committunt 200. Philippũ Mediolanenſ. Ducem in littore Genuenſi claſſe ſuperant 270. Ferrarienſes bello vexant 321. inſulas aliquot ſibi ſubijciunt. 171 cum Franciſco Sfortia pacem ineunt 283. Cretam emunt 190. Iaderã emunt 248. lanceã & ſpongiam Chriſti emũt 196. excommunicantur 223. ab excommunicatione abſoluũtur. 326. 336. ab Innocentio omni cenſura abſoluuntur 263
Veneti & Florentini aſcito in ſocietatem belli principe Mantuano & Ferrarienſi, Philippum Mediolanen. pacem bello prouocant. 263
Venetorum oppida diripiũtur 273 274. exercitus ad Cremonam fuſus 270. ſenatus à Rom. Pont inſignibus & muneribus ornatur. 181. eorum origo. 115
Venetorum & Genuenſium diſſidium. 200
Venetis ius in Dalmatia cõceditur 192
Veramundus patriarcha Hieroſol. 171
Verba quibus in pontificibus eligẽdis vtebantur 153
Vercellenſis epiſcopus totius Italiæ Cancellarius 155
Vergiliæ quando oriantur 90
Verona & recipitur & capitur 134 275
Veronæ Concilium habetur 185 moritur Lucius 3. pont. 185
Veronenſes deditionem faciunt 119
Verſiculus, Gloria patri &c. poſt Pſalmos dicendus 51
Verus Conſul 16
Veſogothi ex Gallia fugantur 99
Veſpaſianus Imperator. 11. eius cum filio triumphus ibidem. eius lenitas & clementia 11
Veſpaſianus genus Dauid in precio habet
Veſtibulum D. Petri marmoribus ſternitur 87
Veſte ſerica M. Antoninus 1. Romæ vſus 26
Veſtibus ſacris extra eccleſiam & miniſteria diuina vti nullus debet 31
Veſuuius mons Campaniæ 90
S. Vgibertus 134
Vgolinus Comes 216
Viciſti Galilæe, viciſti, extrema Iuliani verba 49
Victor 1. Papa 22
Victor 2. 150
Victor 3 159
Victor Capuanus 71
Victor Piſanus 241
Victoria Pij 2. & in rebus gerendis dexteritas 326
Victoria pont. & Florentinorum aduerſus Philippum Mediol. ducem 267
Victoria vrbs 197
Victoria ope diuina potius quàm humana reportata 292
Victorinus 249
Victorinus pictauienſis 15. 31
Victorinus Aquitanus 60
Victorinus mortuo Poſthumo imperium occupat, & Agrippinæ occiditur 31
Victorinus Pictabionenſis Epiſcopus 34
Victorinus rhetor 50
Victorini nummi 197
Vigilius 1. Papa 69
Vigilius adhuc diaconus inſtigat Auguſtam, vt Siluerius pontifex in reſtitutione Anthemi hęretici in ſede Conſtantino coſentiret 69
Villa Iulia pontificum vſui applicatur
Vincentius Beluacenſis Epiſcopus 83
Vincentius Cæſar Auguſtanus. Epiſcopus Arrianus 76
Vincentius epiſcopus Leodienſis de quadratura circuli ſcripſit. 150
Vincentius Hiſpanus ordinis prædicatorũ in ſanctos relatus 290
Vincentius martyr 32
Virginum priuilegium 42
Vita eccleſiaſticorum ſit alijs exemplar 234
Vitalis à Felice 3. vt ſimoniacus excommunicatur 61
Vitalianus 1. Papa 85
Vitam D. Gregorij 1. ſcripſit Ioannes ix. pontifex 127
Viteleſcus Cardinalis factus 273
Vittellius veſpaſianus in numerum ſuccedit 10 regnat cum filio ſuo Tito 11
Vitelli ſecta
Vitelleus Imperator 10. eius voracitas ibidem
Vitellus veſpaſianus in imperium ſuccedit 10. regnat cum filio ſuo Tito 11
Vitellianum vnde ſic dictum 91
Viterbio ſacris interdictum propter impetum in Cardinales factum 213. nomen imponitur, & Eccleſia Metropolitana conſtituitur 190
Viterbij Clemens 4. moritur & Adrianus v. 206. 210
Viterbienſes agri populantur 212
Vitiges rex Gothorum Romam obſidet 68. moritur 69
Vlma & Auguſta in Cæſaris poteſtatem redacta
Vlpianus Iuriſperitus 26
Vlyxibonum capitur 110
Vnctio extrema raro iteranda 298
Vngari rebellantes ſuperantur. 146. Carolo magno ſe dedunt. 110. cedunt Sarracenos 138. Italiam, Germaniam, & Galliam inuadunt 131. Italiam inuadunt 133. 135. 136. integram fidem Chriſti ſuſcipiunt 146
Vngari ſunt quos Hunnos vocant 108
Vngarorum rex baptizatur 139
Vngariæ regnum inuaditur 334
Vniuerſitatis Pariſien. inſtitutio 112
Vocienus Montanus Narbonenſis orator 6
Vormatienſi Conuentui Martinus Luter interfuit 371
Votum Lodouici regis Franciæ in

ægritudinæ

ægritudine ſua de expeditione in Aſiam 198
Votum peregrinationis 96
Votum peregrinationis ad Diuum Iacobum 193
Voti cauſa S.Brigida Romam venit 237
Ex Voto templum ædificatur 98
Vrbanus 1 Papa 25
Vrbanus 2 Papa 160
Vrbanus 3 Papa 186
Vrbanus 4 Papa 201
Vrbanus 5 Papa 236
Vrbanus 6 Papa 239
Vrbanus II. in Tulliano carcere biennio ſe continuit 162
Vrbinum capitur 106
Vrſicinus Diaconus, competitor Damaſi Papæ 49
Vrſina familia 212. Roma pellitur ibidem.
Vrſinorum & Columnenſium diſcordia 322.326.concordia 327.
Vſumcaſſanus Perſarum & Armeniæ princeps, precibus Papæ Turcas fundit 293
VVandali cum Romanis, & multis alijs acriter pugnant 57.58.à Romanis ſuperantur 59.ex Aphrica pulſi Hiſpaniam Arriana hæreſi inficiunt 56
Vuormatienſis conuentus 154
Vxor vt legitima ſit, eſt à ſacerdote benedicenda 21

X.

Xenodochium ſancti ſpiritus collapſum à nouo reſtituitur 322
Xenodochia apud Diuum Petrum conſtruuntur Romæ 112. duo à Narſete Romæ ædificata 69

Z.

Zacharias Patriarcha Hieroſolymitanus captiuus in Perſiden ducitur 78
Zacharias I. Papa 100
Zacharias protoſpatarius 92
Zagarolum arx 165
Zannocia Alexandri 6. vxor 331
Zaphat vrbs 74
Zeno filio ſuo Leoni ſecundo in imperio ſuccedit 60
Zenobia orientis regina ab Aureliano ſuperata in triumphum ducto 33
Zenophrurium 33
Zepherinus I. Papa 23
Zizimus frater Baiaſetis Turcarum Imperatoris Romæ degit 328. Capuæ moritur 330
Xyſtus 1 Papa 16
Xyſtus 2 Papa 31
Xyſtus 3 Papa 56
Xyſtus 4 Papa 316
Xiſtus IIII. templorum & aliorum locorum piorum inſtaurator 322 323
Zozimus I. Papa 53

## ERRATA.

| Pag | Linea | Lege |
|---|---|---|
| 6 | 16 | amouerit |
| 21 | 14 | imperante |
| 25 | 54 | vulgò |
| 27 | 24 | Beryllum hæreſios arguit |
| 27 | 53 | Ferunt |
| 37 | 48 | conſtitutus |
| 42 | 22 | fundis |
| 56 | 36 | Pelagianis |
| 14[illegible] | 37 | tranſtra |
| 301 | 56 | claruerint |
| 361 | 25 | vt nemini |
| 388 | 32 | Datarij |

Series Chartarum.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN: AAA BBB CCC DDD EEE FFF GGG HHH III. a b c d e f g h i.
Omnes terniones præter EEE & i duerniones.

FINIS.